ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM. AUCTORE CAROLO LE...

Charles Le_Cointe, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

71
11 G
11'

Mazenod (Marc-Antoine)

Échevin de la Ville de Lyon (1658)

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

H
148

Sal. Leaf. 3- c-15-

60.1.8
60
G
8

66
F
10

7.-2.8.18

Digitized by Google

ANNALES
ECCLESIASTICI
FRANCORVM.

Auctore CAROLO LE COINTE Trecensi, Congreg.
Oratorij D. N. IESV-CHRISTI Presbytero.

SOC. IESV * BIBL. SEC. COLL. ROM.
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXV.

Digitized by Google

ANNALES
ECCLESIASTICI
FRANCORVM.

Auctore Carolo le Cointe Trecensi, Congre-
Oratorii D.N. Iesv Christi Presbytero.

PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXV.

Digitized by Google

CHRISTIANISSIMO

LVDOVICO XIV.

FRANCORVM NAVARRÆQVE

REGI.

IN lucem editurus, REX CHRISTIANISSIME, *Annales Ecclesiasticos Gentis, cui Deus Optimus Maximus singulari Te prouidentiâ Monarcham præposuit, Regium* MAIESTATIS TVÆ *patrocinium ambio, réſque multæ sunt propter quas*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

illud ſpero mihi non defuturum. Scribo Anteceſſorum Tuorum Geſta, quæ literis commendari Tuâ refert plurimùm. Origines oſtendo glorioſiſſimorum Titulorum, quos hæreditario iure feliciter ab eis ad Te tranſmiſſos hodie geris inſigni ſuper alios Reges prærogatiuâ. Recenſeo Victorias ab eis in hoſtes Dei reportatas ardenti Zelo, quo Te vehementiùs in dies flagrare totus Chriſtianus Orbis demiratur. Prodeunt hoc primo ſuſcepti à me operis tomo vetuſtiſſimi Francorum Reges, qui, licèt idola colant, Rectoribus Eccleſiarum Chriſtianæque plebi nullam inferunt moleſtiam. Prodit & primus è Chriſtianis Clodoueus cum

Digitized by Google

quatuor Filiis totidémque Nepotibus ac Pronepote. Ne plures vno volumine comprehendantur, vetat vberrima rerum commemorandarum copia. Tam breui temporis ſpatio tot adeóque præclara facinora geruntur à Francis, vt omnes aliarum Gentium Hiſtoriæ nihil habeant æquiparandum.

Franci, ſtante ac florente Romanorum Republicâ, ipſos Imperatores metu percellunt. Alij Rhenum prætergreſſi vaſtant[1] *Galliam, nobiliſſimas Ciuitates expugnant in*[2] *Hiſpania, nauéſque nacti permeant vſque in Africam*[3]*. Alij*[4] *numero perpauci, quos ſors iniqua captiuos fecit, & Imperator Romanorum ad*

1 Victor in libro de Cæſaribus.

2 Victor *ibidem*: Euſebius in Chronico; Eutropius lib. 9.

3 Victor *ibidem*.

4 Eumenius in Panegyrico Conſtantii Cæſaris; Zoſimus lib. 1.

vltimas oras Ponti relegauit, prudentiâ priſtinam recuperant libertatem; arte nauigia ſibi comparant; fortitudine conturbant Græciam, Aſiam, Libyam, Syracuſas nauali-bus quondam victoriis illuſtres capiunt in Sicilia, terrent Italiam cum ipſa Roma & Cæſare, domúmque redeunt nullum paſsi detrimentum ouantéſque quòd oſtenderint nihil ſibi clauſum eſſe quò nauigiis pateat acceſſus. Seneſcente Imperio ſedes figunt in Gallia cum diuerſis Nationibus, reliquias Romanorum penitus extirpant, famâ ſui nominis totum implent orbem. At verâ carent felicitate, quia nondum ſe Chriſto manciparunt. Populum tot Gen-

tium victorem Christus ad se prægrandi tandem miraculo trahit. Rex Clodoueus prœliatur aduersus Alamannos & Boios; militibus in fugam versis, frustrà Deorum, quos adorat, opem poscit; frustrà rogat Mauortem qui magna vertat; frustrà Iouem orat qui iuuet; frustrà Templum Statori vouet qui copias fugientes sistat; conuersus autem ad Christum mox victor efficitur, & Remis eo[5] die ad salutem *cum Gente sua regeneratur* ex vnda, quo natum Redemptioni suæ cæli Dominum mundus accepit. *Festiui diei memoriam*, REX CHRISTIANISSIME, *nostrâ ætate non semel reuocasti, cùm in die Natali*

[5] S. Auitus Viennensis Episcopus in literis ad Clodouæum Regem.

Domini, vt olim Clodoueus, ſacrâ primùm paſtus es Euchariſtiâ; cúmque Remis in eadem Eccleſia, vbi quondam Clodoueus, in Regem vnctus es.

Clodoueo Francorum Rege Chriſtianam fidem amplectente, maxima fit Eccleſiæ Catholicæ lætitia, inter Dynaſtas enim, quibus reliquus Orbis ſubeſt, nullus exiſtit Catholicus. Hinc ſupereminet Francorum Regum excellentia, &, vt ipſis Gregorij Magni verbis vtar, quantò ceteros homines Regia dignitas antecedit, tantò ceterarum Gentium Regna Regni Tui, *Ludouice*, profectò culmen excellit. *Sint alij Reges Nobiliſſimi,*

6 Greg. M. Lib. 5. ep. 6. ad Childebertum Reg. Francorum.

Tu Proto-nobiliſsimus [7]. *Sint alij Reges Chriſtiani, Tu Chriſtianiſsimus. Sint alij Reges Catholici, Tu Proto-catholicus. Sint alij Reges Eccleſiæ Catholicæ filij, Tu filius es Eccleſiæ Catholicæ primogenitus. Egregios hoſce Titulos à ſeculis ferè duodecim Tibi peperit Clodoueus, nec Tibi minor quàm illi gloria, quòd partos tuearis eâ magnitudi-ne animi, quæ Te facit omni inuidiâ ſuperiorem.*

7 Manuel Comnenus Imperator in literis ad Alexandrũ Tertium Papam datis menſe Martio, Indict. 13 id eſt, anno Chriſti 1180. Regẽ Francorum bis vocauit *Proto-nobiliſſimum*, quo tempore Reges dici conſueuerant *Nobiliſſimi*.

Clodoueus initio ſuæ conuerſionis vincit inimicos Chriſtiani Nominis; tum belli molem transfert aduerſus hæreticam Gentem Viſigothorum, quam valdè moleſtè [8] fert, *in parte Galliarum Franciæ contermi-*

8 Gregorius Turon. in hiſtoria Eccleſiaſtica Franc lib. 2. cap. 37.

na dominari. Sunt & hæ Tuarum virtutum imagines, REX GLORIOSISSIME. *Nuper Tuæ Legiones potentißimum Mahumetanorum Principum, Germaniæ iam imminentem, memorabili prælio repreſſerunt, palámq; publicarunt nihil timendum eſſe cuilibet Genti Chriſtianæ, quæ Tuam opem contra Chriſtianæ Religionis hoſtes implorarit. Hæreticos verò per Edicta Regia, perq; Præcones Catholicæ doctrinæ profligas in Gallia. Teſtes in variis Regni Tui Prouinciis prophanorum Templorum demolitiones. Teſtis & quotidiana multorum Nobilium ac Plebeiorum ad Catholicam auitamq; Religionem acceſsio.*

Clodouëi Magni fortitudinem æmulantur Filij, Nepotes ac Pronepos. Filius Theodoricus Thoringiam bello ſubigit. Alij duo filij, Childebertus & Clotarius, nepóſque Theodobertus Burgundiam vi redigunt in ſuam poteſtatem. Iiſdem Francorum Regibus, quorum amicitiam expetit, partem Galliarum ſponte cedit Rex Oſtrogothorum. Childebertus & Clotarius imperio ſuo ſubiiciunt in Hiſpania Vaſconias & Cantabriam. Theodobertus eiúſquè filius Theodobaldus in multis regionibus Italiæ diu regnant. Longè maiorem gloriam adeptus es, REX INVICTISSIME, *quia multò potentiores expertus es*

hoſtes, quibuſcum in Belgio, in Germania, in Italia, in Hiſpania diuturnum ſic geſſiſti bellum, vt in præmium partarum vbique victoriarum, ex pacis initæ conditionibus, ampliſſimas ditiones auitis addideris. Ortum versùs aſſeruiſti Franciæ tres ſpatioſiſſimas Diœceſes; necnon Alſatiam, Suntgouiam & Briſacum. Meridiem versùs adieciſti Franciæ celeberrimos Comitatus, Ruſcinonenſem & Confluentinum, cum parte Ceritaniæ. Septentrionem versùs auxiſti Franciam nobiliſsimâ Belgij parte, Arteſiâ fermè integrâ, munitiſsimíſque Vrbibus ac Caſtris in Ducatu Luxemburgico & in Comitatibus Flandriæ &

Hannoniæ. Multi quoque Principes cùm Italiæ tum Germaniæ, quos amicitiâ vel fœdere Tibi deuinxisti, lætantur se solâ Tui Nominis auctoritate bona recuperasse, quibus exutos se iamdudum dolebant. Arma Tuis manibus vbi Pax eripuit, nouam excogitasti artem, quâ sine bello limites Tuæ dominationis latiùs propagares, & Dunquercham Tuis iterùm Trophæis adiungeres, Britannis in suam se Insulam vltrò & amicè recipientibus.

Quid dicam de Pietate, quæ, vt olim regnante Clodoueo eiúsque hæredibus, sic & hodie Franciam Te Rege plurimùm commendat? Fran-

9 Gregorius Nonus in literis ad Archiepiscopum Remensem.

ci iampridem à Romanis Pontificibus laudati reperiuntur, quòd in feruore fidei Christianæ ac deuotione Apostolicæ Sedis *non sequantur alias Gentes sed antecedant. Hisce temporibus idem adhuc elogium merentur. Tantam autem Populorum Tuorum gloriam multùm promoues feruente zelo, quo quæcumque vel à Regnorum Tuorum Præsulibus sancita, vel à Summis Pontificibus definita sunt, studiosè præcipis sub grauibus pœnis obseruari, Regiísque iussionibus venis in sollicitudinis partem cum Episcopis instar Clodouei, quem Sanctus Remigius Antistes Remensis* non solùm prædicatorem

fidei Catholicæ ſed defenſorem, & Regionum Præſulem *appellauit*[10], *inſtarq́ Childeberti, qui neceſſe eſſe dixit in ſua*[11] *Conſtitutione*, vt plebs, quæ Sacerdotis præceptum non ita vt oportet cuſtodit, Regis etiam corrigatur imperio.

10 In Epiſt. ad Epiſcopos, Heraclium, Leonem & Theodoſium.

11 Tomo 1. Conciliorum Galliæ.

Quicquid igitur magnum, quicquid excelſum, quicquid verè Regium priſca ætas mirata eſt in Clodoueo aliiſque Regibus, qui primam hanc partem Annalium, quos ſcribendos ſuſcepi, ſuis egregiis facinoribus illuſtrant, id totum noſtra in Te ſuſpicit. Idcircò cùm reuoluerem Hiſtorias ab hoc ſeculo multùm remotas, plerumque mihi vi-

ſus ſum in Tuis Laudibus verſari, vetuſq; adumbratio Tuorum Geſtorum animum accuratâ rerum antiquarum indagatione non mediocriter fatigatum ſæpè recreauit refecitq. Quin etiam nuperrimè, cùm per ſingulos dies in Eccleſia noſtra, quæ Regali Palatio proxima eſt, publicis precibus pro incolumitate REGINÆ *tunc ægrotantis intereſſes, quoties oculos in Te conieci, toties in memoriam mihi Clodoueus Childebertúſque redierunt. Frequenter enim, vel gratias Deo reddituri pro felici negotiorum ſucceſſu, vel opem diuinam in rebus difficilibus imploraturi, Baſilicas adibant quas erexerant; ille* [12] *prope Regias ædes, in*

[12] Clodoueus prope Palatium

procinctu

procinctu belli contra Regem Vvi-
ſigothorum hæreticum, ſub cuius iu-
go gemebat omnis Aquitania; hic [13]
propè Regios hortos, poſt debellatos
Vviſigothorum Sueuorumq; Reges
hæreticos, quibus ampliſſimas Pro-
uincias vi & armis ademerat. LVDOVICVS XIII. *Parens Tuus glo-*
rioſiſſimæ Recordationis, eâdem mo-
tus pietate, cùm bellum in Aqui-
tania gereret [14] *aduersùs hæreticos*
qui rebellauerant, Gubernatori [15]
Ciuitatis Pariſienſis dato manda-
to præcepit, vt in Eccleſia noſtra,
quam Regio Palatio penè contiguam
eſſe voluerat, primum lapidem, SVÆ MAIESTATIS *Nomine, ſolem-*
niq; ritu collocaret. Præſtantiſſimum

Thermarũ, vbi habitabat, conſtruxit Eccleſiam SS. Apoſtolorũ, hodie S. Genouefæ.

13 Childebertus prope Regios hortos conſtruxit Eccleſiam S. Vincentij, hodie ſancti Germani à Pratis.

14 An. 1622.

15 Herculi *de Rohan*, Duci *de Monbazon*, Pari Franciæ.

hunc honorem noſtra Congregatio tanti Monarchæ, cui ſuos ortus debet, ſingulari prorſus ac propenſæ admodùm erga ſe dilectioni acceptum refert, cúmque amorem Patris rediuiuum in Te contemplatur, tota diffunditur in vberrimam lætitiam, Teq́, ſeu victis hoſtibus, ſeu Pace Franciæ vel potiùs Orbi Chriſtiano redditâ, ſeu nato Porphyrogenito Delphino, ſeu REGINA *priſtinæ valetudini reſtitutâ, ſeu quâlibet aliâ occaſione, Deo gratias acturum ſic excipit, vt cum eius obſequio ac gaudio nihil ætas Clodouei Childebertiq́ comparare poſsit.*

Viue in multos annos, REX AVGVSTISSIME, *populum à Deo*

EPISTOLA.

Tibi commiſſum eâ qua regis Prudentia, Fortitudine, Iuſtitia & Felicitate diutiſsimè moderare, patereque vt apud poſteros & meam & noſtræ Congregationis gratitudinem obſeruantiamq; teſtetur quod MAIESTATI TVÆ *munuſculum Tuo Nomine Tuorumq; Anteceſſorum Geſtis inſignitum offero*

CHRISTIANISS. MAIESTATI TVÆ

Deuotiſſimus ac fideliſſimus Cliens & Subditus
CAROLVS LE COINTE, Congregationis Oratorij D. N. IESV-CHRISTI Preſbyter.

Lutetiæ Pariſiorum,
anno 1665.

REGES FRANCORVM
à Priamo vſque ad obitum Clotarij I.

PRIAMVS Rex Francorum, anno 382.

MARCHOMIRES Rex Francorum, anno 389.

FARAMVNDVS Filius Marchomiris, Nepos Priami, regnare cœpit anno 417. obiit anno 426.

CLODIO poſt patrem regnauit anno 426. obiit anno 446.

MEROVEVS patri ſucceſſit anno 446. obiit anno 456.

CHILDERICVS regnum ſuſcepit anno 456. obiit anno 481.

CLODOVEVS regnum iniit anno 481. factus eſt Chriſtianus anno 496. obiit anno 511. Reliquit quatuor filios, qui paternam hæreditatem in quatuor partes diuiſerunt.

THEODORICVS Rex anno 511. obiit anno 534.

THEODOBERTVS Rex anno 534. obiit anno 548.

THEODOBALDVS II. Rex an. 548. obiit an. 555.

CLODOMERES Rex anno 511. vitam clauſit anno 524.

THEODOBALDVS I. Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.

CHILDEBERTVS Rex anno 511. obiit anno 558.

GVNTHARIVS Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.

CLOTARIVS Rex anno 511. totius Franciæ Monarchiam obtinuit anno 558. obiit anno 561.

CLODOALDVS R. an. 524. regnum amiſit an. 526.

APPARATVS

APPARATVS CHRONOLOGICVS AD ANNALES ECCLESIASTICOS FRANCORVM.

ANCTVS AVGVSTINVS[a] testatur *multa sæpe quæri per Consulum nomina*, & causam, *quæ nonnullos coëgit errare*, refundit *in ignorantiam Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus.* In hoc igitur Apparatu Chronologico, quem Annalibus Ecclesiasticis Francorum necessariò præmittendum duximus, explorandum nobis inprimis occurrit, in quos Consulatus inciderint Redemptoris nostri Natiuitas & Crucifixio. I.

[a] De doctr. Christ l. 2. c. 28.

Christum natum credimus Caio Lentulo & Marco Messalâ seu Messalino Consulibus vt habet Cassiodorus in Chronico, die vicesimâ quintâ Decembris vt Ecclesia profitetur, ideóque dissentimus ab Epiphanio, qui natum scribit[b] anno sequenti *ante octauum Iduum Ianuarij*, anno Augusti quadragesimo secundo, ipso Augusto decimùm tertiùm & Silano seu Siluano Consulibus. II.

[b] Hæres. 51.

Vt stemus à partibus Cassiodori, duæ res potissimùm nos impellunt, computus Eræ Hispaniensis, de quâ sermonem alibi instituemus, & textus sacri Euangelij apud Lucam, de quo hic agemus paucis. Quoniam autem à die vicesimâ quintâ Decembris vsque ad anni exitum pauci supersunt dies, primum Christi annum non auspicamur ab ipsâ die quâ natus est, sed à proximis Kalendis Ianuariis, quibus Consulatum Augustus decimum tertium & Plautius Siluanus inierunt, atque ita cum Epiphanio primum Christi annum consignamus Consulatu Augusti decimo tertio & Silano Collegâ, necnon anno Augusti quadragesimo secundo. III.

Lucas[c] Christum, cùm *erat annorum quasi triginta*, baptizatum à Ioanne tradit *anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris*, is annus Tiberij decimus quintus cœptus est mense Augusto, Iunio Silano & Silio Neruâ Consulibus, desiitque pariter mense Augusto, Rubellio Gemino & Fusio Gemino Consulibus. Si fides est Epiphanio[d], Christus baptizatus est mense Nouembri, Syl- IV.

[c] Cap. 3.

[d] Hæres. 51.

uano seu Silano & Neruâ Consulibus, *Pertransiit*, inquit, *Consulatus viginti nouem plenos, in trigesimo verò Consulatu circa decimum mensem venit ad Ioannem, & baptizatus est in Iordane fluuio, trigesimo anno natiuitatis in carne, hoc est, secundum Ægyptios, Athyr mensis duodecimâ ante sextum Iduum Nouembrium*; & paulò pòst, *In trigesimo baptizatus est, vbi compleuisset annos viginti nouem & menses decem, velut dixi, duodecimâ mensis Athyr, ante sextum Iduum Nouembrium*. Origenes [a], Hieronymus [b], aliique ferme omnes Scriptores Ecclesiastici refragantur Epiphanio, affirmantque Christum à Ioanne baptizatum die quintâ Ianuarij, quæ pertinet ad annum Tiberij decimum quintum, & incidit in Consulatum Geminorum. Tunc *ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta*, hoc est, cum baptizatus fuit, & prædicationem suam auspicatus est, non erat annorum quasi seu fere triginta, nempe annorum viginti nouem ac decem mensium iuxta opinionem Epiphanij, sed annorum quasi seu verè triginta completorum cum duodecim diebus. Nam vox *quasi*, non imperfectionem tantùm vel adæquationem seu similitudinem indicat, vt vult Berchorius, sed veritatem plerumque signat, & nota est confirmationis ac determinationis indubitatæ, vt multis antiquorum Patrum, & sacræ Scripturæ auctoritatibus eruditè Maldonatus aliique probant ad illud [c] Ioannis, *gloriam quasi vnigeniti à patre*. Neque participium *incipiens*, ad annos referri potest, si enim ad annos pertinuisset, satis erat dicere, *& ipse erat incipiens esse triginta annorum*, & omninò superesse videtur dictio *quasi*, immò absurda videtur esse locutio. Ex illa breuissima ratiocinatione patet Christum, si natus est die vicesimâ quintâ Decembris, vt vniuersalis Ecclesia profitetur, natum esse Lentulo & Messalâ Consulibus: neque enim si natus esset die vicesimâ quintâ Decembris Augusto decimùm tertiùm & Siluano Consulibus, die quintâ Ianuarij sub Consulatu Geminorum dici potuisset annorum fere triginta, cùm esset annorum duntaxat viginti nouem dierúmque duodecim; longè absurdior erit eorum computus, qui natum asserent vel ante Consulatum Lentuli & Messalini, vel post decimum tertium Augusti cum Siluano.

[a] Homil. 1. in Ezech.
[b] Comment. in c. 1. Ezech.
[c] Cap. 1.

V. Christus passus est anno ætatis suæ tricesimo quarto, prædicationis suæ quarto, Tiberij Imperatoris decimo octauo, à Baptismo enim Christi ad eius Passionem quatuor Paschata colliguntur in textu Euangelico, vnde rectè Eusebius in suo Chronico sic ait. *Iesus Christus secundum prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, ad Passionem venit anno Tiberij decimo octauo. Argumentum autem huius rei, quòd Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis, in quo scribit post decimum quintum annum Tiberij Cæsaris, tribus annis Dominum prædicasse.* Passus est igitur Christus Cneio Domitio & Camillo Scriboniano Coss.

VI. Quia multis post Christum natum seculis, nec ab eo nato, nec ab eo passo ducta fuit Christianorum Chronologia, non desunt hodie, qui quamuis nobiscum fateantur Christum natum Lentulo & Messalino Consulibus, baptizatúmque anno ineunte tricesimo primo, ac passum anno tricesimo quarto, tamen calculo Christiano vnum aut duos vel etiam plures annos superinducant. Aduersus hoc genus hominum præter argumenta validissima, quæ ab Era Hispanica & à Bissexto peti possunt, & aliis locis à nobis exponentur, Chronologiam per annos Imperatorum atque etiam per Consules firmatam proferemus. Initium autem huiusce disquisitionis chronologicæ non repetemus à Christi Natiuitate vel Passione, sed ab Alexandri duntaxat Imperatoris obitu, quem Cassiodorus contigisse tradit Seuero & Quintiliano seu Quintiano Consulibus, Eusebius Olympiadis ducentesimæ quinquagesimæ tertiæ anno tertio, id est, anno post Lentuli ac Messalini Consulatum siue post Christum natum ducentesimo tricesimo septimo. Superuacaneum esset antiquiora paria Consulum exscribere, nam biennio priusquàm Alexander extingueretur prima mentio Francorum occurrit, vt in ipso Annalium nostrorum exordio probabimus.

ANNI Christi.	CONSVLES.		ANNI Impp.
237.	SEVERVS. QVINTIANVS, [Cassiodoro QVINTILIANVS.] *His Consulibus*, teste Cassiodoro, *Alexander moritur Moguntiaci tumultu militari. Maximinus*, verba sunt Capitolini, *occiso Alexandro, Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato.*		*Alexander moritur. Impp. Maximini.*
238.	MAXIMINVS AVGVSTVS. AFRICANVS. Gordiani acclamantur Augusti in Africa.	*Impp. Gordiani.*	I.
239.	PERPETVVS. CORNELIVS, [Cassiodoro CORNELIANVS.] Gordiani extinguuntur. *Imperauerunt anno vno, mensibus sex*, vt scribit Capitolinus. Subrogati sunt Maximus & Balbinus.	I. *Gordiani moriuntur.* *Impp. Maximus & Balbinus.*	2.
240.	VLPIVS. PROCVLVS PONTIANVS. His Consulibus, vt Cassiodorus testatur, occisi sunt Maximini prope Aquileiam. Imperarunt tres annos, testibus Eusebio, Cassiodoro, Eutropio. Quod autem Capitolinus ait Auctorum duas esse sententias, cùm alij triennium, alij biennium Imperij tribuant, id ita videtur explicandum, vt alij Maximinos vsque ad vltimum vitæ diem cognoscant Augustos, alij verò duntaxat vsque ad Senatusconsultum, quo Imperium Maximo & Balbino delatum fuit. Necati quoque sunt Romæ Maximus & Balbinus. Imperarunt enim anno duntaxat vno, vt Capitolinus asserit in eorum vita. Maximo & Balbino sublatis, Imperium remansit penes vnum Gordianum adhuc puerum, cui delatum Consulatum testatur Capitolinus in annum sequentem.	I. *Mors Maximi & Balbini.*	3. *Moriuntur Maximini.* *Imp. Gordianus III.*
241.	GORDIANVS AVGVSTVS. AVIOLA.		I.
242.	VENVSTVS. SABINVS. Huius anni triumque sequentium Consules habet Capitolinus in Gordiano tertio.		2.
243.	GORDIANVS AVGVSTVS II. POMPEIANVS, [Capitolino PAPINIANVS.]		3.

ANNI Christi.	CONSVLES.	ANNI Impp.
244.	ATTICVS. PRÆTEXTATVS.	4.
245.	ARRIANVS, [Capitolino APRIANVS.] PAPPVS.	5.
246.	PEREGRINVS. ÆMILIANVS. His Consulibus, teste Cassiodoro, necatus est Gordianus, cui sex annos Imperij tribuunt Capitolinus [a], Eusebius [b], vterque Victor, Eutropius [c], Epiphanius [d], Cassiodorus, & Author Chronici Alexandrini. Post Gordianum imperauit Philippus.	6. *Moritur Gordianus. Imp. Philippus.*
247.	PHILIPPVS AVGVSTVS. TATIANVS.	1.
248.	PRÆSENS. ALBINVS.	2.
249.	PHILIPPVS AVGVSTVS II. PHILIPPVS CÆSAR. Philippus iunior à patre Augustus est appellatus hoc anno.	3.
250.	PHILIPPVS AVGVSTVS III. PHILIPPVS AVGVSTVS II.	4.
251.	ÆMILIANVS. AQVILINVS. Hoc anno Philippus Augustus cum Philippo filio æquè Augusto necatus est, vtroque enim Victore & Eutropio testibus imperauit annis quinque, quos integros intellige, sic vt sextum Imperij annum inchoarit, nam Tribunitiam potestatem sextam cum Consulatu tertio nummi veteres addicunt. Veronensis inscriptio, quæ laudatur à Baronio [e] testatúrque Philippos necatos anno Christi CCLIII. adulterina est & nugatoria, neque enim à Christo nato computatio ita vetus est. Philippis successit Decius.	5. *Moriuntur Philippi.* *Imp. Decius.*
252.	DECIVS AVGVSTVS II. GRATVS. Horum Consulum meminit Gregorius Turonensis [f]. Anonymus apud Cuspinianum habet hoc anno Decium secundò, supponítque illum priùs suffectum fuisse, quod nobis etiam placet, quia in antiquis inscriptionibus ter Consul legitur [g].	1.
253.	DECIVS AVGVSTVS III. DECIVS CÆSAR. Negari non potest ambos Decios simul Consulatum gessisse, nam Trebellius Pollio [h] docet ob literas Im-	2.

[a] In Gord.
[b] In Chron.
[c] Lib. 9.
[d] Lib de mens. & pond.
[e] ad ann. 251. num. 2.
[f] Lib. 1. c. 28.
[g] Apud Bar. an. 254. n. 48.
[h] In Valerian.

ANNI Christi.		ANNI Impp.
	peratorias de Censore eligendo habitum Senatum in æde Castorum *duobus Decio Consulibus*, VI. *Kal. Nouembres die.* Sub finem huius anni Decius Augustus cum filio Cæsare extinctus est. Id persuadet Consulatus proximis Kalendis Ianuariis initus à Gallo & Volusiano illorum successoribus, addequòd Victor de Cæsaribus & Eutropius asserunt Decium periisse *exacto Regni biennio*, & alter Victor in sua Epitome tradit imperasse *menses triginta*, quibus nummi veteresque consentiunt inscriptiones, in quibus Tribunitia potestas tertiò habetur repetita cum tertio Consulatu[a].	*Moritur Decius.* *Impp. Gallus & Volusianus.*
254.	GALLVS AVGVSTVS II. VOLVSIANVS AVGVSTVS. Hoc anno Gallus secundò Consul dici debet teste hac vetere apud Onuphrium[b] inscriptione. ACTVM PR. KAL. AVG. IMPP. DD. NN. GALLO AVG. II. ET VOLVSIANO AVG. COSS.	1.
255.	VOLVSIANVS AVGVSTVS II. MAXIMVS. Hoc anno aduersus Gallum & Volusianum Valerianus & Gallienus eius filius dicti sunt Imperatores, ac proximis Kalendis Ianuariis Consulatum inierunt. *Impp. Valerianus & Gallienus.*	2.
256.	VALERIANVS AVGVSTVS II. GALLIENVS AVGVSTVS. Hic Valeriani & Gallieni Consulatus, quem fasti omnes exhibent, indicium est Imperij anno priore suscepti: noui enim Imperatores Consulatum proximis Kalendis Ianuariis adire consueuerant. Id præstiterunt Caius, Claudius, Nero, Galba, Vespasianus, Titus, Nerua. Traianum, qui secundum imperante Neruâ Consulatum gessit, & tertium, cùm iam imperaret, post obitum Neruæ recusauit, ob insignem modestiam sic commendauit Plinius[c]. *Secundum Consulatum recepisti, quia Princeps & Pater deferebat. At postquàm ad te Imperij summa, & cùm omnium rerum, tum etiam tui potestatem dy tradiderint, tertium Consulatum recusasti, cùm agere tam bonum Consulem posses. Contigit ergo priuatis aperire annum, fastosque referare, & hoc quoque reddita libertatis indicium fuit, quòd Consul alius quàm Cæsar esset.* Traianum pauci sunt imitati. Primum enim Imperij sui annum Consulatu aperuerunt qui Valerianum & Gallienum antecesserunt à nobis iam recensiti, Maximinus, Gordianus, Philippus, Decius, Gallus & Volusianus, quique posteà imperarunt, Clodius, Aurelianus, Tacitus, Probus, Carus, Diocletianus, Maximianus, Constantius, alter Maximianus, Constantinus, vt inferiùs patebit.	1.	3.

[a] Apud Bar. an. 254 n. 42

[b] Lib. 1. Fast.

[c] In Paneg.

ANNI Christi.	CONSVLES.		ANNI Impp.
257.	MAXIMVS II. GLABRIO. Gallus & Volusianus Imperatores necati sunt hoc anno, Imperij sui quarto, eis enim Tribunitiam potestatem quartam attribuunt hæ veteres inscriptiones. IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS P. F. AVG. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. IMP. C. C. VIB. VOLVSIANO AVG. P. M. TR. P. IIII. COS. II.	2.	4. *Gallus & Volusianus mo-riuntur.*
258.	VALERIANVS AVGVSTVS III. GALLIENVS AVGVSTVS II.	3.	
259.	VALERIANVS AVGVSTVS IV. GALLIENVS AVGVSTVS III.	4.	
260.	ÆMILIANVS. BASSVS.	5.	
261.	SECVLARIS II. DONATVS.	6.	
262.	FVSCVS. BASSVS.	7.	
263.	GALLIENVS AVGVSTVS IV. VALERIANVS CÆSAR. His Consulibus Valerianus Augustus in manus Persarum venit. Lege Pollionem in Gallieno, Vopiscum in Aureliano, & initium nostrorum Annalium ad quæstionem motam de tempore quo pugna commissa fuit ad Moguntiam inter Romanos & Francos.	8. *Valerianus capitur à Persis.*	
264.	GALLIENVS AVGVSTVS V. FAVSTINVS.	9.	
265.	ALBINVS II. DEXTER.	10.	
266.	GALLIENVS AVGVSTVS VI. SATVRNINVS.	11.	
267.	VALERIANVS II. LVCILLVS.	12.	
268.	GALLIENVS AVGVSTVS VII. SABINILLVS.	13.	
269.	PATERNVS. ARCESILAVS.	14.	
270.	PATERNVS II. MARINIANVS.	15.	

ANNI Christi.

Gallienus hoc anno necatus est *circa Mediolanum*. Hunc annis quindecim imperasse scribunt Pollio in Salonino Gallieno, Vopiscus in Caro, Victor in sua Epitome, Eusebius & Cassiodorus in suis Chronicis. Porphyrius in vita Plotini testatur se peruenisse in Siciliam *circa quintumdecimúmque Gallieni Imperatoris annum*. Vetus inscriptio in thesauro rei antiquariæ Tribunitiam potestatem quinquies ac decies repetitam prodit. IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. P. M. TR. P. XV. COS. VII.

ANNI Impp. *Moritur Gallienus.*

Post Gallienum imperauit Clodius, quem factum Imperatorem, vt obseruat Pollio [a], scitum est Romæ nono Kalendas Aprilis.

Imp. Clodius.

[a] in Clod.

---

271. CLODIVS AVGVSTVS. PATERNVS. — 1.

---

272. ANTIOCHIANVS, [Pollioni ATTICIANVS.] ORFITVS. — 2.

His Consulibus, vt Pollio [b] declarat, extinctus est Clodius Imperator. Extinctus est & Quintillus eius frater ac successor, cùm imperasset dies septemdecim, successitque Aurelianus. Obiit Clodius mense Septembri, cùm Imperium tenuisset duobus annis integris & ampliùs. Inchoauit certè tertium Imperij annum, testibus Porphyrio & Pollione. *Plotinus*, inquit Porphyrius, *agebat annos sex atque sexaginta secundo Clodij Imperatoris anno iam peracto*. Et Pollio de vita Clodij hoc versu recitat pronunciatum oraculum,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Antiochiano & Orfito Consulibus, inquit Idatius in Fastis, *Erâ trecentesimâ octauâ leuatus Aurelianus Imperator*. Est vitium in Era, nostro enim calculo Consulatus Antiochiani & Orfiti cadit in annum Christi ducentesimum septuagesimum secundum, siue in Eram trecentesimam decimam. Error procedit ex duobus Consulatibus honorariis, quos suis Fastis Idatius inseruit. De illis disputabimus ad annos Christi ducentesimum septuagesimum octauum, & trecentesimum quintum.

Clodius moritur.

Quintillus Imp.

Moritur.

Imp. Aurelianus.

[b] In Clod.

---

273. AVRELIANVS AVG. [Cassiodoro VALERIANVS.] BASSVS. — 1.

---

274. QVIETVS. VOLDVMIANVS. — 2.

---

275. TACITVS. PLACIDIANVS. — 3.

---

276. AVRELIANVS AVGVSTVS II. CAPITOLINVS. — 4.

---

277. AVRELIANVS AVGVSTVS III. MARCELLINVS. — 5.

Aurelianus extinctus est hoc anno, mense Martio. Constat de mense, nam Tacitus illi datus est successor

ANNI Christi. ANNI Impp.

ex Senatusconsulto *die septimo Kalendas Octobres*, vt Vopiscus [a] obseruat, vacauerátque Imperium menses sex teste eodem Vopisco [b] multis in locis, & Victore in libro de Cæsaribus. Cónstat & de anno, periit enim anno Imperij sui quinto, vt docent Idatius in suis Fastis, Epiphanius in Ancorano, & veteres inscriptiones apud Onuphrium. Epiphanius annos Imperij plenos tribuit quatuor, corruptè XIIII. in nonnullis exemplaribus. Idatius leuatum ait Imperatorem Antiochiano & Orfito Consulibus, necatúmque eo anno quo tertium Consulatum iniit cum Marcellino. Veteres inscriptiones Tribunitiam ei potestatem quintam attribuunt, altera designato tertiùm Consuli, altera tertiùm Consuli, vnde patet illum auctum tertio Consulatu Kalendis Ianuariis, cùm annum ageret in Imperio quintum superiori mense Septembri iam inchoatum, nec absoluisse quintum Imperij annum, quia viuere desiit in tertio suo Consulatu mense Martio. Inscriptiones tales sunt.

Moritur Aurelianus.

IMP. CÆS. DOMITIO. AVRELIANO. PIO. FELICI. GOTHICO. AVG. PONTIF. MAXIMO. GOTHICO. MAX. GERMANICO. MAX. TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III. P. P. &c.

Imp. Tacitus.

MAGNO. AVGVSTO, PRINCIPI. MAX. IMP. FORTISSIMO. CONSERVATORI. ORBIS. L. DOMITIO. AVRELIANO. P. F. PONT. MAX. TRIB. POT. V. P. P. COS. III. &c.

Præter annos integros ac rotundos quibus Aurelianus imperauit, Eusebius, Eutropius, Cassiodorus & Victor in Epitome tribuunt ei menses sex, ita vt dici debeat ad Imperium peruenisse mense Septembri, prout suppositimus suprà.

[a] In Tacit.
[b] In Aurelian. & in Tacit.

---

278. TACITVS AVGVSTVS II. I.
ÆMILIANVS.

Post tertium Consulatum Aureliani cum Marcellino Collega, Consules subiiciuntur Tacitus secundò & Æmilianus, tum Probus & Paulinus, in libro de Consulibus & Præfectis Vrbis, in Fastis Idatij & in Chronico Alexandrino. Onuphrius Tacitum & Æmilianum Consules ordinarios agnoscit, Probum verò & Paulinum suffectos. Ea sententia tribus potissimùm rationibus confirmatur. Prima est Prosperi & Cassiodori, qui Tacitum & Æmilianum prætermittunt, eóque modo insinuant vni eidémque anno conuenire duo illa paria Consulum, quæ notantur ab aliis Scriptoribus, licèt expunctis Consulibus ordinariis honorarios malè retineant. Secunda est Idatij qui Tacitum Imperatorem leuatum ait eo anno quo Aurelianus Augustus tertiùm & Marcellinus Consules fuerunt, occisúmque eo anno quo Probus & Paulinus Consulatum gesserunt: nam si secundus Consulatus Taciti cum Æmiliano designat annum medium inter tertium Consulatum Aureliani cum Marcellino, & primum Probi cum Paulino, Tacitus dicendus erit imperasse anno integro cum duobus dimidiis, interiit autem mense Imperij sexto. Tertia est Vopis-

ci, qui

ANNI Christi.		ANNI Impp.	
	ci, qui primam Taciti Imp. epistolam ad Probum pro Consulatu refert his verbis : *Tacitus Augustus Probo. Me quidem Senatus Principem fecit de prudentis exercitus voluntate. Attamen sciendum tibi est, tuis nunc humeris magis incubuisse Rempublicam, qui & quantus sis omnes nouimus; scit Senatus. Adesto igitur nostris necessitatibus, tua familia âsseque vt soles Rempublicam. Nos tibi decreto totius Orientis Ducatu salarium quintuplex fecimus, ornamenta militaria geminauimus, Consulatum in annum proximum nobiscum decreuimus, te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata. Ferunt quidam Probo*, addit Vopiscus, *id pro Imperij omine fuisse, quod Tacitus scripsit. Te manet Capitolina palmata. Sed in hanc sententiam omnibus semper Consulibus scribebatur.* Atque inde constat Tacitum, postquàm creatus fuit Imperator, proximum annum suo Consulatu aperuisse, & eodem anno quo Tacitus Augustus Consulatum iniit, Consulem quoque fuisse Probum vel ordinarium vel suffectum, fasti Consulares suprà citati & authoritas Onuphrij nos impellunt, vt suffectum tantùm asseramus.		
	Tacitus, teste Vopisco [a] extinctus est *sexto mense* Principatus, id est mense Martio; nam priore Septembri factus fuerat Imperator.	*Tacitus moritur.*	[a] In Tacit.
	Florianus Taciti germanus vix duobus mensibus Imperium tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus legerat. Hæc Vopiscus [b], vnde patet electionem Probi, mortémque Floriani contigisse mense Maio.	*Imp. Florianus moritur.*	[b] In Florian.
		Imp. Probus.	
279.	PROBVS AVGVSTVS II. LVPVS.	I.	
280.	PROBVS AVGVSTVS III. PATERNVS.	2.	
281.	MESSALA. GRATVS.	3.	
282.	PROBVS AVGVSTVS IV. TIBERIANVS.	4.	
283.	PROBVS AVGVSTVS V. VICTORINVS.	5.	
	Probus, vt Vopiscus in eius vita scribit, *quum bellum Persicum parans per Illyricum iter faceret, à militibus per insidias interemptus est anno Imperij sui quinto*, id est, hoc anno, quo quintum Consulatum iniit cum Victorino, & absoluturus erat quintum Imperij annum inchoatumque sextum, si vitam ad mensem vsque Maium produxisset. Probo successit Carus.	*Probus moritur.*	
		Imp. Carus.	
284.	CARVS AVGVSTVS II. CARINVS CÆSAR.	I.	
285.	CARINVS CÆSAR II. NVMERIANVS CÆSAR II.	2.	
	Hoc anno, medio circiter Iunio, Carus Augustus ex-		

ANNI Christi.		ANNI Impp.
	tinctus est. Annum notat Prosper in Fastis: anni tempestatem declarat Vopiscus [a] his verbis, *negari non potest, eo tempore quo periit, tantum fuisse subitò tonitruum, vt multi terrore ipso exanimati esse dicantur.* Carinus & Numerianus Caro patri successerunt. Numerianus paulò pòst necatus est, & Diocletianus renunciatus est Imperator decimo quinto Kalendas Octobres, superstite adhuc Carino quocum conflixit. Lege Fastos Prosperi sub huius anni Consulibus. Mortem Numeriani sic recitat Vopiscus in eius vita. *Numerianus patri comes fuit bello Persico, quo mortuo quum nimio fletu oculos dolere cœpisset, quod illud ægritudinis genus nimiâ vtpote familiarissimâ confectus angustiâ incurrisset, & dum lectica portaretur, factione Arrij Apri soceri sui, qui inuadere conabatur Imperium, occisus est.* Eusebius in Historia Ecclesiastica [b] nostram Chronologiam egregiè confirmat, testatur enim Carum eiúsque filios integro triennio non imperasse. *Carus*, inquit, *vnà cum filiis Carino & Numeriano Rempublicam capessit. Rursus hisce non triennio integro Imperij administratione perfunctis, summa rerum & Imperij Diocletiano, & illis qui post eum in regendi societatem cum illo asciti erant, delata fuit.* In Chronico Alexandrino hæc de Diocletiano narrantur. *Diocletianus Imperator* X V. *Kalendas Octobres Chalcedone renunciatus*, V. *Kalendas Octobres Nicomediam purpuratus intrauit.*	*Moriuntur Carus, Eiusque filij, Carinus & Numerianus.* *Imp. Diocletianus.*
286.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS II. ARISTOBVLVS. Hoc anno, Diocletianus Maximianum Cæsarem dixit.	1.
287.	MAXIMVS. AQVILINVS. His Consulibus, vt Idatius testatur, ex Cæsare leuatus est Imperator Maximianus Kalendis Aprilibus.	2.
288.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS III. MAXIMIANVS AVGVSTVS II.	3.
289.	MAXIMVS II. IANVARIVS.	4.
290.	BASSVS II. QVINTIANVS.	5.
291.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS IV. MAXIMIANVS AVGVSTVS III.	6.
292.	TIBERIANVS. DIO.	7.
293.	ANNIBALIANVS, ASCLEPIODOTVS.	8.
294.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS V. MAXIMIANVS AVGVSTVS IV. Constantius Chlorus à Maximiano Augusto dictus est	9.

[a] In Caro.

[b] Lib. 7. c. 14.

ANNI Christi.	Cæsar Kalendis Martiis, anno Diocletiani & Maximiani Augustorum nono, ipsis Augustis Diocletiano quintùm & Maximiano quartùm Consulibus. Annum notat Auctor Chronici Alexandrini, diem Eumenius in Panegyrico, quem ipsimet Constantio Cæsari dixit.	ANNI Impp.
295.	CONSTANTIVS CÆSAR. MAXIMIANVS CÆSAR.	10.
296.	TVSCVS. ANNVLINVS.	11.
297.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS VI. CONTANTIVS CÆSAR II.	12.
298.	MAXIMIANVS AVGVSTVS V. MAXIMIANVS CÆSAR II.	13.
290.	FAVSTVS II. GALLVS.	14.
300.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS VII. MAXIMIANVS AVGVSTVS VI.	15.
301.	CONSTANTIVS CÆSAR III. MAXIMIANVS CÆSAR III.	16.
302.	TITIANVS II. NEPOTIANVS.	17.
303.	CONSTANTIVS CÆSAR IV. MAXIMIANVS CÆSAR IV.	18.
304.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS VIII. MAXIMIANVS AVGVSTVS VII.	19.
305.	DIOCLETIANVS AVGVSTVS IX. MAXIMIANVS AVGVSTVS VIII. *His Consulibus*, vt Idatius scribit, *deposuerunt purpuram priuati effecti Diocletianus & Maximianus. Nam Constantius & Maximianus, qui Cæsares fuerunt, eâdem horâ Augusti nuncupati sunt die Kalendarum Aprilium.* Post huius anni Consules ponuntur in Fastis noui Augusti Constantius & Maximianus quintò, deinde iidem sextò, sed horum quintus Consulatus honorarius fuit, vt dicemus anno sequenti, quo sextum susceperunt.	20. *Diocletianus & Maximianus deponunt purpurã.* *Imp. Cõstantius.*
306.	CONSTANTIVS AVGVSTVS VI. MAXIMIANVS AVGVSTVS VI.	1.

His Consulibus vt Idatius affirmat, *Erâ* 344. *diem functus Constantius, & posteà leuatus est Constantinus* 8. *Kalendas Augustas.* Abhinc super Eræ numero consentimus cum Idatio. Victor in libro de Cæsaribus Imperium Constantij vocat annuum, nec ita loqueretur, si Constantium crederet biennio & ampliùs imperasse, vt volunt illi, qui duos Consulatus ordinarios ei tribuunt post spontaneam Diocletiani & Maximiani abdicationem. Anno Christi 306. Constantium obiisse testatur quoque Socrates [a] primo anno 271. Olympiadis, 8. Kal. Augusti. Ab eadem sententia non recedit Eutropius [b], cùm tradit VII.

[a] Lib 1. cap. 1.

[b] Lib. 10.

Constantium decessisse *Principatus anno* 13. Constantius enim, qui dictus est Cæsar Kal. Martiis, Diocletiano Augusto quartùm & Maximiano Aug. tertiùm Consulibus, id est, anno Christi 294. regnauit ab illo die annos duntaxat duodecim, menses quatuor, dies viginti quinque, vt Ioannes Morinus[a] noster in suo Constantino iam obseruauit. Cùm autem Constantium & Maximianum eo anno quo Imperium adepti sunt, Consules honorarios ac proximis Kalendis Ianuariis ordinarios asseruimus, nihil diximus à nouis Imperatoribus actum fuisse, quod anteà inusitatum esset aut careret exemplis. Maximo & Aquilino Consulibus, vt ad annum Christ 287. notauimus, Maximianus Herculius ex Cæsare leuatus est Imperator Kalendis Aprilibus, eodem anno Consulatum gessit honorarium ac proximis Kalendis Ianuariis ordinarium suscepit, ideoque Tribunitia potestas secunda cum secundo Consulatu sic ei tribuitur apud Onuphrium ex vetere nummo, MAXIMIANVS. AVG. TRIB. POT. II. COS. II. nec valet coniectura Petauij, qui primum Maximiani Consulatum, quem honorarium fuisse constat, non eo anno sufficiendum suspicatur quo Maximianus ex Cæsare dictus est Augustus, sed anno superiore quo renunciatus est Cæsar: huic enim opinioni refragantur apud prælaudatum Onuphrium antiqui nummi, quorum inscriptiones Maximianum agnoscunt Cæsarem, Consulem nequaquam, M. VAL. MAXIMIANVS. NOB. CÆS. & AVREL. VALER. MAXIMIANVS. NOB. CÆS. Diocletianus anno quo purpuram induit, honorarium gessit Consulatum cum Basso, proximisque Kalendis Ianuariis secundum eumque ordinarium iniit cum Aristobulo. Idem sentiendum de Caro, cuius primus Consulatus honorarius fuit, secundus notatur anno post susceptum Imperium proximo. Ceterùm in Chronico Alexandrino Diocletianus & Bassus suffecti Consules inter ordinarios perperam recensentur, ideoque minùs obstupescere debes quòd de quinto Constantij Chlori Consulatu simile iudicium feramus.

[a] P. 1. cap. 5. n. 17.

VIII. Ab hoc Consulatu, siue à Constantij Chlori obitu, quem cum Idatio Eræ 344. cum Socrate Olympiadis 271. anno primo, siue anno post Christum natum 306. illigamus, ad vndecimum Honorij Consulatum, in quem prima mentio Faramundi Francorum Regis incidit, Prosper & Idatius annos numerant centum atque vndecim, quorum computatio clarissima est, nec eget vllâ probatione.

IX. Eusebius in suo Chronico rectè scribit Philippum, extincto Gordiano, summam Imperij adeptum esse anno post Christum natum 246. sed à nobis integro triennio discrepat in obitu Constantij Chlori, quem mortuum tradit Olympiadis 271. anno quarto iam inchoato, id est anno post Christum natum 309. Hunc genuinum Eusebij calculum esse probat Arnaldus Pontacus in fine suarum notarum ad Chronicon Eusebianum, quamuis dissidium illud triennale, quod nobis intercedit cum Eusebio, plerique redigant ad biennium, Scaliger ad annum vnum. Atque inde fit, vt annum Christi 1661. quo scribimus, alij annum Christi 1662. alij annum Christi 1663. plures annum Christi 1664. sentiant esse numerandum. At cur ab Eusebiana computatione recedendum putemus, exposuimus suprà, Chronologiámque quam stabiliuimus sequemur in exponendis rebus, quas Franci ab anno Christi 235. siue à Consulatu Seueri & Quintiani ad sextum Consulatum Constantij Chlori, imò ad vndecimum Honorij Augusti, siue ad Principatum Faramundi gesserunt. Ceteras difficultates chronologicas, vt occurrent, suis locis enodabimus.

Finis Apparatus chronologici.

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORVM.

PLERIQVE populorum suas origines obscuras, aut nullâ dignas existimatione putant, nisi se Troiano ex sanguine glorientur oriundos inani fictitiæ vetustatis ostentatione, vel ex Scanzia seu Scandinauia, quam Iordanus [a] *officinam gentium*, ac *velut vaginam nationum* vocat. Non defuerunt è Francis, qui priorem sententiam studiosiùs amplexi, Maiores suos dirutâ Troiâ mutatisque crebrò sedibus, primùm ad paludem Mæotidem, deinde in Pannoniam, tum in Thuringiam, postremò in Galliam migrasse iactitarent. Alij missis commentis, quæ Poëticis potiùs fabulis quàm Historicæ veritati consona videbantur, ita decepti sunt deprauatorum Codicum mendis, vt Francorum nomen flagrante bello Marsico vel Ciceronis æuo florentissimum finxerint. Perperam Orosius [b] scribit *decem & octo millia Marsorum in pugna cum Franco suo Imperatore cæsa:* non enim *Francum*, sed Afranium Imperatorem eum nuncupat Appianus libro de bellis ciuilibus primo, vbi vniuersum hoc sociale seu Marsicum in Italia bellum, vnde sua Orosius desumpsit, accuratiùs enarratur. Corruptè apud Ciceronem libro 14. ad Atticum epist. 10. hæc vulgò leguntur, *Redeo ad Thebassos, Scenas, Frangones*, nonnullique locum hunc de Germanis transrhenanis interpretati sunt, & vnius literæ factâ mutatione crediderunt Francones seu Francos Ciceroni non ignotos fuisse. At quomodo Tullius nouisse aut nominasse Francos potuit, quos Iulius Cæsar, qui transrhenanam Germaniæ oram Romanis primus aperuit, nec nouit nec nominauit vspiam? Beatus Rhenanus [c] locum sic emendandum putat, *redeo ad Betasios, Atuas, Vangionas*, qui Germaniæ primæ populi sunt, iique cisrhenani. Meliùs Philippus Cluuerius [d], *redeo ad tuos Bassos, Scenas, Fangones*, quod enim priùs obiter iniecerat Tullius epistolâ quintâ, denuò repetit vehementiùs indignatus in veteranos libertósque, qui luctuosâ Iulij Cæsaris largitione bona Cneij Pompeij possidebant, *Redeo*, inquit, *ad tuos Bassos, Scenas, Fangones. Hos tu existimas confidere se illa habituros stantibus nobis, in quibus plus virtutis putarunt, quàm experti sunt? pacis isti scilicet amatores & non latrocinij authores.* Certè Dio [e] testatur Fangonem ex mercenario milite euectum fuisse ad

I.

[a] de reb. Get.

[b] Lib. 5. c. 18.

[c] Lib. 1. de reb. Germ.

[d] Lib. 1. Germ. ant. cap. 41.

[e] Lib. 48. ad ann. V. C. 714.

Senatorium ordinem, obiisséque Africæ Præfectum quadriennio post necem Iulij Cæsaris, Cneio Domitio Caluino, & Caio Asinio Pollione Consulibus. Adrianus Turnebus Francos dixit, quos Ptolemæus Phirassos in Scandinauia collocauit.

II. Theoclius seu Theocles, vel, vt Casaubonus & Salmasius legendum suspicantur [a], Theo Chius posteris transmisit cantilenam à militibus de laudibus Aureliani compositam victis in Illyrico Sarmatis, hanc exscripsit Vopiscus [b], subiunxit & alteram ab iisdem militibus editam de eodem Aureliano profligatis in Gallia Francis, audi vtramque. *Priuati huius*, (scilicet Aureliani) *multa extant egregia facinora. Nam erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiariis solus attrinit. Refert Theoclius Cæsarianorum temporum scriptor Aurelianum manu suâ bello Sarmatico vno die quadraginta & octo interfecisse, plurimis autem & diuersis diebus vltra nongentos quinquaginta, adeò vt etiam baliſtea pueri & saltatiunculas in Aurelianum tales componerent, quibus diebus festis militariter saltitarent.* [*Mille, mille, mille, mille decollauimus. Vnus homo mille, mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille, mille, viuat, qui mille, mille occidit. Tantùm vini habet nemo, quantùm fudit sanguinis.*] *Hæc video esse perfrivola, sed quia suprascriptus author ita eadem vt sunt Latine, suis scriptis inseruit, tacenda esse non credidi. Idem apud Maguntiacum Tribunus legionis sextæ Gallicanæ Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam, sic adflixit, vt trecentos ex his captos septingentis interemptis sub corona vendiderit. Vnde iterùm de eo facta est cantilena.* [*Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus; mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.*] Omnes historiæ reuoluantur ab orbe condito, nulla vetustior Francorum memoria reperietur, inquirendum autem, quonam Imperatore, quibus Consulibus, quo Christi anno considnanda sit.

[a] In not ad Aurelian. Vopisc.
[b] In Aurelian.

PRIMA MENTIO FRANCOR.

III. Ex verbis ipsius cantilenæ patet eam conditam in procinctu belli Persici, cùm milites Romani Persas quærerent profligandos, breuissimóque temporis interuallo post pugnam Moguntiacensem: neque enim quis suspicari debet Francos ab Aureliano victos priùs Sarmatis, quia cantilenæ contextus apud Vopiscum in vulgatis exemplaribus Francos Sarmatis anteponit, nam vox *iterùm*, quâ Vopiscus vtitur, docet ex duabus cantilenis, quas milites in gratiam Aureliani composuerunt, posteriorem illam fuisse, in qua Francos à se necatos prædicarunt, & Salmasius testatur eandem cantilenam in veteribus membranis expressam esse minoribus huiuscemodi versiculis,

INSTANTE BELLO PERSICO.

Mille Sarmatas, mille Francos
Semel & semel occidimus,
Mille Persas quærimus.

IV. Maior oritur difficultas circa tempus, quo Persicum illud bellum exarsit, in cuius procinctu edita est cantilena superiùs recitata: nam Aurelianus, vt notatum habetur in Alexandrino Chronico, vixit annos septuaginta quinque, & tribus bellis Persicis interesse potuit imperantibus Alexandro, Gordiano Tertio, & Valeriano.

V. Ioannes Isaacius Pontanus [c] aliique multi cantilenam illam interpretantur de bello, quod aduersus Saporem Persarum Regem gessit Valerianus Augustus *anno Imperij sui sexto, Gallieno & Volusiano Consulibus*, vt Trebellius Pollio testatur [d].

[c] Lib 4. orig. Franc. c. ..
[d] In Gallien. & Salomin.

VI. Volusiano Augusto secundùm & Maximo Consulibus, anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto, Valerianus acclamatus est Imperator, superstitibus adhuc Gallo & Volusiano, qui post biennium occisi sunt, Maximo iterum & Glabrione Consulibus, anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo. Quæstio est an Valeriani Augusti sextus annus, quo Romani contra Persas infeliciter dimicarunt, numerari debeat ab anno Christi ducentesimo quinquagesimo quinto, quo Valerianus purpuram sumpsit, vel ab anno ducentesimo quinquagesimo septimo, quo Gallus & Volusianus interiêre. Sperabamus controuersiam omnem sublatum iri nominatis Con-

AN SVB VALERIANO.

sulibus, qui sexto Valeriani Imperatoris anno à Pollione consignantur, sed tantùm abest vt id fasti Consulares præstent, quin potiùs rẽm magis intricatam reddunt, cùm necessariò vel Fusci Consulatus, vel quartus Gallieni mouendus sit è suo loco, vt alter alterum excipiat iuxta mentem Vopisci, cuius authoritas, ipsis Valeriani literis suffulta, in hac causa ceteris anteponi debet. Qui sextum Valeriani Aug. annum, quo bellum Persicum gestum est, anno Christi 261. illigant, multis authoritatibus innituntur: obseruant inprimis apud Victorem in libro de Cæsaribus, & apud Eutropium [a], Gallieno, qui partim cum patre Valeriano, partim solus annos quindecim imperauit, & Paterno secundùm ac Mariniano Consulibus, anno Christi ducentesimo septuagesimo extinctus est, annos Imperij nouem attribui post pugnam videlicet Persicam, quâ Valerianus in hostium potestatem lapsus imperare desiit; deinde aduertunt in Fastis annum Christi ducentesimum sexagesimum notari Consulatu Fusci, qui Vopisco teste [b], cuius verba inferiùs recitabuntur, immediatè præcessit Gallieni Consulatum, quo Valerianus à Persis captus libertatem & Imperium amisit, ex eóque colligunt quartum Gallieni Consulatum, quo Sapores de Valeriano triumphauit, incidisse in annum Christi ducentesimum sexagesimum primum, licet in vulgatis Fastis annus ille consignetur Æmiliano & Basso iterum Consulibus. Qui verò annum Valeriani Augusti sextum, quo Romani à Persis cæsi sunt, cum anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio comparant, ij Scriptore Anonymo de Consulibus & Præfectis Vrbis, Cassiodoro, & Chronico Alexandrino innixi constanter affirmant quartum Gallieni Consulatum, qui propter Valeriani cladem populo Romano luctuosus fuit, conuenire anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio, qui sextus fuit à nece Galli & Volusiani, ideoque Fusci Consulatum, qui anno Christi ducentesimo sexagesimo in Fastis ascribitur, anno ducentesimo sexagesimo secundo reponendum contendunt. Nullum Chronologiæ detrimentum fiet, si tria Consulum paria, quæ tertium Gallieni Consulatum, siue annum Christi ducentesimum quinquagesimum nonum subsequuntur, hoc ordine collocentur, vt Æmilianus & Bassus Consules anno Christi ducentesimo sexagesimo, Secularis iterum & Donatus anno Christi ducentesimo sexagesimo primo, Bassus iterum & Fuscus anno ducentesimo sexagesimo secundo respondeant. Posteriorem sententiam, quæ bellum Persicum in annum Christi ducentesimum sexagesimum tertium reiicit, amplectendam suadet hæc ratio chronologica, quam sanctissimi Præsules Cyprianus Carthaginensis, & Dionysius Alexandrinus Authores synchroni subministrant. Post Deciorum mortem, quæ anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio exeunte contigit, persecutio contra Christianos quieuit fermè per biennium: anno enim ducentesimo quinquagesimo quarto post Pascha Concilium Carthaginense in causa lapsorum, agente Cypriano, celebratum fuit, cuius decretum Romanus Pontifex Cornelius in Synodo Romana postmodum approbauit, cùmque deinceps Nouatianus in altera Synodo Romana, & in Synodo Italica condemnatus fuisset, alterum Carthaginense Concilium à Cypriano in causa schismaticorum Felicissimi & Nouatiani habitum est Idibus Maiis, anno ducentesimo quinquagesimo quinto. Sanctus Cyprianus, ceteríque Patres Africani, qui postremo illi Concilio interfuerunt, persecutionem tyrannorum mox futuram Spiritu Sancto reuelante iam prænouerant, vt ex eorum literis ad Cornelium Papam constat, hæc eodem anno ipsum Cornelium martyrio affecit decimo sexto Kalendas Octobres; Lucium sancti Cornelij successorem, qui duas ordinationes per mensem Decembrem fecisse legitur, æquè sustulit quarto Nonas Martias, anno Christi ducentesimo quinquagesimo septimo. Verùm hoc ipso anno postquàm Gallus & Volusianus interempti sunt, pax Ecclesiæ reddita est, quia Valerianus eiúsque filius Gallienus, qui soli tunc imperarunt, infenso aduersus Christianos animo non

[a] Lib. 9.

[b] In Aurelian.

erant: sic enim apud Eusebium [a] Dionysius Episcopus Alexandrinus ad Hermammonem scribit de Valeriano Augusto. *Quandiu mansueto animo & benigno erga sanctos Dei homines affectus erat, nemo Imperatorum, qui eum antecesserant, tantam benevolentiam & comitatem aduersus illos declarauit, imò verò ne illi quidem, qui Christiani erant, eóque nomine palam appellati, ita hos sunt amplexati, vt ille, qui quidem in initio Imperij sui, quam familiarissimè & amantissimè idque in oculis omnium eosdem excepit, & tota domus eius prius hominibus complebatur, erátque planè Dei Ecclesia. Verùm Doctor quidam & princeps magorum Ægypti illum tandem perdito consilio depravauit.* Tranquillitas quam Valerianus post Galli & Volusiani necem omnibus Ecclesiis per vniuersum Imperium concessit, viguit duobus annis, illúdque interuallum optimè colligitur ex quinque Conciliis, quæ pacatissimis temporibus à Cypriano conuocata sunt ob multiplices causas. Duo priora vocantur Africana, tria posteriora dicuntur Carthaginensia. Primum Carthaginense celebratum fuit in autumno: eius enim acta Cyprianus per Rogatianum Diaconum ad Firmilianum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum statim transmisit, & Firmilianus nullâ morâ responsionem per eundem Rogatianum fecit hyeme iam imminente, *accepimus*, inquit in suis ad Cyprianum literis, *per Rogatianum carissimum nostrum Diaconum à vobis missam literas, quas ad nos fecisti, Frater dilectissime*, & inferiùs, *quoniam verò Legatus iste à vobis missus regredi ad vos festinabat, & hibernum tempus vrgebat, quantùm potuimus ad scripta vestra rescripsimus*, isdem quoque literis Firmilianus Alexandrum Imperatorem *ante viginti & duos fere annos*, è viuis sublatum tradit: necatus est autem Alexander Idibus Martijs Seuero & Quintiano seu Quintiliano Coss. anno Christi ducentesimo tricesimo septimo. Scribebat igitur ad Cyprianum Firmilianus anno Christi ducentesimo duodesexagesimo exeunte, cùm annus post Alexandri necem vicesimus secundus ab Idibus Martijs eiusdem anni iam inchoatus excurreret, eóque calculo certa constituitur epocha Concilij Carthaginensis, quod primum est ex tribus illis quæ Cyprianus in causa Baptismi coëgit sedente Romæ Stephano Pontifice. Postremum habitum fuit, vt ipsa præfatio declarat, *Kalendis Septembris*, anno Christi certè non alio quàm ducentesimo quinquagesimo nono, nam nec annis superioribus assignari potest, vt liquet ex supradictis, nec seriùs differri potest, quia, teste Dionysio Alexandrino iam laudato, Valerianus, cuius Imperium vltra octauum annum ab assumpta purpura, siue vltra annum Christi ducentesimum sexagesimum tertium à nemine prorogatur, Ecclesiam graui persecutione afflixit mensibus duobus & quadraginta, donec victus ac captus ab hostibus fuit. Passi sunt sub Valeriano duo Romani Pontifices, Stephanus, cuius iam meminimus, cuíque successor Sixtus II. Peruenit Stephanus ad annum Christi ducentesimum sexagesimum primum: coronam enim martyrij, quam nomen præsagiebat, accepit quarto Nonas Augusti, superstesque vixit sanctis Martyribus Nemesio Diacono & Lucillæ Virgini, quos in eadem Valeriani persecutione passos constat octauo Kalendas Septembris, nec alio Christi anno quam sexagesimo supra ducentesimum. Sixtus Stephani locum obtinuit post dies viginti duos: sedit anno non integro, capite truncatus Martyr occubuit sexto Idus Augustas anno Christi ducentesimo sexagesimo secundo, Fusco & Basso Consulibus, vt patet ex actis à Cæsare Baronio laudatis, quæ sanctum Cyprianum sub isdem Consulibus martyrio coronatum tradunt decimo sexto Kalendas Octobres, postquam teste Pontio Diacono, qui cum ipso Cypriano exilium sustinuit; *iam de Sixto bono & pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo Martyre ab Vrbe nuncius venerat.* Annales Baroniani, qui Sixti Papæ & Cypriani Cartaginensis Episcopi martyrium referunt anno Christi ducentesimo sexagesimo primo, quamuis à nostro calculo in annis Christianis vno anno dissideant, tamen Chronologiam nostram validè confirmant in Bassi & Fusci Consulatu, cui quartum Gallieni cum bello Persico subiiciunt, & in annis Valeriani, cuius sep-

[a] Lib. 7. c. 9.

timum

tinum Consulatu Bassi & Fusci, ac martyrio Sixti & Cypriani, octauum autem quarto Gallieni Consulatu, & ipsius Valeriani contra Persas infelici prælio consignant. Si Æmiliani & Bassi Consulatum, de quo ad annum Christi ducentesimum sexagesimum secundum disputant, è Fastis non expunxissent, octauum Valeriani Imperatoris annum & bellum Persicum anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio, Consulatum Fusci & Bassi & martyrium sanctorum Sixti & Cypriani anno Christi ducentesimo sexagesimo secundo illigassent, ac nobiscum in vnam omnino sententiam cunctis calculis conspirassent. Atque hæc satis supérque ostendunt Pollionem, cùm Valerianum Augustum *anno Imperij sui sexto* à Sapore Persarum Rege debellatum dixit, annos Valeriani numerasse non à die quo purpuram assumpsit, sed à tempore quo Gallus & Volusianus, quibuscum per biennium imperauit, in viuis esse desierunt.

VII. Aurelianus, cùm Valerianus Persicum bellum suscepit, non vnius erat legionis Tribunus, nam constat illum à Valeriano datum priùs Vicarium Vlpio Crinito, necnon exercitus ducem fuisse, literas Augustales accepisse de Consulatu, imò designatum ab Imperatore Consulem præsente exercitu coram altero Consulum aliisque clarissimis viris. Extat apud Vopiscum [a] hæc Epistola Valeriani ad Aurelianum. *Si esset alius, Aureliane iucundissime, qui Vlpij Criniti vicem posset implere, tecum de eius virtute ac sedulitate conferrem, hunc tecum requirere potuissem. Suscipe bellum à parte Nicopolis, ne nobis ægritudo Criniti obsit. Fac quicquid potes, multa non dico. In tua erit potestate militiæ magisterium. Habes sagittarios Isyræos trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducentos, Mesopotamios auxiliares quadringentos, habes legionem tertiam felicem, & equites cataphractarios octingentos. Tecum erit Hartomundus, Haldegastes, Hildemundus, Carioniscus. Commeatus à præfectis necessarius in omnibus castris est constitutus. Tuum est pro virtutibus tuis atque solertia illic hyemalia & æstiua disponere, vbi tibi nihil deerit, quærere præterea vbi carnago sit hostium, & verè scire quanti qualésque sint, vt non vinum aut annona consumatur, aut tela iaciantur, in quibus res bellica constituta est. Ego de te tantùm, Deo fauente, spero, quantùm de Traiano, si viueret, posset sperare Respublica. Neque enim minor est, in cuius locum fidémque te legi. Consulatum cum eodem Vlpio Crinito in annum sequentem à die vndecimo Kalendarum Iuniarum in locum Gallieni & Valeriani, sperare te conuenit sumptu publico. Leuanda est enim paupertas eorum hominum, qui diu Reipublicæ viuentes, pauperes sunt, & nullorum magis.* Sequuntur literæ de Consulatu. *Valerianus Augustus Ælio Xysidio Præfecto Ærarij. Aureliano, cui Consulatum detulimus ob paupertatem, quá ille magnus est, cæterum maior, dabis ad editionem Circensium aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia*, &c. Denique, vt addit idem Author ex libris Acholij, qui Magister admissionum Valeriani Principis fuit, *Quum consedisset Valerianus Augustus in thermis apud Byzantium præsente exercitu, præsente etiam officio Palatino, assidentibus Memmio Fusco Consule ordinario, Bebio Macro Præfecto Prætorij, Quinto Acario Præside Orientis; assidentibus etiam à parte læua Annulino Saturnino Scythici limitis Duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Iulio Tryphone Orientalis limitis Duce, & Mecco Brundusino Præfecto annonæ Orientis, & Vlpio Crinito Duce Illyriciani limitis & Thracij, & Fuluio Bojo Duce Rhetici limitis: Valerianus Augustus dixit. Gratias tibi agit, Aureliane, Respublica, quòd eam Gothorum potestate liberasti. Abundamus per te prædâ, abundamus gloriâ, & his omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas nauales duas, coronas ciuicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas Ducales russas quatuor, pallia Proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatum, vt tibi deputet Scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu, quando fis Consul, accipere.* Acta sunt hæc Memmio Fus-

[a] In Aureliano.

co, seu Tusco Consule, siue anno qui Persicum bellum præcessit. A Valeriano Imperatore designati sunt Consules in annum sequentem Vlpius Crinitus & Aurelianus, honorarij quidem ordinariorum loco, nempe Gallieni & Valeriani, quorum meminerunt literæ Valeriani Augusti suprà recitatæ, vnde corrigas obiter Pollionem anteà citatum, qui non Valerianum Iuniorem, vt debuit, sed Volusianum scripsit Gallieni collegam in Consulatu eo anno quo Valerianus Augustus seu senior iunioris pater in manus Persarum venit. Quantùm autem à Tribuno legionis differret is qui Vicarius creabatur, qui præerat exercitui, qui Consul designabatur, docet apud Pollionem [a] epistola Valeriani Augusti ad Ablauium Murænam Præfectum Prætorij in causa Claudij qui post Gallienum imperauit. *Desine*, inquit, *conqueri quòd adhuc Claudius est Tribunus, nec exercitus Ducem loco accipit, vnde etiam Senatum & populum conqueri iactabas. Dux factus est, & Dux totius Illyrici, habet in potestatem Thracas, Mœsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus. Vir ille summus nostro quoque iudicio speret Consulatum*, &c. Extant apud Vopiscum [b] aliæ Valeriani literæ, quibus arguitur Aurelianus in celsiori fortuna quàm in Tribunatu fuisse multis annis ante bellum Persicum: testantur enim Valerianum Augustum à Gallo Consule, qui teste Onuphrio in Fastis [c] Acilio Glabrioni suffectus fuit, familiaribus literis culpatum, quòd Posthumio filium suum Gallienum magis quàm Aureliano commisisset. Valerianus vt constat ex eius literis ad Gallos, quas Pollio recitat in libro de triginta tyrannis, Posthumium fecerat *transrhenani limitis Ducem & Galliæ Præsidem*, atque vt ibidem asseritur, *Saloninum filium suum eidem* Posthumio *Gallienus in Gallia positum credidit quasi custodi vitæ, & morum & actuum Imperialium institutori*. Nemo Tribunum comparabit aut anteponet Duci transrhenani limitis ac Præsidi Galliæ, atque inde concludimus Aurelianum in ordine Tribunorum non amplius fuisse longè ante bellum Persicum quod à Valeriano Augusto susceptum est. Ceterùm *Saloninus*, cuius meminimus, *Gallieni filius fuit, nepos Valeriani. Multi eum Gallienum, multi Saloninum in historiis prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quòd apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt, qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & aui Gallieni summi quondam in Republica viri. Fuit denique statua in pede montis Romulei, hoc est ante sacram viam, intra templum Faustinæ adducta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum Gallieno minori, Saloninо additum, ex quo eius nomen intelligi poterit.* Hæc Pollio [d], quæ reticere non debuimus, ne fortè Saloninum Pollionis in triginta tyrannis alium putares à Gallieno in epistola Valeriani Augusti nominato apud Vopiscum in Aureliano. Quòd autem Valerianus Saloninum seu Gallienum, filium in suis literis vocat, non nepotem, id tenerioris amicitiæ symbolo tribue in auo iam seniore, vtpote qui teste Pollione [e] vixerat annos septuaginta, priusquàm Imperator fieret.

[a] In Claud.
[b] In Aurelian.
[c] Lib. 2.
[d] In Gallien.
[e] In Valerian.

VIII. ANNO SVB GORDIANO III.

Philippi, Decius, Gallus & Volusianus, qui rerum Romanarum potiti sunt ante Valerianum, non leguntur bello contendisse cum Persis: sed Gordianus Tertius, Primi nepos, qui priùs Philippis imperauit, impetitus est à Sapore Persarum Rege. Bellum illud, vt Iulius Capitolinus [f] obseruat, *natum est Gordiano iam iterum & Papiniano* seu Pompeiano *Consulibus*, & anno sequenti, nempe *Pratextato & Attico Consulibus Gordianus aperto Iano (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, vt vel auxiliis vel militibus facilè Persas vincere posset.* Bello hoc insigniter gesto periit insidiis Philippi Præfecti Prætorio, *Sepulchrum milites apud Circeium castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum huiusmodi addentes, & Græcis & Latinis & Persicis & Iudaicis & Ægyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur, Diuo Gordiano victori Persarum, victori Gothorum, victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, victori Germanorum, sed non victori Philipporum.* Hæc inscriptio docet victos auspiciis Gordiani Sarmatas & Germanos, quorum nomine Francos sæpiùs intelligi dicemus infrà, quapropter nihil vide-

[f] In Gordian.

tur obesse, quominùs asseramus Aurelianum temporibus Gordiani feliciter in Gallia pugnasse cum Francis instante bello Persico, Sarmatisque iam profligatis in Illyrico.

IX. AN SVB ALEXANDRO.

Verùm pervalidæ coniecturæ retrò nos trahunt ad Alexandri tempora, qui Maximinos, Pupienum, Balbinum, & Gordianos antecessit. Alexander bellum gessit aduersus Artaxerxem Regem Persarum; in itinere, orto Antiochiæ tumultu, cùm alloqueretur ex tribunali milites, quorum socios coniecerat in vincula, quòd lauacris muliebribus & deliciis vacarent, hæc verba subiecit, quæ recitantur ab Ælio Lampridio [a]. *Quin continetis vocem, in bello contra hostem, non contra Imperatorem vestrum necessariam? Certè campiductores vestri hunc vos docuerunt contra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere, non contra eum qui acceptam à prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit.* Inde colligimus præcipuos tunc hostes Romani nominis habitos Sarmatas, Germanos seu Francos, & Persas, neque enim aliorum meminit Imperator, Romanásque legiones cum Sarmatis ac Germanis seu Francis paulò antèà conflixisse, siquidem Imperator asserit milites quibus loquitur à suis campiductoribus edoctos vocem aduersus duas illas gentes & aduersus Persas emittere. Prælis huiusmodi contra Sarmatas & Francos interesse potuit Aurelianus, partâque non paruâ gloriâ potuit etiam de militibus adeò bene mereri, vt de se fieret cantilena, quam suprà recitauimus ex Vopisco, & in literis Valeriani Augusti ad Cejonium Albinum Præfectum Vrbi, quas integras idem author recenset [b], prædicaretur *liberator Illyrici, Galliarum restitutor. Dux magni totius exempli.* Eusebius in suo Chronico vult Alexandrum profectum contra Persas sub initium sui Principatus, sed Herodianus, qui scripsit Historiam sui temporis, & Lampridius non recentior Eusebio, docent apertè bellum Persicum opus vltimum Alexandri fuisse, quo confecto cùm moueret aduersus Germanos qui Galliam vastabant, in castris cæsus à militibus interiit. Extinctum in Gallia militari tumultu dicit [c] Eutropius, Chronica Eusebij & Cassiodori, necnon Fasti Alexandrini locum notant, Moguntiacum * [d] scilicet, vbi deletos ab Aureliano Tribuno Francos refert Vopiscus. Ea loci circumstantia persuadet Germanos, aduersus quos perrexit Alexander confecto bello Persico, non alios fuisse à Francis, quos habitasse constat in Germania inter Rhenum & Visurgim *, vt alibi probabimus, nec alienum videtur à vero Francos traiecto Rheno in Galliam irrupisse, Imperatore rebus Orientalibus detento, vt acceptam priùs ad Moguntiacum cladem, & illatum à militibus sextæ legionis Gallicanæ dedecus vlciscerentur. Superest scrupulus in verbis Aurelij Victoris, qui mortem Alexandri sic enarrat in libro de Cæsaribus, *Milites agentem casa cum paucis vico Britanniæ, cui vocabulum Sicila, trucidauere.* Lampridius Victore antiquior in eadem videtur fuisse sententia, tamen non diffitetur fuisse qui crederent Alexandrum non in Britannia cæsum, sed in Gallia, *Agentem*, inquit, *cum cum paucis in Britannia, vt aly volunt in Gallia in vico, cui Sicila nomen est, quidam milites occiderunt.* At litem omnem dirimit Herodianus [d], qui res sui temporis ita scribebat, *Confecto, celeriter itinere Alexander constitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum necessarias comparabat, pontémque primo iunctis inter se nauigiis fecit in Rheno flumine, vt per eum exercitus transgrederetur. Mauros complures ac vim ingentem sagittariorum, quos secum ex Oriente adduxerat, partim ex agro Osrhoenorum, partim è Parthia transfugas, pecuniáve illectos aduersus Germanos instruebat. Quippe huiusmodi milites maximè Germanos infestant, cùm & Mauri longiùs iacula intorqueant, sintque faciles ad incursus recursúsque, vtpote leues atque expediti, & sagittarij nuda Germanorum capita prægrandiáque illa corpora facilè eminùs veluti signum aliquod contingunt. Nonnunquam verò etiam collatâ acie res gerebatur, ex qua Germani persæpe haud impares Romanis abibant. Cùm in his Alexander versaretur, decreuit tamen Oratores ad illos de pace mittere, qui polliceretur omnia illis Principem Romanum, quorum foret opus, præbiturum, pecuniásque daturum magnâ co-*

[a] In Alexand.

[b] In Aurelian.

[c] Lib. 8.

[d] *Mayence.*

* *Le Vveser.*

[d] Lib. 6.

piâ. Sunt enim Germani pecuniæ inprimis auidi, nunquamque non auro pacem Romanis cauponantur. Quare Alexander pacem fœderáque potiùs ab illis emercari quàm periclitari bello tendebat. Ceterùm miles Romanus iniquo animo ferebat frustrà se tempus terere, nulla occasione fortiter quicquam animoséque gerendi, intento auarigationibus (vt aiebant) ac deliciis Alexandro, cùm contra oporteret vindicare potiùs Germanos, pœnásque ab iis exigere audaciæ. Erat autem in exercitu Maximinus, hunc ob rei militaris peritiam tyronibus vniuersis Alexander præfecerat, quos ad militiæ munera exerceret, atque ad bellandum idoneos redderet. Cùm milites frequentes in campum conuenissent, venienti de monte ad exercendos tyrones Maximino, dubium ignaro, an re priùs compositâ, purpuram circumdant, Imperatorémque salutant. Ille confestim ad Alexandri tabernaculum, quod haud procul abesset, vniuersos educit, Tribuno & Centurionibus aliquot negotium dat Alexandri matrisque vnà, & quicumque vim contrà facerent, occidendorum. Qui facto impetu in tabernaculum, statim ipsam cum matre amicisque & honoratissimo quóque obtruncant. Quid clariùs dici potest? Imperator aduersus Germanos proficiscitur, vtramque Rheni ripam iungit constructo ponte, frequentibus prælijs hostes lacessit, & ab hostibus lacessitur, dubius futurorum euentuum agit de pace per internuntios, orto interim ea de causa tumultu perimitur à militibus in suo tentorio: quid, quæso, Britanniæ trans Oceanum remotæ commune fuit cum bello illo Germanico, & tot congressibus ad Rhenum? Loco Britanniæ reponenda fortè Belgica, in qua situm Moguntiacum & Aureliani Tribuni victoriâ, & Alexandri Augusti nece nobile.

X. His ita discussis, cladem ab Aureliano Tribuno Francis illatam referimus indubitanter ad Principatum Alexandri. De anno dubium esse non potest scienti quo anno interfectus est Alexander: nam priori, vt Herodianus [a] notat, gessit bellum Persicum, in cuius procinctu pugna cum Francis ad Moguntiam inita fuerat ab Aureliano.

[a] Lib. 6.

XI. *Seuero & Quintiano Consulibus*, inquit Cassiodorus, *Alexander occiditur Moguntiaci tumultu militari.* Id oportet contigisse Idibus Martijs, Alexander enim teste Lampridio [b], Imperator acclamatus est *pridie Nonas Martias*, imperauitque *annis tredecim, diebus nouem.* Quòd autem author Chronici Alexandrini necem Alexandri retulit biennio serùs *sub Consulibus Perpetuo & Cornelio, anno ducentesimo quinto post Christi in cælum ascensum*, eò erroris adductus est, quia Seuero annos Imperij nouemdecim, & Caracallæ septem assignauit, cùm iuxta Spartianum sex duntaxat huic, illi verò duodeuiginti tribuere deberet. In eo tamen plurimùm commendandus, quòd Perpetui & Cornelij Consulatum illigauit annno ducentesimo quinto post ascensum Christi in cælum, siue anno post Christum natum ducentesimo tricesimo nono: siquidem alio in loco testatur Christum passum esse, & in cælos ascendisse anno post suam natiuitatem tricesimo quarto, post susceptum Ioannis Baptismum inchoatámque prædicationem quarto, Tiberij Imperatoris decimo octauo, atque ex eo calculo colligere est Consulatum Seueri & Quintiani, qui cæde Alexandri cruentatus fuit, & Consulatum Perpetui & Cornelij biennio præcessit, incidere in annum Christi ducentesimum tricesimum septimum, à quo computu non recedit Eusebius [c], cùm mortem Alexandri consignat anno tertio Olympiadis ducentesimæ quinquagesimæ tertiæ: is enim annus est à Christo nato ducentesimus tricesimus septimus, quia ex eiusdem Eusebij supputatione natus est Christus Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno tertio. Ceterùm anno, qui necem Alexandri præcessit, extititque post Christum natum tricesimus sextus supra ducentesimum, idem Alexander bello Persico implicatus fuerat Maximo & Vrbano Consulibus, annóque superiori nempe ducentesimo tricesimo quinto, Maximo & Paterno Consulibus, vires Francorum ad Moguntiam attriuerat Aurelianus Tribunus legionis sextæ Gallicanæ.

[b] In Alexand.

[c] In Chron.

QVO ANNO.

XII. Tacitus libellum suum de situ, moribus & populis Germaniæ sic exorditur

à descriptione finium, quibus Germania circumscribitur. *Germania*, inquit, *omnis à Gallis Rhætiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens.* En antiquam Germaniam à Galliâ Rheno fluuio disterminatam, sed irruptione Germanorum factum est vt Germaniæ quoque nomen inderetur parti Galliarum vicinæ Rheno, nam eodem Tacito teste *qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, nunc Tungri nunc Germani vocati sunt*, numquam tamen tractus vllus terrarum cis Rhenum extra Galliam census fuit, in notitiâ enim Imperij Occidentalis inter septemdecim Galliæ prouincias reponuntur duæ Germaniæ cisrhenanæ, quarum superior seu prima caput habet Maguntiacum, inferior verò seu secunda metropolim habet Agrippinam *. Apud Plinium [a] prædicantur *genera Germanorum quinque; Vindelici quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones: alterum genus Ingæuones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Cauchorum gentes; proximi autem Rheno Istæuones, quorum pars Cimbri mediterranei; Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci; quinta pars Peucini, Basternæ contermini Dacis.* Locus ille deprauatus est admodum, nec tantum Vindelicos habet pro Vandalis, sed in reliquis scatet etiam mendis, de quibus plura Rhenanus [b] in rebus Germanicis, nec ipse vbique audiendus, nonnihil tamen lucis accipere potest Plinius ex Tacito, qui triginta circiter post annos scripsit sub Traiano, & seruatis Plinij vocabulis, tres duntaxat populos Germaniæ clarissimos recensuit, quorum proximi Oceano Ingæuones, medij Hermiones, ceteri Istæuones nuncupabantur. Illis autem tribus Germaniæ populis postmodum mutatis nominibus successerunt Franci, Saxones, Alemanni, quorum mentio non infrequens est apud Iulianum, Ammianum, Hieronymum, Zosimum & alios, vt suis in locis patebit. Saxones Istæuonum, Alemanni Hermionum, Franci Ingæuonum loco fuerunt. Saxones vltra Visurgim insederunt, Franci ad occiduas partes Rheni & Oceani, inter Mœnum *, Rhenum & Danubium fluuios Alemani, eâque de causâ Francia, cùm Saxonia ei versus ortum, Alemannia versus meridiem contribuatur, inter vtramque media ponitur ab Hieronymo in vitâ Hilarionis, vbi agens de viro Franco sic loquitur de illius gente, *inter Saxones & Alemanos gens eius non tam lata quàm valida, apud Historicos Germania, nunc verò Francia vocatur*, & in notis ad vltimum caput Ioelis Prophetæ Francos Alemannosque simul iungit.

* *Cologne.*

[a] Lib 4. c. 14.

[b] Lib. 3.

TRES POPVLI GERMANIÆ.

* *Le Mein.*

Saxonum primus meminit Ptolemæus, qui sub Hadriano & Antonino Pio Traiani successoribus inclaruit. Apud Spartianum & apud Victorem in libro de Cæsaribus antiquissima est Alemannorum mentio sub Antonino Caracallâ, qui Romanum Imperium tenere cœpit anno post obitum Antonini Pij quinquagesimo, *Alamannos gentem populosam*, vt loquitur Victor, *mirificè pugnantem prope Mœnum deuicit*, & teste Spartiano *Alemannici nomen adscripsit, quoniam Alemannorum gentem deuicerat.* Franci postremi omnium auditi sunt aliquot pòst annis sub Alexandro Seuero, qui quinquennio post Antonini Caracallæ cædem imperare cœpit. Remansit tamen tribus illis populis commune Germanorum nomen, vt in antiquis Panegyristis, in Iuliano, Ammiano, Eutropio, & aliis adhuc posterioris æui scriptoribus facilè deprehendi potest. XIII.

Saxones, postquàm Visurgim traiecerunt, dicti sunt alij Orientales, alij Occidentales, siue Ost-Saxones & West-Saxones, Visurgi inter vtrosque medio. Deinde cùm Reges & Imperatores fuerunt è stirpe Saxonicâ, quicquid eis inter Alpes & mare Balticum atque etiam in Galliâ paruit, Saxoniæ nomen sic tulit, vt S. haldis *, versus occasum, Saxoniæ limes haberetur. Hodie vox Saxoniæ nihil significat extra veterem Germaniam, licet intriplici ponatur acceptione, vel simpliciter pro Ducatu Saxoniæ, vel latiùs pro ditionibus quæ subiacent Electori Saxonico, vel latissimè pro duobus circulis Imperij, quorum alter circulus superioris Saxoniæ, alter circulus inferioris Saxoniæ nominatur. XIV. SAXONES.

* *L'esthault.*

XV. ALEMANNI. Alamannia veteris tantùm Germaniæ pars habita multis seculis, donec Alamanni agrum Helueticum in Galliâ occuparunt: hodie verò sumitur pro terris omnibus, quæ decem Imperij circulis & Regno Bohemico comprehenduntur, siue sitæ sint in antiquâ Germaniâ, siue in Galliâ, siue etiam inter Danubium & Alpes.

XVI. FRANCI. Francia suas quoque vices habuit, angustioribus modò finibus septa, modò latioribus, pro cladibus aut victoriis suæ gentis, quas suis temporibus narraturi sumus. Inpræsentiarum satis est obseruasse temporibus Alexandri Imperatoris, cùm Franci contra Romanos apud Moguntiam dimicarunt, Franciam Oceano, Visurgi, Mœno ac Rheno circumscriptam fuisse, Francis in monumentum suarum incursionum, quæ tamen crebræ fuerant, ne pagum quidem in Galliâ cis Rhenum obtinentibus.

XVII. A pugnâ Moguntinâ, cuius mentio fit apud Vopiscum in Aureliano, vsque ad annum Christi quadringentesimum decimum septimum, quo Faramundus Franciæ Regnum suscepit, anni numerantur octoginta duo supra centum. Tanto temporis interuallo Franci non quieuerunt otio vel voluptatibus irretiti, sed frequentissimis irruptionibus vicinas Imperij Romani regiones lacessiuerunt. Audiendus eâ de re Libanius Sophista, Panegyricum enim, cui nomen Basilicus, Constantio & Constanti Augustis dixit, vbi Constantem à rebus in Galliâ præclarè gestis ita commendauit, vt tamen prouinciarum cisrhenensium trepidationem pene continuam imminentibus Francis non omiserit. *Celtarum gens est, inquit, supra Rhenum fluuium, ad Oceanum pertingens, tam præclarè à naturâ ad bellorum vsus munita, vt appellationem ab ipsis actis nacti Franci nominentur, quasi à Græcanicâ dictione* φραγμοι, *(hoc est septi munitique) ab imperito vulgo corruptâ. His multitudine numerum pene omnem excedunt, robore autem multitudinis immensitatem superant. His maris procellosi æstus non magis terreri est quàm continens terra; & frigus Septentrionale suauius quàm veris temperies; calamitatis verò maxima est vita absque negotiis; & felicitatis apex belli tempora sunt. Quòd si quis mutilatus fuerit, parte reliquâ integrâ præliatur, & vincentium persecutio non admittit finem. At si contigerit vt superentur, extremum fugæ inuasionis initium faciunt. Porrò insanæ pernicacitatis præmia, & audaciæ honores, legibus apud ipsos sancitis, obtinent; quietem otiumque omnino iudicant morbum. Quapropter ab omni æuo superiore propinquum illis regnum nacti, neque rationes inuenerunt quibus persuaderent, neque tantam in armis vim habuerunt, vt quiescere cogerent. Verùm die noctuque, nullâ interpositâ morâ perseuerantes, excursionibus occurrere opus erat, neque cibum sine armis sumere, neque galeâ depositâ securè requiescere licebat, sed tantùm non armatura cohærentes ferrum gestare priscorum Arcananum more oportebat. Idemque his vsuenit quod in obicibus, quando mare variis impulsum ventis continuatos fluctus decumanos excitat. Nam quemadmodum ibi priusquàm prior fluctus ad oppositos obices fractus sit, secundus occupat, & tertius deinceps, usque motus non intermittit, donec venti cessent, ita certè Francorum animis rerum bellicarum amore ad insaniam concitatis, crebras edebant impressiones, ac priusquàm primam aciem prorsus repulissent, dux alter exercitus superincidebat.*

FRANCI GALLIAS LACESSVNT.

XVIII. VARIE A ROMANIS ATTRITI. Imperatores Romanorum ad debilitandam Francorum potentiam variis artibus vsi sunt. Maximiani Augusti nutu, Neruiorum & Treuirorum arua iacentia receptus in leges Francus excoluit, paucisque pòst annis Constantius Cæsar copiosam Francorum multitudinem ad loca olim deserta, putà Ambianum *, Bellouacum *, Trecas * & Lingonas * traduxit. Duas illas Francorum cis Rhenum migrationes attigit Eumenius in Panegyrico ad Constantium Cæsarem, sed encomiasticè dixit eos in Galliam transiisse „vt quicquid infrequens erat, cultum redderent seruiendo. Nam licet ex sententiâ Pontani [a] fieri potuerit, vt Romani, cùm animaduerterent citra frumenti copiam aduersus Francorum potentiam vix secundam Germaniam retineri posse, rebus suis vel ita consultum crediderint, si agri ab ipsis Francis culti annonam laxarent: tamen hoc eorum imprimis consilium fuit Franciam in-

* *Ambiens.*
* *Beaunais.*
* *Troyes.*
* *Langres.*

[a] Lib. 1. Orig. Franc.

colis exhaurire; partem Galliæ, quæ inculta propter Francorum deprædationes iacebat, habitatoribus ac nouis colonis replere; suasque copias generosâ Francorum iuuentute paulatim corroborare. Sic enim bellicosissimam gentem Francorum, quæ solâ nominis sui famâ ceteris formidinem incutiebat, ab alterâ Francorum parte Romanis moribus imbutâ debellatum iri sperabant, compertoque rerum euentu non aliam rationem assignauit idem Eumenius in Panegyrico ad Constantinum Augustum, palamque testatus est Francos in desertis Galliæ regionibus collocatos & pacem Imperij Romani cultu iuuare & arma delectu. Præterea multi Duces Francorum, qui patriam suam præclaris facinoribus illustrassent, ad aulam Cæsaream migrarunt crebris Imperatorum pollicitationibus opumque amplificandarum spe permoti, nec defuerunt qui nobilissimas Palatij dignitates obtinerent ac præcipuis belli muneribus fungerentur. Horum autem omnium nullam mentionem faciemus, solum enim mutarunt augendarum fortunarum desiderio, nec amplius gentis suæ sed Romani tantùm nominis gloriæ studuerunt. Qui verò propagandis Franciæ limitibus incubuerunt, siue res bene vel malè cesserit, non abibunt illaudati, quamuis ante Clodouei baptismum vix quicquam gesserint, quod ad Ecclesiasticos Annales pertinere videatur. Breuis illa veterum Francorum commendatio non erit inutilis, quia seriem nostræ chronologiæ confirmabit, palamque ostendet in quo statu res Francorum fuerint, cùm regium nomen susceperit Faramundus, à quo tanquam à Monarchiæ Francicæ conditore principium suarum lucubrationum nostrates Historici ducere consueuerunt.

ANNI CHRISTI 235. *& seqq. vsque ad annum* 255.

ANNI Christi 235. *& seqq.*

CLADES, quam Franci passi sunt ad Moguntiam anno Christi ducentesimo tricesimo quinto, bellicosam gentem à consilio subigendæ Galliæ non deterruit. Quonam in statu res eorum fuerint anno sequenti, necnon anno Christi ducentesimo tricesimo septimo, cùm Alexandro Imperatori vita sublata est, iam indicauimus.

I. PRÆCLARA FRANCORVM GESTA. FLORENTIBVS ROMANOR. IMPP.

Occiso Alexandro Maximinus sine decreto Senatus ab exercitu Augustus est appellatus, filio sibimet in participatum dato, & post aliquot menses maturis segetibus facto ponte copias in Germaniam transrhenanam traduxit. Herodianus [a] & Capitolinus [b] non aliam Germaniæ partem quàm Franciam innuunt, vbi frequentes erant amnes, paludes & syluæ. Re præclarè gestâ Maximinus sua ipsius fortia facinora non solùm per literas Senatui, Populóque Romano significauit, sed etiam depicta maximis imaginibus ante Curiam publicauit. Exemplar literarum apud Capitolinum ex Ælio Cordo tale legitur. *Non possumus tantùm, P. C. loqui, quantùm fecimus, per* CCCC. *millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus, peruenissemus ad syluas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Verùm anno sequenti acclamatus est Imperator in Africa Gordianus Proconsul cum filio suo Gordiano, nuncióque Romam perlato cum literis, quibus Gordianus Senior inuitum se ad Imperium vocatum, & vsque ad Senatus iudicium incertum se & varium fluctuaturum nunciabat, ambo Gordiani vocati sunt à Senatu Augusti, hostes verò Maximinus & eius filius. Obseruat post Herodianum Capitolinus tabulas in quibus bellum pingi Germanicum siue Francicum, & ante Curiam proponi Maximinus iusserat, eo hoste Reipublicæ iudicato, Senatus auctoritate statim sublatas. Abhinc quod de Francis referamus, nihil occurrit ante tempora Valeriani & Gallieni

II. MAXIMINO.

[a] Lib. 7.
[b] In Maximin.

ANNI Christi 255. & seqq.

Augustorum: nam quod habet Chronicon Alexandrinum de morte illata Decio Imperatori, cùm moueret in Francos, id falsissimum est, Decius enim vnà cum filio periit bello Gothico in Thracia, vt docent Aurelius Victor in libello de Cæsaribus & Cassiodorus in Chronico.

ANNI CHRISTI 255. & seqq. ad annum vsque 276.

I. ANNO Christi ducentesimo quinquagesimo quinto Valerianus & Gallienus dicti sunt Imperatores.

II. Anno Christi ducentesimo sexagesimo tertio Valerianus Augustus in manus Persarum deuenit.

III. Anno Christi ducentesimo sexagesimo quarto, *Gallieno & Faustino Consulibus*, vt Pollio [a] testatur, *contra Postumum Gallienus cum Aureolo*, quocum pacem recens inierat, *& Cladio Duce, qui posteà Imperium obtinuit*, bellum renouauit. *Postumus verò cùm videret multis se Gallieni viribus peti, atque auxilium non solùm militum verùm etiam alterius Principis esse necessarium, Victorinum militaris industriæ virum in participatum vocauit Imperij, & cum eodem multis* insuper *auxilijs* adiutus *Celticis ac Francicis contra Gallienum processit. Victrix Galliæ pars fuit, pluribus prælijs euentuum ratione decursis.* Eodem autem Augusto Byzantium profecto, Postumus suum in Gallia Principatum firmiùs stabiliuit, nonnulla etiam castra in Germania ædificauit, Deusonem, quod erat in Francia castellum contra Coloniam Agrippinam, præsidio firmauit: tenuit etiam Macusam, in veteribus enim nummis [b] *Hercules Deusionensis*, & *Hercules Macusanus* inscribitur.

[a] In Gallien. & de 30. tyran. in Victorin. GALLIENO.

[b] Hadr. Vales. lib. 1.

IV. Quàm formidolosi Romanis tunc extiterint Germani seu Franci, produnt authores historiæ Romanæ. *Gallieno perdente Rempublicam, in Gallia primùm Postumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremò Tetricus (nam de Mario nihil dicimus) assertores Romani nominis extiterunt, quos omnes datos diuinitus* credit Pollio [c], *ne cùm illa pestis inundata luxuriæ impediretur multis, possidendi Romanum solum Germanis daretur facultas, qui si eo genere tunc exstissent, quo Gothi & Persæ, consentientibus in Romano solo gentibus venerabile Romani nominis finitum esset Imperium.*

[c] De 30 tyran. in 4.

V. Anno Christi ducentesimo sexagesimo quinto Gallienus Augustus Byzantio Romam celerrimè reuersus, cùm decennalia teste Pollione [d] celebraret ingenti apparatu, simulatas gentes, inprimis Francos cum Gothis, Sarmatis ac Persis in triumphum duci voluit vanâ specie pomparum, quasi populos notos nemini nec anteà visos Romæ penitus debellasset. At vmbratilis triumphus non caruit scurris & facetis hominibus, qui Persis captiuis se miscuerunt diligentissimè scrutantes omnia, atque vniuscuiusque vultum mirâ inhiatione contemplantes, interrogatique quidnam agerent illâ solertiâ, respondérunt intrepidè, *patrem Principis quærimus*, vt Valeriani patris apud Saporem in Perside captiui vincula triumphanti filio exprobrarent. Vtrùm se Francis etiam adiunxerint, haud testatum habemus, debuerunt sanè postulaturi Postumum, nec leuiori sale vesanum Imperatoris animum perstrinxissent, quòd Francos transrhenanam gentem in triumphum ageret, qui ne Gallias quidem cisrhenanas è tyrannide Postumi vindicarat. Addequòd Gallieni temporibus, vt Eutropius [e] scribit, *Germani vsque ad Hispanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt*, & apud Eusebium in Chronico, hoc ipso anno, Gallieni decimo, *Germanis Hispanias obtinentibus Tarraco expugnata* legitur. Quos autem Germanos Eusebius & Eutropius, hos Victor Francos vocat in libro de Cæsaribus, vbi Gallienum ait *rem*

[d] In Gallien.

[e] Lib. 9.

Romanam

Romanam quasi naufragio dedisse cum Salonino filio, cui honorem Cæsaris contulerat, adeò vti Francorum gentes, direptâ Galliâ, Hispaniam possiderent, vastato ac penè direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore nauigiis pars in vsque Africam permearet. Ceterùm Orosius[a] Germanos illos seu Francos testatur hostili gladio sæuiisse per Hispanias annis propemodum duodecim sub Imperatore Gallieno.

ANNI Christi. 255. & seqq.

[a] Lib. 7. c. 41.

Post Valeriani cladem Postumus Gallias per septem annos obtinuit teste Pollione[b], & cusis nummis, quorum meminerunt Scaliger[c] & Valesius[d], restitutor Galliæ prædicatus fuit & Germanicus Maximus, quòd submotis omnibus Germanicis gentibus Romanum in pristinam securitatem reuocasset Imperium. Porrò explosâ Germanorum multitudine, vt Victor testatur in libro de Cæsaribus, Lolliani bello exceptus est, *quo non minùs feliciter fusò, suorum tumultu periit, quòd flagitantibus Maguntiacorum direptiones, quia Lollianum iuuerant, abnuisset.* Interfecto Postumo Germani castra, quæ trans Rhenum construxerat, cum plerisque Galliæ ciuitatibus subitâ irruptione diripuerunt incenderúntque, sed Lollianus in locum Postumi subrogatus eadem loca postmodum recepit, atque in statum veterem reformauit, vt obseruat Pollio[e].

VI.

[b] De 30. tyr. in 1.

[c] In not. ad Chron. Euseb.

[d] Lib. 1.

[e] De 30. tyr. in 4.

ANNVS CHRISTI 276. 276.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo sexto, siue, vt habet Cassiodorus, Aureliano & Capitolino Consulibus, ipse Aurelianus Augustus triumphum Romæ egit. *Præter captiuos gentium barbararum*, vt Vopiscus[f] scribit, *Blemyes, Axomitæ, Arabes, Eudæmones, Indi, Bactriani, Hiberi, Saraceni, Persæ, cum suis quique muneribus, Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatæ, Franci, Sueui, Vandali, Germani, religatis manibus captiui præcesserunt.* Res sanè mira bellicosissimum Romanorum Imperatorem, qui victis nuper Carpis se Carpum à Senatu dictum ægrè admodum tulerat, tanti fecisse victoriam, quam de mille Francis adhuc Tribunus sub alienis auspiciis in ditione Romana cis Rhenum olim reportarat.

AVRELIANO.

[f] In Aurelian.

ANNVS CHRISTI 277. 277.

AVRELIANVS Imperator necatus est anno Christi ducentesimo septuagesimo septimo, mense Martio. Tacitus illi datus est successor ex Senatusconsulto, die septimo Kalendas Octobres, postquàm Imperium vacasset menses sex, vt docent Vopiscus[g] multis in locis & Victor in libro de Cæsaribus. Franci non quieuerunt, quandiu Romana Respublica Principe caruit, eo enim die quo Tacitus creatus est Imperator, cùm in curiam Pompilianam ordo amplissimus consedisset, Velius Cornificius Gordianus Consul suffectus orationem Vopisco teste[h] sic exorsus est. *Referimus ad vos P. C. quod sæpe retulimus, Imperator est deligendus, exercitus sine Principe rectè diutius stare non potest, simul quia cogit necessitas. Nam limitem trans Rhenum Germani rupisse dicuntur, occupasse vrbes validas, nobiles, diuites & potentes.*

TACITO.

[g] In Aurelian. & in Tac.

[h] In Tac

ANNI Christi. 278.

ANNVS CHRISTI 278.

PROBO.

[a] In Prob.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo octauo, Probus, vbi appellatus fuit Augustus à militibus, mox rescripsit ad Senatum, literæ recitantur a Vopisco [a], acclamatus est ab omnibus in Senatu Francicus, seruauitque illud agnomen hactenus inusitatum Romanis Imperatoribus, & Manlius Statianus, qui primæ sententiæ tunc erat, gratias agens diis immortalibus, qui Principem talem dederant, qualem Senatus semper optauerat, non omisit Francos inuiis stratos paludibus, vt strage formidolosissimæ gentis idoneam Probo panegyrim institueret, *Testes*, inquit, *Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Franci inuiis strati paludibus, testes Germani & Alemanni longè à Rheni submoti litteribus.*

279.

ANNVS CHRISTI 279.

I. PROCVLVS *hortantibus Lugdunensibus, qui & ab Aureliano graniter contusi videbantur, & Probum vehementer pertimescebant, in Imperium vocitatus est ludo pene & ioco vt Onesimus dicit. Non nihilum tamen Gallis profuit. Nam Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit, numquam aliter quàm latrocinandi pugnans modo. Hunc tamen Probus fugatum vsque ad vltimas terras & cupientem in Francorum auxilium venire, à quibus originem se trahere ipse dicebat, ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est ridendo fidem frangere, vicit & interemit.* Hæc in Proculo Vopiscus, qui Gallicam illam expeditionem fusiùs explicat in Probo. *Cum ingenti*, inquit, *exercitu Gallias petit, qua omnes occiso Postumo turbata fuerant, interfecto Aureliano à Germanis possessa. Tanta autem illic prælia feliciter gessit, vt à barbaris, sexaginta, per Gallias, nobilissimas reciperet ciuitates, prædam deinde omnem quâ illi prater diuitias etiam efferebantur ad gloriam. Et quum iam in nostrâ ripâ, imò per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupauerant solum, reliquias vltra Nicrum * fluuium & Albam * remouit, tantùm his prædæ barbaricæ tulit, quantùm ipsi Romanis abstulerant, contrà vrbes Romanas & castra in solo barbarico posuit, atque illic milites collocauit. Agros & horrea, & domos & annonam transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet quos in excubiis collocauit, nec cessatum est vnquam pugnari, quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrentur, iam ad singulos aureos singula, quandiu reguli nonem ex diuersis gentibus venirent, atque ad pedes Probi iacerent, quibus ille primùm obsides imperauit, qui statim dati sunt, deinde frumentum, postremò etiam vaccas atque oues. Dicitur iussisse his acriùs vt gladiis non vterentur, Romanam expectaturi defensionem, si essent ab aliquibus vindicandi. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota prouincia. Maximè tamen ipsis Regibus consentientibus, in eos vindicatum est, qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepis praterea sexdecim millia tironum, quos omnes per diuersas prouincias sparsit, ita vt numerus vel limitaneis militibus quinquagenos & sexagenos interfereret, dicens sentiendum esse non videndum, quum auxiliaribus barbaris Romanus iuuatur. Compositis igitur rebus in Gallia, tales ad Senatum literas dedit.* [*Ago diis immortalibus gratias P.C. quia vestra in me iudicia comprobarunt. Subacta est omnis quà tenditur latè Germania, nonem Reges gentium diuersarum ad meos pedes, imò ad vestros, supplices stratique iacuerunt. Omnes iam barbari vobis arant, vobis*

* *Le Necar.*
* *L'Elbe.*

ANNI Christi. 279.

iam ſerunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur veſtro more decernite. Nam & quadringenta millia hoſtium cæſa ſunt, & ſexdecim millia armatorum nobis oblata, & ſeptuaginta vrbes nobiliſſimæ captiuitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas, quas mihi obtulerunt omnes Galliæ ciuitates aureas, veſtræ, P.C. clementiæ dedicaui. Et has Ioui optimo maximo, ceteriſque diis deabuſque immortalibus, veſtris manibus conſecrate. Præda omnis recepta eſt, capta etiam alia, & quidem maior quàm fuerat antè direpta. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & iuga Germanica captiua præbent noſtris colla cultoribus, paſcuntur ad noſtram alimoniam gentium pecora diuerſarum, equinum pecus noſtro iam fœcundatur equitatui, frumento barbarico plena ſunt horrea. Quid plura? illis ſola relinquimus ſola, nos eorum omnia poſſidemus. Volueramus, P.C. Germaniæ nouum Præſidem facere, ſed hoc ad pleniora vota diſtulimus. Quod quidem credimus conferre, quum diuina prouidentia noſtros vberiùs fœcundarit exercitus.] Audiendus quoque Zoſimus [a] eâdem de re. *Quoniam*, inquit, *ciuitatibus Germanicis, quæ à vicinis Rheno barbaris infeſtabantur, neceſſariò ſubueniendum erat, Rhenum verſus ipſemet cum copiis mouit. Occepto bello cùm fames omnibus in locis ingruiſſet, immenſus imber delapſus, vnà cum guttis frumentum quoque detulit, adeò quidem vt eius acerui quibuſdam in locis per ſe conſtruerentur. Omnibus ad rem nouam & incredibilem obſtupefactis initio quidem frumentum adtingere, ac famis eo remedio vti non audebant, verùm vbi neceſſitas omni metu valentior vrgeret, panes coquebant, eiſque veſcentes ſimul & famem pellebant, & Imperatoris fortunâ in eo bello ſuperiores nullo prope negotio diſcedebant. Alia quoque bella leui labore confecit. Acres etiam pugnas commiſit, primùm contra Logiones nationem Germanicam, quibus deuictis quum Semnonem eorum Ducem cum filio viuum in poteſtatem redegiſſet, ſupplices factos in fidem recepit, & captiuis omnique prædâ recuperatâ quam habebant, certis eos conditionibus dimiſit, ipſo quoque, cum filio, Semnone reddito. Alterum contra Francos prælium pugnauit, quibus opera Ducum ſtrenuè victis, ipſe cum Burgundorum Vandalorumque copiis dimicauit. Quumque vires ſuas inferiores videret, partem quamdam ab hoſtibus auellere cogitabat, & cum ea prælio decernere, qua in re conſilio Principis fortuna non defuit. Quum enim exercitus vtramque fluminis ripam occupaſſent, barbaros in aduerſa ripa caſtra metatos ad pugnam Romani prouocabant. Hac illi re perciti, quotquot ſanè poterant, tranſiiciebant, ſigniſque collatis barbari partim cadebantur, partim viui Romanorum in poteſtatem ueniebant. Reliqui quum pacem eâ lege petiiſſent, vt prædam cum captiuis quos habebant redderent, impetrato quod poſtulauerant non omnia reſtituerunt. Quamobrem indignatus Imperator diſcedentes adortus merito ſupplicio multauit, ipſis trucidatis & Igillo Duce capto. Quotquot vinos in poteſtatem redigere poterat, in Britanniam miſit, qui ſedes ea in inſula nacti, quoties deinde ſeditionem aliquis moliretur, vtiles Imperatori fuerunt.* Ad idem bellum pertinent ea quæ leguntur apud Vopiſcum de Bonoſo, *qui, quum quodam tempore in Rheno Romanas luſoriæ Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumpſit Imperium, idque diutius tenuit quàm merebatur, nam longo granique certamine à Probo ſuperatus, laqueo vitam finiuit.*

[a] Lib. 1.

Euſebius in chronico bellum illud confectum docet anno Probi Imperatoris primo, qui noſtro calculo poſt Chriſtum natum eſt ducenteſimus ſeptuageſimus nonus. Obſerua autem apud Vopiſcum, vbi reliquiæ barbarorum vltra Nicrum & Albam à Probo remotæ dicuntur, Vicrum meliùs quàm Nicrum legi, eſt enim Vicer Franciæ tranſrhenanæ amnis, qui oppidum ſui nominis attingit, atque in ingentem Oceani ſinum vel æſtuarium vulgò Zuiderſeum *, ſeu paludem Auſtrinam influit, & Vectus * hodieque nuncupatur, nec differt ab eo quem in Germaniâ inter Rhenum & Amiſium à Ptolemæo poni vitioque exemplarium Vidrum pro Vicro vocari animaduertimus. 11.

* *La Zuiderzée.*
* *Le Vecht.*

ANNI Christi 280. *& seqq.*

ANNI CHRISTI 280. 281. 282.

VOPISCVS in vitâ Probi, cuius imperium anno Christi ducentesimo octogesimo tertio clauditur, panegyrim potiùs quàm historiam scripsit stylo texendarum victoriarum vberrimo, cladium parcissimo ac pene nullo, sed Eumenius Constantij Cæsaris panegyrista non tacuit incredibilem fortitudinem *paucorum ex Francis captiuorum, qui sub Probo*, vt ille loquitur, *à Ponto vsque correptis nauibus Graciam Asiamque populati, & impunè plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremò naualibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, & immenso itinere peruecti Oceanum, quà terras irrumpit, intrauerant, atque ita eventu temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticæ desperationi quò nauigijs pateret accessus.* Eadem ferme narrat Zosimus [a]. *Quum*, inquit, *Franci ad Imperatorem accessissent, & ab eo sedes obtinuissent, pars eorum quædam defectionem meditata, magnamque nauium copiam nacta, totam Graciam conturbauit. In Siciliam quoque delata, & vrbem Syracusanam adorta magnam in ea cædem edidit. Tandem quum & in Africam adpulisset ac reiecta fuisset, adductis Kartagine copijs, nihilominùs domum redire nullum passa detrimentum potuit.* Hoc Francicæ fortitudinis, quam panegyrista temeritatem frustrà vocat, clarissimum monumentum in historiâ Zosimi reperiri gauisi sumus eò magis, quòd proxima pene periodus & res præclarè gestæ sequentium Imperatorum in eodem authore desiderantur.

[a] Lib. 1.

283.

ANNVS CHRISTI 283.

CARO.

ANNO Christi ducentesimo octogesimo tertio, interfecto Probo, solus Carus Imperio visus est dignissimus, *consensu omnium militum*, vt Vopiscus [b] scribit, *bellum Persicum quod Probus parabat, aggressus est liberis Cæsaribus nuncupatis, & ita quidem vt Carinum ad Gallias tuendas cum viris lectissimis destinaret, secum verò Numerianum adolescentem, cùm lectissimum, tum etiam disertissimum duceret. Et dicitur quidem sæpe dixisse se miserum, quòd Carinum ad Gallias Principem mitteret, neque illa ætas esset Numeriani, vt illi Gallicanum, quod maximè constantem Principem querit, crederetur Imperium.* Hoc autem iudicium de Carino & de Galliis æquissimè tulit, nam præterquàm quòd teste Pollione [c] Gallis insitum semper fuit libidinosos Principes, qualis apud Vopiscum [d], Eutropium [e] & Victorem in epitome Carinus describitur, ferre non posse, Franci propter frequentes incursiones ingenti dudum trepidatione Gallias percellebant.

[b] In Caro.

CARINO.

[c] In Gallien.
[d] In Carin.
[e] Lib. 9.

284. *& seqq.*

ANNI CHRISTI 284. *& seqq. ad annum vsque* 294.

MAXIMIANO.

MAXIMIANVS ex Cæsare leuatus est Augustus Kalendis Aprilibus, vt obseruat Idatius in fastis, Maximo iterum & Aquilino Consulibus, siue anno Christi ducentesimo octogesimo septimo. Sub idem tempus Carausius cùm apud Bononiam * per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum ma-

* *Bologne.*

re accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, purpuram ſumpſit & Britannias occupauit teſte Eutropio [a]. Quâ re compertâ Maximianus claſſem inſtruendam diligentiſſimè curauit, atque interim Francos adortus eſt oppreſſitque, ſi fides eſt Claudio Mamertino, qui Treuiris panegyrim ei poſtea dixit, & oratorio faſtu pronuntiauit nullum ampliùs metum fore Romanis vel areſcente Rheno, quo muniri Gallias Imperatores olim gratulabantur, deinde rem geſtam accuratiùs expendens poſt nonnulla ſubiunxit duos Reges, quos Francis imperaſſe confirmat Pontanus [b], in ordinem redactos, quorum alter Genebon (Diuæus Genebaudum reſcribit) regnum per Maximianum receperit, alter Eſatech munus acceperit. Verùm tantæ victoriæ ne verbum quidem in Euſebio, Eutropio, Feſto, Victore & Oroſio, apud quos ea leguntur quæ de Carauſij defectione retulimus.

ANNI Chriſti 284. *& ſeqq.*

[a] Lib. 9.

[b] Lib. 4. orig. Franc c. 3.

ANNI CHRISTI 294. 295. 296. 297. 298. 299.

294. *& ſeqq.*

CONSTANTIVS dictus eſt Cæſar Idibus Martiis, anno Chriſti ducenteſimo nonageſimo quarto. Rationem reddit Eumenius [c], quia *Partho vltra Tigrim redacto, Daciâ reſtitutâ, porrectis vſque ad Danubij caput Germaniæ Rhetiæque limitibus, deſtinatâ Batauiæ Britanniæque vindictâ gubernacula maiora quærebat aucta atque augenda Reſpublica, & qui Romanæ potentiæ terminos virtute protulerant, Imperio filium pietate debebant.* Quo ex textu patet Francorum ſocietatem adhuc viguiſſe cum Carauſio, nam Batauia ſedes erat Francorum, & Britannia Carauſio morem gerebat. Conſtantius in Cæſarem aſſumptus contendit in Gallias citiſſimè, Geſorigam vrbem maritimam, quæ Carauſio parebat, obſidione cinxit cepitque, tamen Britannicum bellum continuò peragere nequiit, quia nauibus ædificandis tempus dari neceſſitas rei poſtulabat, itaque ne ab hoſtium euerſione ceſſaret, quos adire continens permiſit, aggreſſus eſt, & conuerſis armis penetrauit in regionem Francorum, quam obliquis meatibus Schaldis interfluebat, & diuortio ſui Rhenus amplectebatur. Eumenius paluſtris ſoli deſcriptionem habet, ſubditque Francos cum coniugibus ac liberis ceteróque examine neceſſitudinum ac rerum ſuarum ad loca olim deſerta Galliæ tranſiiſſe.

[c] In panegyr. ad Conſtantium Cæſ.

ANNVS CHRISTI 300.

300.

APVD Euſebium [d] *anno Diocletiani decimo quinto*, qui Chriſti fuit trecenteſimus, *per Aſclepiodotum Præfectum Prætorio Britanniæ poſt decem annos recepta* leguntur, & Eutropius [e] diſtinctè notat Britannias anno decimo recuperatas, poſtquàm eas Carauſius ſeptennium, Alectus triennium tenuerunt, ab anno videlicet poſt Chriſtum natum ducenteſimo nonageſimo, quo Britanniæ Imperium Carauſio conceſſum fuerat à Maximiano. Victor de Cæſaribus Aſclepiodotum quidem cum parte claſſis ac legionum præmiſſum ſcribit, ſed præcipuam rei geſtæ gloriam Conſtantio Cæſari tribuit. Quomodo ſe res habuerit, explicat fusè panegyricus Eumenij [f]. Fulſit vbique virtus Francorum, Conſtantius haud auſus eſt in Britanniam transfretare, priuſquàm Maximianus Auguſtus in Rheni ripa conſidêret, ne Franci traiecto fluuio per abſentiam Cæſaris in vltimum periculum Gallias adducerent, ſecum præterea trans Oceanum duxit non mediocres copias Francorum, in quibus præcipuam victoriæ ſpem propter ingenitam animi magnitudinem

[d] In Chron.

[e] Lib. 9.

[f] Ad Conſtantium Cæſ.

ANNI Christi. 300.

collocabat. Alectus non caruit auxilio Francorum, quorum virtuti si parem animum ostendissiet, nullo negotio de Cæsare triumphassiet. Quapropter apud panegyristam Romani de Francorum internecione potiùs quàm de cæde Alecti gloriantur, multiiugam & innumerabilium triumphorum victoriam vocant, quâ gentes Francorum penitùs excisæ, quâ maria purgata sunt ad perpetuam quietem, victis Francis securam iactant Hispaniam, securam Italiam, securam Africam, securas omnes nationes quas latè Oceanus aut mediterranei sinus ad Mæotidas vsque paludes alluunt. Adeò insidebat animis recordatio incredibilis audaciæ, quâ Franci sub Probo Augusto à Ponto vsque in Batauiam maritimas orbis Romani prouincias perterruerant.

---

301. *& seqq.*

ANNI CHRISTI 301. 302. 303. 304. 305.

I. CONFECTO bello Britannico Constantius Cæsar *intimas Franciæ nationes non iam ab his locis quæ olim Romanis eripuerant, sed à propriis & origine suis sedibus auulsit* vt refert Eumenius [a]. Apud ceteros nullum vestigium illius belli, quod anno Christi trecentesimo primo absolutum fuit, quandoquidem eodem Eumenio teste præcessit pugnam Lingonicam, quam Eusebius [b] commissam aduersus Alemanos refert Titiano secundùm & Nepotiano Consulibus, siue anno Christi trecentesimo secundo.

[a] In panegyr. ad Constantin. Aug.
[b] In Græcan.

II. Prælium Lingonicum Constantio Cæsari bellicorum operum non vltimum fuit, nam ex diuersis Germanorum populis ingens posteà multitudo, quam duratus gelu Rhenus illexerat, insulam, quam diuortio sui idem amnis amplectebatur, pedestri agmine ingressa est, & laxato flumine repentè clausa, nullumque fugiendi modum nacta integris adhuc copiis captiuitati se tradidit. Hæc descripsimus ex Eumenio [c], quia non alienum videtur à vero, quòd eius belli participes fuerint Franci, & aliis permixti Germanorum populis insulam, ex quâ pulsi non ita pridem recesserant, egregio conatu studuerint recuperare.

[c] In panegyr. ad Constantin. Aug.

---

306. *& seqq.*

ANNI CHRISTI 306. 307. 308.

I. CONSTANTINO MAGNO. CONSTANTINO, qui Constantio patri successit octauo Kalendas Augustas anno Christi trecentesimo sexto, primum bellum fuisse circa Rhenum & vltimas oras occidentalis Oceani scribit Eusebius [d]. Res bellicas auspicatum tradunt [e] Nazarius & Eumenius haud ignobili victoriâ, quam sibi comparauit captis Ascarico & Radagiso Francorum Regibus, *quos etiam bestiis, cùm magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit* teste Eutropio [f]. Adblandiuntur panegyristæ [g], incredibilem laudem tribuunt, quòd Francicæ gentis odia perpetua & inexpiabiles iras non veritus fuerit, Reges Franciæ non dubitarit vltimis punire cruciatibus, in ipsis Imperij sui incunabulis ludens per famosa sæuissimorum Regum supplicia, quasi geminos dracones enecarit instar Herculis, quem ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu elisisse, vt in infantulo indoles futuri roboris iam emicaret. Constantinus Francicos ludos instituit, & quot annis, vt Hadrianus Valesius [h] obseruat, per septem dies mense Iulio cum aliis ludicris certaminibus tum maximè Circensibus supradictam victoriam celebrauit. Hæc autem pa-

[d] In vit. Constantin. lib. 1. cap. 19.
[e] In panegyr. ad Constantin. Aug.
[f] Lib. 10.
[g] Nazar. Eumen.
[h] Lib. 1.

ANNI Christi.

lam prædicant quanta in existimatione nomen erat Francorum, quorum exercitus vicisse vel debilitasse tanti faciebant Romani.

306. & seqq.

Constantinus Augustus celebratis cum Fausta nuptiis ad bellum illicò properauit; ne Franci sola Regum suorum supplicia mœrerent, immensam Bructeris eorumdem Francorum[a] populis vastationem immisit anno Christi trecentesimo octauo. *Cæsi sunt*, inquit Eumenius, *innumerabiles, capti plurimi; quicquid fuit pecoris, captum aut trucidatum est. Vici omnes igne consumpti. Puberes qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia seruituti, ad pœnas spectaculo dati, sæuientes bestias multitudine suâ superarunt.*

II.

[a] Io. Luineius in not. ad Eumen.

ANNVS CHRISTI 309.

309.

MAXIMIANVS Herculius à filia Fausta detectus quòd Constantino dolum pararet, Massiliam * profugit, ibique periit anno, vt Eusebius[b] refert, Constantini tertio, seu Christi trecentesimo nono. Eumenius paucis pòst diebus Constantino panegyricum dixit, in quo Maximiani purpuram tertiò resumentis nefarias molitiones & Constantini ab Agrippinensi ciuitate in agrum Massilienscm aduolantis incredibilem celeritatem copiosiùs descripsit. Quod è re nostra videatur, hoc vnum est, nempe Constantinum Agrippinensi ponti faciendo intentum fuisse, quando illum Maximiani noui motus in alias Galliarum partes procul auocarunt. Cetera vanæ nec ferendæ iactationis fumo deformata sordescunt. Quis enim Constantinum apud Coloniam Agrippinam pontem construxisse credat ad gloriam Imperij & ornatum limitis, vt Rhenus non solùm superioribus locis vbi aut latitudine vadosus aut vicinià fontis exiguus, sed etiam ibi nouo ponte calcaretur, vbi totus est, vbi iam plurimos hausit amnes, quos Nicer *, Mœnus * & Mosella * inuexerunt, vbi iam immani meatu ferox, & aluei vnius impatiens in sua cornua gestit excedere? nùm potiùs opus illud suscepit, vt quoties vellet, faciliùs in Francos irrumperet? Fuit hoc sanè Constantini consilium, fuit ea causa præcipitis reditus ad Rhenum, postquàm Maximianus Herculius iustissimo exitu suæ perfidiæ pœnas luit.

* *Marseille.*
[b] In Chron.

* *Le Necar.*
* *Le Mein.*
* *La Moselle.*

ANNVS CHRISTI 310.

310.

ANNO Christi trecentesimo decimo Constantinus Maxentij tyranni perniciem animo meditatus, ne Franci quid à tergo molirentur, Rhenum & vniuersum Imperij limitem classibus ac militibus communiit[c], palámque docuit se non in ornatum Galliarum (quod non ita pridem Eumenius adulatorio sermone prædicarat) sed in præsidium prouincialium castella construxisse.

[c] Incert. Paneg. ad Constantin. Aug.

ANNVS CHRISTI 311.

311.

CONSTANTINVS anno Imperij sui quinto, vt Eutropius[d] obseruat, id est, anno Christi trecentesimo vndecimo, bellum aduersus Maxentium suscepit. Blando sermone conqueritur Panegyristes[e], quòd Rhenum

[d] Lib. 10.
[e] Incert. Paneg. ad Constantin. Aug.

ANNI Christi.

toto limite dispositis exercitibus tutum reliquerit, & Treuirensibus potiùs quàm sibi consuluerit, pacem Galliarum magis quàm bellum Italiæ quod aggrediebatur firmauerit, vix quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hostium Alpes transgressus fuerit. At vnde metus potissimùm oriebatur, inde plurimùm sibi diffidebat Constantinus: neque enim Francos timore vinxerat, aut iis terrore sui nominis Rhenum occluserat, quem vel arescentem æstu vel residentem gelu, neutro vado traiicere auderent, vt Eumenius [a] & alij falsò iactabant encomiastæ [b].

[a] Ad Constantin. Aug.
[b] Paneg. ad Maximian. & Constantin. paneg. ad Constantin. Aug.

312.

ANNVS CHRISTI 312.

ANno Christi trecentesimo duodecimo Constantinus bellum in Italia prosecutus est absoluitque contra Maxentium, Francis interim ad Rhenum nonnihil tumultuantibus, vt docet antiquus Panegyristes [c], qui bellum illud Italicum fusiori stylo descripsit.

[c] Ad Constantin. Aug.

313.

ANNVS CHRISTI 313.

I.

ANno Christi trecentesimo decimo tertio, Constantinus & Licinius Augusti tertiò Consules Mediolani * mensem Martium exegerunt, siquidem rescriptum inde sexto Idus Martias Constantino & Licinio tertiùm Consulibus datum reperitur in Codice Theodosiano. Mediolano [d] Licinius abiit in Orientem ductâ Constantiâ Constantini sorore. Constantinus verò citissimè remeauit in Gallias, quia Franci metuebantur, auditóque quòd ij fidem rupissent, & lectis eruptionis auctoribus instarent Rheno, confestim ad inferiorem Germaniæ limitem properauit, & præsentiâ suâ ne transitum auderent terruit: deinde quòd inhibitâ eruptione non foret materia victoriæ, ex iis locis cum exercitu abiit nuncio maioris in superiore limite tumultus simulato, atque eis potestatem traiiciendi fecit, relictis in occulto Ducibus qui securos adorirentur. Neque à consilio abhorruit euentus. Franci Constantinum verè cessisse rati ad ripas irrumpendi gratiâ conuolarunt. Quâ re compertâ Constantinus Rheno nauibus oppleto deuectus in fines eorum inuasit, atque agros domósque depopulatus est, & tantam cladem vastitatémque profligatæ genti intulit, vt si Panegyristæ [e] fides sit, posteà vix vllum nomen habitura crederetur.

* *Milan.*
[d] Zosim. lib. 2.
[e] Ad Constantin. Aug.

II.

Treuiros in hyberna recessit Constantinus. Extant in codice Theodosiano duo rescripta Treuiris * hoc anno data Decembri exeunte, alterum [f] sexto, alterum tertio 8 Kalendas Ianuarias. Extat etiam in eodem codice lex [h] hoc anno data pridie Kalendas Nouembres, sed quòd ait eam latam Treuiris, loci nomen addit de suo temerè Sigonius [i]. Agentem autem in hybernis Imperatorem par est credere victoriæ Francicæ ludos edidisse munificentissimos, & Francorum, quos in vinculis detinebat, ingentem multitudinem bestiis ad pompam obiecisse. Consulendus eâ de re panegyricus, quem Treuirensis Orator, si Sigonio & coniecturæ locus est, in ipsâ celebritate muneris Constantiniani præsente Constantino pronuntiauit. *Quid*, inquit, *hoc triumpho pulchrius, quo cædibus hostium vtitur etiam ad nostrum omnium voluptatem, & pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat, ac tantam captiuorum multitudinem*

* *Treues.*
[f] Lib. 10. tit. 20. de relat.
8 Lib. 10. tit. 10. de appell.
[h] Lib. 16. tit. 2. de Episc.
[i] L. 1. de Imp. occid. ad an. 313.

dinem beſtiis obiicit, vt ingrati & perfidi non minùs doloris ex ludibrio ſui quàm ex ipsâ morte patiantur? Reputabat animo Conſtantinus, hoſtes *ſemel acie vinci, ſine fine documento.* Id proſperè ceſſiſſet admodum, ſi bellum geſſiſſet cum gente ignauâ, vel Francos timori obnoxios deprehendiſſet. At eorum virtus mortem aſpernata, Romanos ipſos in theatro ſedentes exterrebat. Audiendus iterum, qui ſupra productus fuit in teſtem panegyriſtes. *Cùm exitum differre liceat, pertre feſtinant, ſeſeque letalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo ipſo apparet quàm magnum ſit viciſſe tam prodigos ſui. facile eſt vincere timidos & imbelles, quales amæna Gracia & delitiæ Orientis educant, vix leue pallium & ſericos ſinus vitando ſole tolerantes, & ſi quando in periculum venerint, libertatis immemores, vt ſeruire liceat, orantes. Trucem verò Francum ferinâ ſolâ carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui vilitate contemnat, quanta molis ſuperare vel capere?*

ANNI Christi. 313.

ANNI CHRISTI 314. *& ſeqq. ad annum vſque* 337.

314. *& ſeqq.*

CRISPVS Conſtantini Auguſti filius, anno ipſius Conſtantini vndecimo, vt habet Euſebius [a], hinc Erâ trecenteſimâ quinquageſimâ quintâ vt habet Idatius, Gallicano & Baſſo Conſulibus, leuatus eſt Cæſar Kalendis Martiis, anno Chriſti trecenteſimo decimo ſeptimo, mox in Galliam ad limitem Rheni tutandum miſſus eſt teſte Sigonio [b], Francorum enim arma toties audita ſollicitum tenebant Conſtantinum Imperatorem, quem propter ſuſpectam Licinij fidem & imminentes Sarmatarum copias rebus Illyricianis intentum eſſe oportebat. Extat Nazarij panegyricus Conſtantino Romæ dictus. In eo plurimùm laudatur velox Criſpi Cæſaris virtus, quæ nullâ ætatis morâ retardata pueriles annos gloriis triumphalibus occupabat, & primitias ingentis victoriæ iam retulerat profligatâ gente Francorum, qui memoriâ cladis toties acceptæ non fracti ſed aſperati pugnauerant. Præter nonnullos nummos, in quibus ex alterâ parte Criſpus, ex altera Alemannia deuicta vel Alemania capta legitur, nihil in antiquis monumentis reperire eſt, quod illam Francorum cladem confirmet. Ioannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter, ex verbis panegyriſtæ ſubodoratur [c] rem geſtam anno Criſpi Cæſaris quarto, Conſtantini Auguſti decimoquinto incunte, hoc eſt ex ratione noſtræ computationis anno Chriſti trecenteſimo viceſimo. Pax ſecuta per plures annos vſque ad tempora Conſtantis Auguſti. Interim Conſtantinus Magnus quoties à Galliis abfuit, vnum è ſuis filiis limiti Rheni præfecit, anno trecenteſimo viceſimo tertio in procinctu ſecundi belli Liciniani Criſpum Cæſarem, cuius operâ in Oriente vteretur, ex Galliis euocauit teſte Euſebio [d], in eius locum ſubrogauit Conſtantinum [e] Cæſarem, ſed & Iulianus [f] Imperator aſſerit Conſtantium Conſtantini Auguſti æquè filium, cùm ætate puer admodum eſſet, & barbari inter ſe diſcordes pacem cum Romanis obſeruarent, cuſtodem Gallorum gentibus præpoſitum fuiſſe, & corpore migrationibus ferendis per laborem aſſuefacto faciliùs à Gallis ad Parthos profectionem poſteà ſuſtinuiſſe.

[a] In chron.

[b] De Imp. occid. lib. 3.

[c] In Conſtantin. p. 2. c. 23. n. 1.

[d] Lib. 10. c 9.
[e] Sigon. de Imp. occid. lib. 1.
[f] Orat. 2.

ANNI CHRISTI 337. *& ſeqq. ad annum vſque* 350.

337. *& ſeqq.*

CONSTANTINVS Conſtantini Magni filius natu maximus poſt patrem cis Alpes imperare cœpit anno Chriſti trecenteſimo tricesimo ſeptimo. Franci, ſi Pontano [g] fides eſt, Conſtantino præter alios populos auxilio fue-

CONSTANTINO IVNIORE.

[g] Orig. Franc. lib. 4. c. 5.

ANNI Christi. 340. CONSTANTE.

runt aduersus Constantem fratrem. Eâ de causâ, cùm post mortem eiusdem Constantini, quem anno Christi trecentesimo quadragesimo cæsum fuisse constat, sibi timerent à Constante vniuersum occidentale Imperium tunc adepto, Rhenum traiecerunt anno Christi trecentesimo quadragesimo primo, & Gallias ingressi metum latè circumtulerunt biennali bello. Idatius ait *pugnam factam cum gente Francorum à Constante Augusto in Gallis Marcellino & Probino Consulibus, Erâ trecentesimâ septuagesimâ nonâ*, & Hieronymus anno Constantis quarto *vario euentu aduersum Francos à Constante pugnatum* tradit. Anno verò sequenti, quo ambo Augusti Constantius tertium & Constans iterum Consules ponuntur, vltra Rhenum repulsi sunt Franci, *Constans* enim teste Socrate [a] *gentem deuicit Francorum, eosque fœderatos ac socios Romanis fecit.* Eadem quoque habent Idatius sub iisdem Consulibus, Erâ trecentesimâ octogesimâ, Hieronymus quinto Constantis anno, necnon Cassiodorus anno pariter Constantis quinto, perperam tamen Leontio & Salustio Consulibus, qui Consulatum post biennium gessere. Quòd autem Constans ad bellum contra Francos in Gallias confestim aduolarit, & in iisdem Galliis diu posteà moratus ex rescriptis [b] audiatur, hinc collige tumultuantibus Francis quanta trepidatio Galliarum & ipsius Imperatoris fuerit.

[a] Lib. 2. c. 10.

[b] Cod. Theodos.

350. & seqq.

ANNI CHRISTI 350. 351. 352. 353. 354. 355.

1. MAGNENTIO. [c] Lib. 2.

MAGNENTIVS purpuram in Galliis sumpsit decimoquinto Kalendas Februarias, anno Christi trecentesimo quinquagesimo, cæsoque Constante præter Gallias maximam Occidentalis Imperij partem obtinuit integro triennio. *Originem generis*, vt Zosimus [c] scribit, *à barbaris habebat, & vixerat apud Letos quæ Gallica natio est.* Ex illis videlicet Francis erat oriundus, qui permittente Maximiano Augusto arua Neruiorum incoluerunt. Leti enim Neruiorum populi sunt in notitiâ Imperij Romani, & pagi Letici, qui Weppesium * & Carembaltium * eisque vicinos ad Lætiam seu Legiam * aut Lisam fluuium agros in Gallo-Flandriâ * hodie complectitur, mentionem sæpè faciemus. Iulianus & vterque Victor à Zosimo non dissentiunt, neque enim Magnentius à Victore tantùm in libro de Cæsaribus *gens barbara* vocatur, aut à Iuliano in primâ oratione de laudibus Constantij, *maiorum Constantis, quem interemit. vile mancipium* appellatur, *& de Germanorum prædâ seruata infelices reliquiæ*, sed etiam ab altero Victore distinctiùs in epitome scribitur *ortus parentibus barbaris qui Galliam inhabitant*, & in oratione Iuliani iam laudatâ dicitur Francos vltra Rhenum remotos *affinitatis nomine* promptissimos sociorum habuisse. Sublatus est Magnentius decimo octauo Kalend. Septembres anno Christi trecentesimo quinquagesimo tertio. Siluanus Francus Imperium quoque arripuit Coloniæ, & vicesimo octauo pòst die extinctus est, vt Ammianus [d], Hieronymus [e] & Victor [f] testantur, Arbetione & Lolliano Consulibus, anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto. Per illa tempora Germani, cùm Romanum Imperium bello ciuili flagraret, in Gallias irruperunt. Constantius Augustus Iulianum Cæsarem dixit anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, mense Nouembri, testibus Socrate [g], Ammiano [h] & Idatio [i]. Sinceram rationem reddit Victor in libro de Cæsaribus, ne quid apud Gallos naturæ præcipites nouaretur, cùm præsertim multa oppida, vt Eutropius [k] affirmat, barbari iam expugnassent, alia obsiderent, vbique fœda vastitas esset, Romanumque Imperium non dubiâ iam calamitate nutaret. In sermone, quem apud Ammianum [l] Constantius ipse militibus facit de Iuliano in Cæsarem assumendo, non aliam causam exponit, quàm quòd

** *Les territoires de Weppes & de Carembault.*
* *Le Lys.*
* *La Flandre Gallicane.*

[d] Lib. 15.
[e] In Chron.
[f] In epitom.

CONSTANTIO.

[g] Lib. 2. c. 27.
[h] Lib. 16.
[i] In fast.
[k] Lib. 10.
[l] Lib. 15.

barbari ruptâ limitum pace Gallias populentur hac impulsi fiduciâ, quoniam Imperatorem in disiunctissimas terras ardua negotia distrahunt. Quis esset eâ tempestate status Imperij, quà vel in Orientem vel in Occidentem patebat, Zosimus [a] omnium accuratissimè describit, & vt prætermittamus ea quæ de Quadis ac Sarmatis per Pannoniam Mysiámque superiorem magnâ licentiâ & securitate grassantibus, aut de Persis, qui Gallum Cæsarem veriti priùs quieuerant, Orienti tunc molestis refert, ait *Francos & Alamanos & Saxones iam quadraginta fitas ad Rhenum vrbes cepisse, prorsus eásdem deuastasse, ciues & incolas infinito numero cum innumerabili spoliorum copia secum abduxisse.*

ANNI Christi. 350. & seqq.

[a] Lib. 3.

Iulianus Cæsar, *paratis vniuersis quæ maturitas proficiscendi poscebat, comitatu parvo susceptо Kalendis Decembribus egressus est, deductúsque ab Augusto ad vsque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum * interiacet & Ticinum *, itineribus rectis Taurinos * peruenit, vbi nuncio percussus graui, qui nuper in comitatum Augusti perlatus de industria silebatur, ne parata diffluerent. Indicabat autem Coloniam Agrippinam ampli nominis vrbem in secunda Germania pertinaci barbarorum obsidione reseratam & magnis viribus deletam. Quo mœrore perculsus velut primo aduentantium malorum auspicio murmurans querulis vocibus sæpè audiebatur, nihil se plùs affectum quàm vt occupatior interiret. Cúmque Viennam * venisset, ingredientem optatum quidem & impetrabilem honorificè susceptura omnis ætas concurrebat & dignitas.* Huc vsque Ammianus libro 15. quem claudit prolixâ Galliarum descriptione, in qua meminit Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ. *Secunda*, vt eius verbis vtar, *Agrippinâ * & Tungris * munita ciuitatibus amplis & copiosis: prima præter alia municipia Magontiacos * & Vangiones * & Nemetes * & Argentoracos * barbaricis cladibus nota præstendit.* Coloniam non ab aliis quàm à Francis occupatam satis colligere est ex ipso loci situ, Alemannorum autem incursibus magis patebat prima Germania.

II.

* Lumello.
* Pauie.
* Thurin.
* Vienne.
* Cologne.
* Tongres.
* Mayence.
* Worms.
* Spire.
* Strasbourg.

ANNVS CHRISTI 356.

ANNO Christi trecentesimo quinquagesimo sexto, Constantio Augusto octauùm & Iuliano Cæsare Consulibus, Ammianus [b] narrat bellum à Iuliano feliciter aduersus Alemanos gestum, re verò cum Alemanis compositâ, *nullo posthac repugnante*, vt idem Author prosequitur, *ad recuperandam ære placuit Agrippinam ante Cæsaris in Gallias aduentum excisam, per quos tractus nec ciuitas vlla visitur nec castellum, nisi quod apud Confluentes locum ita cognominatum, vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum est, & vna prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus, non antè motus est exinde quàm Francorum Regibus furore miteſcente perterritis, pacem Reipublicæ firmaret interim profuturam, & vrbem reciperet munitissimam, quibus vincendi primitiis Latus per Treueros hyematurus, apud Senonas * oppidum tunc opportunum abscessit.*

I.

[b] Lib. 16.

* Sens.

Colonia decem circiter mensibus in potestate Francorum fuit. De recuperatione illius ciuitatis déque statu Galliarum ita disserit Iulianus in Oratione ad Senatum Populúmque Athenienſem. *Adultis iam frugibus castra moui, innumerâ Germanorum multitudine circum euersa per Gallias oppida commorante. Quorum numerus oppidorum ad quinque & quadraginta peruenerat, burgis & castellis minoribus omissis; agri verò, quem cis Rhenum obtinebant barbari, tantum erat spatium, quantum à frontibus illius ad Oceanum vsque porrigitur. Postremi autem illorum ac finibus nostris citimi trecentis à Rheni ripa stadiis distabant, sed triplo adhuc amplior regio populationibus illorum & excursionibus vasta erat & inculta, vbi ne pascendi quidem potestas Gallis fieret. Erant & vrbes aliquot oppidanis vacuæ, etsi nondum vicinos haberent barbaros. His ergo calamitatibus vexatam &*

II.

ANNI Christi. *afflictam nactus Galliam, primùm Agrippinam recuperauit, vrbem ad Rhenum sitam, quæ ante menses circiter decem in potestatem hostium venerat.*

356. Cùm Iulianus Senonibus esset, *bellorum inundantium molem humeris suis, quod dicitur, vehens, scindebatur in multiplices curas, vt milites qui à solitis desciuere præsidiis, reducerentur ad loca suspecta, & conspiratas gentes in noxam Romani nominis disiectaret, ac præiideret ne alimenta deessent exercitui per varia discursuro. Hæc sollicitè perpensantem hostilis aggreditur multitudo oppidi capiundi spe in maius accensâ, ideò confidentes quòd & nec scutarios adesse prodentibus perfugis didicerant, nec gentiles, per municipia distributos, vt commodiùs vescerentur. Clausâ ergo vrbe, murorúmque intutâ parte firmatâ ipse cum armatis diu noctúque inter propugnacula visebatur & pinnas, irâ exundante substridens, cùm erumpere sæpè conatus paucitate præsentis manus impediretur. Post tricesimum denique diem abiere barbari tristes, inaniter stultéque cogitasse ciuitatis obsidium mussitantes, & quod indignitati rerum est assignandum, periclitanti Cæsari distulit suppetias ferre Marcellus Magister equitum agens in stationibus proximis, cùm etiamsi ciuitas absque Principe vexaretur, oppositâ multitudine malis obsidionalibus expediri deberet.* Hæc Ammianus [a]. An Franci vel Alemanni, an vtrique populi iunctis copiis Senonas oppugnarent, non facile est iudicare. Re cognitâ Constantius, cùm in Illyrico versaretur, in locum Marcelli Seuerum bellorum vsu & maturitate firmatum misit, & Vrsicinum ad se venire præcepit, teste eodem Ammiano [b].

[a] Lib. 16.

[b] Lib. 16.

357.

ANNVS CHRISTI 357.

ANno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo, Constantio Augusto nonùm & Iulio Cæsare iterum Consulibus, *Remos* *, vt Ammianus [c] docet, *Seuerus Magister equitum per Agrippinam petens & Iuliacum* *, *Francorum validissimos cuneos in sexcentis velitibus, vt postea claruit, vacua præsidiis loca vastantes offendit. Hac opportunitate in scelus audaciam erigente, quòd Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, nullóque vetante expleri se posse prædarum opimitate sunt arbitrati, sed metu iam reuerso exercitus, munimentis duobus, quæ olim exinanita sunt, occupatis, se quoad fieri poterat tuebantur. Hac Iulianus rei nouitate perculsus, & conticiens quorsum erumperet, si isdem transissent intactis, retento milite circumuallare disposuit Castellum oppidum quod Mosa fluuius prælambit, & ad vsque quartum & quinquagesimum diem, Decembri scilicet & Ianuario mense, obsidionales tractæ sunt moræ, destinatis barbarorum animis incredibili pertinaciâ reluctantibus. Tunc pertimescens solertissimus Cæsar, ne obseruatâ nocte illuni, barbari gelu vinctum amnem peruaderent, quotidie à Sole in vesperam flexo ad vsque lucis principium lusoriis nauibus discurrentes flumen vltrò citroque milites ordinauit, vt crustis pruinarum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facilè perueniret.*

[c] Lib. 17.

* *Reims.*

* *Iuliers.*

358.

ANNVS CHRISTI 358.

1. ANno Christi trecentesimo quinquagesimo octauo, mense Ianuario, Franci, qui Castellum ad Mosam propugnabant, post dies obsidionis quinquaginta quatuor, *inediâ, & vigiliis, & desperatione postremâ lassati sponte*

se propriâ dederunt, statimque ad comitatum Augusti sunt missi. Ad quos eximendos periculo multitudo Francorum egressa, cùm captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa repedauit ad sua castra, hisque perfectis acturus hyemem reuertit Parisios Cæsar. Hæc Ammianus [a]. Habet conformia Libanius [b]. *In media*, inquit, *bruma Francos mille, quibus aquè amœna sunt nix & flores, viculos aliquot depopulantes, vbi castellum in medio desertum, cùm circumsepsissent & claussissent, indidem fame vexatos misit constrictos matori. Res dictu maximè noua. Atenim illis lex fuit aut vincendi aut cadendi, verumtamen vincti sunt.*

ANNI Christi. 358.

[a] Lib. 17.
[b] Orat. 10.

Eodem anno Iulianus Francos vicit cùm Salios tum Chamauos. *Saliorum*, inquit [c], *partem excepi, Chamauos expuli, infinita boum armenta cum mulieribus ac paruulis in potestatem redegi, ita verò omnes exercui, ac tantus illis excursionis meæ iniectus est metus, vt statim obsides acceperim, & annona subuectionem tutam reddiderim.* Eo de bello audiendus & Ammianus [d]. *Cæsar hyemem apud Parisios agens opperiensque Iulium mensem vnde sumunt Gallicani procinctus exordia, diutiùs angebatur. Nec enim egredi poterat, antequàm ex Aquitania æstatis remissione solutis frigoribus & pruinis veheretur annona. Sed, vt est difficultatum pene omnium diligens ratio victrix, multa mente versans & varia, id tantùm reperit solum, vt anni maturitate non expectatâ barbaris occurreret insperatus, firmatoque consilio viginti dierum frumentum ex eo quòd erat in sedibus consumendum, ad vsus diuturnitatem excoctum, buccellatum vt vocant, humeris imposuit libentium militum, hocque subsidio fretus, secundis vt antè auspicijs profectus est, intra mensem quintum vel sextum duas expeditiones consummari posse vrgentes & necessarias arbitratus. Quibus paratis petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellauit, ausos olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi præfigere licenter. Cui cùm Tungros venisset, occurrit legatio prædictorum opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hybernis, pacem sub hac lege prætendens, vt quiescentes eos tanquam in suis nec lacesseret quisquam nec vexaret. Hos legatos negotio plenè digesto oppositâque conditionum perplexitate, vt in iisdem tractibus moraturus, dum redeunt, muneratos absoluit, dictoque citiùs secutus profectos Seuero Duce misso per ripam subitò cunctos aggressus tanquam fulminis turbo perculsit, iamque precantes potiùs quàm resistentes in opportunam clementiæ partem efficto victoriæ flexo dedentes se cum opibus liberisque suscepit. Chamauos itidem ausos similia, adortus eâdem celeritate partim cecidit, partim acriter repugnantes vinosque captos compegit in vincula, alios præcipiti fuga trepidantes ad sua, ne militem spatio longo defatigaret, abire interim permisit innocuos, quorum legatis paulo posteà missis precatum consultumque rebus suis, humi prostratis, sub obtutibus pacem hoc tribuit pacto, vt ad sua redirent incolumes.*

II.

[c] Orat. ad S. P. Q. Athen.
[d] Lib. 17.

ANNI CHRISTI 359. & seqq. ad annum vsque 381.

359. & seqq.

IVLIANVS bellum gessit anno Christi trecentesimo vndesexagesimo contra Saxones, qui Francis in gratiam Romanorum receptis molesti admodum erant, vt apud Zosimum [e] legitur, & anno sequenti quo tertium Consulatum gessit, in bello Britannico, cui Lupicinum præfecit, Batauorum seu Francorum Batauiam incolentium auxiliaribus copiis vsus est, tamen eodem anno postquàm Augustus est salutatus, *regionem subitò peruasit Francorum, quos Athuarios vocant, inquieterum hominum, licentiùs etiam tum percursantium extima Galliarum, quos adortus subitò nihil metuentes hostile, nimiúmque securos, quòd scruposâ viarum difficultate arcente nullum ad suos pagos introisse meminerant Principem, superauit negotio leui, captisque plurimis & occisis, erantibus aliis aut superfuere pacem ex arbitrio dedit, hoc prodesse possessoribus finitimis arbitratus.* Hæc Ammianus [f]. Habent passim multa consentanea Libanius & ipsemet Iulianus, qui quartâ

I.

[e] Lib. 3.
[f] Lib. 20.

ANNI Christi.

hac suâ trans Rhenum expeditione spatium trimestre consumptum testatur in epistolâ ad Maximum Philosophum.

359. II. IVLIANO, IOVIANO, VALENTINIANO, GRATIANO.

Franci deinceps cum Iuliano, Iouiano, Valentiniano & Gratiano Augustis amicitiam coluerunt, neque enim contra Romanos se socios adiunxerunt Saxonibus ac Burgundionibus, de quibus Hieronymus & Cassiodorus in suis chronicis ad annum Christi trecentesimum septuagesimum tertium, siue ad Valentiniani & Valentis Augustorum annum nonum quartumque Consulatum ita loquuntur. *Saxones cæsi Deuſone * in regione Francorum, & Burgundionum octoginta ferè millia, quos numquam antè, ad Rhenum descenderunt.* Et apud Ammianum [a] Mellobaudes, qui Rex erat Francorum, Comes quoque Domesticorum legitur in palatio Gratiani fuisse. Ne quid autem de Comitiuâ seu Præfecturâ Domesticorum minùs magnificè sentias, obserua dignitatem illam inter Palatinas illustrem ac claram censeri, Comites enim seu Rectores Domesticorum auctoritate proximi erant Præfectis ac Magistris militiæ, adeóque eminebant in comitatu Imperatorio, vt Diocletianus ex Comite Domesticorum, Iouianus ex Domesticorum primo, Glycerius etiam ex Domestico, facti fuerint Imperatores. Erant Domestici, alij equites, alij pedites: Domesticis equitibus præerat Mellobaudes, Domesticis verò peditibus Richomeres, quem Ammianus [b] Comitem quoque Domesticorum vocat, multique suspicantur patrem fuisse Theodemeris Regis Francorum, cuius meminit Gregorius Turonensis [c] ex antiquis Consularibus.

* *Tuyts.*

[a] Lib. 31.

[b] Lib. 31.

[c] Lib. 2. c. 9.

---

381. & seqq.

ANNI CHRISTI 381. & seqq. ad annum usque 389.

I. MAXIMO.

MAXIMVS anno Christi trecentesimo octogesimo primo, siue vt Prosper in suo chronico scribit, anno post Valentis necem tertio constitutus est à militibus Imperator in Britannia; traiecit in Gallias cum exercitu; Gratianum è viuis tolli curauit anno Christi trecentesimo octogesimo tertio; fœdus cum Valentiniano Iuniore Augusto iniit anno Christi trecentesimo octogesimo quinto; necatus est tertio lapide ab Aquileia, quinto Kalendas Augustas, anno Christi trecentesimo duodenonagesimo. Vno eodémque penè tempore varias clades expertus est. *Statim*, inquit Ambrosius [d], *à Francis, à Saxonum gente, in Sicilia, Syscia *, Petanione *, vbique denique terrarum victus est.* Stylum nostrum intra cancellos rerum Francicarum coarctabimus. Sulpitius Alexander [e] libro historiæ tertio partam à Francis victoriam, cùm Maximus intra Aquileiam amissâ omni spe Imperij quasi amens resideret, ita describit. *Eo tempore, Genobaldo, Marcomere & Sunnone Ducibus, Franci in Germaniam prorupere, ac pluribus mortalium limite irrupto cæsis, fertiles maximè pagos depopulati, Agrippinensi etiam Coloniæ metum incussere. Quod vbi Treueros perlatum est, Nannius & Quintinus militiæ Magistri, quibus infantiam filij & defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam conuenere. Sed onusti prædâ hostes, prouinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in Romano relictis solo, ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis. Cúmque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent, Nannius abnuit, quia non imparatos & in locis suis indubiè fortiores futuros sciebat. Quod cùm Quintino & reliquis viris militaribus displicuisset, Nannio Mogunciacum reuerso, Quintinus cum exercitu circa Neuisium * castellum Rhenum transgressus, secundis à fluuio castris, casas habitatoribus vacuas atque ingentes vicos destitutos offendit. Franci enim simulato metu se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema syluarum procuratis. Itaque vniuersis domibus exustis, in quas sæuire stolidas ignaua*

[d] Lib. 2. c. 17.

* *Sisseg sur le Saue.*

* *Petan sur le Drane.*

[e] Ap. Greg. Tur. lib. 2. c. 9.

* *Nuys.*

ANNI Christi. 388.

victoriæ consummationem reponebat, noctem sollicitam milites sub armorum onere duxerant. Ac primo diluculo Quintino prælij Duce ingressi saltus, in medium fere diem implicantes se erroribus viarum, toto peruagati sunt. Tandem cùm ingentibus sepibus omnia à solido clausa offendissent, in palustres campos, qui syluis inngebantur, prorumpere molientibus hostium vari apparuere. Qui coniunctis arborum truncis vel concidibus superstantes, velut è fastigijs turrium, sagittas tormentorum vitu effudere inlitas herbarum venenis, vt summa neque cuti, neque lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc maiori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, auidè effusus est. Ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum iumentorúmque corporibus, ruinâ inuicem suorum oppressi sunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcauerant, implicati limo, agrè explicantes gressum, rursus se, qui paulò antè vix emersérant, syluis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus cæsa legiones, Heraclio Iouinianorum Tribuno, ac penè omnibus, qui militibus præerant, extinctis; paucis effugium tutum nox & latibula syluarum præstitere. Interfecto Maximo, *filius eius Victor occiditur post paucos dies in Gallijs à Comite Theodosij*, vt scribit Idatius in Fastis. Comes ille Theodosij Francus fuit, & Arbogastes vocatur à Zosimo [a]. Sulpitius Alexander [b] libro 4. suæ historiæ post enarratam Victoris necem, *Eo*, inquit, *tempore, Carietto & Syrus in locum Nannij subrogati in Germania cum exercitu opposito Francis diuersabantur*, quo in loco Germaniam interpretare cisrhenanam. Probabile admodum videtur Francos ea omnia molitos ex consensu Theodosij, quocum fœdus anteà pepigerant, cùm Maximum velut authorem necis Gratiano illatæ tyranni loco haberent. Nullius igitur perfidiæ rei fuerunt apud Valentinianum, qui sublato Maximo solus imperare cœpit in Occidente.

[a] Lib. 4.

[b] Ap Greg. Tur. lib. 2. c. 9.

ANNI 389. & seqq.

CHRISTI 389. 390. 391.

VALENTINIANO IVNIORE.

ANno Christi trecentesimo vndenonagesimo, cùm Valentinianus Aug. Româ Treuiros venisset, Arbogastes in animum illius induxit pœnas à Francis exigendas, nisi prædam, quam de Germania cisrhenana tulerant, confestim restituerent, haud tamen ventum est ad arma, nam post pauculos dies habito colloquio cum Marcomere & Sunnone Francorum Regibus, impetratisque ex more obsidibus ad hyemandum Treuiros Valentinianus concessit. Post biennium idem Arbogastes gentis suæ Reges exosus Agrippinam rigente maximè hyeme petiit ratus tutò omnes Franciæ recessus penetrandos vrendósque, cùm decussis foliis nudæ atque arentes syluæ insidiantes occulere non possent, collecto exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est, nullo vnquam occurrante, nisi quòd pauci ex Ampsiuariis & Cattis Macomere duce in vlterioribus collium iugis apparuerunt, vt ex Sulpitio Alexandro refert Gregorius [c] Turonensis. Posterioris belli contra Francos ab Arbogaste suscepti meminit quoque Paulinus Presbyter in vita [d] sancti Ambrosij. *Per idem*, inquit, *tempus Arbogastes Comes contra gentem suam, hoc est Francorum, bellum parauit, atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit, cum reliquis verò pacem firmauit, sed cùm in conuiuio à Regibus gentis suæ interrogaretur vtrùm sciret Ambrosium, & respondisset nosse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum, audiuit. Ideò vincis, quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli, Sta, & stat.*

[c] Lib. 2. c. 9.

[d] Cap. 15.

ANNI Christi 392. & seqq.

ANNI CHRISTI 392. 393. 394.

EVGENIO.

MORTVO Valentiniano Eugenius fauente Arbogaste Imperatorem se dixit anno Christi trecentesimo nonagesimo secundo, & *suscepto expeditionalis procinctu*, vt Sulpitius Alexander [a] refert, *Rheni limitem petit, vt cum Alamannorum & Francorum Regibus veteribus fœderibus ex more initis immensum eâ tempestate exercitum gentibus feris ostentaret.* In eius castris fuerunt Franci, cùm dimicauit aduersus Theodosium, nam apud Orosium [b] Arbogastes Gallorum Francorúmque viribus nixus decem millia Gothorum fertur funditus deleuisse, redintegrato tamen prælio Theodosius victoriam obtinuit octauo Idus Septembres anno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, atque abhinc solus Imperio Romano ad obitum vsque potitus est.

[a] Ap. Gregor. Tur. lib. 1. c. 9

[b] Lib. 7. c. 35.

THEODOSIO.

395.

ANNVS CHRISTI 395.

HONORIO.

THEODOSIVS Imperator obiit decimo sexto Kalendas Februarias, anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto. Honorius eius filius in Occidentale Imperium successit. Stilico confestim ad Rheni ripas aduolauit, profectionem in Græciam, ac bellum aduersus Alaricum Wisigothorum Regem & Rufinum tyrannum meditabatur, quóque tutiùs se illi expeditioni accingeret, in animo tantùm habebat vetera Imperatorum fœdera confirmare ac renouare, quod præstitit breuissimo temporis interuallo, profectus est enim Lunâ nascente, reuersúsque est priusquàm plena esset, vt canit Claudianus libro primo de laudibus Stiliconis, & in panegyrico de quarto Consulatu Honorij.

396. & seqq.

ANNI CHRISTI 396. 397. 398.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo sexto, qui medius inter exitum Rufini & Gildonis fluxit, adscribenda est altera Stiliconis ad Rhenum profectio, quæ Regibus Francorum luctuosissima fuit, nam Marcomeres à Stilicone captus est missúsque in Hetruriam, & Sunno eius frater, cùm talem iniuriam vlcisci conaretur, à suis interemptus est, vt habet Claudianus his versibus [c].

[c] Lib. 1. de laudib. Stilic.

——— Acie non iam pulsare rebelles
Sed vinclis punire licet. Sub iudice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomeres Sunnóque docent, quorum alter Etruscum
Pertulit exilium, cùm se promitteret alter
Exulis vltorem, iacuit mucrone suorum,
Res auidi conscire nouas, odióque furentes
Pacis, & ingenio scelerumque cupidine fratres.

ANNI Christi. 399. &seqq.

ANNI CHRISTI 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo nono, Theodoro & Eutropio Consulibus, Franci teste Claudiano [a] fœdus cum Honorio renouarunt. In eius amicitiâ constantissimi fuerunt anno Christi quadringentesimo, quo Wisigothos in Italiam penetrasse testatur Prosper in suis fastis, neque enim in Gallias eruperunt, licet Stilico legiones præsidio Rheni destinatas euocasset, vt canit Claudianus libro secundo de laudibus eiusdem Stiliconis & libro primo de bello Getico. Anno Christi quadringentesimo sexto, Arcadio Augusto sextùm & Probo Consulibus, vt habet Prosper, Vandali & Alani Gallias traiecto Rheno pridie Kalendas Ianuarias ingressi sunt. Orosius [b] addit Sueuos & Burgundiones, aitque nationes illas detersa semel metu Romani nominis in arma sollicitatas à Stilicone, qui Vandalorum in bellis auaræ perfidæ & dolosæ gentis genere editus, cùm quæ imperabat sub Imperatore paruipenderet, Imperium Honorio genero auferre, filio suo Eucherio conferre satagebat, & transrhenanos populos tam facilè comprimi credebat quàm commoueri. Francos eiusdem factionis haud participes fuisse docent Orosius & Beda [c], qui Francos à Vandalis aliisque populis in Gallias irrumpentibus protritos affirmant. Res ita se habuit. Alani Danubij tunc accolæ Respendiale & Goare ducibus primi arma sumpserunt, peruenerunteque ad Rhenum. Ibi Respendial aduentum Vandalorum expectare statuit, Goar autem Romanis se iunxit. Vandalis ad Rhenum properantibus occurrerunt Franci, commissoque prælio millia hominum vicena occiderunt. Rex ipse, quem alij Godigiselum, alij Gogidiselum, alij Gundigiselum, alij Modigisilum appellant, est interfectus, nec quisquam ex totâ gente cædi superfuisset, nisi Respendial audito Vandalos à Francis itinere prohiberi, confestim copias suas circumegisset, & opportunè aduenies perterritos ac de salute desperantes periculo liberauisset, vt Renatus Profuturus Frigeridus [d] docet his verbis. *Interea Respendial Rex Alanorum, Goare ad Romanos transgresso, de Rheno agmen suum conuertit, Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigiselo Rege absumpto acie, viginti fermè millibus ferro peremptis, cunctis Vandalis ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subuenisset.* Ita Vandali coniuncti cum Alanis iter incœptum perrexerunt Gunderico Rege in locum Godigiscli patris subrogato. Tunc versâ vice protriti sunt Franci. *Excitata*, inquit Orosius [e], *per Stiliconem gentes Alanorum, Suenorum, Vandalorum, ipsoque simul motu impulsorum Burgundionum, multaque cum his alia copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum Hispaniarumque prouincia premuntur, Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias inuadunt, directoque impetu ad Pyrenæum vsque perueniunt, cuius obice ad tempus repulsæ per circumiacentes prouincias refunduntur.* Qualis fuit hisce temporibus Galliarum status, accuratè præ ceteris depinxit Hieronymus [f]. *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni & hostiles Pannonij vastarunt. Mogunciacum nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa millia hominum trucidata; Vangiones longâ obsidione deleti; Rhemorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebata *, extremique hominum Morini *, Tornacus *, Nemete, Argentoratus translata in Germaniam. Aquitaniæ, nouemque populorum, Lugdunensis & Narbonensis prouincia præter paucas vrbes populata sunt cunctis, quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrymis Tolosa * facere mentionem, quæ & hucvsque ne rueret, sanctis Episcopi Exu-*

I.

[a] Lib. 1. contra Eutrop.

[b] Lib 7. c. 38.

[c] Lib. 1 c. 11. hist. Angl.

[d] Ap. Greg. Tur lib. 2. c. 9.

[e] Lib. 7. c. 40.

[f] In ep. ad Ageruchiam.

* Arras.
* Teroüenne.
* Tournay.
* Toulouse.

ANNI Christi. 406. II.

perij merita præstiterunt. Ipsa Hispania iamiamque peritura quotidie intremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ, & quicquid aliȳ semel passi sunt, illa semper timore patiuntur.

Ex Claudiano, Hieronymo, Orosio, Frigeridо, Gregorio & Beda laudatis duo colliguntur. Primum est, Francos, cùm tot transrhenanæ gentes in Gallias diffundebantur, in amicitia & in fœdere quod cum Honorio Imperatore pepigerant, magnâ constantiâ permansisse. Alterum est, Francos illis temporibus adhuc consedisse trans Rhenum, nec vllum in Gallia vicum possedisse, vt confirmari potest ex narratione, quam hactenus ab anno Christi ducentesimo tricesimo quinto texuimus.

407. & seqq.

ANNI CHRISTI 407. 408. 409. 410. 411.

I. ANNO *ab Incarnatione Domini quadringentesimo septimo, cùm gentes Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, protritis Francis, transito Rheno, totas per Gallias sæuirent, apud Britannias Gratianus municeps tyrannus creatur & occiditur. Huius loco Constantinus ex infima militia, propter solam spem nominis sui sine merito virtutis eligitur, qui continuò vt inuasit Imperium, in Gallias transit, vbi sæpè à barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis Reipublicæ fuit. Vnde mox iubente Honorio Constantius Comes in Galliam cum exercitu profectus, Constantinum Imperatorem apud Arelatem* * *ciuitatem clausit, cepit, & occidit, Constantémque filium eius, quem ex Monacho Cæsarem fecerat, Gerontius Comes suus apud Viennam interfecit.* Huc vsque Beda [a]. Prosper in suis Fastis rebellionem Constantini notat ad annum Christi quadringentesimum septimum, Honorio Augusto septimùm & Theodosio Augusto secundùm Consulibus, mortem verò ad annum Christi quadringentesimum vndecimum Theodosio Augusto quartùm Consule. *Constantinus*, inquit, *per Honorij Duces Constantium & Vlphilam apud Arelatense oppidum victus & captus est, cuius filium Constantem Gerontius Comes interemerat.* Orosius Constantem à Gerontio apud Viennam [b] interemptum docet. Quod quidem contigit priusquàm Constãtinus à Constantino & Vlphila Honorij Ducibus apud Arelatem obsideretur. Sozomenus [c] enim obseruat Arelatem obsidione primùm cinctam à Gerontio, deinde à Constantio & Vlphila, postquàm Gerontius ab iis fugatus in Hispaniam se recepisset, vbi cùm apud milites in contemptum venisset, gladiolo sibi ipsi cor transfixit. Ceterùm auditâ Gerontij defectione Edobichus siue Ebodichus aut Edobeccus vel Edobincus, quem fuisse Regem Francorum tradunt [d], in Germaniam ad euocanda Francorum & Alemannorum auxilia missus fuerat. *Constantinus autem*, vt Sozomenus [e] prosequitur, *circumsidente adhuc Honorij exercitu, obsidionem tamen sustinebat, quòd illi nuntiatum esset Ebodichum cum maximis suppetiis aduenturum. Quæ quidem res & Honorij quoque Duces non modicè terrebat, ita vt in Italiam reuerti, & illic bellum experiri vellent. Atque hoc vbi statuissent, quia appropinquare iam nunciabatur Ebodichus, Rhodanum fluuium traiciunt, & Constantius secum pedites retinens aduentantem expectat hostem. Sed Vlphilas Constantij Præfectus haud procul istinc in insidiis cum equitibus latitat. Postquàm igitur hostes cum exercitu Vlphilam prætergressi, pedem iam collaturi essent cum militibus Constantij, dato signo repentè prorumpens Vlphilas hostes à tergo inuadit. Et factâ statim ordinum perturbatione, alij diffugiunt, alij occiduntur, plurimi autem positis armis veniam precantur & misericordiam consequuntur. Ebodichus autem equo conscenso fugit in agrum quendam ad Ecdicium, qui plurimùm fuerat ab ipso consecutus olim, quémque Ebodichus sibi ob accepta beneficia amicum arbitrabatur. Atqui is caput eius amputatum Ducibus Honorij attulit spe magnorum munerum ac dignitatum. Constantius autem caput quidem accipi iussit, & gratias Ecdicio agi*

[a] Hist. Angl. l. 1. c. 11.

[b] Lib. 7. c. 42.

[c] Lib. 9. c. 13.

[d] Baron. tom. 5. ad ann. 411. n. 19.

[e] Lib. 9. capp. 14. 15.

ANNVS Christi. 411.

Reipublicæ nomine, qui Vlphila officio functus esset. Sed cùm in exercitu remanere vellet, eum excedere iussit, nequaquam vel sibi vel exercitui faustam fore ratus hospitis tam ingrati præsentiam. Atque is quidem hominis amici ac hospitis in calamitatem delapsi impiissimam caedem ausus, in vanum, vti dici solet, hians recessit. Post victoriam rursus traiiciente Honorij exercitu ad ciuitatem, certior factus Constantinus Ebodichum esse sublatum, ipse sibi Purpuram & Imperij insignia detrahit, & ad Ecclesiam confugiens ordinatur Presbyter, tum accepto priùs iureiurando, qui intra mœnia erant, portas aperiunt, ac veniam consequuntur omnes. Itaque ex eo tempore prouincia ista rursus ad Honorij Imperium reuersa est, ac Ducibus ab illo constitutis paruit. Constantinus autem vnà cum Iuliano filio in Italiam transmissus, antequam eò perueniret, in itinere occiditur.

II. Obsidionem & mortem Constantini aliaque ad annum Christi quadringentesimum vndecimum pertinentia Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregorium Turonensem [a] ita perstringit. *Vixdum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cùm repente ex vlteriori Galliâ nuncy veniunt Iouinum adsumpsisse ornatus Regios, & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere, obsidentibus, ita acceleratis moris, reseratâ vrbe Constantinus deditur. Confestimque ad Italiam directus, missis à Principe obuiam percussoribus, supra Mincium * flumen capite truncatus est. Isdem diebus Præfectus tyrannorum Decimius Rusticus Agratius ex Primicerio Notariorum Iouini, multique nobiles apud Aruernos capti à Ducibus Honorianis & crudeliter interempti sunt. Treuerorum ciuitas à Francis direpta incensaque est secundâ inruptione.* Olympiodorus Thebanus apud Photium scribit Iouinum Imperij insignia corripuisse adiutoribus Goare Alano, qui abruptus à Respendiale in Galliâ morabatur, & Guntiario (sic vocat Gundicarium) Phylarcho Burgundionum.

[a] Lib. 2. c. 9.

* Le Mencemius Rusticus Agratius ex Primicerio Notariorum Iouini, multique nobiles apud Aruernos capti à Ducibus Honorianis & crudeliter interempti sunt. Treuerorum ciuitas à Francis direpta incensaque est secundâ inruptione. Olympiodorus Thebanus apud Photium scribit Iouinum Imperij insignia corripuisse adiutoribus Goare Alano, qui abruptus à Respendiale in Galliâ morabatur, & Guntiario (sic vocat Gundicarium) Phylarcho Burgundionum.

III. Prosper & Idatius in suis Chronicis mortem Constantini confirmant anno Christi quadringentesimo vndecimo, quem suo calculo dicunt Honorij Imperatoris decimum septimum. Ab eodem anno separandum haud putamus incendium Treuirorum, licet illud Hadrianus Valesius in Consulatum Lucij differendum putet auctoritate Sigeberti, in cuius vulgato Chronico Franci leguntur vrbem Treuirim incendisse anno Christi quadringentesimo decimo tertio. Sed ea quæ narrantur ibi de Francis, Aubertus Miræus in editione Sigeberti curauit excudenda minori charactere, & in præfatione monuit, quæ minori charactere redderentur, ea vel in Gemblacensi codice domestico non reperiri, vel recenti manu esse agglutinata, qualia sunt quæ feruntur à racematoribus plerunque indoctis adiecta, aut ex nugis ac quisquiliis Galfridi Monumetensis siue Asaphensis insperſa; quo modo primùm typis Henrici Stephani Lutetiæ Parisiorum anno millesimo quingentesimo decimo tertio inquinatum Sigeberti Chronicon exiit, quod & inscriptio ac proœmium ibidem ingenuè profitentur his verbis. *Sigeberti Gemblacensis cœnobitæ Chronicon, ab anno 381. ad 1113. cum insertionibus ex Historiâ Galfridi & additionibus Roberti Abbatis Montis, centum & tres sequentes annos complectentibus, promouente egregio Patre, D. G. * Paruo, Doctore Theologo, Confessore Regio, nunc primùm in lucem emissum Parisiis per Henricum Stephanum an. 1513.* Deinde annus, qui à Sigeberto dicitur Honorij decimus sextus, ille est Honorij decimus septimus apud Prosperum & apud Idatium, quia pro primo Honorij anno Prosper & Idatius assumunt illum quo Theodosius obiit, sequentem verò Sigebertus, annus autem ille, qui decimus sextus est Honorij secundùm Sigebertum, vel decimus septimus secundùm Prosperum & Idatium, non illigari debet anno Christi quadringentesimo decimo tertio quo Lucius Consulatum iniit cum Heracliano, sed anno Christi quadringentesimo vndecimo, quo Theodosius Augustus quartum Consulatum gessit absque Collega. Porro Sigebertus quia Theodosium, qui Prospero, Idatio & Socrate [b] testibus, Imperium mense Ianuario, Ausonio & Olybrio Consulibus, anno post Valentis mortem proximo suscepit, ex Cassiodoro sibi falsò persuasit leuatum

* *Frere Guillaume Paruy.*

[b] Lib. 5. c. 2.

ANNI Christi. 411.

in Imperatorem eo anno quo Valens sextùm Consul interiit, diserepat à nobis biennio duntaxat, alioquin Eusebium & Hieronymum secutus incidisset in triennale dissidium, quod nobis esse cum eorum Chronicis demonstrauimus in apparatu Chronologico.

412. & seqq.

ANNI CHRISTI 412. 413. 414. 415. 416.

CVM Franci Treuiros diripuerunt incenderuntque, luctuosissimus erat Occidentalis Imperij status, vt constat ex Chronicis ac fastis Prosperi & Idatij. Honorius administrando Imperio longè impar Rauennæ latitabat, Italiam Wisigothi populabantur impunè, Heraclianus res nouas in Africâ moliebatur. Hispaniam pene omnem Maximus tyrannus obtinebat cum Vandalis & parte Sueuorum atque Alanorum, quorum pars altera Gallias cum Iouino & Sebastiano fratribus cúmque Burgundionibus diuidebat. Tot inter tumultus Franci, qui Constantino suppetias laturi primùm venerant, deinde Iouino & Sebastiano fratribus se socios adiunxerant, tandem idoneam nacti sunt occasionem rei cis Rhenum bene gerendæ, subactáque Tongriâ, quæ Galliæ pars erat, ditiones suas adeo feliciter propagarunt, vt Faramundi regnum, cuius initium anno Christi quadringentesimo decimo septimo collocari debet, cis & vltra Rhenum latè protenderetur.

FRANCI CIS RHENVM.

417.

ANNVS CHRISTI 417.

I. ANNVS Christi quadringentesimus decimus septimus, quo Faramundus apud Francos regnare cœpit, dici debet annus Honorij Augusti vicesimus tertius in chronicis Prosperi & Idatij qui annum, quo Theodosius obiit, Honorij primum statuunt, & vicesimus secundus ex calculo Gregorij Turonensis aliorumque, qui Theodosio attribuunt annum quo decessit, posterumque primum Honorij numerant, tamen defectio Solis, & Papæ tricesimi noni creatio, quæ in eundem annum cum initio Principatus Faramundi coincidunt, apud Idatium ponuntur anno Honorij vicesimo quarto, & apud Prosperum anno eiusdem Honorij vicesimo sexto. Quænam sententia ceteris præstet, diligenter à nobis est inuestigandum.

II. Verba Prosperi hæc sunt ad annum Honorij vicesimum sextum. *Tricesimus nonus Xistus Romanam Ecclesiam regit. Solis hoc anno facta defectio. Faramundus regnat in Francia.* Loco Xisti restituendus est Zosimus ex fastis Prosperi & ex chronicis Idatij ac Marcellini. Annum iam exploremus. Honorius Imperator, vt Prosper in suis fastis testatur, obiit Marciano & Asclepiodoto Consulibus. Socrates [a], Cassiodorus, Idatius in fastis, Marcellinus mortem illam iisdem consignant Consulibus, Socrates diem addit decimum octauum Kalendas Septembris, Idatius Eram quadringentesimam sexagesimam primam, Marcellinus Indictionem sextam. Excessit igitur è viuis Honorius anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, die decimâ quintâ mensis Augusti, cùm imperasset à morte Theodosij patris annos viginti octo, menses septem, minùs duobus diebus, nam Theodosius è vita discessit anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto, die decimâ septimâ Ianuarij, Olybrio & Probino Consulibus, Erá quadringentesimâ tricesima tertiâ, Indictione octauâ.

FARAMVND. REX.

[a] Lib. 7. c. 23.

Prosper in suo Chronico diserepat ab illâ computatione triennio integro, neque enim Honorium denatum ait anno Imperij vicesimo nono vt veritas postulat, sed tricesimo secundo, id est anno Christi quadringentesimo vicesimo sexto. In quem locum illius chronici mendum hoc trium annorum irrepserit, facilè deprehendi potest. Nam Chronicon Prosperi rectè procedit consentitque cum Prosperi fastis vsque ad annum Christi quadringentesimum vndecimum in morte Constantini tyranni, quæ ponitur in Chronico Prosperi sub anno Honorij decimo septimo, & in fastis Prosperi sub quarto Consulatu Theodosij Augusti, imò vsque ad annum Christi quadringentesimum decimum tertium in nece Sebastiani tyranni, quæ collocatur in Prosperi Chronico sub anno Honorij decimo nono, & in fastis Prosperi sub Lucio Consule. Post annum autem Honorij decimum nonum peccat Prosper in numeris sui Chronici. Error triennij patere incipit ad annum Honorij vicesimum nonum quo Prosper Imperij dignitatem Constantio ab Honorio sponte delatam scribit; nam Prosper in fastis Constantium ab Honorio in consortium Regni assumptum tradit Theodosio nonùm & Constantio tertiùm Consulibus, id est anno Honorij Imperatoris vicesimo sexto, Christi quadringentesimo vicesimo. Triennio antequàm Constantius ab Honorio in collegam Imperij assumeretur, Faramundus Rex ponitur in Chronico Prosperi, ibique legendus est annus Honorij non vicesimus sextus sed vicesimus tertius, vt cum anno Christi quadringentesimo decimo septimo coincidat. Atque ita fatendum est in Chronicon Prosperi perperam insertos tres annos inter annum Honorij decimum nonum & annum eiusdem Honorij vicesimum sextum. ANNVS Christi. 417.

Faramundi Regis initium anno Christi quadringentesimo decimo septimo collocandum confirmant Solis defectio & electio Zosimi Papæ, quæ teste Prospero contigerunt eodem anno quo Faramundus in Regem assumptus est à Francis, & notantur à Marcellino sub Indictione 15. Honorio vndecimùm & Constantio iterum Consulibus. III.

In Prosperi Fastis, *Romanæ Ecclesiæ* XXXIX. *Episcopatum suscipit Zosimus, Theodosio VII. & Palladio Coss.* id est anno Christi quadringentesimo decimo sexto, sed Innocentium Zosimi præcessorem ad annum Christi quadringentesimum decimum septimum peruenisse, præter authoritatem Marcellini iam allatam, demonstrant literæ [a] ab ipso Innocentio datæ ad Concilium Milcuitanum decimo sexto Kalendas Februarij, Honorio & Constantio Consulibus; neque vlteriùs prorogari potest Innocentij Pontificatus, cùm plures epistolæ Zosimi scriptæ reperiantur iisdem Consulibus Honorio vndecimum & Constantio iterum. IV. [a] Ep. 32.

Ad annum Honorij vicesimum quartum Idatius hæc habet in suo chronico: *Solis facta defectio die decimo quarto Kalendas Augusti, qui fuit quinta feria. Romanæ Ecclesiæ* XXXIX. *præsidet Episcopus Zosimus.* Verum quidem est factam Solis defectionem eodem anno quo Zosimus Pontificatum Romanum obtinuit, sed annus tunc erat Honorij vicesimus tertius, non vicesimus quartus, siue annus Christi quadringentesimus decimus septimus, non quadringentesimus decimus octauus, nec alio teste opus est quàm ipsomet Idatio, quia Solis defectionem factam obseruat die decimo quarto Kalendas Augusti, feriâ quintâ, sic vt annus ille literam habuerit Dominicalem G, qui character anno Christi quadringentesimo decimo septimo rectè conuenit, non autem sequenti qui præditus fuit literâ Dominicali F. Chronicon Idatij, quemadmodum & Chronicon Prosperi, rectè procedit vsque ad annum Honorij decimum nonum, siue vsque ad necem Sebastiani tyranni, sed posteà vitiosè annum interserit, vt patet ex Solis defectione, quam perperam notat ad annum Honorij vicesimum quartum, atque in illo errore perseuerat vsque ad Honorij Imperatoris obitum, quem vult contigisse anno Imperij tricesimo, actis iam tricennalibus. Non negamus Honorium Augustum tricennalia ce- V.

ANNVS Christi. 417.

lebrasse magno apparatu, sed ea solemnitas peracta est Indictione quintâ, ipso Honorio decimùm tertiùm & Theodosio decimùm Consulibus, vt Marcellinus obseruauit, id est anno Christi quadringentesimo vicesimo secundo, siue anno Honorij 28. ex Idatiana supputatione ab obitu Theodosij Magni. Tunc autem edita sunt Honorij tricennalia non quòd annum Imperii tricesimum iniisset post mortem Theodosii: sed quod reuerà tricesimum annum in Imperio ageret à die qua primùm à patre renunciatus fuit Augustus, id est à die decima Ianuarij, anni post Christum natum trecentesimi nonagesimi tertii, Theodosius enim, teste Socrate [a], filium suum Honorium Imperatorem declarauit *ad tertium sui ipsius Consulatum & primum Abundantij, quarto Idus Ianuarij*. Præterea Chronicon Idatianum à Fastis Idatianis vno anno differre dignoscitur sub finem Principatus Honorii, quia Fasti Idatiani Theodosium Magnum obiisse testantur Olybrio & Probino Consulibus Erâ quadringentesimâ tricesimâ tertiâ, & Honorium Erâ quadringentesimâ sexagesimâ primâ, Mariniano & Asclepiodoto Consulibus, ita vt qui primum annum Honorii numerant eum, quo Theodosii mors contigit, illigántque Eræ quadringentesimæ tricesimæ tertiæ, cogantur Honorii mortem consignare anno Imperii vicesimo nono, non autem tricesimo vt habet Idatius in suo Chronico.

[a] Lib. 5. c. 24.

VI. FARAMVNDI DICTIONES.

Faramundus præter antiquam Franciam, quæ veteris Germaniæ pars erat inter Rhenum Visurgim Mœnum & Oceanum, varioſque populos Attuarios Bructeros Chamauos Salios Frisios Chaucos Ansiuarios Cattos & Sicambros amplectebatur, in Gallià Belgicâ Thongriam quoque cis Rhenum obtinuit, vt suprà notauimus, idque confirmat Gregorius Turonensis his verbis [b], *Tradunt multi Francos de Pannonia fuisse digressos, & primum quidem littora Rheni amnis incoluisse, dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeasse, ibique iuxta pagos vel ciuitates Reges crinitos super se creauisse de prima, & vt ita dicam nobiliore suorum familia.* Morellius notat in veteri Manuscripto Gregorii Codice duplicem lectionem eàdem manu scriptam *Thoringia*, & *Thongria*. Qui Thoringiam cisrhenanam non agnoscunt, Mœnum qui Thuringiam transrhenanam inter & Pannoniam medius occurrit, Rheni loco reponunt. At de Rheno, qui Galliam à Germania diuidat, deque prouincia cisrhenana quæ Galliæ Belgicæ partem constituat, Gregorium locutum nemo non fatebitur, qui veteribus ac probatæ fidei scriptoribus attentè reuolutis Francos Rheno diu imminentes, occupandæ Galliæ spe pellectos, in Thuringià transrhenanâ numquam consistentes obseruarit. Deinde Thuringia illa transrhenana, cùm nec ab ipso Faramundo nec ab eius filio Clodione amissa perhibeatur, si Faramundo paruit, in potestatem Merouei transiit qui Clodioni successit. Rerum autem Thuringarum alium tunc statum fuisse comperimus ex Sidonio [c] qui Thuringos Attilæ se socios adiunxisse scribit, & ex Gregorio Turonensi [d] qui sub idem tempus, quo Meroueus Franciæ Rex obiit, Bisinum in Thuringià regnasse prodit.

[b] Lib. 2. c. 9.

[c] Carm. 7.

[d] Lib. 2. c. 12.

VII. GENVS.

In gestis [e] Regum Francorum, apud Roriconem [f], & in vità Sigeberti Tertij, Faramundus dicitur Marchomiris filius, Priami nepos. Priamum illum haud alium putamus ab eo, cuius Prosper in suo Chronico ad annum à Valentis Augusti nece quartum qui post Christum natum trecentesimus octogesimus secundus fuit, ita meminit. *Priamus quidam regnat in Francia, quantùm altiùs colligere potuimus.* Atque ex illo Priami nomine data forsan occasio fabellæ, vt Reges Francorum à Priamo Troiæ quondam Rege & Franci à Troianis oriundi crederentur.

[e] Cap 4.

[f] Lib. 1.

VIII.

A Faramundo principium sui operis ducunt omnes fermè scriptores rerum Francicarum, quoniam, qui postea regnarunt apud Francos subegeruntque Gallias, ex illius Regis stirpe prodierunt. Altiùs repetiuimus initium nostrorum Annalium, quamuis parum vberes futuri sint ad annum vsque quadringentesimum nonagesimum sextum, quo Clodoueus Rex Faramundi Regis

abnepos diſtis idolis ſe ſuúmque regnum Chriſto mancipauit. Ad illam vſque ætatem præcipuus labor in confirmanda Chronologia Franciæque finibus aſſignandis verſabitur. Gregorius Turonenſis, Fredegarius, aliique noſtrates Hiſtorici, qui ante annum Chriſti ſeptingenteſimum floruere, tempora per ſolos annos Regum computarunt. Beda, qui res Anglorum ſcripſit octauo ſeculo, Chronologiam ſuam non annis duntaxat Regum, vt Franci facere conſueuerant, ſed annis à Chriſti natiuitate ductis communiuit, atque hæc computatio paulò pòſt ad Francos tranſiit. Prior character in antiquiſſimis authoribus ſolus inuenitur. Poſterior cùm receptus fuit, priori coniungi cœpit, & noſtrâ etiamnum ætate in vſu perſeuerat. Vtrumque ſingulis annis præfigemus. Et quoniam authores Romani non ratò conſulendi erunt, paria Conſulum quibus innituntur, deinceps annotare non ceſſabimus. ANNVS Chriſti. 417.

IX. Gregorius Turonenſis Epiſcopus opus ſuum inſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam Francorum, atque in decem Libros diſtinxit; Beda ſuum diſtribuit in Libros quinque, nominauitque Eccleſiaſticam Hiſtoriam gentis Anglorum; noſtrum verò, quia per annos digeritur, placuit Annales Eccleſiaſticos Francorum nuncupare. Scriptorum, quibus nitemur, primigeniam phraſim ſemper exhibebimus, & cùm aliquando recedemus à vulgatis exemplaribus, id faciemus coacti fide præſtantiſſimorum Codicum, quos præ manibus habuimus. Atque vt incipiamus à Gregorio Turonenſi, qui parens Hiſtoriæ Francicæ dici meruit, & ſæpiùs à nobis citandus ſub primis Francorum Regibus occurret, cum Editione Ducheſniana contulimus quinque Codices manuſcriptos, factáque diligenti collatione deprehendimus multas phraſes, quæ variis ſolœciſmis ſcatebant, in vulgata editione purgatas eſſe vitiis huiuſcemodi contra mentem ipſiuſmet Authoris, qui ſemetipſum in Præfatione Libri de gloria Confeſſorum ſic alloquitur. *Auſo ruſtico & idiotâ, vt quid nomen tuum inter Scriptores indi æſtimas? Aut opus hoc à peritis accipi putas, cui ingenium artis non ſuppeditat, nec vlla literarum ſcientia ſubminiſtrat? qui nullum argumentum vtile in literis habes, qui nomina diſcernere neſcis: ſæpiùs pro maſculinis fœminina, pro femininis neutra, & pro neutris maſculina commutas, qui ipſas quoque præpoſitiones, quas nobilium dictatorum obſeruari ſanxit auctoritas, loco debito plerúmque non locas. Nam pro ablatiuis accuſatiua, & rurſum pro accuſatiuis ablatiua ponis.* Et in epilogo ad calcem ſuorum operum ſic ſcribit. *Decem libros Hiſtoriarum, ſeptem Miraculorum, vnum de Vitis Patrum ſcripſi. In Pſalterij tractatum librum vnum commentatus ſum. De curſibus etiam Eccleſiaſticis vnum librum condidi. Quos libros licet ſtilo ruſticiori conſcripſerim, tamen coniuro omnes Sacerdotes Domini, qui poſt me humilem Eccleſiam Turonicam ſunt rectaturi, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac terribilem reis omnibus iudicij diem, ſic nunquam confuſi de ipſo iudicio diſcedentes, cùm diabolo quondam ſumet pœnam, vt nunquam libros hos aboleri faciatis aut reſcribi, quaſi quædam legentes & quædam prætermittentes, ſed ita omnia vobiſcum integra inlibataque permaneant.* Quapropter ne cadat in nos authoris imprecatio, textum eius, quoties occaſio ſe dabit, purum putum ex Manuſcriptis Codicibus allegabimus.

X. Hadrianus Valeſius politicam Francorum Hiſtoriam à primâ gentis origine ad Pipini Regis Principatum in tres tomos ſummâ diligentiâ digeſſit, reſque, quas antiquiſſimi ſcriptores rudi prorſus ac barbaro ſtylo publicarunt, eleganti ſermone adeò expoliuit, vt Gregorium Turonenſem, Fredegarium Scholaſticum alioſque vetuſtiſſimos authores legentibus non tantùm *haud obſcuri* vt ipſe modeſtè de ſe loquitur *, ſed inſignis omnino *commentarij loco* lucubrationes ſuas ſubminiſtraſſe videatur. Laudem non mediocrem ſibi peperit, genuino Gregorij ſenſu, quem vulgata exemplaria ſæpe deprauarant, integrè reſtituto. Ad illud opus vſum ſe teſtatur quatuor Gregorij codicibus, quorum duos accepit à Claudio Iolio Pariſienſis Eccleſiæ Canonico, duos alios habuit ex Bibliothecâ Thuaneâ. Venerunt in noſtras manus iidem qua-

QVINQVE CODICES MSC. GREGORII TVRON.

* Præfat. 1. tom.

ANNVS Christi. 417.

tuor codices, ac duo quidem priores cùm essent aliquando penes virum clarissimum ac de literis optimè meritum Antonium *de Vyon* Dominum *d'Herouual*, Lutetiæ in supremâ Rationum publicarum curiâ Auditorem, cui longè plura nos quoque debere profitemur, ex quo enim famâ vulgante resciuit nos operam hisce Annalibus nauare, non cessauit ab annis duodecim suâ & amicorum ope veteres chartas exhibere quas vsui nobis fore iudicauit, & quamuis nonnullas illarum ab eo acceptas alij iam in lucem emiserint, non possumus gratitudinem nostram non testari, quòd antequàm publici iuris fierent, vtendas nobis concesserit, nec cuiquam mirum debebit esse, si res multas, quas typis ab aliquot annis excusas legerit, velut ineditas ex Herouuallanis quibusdam membranis recensebimus. Præter quatuor Codices Historiæ Gregorianæ supra notatos nacti sumus & quintum ex Bibliothecâ Regiâ.

XI. *Duo priores Codices*, inquit Valesius, *omnium fortasse qui in Gallicanis Bibliothecis latent antiquissimi sunt, sed trunci mancique ac magnâ ex parte veluti decurtati, ac nescio quomodo accidit, vt in his etiam libris quos continent, multa capitula desiderentur, sæpè quoque ex vno duo fiant. In vtroque Codice finit liber* I V. *adiecta sunt extra ordinem & locum suum capita duo libri* V I I. *nimirum septimum & octauum. Ambo Codices Antony Oiselij Bellouaci* [1] *Viri Clarissimi fuerunt, nunc sunt Claudij Joly, eius ex filiâ nepotis, nequaquam ab aui materni virtute doctrinâque degeneris.*

BELLOVACENSIS. [1] *Beauuais.*

Horum alter qui in thesauro maioris Ecclesiæ vrbis Bellouacorum * *olim seruabatur, in pergamenis membranis eximiis elegantissimè scriptus est litteris Romanis grandibus, quales vnciales vocant, sed multis in locis imbre aut situ & mucore corruptus est, itaut legi non possit. In libri* V. *capite* X V. *quod in libris Gregory editis* XXIII. *numeratur, deficit. Deest autem liber primus ac initium secundi: ex quo Codice Laurentius Bochellus, cùm anno* M. D C. X. *Gregorium ederet, varias lectiones aliquot, parui pleraſque momenti excerpsit. Alter Codex fuit quondam in monasterio Corbeiæ* * *chartario, atque à monachis loci ad Antonium Oiselium transiit. Hunc ait Andreas Chesnius vidisse se apud Guidonem Oiselium Antonij filium, in supremâ curiâ Parisiacâ Consiliarium Regium, litteris vncialibus, quæ Gothica dicuntur, scriptum, qui duos tantum priores libros contineat, sed solus præfationem hactenus desideratam habeat cum hoc titulo, Georgij Florentij Gregorij Episcopi Turonensis Historia Ecclesiastica. Sed errauit Chesnius. Nam hic Corbeiensis Codex vnà cum præfatione quidem nomina Auctoris ac titulum operis præfert, verùm si initia librorum excipias, litteris plane barbaricis mediocrisque magnitudinis scriptus est, ita inter se connexis & per quædam notarum compendia pluribus expressis, ferè vt lectori sit diuinandum. Præterea non duos, sed sex priores Historiæ Gregorij libros complectitur. Sic autem Codex Corbeiensis inscribitur. Incipit in Christi nomine Georgi Florentij siue Gregorij Turonensis Episcopi Historiæ Ecclesiasticæ liber primus, & in fine libri* V I. *inueniuntur hæc verba. Explicit liber* V I. *Georgi Florentis siue Gregorij Turonensis Episcopi.* Priorem horum codicum Bellouacensem, posteriorem Corbeiensem vocabimus.

CORBEIENSIS. * *Corbie.*

XII. De Codicibus Thuaneis ita scribit idem Valesius: *Ex duobus Scriptis Codicibus Historiæ Gregorianæ, quos Bibliotheca Thuanea mihi subministrauit, alter minor à libri* V I. *capite* X V I I. *incipit, alter maior à libri* I I. *capite* V I I. *vbi post Gregorij libros nonum & decimum in vnum contunctos, auctor ipse sequitur, vulgò Fredegarius dictus, librumque gestorum Francorum decimum facit. Minorem Codicem, librum sancti Michaëlis nominari inuenio; monasteriique sancti Michaelis in* * *S. Michel en l'Erm.* * *Le Mont S. Michel.* * *S. Mihel.* *Eremo* *, *an cœnobij Michaelis Archangeli in periculo* * *maris, vel certè ad Mosam* * *in pago Parœciáque Verodunensi aut cuiusuis alius loci, incertum est. Maior Codex Mettensis Monasterij sancti Arnulfi* * *fuit, vt ibi scriptum legi, eoque vnico Andream Chesnium vsum esse, ex his quæ ad latera Historiæ Gregorij notauit, facile intellexi.* Hos Codices cognominabimus à locis vbi scripti fuerunt; minorem, qui vetustior est, Codicem sancti Michaëlis appellabimus à monasterio sancti Michaëlis; maiorem à Metensi cœnobio sancti Arnulphi nuncupabimus Codicem sancti Arnulphi seu Codicem Metensem.

S. MICHAELIS.

METENSIS. * *S. Arnoul de Mets.*

Idem

Idem author ait quatuor prædictorum Codicum *commune vitium esse*, quòd *singuli sunt imperfecti*. Conqueri similiter possumus de Codice Regio, qui deficit in capite decimo sexto libri quarti ad illa verba: *Cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus illis superueniet interitus, sicut dolores parturientis, & non effugient.*

ANNVS Christi 417. XIII. REGIVS.

Itaque fateri cogimur nullum visum à nobis antiquum Codicem, qui totam historiam Ecclesiasticam Gregorii complectatur, sed non ideò pronuntiandum est statim pro quibusdam capitibus, quæ reperiuntur in editione Duchesniana, desiderantúrque in libris, quos prælaudati Codices, Bellouacensis, Corbeiensis, Regius, & sancti Michaelis continent. Hoc loco inquiremus tantùm in sex priores libros, quia Fredegarius plures non epitomauit, & Codex Corbeiensis vlterius haud progreditur, citiúsque deficiunt Regius & Bellouacensis, ille in capite decimo sexto libri quarti, vt obseruatum est suprà, hic in capite vicesimo tertio libri quinti ad ista verba, *Lustro vno nec perfuncto defunctus.*

XIV. SEX PRIORES LIBRI GREGORII.

Liber primus historiæ Gregorianæ in editione Duchesniana complectitur tria capita supra quadraginta, in Codice Corbeiensi quinque duntaxat ac triginta, & in Regio duo supra quadraginta, totus abest à ceteris quia carent initio; nam Bellouacensis incipit ab his verbis, *Tunc Sancti Dei misericordiâ moti*, quæ pertinent ad caput tertium libri secundi: Metensis nihil habet ante caput decimum septimum libri sexti, & Codex Sancti Michaëlis incipit ab his verbis, *At illi cum fletu & eiulatu*, quæ leguntur libro secundo, capite septimo. Editio Duchesniana & Codices Corbeiensis ac Regius simul procedunt vsque ad caput decimum quartum, quod prædicti Codices in duo capita diuidunt, in decimum quartum, & decimum quintum, initio decimi quinti ducto ab his verbis, *Donec iratus contra eos Dominus*, &c. Deinde idem Codices caput vicesimum quartum similiter distinguunt in duo capita, quorum posterius inchoatur ab his verbis, *Tunc & Iacobus frater Domini*, &c. Sicque caput, quod in editione Duchesniana vicesimum quintum notatur, in prælaudatis Codicibus est vicesimum septimum. Capita verò vicesimum sextum & vicesimum septimum, item caput vicesimum nonum, necnon capita, tricesimum primum, tricesimum secundum, tricesimum tertium, tricesimum quartum & tricesimum quintum desiderantur in Codice Corbeiensi. Caput tricesimum sextum idem Codex separat in duo capita, quorum prius in Cod. Regio non occurrit, & posterius incipit ab his verbis, *Melania verò matrona nobilis.* Ambo Codices caput tricesimum octauum in duo capita partiuntur, auspicantúrque posterius ab his vocibus, *Maximus verò*, &c. carentque capitibus tricesimo nono, quadragesimo, quadragesimo primo & quadragesimo secundo. Atque ita fit vt quadragesimum tertium editionis Duchesnianæ, quod libri primi postremum est, respondeat capiti tricesimo quinto Codicis Corbeiensis, & quadragesimo secundo Codicis Regii. Hæc notasse sufficiat, nam Gregorius libro primo nullam Francorum mentionem facit.

XV. COLLATI CVM MSS. CODD.

Liber secundus historiæ Gregorianæ in editione Duchesniana complectitur tria capita supra quadraginta, in Codice Corbeiensi triginta duo, in Regio totidem; mancus est, lacer ac mucidus in Bellouacensi, caret enim duobus primis capitibus & mediâ parte tertii, item aliquot foliis post caput decimum quartum, nec ante caput vicesimum quintum, quod est vicesimum quartum in Corbeiensi, & tricesimum tertium in editione Duchesniana, commodè legi potest ob contractum mucorem; mancus est etiam in Codice Metensi, qui caret sex primis capitibus & parte septimi; totus autem desideratur in Codice Sancti Michaelis. Caput primum editionis Duchesnianæ abest à Codicibus Corbeiensi & Regio. Capita, quintum & sextum absunt à Codice Regio. Capita, sextum & septimum aliter separantúr in Codicibus Corbeiensi & Metensi, posterius enim breuius est, & initium ab

XVI.

ANNVS Christi 417.

his vocibus sumit : *His diebus Romam sonus adiit.* Capita, decimum & vndecimum absunt à Codice Regio. Caput decimum tertium abest ab eodem Codice. Capita, decimum quartum & decimum quintum, absunt à Codicibus Corbeiensi ac Metensi : nam quæ leguntur in Metensi, scripta sunt extra ordinem ac recentiori manu. Capita, decimum sextum & decimum septimum, absunt à Codicibus, Corbeiensi, Regio ac Metensi. Capita, vicesimum primum, vicesimum secundum & vicesimum tertium, absunt ab iisdem tribus Codicibus. Caput vicesimum sextum abest à Codicibus Corbeiensi ac Metensi, recentiorique manu ad marginem Metensis ascriptum fuit. Caput tricesimum quintum, quod his vocibus claditur, *promissâ sibi amicitiâ pacifici discesserunt*, in Codicibus Bellouacensi ac Corbeiensi primam hanc subsequentis capitis periodum amplectitur, *multi iam tunc ex Gallis habere Francos dominos summo desiderio cupiebant*, cetera verò, quæ pertinent ad caput tricesimum sextum, absunt ab iisdem Codicibus. Caput tricesimum nonum abest ab iisdem Codicibus, & Metensi adiectum est extra locum recentiori manu.

XVII. Liber tertius historiæ Gregorianæ in editione Ducheſniana complectitur triginta septem capita, totidem in Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi, necnon in Metensi, quamuis huiusce libri capitulatio in hoc postremo Codice repugnare videatur, solum caput secundum desideratur in Codice Regio. De Codice Sancti Michaëlis hic silemus, quia partem duntaxat sexti libri cum quatuor libris subsequentibus amplectitur.

XVIII. Liber quartus historiæ Gregorianæ in editione Ducheſniana complectitur capita sex & quadraginta, in Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi triginta sex, in Metensi quadraginta, non est integer in Regio qui deficit in capite decimo sexto ad illa verba, *repentinus illis superuentet interitus, sicut dolores parturientis, & non effugient ;* totus desideratur in Codice Sancti Michaëlis. Capita, quintum, sextum & septimum non sunt in Codicibus, Bellouacensi, Corbeiensi, Regio ac Metensi. Caput decimum non est in Codicibus Regio ac Metensi. Caput vndecimum non est in Codicibus Bellouacensi ac Corbeiensi. Caput duodecimum non est in Codicibus, Bellouacensi, Corbeiensi, Regio ac Metensi. Caput decimum tertium non est in Codicibus Regio & Metensi. Caput decimum quintum non est in Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi. Caput decimum nonum non est in iisdem Codicibus. Capita, tricesimum tertium & tricesimum quartum in iisdem Codicibus transponuntur. Caput tricesimum sextum non est in iisdem Codicibus, item caput tricesimum octauum, necnon caput quadragesimum tertium. Obserua præterea recentiori manu in Codice Metensi descriptam esse posteriorem partem libri 3. à media videlicet parte capitis decimi quinti, itémque partem anteriorem libri 4. vsque ad caput vicesimum nonum, quod tricesimo tertio capiti edit. Ducheſnianæ respondet.

XIX. Liber quintus Historiæ Gregorianæ in editione Ducheſniana complectitur quinquaginta capita, in Codicibus Corbeiensi & Metensi triginta tria, totidem in capitulatione Codicis Bellouacensis, sed postremus hic Codex, vt suprà notauimus, in capite vicesimo tertio deficit. Caput quintum non occurrit in Codicibus Bellouacensi, Corbeiensi ac Metensi. Caput sextum non occurrit in Codicibus, Bellouacensi & Corbeiensi. Caput septimum non occurrit in Codicibus Bellouacensi, Corbeiensi ac Metensi. Capita, nonum ac decimum non occurrunt in iisdem Codicibus. Caput duodecimum non occurrit in tribus iisdem Codicibus. Capita, decimum septimum & decimum octauum in iisdem Codicibus vnum tantùm efficiunt. Caput vicesimum primum non occurrit in iisdem Codicibus. Capita, vicesimum nonum, tricesimum & tricesimum primum in Codice Metensi sub vnum caput rediguntur. Caput tricesimum tertium non occurrit in Codicibus Corbeiensi ac Metensi. Capita, tricesimum septimum & tricesimum octauum ; item caput quadragesimum primum, necnon caput quadragesimum tertium, & capita quadra-

geſimum ſextum ac quadrageſimum ſeptimum non occurrunt in iiſdem Codicibus. Caput quadrageſimum octauum non occurrit in Codice Corbeienſi, ſed principium eiuſdem capitis occurrit in Codice Metenſi vſque ad illa verba, *Recludi præcepit in carcere*. Caput quadrageſimum nonum non occurrit in Codicibus Corbeienſi ac Metenſi. ANNVS Chriſti 417.

Liber ſextus Hiſtoriæ Gregorianæ in editione Ducheſniana complectitur capita quadraginta ſex, in Codicibus autem Corbeienſi ac Metenſi tria duntaxat & triginta. Capita, ſeptimum, octauum, nonum, decimum, vndecimum, decimum tertium, decimum quintum, viceſimum ſecundum, triceſimum quartum, triceſimum ſextum, triáque ſubſequentia deſunt in vtroque Codice. Codex autem Sancti Michaëlis à capite ſeptimo, vnde initium ſumit, conformis eſt editioni Ducheſnianæ. XX.

Ex hac accurata enumeratione capitum, quæ deſiderantur in variis Codicibus, conſtat Codices Bellouacenſem & Corbeienſem inter ſe conuenire, à ceteris non parum differre. Præſtat autem Bellouacenſi Codex Corbeienſis, quia ſex libros Gregorii continet, & in nulla parte lacerus eſt aut mutilus; Bellouacenſis verò caret principio ac fine, & in multis locis aut laceratus eſt aut mucorem contraxit. Vtrùm Codex Corbeienſis, quem reliquis præferendum multa inferiùs ſuadebunt, ſex Gregorii libros, qui pluribus apud Ducheſnium capitibus abundant, integros an mancos habeat, reſtat vt inueſtigemus. XXI.

Fredegarius, qui proximo poſt Gregorii mortem ſeculo ſcripſit, ſex duntaxat Gregorii libros vidit, redegítque in epitomen quam nece Chilperici clauſit. Conſulenda eſt hæc epitome, conferendáque cum Gregorii libris, vt deprehendere poſſimus, an Fredegarius capita legerit, quæ publicata ſunt in variis editionibus, & in Codice Corbeienſi non inueniuntur. Tota quæſtio pendet ex illa collatione, quam breuiter ac iuxta librorum ordinem inibimus. XXII. ET CVM FREDEGARIO.

In libro primo Codicis Corbeienſis deſunt duodecim capita, quæ leguntur in editione Ducheſniana, nempe viceſimum ſextum, viceſimum ſeptimum, viceſimum nonum, triceſimum primum, triceſimum ſecundum, triceſimum tertium, triceſimum quartum, triceſimum quintum, triceſimum nonum, quadrageſimum, quadrageſimum primum & quadrageſimum ſecundum. Quatuor hæcce poſtrema in Codice etiam Regio deſiderantur. Sed iudicium à Fredegario non eſt expectandum ſuper hoc libro, qui nullam Francorum mentionem facit. Tranſeamus ad ſequentem. XXIII.

In ſecundo libro Codicis Corbeienſis deſunt vndecim capita, quæ leguntur in editione Ducheſniana, primum videlicet, decimum quartum, decimum quintum, decimum ſextum, decimum ſeptimum, viceſimum primum, viceſimum ſecundum, viceſimum tertium, viceſimum ſextum, triceſimum ſextum & triceſimum nonum. Fredegarius ſuam epitomen orditur à capite quinto libri ſecundi Gregoriani, ita vt ſuper capite primo nihil ex eius authoritate pronuntiari poſſit. Capite duodecimo narrat multa, quæ capitibus Gregorii Ducheſniani, duodecimo, decimo octauo & decimo nono recitantur, nihílque refert ex intermediis capitibus, decimo quarto, decimo quinto, decimo ſexto & decimo ſeptimo, quæ non reperiuntur in Codice Corbeienſi. Capite decimo tertio redigit in epitomen caput viceſimum Gregorij Ducheſniani, & capite decimo quarto capita eiuſdem Gregorii viceſimum quartum & viceſimum quintum, prætermiſſis viceſimo primo, viceſimo ſecundo & viceſimo tertio, quorum veſtigium in Codice Corbeienſi non extat. Capitibus decimo quinto & decimo ſexto res exhibet quæ capite viceſimo ſeptimo Gregorij Ducheſniani recenſentur, nec vllam mentionem facit capitis viceſimi ſexti quod deeſt in Codice Corbeienſi. Capitibus decimo ſeptimo ſequentibúſque duodecim compendiosè complectitur capita Gregorij Ducheſniani, viceſimum octauum, vndetriceſimum, tri- XXIV.

ANNVS Christi 417.

cesimum, tricesimum primum, tricesimum secundum, tricesimum tertium, tricesimum quintum, tricesimum septimum, tricesimum octauum, quadragesimum, quadragesimum primum, quadragesimum secundum & quadragesimum tertium, omissis tribus tantùm capitibus, tricesimo quarto, tricesimo sexto & tricesimo nono, quorum primum totum est de Auito Viennensium in Burgundia Episcopo, alia duo non sunt in Codice Corbeiensi. Nullum igitur attingit è capitibus de quibus quæstionem hîc mouemus.

XXV. In tertio libro Codicis Corbeiensis sunt capita septem ac triginta, nec plura in editione Duchesniana.

XXVI. In quarto libro Codicis Corbeiensis desiderantur decem capita, quæ leguntur in editione Duchesniana, quintum videlicet, sextum, septimum, vndecimum, duodecimum, decimum quintum, decimum nonum, tricesimum septimum, tricesimum octauum & quadragesimum tertium. Fredegarius capite quadragesimo septimo aggreditur epitomen libri quarti Gregoriani. Illo capite nihil habet quod in tribus primis capitibus Gregorii Duchesniani non occurrat. Capitibus quadragesimo octauo & quadragesimo nono complectitur caput octauum Gregorii Duchesniani, prætermissis capitibus, quarto, quinto, sexto & septimo, quorum tria postrema non sunt in Codice Corbeiensi. Capite quinquagesimo in compendium redigit caput nonum Gregorii Duchesniani, & capite quinquagesimo primo capita decimum ac decimum quartum, nullâ mentione factâ vndecimi, duodecimi & decimi tertii, quorum primum ac medium in Codice Corbeiensi non extant. Capite quinquagesimo secundo redigit in epitomen capita Gregorii Duchesniani, decimum sextum, decimum septimum & decimum octauum, omisso decimo quinto quod in Codice Corbeiensi non inuenitur. Capitibus quinquagesimo tertio & quinquagesimo quarto exhibet caput vicesimum Gregorii Duchesniani, nec vllam edit mentionem decimi noni quod prætermittitur in Codice Corbeiensi. Capite quinquagesimo quinto abbreuiat capita Gregorii Duchesniani, vicesimum primum, vicesimum secundum, vicesimum tertium & vicesimum quartum: capite quinquagesimo sexto capita vicesimum quintum & vicesimum sextum: capite quinquagesimo septimo caput vicesimum septimum. Capitibus quinquagesimo octauo & quinquagesimo nono excurrit in fabulas, quæ nec in Gregorio Duchesniano, nec in Manuscriptis Gregorii Codicibus, Corbeiensi, Bellouacensi aliisve reperiuntur. Capite sexagesimo epitomat caput vicesimum octauum Gregorii Duchesniani; capite sexagesimo primo caput vicesimum nonum; capite sexagesimo secundo caput tricesimum; capite sexagesimo tertio caput tricesimum secundum; capite sexagesimo quarto caput tricesimum tertium; capitibus, sexagesimo quinto, sexagesimo sexto, sexagesimo septimo & sexagesimo octauo, capita, tricesimum quintum, tricesimum sextum, tricesimum nonum & quadragesimum: sicque intacta relinquit quatuor capita, tricesimum primum, tricesimum quartum, tricesimum septimum & tricesimum octauum, quorum duo postrema desunt in Codice Corbeiensi. Capitibus sexagesimo nono & septuagesimo compendiosè ponit ob oculos caput quadragesimum secundum Gregorii Duchesniani; & capitibus, septuagesimo primo, septuagesimo secundo & septuagesimo tertio, capita, quadragesimum quartum, quadragesimum quintum & quadragesimum sextum, nihilque describit ex capitibus quadragesimo primo & quadragesimo tertio, quorum posterius abest à prædicto Codice. Hinc constat inter decem Gregorii Duchesniani capita, quibus Codex Corbeiensis caret, nullum esse, quod Fredegarius à se lectum testetur.

XXVII. In quinto libro Codicis Corbeiensis desiderantur sexdecim capita, quæ leguntur in editione Duchesnianâ, quintum scilicet, sextum, septimum, nonum, decimum, duodecimum, vicesimum primum, tricesimum tertium, tricesimum septimum, tricesimum octauum, quadragesimum primum, quadra-

gesimum tertium, quadragesimum sextum, quadragesimum septimum, quadragesimum octauum & quadragesimum nonum. Fredegarius capite septuagesimo secundo complectitur caput primum libri quarti Gregoriani. Capite septuagesimo quarto redigit in epitomen capita eiusdem libri, iuxta editionem Duchesnianam, secundum, tertium & quartum; capite septuagesimo quinto capita octauum ac decimum tertium, prætermissis, quinto, sexto, septimo, nono, decimo, vndecimo & duodecimo, è quibus solum vndecimum, quod est de Iudæis conuersis per Auitum Episcopum, reperitur in Codice Corbeiensi. Capitibus, septuagesimo sexto, septuagesimo septimo & septuagesimo octauo abbreuiat capita, decimum quintum, decimum sextum, decimum septimum, decimum octauum & decimum nonum; capitibus septuagesimo nono, octogesimo & octogesimo primo, capita, vicesimum, vicesimum tertium, vicesimum quartum, vicesimum quintum, vicesimum sextum, vicesimum septimum, vicesimum octauum, vicesimum nonum & triceſimum primum: capite octogesimo secundo capita, triceſimum quartum, triceſimum quintum, triceſimum sextum & triceſimum nonum: nihilque recitat ex capitibus, decimoquarto, vicesimo primo, vicesimo secundo, triceſimo, triceſimo secundo, triceſimo tertio, triceſimo septimo & triceſimo octauo, quorum tria postrema non extant in prædicto Codice. Capite octogesimo tertio perstringit res, quæ fusiùs exponuntur in Gregorio Duchesniano, partim capite vndequadragesimo libri quinti, partim capite quadragesimo tertio libri sexti. Capite octogesimo quarto compendiosè reddit caput quadragesimum libri quinti quem examinamus, & capite octogesimo quinto auspicatur epitomen libri sexti, sicque intacta præterit decem postrema libri quinti capita, in quorum numero sunt, quadragesimum primum, quadragesimum tertium, quadragesimum sextum, quadragesimum septimum, quadragesimum octauum & quadragesimum nonum, quæ nonleguntur in Codice Corbeiensi. Hinc liquet inter sexdecim libri quinti capita, quæ reperiuntur in Gregorio Duchesniano, desuntque in Codice Corbeiensi, ne vnum quidem occurrere, quod probare quis possit notum Fredegario fuisse. Ceterùm quamuis quintus liber Gregorij, cui Duchesniana editio capita quinquaginta tribuit, in Codice Corbeiensi tria tantùm supra triginta contineat, in hoc Codice sexdecim duntaxat desiderantur è capitibus Duchesnianis, quia in prælaudato Codice caput vndecimum ex duobus Duchesnianis decimo septimo & decimo octauo componitur. Præterea ne diligentiam nostram, quoad Codicum collationem, vel in minimâ re desideres, obserua capita septimum & octauum Codicis Corbeiensis non eo distingui modo, quo distinguuntur in editione Duchesnianâ decimum tertium & decimum quartum quibus respondent, nam caput decimum quartum Duchesnianum incipit ab his verbis, *post hæc Meroueus*, & octauum Corbeiense multò seriùs inchoatur ab his vocibus, *igitur Chilpericus nuncios ad nos direxit.*

In sexto libro Codicis Corbeiensis desunt tredecim capita, quæ leguntur in editione Duchesnianâ, septimum, octauum, nonum, decimum, vndecimum, decimum tertium, decimum quintum, vicesimum secundum, triceſimum quartum, triceſimum sextum, triceſimum septimum, triceſimum octauum & triceſimum nonum. Eadem quoque desiderantur in Codice Metensi. Fredegarius capite octogesimo quinto inchoat epitomen libri sexti Gregoriani. Illo capite abbreuiat caput primum & caput secundum editionis Duchesnianæ; capite octogesimo sexto capita tertium & quartum; capite octogesimo septimo capita, sextum, duodecimum, decimum quartum, & decimum octauum; prætermissis, quinto, septimo, octauo, nono, decimo, vndecimo, decimo tertio, decimo quinto, decimo sexto & decimo septimo, è quibus septimum, octauum, nonum, decimum, vndecimum, decimum tertium & decimum quintum desiderantur in Codice Corbeiensi. Capite octogesimo octauo redigit in epitomen tria capita Gregorij Duchesniani, vicesi- XXVIII.

ANNVS Christi 417.

mum primum & viceſimum tertium, nec vllam mentionem facit capitis decimi noni, aut capitis viceſimi ſecundi quod abeſt ab eodem prælaudato Codice. Capite octogeſimo nono in compendium reducit capita Gregorij Ducheſniani viceſimum quartum & viceſimum ſextum, prætermiſſo viceſimo quinto quod vix quidquam notatu dignum continet. Capite nonageſimo res multas exhibet, quæ fuſiùs explicantur capitibus Gregorij Ducheſniani, viceſimo ſeptimo, triceſimo tertio & triceſimo quinto, nec meminit capitum quæ media ſunt inter viceſimum ſeptimum & triceſimum tertium, aut triceſimi quarti quod abeſt à Codice Corbeienſi. Præterit etiam capita Gregorii Ducheſniani, triceſimum ſextum, triceſimum ſeptimum, triceſimum octauum & triceſimum nonum quæ deſiderantur in eodem Codice, capite enim nonageſimo primo ſuæ epitomes agit de rebus quæ narrantur capite quadrageſimo primo editionis Ducheſnianæ. Cetera capita comparare ſuperuacaneum videtur. Hæc ſufficiant vt intelligas nihil à Fredegario ſcriptum fuiſſe, vnde colligere poſſis ab eo viſum eſſe vel vnum ex tredecim ſexti libri Gregoriani capitibus, quæ non ſunt in Corbeienſi Codice. Capitulatio ſeu capitum diſtinctio, quæ libro ſexto Gregorii in Codice Corbeienſi præfigitur, rectiſſimè procedit, licet nonnulli ſint errores in numeris, qui ſingulis capitibus in libri contextu præponuntur. Capitulatio autem eiuſdem libri vitioſa eſt in Codice Metenſi.

XXIX. Codicem Corbeienſem Regio ac Metenſi præferimus, quia in Regio & in Metenſi deſunt nonnulla capita, quorum mentio celebris eſt in epitome Fredegarii. Apud Gregorium Turonenſem capite vndecimo libri ſecundi iuxta editionem Ducheſnianam hæc narrantur de Auito Imperatore. *Auitus enim vnus ex Senatoribus, & vt valdè manifeſtum eſt, ciuis Aruernus, cùm Romanum ambiſſet Imperium, luxuriosè agere volens, à Senatoribus electus, apud* * *Plaiſance.* *Placentiam * vrbem Epiſcopus ordinatur. Comperto autem, quòd adhuc indignans Senatus, vitâ eum priuare vellet, Baſilicam Sancti Iuliani Aruerni Martyris cum multis muneribus expetiuit, ſed impleto in itinere vitæ curſu obiit, delatúſque ad* * *Brioude.* *Briuatenſem * vicum, ad pedes antecelli Martyris eſt ſepultus.* Hoc caput decimum eſt eiuſdem libri in Codice Corbeienſi, deſideratur autem in Codice Regio, & à Fredegario ſic epitomatur capite decimo. *Auitus Imperator luxurioſus apud Placentiam vrbem Epiſcopus ordinatur, & poſteà ad Eccleſiam Sancti Iuliani fugiens vitam amiſit.* In editione Ducheſniana caput decimum libri ſecundi Gregoriani ſic profertur: *Eo anno rebellantibus Saxonibus, Chlotharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem deleuit, peruagans totam Thoringiam ac deuaſtans, pro eo quòd Saxonibus ſuppetias præſtitiſſent.* Hoc caput ſeptimum eſt eiuſdem libri in Codice Corbeienſi, deſideratur autem in Codicibus Regio ac Metenſi, nihilominùs à Fredegario ſic redditur initio capitis quinquageſimi primi. *Eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius commoto exercitu maximam eorum partem deleuit, Thoringiam vaſtans, quia eis auxiliare præſumpſerat.*

XXX. Ex capitibus, quæ ſunt in Codice Corbeienſi, perpauca deſunt in Codicibus Regio ac Metenſi, tamen inde tanta Codicum emergit differentia, vt ſi conferantur cum Fredegario, manci deprehendantur Regius ac Metenſis, integer verò Corbeienſis. Itaque putamus ſex priores hiſtoriæ Gregorianæ libros in Codice Corbeienſi puros putos contineri, alia capita quæ Ducheſnius publicauit, ſuppoſititia credimus & interpolata. Quapropter ad necem vſque Chilperici Regis, quâ ſextus Gregorii liber abſoluitur, cùm Gregorium teſtem producemus, Codicem Corbeienſem, qui genuinus Gregorius eſt, Gregorium ſimpliciter; editionem Ducheſnianam Gregorium cum addito, vulgatum videlicet ſeu Ducheſnianum aut interpolatum vocabimus, ſed in notandis librorum capitibus ſolâ vtemur editione Ducheſnianâ, quia Codex Corbeienſis, in lucem nondum emiſſus, à paucis conſuli poteſt. In quatuor poſteriores hiſtoriæ Gregorianæ libros inferiùs inquiremus.

ANNI Christi. 417. XXXI.

Huiuſcemodi diſceptationibus abſtinuiſſemus, ſi Gregorium Andreas Ducheſnius eâdem diligentiâ quâ plurimos Authores emendaſſet. Hunc tamen virum non poſſumus non laudare, quòd multa ſcripſerit opera peraccuratè, vetuſtiſſima rerum Francicarum monumenta maximo labore perquiſierit, complures hiſtoriæ Francicæ Scriptores coætaneos collegerit, ac publici iuris fecerit mendis interpolationibuſque priùs expurgatos. Patriâ Turonenſis fuit, gentili nomine vocabatur *du Cheſne*, vernaculum vocabulum Latinâ donauimus terminatione. *Cheſnius* & *Cheſneus* appellatur à pleriſque primam nominis ſyllabam conſultò reticentibus, quia nihil aliud denotat præter articulum Francis perfamiliarem & Latinis ignotum. Ab aliis, qui non tam nomen quàm eius ſignificationem attendunt, ſtudioſique politioris locutionis præ ceteris haberi volunt, nuncupatur *Quercetanus* & *à Quercu*, quia *Cheſne* Francis arbor eſt, cui Quercus apud Latinos nomen. Tenuia ſunt hæc, fatemur, & exilia, ſed non omittenda, ſcriptores enim in propriis nominibus non ratò hallucinantur, maximè ſi tranſlata ex vnâ linguâ in aliam ea repererint. Qui Gregorium Turonenſem primus publicandum curauit, is noſtrâ ætate Guillelmus *Parus* & Guillelmus *Petit* promiſcuè nominatus eſt à Guillelmo Peyratio in antiquitatibus [a] Capellæ Regiæ, à Claudio Roberto in Præſulibus Tricaſſinis *, necnon à Sammarthanis in iiſdem Epiſcopis atque in Syluanectenſibus *, nuſquam tamen vocatus eſt *Petit*, cùm viueret. Floruit ſub Chriſtianiſſimis Regibus Ludouico Duodecimo & Franciſco Primo, atque vtrique à Confeſſionibus & à Concionibus fuit. In regio Ludouici contra blaſphemiæ crimen diplomate, quod Antonius *Fontanon* [b] exſcripſit; & in epiſtolis regiis à Franciſco ad Decanum & Canonicos Eccleſiæ Trecenſis poſt obitum Iacobi Raguieri Trecenſis Epiſcopi datis, quas Nicolaus Camuzatus in catalogo [c] Tricaſſinorum Antiſtitum euulgauit, appellatur Guillelmus *Paruy* ſeu *Parui*. Quoniam autem ab illis, qui Latinè ſcripſerunt, Paruus in recto caſu vocatus eſt, & quem Latini paruum dicunt, Franci vernaculâ linguâ *Petit* appellant, à nuperis auctoribus *Petit* eſt nuncupatus. Hodie complures in Franciâ vigent familiæ, quibus inditum eſt nomen *Petit*, & nomen *Paruy* penitùs incognitum manet, adeò differunt hæ voces pronunciatione, cùm vtrique vix duæ literæ, neutra ſyllabarum, quibus conſtant, ſit communis. Quotieſcumque occurrent ſimilia ſcriptorum nomina, quorum ſignificationi reſpondeant dictiones Latinæ cùm literis tum ſyllabis multùm abſimiles, ea vel vulgari proferemus idiomate, putà *Ducheſne*, *Conſin*, vel Latina faciemus terminatione tenus, putà *Ducheſnius*, *Conſinus*, Quercetanus enim & Cognatus nominum quidem, vt apud Francos ſonant, propriam ſignificationem Latinè reddunt, ſed à vernaculâ illorum editione nimiùm diſcrepant.

EDITIO NOMINVM PROPRIORVM OPTIMA.

[a] Lib. 1. c. 74.
* De Troyes.
* De Senlis.

[b] Tom. 4. pag. 357.

[c] In Epiſc. 79.

ANNVS CHRISTI 418.

FARAMVNDI REGIS I.

418. FARAMVNDI REGIS I.

ANNVS Chriſti quadringenteſimus decimus octauus Conſules habuit Honorium Auguſtum duodecimò & Theodoſium Auguſtum octauò. Is annus Faramundi Regis primus à nobis numeratur ſtylo Gregorij Turonenſis, neque enim Regiâ dignitate pollebat ineunte anno præcedenti.

I. [d] Proſp. Idat. Marcell. Caſſiod.

II. TREVIRI CAPTI.

Faramundus ſub initium ſui Principatus Treuirim occupauit. Tertiam illam opulentiſſimæ ciuitatis direptionem poſt ſeptem circiter annos à ſecundâ contigiſſe ſcribit Hadrianus Valeſius [e]. Id ſi verum eſt, vrbs illa tertiò

[e] Lib. 1. de geſt. vet. Franc.

ANNVS Christi 418. FARAMVNDI REGIS I.

capta est hoc anno, nam secundam Francorum irruptionem notauimus ad annum Christi quadringentesimum vndecimum. Saluianus [a] tertium illud Treuirorum excidium egregiè deflet, atque insaniam irridet paucorum nobilium qui superfuerant vrbi ter continuatis euersionibus excisæ, & quasi pro summo deletæ ciuitatis remedio Circenses ludos ab Imperatoribus postulabant. *Circenses*, inquit, *Treueri desideratis, & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captiuitatem, post tot euersæ vrbis excidia. Quid lachrymabilius hac stultitiâ? quid luctuosius hac amentiâ? Fateor, miserrimos esse vos credidi, cùm excidia passi estis, sed miseriores vos video cùm & spectacula postulatis. Putabam enim vos in excidiis rem tantùm atque substantiam, nescicbam etiam sensum atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur quæritis, Circum à Principibus postulatis, quæso, cui statui, cui populo, cui ciuitati? vrbi exustæ ac perditæ, plebi captiuæ & interemptæ, quæ aut perit aut luget, de quâ etiam si quid superest, totum calamitatis est, quæ cuncta aut mœstitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata, in quâ nescias pene cuius sit sors peior ac durior, interfectorum ac viuentium, tanta enim sunt miseriæ superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treuir petis, vbi quæso exercenda? quæ enim vrbis pars his malis omnibus vacat, vbi non strata corpora, vbi non concisorum membra lacerata? Vbique facies captæ vrbis, vbique terror captiuitatis, vbique imago mortis. Iacent enim reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos defunctorum suorum, & tu Circenses rogas. Nigra est incendio ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas: lugent cuncta, tu lætus es. Insuper etiam illecebris flagitiosissimis Deum prouocas, & superstitionibus pessimis iram diuinitatis irritas. Non miror planè, non miror, tibi euenisse mala quæ consecuta sunt. Nam quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* De quartâ Treuirorum expugnatione agemus suo loco. Interim obserua Francos vrbe tertiò direptâ recessisse, postmodum enim Treuiri redierunt in potestatem Romanorum, siquidem incolæ qui cladi superstites erant Circum & theatrales ludos ab Imperatoribus tanquam à Dominis suis postularunt. Porro *Imperatorum* ac *Principum* nomine Saluianus haud alios intelligit, quàm Honorium Augustum & Constantium qui teste Prospero in fastis ab ipso Honorio, cuius sororem Placidiam duxerat, Augustus est appellatus in tertio suo Consulatu, anno Christi quadringentesimo vicesimo, sequentique anno mortuus est Agricolâ & Eustathio Consulibus, cùm teste Prospero in suo Chronico vix octo mensibus consors Imperij fuisset, ita vt Treuirensium legatio pro Circensibus petendis anno Christi quadringentesimo vicesimo consignanda necessariò videatur, atque inde colligi quoque potest excidium Treuirense, de quo nunc agimus, circa annum Christi quadringentesimum decimum octauum contigisse.

[a] Lib. 6. de gubern.

III. Tunc transrhenanæ gentes, quibus Faramundus imperabat, idolis sacra faciebant, cis Rhenum verò felicior erat status Tongriæ, quæ Christianam fidem sub Romanis Principibus dudum susceperat excoluerat que, sed super Episcopo qui diœcesim illam regnante Faramundo administrauit non leuis oboritur difficultas ob diuersas opiniones authorum, qui posterioribus seculis catalogos Tungrensium seu Traiectensium Antistitum texuerunt. Inprimis negant omnes in illorum Præsulum Chronologiâ certum occurrere monimentum ab Ariminensi Concilio cui Seruatius Tungrorum Episcopus anno Christi trecentesimo vndesexagesimo interfuit ad Synodum vsque Aruernensem cui Domitianus Traiectensium * Antistes anno Christi quingentesimo tricesimo quinto subscripsit. Deinde plerique Seruatium Tungrorum Episcopum, qui beato Athanasio synchronus vixit & conciliis Sardicensi atque Ariminensi interfuit, eundem contendunt esse cum illo Tungrorum Antistite, quem Gregorius Turonensis [b] asserit obiisse, *cùm rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere*, nec inter se conueniunt de tempore quo Chuni traiecto Rheno in Gallias irruperunt. Præterea multi collocant interpontificium ab eodem Seruatio vsque ad Sanctum Agricolaum, quem volunt Episcopum Traiectensem

* Euesque de Maestricht.

[b] Lib. 2. c. 5.

iectensem ordinatum fuisse Clodoueo Rege iam baptizato. Denique affirmant nonnulli Tungrensem seu Traiectensem Ecclesiam Præsule non caruisse, quoniam à Synodo Ariminensi vsque ad Aruernensem effluxerunt anni duntaxat centum septuaginta sex, & inter Seruatium, qui Concilio Ariminensi interfuit, & Domitianum, qui Synodo Aruernensi subscripsit, medij sederunt nouem Pontifices, Agricolaus, Vrsicinus, Designatus, Renatus, Supplicius, Quirillus, Eucherius, Falco & Eucharius. Vixit Seruatius aliquot annos post Concilium Ariminense, nec peruenit ad Attilæ tempora, quorum mentio fit apud Gregorium Turonensem, alioquin enim Ecclesiam Tungrensem annis plusquàm centum rexisset. Distinguendi sunt igitur duo Seruatij, imò Seruatius, qui Conciliis Sardicensi & Ariminensi interfuit, alius est ab Arauatio, cuius nomen apud Gregorium Turonensem restitui debet ex Codice Corbeiensi. Inter Seruatium autem & Arauatium Episcopos locum Agricolao, Vrsicino, Designato & Renato tribuendum putamus, ita vt Faramundo regnum ineunte sederit in Episcopali Tungrorum cathedra Renatus siue Resignatus, quem caue, ne propter nominis affinitatem confundas cum antecessore Designato, nam duos esse demonstrant diuersi dies, quibus eorum memoria celebratur, colitur sanctus Designatus Idibus Ianuarijs, sanctus Resignatus Kalendis Decembribus, vt obseruat Enschenius in diatriba de Episcopatu Traiectensi.

ANNI Christi, 418. FARAMVNDI REG. 1. EPISCOPI TVNGRENSES.

ANNI CHRISTI 419. 420. 421. FARAMVNDI R. 2. 3. 4.

ANNI Christi 419. & seqq. FARAMVNDI REG. 2. & seqq.

ANno Christi quadringentesimo decimo nono Consules notantur in Fastis [a] Monaxius & Plinta.

I.

[a] Prosp. Idat. Marcell. Cassiod.

Anno Christi quadringentesimo vicesimo Consulatum [b] gesserunt Theodosius Augustus nonùm & Constantius tertiùm.

II.

[b] Id.

Anno Christi quadringentesimo vicesimo primo Consules ponuntur [c] Agricola & Eustathius. In Fragmento [d] Frigeridi, *cùm Asterius codicillis Imperialibus Patriciatum sortitus fuisset, Castinus Domesticorum Comes expeditione in Francos susceptâ ad Gallias mittitur.* Id hoc anno contigisse persuasum omnino habemus, quia testibus Prospero [e] & Cassiodoro [f] Constantius Augustus sub initium huius anni discessit è vita, cùm vix octo menses imperasset, & Idatius [g] author est anno, qui mortem Constantij præcessit, Asterium Hispaniarum Comitem sub Vicario Maurocello fuisse, anno verò post obitum Constantij proximo Castinum non Domesticorum Comitem, sed Magistrum militum vocat. Vtrùm opes Francorum attriuerit Castinus, haud literarum monumentis proditum fuit, præterquàm in Gregorij Turonensis epitome, quæ perperam Castino tribuit, quod de Stilicone Gregorius [h] ex Orosio [i] retulit. Anno sequenti Magister militum fuit, & in Hispania contra Vandalos dimicauit, vt obseruat Idatius in suo Chronico, quapropter fœdus arbitramur cum Francis renouatum à Romanis in Hispaniam migraturis, & leuiori discrimine victorias alio ex hoste sperantibus.

III.

[c] Id.
[d] Ap. Greg. Tur. l. 2. c. 9.
[e] In Fast.
[f] In chron.
[g] In chron.
[h] Lib. 2. c. 9.
[i] Lib. 7.

ANNI Christi 422. FARAMVNDI REG. 5. & seqq.

ANNI CHRISTI 422. 423. 424. 425.

FARAMVNDI R. 5. 6. 7. 8.

I. TOTO hoc quadriennio nihil occurrit, quod in nostros Annales referendum videatur. Paria Consulum hæc leguntur in Fastis Prosperi, Idatij, Marcellini & Cassiodori.

II. Honorius XIII. & Theodosius X.

III. Marinianus & Asclepiodotus. His Coss. Honorius Augustus obiit.

IV. Castinus & Victor.

V. Theodosius XI. & Valentinianus Cæsar.

426. FARAMVNDI REG. 9.

ANNVS CHRISTI 426.

FARAMVNDI R. 9.

I. ANNO Christi quadringentesimo vicesimo sexto Consulatum [a] adierunt ambo Augusti, Theodosius duodecimum, Valentinianus secundum.

[a] Prosp. & alii.

II. Prosper ab obitu Honorij Augusti ad mortem vsque Theodosij Iunioris numerat annos viginti septem in suo Chronico, totidémque Consulatus habet Prosper in suis Fastis, adstipulantur etiam Idatius, Marcellinus & Cassiodorus in suis Chronicis. Licèt autem hi simul super annorum summa conueniant, tamen Prosperi Chronicon in distinguendis annis plurimùm differt à ceteris, ideóque nonnihil difficultatis oboritur in consignandis temporibus, quibus extincti sunt primi Franciæ Reges, Faramundus & Clodio. Si numeros tantùm annorum consideramus qui notantur in Chronico Prosperi, Clodio regnare cœpit anno quinto post mortem Honorij, siue anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo, tenuítque Regnum per annos viginti vsque ad annum vicesimum quintum ab obitu Honorij, siue quadringentesimum quadragesimum octauum à Christo nato, sed inspectis Prosperi Fastis facilè deprehendimus res, quæ postero anno post obitum Honorij gestæ sunt, sub duobus annis in Prosperi Chronico collocari, parique errore quæ pertinent ad annum secundum ab obitu Honorij, annis tertio & quarto ab eodem obitu in illo Chronico tribui. Etenim Prosper in suo Chronico ad annum primum post mortuum Honorium ita loquitur, *Placidia ad Theod. sium auxilium precatum mittit;* ad annum secundum, *in Gallijs Exuperantius Præfectus à militibus interficitur;* ad annum tertium, *Valentinianus Romæ Imperator f..Etus:* ad annum quartum, *Arelas à Gothis per Aetium liberatur.* At Prosper in Fastis hæc habet ad annum primum, *Castino & Victore Consulibus, Exuperantius Pictauus, Præfectus Prætorij Galliarum, in ciuitate Arelatensi militum seditione occisus est. Theodosius Valentinianum amitæ suæ filium Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit Imperium;* deinde ad annum secundum, *Theodosio XI. & Valentiniano Cæsare Consulibus, Valentinianus decreto Theodosij Augustus appellatur. Arelas nobile oppidum Galliarum à Gothis multâ vi oppugnatum est, donec imminente Aetio non impuniti abscederent.* Ex his liquet anno post mortem Honorij tertio, siue anno Christi quadringentesimo vicesi-

mo sexto, successisse Faramundo Clodionem, qui teste Prospero in suo Chronico regnare cœpit anno primo post liberatam Arelatem operâ Aetij.

ANNVS Christi 426. FARAMVNDVS OBIT. III.

Faramundus igitur nouem duntaxat annos in Regno expleuit. Gesta [a] Regum Francorum & Rorico [b] Monachus filium ac successorem ei tribuunt Clodionem, Prosper in suo Chronico Clodium scribit, Gregorius [c] Turonensis Chlogionem appellat, & Gallias illâ tempestate quadripartitas fuisse subiicit cum terminis singularum ditionum. *Ferunt etiam tunc*, inquit, *Chlogionem vtilem ac nobilissimum in gente suâ Regem fuisse Francorum, qui apud Dispargum castrum habitabat quod est in termino Thoringorum. In his autem partibus id est ad meridianam plagam habitabant Romani vsque Ligerem fluuium. Vltra Ligerem verò Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arrianorum sectam sequentes habitabant trans Rhodanum, quod adiacet ciuitate Lugdunensi.* Hanc tamen Galliarum diuisionem ne strictè interpreteris, neque enim inter Tongriam tantùm ac Ligerim Romani nominis authoritas floruit, deinde Alani qui cis Pyrenæos montes remanserant in duas partes diuisi, alteri ad Ligerim, alteri ad Rhodanum aliquandiu consedetunt. Dispargum autem plerique [d] *Duysburg* ad Rhenum in Montensi * Ducatu hodie interpretantur, alij Asciburgium * in Moersensi Comitatu, sed verba Gregorij situm insinuant in meridionali parte Tongriæ, quæ propiùs ad Galliæ Celticæ fines accedit. Omnium optimè Wendelinus. *Duysborch*, inquit, *nunc quoque est municipium amplum & nobile iuxta Furam *, medio fermè loco inter Bruxellam * & Louanium *, idque forsan diœcesis Tungrensis fuisse ex eo colligat quis, quòd S. Hubertus paucis diebus antequam moreretur, Furæ anno* DCCXXVII. *in his locis ecclesiam dedicauerit, quódque certè Louanium diœcesis fuit Tungrensis ad Dilam * vsque flumen, ita vt Duysborch illud fuerit in termino saltem Tungrorum si non in ipsâ diœcesi, multoque possit melius aptari huic loco Dispargum Gregorio memoratum, quàm alijs transfibrenanis.* Iacobus Chiffletius in anastasi Childerici Regis obseruat castrum illud *Dusbore, Duysborch*, & *Duysburg* promiscuè in veteribus chartis appellari.

[a] Cap. 5.
[b] Lib 1.
[c] Lib. 2. c 9.
CLODIO REX. GALLIÆ QVADRIP.
[d] Apud Becher disp. hist. cap. 1.
Le Duché de Berghe.
* *Asburg dans le Comté de Meurs.*
DISPARGVM.
* *Furen.*
* *Bruxellas.*
* *Louuain.*
* *La Dille.*

Quot annos vixit Faramundus, nemo veterum scripsit. Cùm Regium nomen susceperit, quadragenarius esse potuit ætate rebus gerendis idoneâ, filium enim tunc habebat Clodionem gignendæ proli penè maturum aut etiam fortè Meroueo suscepto patrem, nam Meroueus anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto, cùm discederet è viuis, filium reliquit Childericum nimiâ luxuriâ iam dissolutum, vt testatur Gregorius Turonensis [e].

IV.

[e] Lib. 2. c. 12.

ANNI CHRISTI 427. 428. 429. 430. 431. 432. CLODIONIS R. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

427. *& seqq.* CLODIONIS R. 1. *& seqq.*

I.

ANNO Christi quadringentesimo vicesimo septimo Consules ponuntur in fastis [f] Hierius & Artabures.

[f] Prosp. Marcell Cassiod. Idat.

II.

Anno Christi quadringentesimo vicesimo octauo Consulatum [g] gesserunt Felix & Taurus. His Consulibus, vt testatur Prosper in suis Fastis, *pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupauerant, Aetij Comitis armis recepta.* Apud Idatium, qui per idem tempus ex Hispaniâ missus in Galliam apud Aetium legatione fungebatur, mentio fit de *superatis per Aetium in certamine Francis, & in pacè susceptis*, vnde fatearis Clodionem Dispargo & Tongriæ finibus expulsum, non iis tamen affectum cladibus, vt potiundarum Galliarum spem omnem abiiceret, aut Franci Romanis etiam victoribus timori esse desinerent. Prælium commissum docet Sidonius [h] in campis * Atrebatium iuxta vicum Helenam, Hisdinum * interpretantur hodie multi, melius alii Lentium *, Baldericus [i] Lenense castrum dixit.

[g] Idem.
FRANCI VICTI AB AETIO.
[h] In paneg. Maioran.
* *Le territoire d'Arras.*
* *Hesdin.*
* *Lens.*
[i] Lib 2. c. 12.

ANNI Christi, 427. *& seqq.* CLODIONIS R. I. *& seqq.*

Anno Christi quadringentesimo vicesimo nono Consules in Fastis leguntur Florentius & Dionysius.

Anno Christi quadringentesimo tricesimo Consulatum adierunt ambo Augusti, Theodosius decimum tertium, Valentinianus tertium.

Annus Christi quadringentesimus tricesimus primus Consules habuit Bassum & Antiochum.

Annus Christi quadringentesimus tricesimus secundus notatur Aetio & Valerio Consulibus.

433. CLODIONIS R. 7.

ANNVS CHRISTI 433. CLODIONIS R. 7.

I. [a] Prosp. Marcell. Cassiod. Idat.

ANno Christi quadringentesimo tricesimo tertio Consules [a] leguntur Theodosius Augustus decimò quartò & Maximus. Nihil quidem hoc occurrit anno, quod ad res Ecclesiasticas pertineat, sed operæpretium videtur hîc in examinanda Prosperi Chronologia tantisper immorari.

II. FASTORVM PROSPERIAN. CHRONOLOGIA.

Ad hunc annum sic scribit Prosper in suis Fastis. *Colliguntur omnes anni vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi à* XV. *Tiberij anno & Passione Domini, anni* CCCCVI. *ab instauratione Templi sub Dario, anni* DCCCCLIV. *ab Olympiade prima & Isaia Propheta, anni* MCCX. *à Salomone & prima ædificatione Templi, anni* MCCCCLXVI. *à Moyse & Cecrope Rege Attica, anni* MDCCCCXC. *ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni* MMCCCCL. *à diluuio autem vsque ad Abraham, anni* MLXXI. *ab Adam verò vsque ad diluuium, anni* MMCCXLII. *Sunt itaque ab Adam vsque ad tempus suprascriptorum Consulum, quinquies mille* DCCLXIII.

III. EXAMINATVR.

Fasti Consulares Prosperi sæpè typis excusi fuerunt, subiectique Chronicis Eusebiano & Hieronymiano cum hac Auctoris Præfatione. *Hucvsque Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digessit annorum, nos quæ secuta sunt adiicere curauimus.* Ante Duchesnianam editionem omnia exemplaria desinebant in Valentiniano Augusto sextùm & Nonio Consulibus, id est in anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto. Decem paria Consulum vsque ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum, & captam à Genserico Romam, ex Manuscriptis Codicibus adiecit Andreas Duchesnius, totámque illam lucubrationem, quæ res spatio septuaginta septem annorum post Valentis Augusti mortem gestas complectitur, dixit esse posteriorem partem amplioris Chronici, cuius initium ab Orbis conditu petatur. Philippus Labbeus Societatis IESV Presbyter Chronicon tandem publicauit ab Adamo ad Romam captam à Genserico Vandalorum Rege, quod asseruit integrum esse *viri clarissimi Tironis Prosperi Aquitani* Chronicon, in duas distinctum partes, quarum prior ab ortu mundi perducitur ad mortem Valentis, posterior à morte Valentis ad direptionem Romæ per Gensericum. Sed ambæ adeò pugnant inter se, vt diuersorum Authorum fœtus esse videantur.

IV.

Prior pars incipit adnotare Consules ab anno Tiberij Cæsaris decimo quinto, in quem Consulatus Geminorum incidit. *Consules*, inquit Author, *a manifestatione Domini, id est, à Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus.* Deinde ad annum, quem à Geminorum Consulatu ducentesimum nonagesimum quintum notat, Eusebium & Hieronymum Eusebij continuatorem ita commendat. *Hucvsque historiam perduxit Eusebius, Pamphili Martyris contubernalis. Post hæc Hieronymi Presbyteri succedit authoritas.* Denique

post annos quinquaginta duos cum Hieronymo desinit in morte Valentis Augusti. Rectè admodum quadrat hæc computatio cum nostra Chronologia. Consulatum enim Geminorum illigamus anno Christi tricesimo primo. Chronicon Eusebianum vltra annum ducentesimum nonagesimum quintum à Consulatu Geminorum, siue vltra annum Christi trecentesimum vicesimum sextum, haud prætendimus. Hieronymianum Chronicon, quod annis duobus ac quinquaginta circumscribitur, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo claudi censemus. Sententiam nostram certissimis characteribus confirmant Idatius & Marcellimus. Ille sextum Valentis Augusti Consulatum, quo Valens ipse periit, comparat cum Erâ quadringentesimâ decimâ sextâ. Hic proximis Kalendis Ianuariis, à quibus initium sui ducit operis, Indictionem septimam Consulatúmque Ausonij & Olybrij præfigit.

ANNVS Christi 433. CLODIO-NIS R. 7.

V.

Posterior verò pars Fastorum Prosperianorum, quæ Chronicis Eusebiano & Hieronymo subiungi solet, à prioris partis Chronologia, quam laudauimus, nunc triennio dissidet, nunc quadriennio. Vtriusque discrepantiæ tota ratio peti debet ex Chronico Eusebiano, quod abundat triennio, vt in apparatu Chronologico probauimus, & Augusti mortem, quam Suetonius [a], Tacitus [b] & Dio [c], *duobus Sextis, Pompeio & Appuleio, Coss.* id est, anno post Lentuli & Messalini Consulatum seu post Christum natum decimo sexto referunt, anno Christi decimo quinto collocat. Est igitur triennalis tantùm discordia, cùm nulla computatio sumitur ab anno Tiberij Cæsaris decimo quinto, qui cadit in annum Christi tricesimum primum, & ab Eusebio aliisque ipso Eusebio antiquioribus, quos infrà producturi sumus, cum anno Christi tricesimo perperam confertur. Fit autem quadriennalis dissensio, quotiescumque annorum summa colligitur, aut ab anno decimo quinto Tiberij Cæsaris, aut à Geminorum Consulatu, qui eundem annum Tiberij decimum quintum, Christi tricesimum primum, designat.

[a] In Aug. c. 100.
[b] Lib. 1. Annal.
[c] Lib. 56.

VI.

Valentinus hæresiarcha primus omnium censuit Christum annos vixisse tantùm triginta. *Horum primus*, inquit sanctus [d] Epiphanius, *nobis Valentinus occurrit, qui quidem ex tricenario annorum numero, ad quem Saluatoris ætatem ac virile robur existimat fuisse perductum, suam illam Æonum triginta fabulam confinxit. In quo fugit eum ratio. Non enim triginta solos vixit*, &c. In Valentini sententiam iuit Tertullianus, sic enim de Christi ætate in libro [e] aduersus Iudæos disseruit. *Primùm, Augusti, qui superuixit post Natiuitatem Christi, anni* XV. *efficiuntur. Cui successit Tiberius Cæsar, & Imperium habuit annis* XXII. *mensibus septem, diebus viginti. Huius quintodecimo anno Imperij passus est Christus, annos habens quasi* XXX. *quum pateretur.* Illius textus has primas voces (*primùm, Augusti,*) ex notis Iacobi Pamelij restituimus, in vulgatis enim exemplaribus leguntur istæ (*post enim Augustum*) quæ contra Tertulliani mentem pugnant, nam quindecim priores anni Christi non numerantur post obitum Augusti, sed pertinent ad Principatum eiusdem Augusti, qui, teste Tertulliano suprà citato, *superuixit post Natiuitatem Christi.* Obseruat Pamelius à quibusdam in eodem Tertulliani textu non legi, *passus est*, sed, *baptizatus est*, omittique voces istas, *quum pateretur*, vt ostendant Tertullianum ab opinione communi non recessisse, quæ Christum anno Tiberii Imperatoris decimoquinto baptizatum, & anno eiusdem Imperatoris decimo octauo passum affirmat. Verùm Tertullianus in eodem opere paulò pòst ait Passionem Christi contigisse *sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino & Rufio Gemino, mense Martio*, id est, anno Tiberii decimoquinto, quòcum is Geminorum Consulatus coincidit. Et libro primo [f] aduersus Marcionem scribit Christum *à* XII. anno *Tiberij Cæsaris reuelatum esse*, hoc est, prædicationem suam auspicatum esse anno Tiberii Imperatoris duodecimo, cui si tres anni prædicationis addantur, eius Passio anno Tiberii decimo quinto consignari debet. Sanè Tertullianum in ea sententia fuisse, iampridem Eusebius in suo Chronico ad primum annum Christi docuit his verbis. *Tertullianus in eo libro, quem con-*

[d] Hæres. 31.
[e] Cap. 8.
[f] Cap. 15.

ANNVS Christi 533. Clodionis R. 7.

tra Iudæos scripsit, affirmat Christum XLI. *anno Augusti natum,* XV. *Tiberij esse passum.* Clemens Alexandrinus Tertulliano æqualis versatus est in eadem sententia, nam Christum annis quindecim, cùm Augustus imperabat, ac totidem, cùm Imperii summa penes Tiberium erat, vixisse sic publicauit libro primo Stromatum. *Quintodecimo ergo anno Tiberij, & quintodecimo Augusti, sic implentur triginta anni vsque ad tempus quo passus est.* Horum Auctorum opinionem proximis seculis amplexi sunt alii non pauci, nec obscuræ notæ. Iulius Africanus in quinto volumine temporum, vt de illo S. Hieronymus in commentariis ad caput 9. Danielis Prophetæ scripsit, annum, quo passus est Christus, *quintumdecimum Tiberij Cæsaris* dixit. Lactantius [a] Passionem Christi non tantùm anno Tiberii Cæsaris decimoquinto, sed etiam Consulatui Geminorum illigauit, sic enim locutus est de Tiberii Principatu. *Cuius anno quintodecimo, id est, duobus Geminis Consulibus, Iudæi Christum cruci affixerunt.* Omitto Seuerum Sulpitium [b], sanctum Augustinum [c] aliosque recentiores Eusebio. Vnanimi quidem consensu testati sunt hi scriptores Christum annis vixisse tantùm triginta, passumque esse duobus Geminis Consulibus, anno Tiberij Cæsaris decimoquinto, sed variè senserunt super tempore, quo Christus annuntiauit regnum Dei. Clemens Alexandrinus existimauit Christum vno duntaxat anno prædicasse, suamque sententiam sic explicuit. *Scriptum est in Euangelio secundum Lucam.* [*Anno autem quintodecimo Tiberij Cæsaris, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium.*] *Et rursus in eodem.* [*Erat Iesus veniens ad baptisma, quasi triginta annorum.*] *Et quòd anno solo oporteret eum prædicare, hoc quoque sic scriptum est.* [*Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me.*] *Hoc & Propheta dixit & Euangelium. Quintodecimo ergo anno Tiberij, & quintodecimo Augusti, sic implentur triginta anni vsque ad tempus quo passus est.* Tertullianus, vt ex supradictis constat, non vno anno sed tribus Christum prædicasse censuit, ab anno Tiberij Cæsaris duodecimo quo reuelatum seu manifestatum dixit, ad decimum quintum quo passum credidit. Posterior pars Fastorum Prosperianorum, vt patet ex textu quem examinandum suscepimus, Passionem Domini refert anno decimoquinto Tiberij Cæsaris; at nullum suppeditat argumentum, quo quis inniti possit, vt asserat Christum aut per annum aut per triennium prædicasse. Pars autem prior non Passionem Domini, sed eius Manifestationem, id est, prædicationis initium anno Tiberij Cæsaris decimo quinto collocat, & clarissimis verbis asserit eundem Dominum post annos tres crucifixum fuisse. Textus talis est. *Quidam putant Dominum nostrum Iesum Christum* XV. *anno regni Tiberij Cæsaris, id est, duobus Geminis Consulibus crucifixum, quo anno secundùm indubitabilem Lucæ Euangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, & Euangelium regni cælorum prædicare cæpisse. Secundùm verò Ioannis Euangelium festiuitati Paschæ Iudæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus, vt appareat tertium fuisse illud Pascha quod verus Agnus suo sanguine consecrauit. Proinde Consules quidem à Manifestatione Domini, id est, à Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus, sed tertios ab iis Consules Dominicæ Passioni adscribimus, sequentes quod auctoritas tradidit & ratio. Incipit adnotatio Consulum cum Historia. Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss.* &c. Nec obest altera lectio quam Labbeus priori parti sic subiecit. *Quidam ferunt anno* XVIII. *Tiberij Iesum Christum passum, & argumentum huic rei ex Euangelio assumunt Ioannis, in quo post quintumdecimum annum Tiberij Cæsaris triennio Dominum prædicasse intelligitur. Sed quia vsitatior traditio habet Dominum nostrum* XV. *anno Tiberij Cæsaris, duobus Geminis Consulibus, crucifixum, nos sine præiudicio alterius opinionis successiones sequentium Consulum à suis Consulatibus ordiemur, manente adnotatione temporum quæ cuiusque Imperium habuit. Incipit adnotatio Consulum à Passione D. N. I. C. cum Historiâ. Sufigio Gemino & Rubellio Gemino,* &c. Auctor enim, cùm agit de Hierosolymorum euersione per Titum, annum decimum quintum Tiberij Cæsaris non comparat cum Passione Domini sed cum exordio prædicationis Euangelicæ. *Colligitur,* inquit,

[a] Lib. 4. c. 10.

[b] Lib. 2. Hist.

[c] De ciuit. Dei lib. 18. c. 54. & ep. 80.

omne tempus in secundum annum Vespasiani & nouissimam Hierosolymorum euersionem, à quintodecimo anno Tiberij Cæsaris & ab exordio Euangelicæ prædicationis, anni XLII. Fastorum igitur Prosperianorum prior pars super anno, quo Christus passus est, à posteriore dissentit, & hæc discordia singulis partibus suos auctores fuisse non obscurè demonstrat.

ANNVS Christi 433. CLODIONIS R. 7. VII.

A priori parte, in quâ colliguntur *in secundum annum Vespasiani, à quintodecimo anno Tiberij Cæsaris & ab exordio Euangelicæ prædicationis, anni* XLII. non discrepat nostra Chronologia. Vespasiani enim Augusti annum secundum anno Christi septuagesimo tertio, post Geminorum Consulatum quadragesimo secundo illigamus, antiquis Historiæ Romanæ scriptoribus innixi. Tiberius, cuius annus in Imperio decimus quintus Consulatu duorum Geminorum notatur, *obiit*, vt Suetonius [a] scribit, *anno tertio & vigesimo Imperij, octimo septimo Kalend. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo & C. Pontio Nigro Coss.* id est, die decimâ septimâ mensis Martij, anno post Christum natum tricesimo nono, post Geminorum Consulatum octauo. Caius cognomento Caligula Tiberium excepit. *Imperauit triennio & decem mensibus diebusque octo*, occisusque est *nono Kalendas Februarias* teste eodem [b] auctore. Periit igitur die vicesimâ quinta Ianuarij, anno Christi quadragesimo tertio, post Geminorum Consulatum duodecimo. Claudius, qui post Caium imperauit, discessit è vita Marco Asinio & Marco Acilio Consulibus, vt tradunt Suetonius [c] & Tacitus [d], iidémque authores cum Dione [e] diem notant tertium ante Idus Octobres, *Imperij*, vt obseruat Suetonius, *decimoquarto anno*, siue, *cùm annos imperasset tredecim, mensésque præterea octo, dies viginti*, vt distinctiùs habet Dio. Extinctus est igitur die decimâ tertiâ Octobris, anno Christi quinquagesimo sexto, post Geminorum Consulatum vicesimo quinto. Nero Claudii successor *è medio sublatus est*, inquit author Chronici Alexandrini, *Italico & Thrachano Consulibus, anno Imperij decimoquarto*. Xiphilinus [f] Neroni tribuit annos Imperii tredecim cum octo mensibus; omnium distinctissimè Eusebius & Cassiodorus in suis Chronicis annos tredecim, menses septem, dies duodetriginta. Excessit igitur è viuis anno post Geminorum Consulatum tricesimo nono, post Christum natum septuagesimo, die nonâ Iunii. Idque confirmatur à Xiphilino in Vespasiano, vbi ait à morte Neronis annum vnum intercessisse, diésque viginti duos, vsque ad Principatum Vespasiani, siue vsque ad Kalendas Iulias anni sequentis, qui Principatus dies inposterùm obseruatus est, vt testantur Suetonius [g] & Tacitus [h], quoniam eo die Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit. Quod & idcirco scribendum putauimus, *Ne*, sicut ait Xiphilinus [i], *errore ducerentur ij, qui numerum temporis ad eos qui Principatum obtinuerunt*, ad Galbam videlicet, Othonem & Vitellium, *referrent, non enim sibi successisse inuicem, sed viuo adhuc & regnante altero quisque eorum Imperatorem se tum esse credidit, cùm primùm Imperium quodammodò occepit*. Galba, Otho & Vitellius, de quibus Tacitus tribus prioribus libris historiarum, extincti sunt anno post Neronis necem proximo, id est anno post Geminorum Consulatum quadragesimo, post Christum natum septuagesimo primo, eodémque anno Kalendis Iuliis Imperium collatum est Vespasiano, cuius annus secundus cum anno quadragesimo secundo post Consulatum Geminorum seu post annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, vt prior pars fastorum Prosperianorum declarat, id est, cum anno Christi septuagesimo tertio coincidit. Haud ita conuenimus cum posteriori parte, quæ non semel in computis, quos ad decimum quartum Theodosii Augusti Consulatum simul congerit, falsò supponit annum decimumquintum Tiberii Cæsaris cum anno Christi tricesimo rectè comparari.

[a] In Tiber. c. 73.
[b] In Caio capitib. 58. 59.
[c] In Claud. c. 45.
[d] Lib. 12. Annal
[e] Lib. 60.
[f] In Neron.
[g] In Vespas. c. 6.
[h] Lib. 2. hist.
[i] In Vespas.

VIII.

Primò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, à* XV. *Tiberij anno & Passione Domini, anni* CCCCVI. Duplex est error in illo calculo, nam nec Christus passus est anno decimoquinto Tiberii Cæsaris, nec ab illo

ANNVS Christi 433. CLODIONIS R. 7.

anno ad decimumquartum Theodosii Consulatum effluxerunt anni sex & quadringenti. Fastorum Prosperianorum prior pars vtrumque refellit, nam Passionem Domini reiicit in annum decimum octauum Tiberii Cæsaris, & ab anno eiusdem Tiberii decimoquinto vsque ad sextum Valentis Consulatum, quo clauditur, annos numerat tantùm trecentos quadraginta septem, quibus si addideris quinquaginta quinque, qui à sexto Consulatu Valentis vsque ad decimumquartum Theodosii Consulatum effluxerunt, fient anni duntaxat duo supra quadringentos. Quadriennalis istius dissidii, quod ab Eusebiano Chronico in Hieronymianum atque inde in posteriorem partem Fastorum Prosperianorum fluxit, causas iam exposuimus. Eusebius ab anno decimoquinto Tiberii Cæsaris vsque ad sui Chronici finem annos computauit ducentos nonaginta nouem. Hieronymus, cùm annos quinquaginta duos adiecisset, ab anno decimoquinto Tiberii Cæsaris vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum, quo suum Chronicon absoluit, annos vnum & quinquaginta supra trecentos ita numerauit. *Colliguntur vsque in Consulatum Valentis* VI. *& Valentiniani Iunioris iterùm, Augg. à* XV. *Tiberij anno & prædicatione Domini nostri Iesu Christi, anni* CCCLI. Prosper erroneam Eusebii & Hieronymi Chronologiam secutus, decimumquartum Theodosii Consulatum, qui post Valentis sextum quinquagesimus quintus fuit, anno post Tiberii Cæsaris decimumquintum quadringentesimo sexto consignauit.

IX. Secundò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, ab instauratione Templi sub Dario, anni* DCCCCLIV. Hic computus à priori parte Fastorum Prosperianorum discrepat etiam quadriennio. In priori enim parte ad annum Tiberij Cæsaris decimum quintum hæc leguntur. *Computantur in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, ab instauratione Templi, quæ facta est sub altero anno Darij Regis Persarum, anni* DXLVIII. Deinde ista post annos quadraginta duos. *Colligitur omne tempus in secundum annum Vespasiani, à quintodecimo anno Tiberij Cæsaris & ab exordio Euangelicæ prædicationis, anni* XLII. *Porro à Darij secundo anno, sub quo rursum Templum ædificatum est, anni* DXC. Vitiosa est enim alia lectio quæ habet DLXXX. Denique ab anno decimoquinto Tiberij Cæsaris vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum, quo prior pars Fastorum absoluitur, auctor numerat annos trecentos quadraginta septem. Ex eius igitur supputatione ab instauratione Templi sub Dario vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum colliguntur anni octingenti nonaginta quinque. Quibus si quinquaginta quinque annos addideris, quos posterior pars Fastorum à sexto Valentis Consulatu vsque ad decimum quartum Theodosij representat, à secundo Darij Regis anno, quo Templum instauratum est, vsque ad decimumquartum Theodosij Consulatum, non annos DCCCCLIV. sed annos duntaxat DCCCCL. computabis. In Chronico Eusebiano ab instauratione Templi, *quæ facta est sub altero anno Darij Regis Persarum, in annum quintumdecimum Tiberij Cæsaris, computantur anni* DXLVIII. Ideoque in fine Chronici Hieronymiani, ab eadem instauratione Templi, vsque ad mortem Valentis Augusti, colliguntur *anni* DCCCXCIX. Et Prosper, vbi ad decimumquartum Theodosij Consulatum, id est, ad annum à Valentis morte quinquagesimum quintum, peruenit, sibi visus est assecutus annum nongentesimum quinquagesimum quartum à prædictâ Templi Hierosolymitani instauratione, siue a secundo Darij Regis anno quo facta est.

X. Tertiò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, ab Olympiade prima & Isaia Propheta, anni* MCCX. Eusebius annum, quo finem suo imponit Chronico, vocat tertium Olympiadis ducentesimæ septuagesimæ quintæ, id est, millesimum centesimum tertium ab Olympiade primâ. Quapropter in fine Chronici Hieronymiani, quod annos quinquaginta duos complectitur, *ab Olympiade primâ, quâ ætate apud Hebræos Isaias prophetabat, colliguntur anni* MCLV. Nec aliam rationem quæras, cur apud Prosperum post annos quinquaginta quinque, quos à Valentis Augusti morte quâ Chronicon Hierony-

Hieronymianum clauditur, ad decimumquartum Theodosij Consulatum effluxisse constat, *ab Olympiade primâ & Isaiâ Propheta, vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, colliguntur anni* MCCX. Sed reponendi sunt anni MCCVII. quia Chronicon Eusebianum, vt suprà dictum est, abundat triennio. Quoniam autem in priori parte Fastorum Prosperianorum rarò fit Olympiadum mentio, nec annus decimusquintus Tiberij Cæsaris cum Olympiade currento comparatur, haud facilè deprehendi potest, quid dissidij inter illam partem ac posteriorem super annis Olympiadum intersit.

ANNVS Christi 433. CLODIONIS R. 7.

Quartò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, à Salomone & primâ ædificatione Templi, anni* MCCCCLXVI. Prior pars Fastorum Prosperianorum colligendos docet annos duntaxat MCCCCLXII. In illâ enim *à Salomone & prima ædificatione Templi, in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, anni computati sunt* MLX. Et ab anno decimoquinto Tiberij Cæsaris vsque ad Valentis Augusti mortem, in quâ desinit, numerati sunt anni trecenti quadraginta septem. Hieronymus autem, qui calculos Eusebij secutus est, ab eodem decimoquinto Tiberij Imperatoris anno vsque ad Valentis mortem, quâ suum quoque opus absoluit, annos collegit vnum & quinquaginta supra trecentos, & error ille quadriennij, qui fluxit ab Eusebio in Hieronymum, transiit quoque in Fastos Prosperianos, qui Chronico Hieronymiano subiici solent. XI.

Quintò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, à Moyse & Cecrope Rege Attica, anni* MDCCCCXC. Hæc annorum summa nititur computo Hieronymiano, secundùm quem, vt Arnaldus Pontacus legendum docet, in fine Chronici Hieronymiani *colliguntur vsque in Consulatum Valentis* VI. *& Valentiniani Iunioris iterum, Augg. à Mose & Cecrope primo Rege Attica, anni* MDCCCCXXXV. XII.

Sextò, *colliguntur vsque ad Consulatum Theodosij* XIV. *& Maximi, ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni* MMCCCCL. Hæc annorum summa fit secundùm calculos Eusebianum & Hieronymianum. Apud Eusebium *computantur in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni* MMXLIV. Et apud Hieronymum *colliguntur vsque in Consulatum Valentis* VI. *& Valentiniani Iunioris iterum, Augg. ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni* MMCCCXCV. In priori verò parte Fastorum Prosperianorum, *computantur in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, ab anno quo natus est Abraham, anni* MMXLVII. Sed proculdubiò restituendi sunt anni MMXLIIII. quia ibidem *sunt ab Adam vsque in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, anni* MMMMMCCXXVIII. Numerales hæ duæ literæ II. facilè abierunt in istam V. In eadem quoque parte computantur ab anno decimoquinto Tiberii Cæsaris vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum, anni trecenti quadraginta septem. Recurrit igitur quadriennale dissidium, & decimusquartus Theodosii Consulatus, quem posterior pars Fastorum Prosperianorum, calculo Hieronymiano nixa, cum anno *ab Abraham* bis millesimo quadringentesimo quinquagesimo comparat, iuxta Chronologiam in priori parte stabilitam incidit in annum *ab Abraham* bis millesimum quadringentesimum quadragesimum sextum. XIII.

Septimò, *colliguntur à diluuio vsque ad Abraham, anni* MLXXI. In priori verò parte Fastorum Prosperianorum, ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, *anni* duntaxat *nongenti* XLII. *computantur à Diluuio ad primum annum Abrahæ.* Discordia est annorum centum atque vndetriginta. Prior pars citat Eusebium ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, colligitque *à diluuio vsque ad Abraham, annos* DCCCCXLII. Habet eadem Hieronymus in fine sui Chronici. Discrepantiam illam, quæ in Fastis Prosperianis inuenitur, fusiùs exponemus in annorum recapitulatione ab Adamo ad decimumquartum Theodosii Consulatum. XIV.

Octauò, *colliguntur ab Adam vsque ad diluuium, anni* MMCCXIII. Consentit prior pars Fastorum Prosperianorum ad annum decimumquintum XV.

ANNVS Christi 433. CLODIONIS R. 7. XVI.

Tiberii Cæsaris, & idem numerus reperitur, cùm in Chronico Eusebiano ad eumdem annum, tum in fine Chronici Hieronymiani.

Nonò, *sunt ab Adam, vsque ad tempus suprascriptorum Consulum*, id est, vsque ad Consulatum Theodosii XIV. & Maximi, *anni quinquies mille* DCCLXIII. In priori autem parte Fastorum Prosperianorum *sunt ab Adam vsque in annum* XV. *Tiberij Cæsaris, anni* MMMMMCCCLX. *aut* CCXXVIII. *anni verò secundum Geneseos scripturam & Africani Historici supputationem amplius inueniuntur* CXXIX. Circa hanc annorum recapitulationem patet etiam vtriusque partis discordia. Prior pars, quoniam ab anno decimoquinto Tiberii Cæsaris vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum, quo claditur, numerat annos trecentos quadraginta septem, satis indicat decimumquartum Theodosii Consulatum coincidere cum anno quadringentesimo secundo post annum decimumquintum Tiberii Cæsaris. Iam verò siue annos duos & quadringentos addas annis quinquies mille ducentis viginti octo, aut annis quinquies mille trecentis sexaginta, siue adicias annos centum viginti nouem, nusquam annos quinquies mille septingentos sexaginta tres assequeris. Ex annis enim quinquies mille ducentis viginti octo & annis duobus ac quadringentis fiunt anni quinquies mille sexcenti ac triginta. Ex annis quinquies mille trecentis sexaginta & annis duobus ac quadringentis fiunt anni quinquies mille septingenti sexaginta duo. Ex annis quinquies mille sexcentis ac triginta & annis centum viginti nouem fiunt anni quinquies mille septingenti quinquaginta nouem. Ex annis quinquies mille septingentis sexaginta duobus & annis centum viginti nouem fiunt anni quinquies mille octingenti nonaginta & vnus. Africani Historici supputationem, quæ ab Adamo, vsque in annum Tiberii Cæsaris decimumquintum, annos centum viginti nouem vltra quinquies mille ducentos viginti octo, hoc est, annos quinquies mille trecentos quinquaginta septem constituit, probat sequiturque Fastorum Prosperianorum pars posterior, quæ ab anno decimoquinto Tiberii Cæsaris vsque ad decimumquartum Consulatum Theodosii non annos duntaxat duos supra quadringentos, sed annos sex & quadringentos numerat, ideóque ab Adamo vsque ad decimumquartum Consulatum Theodosii non annos quinquies mille septingentos quinquaginta nouem, sed annos quinquies mille septingentos sexaginta tres colligit. Quadriennalis dissidii, quod inter ambas partes Fastorum Prosperianorum plerumque intercedit, causas ostendimus explicuimúsque suprà. Hoc autem loco non est tantùm discrepantia quadriennii, sed annorum præterea centum ac viginti nouem, quia prior pars ab Africano dissentit. Idque liquet ex diuersis annorum recapitulationibus; quæ fiunt à diluuio vsque ad Abraham. In priori enim parte ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, *computantur à diluuio vsque ad primum annum Abrahæ, anni nongenti* XLII. In posteriori verò ad decimumquartum Consulatum Theodosii, *colliguntur à diluuio vsque ad Abraham, anni* MLXXI. Et hanc annorum viginti nouem supra centum discordiam ex Africani supputatione profectam prior pars docet ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris. Nam postquàm annos MMMMMCCXXVIII. ab Adamo vsque ad illum annum Tiberii decimumquintum collegit, aliam opinionem, quæ annos centum viginti nouem superaddit, proximè subiungit hoc modo. *Anni verò secundum Geneseos scripturam & Africani Historici supputationem amplius inueniuntur* CXXIX. Ab Africani sententia recedunt, Eusebius, Hieronymus, prior pars Fastorum Prosperianorum & Marcellinus. Etenim Eusebius & prior pars Fastorum Prosperianorum ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, & Hieronymus in fine sui Chronici, non plures annos quàm nongentos quadraginta duos à diluuio colligunt vsque ad Abraham. Deinde apud Eusebium ad annum decimumquintum Tiberii Cæsaris, *computantur ab Adam, vsque ad Diluuium, anni* MMCCXLII. *A Diluuio, vsque ad*

ANNVS Christi 433. CLODIONIS 7.

Abraham, annis DCCCCXLII. *Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, in annum quintumdecimum Tiberij Cæsaris, anni* MMXLIV. Et ex tribus illis summis conficiuntur, anni MMMMMCCXXVIII. quos ad eundem annum Tiberij decimumquintum habet etiam prior pars Fastorum Prosperianorum. Præterea in fine Chronici Hieronymiani *colliguntur vsque in Consulatum Valentis* VI. *& Valentiniani Iunioris iterum, Augg. à* XV. *Tiberij anno & prædicatione Domini Iesu Christi, anni* CCCII. Ideóque paulò pòst rectissimè supputantur vsque in eundem Consulatum *ab Abraham & regno Nini & Semiramidis, anni* MMCCCXCV. & *ab Adam, anni* MMMMMDLXXIX. Denique Marcellinus in suâ præfatione testatur Chronicon, quod Hieronymus Eusebiano subiecit, desinere in eodem anno Orbis conditi quinquies millesimo quingentesimo septuagesimo nono. *Igitur*, inquit, *vterque huius operis auctor*, (Eusebius videlicet & Hieronymus) MMMMMDLXXIX. *annorum hunc mundum tunc fore miro computauit ingenio.* Secundùm hosce computos decimusquartus Theodosij Consulatus, qui annum post Valentis mortem quinquagesimum quintum designat, incidit in annum ab Orbe condito quinquies millesimum sexcentesimum tricesimum quartum, non autem in annum quinquies millesimum septingentesimum sexagesimum tertium, quem posterior pars Fastorum Prosperianorum ascribit.

XVII. In fine Chronici Hieronymiani sunt vndecim recapitulationes annorum, nouem in posteriori parte Fastorum Prosperianorum ad decimumquartum Theodosij Consulatum. Fasti Prosperiani, quia sententiam Africani sequuntur, dissentiunt à duabus Hieronymi supputationibus, augentque singulas annis centum & vndetriginta. Apud Hieronymum *à Diluuio vsque ad Abraham supputantur anni* DCCCCXLII. Apud Prosperum autem *colliguntur à Diluuio, vsque ad Abraham, anni* MLXXI. Apud Hieronymum *fiunt ab Adam vsque ad* XIV. *Valentis annum, id est, vsque ad Consulatum eius* VI. *& Valentiniani iterum, omnes anni* MMMMMDLXXIX. Fasti verò Prosperiani, cum ab Adamo vsque ad decimumquartum Theodosij Consulatum annos colligunt *quinquies mille* DCCLXIII. Supponunt ab Adamo vsque ad sextum Valentis Augusti Consulatum annos effluxisse MMMMMDCCVIII. Ratio nos latet, cur Prosper in posteriori parte Fastorum sequatur Africani computum, qui nec Eusebio, nec Hieronymo, nec etiam Prospero in priori parte Fastorum placuit. Prior pars Fastorum Prosperianorum ab Africano dissentit, adhæretque Eusebio, cuius auctoritatem in annorum recapitulatione à Diluuio vsque ad primum annum Abrahæ sic commendat. *A Diluuio autem vsque ad primum annum Abrahæ, ann.* DCCCCXLII. *Eusebius vir diligentissimus adnumerauit.* In editionem huius periodi nonnihil irrepserat vitij, quod rectè à nobis emendatum lector facilè iudicabit. Non ignoramus, primam recapitulationum Hieronymianarum, quæ ab Vrbe condita sumitur, in vetustioribus editionibus solam legi, solámque à Iosepho Scaligero laudari, ceteras verò tanquam suppositicias reiici. Sed cùm Prosper, omissis tantùm duabus Hieronymianis recapitulationibus, quæ *ab Vrbe condita* & *à captiuitate Troiæ* petuntur, reliquas vel *ab Adam vsque ad Diluuium* & *à Diluuio vsque ad Abraham*, vel ad sua vsque tempora perducat *à* XV. *Tiberij anno, ab instauratione Templi sub Dario, ab Olympiade prima & Isaia Propheta, à Salomone & primâ ædificatione Templi, à Moyse & Cecrope Rege Atticæ, ab Abraham & regno Nini & Semiramidis*, denique *ab Adam*, certè tanta conformitas suadet, vt credamus eas in Chronicis Hieronymi visas à Prospero. Extant omnes in Codice Bongarsiano, literis vncialibus exarato, temporibus Heraclij Augusti, qui cœpit imperare anno Christi sexcentesimo decimo. Iosephus Scaliger sub finem animaduersionum in Chronicon Hieronymianum, vetustatem huius Codicis agnoscit, quam duæ annorum recapitulationes Hieronymianis additæ testantur, nam prior à sexto Valentis Augusti Consulatu in quo Chronicon Hieronymianum desinit, posterior sumitur ab Adamo, vtraque perducitur ad Indictionem, quæ currebat,

ANNVS Christi 433. CLODIONIS 7.

cùm liber ab Antiquario scriptus est. At in reddendis characteribus Chronologicis, quibus istæ recapitulationes componuntur, videtur haud parum torqueri. *A* XIV. inquit, *ann. Valentiniani, Valentisque, vsque hodie, Ind.* XV. *die Kal. Martias, Imp. Heraclio, sunt anni* CCXLVIII. *Fiunt omnes anni ab Adam, vsque hic, anni* MMMMMDCCCXXIV. Deinde addit restitutam à se *Ind.* XV. cùm vitiosè *Ind.* XII. in Codice legeretur, in quo sæpius accidisse dicit, vt duo II. pro V. propter similitudinem ponerentur. Kalendæ Martiæ sub Heraclio Augusto cum Indictione decimâquintâ bis coinciderunt, semel anno Christi sexcentesimo duodecimo, iterum anno Christi sexcentesimo vicesimo septimo. Neuter annus cum prædictis recapitulationibus conuenit. Annus enim post Valentis mortem ducentesimus quadragesimus octauus secundùm Hieronymum, qui calculum Eusebianum sequitur, incidit in annum Christi sexcentesimum vicesimum nonum, & secundùm nostram supputationem, quæ triennium ex Chronico Eusebiano rescindendum affirmat, anno Christi sexcentesimo vicesimo sexto illigari debet. Vitium, quod erat in Indictione, aliâ egebat emendatione. Numerus XII. diuidendus fuit in duos, in X. videlicet & II. quorum prior Indictionem significaret, posterior ad diem ante Kalendas Martias referretur hoc modo, *Ind.* X. II. *die Kal. Martias*, id est, Indictione decimâ, pridie Kalendas Martias. Toto Heraclij Principatu bis tantùm contigit, vt Kalendæ Martiæ cum Indictione decimâ compararentur, annis nempe septimi seculi vicesimo secundo & tricesimo septimo. Irreplit error in numerum annorum, qui colliguntur ab anno decimoquarto Valentis, vsque ad Heraclij annum, quo liber scriptus est. Ponuntur enim anni CCXLVIII. Effluxerunt autem anni duntaxat CCXLIIII. ab anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo qui Valentis Augusti decimusquartus fuit, vsque ad annum Christi sexcentesimum vicesimum secundum quo Codicem exaratum dicimus. Litera numeralis I. abiit in V. Certè constat in duabus annorum recapitulationibus, quæ Hieronymianis subiectæ sunt, numeros fuisse deprauatos, quia nec inter se, nec cum Hieronymianis quadrant istæ recapitulationes. In fine Chronici Hieronymiani *sunt ab Adam, vsque ad* XIV. *Valentis annum, anni* MMMMMDLXXIX. his si aggregentur *anni* CCXLVIII. à decimoquarto Valentis anno vsque ad tempus quo Codex exaratus est, non computabuntur ab Adamo *anni* MMMMMDCCCXXIV. vt Codex habet, sed anni MMMMMDCCCXXVII. At melius reponentur anni MMMMMDCCCXXIII. hic enim numerus conficitur ex annis MMMMMDLXXIX. qui leguntur in fine Chronici Hieronymiani, & ex annis CCXLIIII. quos asserimus esse computandos ab anno in quo Chronicon Hieronymianum desinit, vsque ad annum quo scriptus est Codex de quo nobis nunc est sermo. Facilis est hæc correctio, V. mutari tantùm debet in II. vt ex annis MMMMMDCCCXXIV. fiant anni MMMMMDCCCXXIII. Quemadmodum Scaliger affirmat sæpius accidisse, vt in illo Codice duo II. pro V. ponerentur propter similitudinem, ita vicissim plerumque contigisse credimus, vt V. pro duobus II. collocaretur. Vtriusque generis menda frequenter occurrent inferiùs in aliis Codicibus corrigenda.

XVIII. Ex variis, opinor, locis huius dissertationis, quæ fortè tibi prolixior videbitur, quatuor res facilè deprehendes ab instituto nostro non alienas; Fastorum Prosperianorum, qui publicati sunt, ambas partes non vnius esse scriptoris; ex Chronico Eusebiano in Hieronymianum, atque in posteriores etiam authores erroneam fluxisse annorum supputationem à Christo cùm nato tum auspicato prædicationem; mendum trium esse annorum in computis à Natiuitate Christi, quatuor autem annorum in computis ab eius prædicatione; vtrique errori Eram Hispaniensem refragari, de qua peculiarem alibi sermonem instituemus.

ANNI CHRISTI 434. 435. 436. 437. 438. 439.
CLODIONIS R. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

ANNI Christi 434. & seqq. CLOD. R. 8. 9. &c.

SVPER Consulibus subsequentium sex annorum conueniunt in suis Fastis, Prosper, Idatius, Cassiodorus & Marcellinus. I.

Annus Christi quadringentesimus tricesimus quartus notatur Aspare & Ariobindo Consulibus.

Anno Christi quadringentesimo tricentesimo quinto Consulatum inierunt ambo Augusti, Theodosius decimumquintum & Valentinianus quartum.

Anno Christi quadringentesimo tricesimo sexto Consules scribuntur Isidorus & Senator.

Anno Christi quadrigentesimo tricesimo septimo Consules fuerunt Aetius iterum & Sigisuultus.

Anno Christi quadringentesimo tricesimo octauo Consulatum susceperunt Theodosius Augustus decimum sextum & Faustus.

Anno Christi quadringentesimo tricesimo nono Consules ponuntur Theodosius Augustus decimùm septimùm & Festus. 11. His Consulibus, vt Prosper in Fastis testatur, Litorius Dux Romanorum pugnam cum Gothis imprudenter conseruit. Non multò post Litorianam illam cladem Saluianus libros suos de gubernatione Dei composuit, cùm autem scribebat, haud pridem vrbs Treuirorum [a] quartum excidium passa fuerat, Moguntia iacebat excisa & deleta, Agrippina plena erat hostibus, nempe Francis qui res suas in illo Galliæ Belgicæ tractu firmare satagebant. Ceterùm ex quo subacta fuit à Francis Agrippina, luctuosus ibi fuit Ecclesiasticarum rerum status, donec Clodoueus Rex cultum Christianæ Religionis restituit. Longum enim per ista tempora interpontificium numeratur ab obitu Sancti Euergisli, qui vixit synchronus Faramundo, & ad Clodionis tempora peruenit, vsque ad Aquilinum, de quo acturi sumus sub Clodoueo Rege. Sanctus Euergislus oriundus è Tongria, sancto Seuerino, qui sub obitum sancti Martini Turonensis Episcopi iam senior erat, in Episcopatu Agrippinensi successit, postèà fidei feruore inflammatus ad Tungros profectus est idololatriæ sordes eliminaturus, in eóque opere crudeliter à latronibus necatus occubuit nono Kalendas Nouembris, vt in actis eorumdem Seuerini atque Euergisli legitur [b].

[a] Saluian. de gubern. Dei lib 6.

COLONIA CAPTA A FRANCIS.

EVERGISLVS COLONIENS. EPISC. MARTYR.

[b] Ap. Sur. d. 24. Oct.

ANNI CHRISTI 440. 441.
CLODIONIS R. 14. 15.

ANNI Christi 440. 441. CLOD. R. 14. 15.

ANNVS Christi quadringentesimus quadragesimus Consules in omnibus Fastis habet Valentinianum Augustum quintò & Anatolium. I.

Annus Christi quadringentesimus quadragesimus primus in iisdem Fastis notatur Cyro solo Consule. Is annus post Faramundi mortem fuit decimus quintus, quo, si verus est Sigeberti [c] calculus, Clodio Rex ad Somonam * vsque penetrauit, finibus regni sui latè propagatis. Rem absque vllà tempo- II.

[c] In Chron. * La Somme.

A.C. 441. [a] Lib. 2. c. 9. FRANCI AD SOMONAM. [b] Gest. Regg. Franc. c. 1. Roric. l. 1. Sigeb. in Chron. * *La foreſt Charbonniere.* LEONARDVS AMBIAN. EPIS.

tis notâ ſic narrat Gregorius Turonenſis [a], *Chlogio miſſis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perluſtrata omnia ipſe ſecutus, Romanos proterit, ciuitatem adprehendit, in qua paucum tempus reſidens, vſque Summam fluuium occupauit.* Recentiores [b] aiunt exploratores à Clodione miſſos Diſpargo, quod in Thuringia tranſrhenana ſitum falsò ſupponunt, iter autem Diſpargo vſque ad Somonam per Carbonariam * ſyluam, & per ciuitates Tornacenſem & Cameracenſem rectè deſcribunt, denique Clodio, teſte Roricone *ingreſſus Ambianorum vrbem, ibidem & regni ſedem ſtatuit, & deinceps pacato iure quieuit.* Ambianenſium Epiſcopus tunc erat Leonardus, vt indicat Ambianenſium Epiſcoporum catalogus editus ab Adriano Morlierio; Eccleſiæ verò Tornacenſis & Cameracenſis orbatæ Præſulibus erant, ex quo Vandali prouinciam illam vaſtauerant.

442. *& ſeqq.* CLOD. R. 16. 17. 18. 19.

ANNI CHRISTI 442. 443. 444. 445. CLODIONIS R. 16. 17. 18. 19.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, Conſules in Faſtis Proſperi, Caſſiodori & Marcellini, leguntur Dioſcorus & Eudoxius. Hic omittitur ab Idatio.

II. Anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo tertio, Conſules fuerunt Maximus iterum & Paterius, vt ſcribunt quatuor auctores Faſtorum prælaudati.

III. Iiſdem reſtibus, annus Chriſti quadringenteſimus quadrageſimus quintus Conſules habuit Theodoſium Auguſtum decimò octauo & Albinum.

IV. Anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo quinto, Valentinianus Auguſtus in Faſtis Idatii ſextùm Conſul notatur abſque collega, ſed ei Nonium collegam addunt, Proſper, Caſſiodorus & Marcellinus.

V. In hoc ſexto Conſulatu Valentiniani Auguſti & Nonii definunt antiquæ Faſtorum Proſperianorum editiones. Andreas Ducheſnius [c] Conſules annorum decem proximè ſequentium vſque ad annum Chriſti quadringenteſimum quinquageſimum quintum, quo vrbs à Genſerico Vandalorum Rege capta eſt, primus vulgauit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto. Suam procul dubio lucubrationem vſque ad octauum Valentiniani Auguſti Conſulatum, ſiue vſque ad direptionem Romæ per Genſericum, id eſt, vſque ad annum Chriſti quadrigenteſimum quinquageſimum quintum, perduxit Proſper, vt ad illum annum ex auctoribus coætaneis probabimus. Errant, qui Victoris Epiſcopi Tununenſis Chronico hæc inſtar præfatiunculæ præponunt. *A XVIII. Conſulatu Theodoſii Iunioris, Victor Epiſcopus Tununenſis Eccleſiæ Africæ hiſtoriam proſequitur, vbi Proſper reliquit.* Hos ſcriptores ſatis confutat Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in libro [d] de viris illuſtribus, vbi principium Chronici Victorini non à decimo octauo Conſulatu Theodoſii, ſed ab orbis conditu ſic repetit. *Victor Tununenſis Eccleſiæ Africanus Epiſcopus. Hic à principio mundi vſque ad primum Iuſtini Iunioris Imperij annum, breuem per Conſules annuos bellicarum Eccleſiaſticarumque rerum nobiliſſimam promulgauit hiſtoriam, laude & notatione illuſtrem, ac memoriâ digniſſimam.*

[c] Tom. 1. collect. hiſt. Franc.

[d] Cap. 38.

ANNVS CHRISTI 446. CLODIONIS R. 20.

ANNI Christi 446. CLODIONIS R. 20.

I.

ANNVS Christi quadringentesimus quadragesimus sextus Consules [a] habuit Aetium tertiò & Symmachum. Hoc anno mortem Clodionis Regis consignantus authoritate Prosperi, habet enim huius calculi duplex argumentum in suo Chronico; alterum quòd annos viginti regni tribuit; alterum quòd Merouei Regis primùm meminit biennio postquam Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem suum interemit, in fastis autem Consularibus Prosper interitum Bledæ collocat sub decimo octauo Theodosij Consulatu, qui coincidit cum anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto. Sigebertus Clodionem decem & octo duntaxat annis regnasse scribit, quia Faramundi regnum biennio vltra quàm par est, ad annum vsque vndecimum producit, sed is qui scripsit [b] gesta Regum Francorum, Rorico [c], Aimoinus [d] Prospero constanter astipulantur.

[a] Prosp. Cassiod Marcell. CLODIO MORITVR.

[b] Cap. 5. [c] Lib. 1. [d] Lib. 1. c. 6.

II.

Sublato Clodione inter eius liberos ortam de regno dissensionem testatur Priscus Rhetor qui tum viuebat. Meroueus igitur Clodionis in regno successor, quem fuisse de illius stirpe quidam apud Gregorium Turonensem [e] asserunt, à Sigeberto & ab aliis filius eiusdem Clodionis rectè pronuntiatur. Interpolator apud Fredegarium Meroueo matrem tribuit vxorem Clodionis, quis autem natum potiùs ex Clodione non opinetur quam ex bestiâ Neptuni? de quâ sic ille [f]. *Fertur super littore maris æstatis tempore Chlodeone cum vxore residente meridie, vxor ad mare lauatum vadens terretur à bestiâ Neptuni, qui Minotauro similis eam adpetisset, cúmque in continuo à bestiâ tacta fuisset, concepit ac peperit filium Merouæum nomine à quo Reges Francorum postea Merouingi vocantur.* Vixit Fredegarius vigente Merouingorum Regum familiâ, floruitque regnantibus Dagoberti Primi filiis nepotibúsque, nec vnquam ausus est talem fabulam in contemptum Regiæ stirpis euulgare. Legitur etiam apud eundem auctorem [g] altera interpolatio de bestiis à Childerico visis ante fores Palatij primâ nocte nuptiarum, vt ad annum Christi quadringentesimum sexagesimum quintum dicturi sumus. Gregorius Turonensis, quem Fredegarius in epitomen redigendum suscepit, vtriusque commenti nullam mentionem fecit. Excogitatæ sunt huiuscemodi fabellæ sub Carolinis Principibus, vt Merouingi, quibus hi subrogati fuerant, apud posteros in viliori ponerentur existimatione.

[e] Lib. 2. c. 9. SVCCEDIT MEROVEVS FILIVS.

[f] Hist. epitom. c. 9.

FREDEGARII INTERPOLATIONES.

[g] Cap. 12.

ANNI CHRISTI 447. 448. 449. 450. MEROVEI R. 1. 2. 3. 4.

447. & seqq. MEROVEI R. 1. 2. 3. 4.

I.

IN Fastis Prosperi, Idatii, Cassiodori, Marcellini & Victoris, hi Consules leguntur.

Anno Christi quadrigentesimo quadragesimo septimo Callepius & Ardabures.

Anno Christi 448. Posthumianus & Zeno.

ANNVS Christi 450. MEROVEI R. 4. II.

Anno Christi quadringentesimo quadragesimo nono Asturius & Protogenes.

Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo Valentinianus Augustus septimùm & Abienus.

Toto illo quadriennio & ampliùs durauit inter Meroueum eiúsque fratrem grauis de Francorum Principatu dissensio. Obiit Theodosius Orientis Imperator, vt Prosper, Cassiodorus, Marcellinus & Victor in suis Fastis obseruant, Valentiniano Augusto septimùm & Abieno Consulibus, siue anno Christi quinquagesimo supra quadringentesimum, nec ab illa sententia recedit Idatius in suo Chronico, cùm eiusdem Theodosii mortem consignat anno primo post Consulatum Asturii, & anno vicesimo septimo post obitum Honorii Augusti, Asturius enim cum Protogene Consulatum gessit anno Christi quadringentesimo quadragesimo nono, & Honorius è viuis excessit anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, Mariniano & Asclepiodoto Consulibus. Post mortem autem Theodosii, cùm Attila Rex Hunnorum versùs Occidentem iter cum exercitu suscepit, nondum quiescebat à ciuili bello Francia, nam Priscus Rhetor, qui tum in viuis erat, & alterum Clodionis filium Romæ vidit, Attilæ consilia sic explicuit in sua Historia.

MEROVEVS ET FRATER DISSIDENT.

ATTILÆ CONSILIA.

Cùm primùm Attilæ nunciatum, Marcianum post Theodosii mortem ad Imperium euectum fuisse, nuntiatum præterea de Honoria, ad eum quidem qui in Occidente rerum potiebatur misit legatos, qui dicerent nullam Honoriæ iniuriam fieri quam sibi ipse despondisset, se porrò vltorem ei venturum nisi hæreditaria Imperij portio ipsi redderetur. Ad Orientales autem Romanos legationem misit propter tributa quæ constituta erant. Sed re infectâ Legati vtrinque sunt reuersi. Etenim Imperator quidem Occidentis respondit, Honoriam ipsi nubere non posse quæ iam alteri nupsisset, neque Imperium Honoriæ deleri. Virorum enim non mulierum Romanum Imperium esse. At Orientales passuros se nunquam dixere tributi illationem, quam Theodosius pepigerat. Quiescenti munera largituros, bellum minanti obiecturos arma virósque nequaquam ipsius copijs deteriores. Itaque Attila in varias distrahebatur sententias, hærebátque incertus quos primùm aggrederetur. Tandem satius ei visum est ad difficilius bellum sese conuertere, & in Occidentem copias ducere. Illic enim sibi rem fore non solùm cum Italis, sed etiam cum Gothis & Francis. Cum illis quidem vt Honoriam cum thesauris acciperet vxorem, cum Gothis verò vt à Gesericho gratiam iniret. At Francos bello lacessendi occasionem ei subministrabat Regis illorum obitus, & de regno inter liberos eius orta dissensio. Quorum maior natu Attilam, minor Aetium in auxilium vocare statuerat. Hunc nos Romæ legationem obeuntem vidimus, adhuc imberbem, flauâ comâ, adeóque promissâ, vt super humeros circumfusa esset. Eum Aetius filium à se adoptatum multísque cùm ab ipso tum ab Imperatore ornatum muneribus, & amicum ac socium populi Romani appellatum dimisit. His de causis expeditionem parans Attila rursus Legatos in Italiam misit, qui Honoriam tradi poscerent, eam enim sibi desponsam esse. Cuius rei argumentum afferebat annulum sibi ab Honoria transmissum, quem etiam adhibendum dederat Legatis. Mediâ quoque Imperij parte sibi vt Valentinianus cederet petebat, quippe quam Honoria quidem à patre relictam hæreditario iure accepisset, fratris autem anaritia eidem eripuisset. Sed cùm Occidentales Romani in eadem sententia perstarent, neque vllis eius postulationibus auscultarent, eò magis Attila apparatum belli vrgere cæpit.

III. MEROVEI FRATER ROMAM PROFECTVS.

Vtrùm Meroueus vel eius frater is sit, quem Priscus visum à se Romæ scribit, multi disputant. Meroueum fuisse suadet illius Regis amicitia cum Aetio, quando pugnatum est aduersus Attilam in campis Catalaunicis, sed ætas conuenit fratri natu minori, neque enim Meroueus imberbis tunc erat, cuius filius Childericus anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto nimiâ iam luxuriâ dissolutus arguitur à Gregorio Turonensi [a]. Sic autem ista conciliari debent. Meroueus post obitum Clodionis in regnum successit, frater cùm ætate tum potentiâ minor profugit ad Romanos, à quibus promptissimum

[a] Lib. 2. c. 12.

tissimum ac potentissimum auxilium sperabat. Meroueus, vt consilia fratris eluderet, Attilæ se socium dixit, Attila, cùm anceps hæsisset diu quò vergeret, in Galliam contendit. Aetius eò missus nullum lapidem non mouit vt Attilam retunderet, fœdus inprimis cum Meroueo Francorum Rege sanciendum duxit neglecto illius fratre, cui priùs amicum se simularat opemque pollicitus fuerat, vt certantibus inter se fratribus ciuile bellum in Franciâ foueret. Meroueus Aetij legatione susceptâ sententiam quoque mutauit, & à partibus Attilæ recessit, quocum amicitiam inierat eâ tantùm de causâ, quia sibi timebat à Romanis, ad quos frater se receperat.

ANNVS Christi 450. MEROVEI R. 4. MEROVEVS & AETIVS FOEDERATI. IV.

Illâ tempestate, *cùm rumor erat*, vt Gregorius Turonensis [a] ait, *Chunos in Gallias velle prorumpere*, obiit Tungrorum Episcopus cui nomen est *Seruatius* in vulgatâ historiâ Gregorij [b] Turonensis, & in vulgatâ historiâ Francorum per Fredegarium Scholasticum epitomatâ, *Aruatius* apud Gregorium Turonensem in libro [c] de gloriâ Confessorum manuscripto, *Aruatius* in eodem libro edito Coloniæ ac Parisiis & apud Fredegarium initio historiæ epitomatæ [d] in Codice manuscripto Iacobi Sirmundi, *Azanarius* apud Auentinum, *Arauatius* in Codice Corbeiensi; ceteri Codices manuscripti, quos alibi laudauimus, hoc loco vel manci sunt vel mucore consumpti. Irrepsit proculdubiò mendum in vulgatam historiam Gregorij Turonensis, & Seruatij loco reponendus est aut Arauatius ex Codice Corbeiensi, aut Aruatius ex libro de gloriâ Confessorum, quem legendum ipsemet Gregorius libro secundo vulgatæ historiæ proponit iis, qui plura scire cupierint de eodem Tungrorum Antistite, cùm Hunnorum irruptio Galliis imminebat, mortuo. Gregorij autem historiâ sic emendatâ, Tungrensis Episcopus de quo nunc agimus, à Seruatio * qui beato Athanasio synchronus vixit & Conciliis Sardicensi * atque Ariminensi * interfuit, non modò reipsâ ac multorum annorum spatio, vt Hadrianus Valesius libro tertio rerum Francicarum scripsit, sed etiam appellatione differt, vt idem author in præfatione tomi secundi primus obseruauit. Hæc de nomine, cetera iam persequamur.

[a] Lib. 2. c. 5.
[b] Lib. 2. c. 5
[c] Cap. 71.
[d] Cap. 1.

ARAVATIVS TVNGRENS. EPISC.
* S. Seruais.
* De Sardique.
* De Riminj.

V.

Rumor erat Chunos in Gallias velle prorumpere. Erat autem tunc temporis apud Tungris oppidum Arauatius, corruptè Seruatius in vulgatis exemplaribus, *eximiæ sanctitatis Episcopus, qui vigiliis ac ieiuniis vacans, crebro lachrimarum imbre perfusus, Domini misericordiam precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, sibique semper indignam in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per spiritum, pro delictis populi, sibi hoc non fuisse concessum, consilium habuit expetendi vrbem Romanam, scilices vt adiunctum sibi Apostolicæ virtutis patrocinia, qua humiliter ad Dei misericordiam flagitabat, mereretur facilius obtinere. Accedens ergo ad beati Apostoli tumulum, deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multâ abstinentiâ, maximâ inediâ se consumens, ita vt biduo triduóque sine vllo cibo potúque maneret, nec esset interuallum aliquod in quo ab oratione cessaret. Cúmque ibidem multorum dierum spacia in tali afflictione moraretur, fertur hoc à beato Apostolo accepisse responsum. Quid me, vir sanctissime, inquietas? Ecce enim apud Domini deliberationem prorsus sancitum est, Chunos in Gallias aduenire, easque maximâ tempestate debere depopulari. Nunc igitur sume consilium meum, accelera velociter, ordina domum tuam, sepulturam compone, require linteamina munda. Ecce enim migrabis à corpore, nec videbunt oculi tui mala quæ facturi sunt in Gallis, sicut locutus est Dominus Deus noster. Hoc à sancto Apostolo Pontifex responso suscepto, iter accelerat, Galliasque velociter repetit, venienseque ad vrbem Tungrorum, quæ erant necessaria sepulturæ secum citiùs leuat, valedicenseque clericis ac reliquis ciuibus vrbis, denunciat cum fletu & lamentatione, quia non visuri essent vltrà faciem illius. At illi cum eiulatu magno & lachrimis eum prosequentes, supplicabant humili prece, dicentes. Ne derelinquas nos Pater sancte, ne obliuiscaris nostri Pastor bone, sed cùm eum fletibus reuocare non possent, acceptâ benedictione cum osculis redierunt. Hic verò ad Traiectensem * vrbem accedens, modicâ pulsatus febre, recessit à corpore. Ablatusque à fidelibus iuxta ipsum aggerem publicum est sepultus. Cuius beatum corpus qualiter post multorum temporum spacia sit translatum, in*

IT ROMAM.
* Maestricht.
MORITVR.

ANNVS Christi 450. MEROVEI R. 4.

libro Miraculorum scripsimus. Huc vsque Gregorius Turonensis [a] in historiâ Ecclesiasticâ, per librum autem Miraculorum intelligit librum de gloriâ Confessorum, in quo de Aruatio Traiectensium Episcopo sic scribit [b]. *Aruatius Traiectensis Episcopus, tempore Chunorum, cùm ad inrumpendas prorumperent Gallias, fuisse memoratur; qui & sepultus refertur iuxta pontem ipsum aggeris publici, circa cuius sepulchrum quamuis nix defluxisset, nunquam tamen marmor quod super erat positum humectabat, & cùm loca illa nimij frigoris gelu ligentur, & nix vsque in trium & quatuor pedum crassitudine terram operiat, tumulum vllatenus non adtingit. Datur enim intelligi verum Israëliticum hunc esse. Nam illis inter muros aquarum aquæ non sunt perniciei, sed salutis. Et circa huius iusti tumulum nix decidens, non humoris causa est, sed honoris. Videasque in circuitu montes niueos elenari, nec tamen adtingere terminum monumenti, & non miramur si terra operiatur niue, sed miramur quomodò adtingere ausa est locum beati sepulchri. Nam plerumque deuotio atque studium fidelium oratorium construebant de tabulis ligneis leuigatisque, sed protinus aut rapiebantur vento, aut sponte ruebant. Et credo idcirco ista fieri, donec veniret qui dignam adificaret fabricam in honore Antistitis glorioſi. Procedente verò tempore aduenieus in hac vrbe Monulfus Episcopus templum magnum in eius honore construxit, composuit ornauitque, in quo multo studio & veneratione translatum corpus, magnis nunc virtutibus pollet.* Huc vsque manuscriptus Codex Thuaneus, qui Petri Pithœi quondam fuit, & octo libros Gregorij Turonensis amplectitur, duos de gloriâ Martyrum, quatuor de miraculis sancti Martini, vnum de vitis Patrum, item vnum de gloriâ Confessorum.

[a] Lib. 2. c. 5.
[b] Cap. 72.

VI. Gregorius Turonensis libro secundo historiæ, postquàm Tungrensis Episcopi profectionem in Italiam obitúmque capite quinto enarrauit, caput sextum sic auspicatur, *igitur Chuni à Pannoniis egressi (vt quidam ferunt) in ipsâ sanctæ Paschæ vigiliâ, ad Metensem vrbem, reliqua depopulando, peruenisunt,* & caput septimum sic, *Attila verò Chunorum Rex à Metensi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aurelianis* * *adgreditur.* Vnde patet eos hallucinari, qui Hunnorum in Gallias irruptionem, quâ imminente Tungrensis Episcopus obiit, aliam interpretantur ab eâ quam fecit Attila, recurruntque ad antiquiorem quæ propiùs accedat ad ætatem Seruatij, qui conciliis Sardicensi & Ariminensi interfuit. Martyrologi Gregorium Turonensem tertio Idus Maias exscripserunt, & quamuis nomen Seruatij retinuerint, non indicarunt Seruatium beato Athanasio synchronum qui sepulturæ mandatus est Tungris, sed Arauatium qui sedem Pontificiam Tungris transtulit traiectum ad Mosam, vbi obiit ac sepultus fuit hoc anno, cùm rumor de proximâ Chunorum in Gallias irruptione iam spargeretur. Ab hoc autem anno vsque ad annum Christi quingentesimum duodecimum, quo mortem Falconis Episcopi Traiectensis sub Theodorico Rege consignabimus, anni numerantur duo ac sexaginta, quos in quatuor Præsulatus partiemur satis commodè, si Supplicio qui post beatum Arauatium sedit, annos in Pontificatu quindecim, totidem Quirillo, itemque Eucherio, septemdecim verò Falconi tribuamus.

* Orleans.

ALIVS A SERVATIO.

451. MEROVEI R. 5.

ANNVS CHRISTI 451. MEROVEI R. 5.

I. ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo primo Consulatum [c] inierunt Marcianus Augustus & Adelfius. His Consulibus, inquit Prosper in fastis, *Athila post necem fratris, auctus opibus interempti, multa vicinarum*

[c] Prosp. Marcell. Cassiod. Idat.

sibi gentium millia coëgit in bellum, quod Gothis tantùm se inferre, tanquam custos Romanæ amicitiæ denuntiabat. Sed cùm transito Rheno sæuissimos eius impetus multæ Gallicanæ vrbes experirentur, citò & nostris, nempe Romanis, *& Gothis placuit, vt furori superborum hostium consociatis exercitibus repugnaretur. Tantaque Patricij Aetij prouidentia fuit, vt raptim congregatis vndique bellatoribus viris, aduersæ multitudini non impar occurreret. In quo conflictu quamuis neutris cedentibus inæstimabiles strages commorientium factæ sint, Chunos tamen constat illos fuisse, quòd amissâ præliandi fiduciâ qui superfuerant ad propria reuerterunt.* Cassiodorus qui Regi Gotho fuit à secretis, & Gothicam gentem impensiùs laudauit, hæc habet sub iisdem Consulibus Marciano & Adelfio. *Romani Aetio Duce Gothis auxiliaribus contra Attilam in campis Catalaunicis pugnauerunt, qui virtute Gothorum superatus abscessit.* Prosper & Idatius in suis chronicis irruptionem Hunnorum in Gallias notant anno Marciani Augusti primo. Is qui vitam Sigeberti Tertij scripsit, excidium Galliarum factum testatur *anno post mortem sancti Martini* LIV. *Meronechi anno quinto.* Quibus characteribus egregiè confirmatur nostra Chronologia.

ANNVS Christi 451. MEROVEI R. 5.

II. VARIAS VRBES CAPIT.

In gestis [a] Regum Francorum ex Codice Cameracensi res ab Attilâ eis Rhenum gestæ sic perstringuntur, *Chunі Rhenum transierunt, Mettis succenderunt, Treueris distruunt, Tungrus pernadunt, vsque Aurilianis peruenientes.* Vastarunt igitur Hunni Franciam peruasis Tungris. Meroueus, postquam illi recesserunt in Galliam interiorem progressi, damna quæ genti suæ fuerant illata studuit reparare, quapropter nec Attilam insecutus est, nec pugnæ interfuit Aurelianensi, quâ victi sunt primùm Hunni, vt apud Gregorium Turonensem [b] & in vitâ [c] sancti Aniani Aurelianensis Episcopi narratur, sed Romanis postea Wisigothisque socium se iunxit, cùm Attila fugatus à Ligeri rediret ad Rhenum solutâ Aureliæ * obsidione, nec Franciæ fines ab hoste tam formidoloso tuti viderentur. Pugnatum est in campis Catalaunicis. Iordanus [d] *ab vtrisque partibus* CLXII. *millia cæsa* refert, *exceptis* XC. *millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes mutuis concidêre vulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.* Idatius [e] vtramque stragem complexus, CCC. *fermè millia hominum in eo certamine occidisse* memorat. Quanam in regione siti sint campi Catalaunici quos Gregorius Turonensis [f] Mauriacos, Iordanus & [g] Mauricios vocat, non omnes consentiunt, sed quæstionem omnem dirimit Idatius [h], dum campos Catalaunicos collocat *haud longè de ciuitate Mettis, quam* Hunni *effregerant*, innuit enim campos à vicino Catalauno *, quod oppidum est ad Matronam, ita vocatos, quorum initium duabus leucis à Catalauno ponitur apud Spinetum *, vbi hodie Virginis Deiparæ augustissimum templum de Spinâ dictum conspicitur, apud Iordanum [i] c. *leugas, vt Galli vocant, in longum tenent, &* LXX. *in latum, leuga autem Gallica mille & quingentorum passuum quantitate mettitur.*

[a] Cap. 1.

VINCITVR AD AVRELIAM.

[b] Lib. 2. c. 7.
[c] Cap. 10. ap. Sur. d. 17. Nou.
* *Orleans.*

ET IN AGRIS CATALAVNICIS.

[d] Lib. de reb. Get.
[e] In Chron.
[f] Lib. 2. c. 7.
[g] Lib. de reb. Get.
[h] In Chron.
* *Chaalons sur Marne.*
* *Nostre Dame de l'Espine.*
[i] Lib. de reb. Get.

III.

De pugnâ Catalaunicâ hæc habet Idatius in suo chronico. *Gens Hunnorum pace ruptâ depræda tur prouincias Galliarum; plurimæ ciuitates effractæ; in campis Catalaunicis haud longè de ciuitate, quam effregerant, Mettis *, Aetio Duci & Regi Theodori, quibus erat in pace societas, aperto Marte confligens diuino cæsa superatur auxilio; bellum nox intempesta diremit; Rex illic Theodores prostratus occubuit.* Theodores ille, quem alij Theudonem, Theodericum, Theodoricum, & Theuderedum vocant, Rex Wisigothorum fuit, atque vnà cum Thorismodo seu Thorismundo filiorum natu maximo aduersùs Hunnos dimicauit. *Expleto bello*, vt Gregorius Turonensis [k] testatur, *ait Aetius Thorismundo, festina velociter redire in patriam, ne, insistente germano, patris regno priueris. Hac ille audiens cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. Similis & Francorum Regem dolo fugauit. Illis autem recedentibus Aetius spoliato campo, victor in patriam cum grandi est reuersus spolio. Attila verò cum paucis reuersus est.* Ex illâ Gregorij narratione duo colliguntur, nempe Meroueum Catalaunicæ pugnæ superuixisse, sibique ac regno à fratre, quocum inimicitias pridem

* *Mets.*

[k] Lib. 2. c. 7.

AETII VERSVTIA.

ANNVS Christi 451. MEROVEI R. 5. IV. LAVS FERREOLORVM. V. FERREOLI I.

gerebat, adhuc timuisse. Huic bello interfuit quoque Childericus Merouei Regis filius, si fides est Carolo Sausseyo in Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis.

Cùm Attila cis Rhenum irrupit, Præfectus Prætorio Galliarum erat Tonantius Ferreolus, de cuius nobilitate, magistratibus, præclaris facinoribus ac liberis hoc loco differere non erit iniucundum, quoniam genus illius, rectâ marium lineâ non interruptâ, nunc etiam felicissimè viget in Ludouico decimoquarto, Christianissimo Franciæ ac Nauarræ Rege, vt in opere, cui titulus est vera origo Regiæ domus Francicæ, primus ætate nostrâ probauit Dubouchetus, vir in historiâ nostræ gentis optimè versatus.

Honorio apud Romanos imperante, cùm Faramundus in Franciâ regnare cœpit, florebat Ferreolus genere adeo illustris, vt triumphalibus adoreis, quas eius familia meruerat, stylum suum defatigari posse testetur Sidonius Apollinaris [a]. Amplissimas possessiones in Galliâ Narbonensi & in Aquitaniâ primâ possedit, Præfecturam Galliarum obtinuit, Papianillam duxit filiam Syagrij clarissimi viri, qui ter Præfectus Prætorio fuit, bis in Italiâ, semel in Galliâ, bisque Consulatum gessit, ac filium habuit Syagrium patrem Ægydij, penes quem regnum Franciæ fuit absente Childerico Rege, vt suo loco dicturi sumus. Ex Ferreolo autem & ex Papianillâ, qui superstites Auito Imperatori grandæuam ætatem duxerunt, natus est Tonantius Ferreolus. Hæc pene cuncta docet Sidonius in propemptico ad libellum his versibus post Auiti mortem scriptis.

[a] Lib. 7. ep. 12.

Ibis Treuidon, & calumnioſis
Vicinum nimis heu iugum Ruthenis *.
Hîc docti inuenies patrem Tonanti,
Rectorem columenque Galliarum,
Priſci Ferreolum parem Syagrî;
Coniunx Papianilla quem pudico
Curas participans iuuat labore,
Qualis nec Tanaquil fuit, nec illa
Quam tu Tricipitine procreaſti,
Quæ contra ſatis Albulam tumentem
Duxit Virgineo ratem capillo.

* Rhodez.

VI. FERREOLI II.

Tonantius Ferreolus Ferreoli & Papianillæ filius, siue vt apud Sidonium [b] legitur, *Afrany Syagrij Conſulis è filia nepos*, Præfectus Prætorio Galliarum erat, cùm Attila traiecto Rheno Aurelianam vsque penetrauit. Difficillimis illis temporibus adeò prudentem se atque industrium exhibuit apud Francos & apud Wisigothos, vt vtrarúmque gentium Reges Romanis, quibus Aetius Comes præerat, auxilio fuerint. Deinde Thorismundum Wisigothorum Regem ferocientem sæpè compescuit, emollitúmque ab obsidione Arelatensi procul remouit. Posteà è Legatorum Gallicanorum numero fuit, qui Romam ad Anthemium Augustum profecti sunt cum literis interceptis, quas Aruandus proditionem meditatus ad Euarigem Wisigothorum Regem scripsisse dicebatur. Tot illustrium facinorum testes indubitatæ fidei sunt literæ, quas Sidonius ad ipsummet Tonantium Ferreolum & ad Vincentium amicum scripsit. Priores tales sunt [c]. *Si amicitia noſtra potiùs affinitatiſque, quàm perſonæ tua tempus, ordinem, ſtatum cogitaremus, iure nobis in hoc opere, quantulumcumque eſt, prima titulorum rubrica, prima officia dedicarentur. Iſſet peranitas tibi ſtylus noſter curules, Patricias nihilominùs inſulas enumeraturus, non tacuiſſet triplices Præfecturas, & Syagrio tuo pro toties mutatis præconibus præmia non negaſſet. Patrem inde Patruóſque minimè ſilendos percurriſſet, & quamlibet poſſet triumphalibus adoreis familiæ tuæ defatigari, non tamen eatenùs explicandis antiquorum ſtemmatibus exinaniretur, vt ob hoc ad narrandam gloriam tuam fieret obtuſior, qui ſi etiam in ſcribendis maiorum tuorum virtutibus fuiſſet hebetatus, tuis dennò meritis accumularetur. Sed ſalutationem tibi debitam deſtinaturus, non quid fuiſſes, ſed quid potiùs nunc eſſes conſideranit. Prætermiſit Attilam Rheni hoſtem,*

[b] Lib. 1. ep. 7.

[c] Lib. 7. ep. 12.

ANNVS Christi 451. & seqq. MEROVEI R. 5.

Thorismodum Rhodani hospitem, Aetium Ligeris liberatorem solâ te dispositionum salubritate tolerasse, propterque prudentiam tantam prouidentiamque, currum tuum prouinciales cum plausum maximo accentu spontaneis subisse ceruicibus, quia sic habenas Galliarum moderarere, vt possessor exhaustus tributario iugo releuaretur. Praetermisit Regem Gothia ferocissimum inflexum afflatu tuo melleo, graui, arguto, inusitato, & ab Arelatensium portis, quem Aetius non potuisset praelio, te prandio remouisse. Alterarum literarum [a] hoc est fragmentum. *Intereà Legati prouincia Galliæ, Tonantius Ferreolus Praefectorius, Afranij Syagrij Consulis è filia nepos, Thaumastus quoque & Petronius maximâ rerum verborúmque scientiâ praediti, & inter principalia patriæ nostræ decora ponendi, praeuium Aruandum publico nomine accusaturi cum gestis decretalibus insequuntur. Qui inter catera quæ sibi prouinciales mandauerant, interceptas literas deferebant, quas Aruandi scriba correptus dominum dictasse profitebatur. Hæc ad Regem Gothorum charta videbatur emitti, pacem cum Graco Imperatore dissuadens, Britannos super Ligerim sitos impugnari oportere demonstrans, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere confirmans, & in hunc fermè modum plurima insana, quæ iram Regi feroci, placido iracundiam inferrent.* Sidonius Ferreolum affinem suum testatur literis [b] suprà recitatis, deinde aliis literis [c] vinculum propinquitatis, quo Ferreolum & Apollinarem attingit, ita distinguit, vt se vni domui suos verò liberos alteri coniunctos affirmet. *Manè cotidiano*, inquit, *partibus super hospite prima & grata contentio, quænam potissimùm anteriùs edulijs nostris culina fumaret, nec sanè poterat ex æquo diuisioni lancem ponere vicissitudo, licet vni domui mecum, alteri cum meis vinculum foret propinquitatis, quia Ferreolo Praefectorio viro, prater necessitudinem debitam dabat ætas & dignitas primi inuitatoris prærogatiuam.* Dubouchetus ex illis epistolis Sidonij Apollinaris & ex vita sancti Apollinaris Episcopi Valentini * in prouincia Viennensi rectissimè colligit Ferreolum in vxorem duxisse vnam è filiabus Auiti Imperatoris, ex qua plures filios suscepit, quos *lectissimos æquæuorum nobilium principes* vocat Sidonius [d] in literis ad Donidium. Quot numero fuerint haud certò scimus. Tres agnoscimus, Tonantium de quo mox locuturi sumus, Roricium qui post Probatium Episcopus Vcecienſis * fuit, & Firminum qui diu degit Arelate sancto Cæsario Episcopo Arelatensi perfamiliaris. Neque enim assentiri possumus Dubouchetо, qui Roricium & Firminum Tonantij Ferreoli non filios, sed fratres supponit [e], nam Roricius in lucem editus est anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto, vt in eius obitu probabimus ad annum Christi quingentesimum tricesimum septimum. Quis autem credat plures filios ex Ferreolo & Papianillâ natos aliquot annis, postquàm eorum filius natu maximus Præfecturam Galliarum turbulentissimis temporibus summa cum prudentia iam obiisset?

[a] Lib. 1. ep. 7.

[b] Lib. 7. ep. 12.

[c] Lib. 2. ep. 9.

* *De Valence.*

[d] Lib. 2. ep. 9.

* *Eueſque d'Vzez.*

[e] Part. 1. c. 1.

VII. FERREOLI III.

Sidonius [f] testatur Tonantio Ferreolo plures fuisse filios, & natu maximum Tonantium vocat. Is Tonantius natus est circa annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum, non seriùs, quia Roricij fratris natu minoris ortus incidit in annum sequentem, neque etiam multò citiùs, nam versus à Sidonio, quos ille *temporibus Maioriani Augusti* composuerat, *post annos circiter viginti* ad se transmissos *adhuc iuuenis* [g] accepit, ita vt illius natiuitas assignari debeat paulò ante Maioriani Principatum, cuius initium notatur Kalendis Aprilibus anno Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, seu Constantino & Rufino Consulibus, vt obseruat vetus Chronicon ab Onuphrio editum, cui Cassiodorus, Marius & Marcellinus adstipulantur. Dubouchetus [h] hunc Tonantium instar parentis dictum ait Tonantium Ferreolum, & Clodouei Francorum Regis generum vocat, de nomine non disputamus, sed ad annum Christi quingentesimum octauum ostendemus illum Clodouei generum nunquam extitisse.

[f] Lib. 2. ep. 9.

[g] Sidon. l. 9. ep. 13.

[h] Part. 1. cap. 3.

ANNI Christi 452. & seqq. MEROVEI R. 6.7.8.9.

ANNI CHRISTI 452. 453. 454. 455. MEROVEI R. 6. 7. 8. 9.

I. ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo secundo, Consulatum[a] gesserunt Herculanus & Sporatius ab Idatio vitiosè dictus Parracius.

[a] Prosp. Cassiod. Marcell.

II. Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo tertio, Idatius & Cassiodorus Consulem notant Opilionem, cui collegam Prosper, Marcellinus & Victor tribuunt Vincomalum.

III. Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto, Consules in omnibus Fastis ponuntur Aetius & Studius.

IV. Annus Christi quadringentesimus quinquagesimus quintus in iisdem Fastis habet Valentinianum Augustum octauò & Anthemium.

V. Valentinianus Augustus, cùm octauum Consulatum ageret, occisus est Romæ, vt legitur in Fastis Prosperi, Cassiodori, Marcellini & Victoris. Antiquum Chronicon, quo vsuri sumus inferiùs, Onuphrius edidit ab illa Valentiniani nece vsque ad obitum Theodorici Regis Ostrogothorum.

VI. Occiso Valentiniano Maximus vir gemini Consulatus ac Patriciæ dignitatis sumpsit Imperium, & septuagesimo septimo pòst die dilaniatus est, ac membratim deiectus in Tiberim sepulturâ quoque caruit. Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & Vrbem omni præsidio vacuam Gensericus Vandalorum Rex obtinuit, vt Prosper pluribus prosequitur. Habent quoque consentanea, Cassiodorus, Marcellinus & Victor.

VII. Huc vsque Chronicon Prosperi & Fasti Consulares Prosperi producuntur. Vtrumque opus sæpè citauimus. Chronicon Prosperi vocauimus Chronicon Prosperi Pithœanum siue Imperatorium, quòd à Petro Pithœo primùm editum est, & per Imperatorum annos digestum reperitur à nece Valentis Augusti vsque ad direptionem Romæ per Gensericum Regem Vandalorum. Fastos Consulares Prosperi diximus Consulare, seu vulgatum Prosperi Chronicon, quod singulis annis suos ascribit Consules, & Chronico Hieronymiano subiici solet cum hac auctoris præfatione. *Hucusque Hieronymus Presbyter ordinem præcedentium digessit annorum, nos quæ secuta sunt adiuere curauimus.* Hoc Chronicon ante editionem Ducheſnianam desinebat in sexto Valentiniani Augusti Consulatu, id est, in anno Christi quadringentesimo quadragesimo quinto. Decem paria Consulum ex manuscriptis Codicibus addidit Andreas Ducheſnius[b]. Hæc Prospero abiudicat Philippus Labbeus[c] in notatiuncula, quam Fastis Prosperianis subiecit. Ait enim visum à se Codicem, in quo, *quæ Consulatum Valentiniani* VI. *ac Nonij sequuntur, & stylo ipso discrepant à Prospero, & Vrbem captam à Genserico Vandalorum Rege excedunt* Prosper Hieronymiano Chronico addidit appendicem, illámque vsque ad octauum Valentiniani Consulatum, siue vsque ad captam à Genserico Romam perduxit. Hæ duæ res notæ fiunt ex epistola, quam Victorinus Aquitanus, qui tum viuebat, Canoni Paschalis Festi præfixit. In illis enim literis ad Hilarum Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiaconum, non tantùm laudauit Eusebii Cæsarienſis in Palæstina Episcopi Chronica, sed etiam ea, *quæ à sanctæ memoriæ Hieronymo iisdem Chronicis sunt adiecta Presbytero, per quem in Latinum quoque probantur translata sermonem*, necnon illa, *quæ à sancto & venerabili viro Prospero, vsque ad Consulatum Valentiniani Augusti* VIII. *& Anthemij constat fuisse suppleta.* Gennadius, qui sub finem eiusdem seculi vixit, Prospero Chronicon longè diuer-

DVO CHRONICA TITVLO PROSPERI. IMPERATORIVM. ET CONSVLARE.

[b] Tom. 1. collect. hist. Franc.
[c] Tom. 1. biblioth.

ANNVS Christi 455. MEROVEI R. 9.

sum, ab orbe condito vsque ad captam à Genserico Romam attribuit, sic enim illius encomium in catalogo virorum illustrium auspicatur. *Prosper homo Aquitanica regionis, sermone Scholasticus, & assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nomine illius prætitulata legi, continentia à primi hominis conditione, iuxta diuinarum Scripturarum fidem, vsque ad obitum Valentiniani Augusti, & captiuitatem vrbis Romæ à Genserico Vandalorum Rege factam.* Sunt igitur duo Chronica titulo Prosperi, ambóque desinunt in octauo Valentiniani Augusti Consulatu, sed vnum inchoatur ab initio mundi, alterum à Valentis Augusti nece. Petrus Pithœus, cùm Imperatorium Prosperi Chronicon à morte Valentis Imperatoris ad captam à Genserico Vrbem publicauit, in præfatione dixit genuinum esse Prosperi fœtum, sibique videri membrum amplioris Chronici, quod ipsius Prosperi nomine ab orbe condito ad captam à Vandalis Romam Gennadius se legisse testatur: deinde asseruit alterius esse genij Consulare Chronicon, quod Hieronymiano Chronico subiici solet. Philippus Labbeus in dissertatione historica de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi de Prospero loquitur, animum in aliam inclinat sententiam, ait enim nihil obfuisse, quominùs idem Prosper Pithœanam appendicem Hieronymianæ submitteret, ac deinde proprium Chronicon conscriberet ab initio mundi vsque ad prædictam Romanæ captiuitatis metam. Vt ita sentiat, hoc potissimùm adducitur argumento, quòd reperit Chronicon ab Adamo vsque ad Valentis Augusti mortem, in quo Consules ab anno decimoquinto Tiberij Cæsaris, siue à Consulatu duorum Geminorum, annotantur, illúdque primus euulgauit [a], ratus priorem esse partem Chronici Prosperiani ab ortu rerum ad captam à Vandalis Romam, cuius pars posterior à morte Valentis Hieronymiano Chronico subiici consueuit. At cùm posterior pars à prioris Chronologia plurimùm recedat, vt ad annum Christi quadringentesimum tricesimum tertium multis obseruationibus ostendimus, credimus duorum auctorum lucubrationes esse. Chronicon Prosperianum, quod Pithœus edidit, existimamus partem esse amplioris Chronici, quod à Gennadio laudatur, nec adhuc in lucem prodiit. Consulares Prosperi Fastos, qui Chronico Hieronymiano in omnibus editionibus submittuntur, arbitramur Chronicon esse Prosperianum, quod à Victore Aquitano commendatur. Præterea hos Fastos, cùm varias in exemplaribus clausulas habeant, diuersis temporibus ab ipso Prospero auctos putamus. Ad decimumquartum Theodosij Consulatum, qui quadringentesimum tricesimum tertium à Christo nato annum designat, tot congeruntur recapitulationes annorum, vt hæc totius operis prima videatur fuisse meta, quâ continuator Hieronymiani Chronici testatus sit institisse se vestigiis ipsius Hieronymi, qui suam ad Eusebium appendicem simili prorsus modo terminauit. Auctor aliâ vice duodecim paria Consulum adiecit, vsque ad sextum Valentiniani Consulatum, siue vsque ad annum Christi quadringentesimum quadragesimum quintum, in quo pleraque exemplaria desinunt. Denique Fastos Prosperianos vsque ad octauum eiusdem Valentiniani Consulatum, id est, vsque ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum produxerunt editiones, Duchesniana & Labbeana. Prosperum, qui Chronico Hieronymiano appendicem adiunxit, ad hunc vsque annum scripsisse iam probauimus ex Victorio synchrono. Gennadius à nobis quoque citatus haud aliter sensit de fine seu termino Chronicorum, quorum initium Prosper ab ortu mundi repetiuit. In Fastis Prosperi rectè numerantur Consulatus septuaginta septem ab anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, quo Valens periit, ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum, quo Roma capta fuit à Genserico Vandalorum Rege. In Chronico autem Pithœano, quod exscriptorum incuriâ vel interpolatorum audaciâ in plerisque corruptum fuit, Prosper perperam numerat annos octoginta, quia Principatum Honorij vlteriùs quàm par est triennio prorogat, vt ad annum Christi quadringentesimum decimum septi-

[a] Tom. 1. Biblioth.

NON CONVENIVNT INTER SE.

ANNVS Christi 455. & seqq. MEROVEI R. 9.

mum notauimus. Errat quidem in annis Gratiani, cui post Valentis necem assignat sex annos Imperij, cùm quinque tantùm tribuere debeat ex sententia Socratis [a] cæsum asserentis Merogaudo seu Merobaude & Saturnino Consulibus, siue anno Christi trecentesimo octogesimo tertio. Sed in illo vnius anni errore non diu perseuerat, quia Theodosium Augustum vult denatum anno post Gratiani mortem vndecimo, non autem duodecimo vt debuit, eâque ratione testatur è vita sublatum anno post Valentis Imperatoris cladem decimo septimo, siue anno Christi trecentesimo nonagesimo quinto, nec ab illo calculo recedimus, quia Socrates [b] in sua historia, Idatius & Marcellinus in suis Fastis Consules ad illum annum notant Olybrium & Probinum cum Era quadringentesima tricesima tertia & Indictione octaua. Theodosio in Occidente successit Honorius. De numero annorum, quibus hic imperauit, omnis est controuersia. Prosper præter annum, quo Theodosius obiit, Honorio concedit vnum & triginta, nos octo duntaxat & viginti, quoniam ab Olybrij & Probini Consulatu, quo Honorius administrationem Imperij suscepit, numerantur viginti octo Consulatus, vsque ad Mariniani & Asclepiodoti Consulatum, quo viuere desiit, testibus, Socrate [c], Idatio, Cassiodoro & Marcellino. Ab Honorij morte, quæ contigit anno Christi quadringentesimo vicesimo tertio, Prosper rectè numerat annos viginti septem vsque ad obitum Theodosij Iunioris, tot enim Consulatus apud Cassiodorum & apud Marcellinum recensentur à Consulatu Mariniani & Asclepiodoti, vsque ad septimum Valentiniani Augusti Consulatum, quo Theodosij Iunioris mortem iidem authores consignant, anno scilicet Christi quinquagesimo supra quadringentesimum. Consentit quoque Prosper cum Cassiodoro & Marcellino, numerando quinque annos ab obitu Theodosij Iunioris vsque ad captam à Genserico Romam, id enim accidisse scribunt Valentiniano octauùm & Anthemio Consulibus, siue anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto. Deinceps Fastos Marij Lausannensis Episcopi cum Fastis Cassiodori, Marcellini & Victoris comparabimus.

[a] Lib. 5. c. 11.
[b] Lib. 25. c. 11.
[c] Lib. 7. c. 23.

VIII. Maximus excessit pridie Idus Iunias, cùm Augustus acclamatus fuisset decimo sexto Kalendas Apriles, vt obseruat author Chronici ab Onuphrio laudati. *Ipso anno*, inquit Idatius, *in Gallis Auitus Gallus ciuis ab exercitu Gallicano & ab Honoratis, primùm Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus apellatus Romam pergit & suscipitur.* Idatio Sidonius [d] Apollinaris lucem magnam affert in Panegyrico Auiti, docet enim Auitum Gallum ciuem Aruernum à Maximo Imperatore institutum fuisse Magistrum peditum atque equitum, & honore illo suscepto ad Wisigothos properasse præmisso Messiano Patricio, qui non bellum illis sed pacem offerret, Tolosamque ingressos, Auitum, Theodoricum Regem Wisigothorum, & Fridericum Theodorici fratrem, ibique Auitum dictum Imperatorem. In Onuphrij Chronico dies habetur sextus Kalendas Iulias. Tolosâ proficisci potuit Auitus Arelatum, quo profectum quoque cum fratribus suis Theodoricum Regem Wisigothorum pace cum Romanis compositâ testatur Marius Episcopus Lausannensis in principio suorum Fastorum, quos Prosperi Fastis subiunxit. Auitus, priusquàm iret in Italiam, prouincias Rheno proximas ordinandas duxit, cùm autem Treuiris versaretur, vt erat luxuriæ deditus, vxorem stuprauit Lucij Senatoris, cuius factione postmodùm direpta fuit à Francis incensaque ciuitas Treuirorum, vt Fredegarius [e] & Aimoinus [f] testantur.

[d] Carm. 7.
[e] Hist. epitom. cap. 7.
[f] Lib. 1. c. 1.

IX. Eâ tempestate Meroueus Regnum suum per Germaniam primam & Belgicam secundam dilatauit: cùm enim Auitus à Maximo Imperatore Magister vtriusque militiæ creatus est, in Galliis Germaniæ primæ, Belgicæ secundæ, Rhenanæ ripæ quâ contingit Alemanniam, & Armoricæ talis erat status, teste Sidonio [g] in Panegyrico quem Auito socero Augusto postmodum dixit.

[g] Carm. 7.

——Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum

Ludus

Ludas, & assuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum Belgamque secundum
Sternebat, Rhenúmque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque superbus in agro,
Vel ciuis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum spatia Princeps iam Maximus, vnum
Quod fuit in rebus, peditúmque equitúmque Magistrum
Te sibi, Aurite, legit.

ANNVS Christi 455. MEROVEI R. 9. FRANCI IN GERM. I. & BELG. II.

In notitiâ prouinciarum & ciuitatum Galliæ, quæ Honorij Augusti temporibus condita videtur, cùm Gallias & septem prouincias distingui mos erat, prouincia Belgica secunda ciuitates habet numero duodecim, nempe metropolim *Remorum* cum ciuitatibus *Suessionum, Catuellaunorum* *, *Veromanduorum, Atrabatum, Camaracensium, Turnacensium, Syluanectum* *, *Bellouacorum, Ambianensium, Morinum* *, *Bononensium.* In illâ prouinciâ Franci iam præpotentes erant ab aliquot annis, nam Clodio Merouei pater regiam sedem Ambiani constituerat, vt suo loco diximus.

X. CIVITATES BELG. II.
* *Chaalons.*
* *Senlis.*
* *Teroüenne.*

In notitiâ Galliæ suprà laudatâ, quatuor ciuitates attribuuntur Germaniæ primæ, metropolis *Mogunciacensium & ciuitates Argentoratensium* * *Nemetum* * *& Vangionum* *. Partem illam Galliæ Rheno coniunctam obtinuerant Burgundiones ab anno Christi quadringentesimo decimo tertio ad an. Christi quadringentesimum tricesimum quintum, siue vt Prosper & Cassiodorus in suis Fastis obseruarunt, à Consulatu Lucij vsque ad decimumquintum Theodosij Augusti Consulatum, quo *Gundicarium Burgundionum Regem Aetius bello subegit, pacémque ei reddidit supplicanti, quem non multò pòst Hunni peremerunt.* Eiusdem belli Burgundici feliciter ab Aetio gesti meminerunt quoque Prosper & Idatius in suis Chronicis. Gundicarius duos reliquit filios Gundeuchum & Chilpericum laudatos à Iordano [a]. Hi dominati sunt in Sapaudiâ, nam Prosper in suo Chronico Sapaudiam * Burgundionum reliquiis datam affirmat cum indigenis diuidendam, fuerunt præterea Magistri militum sub Romanis Imperatoribus in eâ Galliæ parte quæ ripis Araris * & Rhodani * proxima est. At Germania prima, quam Romano Imperio restituerat Aetius, post eiusdem Aetij necem peruasa fuit à Francis. Aetius alio Aetio & Studio Consulibus, Indictione septimâ, siue anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quarto peremptus est à Valentiniano Augusto, vt Prosper, Cassiodorus, Marcellinus & Victor affirmant in suis Fastis. Clades omnes, quæ secutæ sunt & Romanum Imperium in Occidente penitùs extinxerunt, huic cædi acceptas ita refert Marcellinus. *Aetius Patricius magna Occidentalis Reipublicæ salus & Regis quondam Attilæ terror à Valentiniano Imperatore cum Foëtio amico in palatio trucidatur, atque cum ipsô Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit reuuari.* Valentinianus, si fides est Procopio [b], *fertur & proximum quendam ex Romanis interrogasse, an vtilis foret Aetij mors; ille autem respondisse, hoc ipsè videret, bene an malè, se tantùm scire, quòd sibi dexteram alterâ manu incideret.*

XI. CIVITATES GERM. I.
* *Strasbourg.*
* *Spire.*
* *Vverms.*

[a] De reb. Get.
* *La Sauoye.*
* *La Saone.*
* *Le Rhosne.*
[b] Lib. 1. de bell. Vand.

In Martyrologio Romano, die sextodecimo Kalendas Iulij notatur *Mogunt iæ passio Sanctorum Aurei & Iustinæ sororis eius & ceterorum Martyrum, qui synaxim in Ecclesiâ agentes, ab Hunnis Germaniam diripientibus trucidati sunt.* An illa clades Ecclesiæ Moguntinæ referri debeat ad luctuosissima tempora quæ Sanctus Hieronymus in literis ad Ageruchiam descripsit, an verò ad æquè calamitosam Attilæ irruptionem in Gallias pertineat, multi non audent asserere. Qui priorem sententiam tuentur, duobus innituntur argumentis. Alterum sumunt à catalogo Præsulum Moguntinorum, quem Democharis [c] ex Gaspare Bruschio recensuit, ibi enim à Martino qui concilio Sardicensi subscripsit, vsque ad Sanctum Aureum medij ponuntur duo duntaxat Episcopi Sigismundus & Landegasius acres Arianorum confutatores. Alterum petunt à verbis sancti Hieronymi, qui suâ ætate, cùm Moguntiacum captum est, tes-

XII. MARTYRES MOGVNT. AVREVS, IVSTINA, &c.
[c] De Diu. Miss. Sacrif. c. 34.

ANNVS Christi 455. MEROVEI R. 9.

tatur *in Ecclesiâ multa millia hominum trucidata.* Sed hæ rationes facili negotio destruuntur. Nam Sanctus Hieronymus de Galliarum vastatione ita disserit. *Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & hostes Pannoniæ vastarunt*, in cóque textu nulla mentio fit Hunnorum, à quibus Sanctum Aureum Moguntiæ interemptum fuisse constans est omnium sententia. Deinde Moguntinorum Antistitum catalogus apud Bruschium & apud Democharem non est integer, multò locupletior reperitur in Gallià Christianâ & apud Serarium libro secundo rerum Moguntiacarum, ita vt affirmare prorsus necesse sit Aureum Episcopum Moguntinum cum Iustinâ sorore aliisque Christianis in Ecclesiâ synaxim agentibus martyrio coronatum fuisse ab Hunnis in Gallias Attilâ Duce irrumpentibus anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo. Quod autem Sigehardus apud Serarium [a] ait id contigisse *anno post partum Virginis* CCCCLIV. frustrà quis commodam interpretationem quærat in authore, qui calculum Eusebij secutus est abundantem integro triennio.

[a] Lib. 1. c. 17.

XIII. EVTROPIVS MOGVNT. EPISC.

Sancto Aureo successit Eutropius. Hic diœcesim Moguntinam regebat, cùm Meroueus Rex primam Germaniam subegit, sedit enim Episcopus annos viginti tres, vt obseruant Serarius [b] & author Galliæ Christianæ.

[b] Lib. 1. c. 18.

XIV.

In tribus aliis primæ Germaniæ ciuitatibus Episcopi iampridem constituti fuerant, concilio enim Agrippinensi quod anno Christi circiter trecentesimo quinquagesimo secundo in causâ Euphratæ Agrippinensis Episcopi celebratum est, Iesses Nemetum Episcopus, Victor Episcopus Vangionum & Amandus Argentinensium Episcopus interfuerunt. Synodus Agrippinensis in vulgatis editionibus habita ponitur *post Consulatum Amantij & Albini*, IV. *Idus Maias*, id est quarto Idus Maias anno Christi trecentesimo quadragesimo sexto. Inde non leuis oboritur difficultas, in illo enim concilio Euphratas Colonienſis Episcopus, quod Christum Deum negaret, hæresis damnatus atque exauctoratus est, anno tamen Incarnationis Dominicæ trecentesimo quadragesimo septimo interfuit concilio Sardicensi, & anno Christi trecentesimo quadragesimo octauo legationem ab eâdem sancta synodo ad Constantium Augustum obiit, quæ duæ res Antistiti nuperrimè deposito minimè conueniunt. Ægidius Bucherius libro nono [c] Belgij Romani, synodum Agrippinensem, in quâ damnatus est Euphratas, celebratam asserit *post Consulatum Amantij & Albini* IV. *Id May*, id est Idibus Maij, anno post Consulatum Amantij & Albini quarto, siue anno Christi trecentesimo quadragesimo nono. Subtilis est hæc correctio, sed stare nequit cum historicâ veritate, si ratio habeatur suffragij, quod in Agrippinensi concilio Seruatius Tungrensis Episcopus ita tulit. *Quid fecerit, quidve docuerit Euphrata pseudoepiscopus, non opinione, sed veritate cognoui pro finitimi loci coniunctâ ciuitate, cuique publicè & domesticè obstiti sæpè, cùm ille Christum Deum negaret, audiente Athanasio Episcopo Alexandriæ, & Presbyteris, & Diaconis plurimis. Et idcirco censeo Christianis Episcopum eum esse non posse, quia Deum Christum sacrilegâ voce negauit, neque illum Christianum esse iudicandum, qui eiusdem confinitimus fuerit inuentus.* Athanasio enim & Seruatio Episcopis conueniendi occasio bis tantùm oblata est: semel cùm Athanasius in exilium relegatus anno Christi trecentesimo triceſimo septimo Treuiris commorabatur, & hæresis Photiniana nondum pullulabat; iterum anno Christi trecentesimo quinquagesimo, cùm Maximinus Treuirensis Episcopus & Seruatius Episcopus Tungrensis à Magnentio post Constantis necem in Orientem ad Constantium Augustum directi, Alexandriæ ab Athanasio in hospitium & communionem Ecclesiasticam accepti sunt, vt ipsemet Athanasius in suis ad Constantium literis testatur. Concilium igitur Agrippinense non est celebratum ante annum Christi trecentesimum quinquagesimum, imò cogi non potuit ante annum Christi trecentesimum quinquagesimum secun-

[c] Cap. 6.

dum. Euphratas enim postquàm Seruatius ei coram Athanasio restitit, à quinque damnatus est Episcopis, antequàm Concilium Agrippinense conuocaretur, vt docent Valeriani Autisiodorensis * Antistitis & Amandi Argentinensis * Episcopi suffragia, quæ sic referuntur. *Valerianus Episcopus dixit. Etsi non omnes consentiores hic apud Agrippinam Dei voluntate qui sumus adunati conuenissemus, sufficerat à quinque Episcopis Euphratam blasphemum, quia Christum Deum negat, pro meritis suis sententiam eodem iure esse depositum*, &c. *Amandus Episcopus dixit. Siquidem in præsenti, quando Euphrata à quinque Episcopis sententiam accepit, me inter ipsos fateor esse consentaneum.* Hæc acta præstant sententiæ Bowweri, Bucherii, aliorúmque recentiorum, qui Maximinum Treuirensem Episcopum ex Oriente, nec Treuiros vbi Præsulatum gerebat, nec Agrippinam vbi sententiam aduersus Euphratam tulit, sed in Aquitaniam deducunt, ibique cùm cognatos inuiseret quarto Kalendas Iunias anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo mortuum affirmant. In antiquis monumentis nihil occurrit, vnde constet Maximinum Treuirensem Episcopum obiisse ante annum Christi trecentesimum quinquagesimum tertium, aut etiam vltra illum annum vitam haud produxisse. Delenda est ergo temporis nota quæ Concilio Agrippinensi perperam præfigitur, aliáque substituenda, quæ anno Christi circiter trecentesimo quinquagesimo secundo conueniat. In catalogo Argentoratensium Antistitum post sanctum Amandum, qui sententiam aduersus Euphratam in Agrippinensi Concilio dixit, Episcopi tredecim numerantur vsque ad tempora Heraclij Imperatoris, ita vt Biultus siue Giultus, qui quinto loco nominatur, sub Merouco Rege videatur floruisse. Mancus est Wormatiensium Antistitum catalogus, in eo enim post Victorem, qui sententiam in Concilio Agrippinensi contra Eufratam dixit, ponitur Amandus, qui temporibus Attilæ vixit, & Arauatium Tungrensem Episcopum, cùm Româ rediret, magnificè suscepit, hic Merouco & Childerico Regibus Francorum synchronus fuit. Quis autem eâdem ætate Nemetum seu Spirensium Episcopus extiterit, haud scitur, interciderunt enim nomina Præsulum, qui post Synodum Agrippinensem, cui Iesses interfuit, Ecclesiam Spirensem per multa secula rexerunt vsque ad Athanasium, de quo nos suo loco.

ANNVS Christi 455. *& seqq.* MEROVEI R. 9.

* *d'Auxerre.*

* *Strasbourg.*

BIVLFVS EPISCOP. ARGENTOR.

AMANDVS EPISCOP. VVORMAT

XIV.

Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus D. Petrus *de Marca*, Tolosanus Archiepiscopus, accuratam de Primatu Lugdunensi ceterísque Primatibus edidit dissertationem, in qua ex regula Synodi Nicænæ & decretis summorum Pontificum, qui per Gallias ex more prouinciarum, Metropolitanos numerandos docent, contendit dignitatem Ecclesiasticæ Metropoleos denegari non posse splendidissimæ coloniæ Moguntiensium à Druso fundatæ. Alij transferunt illam in Colonienſem vel Treuericam, vel etiam quod magis miretis, in Ecclesiam Vangionum seu Wormatiensem, quæ in laterculo Imperij subdita erat Moguntiacensi. *Moguntinum quidem Episcopum florente Imperio*, vt Petri Berterij [a] clarissimi Præsidis Tolosani verbis vtar, *Germaniæ primæ Metropolitanum fuisse non dubito. Nam quis hanc vnam non solùm in Galliarum Diœcesi, sed in toto ferè orbe Romano Metropolim ius suum non retinuisse crediderit? Atenim vbi Maiestatis Romanæ nomen pòst in Germaniâ extinctum est, formas ciuiles & Ecclesiasticas perturbari illic facilè potuisse non inficior.* Certè si Zacharias Papa suis ad Bonifacium literis pridie Nonas Nouembris, anno Constantini Imperatoris triceſimo secundo, Indictione quintâ, siue anno Christi septingentesimo quinquagesimo primo datis, Tungros & Coloniam, quæ duæ ciuitates integram Germaniam secundam aliàs componebant, Ecclesiæ Moguntiæ subiecit, nec à vero magis alienum videtur Metropolitam Agrippinensem vtrique Germaniæ quondam præfuisse. Sanctus Athanasius in literis, quas vitam solitariam agentibus scripsit, Euphratam qui Coloniæ Agrippinæ Episcopus erat, Metropolitam vocauit superioris Galliæ, id est, Galliæ Germanicæ, quæ Galliæ Belgicæ respectu superior, quoniam orientalior, rectè nuncupatur. Posteà cùm Moguntia iaceret diruta, & Agrippina laboraret interpontificio,

METROPOL. GERMAN. I.

[a] Diatr. 2 c. 1.

ANNI Christi 455. MEROVEI R. 9.

cura vtriusque Germaniæ incubuit Episcopo Treuerensi, vtpote viciniori Metropolitano, qui Belgicæ primæ præerat. Pari de causa cùm Tarraco * in Hispania Metropolis à Mauris occupata esset, Archiepiscopus Auscitanus * ius Metropolitanum per prouinciam Tarraconensem exercuit, vt pluribus exemplis ostendit idem Petrus *de Marca*, in historia [a] Beneharnensi *. Rursum verò Moguntinus Episcopus Wormatiensi post Clodouei Regis Baptismum subdi potuit, quoniam Colonia sub Ethnici Sigiberti Principatu adhuc gemebat, & Moguntia pristino decori nondum fuerat restituta. Sic diuersæ sententiæ, quæ pugnare inter se videntur, facilè conciliabuntur, si diuersorum temporum ratio diligenter habeatur.

* *Tarragone.*
* *d'Aux.*
[a] Lib. 1. c. 14.
* *de Bearn.*

456. MEROVEI R. 10.

ANNVS CHRISTI 456. MEROVEI R. 10.

I. ANNVS Christi quadringentesimus quinquagesimus sextus Ioanne & Varane Consulibus notatur apud Marium & apud Marcellinum, Varronem habent Cassiodorus & antiquissimi annales à Cuspiniano laudati.

II. MEROVEVS MORITVR. SVCCEDIT CHILDERICVS. Obiit hoc anno Merouæus Rex Francorum, tenuit enim Regnum per annos decem, vt scribit Sigebertus. Haud diutiùs vixit, si vera sunt quæ de Childerico & Ægidio proferemus, nec ante hunc annum extinctus est, quia Prosper Childerici qui successit nullam mentionem fecit. Meroueum excepit in regno Childericus, quem filium eius fuisse testatur Gregorius Turonensis [b].

[b] Lib. 2. c. 9.

Ioanne & Varrone Consulibus, vt Cassiodorus obseruat, Auitus Imperator

III. AVITVS IMP. DEPONITVR. purpuram deposuit Placentiæ in Italiâ, dies decimus quintus Kalendas Octobris notatur in antiquo Chronico quod Onuphrius publici iuris fecit, addit Marius sub iisdem Consulibus Auitum abdicato Imperio factum Placentiæ vrbis Episcopum, causam tantæ mutationis ita reddit Gregorius [c]. *Auitus, vnus ex Senatoribus cùm Romanum ambisset Imperium, luxuriosè agere volens, à Senatoribus electus apud Placentiam * vrbem Episcopus ordinatur.*

[c] Lib. 2. c. 11.
* *Plaisance.*

IV. Eandem ob spurcitiam regno quoque Francorum pulsus est Rex Childericus. *Cùm esset*, inquit Gregorius [d], *nimiâ in luxuriâ dissolutus, & regnaret super Francorum gentem cœpit filias eorum stuprosè detrahere. Illique ob hoc indignantes de regno eum eiiciunt. Comperto autem, quòd eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi charum, qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire posset, daus etiam signum, quando redire posset in patriam, id est diuiserunt sibi vnum aureum, & vnam quidem partem secum detulit Childericus, aliam verò partem amicus eius retinuit, dicens, quandoquidem hanc partem tibi misero, partésque coniuncta vnum effecerint solidum, tunc tu securo animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam apud Regem Bisinum vxoremque eius Basinam latuit.* Childericum hoc ipso anno pulsum, quo paternum regnum susceperat, confirmabunt ea, quæ dicemus in eius reditu post octennium.

[d] Lib. 2. c. 12.

CHILDERICVS R. PELLITVR.

V. Franci electo Childerico se suáque tradiderunt Ægidio, qui Magisterium militum in Gallis ab Auito Imperatore Romanorum obtinuerat, vnde Magister militum à Gregorio [e], ab Idatio [f] Comes vtriusque militiæ; miles Imperatoris à Viomado [g]; ab authore [h] qui Regum Francorum gesta conscripsit, Princeps, Dux & Rex Romanorum; miles Romanus, & Romanorum Tyrannus à Roricone [i]; Patricius ab Aimoino [k] nuncupatur.

[e] Lib. 2. capp. 11. 12.
[f] In Chron.
[g] Gest. Regg. Franc. c. 7.
[h] Capp. 7. 8.
[i] Lib. 1.
[k] Lib. 1. c. 7.

Hoc anno natus est Sanctus Eleutherius, qui Blandiniensem Ecclesiam rexit annis nouem, deinde Tornacensem annis triginta sex, obiitque anno

VI.

Christi quingentesimo tricesimo secundo, postquam vixisset annos sex ac septuaginta. Bollandus [a] quamuis à nostrâ chronologiâ quoad vitam Sancti Eleutherij non semel dissideat, quoad obitum Merouei Regis & quoad ortum Eleutherij nobiscum consentit, scribit enim Childericum Meroueo successisse anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto, eodémque anno Eleutherium in lucem editum esse tradit. Id hoc loco notasse sufficiat, vt in vitâ Sancti Eleutherij redarguas Guibertum & eius assecias, qui *regnantibus Valentiniano & Marciano Imperatoribus* Eleutherium natum affirmant, anno enim quingentesimo quinquagesimo sexto supererat quidem in Oriente Marcianus Augustus, sed anno priore Valentinianus in Occidente obierat, vt ex fastis Prosperi, Cassiodori & Marcellini retulimus. Guibertus lucubrationem suam inscripsit Ioanni Episcopo, qui Tornacensem Pontificatum iniit anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, vitámque clausit quinto Kalendas Martias anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo sexto. Cousinus [b] Ioannem in Guiberti præfatione à gentilitia nobilitate laudatum ait, indéque coniicit alium intelligi Ioannem ex familia Enghiena *, qui prædicto Ioanni subrogatus est, sed Guibertus, vt legenti patebit, Ioannem, cui opus suum exhibuit, reuerendum quidem patrem ac dominum, nobilem verò nusquam appellauit. Vitam sancti Eleutherij ante Guibertum duo scripserunt anonymi, neuter apposuit nomina Cæsarum, vt tempus indicaret, quo lucis vsuram Eleutherius accepit, neque enim illis vti solebant in suis actis Franci, quibus Tornacum parebat, cùm ibi natus est Eletherius, cuius parentes ac proaui in Breuiario Tornacensi manuscripto sic commendantur [c]. *Passo Tornaci, Diocletiani & Maximiani persecutione sauissimâ, cum plerisque fidelibus, inter quos Irenæus vir diuitiis & prosapiâ potens, beato Piato Martyre, fundatáque ibi Episcopali Sede, cùm inualescente postmodum superstitione gentilium, dispersô Domini grege, turbatáque Ecclesiæ formâ, reuersi ad idola multi scandalum paterentur, firmi ac constantes in ea quam acceperant, orthodoxa fide dicti Irenæi posteri permanserunt. Inter quos Serenus eius pronepos, vir & ipse opibus & religione illustris, & Blanda eius vxor, cùm ad senium tam vergerent, diuino munere Tornaci filium susceperunt, quem sacro fonte regeneratum, Eleutherium nominarunt.*

ANNVS Christi, 456. MEROVEI R. 10.

[a] d. 10. Feb.

NASCITVR S. ELEVTHERIVS.

[b] Lib. 4. c. 13.

[*] d'Enguyen.

[c] Ap. Boland. d. 20. Feb.

Eodem circiter anno quo beatus Eleutherius Tornaci, natus est & apud Salentiacum * in Episcopatu Viromandensi sanctus Medardus, simul enim versati sunt in scholis, & Eleutherium puerum Medardus puer, socius consocium Episcopum fore prædixit, vt ex vtriusque vita constat. Quæstio moueri potest de loco vbi fuerunt eruditi. Alij enim Tornaci, alij in Diœcesi Viromandensi edoctos scribunt. Alteram opinionem prior anonymus in Eleutherij vita sic tuetur [d]. *Cum bonæ indolis puer esset, & Christi amore feruesceret, sacras ab infantia literas didicit, & ad cultum Dei in omnibus dignissimè se applicuit. Erat quidem vultu modestus, moribus honestus, visu decorus, in omni scientia eruditus. Quem videns nutu Dei Medardus, correptum insortè dixit; Frater Eleutheri, nuncio te huic ciuitati Pontificem summum affore. Quod ita probatum est.* Alteram in vita sancti Medardi sic peruetustus author nondum excusus. *Quorum*, Nectardi scilicet & Protagiæ, *in Viromandensi territorio & habitatio fuisse dinoscitur & origo. In qua vrbe cùm adolescens ad scholam recurreret.* Et recentior editus à Surio [e], *Beatissimus Medardus egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo, matre verò Protagiâ genitus, apud Salentiacum, hæreditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque altus est. Est autem prædium illud Salentiacus in Episcopatu situm Viromandensi, in regione autem Nouiomensi. Sanctus itaque puer sub parentum tutelâ diligenter educatus, diuinæ prouidentiâ gratiæ studiis literarum eruditus, paruo in tempore inspiratæ scientiæ lumine præ ceteris consodalibus suis eminentiùs claruit. Erat autem illi eo tempore consodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipse tanquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consocium quammaximâ diligebat familiaritate.* Tornaci * perpauci supererant Christiani, in regio-

VIII. NASCITVR S. MEDARDVS.

[*] Salency.

[d] Ap. Boland. d. 20. Feb.

[e] d. 8. Iunii.

ERVDITVR CVM ELEVTHERIO.

[*] Tournay.

ANNVS Christi 456. MEROVEI R. 10.

ne * Viromandensi, quæ Romanis Imperatoribus adhuc parebat, Christiana Religio diu viguerat vigebátque, vt patet ex Viromandensium Antistitum catalogo, vbi Medardus decimumquartum locum obtinet. Ea locorum facies nos adducit, vt Eleutherium potiùs Tornaco in Diœcesim Viromandensem, quàm Medardum ex Diœcesi Viromandensi Tornacum à parentibus missum suspicemur. Solus anonymus suprà citatus pro Tornaco scribit in vita Eleutherij. Apud ceteros authores, qui vitam Eleutherij aut Medardi composuerunt, Medardus simpliciter prædicit Eleutherium Episcopum fore suppresso ciuitatis nomine, vel prædicit Eleutherium Episcopum fore Tornacensem, nunquam verò prædicit Eleutherium Episcopum fore illius ciuitatis in qua commorantur. Ac primùm in auctiore vita Eleutherij posterior anonymus de pueritia Eleutherii, & de prædictione Medardi sic differit. *Cùm bonæ indolis puer esset, & Christi amore feruesceret, sacras ab infantia literas didicit, & ad cultum Dei in omnibus dignissimè se applicuit. Erat quidem vultu modestus, moribus honestus, visu decorus, in omni scientia eruditus. Quem beatus Medardus, dum adhuc esset puer in scholis, Pontificem Tornacensis Ecclesiæ futurum esse prædixit.* Guibertus in eiusdem Eleutherii vita sic. *Puer magistris traditus literis imbuendus, adolescebat in gratia, crescebat in sapientia. Creatori caritatis ardorem, sibi castitatis decorem, proximis humilitatis honorem sedulus exhibebat, corde pius, ore sobrius, opere strenuus, vultu verecundus, gestu maturus, affectu benignus, afflatu benevolus, vestitu modestus, gratiosus in omnibus apparebat. Tantam in se demonstrans speciem honestatis, vt in exterioris dispositione hominis legi posset interioris habitus gratiæ & virtutis. Inde est quòd Medardus, futurus postmodum Noviomensis * Episcopus, spiritu Prophetiæ præuentus, eundem fore prædixit Episcopum Tornacensem, cùm adhuc idem Eleutherius in scholis positus ætatem ageret puerilem.* Et breuiarium Tornacense manuscriptum in festo eiusdem Eleutherij sic. *Magistris traditus, litteris imbuendus, cùm ad progressum, quem in eis magnum fecit, virtutes omnes iungeret, futuræ sanctitatis, & contra omne impietatis genus, zeli signa puer adhuc vsque adeò luculenta dedit, vt eius sodalis Sanctus Medardus, qui tum & ipse puer in eâdem scholâ agebat, arctioríque ei amicitiâ iunctus erat, Tornacensem Episcopum aliquando fore spiritu haud dubiè prophetico affirmaret.* Vnanimi consensu illorum authorum, qui vitam Sancti Eleutherij scribendam susceperunt, Medardus Eleutherium prædicit Episcopum Tornacensem fore. Si verò fides est iis, qui literis vitam Sancti Medardi commendarunt, idem Medardus prædixit quidem Eleutherium Episcopum fore, sed cuius sedis Episcopus futurus esset non indicauit. Sic enim in vitâ Sancti Medardi scribit author editus à Surio. *Erat illi eo tempore consodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipse tanquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consocium quammultâ diligebat familiaritate. Hunc itaque, cùm aliquando inuicem colloquerentur, vtpote prophetica gratia afflatus spiritu, Episcopum futurum esse puer ipse prædixit, & non multò post eius spiritualem prænunciationem ipse, per quem prophetauerat, Spiritus Sanctus adimpleuit. Cùm enim ætatis & morum sibi diuinitùs adspirasset gratia, in Tornaco ciuitate, Pontificali, Deo annuente, sublimatus est cathedrâ. Ita Sanctus Medardus hoc, quod prædixerat, quasi Propheta diuino spiritu, iam probauit.* Et vetustior nondum editus. *Dum adhuc esset in scholis vir sanctus & parvus & innocens, dicit ad Eleutherium quemdam puerulum comparem, quòd publicâ in actione comitiuam assumeret, & cùm triginta annorum vitæ spatium caperet, ipsum dixit futurum summum Dei Pontificem. Qui in Tornacensi ciuitate Pastor datus est Ecclesiæ.* Cuius sint authoritatis hi duo scriptores, opus est vt inuestigemus, alter enim altero longè præstantior est, imò præferri debet omnibus, qui sanctorum Eleutherii & Medardi vitam in literas retulerunt. Vitam Sancti Medardi scripsit Fortunatus, de quo sic Christophorus Browerus in eius vitâ, quam suis in illum authorem obseruationibus præfixit. *Sancti Medardi Noviomensis Episcopi famâ sanctitatis clarissimi, etsi commentarium vitæ scripsit, is tamen ad posteros peruenit minimè sincerus.* Loqui-

* *Le Vermandois.*

APVD VIROMANDVOS.

* *de Noyon.*

tur Browerus in eorum sententiâ, qui vitam beati Medardi quam Surius publicauit, à Fortunato conscriptam & à recentiore interpolatam putant. Hanc vitam Surius edidit cum hocce titulo. *Vita Sancti Medardi Episcopi Nouiomensis, authore primùm Fortunato Presbytero, cui tamen ab alio quodam docto viro non pauca posteà adiecta esse non dubito, lectu non indigna.* Deinde eidem vitæ subiecit hanc ad candidum lectorem epistolam. *Huc vsque nihil mutato stylo totam hanc beatissimi Medardi vitam ex quodam manuscripto Codice descripsimus. Testatur autem quidam scriptor anonymus in vitâ Sancti Gildardi Rothomagensis Archiepiscopi, Fortunatum Presbyterum scripsisse vitam Sancti Medardi, & ex eâ quædam citat, quæ consentiant ferè cum aliâ historiâ Sancti Medardi longè breuiori, nec tamen ausim affirmare eam esse à Fortunato editam. Quicquid verò illa historia refert, id totum, paucis demptis, in hac, quam nos edimus, continetur, & permulta intermixta & addita sunt, sed lectu digna, ab alio quodam posteriori, sed non indocto viro, qui tamen aliquoties non nisi ex locis communibus Sancti viri virtutes celebret; quod idem ex toto ferè se fecisse in vitâ Sancti Gildardi, qui fuit beati Medardi frater, testatur is, qui eam scripsit, quam propterea noluimus huc adscribere.* Rectè abstinuit Surius ab eâ vitâ Sancti Gildardi publicandâ, scatet enim pluribus mendis, vt cùm ibi legimus tres viros, Gildardum & Medardum fratres, & Sanctum Remigium, Palatinos in aulâ regiâ vixisse, ac dein eodem ferè tempore Episcopos ordinatos esse, ac Regem Clodoueum de sacro fonte suscipiente beato Medardo, fuisse à Sancto Remigio baptizatum. Author tamen præ manibus habebat vitam Sancti Medardi à Fortunato scriptam. Asserit enim *quanta qualisque innocentia, sanctitatis ac patientiæ beatus extiterit Medardus, Fortunatum Rauennum Presbyterum luculento sermone describere.* Citátque hæc eiusdem vitæ verba. *Sanctus Medardus quando accepit corporis transitum, ipsius horæ momento cæli aperti sunt, & ante Sancti corpusculum Diuina luminaria cunctis videntibus micuerunt, moxque in terrâ grande fluxit diluuium, ita vt multùm plueret aqua calida de nubilo.* Illud opus Fortunati legimus in Codice manuscripto, factáque collatione deprehendimus ipsammet esse Sancti Medardi vitam, cuius fragmenta ex quatuor optimæ fidei Codicibus recitat Bollandus in commentario præuio ad vitam Sancti Eleutherij Tornacensis Episcopi. Nam textus ex vitâ Sancti Gildardi proximè relatus, in nostro Bollandinisque Codicibus sic iisdem fere verbis effertur. *Quando Sanctus Medardus accepit corporis transitum, ipsius horæ momento cæli prorsùs aperti sunt, & ante Sancti corpusculum ferè per tres horas Diuina luminaria cunctis videntibus adstiterunt. Mox in terram grande fluxit diluuium, ita vt plueret multùm calida aqua de nubilo.* Et sub vitæ calcem in vno illorum Codicum qui Marci Velseri fuit, hæc leguntur. *Fortunatus Presbyter composuit hanc vitam vel actus Sancti Medardi.* Denique author in eâdem vitâ precatur diuinam clementiam pro animâ Sigiberti quondam Regis & pro Theodeberto Rege Sigiberti nepote, *vt clementissimi*, inquit, *Theodeberti Regis nostri felicitatem crebris successibus dilatatam, & in externis gentibus iusto dominandi iure procul extensam pro suâ pietate longæuet; vt clementissimo Sigiberto quondam Regi sempiternam requiem præstare dignetur.* Sigibertus post Clotarij patris obitum Franciam cum fratribus suis, Chariberto, Guntchramno & Chilperico, diuisit anno Christi quingentesimo sexagesimo primo; Basilicam in honorem Sancti Medardi Suessionibus à Clotario patre inchoatam perfecit; mortuo sine prole masculâ Chariberto fratre Pictauium * cum quibusdam aliis ciuitatibus in partem hæreditatis anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo recepit, seruauitque obnitente frustrà & bellum mouente Chilperico; necatus tandem occubuit anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto. Childebertus Sigeberto patri primùm successit, deinde Guntchramni qui sine prole masculâ decessit ditionibus auctus est anno Christi quingentesimo nonagesimo tertio, vitámque clausit anno Christi quingentesimo nonagesimo sexto relictis duobus filiis Theodoberto & Theodorico. Theodobertus regnum aui Sigeberti, Theodoricus regnum patrui Guntchramni tenuit, de

ANNVS Christi 456. MEROVEI R. 10.

* Poitiers.

ANNVS Christi 456. MEROVEI R. 10.

vtroque enim Fredegarius [a] ita loquitur. *Theudebertus sortitus est Auster, sedem habens Metensem; Theudericus accepit regnum Guntramni in Burgundiâ, sedem habens Aurelianis.* Vt autem teste Gregorio Turonensi [b] Pictauium Sigiberto eiusque filio Childeberto paruit, sic & Theodoberto Childeberti filio subiacuit teste Fredegario proximè citato. Regnauit Theodobertus ab anno Christi quingentesimo nonagesimo sexto ad annum Christi duodecimum supra sexcentesimum. Plato Pictauiensem Episcopatum suscepit anno Christi quingentesimo nonagesimo secundo. Ab illo anno vsque ad annum Christi 625. quo Ioannes Pictauiensis Episcopus concilio Remensi [c] sub Sonnatio interfuit, in catalogo Pictauiensium Antistitum certa non statuitur epocha. Inter Platonem & Ioannem medij sederunt Fortunatus, Caregisilus & Ennoaldus. Pictauij diu degit Fortunatus sub Regibus Chariberto, Sigiberto, Childeberto & Theodoberto, multa scripsit opera solutâ strictâque oratione priusquàm Episcopus ordinaretur, senex in locum Platonis demortui suffectus est sub Theodoberto Rege, rexit Episcopatum annis perpaucis, vnde fit vt passim citetur à plerisque cum solo Presbyteri titulo, nec desint qui audeant eius Præsulatum in dubium reuocare. Hæc adeo diligenter annotamus, vt Sancti Medardi vitam, cuius varia fragmenta ex manuscriptis Codicibus allegauimus, indubiè credas à Fortunato Pictauiensi tunc Presbytero scriptam fuisse sub Theodoberto Rege, Sigiberti quondam Regis nepote. Nec ab illâ te sententiâ retrahat Gregorius Turonensis, qui cùm pauca de Germano Parisiorum Pontifice retulisset, lectorem si plura cuperet ad librum Fortunati Presbyteri remisit [d] his verbis, *si quis tamen strenuus virtutes illius, quas in corpore fecit, sollicite vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato Presbytero compositus est, legens cuncta reperiet*, cùmque multò pauciora de Medardo quàm de Germano narrasset, nusquam indicauit Sancti Medardi vitam à Fortunato vel ab alio quopiam editam fuisse. Theodobertus enim regnum suscepit anno post Gregorij Turonensis mortem proximo, & Gregorius mentionem facere non potuit libri, cui scribendo manum Fortunatus nondum admouerat. Præstat autem Fortunatus ceteris scriptoribus, à quibus Sanctorum Eleutherij & Medardi vitas accepimus. Adstipulari non possumus Surio, qui vitam Sancti Medardi quam publicauit, à Fortunato primùm scriptam, deinde ab alio quodam docto viro interpolatam arbitratur. Nam præter stylum, quem à Fortunato longè alienum nonnulli iam obseruarunt, in editione Surianâ desiderantur multa, quæ reperiuntur in genuinâ Fortunati lucubratione. Apud Fortunatum extat prologus, deest apud authorem Surianum. Medardus apud Fortunatum plura quàm apud authorem Surianum prædicit de sancto Eleutherio. Sic enim scribit Fortunatus. *Dum adhuc esset in scholis vir sanctus parvus & innocens dicit ad Eleutherium quendam parvulum comparem, quòd publicâ in actione comitiuam acciperet, & cùm* XXX. *annorum vitæ spatium caperet, ipsum dixit futurum summum Dei Pontificem.* Author verò Surianus sic. *Erat illi eo tempore consodalis quidam Eleutherius nomine, quem ipsè tanquam similis similem, puer videlicet puerum, socius consocium quammultâ diligebat familiaritate. Hunc itaque, cùm aliquando inuicem colloquerentur, vtpote propheticæ gratiæ afflatus spiritu, Episcopum futurum esse puer ipsè prædixit.* Apud Fortunatum Willacharius Presbyter alique obitum Sancti Medardi asseuerant his illustratum fuisse prodigiis. *Quando Sanctus Medardus accepit corporis transitum, ipsius horæ momento cæli prorsus aperti sunt, & ante sancti corpusculum ferè per tres horas diuina luminaria cunctis videntibus astiterunt. Mox in terrâ grande defluxit diluuium, ita vt pluerat multùm calida aqua de nubilo.* Horum autem miraculorum postremum retinetur ab authore Suriano, cuius sunt ista verba. *Mox eorum certissimo, qui aderant, testimonio cæli aperti sunt, & diuina luminaria ferè per duarum horarum spatium ante sancti apparuere præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam.* Denique Fortunatus Deum precatur, vt & animam Sigiberti Regis in cælesti regno

[a] Cap. 16.
[b] Lib. 9. c. 40.
[c] Flodoard. lib. 2. cap. 5.
[d] Lib. 5. c. 8.

gno collocet, & Theodoberto Regi felicem longæuúmque Principatum concedat. *Piam*, inquit, *Maiestatem fusis indesinenter precibus exoremus, vt clementissimi Theodeberti Regis nostri felicitatem crebris successibus dilatatam, vel in externis gentibus iusto dominandi iure procul extensam pro suâ pietate longæuet, & clementissimo Sigiberto quondam Regi sempiternam requiem præstare dignetur. Quatinus qui templi eius* (sancti videlicet Medardi) *spatia deuotus extendens, ad excelsa fastigij tegmina sumptuoso decore perduxit, eodem intercedente, seruato culmine regij diadematis, protendantur sceptra regia potestatis.* At nihil tale occurrit in authore Suriano, qui Sigibertum quidem laudat, sed nec de Sigiberti Regis animâ sollicitus videtur, nec Theodoberti Regis vspiam meminit, quamuis res multas ætate ipsius Theodoberti longè posteriores recenseat. Existimamus tamen lectum ab eo Fortunatum, cuius sensum sæpiùs, ipsa nonnumquam exhibet verba. Certè non accedit hic author ad tempora Fortunati, sanctum enim Remigium vocat *Archiepiscopum*, & Tornacenses *gentem Flandrensium* appellat. Ætate autem Fortunati nec Archiepiscopi vox erat in vsu, nec Flandriæ vel Flandrorum seu Flandrensium nomen audiebatur, & annis ab obitu Sancti Medardi trecentis Tornacum non pertinebat ad Flandriam, quæ perexiguam tunc amplectebatur ditionem, vbi hodie visuntur Brugæ *, Sluſa *, Dammum *, Ardemburgum *, Middelburgum * & Isendicum *, vt Bollandus [a] in præuiis commentariis ad vitas Sanctorum Anscharij & Eleutherij notauit, atque inde colligimus vitam Sancti Medardi, quam Surius *nihil mutato stylo* vulgauit, ab authore compositam fuisse, qui post annum Christi millesimum vixit.

ANNVS Christi 456. MEROVEI R. 10.

* *Bruges.* * *L'Escluse.* * *Damme.* * *Ardembourg.* * *Middelbourg.* * *Isendick.*

[a] DD. 7. & 10. Febr.

Eodem partu, quo beatus Medardus, editus est & sanctus Gildardus, qui Rothomagensem Episcopatum administrauit. Extat de vtroque antiphona insignis à Gregorio Turonensi, vt habet apud Surium [b] quidam manuscriptus Codex, edita, quæ gemellos fratres eodem partu natos, eodem die sacratos Episcopos, eodémque die ab hac vita solutos testatur. *Auete magni toto orbe Præsules, ortu gemelli, sanctitate compares, sacrati simul, coronati pariter, iuncti dicastis diem festum; meritis Sancte Medarde cum Gildardo inclyto, opem poscenti semper ferte populo.* Consentanea refert beatus Audoenus Rothomagensis Episcopus in versibus à Surio [c] quoque laudatis, vt & Martyrologium Romanum in quo beatissimorum fratrum encomium sic clauditur. *Eodem die nati, eodémque Episcopi consecrati, vno quoque die de hac vitâ subtracti simul in cælum migrarunt.* Ambos fratres in lucem vno partu editos non inficiamur, ordo enim Chronologiæ non obest. Ætate pares erant Eleutherio Tornacensium Episcopo, qui mortuus est anno Christi quingentesimo tricesimo secundo, cùm annum vitæ septuagesimum sextum attigisset. Errant qui Gildardum ad infulas Rothomagenses promotum volunt anno Christi quadringentesimo septuagesimo tertio, tunc enim annum ætatis decimum septimum non excesserat, vixit annos septuaginta tres, & ante Eleutherium obiit anno Christi quingentesimo vicesimo nono, cùm Episcopatum ab anno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto per annos quinque ac triginta gubernasset. Medardus fratri Gildardo annis sexdecim, Eleutherio amico annis tredecim superstes fuit, Præsulatum annis tantùm quindecim gessit, annóque ætatis suæ octogesimo nono, Christi quingentesimo quadragesimo quinto feliciter ad cælos migrauit. Ex illo calculo, quem suis locis prævalidè confirmabimus, ea, quæ, siue de fratrum ordinatione in Episcopos, siue de eorumdem obitu, vnâ die narrantur facta, liquet, etsi eâdem die, diuersis tamen annis contigisse. Gildardus prior iniit Pontificatum, & prior ex hac vitâ discessit. Etenim concilio Aurelianensi primo, quod anno Christi quingentesimo vndecimo habitum est, subscripserunt Gildardus iam Episcopus Rothomagensis & Sophronius Episcopus Viromandensis, cui successit primùm Alomerus, deinde Medardus Gildardi frater. Et concilio Aurelianensi secundo, quod anno Christi quingentesi-

VIII. NASCITVR S. GILDARDVS.

[b] D. 8. Iun.

[c] D. 8 Iun.

ANNI Christi 457. & seqq. CHILDERICI I. 2. &c.

mo tricesimo tertio celebratum est, interfuit Flauius Episcopus Rothomagensis Gildardi successor, quo tempore florebat in viuis Medardus Nouiomensium ac Tornacensium Episcopus, qui anno priore in Episcopatum Tornacensem Eleutherio successerat.

ANNI CHRISTI 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463.

CHILDERICI R. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

I. ANNVS Christi quadringentesimus quinquagesimus septimus Consules [a] habuit Constantinum & Rufum seu Rufinum. His Consulibus Marcianus Orientis Imperator vitæ spiritum amisit, Imperiumque adepti sunt Leo in Oriente, Maiorianus in Occidente, vt in Fastis Cassiodori & Marcellini legitur. Maiorianus apud Cassiodorum dicitur *Italiæ Imperium* suscepisse, quia ceteræ prouinciæ ferè omnes tunc erant amissæ, peruenit autem ad Imperium Kalendis Aprilibus, si fides est antiquo Chronico quod Onuphrius edidit.

[a] Cassiod. Marius, Marcell. Victor.

II. Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo octauo Consulatum adierunt ambo Augusti Leo & Maiorianus, vt Cassiodorus, Marius & Marcellinus testantur, Victor Maiorianum omisit.

III. Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo nono Consules fuerunt Ricimer & Patricius, vt iidem auctores tradunt. Idatius Patricium, qui Consul in Oriente dictus est, haud nominauit.

IV. Anno Christi quadringentesimo sexagesimo Consules leguntur in omnibus Fastis Magnus & Apollonius siue Apollinaris.

V. Anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo Consules in iisdem Fastis notantur Seuerinus & Dagalaifus, Marcellino Degalaifus, Victori Gadalaifus. His Consulibus extinctus est Maiorianus, successit in Imperium Seuerus testibus Cassiodoro, Mario & Marcellino, nec ab eo calculo recedit Idatius, dum hæc contigisse tradit Erâ quæ præcessit quingentesimam.

VI. Anno Christi quadringentesimo sexagesimo secundo Consulatum [b] gesserunt ambo Augusti, Leo iterum & Seuerus. In Fastis Idatianis, hic annus notatur Erâ quingentesimâ; & in Chronico Idatiano, sextus dies ante Nonas Martias huius anni comparatur cum sexta feria. *Erâ* D, inquit Idatius in suo Chronico, VI. *Nonas Martias, pullorum cantu, ab occasu Solis Luna in sanguinem plena conuertitur; idem dies sexta feria fuit.* Vnde patet literam Dominicalem huius anni fuisse G, idque nostro calculo Chronologico rectissime conuenit.

[b] Cassiod. Marius, Idat.

VII. Anno Christi quadringentesimo sexagesimo tertio Consulatum [c] inierunt Basilius, Marcellino Felix, & Viuianus seu Bibianus. His Consulibus Egidium cum Wisigothis pugnasse inter Ligerim * & Ligerecinum *, iuxta Aurelham *, ibique interfectum Fridericum Gothorum Regem scribit Marius, Idatius in Chronico Fridericum non Regem sed Theodorici Regis fratrem meliùs vocat, superatúmque & occisum tradit hoc anno Leonis Imperatoris sexto *in Armoricanâ prouinciâ*, vnde obseruabis obiter Armoricam, quæ Oceano versùs occasum claudebatur, vsque Aurelianum versùs ortum protensam fuisse.

[c] Cassiod. Marius, Marcell.
* *La Loire.*
* *Le Loiret.*
* *Orleans.*

ANNVS CHRISTI 464. CHILDERICI R. 8.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

I. ANNO Christi quadringentesimo sexagésimo quarto, Rusticus & Olybrius Consules ponuntur in Fastis Cassiodori, Marij & Marcellini.

II. CHILDERICVS REVOCATVR.

Cùm Egidius *octauo anno regnaret, Viomadus pacatis occultè Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa diuisi solidi, quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognoscens indicia, quòd à Francis desideraretur, ipsis etiam rogantibus, à Thoringia egressus, in regno suo est restitutus.* Hæc paucis Gregorius [a]. Pluribusautem sic anonymus in gestis [b] Regum Francorum. *Finxit se Viomadus amicitiam cum eo* (Egidio) *sociare, dum ab eo quid cogitaret cognosceret, hortabatur Egidio aliquos Francos dolosè oppremere eos. Ille audiens consilium eius, acriùs cœpit oppremere eos. Illi verò in timore & seditione conuersi, iterum consilium à Viomado expetierunt, qualiter facere deberent, & ille dixit eis. Quare non recordatis, quomodo eiecerunt Romani opprementes gentem vestram? De eorum terra eiecerunt eos. Vos verò eiecistis Regem vestrum, vtilem & sapientem, & eleuastis super vos militem istum Imperatoris superbum atque elatum. Non bonum consilium fecistis, sed nimiùm malum. Et illi respondentes. Calidus enim erat nobis,* vel vt habet alia Lectio *quia sine lege abutebatur filias nostras.* Deinde hæc addiderunt. *Pœnitet nos hæc fecisse contra Regem nostrum. Vtinam meruissemus inuenire eum, & cum pace regnaret super nos. Tunc amicus ille Regis misit partem solidi, quem priùs inter se diuiserant,* &c. Aimoinus [c] & alij recentiores aiunt Egidium in odium Francorum incurrisse, quòd grauibus eos tributis oneraret, ac complures etiam falsis criminibus accusatos morte puniri iussisset, suadente Viomado, qui quos infestiores esse Childerico cognouerat, astutâ calliditate reos detulerat, tum vt Egidius malè apud Francos audiret propter crudelitatem, tum vt Childericus ab exilio facilius reuocaretur. Egidius non Francis modò, sed & aliis plerisque populis, quibus præerat, odio fuit, inprimis Agrippino Gallo illustri Comiti, qui, teste Idatio [d], vt auxilia Wisigothorum mereretur, Theodorico Regi Narbonam haud pridem tradiderat.

[a] Lib. 2. c. 12.
[b] Cap. 7.
[c] Lib. 1. c. 7.
[d] In Chron.

III. FRANCI CAPIVNT COLONIAM ET TREVIROS.

In illis diebus, inquit is [e] qui gesta Regum Francorum scripsit, *ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, vocauerunt eam Coloniam, multúmque populum Romanorum à parte Egidy occiderunt ibi. Egidius verò exinde per fugam lapsus euasit. Venerunt autem Treueris ciuitatem super fluuium Mosellam, vastantes terras illas, ipsámque vrbem succendentes ceperunt. Eo tempore mortuus est Egidius Dux Romanorum, tyrannus.* Rorico [f] *Agrippinam* ab ipso Rege Childerico captam scribit, sed quia Childerici reditum è Turingia mors Egidij statim secuta est, & Sigibertus, qui Claudi posteà cognomen accepit, Coloniæ regnauit auctore Gregorio Turonensi [g], videtur ea ciuitas à Francis expugnata Childerico in Franciam nondum reuerso. Venerat in Clodionis potestatem anno Christi quadringentesimo vndequadragesimo, paruerátque Francis vsque ad Childerici secessum in Turingiam. Hoc enim Rege absente receperat Egidium. Laborauit autem longo interpontificio vsque ad Clodouei tempora, cuius dominio post Sigiberti Regis eiúsque filij Chloderici necem accessit.

[e] Cap. 8.
[f] Lib. 1.
[g] Lib. 2. c. 40.

IV. CIVITAS AGRIPPINA VNDE DICTA.

Qui fabulis delectantur, Coloniam à Colono viro Troiano sic dictam volunt. Vtriusque nominis, Agrippinæ scilicet & Coloniæ, etymon tradit Tacitus, cùm de Agrippinâ Agrippæ nepte & Neronis matre sic loquitur [h]. *Agrippina, quò vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum,*

[h] Lib. 12. annal.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8. CVR DICTA CLAVDIA.

in quo genita erat, veteranos coloniámque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac fortè acciderat, vt eam gentem Rheno transgressam auus Agrippæ in fidem acciperet. Viuebat tum Claudius Imperator, à quo colonia Claudia etiam agnominata est, vt ad locum Taciti præcitatum probat Lipsius ex hac veteris lapidis inscriptione.

M. MARIO M. F.
STEL. TITIO. RVFINO.
COS.
LEG. LEG. I. MINER. P. F.
CVR. COL. CLAVD. AVG.
AGRIPPINENSIVM.
PROCOS. PROV. SICILIÆ
CVR. AMITERNOR. PRÆF.
TR. PL. Q. PROV. MACEDON.
SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM.
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIV. P. P.
IIII. VIRO. ST. LITIBVS. IVDIC.

V. Corruptus videtur Tacitus in libro de moribus Germanorum, vbi sic ait. *Vbi quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentiùs Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur.* Et Lipsius meritò suspicatur *conditorem* accipiendum esse in fœminino genere, & in Tacito legendum esse *conditoris suæ*, vt Agrippina Augusta intelligatur. Neque enim tantùm *conditor*, sed & *auctor*, aliáque eiusdem terminationis vocabula plerumque sic vsurpantur. Exemplum habes apud Nasonem [a] in hoc versu

[a] Lib. 4. Fast.

Optima tu proprij nominis auctor eris.

VI. Franci, postquàm ciuitatem Agrippinensium ceperunt, eam vocauerunt Coloniam, vt ex gestis [b] Regum Francorum suprà retulimus. Hanc nominis mutationem à Childerico Rege factam fuisse sic asserit Rorico [c]. *Childericus Rex hac tempestate collecto Francorum exercitu, Agrippinam ciuitatem super Rhenum fluuium est adgressus. Quam omni bellorum apparatu circumdans, tandem populum eundem nimiâ cæde vastatum deuicit, & munitiones vniuersas eiusdem ciuitatis sibi retinens, Coloniam eam vocari instituit.* Censet hic Auctor Agrippinam expugnatam fuisse à Childerico Rege in Franciam è Turingia iam reuerso. Verùm hoc [illegible] non disputamus de tempore quo ciuitas Agrippina capta est à Francis, sed de tempore quo Colonia dicta est antiquato Agrippinæ nomine. Gregorij Turonensis ætate nomen Coloniæ erat in vsu, obsoleuerat Agrippinæ nomen. Sic enim scribit libro sexto [d] historiæ Ecclesiast. *Sigibertus misit eum*, nempe Gundobaldum, *in Agrippinensem ciuitatem, quæ nunc Colonia dicitur.* Apud eumdem Auctorem egreditur *de Colonia ciuitate* Sigibertus Claudus, qui iuxta Rhenum regnauit Clodoueo reliquas Franciæ prouincias obtinente. Gregorius igitur fauet scriptorum suprà nominatorum sententiæ, qui ciuitatem Agrippinensium à Francis Coloniam appellatam volunt, cùm viueret Rex Childericus, qui Clodouei pater fuit. In eorum numero reperitur etiam Hincmarus, qui de ciuitate Agrippina in vita sancti Remigij sic loquitur. *In illis temporibus* (Childerici Regis) *ceperunt Franci Agrippinam ciuitatem super Rhenum, quam Coloniam vocauerunt.* Hæc autem non adeò strictè debes accipere, vt ciuitatem Agrippinensium neges dictam fuisse Coloniam, priusquàm Egidius à Francis ex ea pelleretur. Quamuis enim ab Eumenio, à Iuliano Augusto, à Frigerido, ab Ammiano, à Saluiano, quos frequenter allegauimus, Agrippina nuncupari consueuerit, Colonia nonnumquam Agrippinensis aut simpliciter Colonia nominatur. Apud Suetonium [e], Vitel-

[b] Cap. 8.
[c] Lib. 1. COLONIA DICTA A FRANCIS.
[d] Cap. 24.
[e] In Vitell. c. 10.

lius pugionem, quo se Otho confodit, *in Agrippinensem Coloniam* mittit, Marti dedicandum. Apud Tacitum [a], Iulius Tutor & Iulius Sabinus, *in Colonia Agrippinensi*, in domum priuatam conueniunt. Apud Frigeridum [b], Franci *Agrippinensi Coloniæ* metum incutiunt. Et apud Ammianum [c], est vna *prope ipsam Coloniam* turris. Hæc cùm in antiquis Auctoribus obseruassemus, ciuitatem Agrippinensium non tantùm Agrippinam, sed etiam Coloniam Agrippinam atque aliquando Coloniam simpliciter appellauimus, ne semper vnum idémque Agrippinæ vocabulum repeteremus. Exemplum secuti sumus Ammiani [d], qui, cùm ciuitatem Agrippinensium in vna penè periodo ter nominandam haberet, primâ vice dixit Agrippinam, secundâ Coloniam, tertiâ iterum Agrippinam. *Ad recuperandam*, inquit, *ire placuit Agrippinam ante Cæsaris in Gallias aduentum excisam, per quos tractus nec ciuitas vlla visitur nec castellum, nisi quod apud Confluentes locum ita cognominatum, vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum est, & vna prope ipsam Coloniam turris. Igitur Agrippinam ingressus*, &c. Deinceps solum Coloniæ nomen vsurpabimus, vt in posterum, Agrippinæ nomine penitùs extincto, Metropolis Germaniæ primæ, non Colonia Romanorum ex Agrippinæ Augustæ vocabulo, sed Colonia Francorum censeatur ex victoria in Egidium Ducem Romanum à Francis reportata. Multis enim seculis in Francorum potestate mansit ab eo tempore quo Romanis Egidióque per vim erepta est.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

[a] Lib. 4. hist.
[b] Greg. Turonens. l. 2. c. 9.
[c] Lib. 16.
[d] Lib. 16.

VII.

Treuiri verò, qui Francis cum Agrippina cesserant, redierunt ad Romanos, & Comitem habuerunt sub Anthemij & insequentium Imperatorum principatu Arbogastem Francum, Arigii clarissimi ac ditissimi viri filium, Romanis fidum ac Christianum, vt constat ex literis, quas Auspicius [e] Tullensis * Episcopus & Sidonius Apollinaris [f] Episcopatum nondum adeptus ad ipsummet Arbogastem Comitem scripserunt.

[e] Ap. Duchesn. tom. 1. collect. hist. Franc.
* *de Toul.*
[f] Lib. 4. ep. 17.

VIII. ÆGIDIVS MORITVR.

Ægidius obiit Suessione, quò se receperat, vt Aimoinus affirmat, anno tum vertente, nam teste Idatio [g] legati quos per Oceanum ad Vandalos mense Maio direxerat, ad eum adhuc superstitem eodem cursu mense Septembri remearunt. Vtrùm insidiis an veneno perierit, in dubio relinquit idem Idatius, sed annum quo extinctus est egregiè consignat triplici charactere Chronologico; primus sumitur à pugnâ prope Aurelianum quam anno præcedenti commissam refert; alter petitur ab anno septimo Leonis Imperatoris; tertius ducitur à literâ Dominicali, testatur enim eo anno quo Ægidius excessit è viuis diem decimum tertium ante Kalendas Augustas incidisse in secundam feriam, vnde patet literam Dominicalem tunc fuisse D. idque rectissimè quadrat cum anno Christi quadringentesimo sexagesimo quarto, qui bisextilis fuit, habuitque literas Dominicales, E antequam bisextum intercalaretur, & D post intercalatum bisextum.

[g] In Chron.

IX. SYAGRIVS ÆGIDII FILIVS.

Ægidio successit filius Syagrius, & vt in gestis [h] Regum Francorum notatur, Suessione constituit sedem regni sui seu potiùs præfecturæ, quæ breui temporis interuallo plurimùm decreuit, Idatius [i] enim asserit regiones quas Ægidius Romano nomini tuebatur, eo mortuo mox inuasas à Gothis, & aliquot post annis Childericus Franciæ fines multùm dilatauit.

[h] Cap. 8.
[i] In Chron.

X. CHILDERICVS BASINAM THVRINGIÆ REGINAM SVSCIPIT.

Postquàm Childericus in regnum rediit, cùm Ægidius adhuc in viuis superstes esset, vel vt Gregorius Turonensis [k] loquitur, *hu regnantibus simul Basina relicto viro suo ad Childericum venit. Qui cùm sollicitè interrogaret quâ de causâ ad eum de tantâ regione ventisset, respondisse fertur. Noui, inquit, vtilitatem tuam, quòd sis valde strenuus, ideòque veni vt habitem tecum. Nam noueris, si in transmarinis partibus aliquem cognouissem vtiliorem tibi *, expetissem vtique cohabitationem eius. At ille gaudens eam sibi in coniugio copulauit.* Si fides est ei qui gesta Regum Francorum scripsit [l], *dum fuit in Toringiâ, cum Basinâ Reginâ vxore Bisini Regis ipse Childericus Rex commixtus fuit.* Aimoinus [m] eo de adulterio loquitur, vt de re dubiâ quam rumor sparserat, *dicebatur*, inquit, *idem Princeps consuetudinem stupri cum eâ habuisse, cùm exularet.* Paulò pòst addit Ba-

[k] Lib. 2. c. 12.
* id est, *vtiliorem se.*
[l] Cap. 7.
[m] Lib. 2. c. 8.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

sinam à Childerico vtpote pagano ductam in matrimonium Bisino viro superstite, quod à nemine prolatum fuerat, eáque assertione Clodoueum quem adulterâ matre natum insinuat, graui afficit contumeliâ, sed ei minùs credendum putamus, quia seriùs scripsit, & Merouingis parum æquus videtur; addequòd adulteria ne quidem probabantur ab Ethnicis, vt Tacitus [a] testatur de Germanis, à quibus originem suam repetebant Franci. *Seuera illis matrimonia, nec vllam morum partem magis laudaueris, nam prope soli barbarorum singulis vxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem pluribus nuptiis ambiuntur. Pauciſſima in tam numerosâ gente adulteria, quorum pœna præsens & maritis permissa. Publicata pudicitiæ nulla venia.* Stamus igitur à plerisque neotericis, qui Basinam, quòd à viro malè haberetur in Franciam profugisse contendunt, & Childerico nupsisse postquàm de Bisini morte constitit. Certè si Childericus adulterio se fœdasset, venisset iterum in idem discrimen quod ante octennium ob libidinem expertus fuerat. Alij Basinam à viro repudiatam tradunt, id si verum est, apud Ethnicos vinculo matrimonij soluta palam censebatur. Lege Robertum Cœnalem libro primo de re Gallicâ, perioche duodecimâ.

[a] De mor. Germ.

XI. Quoniam hunc annum, quo Egidius interiit, bisextilem fuisse diximus, & in Apparatu Chronologico polliciti sumus nos verba de bisexto facturos, à quo validissimum ad confirmandam nostram Chronologiam argumentum sumi potest, excurremus in illam materiam, ne promissis, cùm se dat occasio, deesse videamur.

XII. Iulius Cæsar, testibus Suetonio [b] & Macrobio [c], *conuersus ad ordinandum Reipublicæ statum, Fastos correxit tampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeò turbatos, vt neque messium feria, æstati; neque vindemiarum, autumno competerent. Post hoc imitatus Ægyptios ad numerum Solis, qui diebus trecentis sexaginta quinque & quadrante cursum conficit, annum accommodauit, vt trecentorum sexaginta quinque dierum esset, &, ne quadrans deesset, statuit, vt quarto quóque anno Sacerdotes qui curabant, mensibus ac diebus vnum intercalarent diem, eo scilicet mense ac loco quo etiam apud veteres mensis intercalabatur, id est post vigesimum tertium vel ante quinque vltimos Februarij mensis dies*, siue sexto Kalendas Martias, *idque bisextum censuit nominandum.* Censorinus [d] docet istam anni emendationem factam fuisse Cæsare ipso tertiùm & Marco Lepido Consulibus, hoc est, anno ante Consulatum Lentuli & Messalini quadragesimo tertio. Quòd si anno illo post intercalationem dierum ac mensium, quos Cæsar, vt superiorum temporum defectum expleret, & *è Kalendis* [e] *Ianuariis nobis temporum ratio congrueret*, interposuit, aliud nihil intercalatum fuisset, haud dubium quin ab eo ipso anno bisextorum ex Cæsaris institutione ducendum exordium fuisset, ita vt primum quarto pòst anno, Marco Lepido secundùm & Lucio Planco Consulibus, collocaretur. Quo pacto per quadriennia descendendo decimum tertium bisextum non in quinquagesimum primum sed in quinquagesimum secundum annum post Iulianam correctionem, hoc est non in octauum sed in nonum annum incidisset à Consulatu Lentuli & Messalæ. At alio planè modo se res habuit, neque enim tantùm *factum est* [f], *vt annus confusionis vltimus in quadringentos* XLIII. *dies protenderetur*, quoniam Cæsar, teste Suetonio [g], *inter Nouembrem ac Decembrem mensem interiecit duos alios, fuitque is annus quo hæc constituebantur quindecim mensium cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat*, sed præter intercalationem mensium ac dierum integrorum Cæsar *quadrantem simul intercalauit*, vt obseruat Solinus [h], & quia quadrans solus addi non poterat, necesse fuit vt differretur, quoad ex quadrante illo & tribus aliis sequentium trium annorum dies exurgeret, qui tum demum per bisextum intercalaretur. Itaque primum bisextum tertio pòst anno Vibio Pansâ & Aulo Hirtio Consulibus, reliqua deinceps post quartum quemque annum iussa sunt obseruari. Quamquam, vt scribit Macrobius [i], *Sacerdotes sibi errorem nouum ex ipsâ emendatione fece-*

[b] In Iul. c. 40.
[c] Lib. 1. capp. 13. 14.
[d] In die nat. c. de an. Rom.
[e] Suet. in Iul. c. 40.
[f] Macrob. l. 1. cap. 14.
[g] In Iul. c. 40.
[h] Cap. 5.
[i] Lib. 1. c. 14.

BISEXTVM.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI. R. 8.

runt, nam cùm oporteret diem, qui ex quadrantibus consit, quarto quòque anno confecto, antequam quintus inciperet, intercalare, illi quarto non peracto sed incipiente intercalabant, errore ducti quòd primum bisextum tertio anno Iuliano locatum viderent. *Hic error sex & triginta annis permansit, quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cùm deberent intercalari nouem. Sed hunc quoque errorem serò deprehensum correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, vt illi tres dies qui per annos triginta & sex vitio Sacerdotalis festinationis excreuerant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato deuorarentur. Post hoc, vnum diem, secundùm ordinationem Cæsaris, quinto quòque incipiente anno, intercalari iussit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit.* Iisdem penè verbis rem gestam descripsit Solinus [a]. Breuiori sermone Plinius [b] author est *Cæsarem Dictatorem annos ad Solis cursum redegisse singulos, Sosigene perito scientiæ eius adhibito, & eam ipsam rationem postea comperto errore correctam esse, ita vt duodecim annis continuis non intercalaretur, quia cæperat sydera annus morari, qui priùs antecedebat.* Suetonius tempus illius correctionis digito videtur indicare in Augusto [c]. *Annum*, inquit, *à Diuo Iulio ordinatum sed postea negligentiâ conturbatum atque confusum rursus ad pristinam rationem redegit, in cuius ordinatione Sextilem mensem è suo cognomine nuncupauit.* Etenim, si fides est Censorino, *qui Sextilis fuerat, Caio Martio Censorino & Caio Asinio Gallo Consulibus in Augusti honorem dictus est Augustus anno Augustorum vicesimo.* At quoniam teste Dione [d] Octauianus Cæsar appellatus est Augustus se septimùm & Marco Agrippâ tertiùm Consulibus, id est anno Iuliano decimo nono, vicesimus annus Augustorum, qui Martii Censorini & Asinij Galli Consulatu notatur, illigatus est anno Iuliano tricesimo octauo, qui tricesimus sextus currebat à primo bisexto, quod Pansâ & Hirtio Consulibus à Sacerdotibus rectè fuit intercalatum, ita vt proximo Februario sequentis anni ex Iulianâ correctione tricesimi noni, decimum bisextum deberet intercalari, Sacerdotes verò bisextum decimum tertium essent interposituri, quia post primum bisextum, quod vnum legitimè vsurparunt, tertio quôque anno in bisextis intercalandis aberrarant. Quem errorem Augustus sustulit Martio Censorino & Asinio Gallo Consulibus, anno Iulianæ ordinationis tricesimo octauo, tunc enim trium dierum resecandorum gratiâ iussit, vt sequentes anni duodecim sine intercalatione transigerentur, hoc est, vt bisextum, quod anno sequenti Iulianæ correctionis tricesimo nono intercalandum erat, post annos duodecim integros differretur, interponeretúrque anno Iuliano quinquagesimo primo, quod factum est, & inde cetera bisexta ad nostram ætatem legitimè obseruata sunt, annus verò Iulianus quinquagesimus primus, quo Æmilius Lepidus & Arruntius Nepos Consulatum gesserunt, octauus fuit post Christum natum, siue post Consulatum Lentuli & Messalæ, qui cum anno Iuliano quadragesimo tertio coincidit. Atque inde patet clarissimè, si quod vitium est in calculo Christiano, illud non vnius anni vel biennij, aut triennij vt plerique volunt, sed vnius quadriennij vel plurium esse quadrienniorum. Quis autem existimet nos à verâ Lucæ Euangelistæ interpretatione suprà recessisse quadriennio vel pluribus quadriennis, cùm diceremus Christum anno Tiberij decimoquinto baptizatum, quando erat annorum triginta, siue cùm agebat annum ætatis tricesimum primum per tredecim duntaxat dies inchoatum?

[a] Cap. 5.

[b] Lib. 18. c. 25.

[c] Cap. 31.

[d] Lib. 53.

XIII. Hæc vt clariora fiant, in sequenti laterculo componemus annos Iulianos cum Christianis & bisextis à tertio Iulij Cæsaris Consulatu, quo Iulius ipse Consul annum correxit, vsque ad duorum Sextorum Consulatum, quo Augustus interiit.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

[a] Ind. nat. c. dean. Rom.

[b] Suet. in Iul. cap. 81.

[c] Vell. Patere. lib. 2.

CONSVLES.

Biſexta depraua-ta & cor-recta.	*Biſexta vt obſer-uari de-bebant.*		*ANNI Iuliani.*	*ANNI ante Chri-ſtum.*
		C. IVLIVS CÆSAR III. M. ÆMILIVS LEPIDVS. His Coſſ. facta eſt anni emendatio, vt docet Cenſorinus [a].		
		C. IVLIVS CÆSAR IV. Sine collega.	1.	43.
		C. IVLIVS CÆSAR V. M. ANTONIVS. Hoc anno Iulius Cæſar necatus eſt [b].	2.	42.
B. 1.	B.	C. VIBIVS PANSA. A. HIRTIVS.	3.	41.
		M. LEPIDVS II. L. PLANCVS.	4.	40.
		PVBLIVS SERVILIVS. LVCIVS ANTONIVS.	5.	39.
B. 2.		CN. DOMITIVS CALVINVS II. ASINIVS POLLIO.	6.	38.
	B.	L. MARCIVS. C. SABINVS.	7.	37.
		AP. CLAVDIVS. C. NORBANVS.	8.	36.
B. 3.		M. AGRIPPA. L. GALLVS.	9.	35.
		L. GELLIVS. COCCEIVS NERVA.	10.	34.
	B.	POMPEIVS. CORNIFICIVS.	11.	33
B. 4.		M. ANTONIVS II. L. LIBO.	12.	32.
		C. CÆSAR OCTAVIANVS II. L. TVLLVS.	13.	31.
		CN. DOMITIVS. C. SOSSIVS.	14.	30.
B. 5.	B.	C. CÆSAR OCTAVIANVS III. VALERIVS MESSALA. His Coſſ. pugnatũ eſt apud Actium [c].	15.	29.
		C. CÆSAR OCTAVIANVS IV. M. LICINIVS CRASSVS.	16.	28.
		C. CÆSAR OCTAVIANVS V. SEXT. APVLEIVS.	17.	27.
B. 6.		C. CÆSAR OCTAVIANVS VI. M. AGRIPPA II.	18.	26.
	B.	IMP. CÆSAR AVGVSTVS VII. M. AGRIPPA III.	19.	25.
		IMP. CÆSAR AVGVSTVS VIII. STALIDIVS TAVRVS.	20.	24.

Biſexta deprauata & correcta.	*Biſexta vt obſeruari debebant.*	*CONSVLES.*	*ANNI Iuliani.*	*ANNI ante Chriſtum.*
B.7.		IMP. CÆSAR AVGVSTVS IX. M. SILANVS.	21.	23.
		IMP. CÆSAR AVGVSTVS X. C. NORBANVS.	22.	22.
	B.	IMP. CÆSAR AVGVSTVS XI.. CALPVRNIVS PISO.	23.	21.
B.8.		M. MARCELLVS. L. ARRVNTIVS.	24.	20.
		M. LOLLIVS. Q. LEPIDVS.	25.	19.
		M. APVLEIVS. P. SILIVS.	26.	18.
B9.	B.	C. SENTIVS. Q. LVCRETIVS.	27.	17.
		P. LENTVLVS. CN. LENTVLVS.	28.	16.
		C. FVRNIVS. C. SILANVS.	29.	15.
B.10.		L. DOMITIVS. P. SCIPIO.	30.	14.
	B.	M. DRVSVS LIBO. L. CALPVRNIVS PISO.	31.	13.
		M. CRASSVS. CNEIVS CORNELIVS.	32.	12.
B.11.		TIBERIVS. QVINTILIVS VARVS.	33.	11.
		M. VALERIVS MESSALA BARBATVS. P. SVLPICIVS QVIRINVS.	34.	10.
	B.	Q. ÆLIVS TVBERO. PAVLVS FABIVS MAXIMVS.	35.	9.
B.12		IVLIVS ANTONIVS. FABIVS MAXIMVS.	36.	8.
		DRVSVS. T. QVINTIVS CRISPINVS.	37.	7.
*		C. ASINIVS GALLVS. C. MARTIVS CENSORINVS. Hoc anno iuſſit Auguſtus annos duodecim ſine intercalatione tranſigi, vt ex Plinio[a], Suetonio[b], Macrobio[c], & Cenſorino ſimul collatis oſtendimus ſuprà.	38.	6.
1.	B.	TIBERIVS II. CNEIVS PISO.	39.	5.
2.		C. ANTISTIVS VETVS. D. LÆLIVS BALBVS.	40.	4.

ANNVS Chriſti 464. CHILDERICI R. 8.

[a] Lib. 18. c. 25.
[b] In Aug. c. 31.
[c] Lib. 1. c. 14.
* ANNI DVODECIM SINE INTERCALATIONE.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.	*Biſexta deprauata & correcta.*	*Biſexta vt obſeruari debebant.*	CONSVLES.	*ANNI Iuliani.*	*ANNI ante Chriſtum.*
	3.		IMP. CÆSAR AVGVSTVS XII. L. SYLLA.	41.	3.
	4.		C. CALVISIVS. L. PASSIENVS.	42.	2.
	5.	B.	C. LENTVLVS. M. MESSALA. *His Conſulibus*, inquit Caſſiodorus, *Dominus noſter* IESVS CHRISTVS *filius Dei in Bethleem naſcitur, anno Imperij Auguſti* XLI.	43.	1. *ANNI Chriſti.*
	6.		IMP. CÆSAR AVGVSTVS XIII. MARCVS PLAVTIVS.	44.	1.
	7.		COSSVS LENTVLVS. LVCIVS PISO.	45.	2.
	8.		LVCIVS CÆSAR. LVCIVS PAVLVS.	46.	3.
	9.	B.	CAIVS VINICIVS. PVBLIVS ALPHENVS.	47.	4.
	10.		MARCVS SERVILIVS. LVCIVS LAMIA.	48.	5.
	11.		SEXTVS ÆLIVS. CAIVS SENTIVS.	49.	6.
	12.		CN. CORNELIVS CINNA MAGNVS. VALERIVS MESSALA.	50.	7.
*BISEXTVM RESVMPTVM.	* B.	B.	M. ÆMILIVS LEPIDVS. LVCIVS ARRVNTIVS. Hoc anno biſextum intercalatum eſt ſecundùm ordinationem Auguſti Cæſ.	51.	8.
			Q. CÆCILIVS METELLVS CRETICVS. A. LICINNIVS NERVA SILANVS.	52.	9.
			M. FVRIVS CAMILLVS. S. NONIVS QVINTILIANVS.	53.	10.
			QVINTVS SVLPITIVS CAMERINVS. C. POPPÆVS SABINVS.	54.	11.
	B.	B.	PVB. CORNELIVS DOLABELLA. CAIVS IVNIVS SILANVS.	55.	12.
			M. ÆMILIVS LEPIDVS. STATILIVS TAVRVS.	56.	13.
			GERMANICVS CÆSAR. CAIVS CAPITO.	57.	14.
			LVCIVS MVNATIVS. CAIVS SILIVS.	58.	15.
	B.	B.	SEXTVS APVLEIVS. SEXTVS POMPEIVS.	59.	16.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

Augustus, inquit Suetonius [a], *obiit in cubiculo eodem quo pater Octauius, duobus Sextis Pompeio & Apuleio Consulibus*, XIV. *Kalendas Septembris, horâ diei* IX. Tacitus [b] æquè docet Augustum decessisse duobus Sextis Consulibus, siquidem, vt ait, *Sextus Pompeius & Sextus Apuleius Consulis primi in verba Tiberij Cæsaris iurauere*. Astipulatur Dio [c] sic. *Sexto Apuleio & Sexto Pompeio Consulibus in Campaniam profectus Augustus, Nola morti concessit*, & paulò post, *vitâ excessit* XIIII. *Kalendas Septembris, quâ die quondam primum Consulatum iniurat*. Anni, quibus imperauit, variè computantur. *Solus*, teste eodem Dione, *summum Imperium gessit à victoria apud Actium, annos (quibus tamen tredecim dies desunt) quadraginta quatuor*: siue, vt loquitur Suetonius [d], *primùm cum Marco Antonio Marcóque Lepido dein tantùm cum Antonio per duodecim ferè annos, nouissimè per quatuor & quadraginta solus Rempublicam tenuit*. Actiaca pugna commissa est anno Iuliano decimoquinto, Cæsare Octauiano tertiùm & Valerio Messalâ Consulibus. Id clarissimè Velleius Paterculus [e] testatur his verbis. *Cæsare deinde & Messalâ Coss debellatum apud Actium*. Qui numerant annos Augusti à Triumuiratu inchoato, imperasse colligunt annos quinquaginta sex & menses sex. Qui verò supputant annos à nece Iulij Cæsaris, quinquaginta septem annos, menses sex, ac dies duos annumerant. Eâque ratione Auctor libri de Oratoribus eum imperasse ait annos quinquaginta & octo, quòd scilicet vltimi anni dimidium & ampliùs regnasset.

[a] In Aug. c. 100.
[b] Lib. 1 Annal.
[c] Lib. 56.
[d] In Aug. c. 8.
[e] Lib. 2.

XV. CHRONOLOGIÆ CONFIRMATIO A BISEXTO.

Ex Consulatu duorum Sextorum, qui decimussextus fuit post Consulatum Lentuli ac Messalini, & ex prædictis supputationibus annorum, qui tribuuntur Augusto, colligere est illum obisse anno Christi decimosexto, & annum decimumquintum Tiberij Cæsaris in annum Christi tricesimumprimum incidisse, vt alibi diximus. Cùm autem bisextilis fuerit annus ille Christi decimus sextus quo Augustus interiit, necesse est vt per quaternos annos descendendo bisextilis etiam habeatur annus Christi quadringentesimus sexagesimus quartus quo mortem Egidij Ducis consignamus.

XVI.

Opinioni nostræ non parum auctoritatis ac fidei conciliat Ammianus [f], scribit enim Imperatorem anno bisextili creatum fuisse Valentinianum, qui *nec prodire in medium voluit, bissextum vitans February mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infaustum*. Currebat tum annus post Consulatum Lentuli & Messalini seu post Christum natum trecentesimus sexagesimus quartus, qui claudebat vndenonagesimum quadriennium à bisexto ex ordinatione Cæsaris Augusti resumpto, id est, ab anno Christi octauo. Valentinianus eodem anno, quo cœpit imperare, Valentem fratrem Collegam Imperij constituit. Id constat ex Chronicis Hieronymi & Cassiodori, ex Fastis Idatianis, ex vulgatâ primâ parte Fastorum Prosperianorum, & ex Historiis Socratis [g], Theodoriti [h] ac Sozomeni [i]. Valens decimoquarto pòst anno extinctus est, vt iidem Fasti, eadémque Chronica testantur. Idatius in Fastis alium addit characterem, Eram videlicet decimamsextam supra quadringentesimam, & Marcellinus initio sui Chronici proximas Kalendas Ianuarias, quibus Ausonius & Olybrius Consulatum aperuerunt, notat Indictione septimâ. Valens igitur interiit Erâ quadringentesimâ decimâ sextâ, Indictione sextâ, id est, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, postquàm ab anno Christi trecentesimo sexagesimo quarto regnasset annis quatuordecim. Series antecedentium temporum non minùs bene cum nostrâ Chronologiâ cohæret. Ab anno enim Christi trecentesimo sexto, quo Constantium Chlorum ex hac vitâ discessisse probauimus, vsque ad annum, quo Valentinianus Imperium sumpsit, colliguntur anni duodesexaginta, quos antiqui scriptores in quatuor Principatus ita partiuntur. Constantino Magno tribuunt annos Imperij triginta & vnum, Constantio Constantini filio quatuor & viginti, Iuliano duos, vnum Iouiano. De numero annorum, quibus Constantinus imperauit, nulla controuersia est apud Eutropium [k] & apud Auctores Fastorum [l], Historiarum [m] & Chronicorum [n] præclaudatos, quibus addere licet

[f] Lib. 26.
[g] Lib. 4. c. 1.
[h] Lib. 4. c. 5.
[i] Lib. 6. c. 6.
[k] Lib. 10.
[l] Prosp. Idat.
[m] Socrat. lib. 1. cap. vlt. Sozom. lib. 2. cap. vlt.
[n] Hieron. Cassiod.

ANNVS Christi 464. CHILDERICI R. 8.

& Ruffinum [a]. Socrates & Fasti cùm Idatiani tum Prosperiani mortuum tradunt Feliciano & Titiano seu Tatiano Consulibus. Obitus diem Socrates & Idatius notant vndecimum ante Kalendas Iunias. Denique Idatius Eram apponit trecentesimam septuagesimam quintam. Omnes hi characteres anno Christi trecentesimo tricesimo septimo conueniunt. Constantius, vt Russinus scribit [b], *vicesimo & quarto, post occasum patris, Imperij sui anno vitâ defunctus est* In eâdem sententiâ sunt, Hieronymus, Idatius, & omnium antiquissimus Victor [c], qui viginti quatuor annos Constantij Augusti sic diuidit, vt illum annis octo solum, cum fratribus & Magnentio sexdecim imperasse confirmet. Victori suffragatur Idatius in suis Fastis, mortem enim Magnentij refert Constantio Augusto sextùm & Constantio Cæsare secundùm Consulibus, Erâ trecentesimâ nonagesimâ primâ, Constantiique obitum Tauro & Florentio Consulibus, Erâ vndequadringentesimâ. Socrates [d] in morte Constantij de Consulibus cum Idatio conuenit, & annum Christi trecentesimum sexagesimum primum similiter designat. Iulianus qui Constantio successit, *post annum & octo menses præsumpti Augustalis Imperij, finem vitæ fecit*, teste Ruffino [e]. Apud Hieronymum [f] conto perfossus occumbit anno Imperij secundo. Non imperat diutiùs apud Ammianum [g] & apud Idatium [h], duo enim hi scriptores extinctum tradunt sexto Kalendas Iulias, cùm quartum ageret Consulatum cum Salustio. De die, deque Consulibus non dissentit Socrates [i]. Idatius addit Eram quadringentesimam primam. Interiit igitur Iulianus mense Iunio, anno Christi trecentesimo sexagesimo tertio. Post eum Iouianus Imperium tenuit mensibus ferè octo, vitámque clausit mense Februario, cùm Consul esset vnà cum Varoniano filio, currerétque Era quadringentesima secunda. Hæc constant ex Hieronymo [k], Ammiano [l], Ruffino [m], Socrate [n], Sozomeno [o] & Idatio [p] demonstrántque annum Christi trecentesimum sexagesimum quartum, quo Valentinianum Imperatorem acclamatum fuisse contendimus.

[a] Lib. 1. c. 11.
[b] Lib. 1. c. 26.
[c] In epitom.
[d] Lib. 2. c. 37.
[e] Lib. 2. c. 36.
[f] In Chron.
[g] Libb. 23. 24. 25.
[h] In Fast.
[i] Lib. 3. c. 18.
[k] In Chron.
[l] Libb. 25. 26.
[m] Lib. 2. c. 1.
[n] Lib. 4. c. 1.
[o] Lib. 6. c. 1.
[p] In Fast.

XVII. Annus post Christum natum octauus, qui propter bisextum ex ordinatione Cæsaris Augusti resumptum bisextilis fuit, literas Dominicales habuit A & G. Annus bisextilis, quo Valentinianus imperare cœpit, à Christi natiuitate fuit trecentesimus sexagesimus quartus præditúsque literis Dominicalibus D & C. Annus Christi quadringentesimus sexagesimus quartus, quo Dux Ægidius Agrippinam vitámque amisit, bisextilis etiam fuit, notatúsque literis Dominicalibus E & D. vt ex verbis Idatiani Chronici suprà collegimus. Hic annus occasionem dedit, vt loqueremur de bisexto. Sed quoniam antehac ad confirmandam nostram Chronologiam à literis Dominicalibus annorum tunc currentium, quamuis bisextiles non essent, validissimum argumentum non semel petiuimus, & posthac non rarò petituri sumus, laterculum exhibemus, in quo periodus annorum duodetriginta cum literis Dominicalibus continetur, nam quæ fuit anni primi litera Dominicalis, erit & vndetricesimi; & quæ secundi fuit, erit & tricesimi, & sic de ceteris. Initium annorum ducimus ab anno Christi quadringentesimo sexagesimo quinto, à quo tutè regredi poteris vsque ad annum Christi octauum, quo bisextum ex ordinatione Cæsaris Augusti resumptum fuit, nec minùs tutè progredi vsque ad annum Christi millesimum quingentesimum octogesimum secundum, quo Summus Pontifex Gregorius decimustertius Kalendarium correxit.

Anni Christi.	465.	466.	467.	468.	469.	470	471.
Literæ Dominicales.	C.	B.	A.	G.F.	E.	D.	C.
Anni Christi.	472.	473.	474.	475.	476.	477.	478.
Literæ Dominicales.	B.A.	G.	F.	E.	D.C.	B.	A.
Anni Christi.	479.	480.	481.	482.	483.	484.	485.
Literæ Dominicales.	G.	F.E.	D.	C.	B.	A.G.	F.
Anni Christi.	486.	487.	488.	489.	490.	491.	492.
Literæ Dominicales.	E.	D.	C.B.	A.	G.	F.	E.D.

ANNI Christi 464. CHILDERICI R. 8.

ANNVS CHRISTI 465. CHILDERICI R. 9.

465. CHILDERICI R. 9.

ANNVS Christi quadringentesimus sexagesimus quintus Consules [a] habuit Ermenericum & Basiliscum. His Consulibus, vt Cassiodorus obseruat, dolo Ricimeris Seuerus Imperator Romæ in palatio veneno sublatus est, author chronici ab Onuphrio editi notat id contigisse die decimo octauo Kalendas Septembres. Ricinus interrex fuit pene per biennium, donec Anthemio delatum fuit Imperium pridie Idus Aprilis vt in Onuphrij chronico legitur, Poseo seu Puseo & Ioanne Consulibus, vt Cassiodorus, Marius & Marcellinus scribunt in suis Fastis. Interregnum illud non agnoscit Idatius [b], ait enim Anthemium appellatum Augustum *anno Leonis Imperij octauo, mense Augusto*, quo tempore Seuerum extinctum diximus. I.

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

[b] In Chron.

Basina, quæ relicto Bisino Turingiæ Rege viro suo in Franciam anno priori venerat, hoc anno ducta est in coniugem à Childerico. Quispiam Merouingis parum æquus apud Fredegarium [c] fabellam interpolauit animalium à Childerico visorum ante fores palatij primâ nocte nuptiarum. *Cùm primâ*, inquit, *nocte iugiter stratu iunxissent, dicit ad eum mulier; hac nocte à coitu virili abstinebimus. Surge secretiùs, & quod videris ante aulas palatij, dices ancillæ tuæ. Cúmque surrexisset, vidit similitudinem bestiarum, Leonis, Vnicornis & Leobardi, deambulantium. Reuersúsque dixit mulieri quæ viderat. Dicit ad eum mulier. Domine mi, vade dennò, & quod videris, narra ancillæ tuæ. Ille verò cùm foris abisset, vidit bestias similitudine Vrsi & Lupi deambulantes. Narrans & hæc mulieri, compellit eum tertiò vt iret, & quod videbat nuntiaret. Cúmque tertiò exisset, vidit bestias minores, similitudine Canis & minorum bestiarum ab inuicem detrahentium & volutantium. Cúmque Basinæ hæc vniuersa narrasset, abstinebant se castè vsque in crastinum. Surgentes de stratu dixit Basina ad Childericum, quæ visibiliter interpretationem habent. Nascetur nobis filius fortitudine Leonis signum & instar tenens. Filij quoque eius Leobardi & Vnicornis fortitudine signum tenent. Deinde generantur ex illis, qui Vrsis & Lupis fortitudine & velocitate eorum similabunt. Et tertiò quæ vidisti ad discessum, columnæ regni huius erunt, quia regnabunt adinstar Canum, & minoribus bestiis eorum consimilis erit fortitudo. Pluritas autem minorum bestiarum, quæ ab inuicem detrahentes volutabant, populos sine timore Principum ab inuicem vastandos significat.* Sed vt, extinctâ Merouingorum stirpe, plerique illorum Regum in suspicionem ignauiæ venirent apud posteros, putidum istud commentum Fredegario arguitur insertum ab authore qui sub Carolinis Principibus floruit. Aimoinus eandem fabulam retexuit interpretatione nonnihil mutatâ, Merouingisque Regibus non ignauiæ modò sed & luxuriæ palam II.

[c] Hist. epit. c. 12. CHILDERICVS BASINAM DVCIT.

ANNI Christi 465. CHILDERICI R. 9.

insimulatis, sic enim apud illum [a] Childerico loquitur Basina. *Nostro qui primus surget à semine, filiique censebitur nomine, insignis erit potentiæ, quem leonis vel unicornis conspexisti in speciem. In figura sanè lupi ac ursi signantur ipsius posteri, virtute prævalidi, rapinæque auidi. At canis libidinis impatiens, nullius que virtutis humanæ sine ope esse prævalens, eorum præsagit ignauiam qui vltimis in seculis huius regni potentur sceptris. Porrò minorum turba animalium semétque inuicem lacerantium, populus est sine timore Principum, qui dum regni primoribus mutuo sese odio impugnantibus obsequitur attentiùs, variis sese implicat causarum tumultibus, dúmque proceres alterutris sese moliuntur priuare honoribus, illis ignobile vulgus fluendo patet sine numero cædibus.*

[a] Lib. 1. c. 8.

III. S. SVLPITIVS EP. TRAIECT. OBIT. SVCCEDIT QVIRILLVS.

Sub hæc tempora, Supplicius seu Sulpicius Episcopus Traiectensis obiit decimoquinto Kalendas Februarias. Successit Quirillus. Obseruat Bollandus nomen Sulpitij Episcopi Traiectensis in multis Martyrologiis & Kalendariis reperiri. Eius natalem die decimâ octauâ Ianuarij consignant Kalendarium Sanctorum prouinciæ Leodiensis, Ferrarius, Saussaius consentiente Placentio; manuscriptum verò Florarium die decimâ septimâ Ianuarij, & manuscriptum quoddam Carthusiæ Bruxellensis die nonâ Februarij, in eóque manuscripto die decimâ quartâ Augusti hæc habentur, *Translatio S. Supplicy Episcopi Traiectensis superioris, qui suprà ponitur* v. *Id. Febr.* Traiectum * superius vocari obiter monebimus hoc ad Mosam situm, quòd aliud sit inferius ad Rhenum vulgò Vltraiectum * appellatum.

* *Mastrich.*

* *Vtrech.*

---

466. CHILDERIC. R. 10.

ANNVS CHRISTI 466. CHILDERICI R. 10.

I. ANNVM Christi quadringentesimum sexagesimum sextum Cassiodorus, Marcellinus & Victor notant Leone Augusto tertiùm Consule, cui Marius collegam tribuit Tassianum.

II. CLODOVEVS NASCITVR. Hoc anno natus est Childerico Clodoueus ex Basina, nam decimo quinto pòst anno patri successit, cùm annus Christi numerabatur octogesimus primus supra quadringentesimum, vt in obitu Childerici Regis dicemus.

---

467. CHILDERIC. R. 11.

ANNVS CHRISTI 467. CHILDERICI R. 11.

I. ANNO Christi quadringentesimo sexagesimo septimo, Poseo & Ioanne Consulibus, indictione quintâ, pridie Idus Apriles Anthemius acclamatus est Imperator, vt ex Cassiodoro, Mario, Marcellino, & authore Chronici ab Onuphrio editi iam notauimus, & anno sequenti gessit Consulatum. Vacauerat Imperium ab obitu Seueri per annum vnum, mensésque septem, ac dies viginti octo.

II. Idatius hoc anno, qui Leonis Imperatoris decimus fuit, obseruat *medio Tolosæ ciuitatis è terra sanguinem eruptisse, totóque diei fluxisse curriculo.* Idatio adstipulatur Aimoinus [b], & si fides ei tribuitur, *prudentes quique, Gothorum, qui eâdem regnabant in ciuitate, perditionem, Francorúmque dixerunt portendere domi-*

[b] Lib. 1. cap. 9.

nationem, quod sub Clodouco Childerici filio contigit, vt dicemus suo loco.

ANNVS Christi 468. CHILDERIC. R. 12.

ANNVS CHRISTI 468. CHILDERICI R. 12.

I. ANno Christi quadringentesimo sexagesimo octauo Anthemius Augustus secundum Consulatum [a] iniit absque collega. Hoc Consule Marcellinus Patricius in Sicilia peremptus est, vt Cassiodorus & Marcellinus habent in suis Fastis. Huc vsque ab obitu Valentis Chronicon suum perduxit Idatius per annos nonaginta ab anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo ad annum Christi quadringentesimum sexagesimum octauum, quòd autem in notis istius Chronici numerantur anni vnus & nonaginta, error vnius anni processit ex Honorij Principatu, qui abundat vno anno, cetera rectè procedunt quoad annos Orientalium Imperatorum. Theodosius Iunior è vita migrauit anno vicesimo septimo post obitum Honorij patrui, siue vt Prosper, Cassiodorus & Marcellinus in suis Fastis obseruant, Valentiniano Augusto septimùm & Abieno Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo. Marcianus obiit anno Imperij septimo, eodémque anno Leo in Oriente, Maiorianus in Occidente cœperunt imperare, consentientibus Cassiodoro & Marcellino sub Consulatu Constantini & Rufi, qui cadit in annum Christi quadringentesimum quinquagesimum septimum, itaque Leonis Imperatoris annus vndecimus, quo Chronicon Idatianum absoluitur, illigatur anno Christi quadringentesimo sexagesimo octauo. In annis Imperatorum Occidentalium nonnulla sunt corrigenda. Quod attinet ad notas Olympiadum, cùm subiectæ fuerint Eusebianis & Hieronymianis, necesse est excrescant toto quadriennio, siue integrâ Olympiade, quia Chronicon Eusebianum abundat triennio & Idatianum vno anno. In Chronico Eusebiano Christus natus legitur Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno tertio. Id verum confirmant Censorinus & Socrates. Nam Censorinus [b] ex diebus duntaxat æstiuis annum ab Olympiade prima millesimum decimum quartum constituit, qui fuit à Roma condita nongentesimus nonagesimus primus ex Palilibus, ex Kalendis verò Ianuariis CCLXXXIII. Iulianus, ducentesimus sexagesimus quintus Augustanus, & post Consulatum Lentuli ac Messalæ, siue post Christum natum ducentesimus quadragesimus. Et Socrates [c] anno primo ducentesimæ septuagesimæ primæ Olympiadis, octauo Kalendas Augusti, mortem obiisse tradit Constantium Chlorum, quem Idatius in suis Fastis denatum ait octauo Kalendas Augustas, in sexto suo Consulatu, Erâ trecentesimâ quadragesimâ quartâ, siue anno Christi trecentesimo sexto. Sincera hæc est Olympiadum connexio cum annis Christi, cum annis Imperatorum & cum Era Hispanensi. Nullius autem auctoritatis sunt Olympiadici numeri, qui sub finem Eusebiani Chronici, & in illius appendicibus apud Hieronymum & apud Idatium à nostra Chronologia dissident. Cùm enim Eusebius scribebat, computus per Olympiadas non ampliùs vsurpabatur in tabulis publicis, quapropter omissis Olympiadibus in Ecclesiastica historia non alio vsus est charactere Chronologico, quàm annis Imperatorum. Quoniam autem in suo Chronico, priusquàm ad Imperium Constantini perueniat, in annis Imperatorum numerandis triennio discrepat à recta computatione, ideo Constantino Imperium post Constantij patris mortem sumenti præfixus reperitur annus quartus Olympiadis ducentesimæ sep-

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

CHRONICI IDATIANI COMPVTVS.

EXAMINATVR.

[b] De die nat. c. 21.

[c] Lib. 1. c. 1.

ANNVS Christi 468. CHILDERICI 12.

tuagesimæ primæ, & annus Christi nonus supra trecentesimum, idémque error integri triennij ab Eusebiano Chronico transiit ad Hieronymianum, necnon ad Idatianum, ita vt Valentis Augusti clades, quæ contigit quinto Idus Augustas, anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo, Olympiadis ducentesimæ octogesimæ octauæ anno quarto iam inchoato, in fine Chronici Hieronymiani ponatur Olympiadis ducentesimæ octogesimæ nonæ anno tertio, annóque Christi trecentesimo octogesimo primo, & Idatius appendicem Eusebiano Chronico ab Hieronymo submissam prosecutus in annotandis Olympiadum annis pariter aberrarit.

II. FASTI IDATIANI.

Idatij titulo Fastos etiam Consulares ab anno primo Aureliani Imperatoris vsque ad vltimum Honorij Augusti publicauit Iacobus Sirmondus Presbyter Societatis IESV, nouissiméque Fastos eosdem integros à primis Consulibus Bruto & Collatino vsque ad alterum Anthemij Augusti Consulatum initio suæ Bibliothecæ vulgauit Philippus Labbeus eiusdem Societatis Presbyter. Illis Fastis in vtraque editione inscribitur Era Hispanienſis, cuius numeros in nostræ Chronologiæ confirmationem sæpè produximus producemúsque. Huiuscemodi charactere virum Hispanum vsum esse non est cur inficieris. Eadem nota temporis in Chronico Idatiano sic inuenitur ad annum Christi quadringentesimum sexagesimum secundum, qui præditus fuit literâ Dominicali G. *Ærâ* D. VI. *Nonas Martias, pullorum cantu ab occasu Solis Luna in sanguinem plena conuertitur. Idem dies sexta feria fuit.* Ab Era Hispanica, vt in Apparatu Chronologico insinuauimus, argumentum sumi potest non leue, quo nostra Chronologia nitatur, ideóque videtur operæpretium de Eræ origine pauca hîc subiicere.

III. ERA HISPAN.

Andreas Resendius [a] vir antiquitatis peritissimus pro certo tenet Eram incœpisse anno quarto postquàm interfectus est Caius Cæsar, Ioannes Mariana [b] Consules notat Gneium Domitium Caluinum & Caium Asinium Pollionem, vterque tempus assignat, quo ex partitione Triumuirali Hispania cessit Octauiano Cæsari. In eadem sunt sententiâ Genesius [c] Sepulueda, Didacus [d] Couarruuias, aliíque fermè omnes scriptores Hispaniæ, quid enim probabilius quàm quòd in memoriam noui Principatus & in gratiam Octauiani Cæsaris Eræ suæ computum inchoarint Hispani? nùm Ægyptij [e] post Actiacam pugnam deuictámque cum Antonio Cleopatram in idem adulationis genus prolapsi sunt, vt taceamus quasdam Italiæ ciuitates, quæ, teste Suetonio [f], *diem, quo primùm ad se venerat, initium anni fecerunt?* Porrò duæ factæ sunt à Triumuiris diuisiones, de quibus distinctè Plutarchus [g] & Dio [h]. Altera nihil ad Eram, tum quia constituta fuit [i] anno post necem Caij Cæsaris primo, siue Iuliano tertio, annis ante natum Christum quadraginta & vno, tum quia facto per illud tempus [k] fœdere Cæsar vtramque Africam cum Sicilia ceteriſque insulis, Antonius Gallias togatam & comatam, Lepidus Narbonenſem obtinuit cum Hispaniis quas per Vicarios administraret; dum ipse Consul in annum sequentem designatus Romæ maneret, Vrbémque & reliquam Italiam tueretur, Collegis bello contra Cassium & Brutum, qui transmarinis prouinciis præerant, occupatis. Altera contigit [l] tertio pòst anno, Domitio Caluino & Asinio Pollione Consulibus, triginta & octo annis ante Christi natiuitatem. Tunc Sextus Pompeius Siciliam tenebat; Triumuiri conuenerunt [m] vt Africæ prouinciæ Lepido relinquerentur; Antonius vltra mare Ionium insulas prouinciáſque omnes Orientem versùs cùm in Europa tum in Asia vsque ad Euphratem possideret; Cæsar Dalmatiam, Sardiniam, Galliam, Hispaniam, ceteráque omnia versùs Occidentem haberet; vtrique liceret nouos in Italia delectus habere pari numero legionum. Ab eo tempore Hispani Cæsarem dominum agnouerunt, atque ita annus Iulianus sextus, quo Domitius Caluinus & Asinius Pollio Consulatum gesserunt, fuit Era prima Hispanorum; annus Iulianus quadragesimus tertius, quo Christus natus est Lentulo & Messalino Consulibus, fuit

Era

[a] Ep. hist. de Era Hisp.
[b] Lib 1. c. 24.
[c] Lib. de emend. anni.
[d] Lib. 1. de var. resol. c. 12.
[e] Iol. Scalig. de an. Ægypt. Actiac. lib. 4. de emend. temp.
[f] In Aug. c. 19.
[g] In Aug. & Anton.
[h] Libb. 46. & 48.
[i] Dio lib. 46.
[k] Plut. in Aug. Dio lib. 46.
[l] Dio lib. 48.
[m] Plut. in Anton. Dio l. 48.

Era triceſima octaua; & annus Iulianus quadrageſimus quartus, qui primus à Natiuitate Chriſti numeratur Auguſto Imperatore decimùm tertiùm & Plautio Siluano Conſulibus, fuit Era triceſima nona, atque ita de ceteris. Quod egregiè confirmat Sanctus Iulianus Antiſtes Toletanus libro tertio contra Iudæos ad Eruigium Regem. *Ab initio*, inquit, *ſæculi vſque ad tempus Natiuitatis Chriſti, quando quadrageſimus primus annus Octauiani Cæſaris fuit, euenient anni quater mille, trecenti, viginti quinque. Iam verò reſiduus annorum numerus à tempore Natiuitatis Chriſti vſque in præſens, in promptu eſt vnicuique, & ſcire ſi volet, & ſupputare ſi placet, aſſumptis videlicet annis ſecundum Eram ab ipſâ Domini Incarnatione, Era enim inuenta eſt ante triginta & octo annos quàm Chriſtus naſceretur. Nunc autem acclamatur Era eſſe ſeptingenteſima viceſima quarta, detractis igitur triginta & octo annis, ex quo Era inuenta eſt vſque ad Natiuitatem Chriſti, reſidui ſunt ſexcenti octoginta ſex anni.*

ANNVS Chriſti 468. CHILDERICI 12.

IV. Nemo hactenus dixit aut ſuſpicatus eſt errorem irrepſiſſe in Eræ numerum. Numerus ille ſumpſit initium à Triumuirali partitione, triginta & octo annis ante Chriſtum natum, & in principio cuiuſlibet anni, Kalendis nempè Ianuariis, auctus eſt monade, quandiu fuit in vſu. Viguit autem multis etiam ſeculis poſtquàm anni per vniuerſum Orbem Chriſtianum cœpti ſunt à Chriſti Natiuitate numerari. Vnde fit vt ex computatione per Eram non tantùm colligamus Chriſtum natum eſſe, Lentulo & Meſſalino Conſulibus, Erâ triceſimâ octauâ, ſed etiam manifeſtiſſimè deprehendamus non plures annos effluxiſſe quàm numeramus à Chriſto nato. Si enim Era hodie in publicis tabulis ſcriberetur, hoc anno quem vocamus à Chriſti Natiuitate milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum primum, non alia vſurparetur Era quàm milleſima ſexcenteſima nonageſima nona.

V. Eræ ſiue Æræ nomen alij deducunt à voce *Æra*, quæ ſupputationem ſiue computum aut ſummam ſignificat apud Rufum Feſtum in Breuiario rerum Romanarum. *Parebo libens præceptis, quippe cui deſit facultas latiùs eloquendi, ac morem ſecutus calculonum, qui ingentes ſummas aris breuioribus exprimunt, res geſtas ſignabo, non eloquar.* Alij deriuant à compendiis antiquæ ſcriptionis, A. ER. A. id eſt, Annus ERat Auguſti. Sed in antiquis cippis Hiſpaniæ ſemper ERA, numquam ÆRA ſcribitur. Ea ratio nos mouit hactenus, vt Eram ederemus ſine diphthongo.

ANNI CHRISTI 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. CHILDERICI R. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

469. *& ſeqq.* CHILDERICI 13. *&c.*

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo nono Conſules [a] fuerunt Marcianus & Zeno, Mario perperam Leo.

[a] Caſſiod. Marius, Marcell.

Anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo Conſulatum [b] geſſerunt Iordanes & Seuerus.

[b] Idem.

Annus Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus primus notatur Conſulibus [c] Leone Auguſto quartùm & Probiano.

[c] Idem.

II. Annus Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus ſecundus Conſules habuit Feſtum & Mareianum. *His* autem *Conſulibus*, vt Caſſiodorus ſcribit, *Patricius Ricimer Roma facto Imperatore Olybrio Anthemium contra reuerentiam Principis & ius affinitatis cum graui clade ciuitatis extinguit, qui non diutiùs peracto ſcelere gloriatus poſt* XL. *dies defunctus eſt, Olybrius autem ſeptimo Imperij menſe vitam peregit.* Adſtipulatur Marcellinus. Author chronici ab Onuphrio editi Anthemium à Ricimere genero necatum tradit quinto Idus Iulias, Olybriique mortem conſignat decimo Kalendas Nouembres.

ANNI Christi 473. *& seqq.* CHILDERICI 17. *&c.*

Anno Christi quadringentesimo septuagesimo tertio, Leone Augusto quintùm Consule, Glycerius purpuram Rauennæ sumpsit, vt Cassiodorus, Marius, & Marcellinus testantur, dies tertius Nonas Martias additur in Onuphrij Chronico.

Anno Christi quadringentesimo septuagesimo quarto, Leone iuniore Consule, depositus est Romæ Glycerius, & leuatus est Nepos Imperator, testibus Cassiodoro & Mario, Marcellinus addit Glycerium ordinatum Episcopum mox interiisse, reiicitque Principatum Nepotis in annum sequentem, sed author ab Onuphrio editus Nepoti purpuram hoc anno tribuit 8 Kal. Iulias.

III. IV. V. EPISCOPI MOGVNT.

Hoc anno Eutropius Antistes Moguntinus obiit, cùm sedisset annos viginti tres post cladem illatam ab Attilâ, successorem habuit Adelbertum, quem secuti sunt in eâdem sede Radherius, Adelbaldus, Laudfridus, & Ruthardus. Horum quinque Episcoporum nuda tantùm nomina legimus in historiâ Moguntiacensi. De Sidonio Ruthardi successore plura dicemus suo loco. Berthoaræ Theodoberti, qui Childericum proauum habuit, filiæ, & Venantio Fortunato synchronus vixit.

VI.

Annus Christi quadringentesimus septuagesimus quintus à Marcellino notatur Zenone Augusto iterum Consule, à Cassiodoro verò & à Mario post Consulatum Leonis Iunioris. *Hoc anno*, vt Cassiodorus asserit, *Oreſtes Nepote in Dalmatias fugato, filio ſuo Auguſtulo dedit Imperium.* Suffragatur Marcellinus. Author chronici Onuphriani testatur Nepotem fugatum quinto Kalendas Septembres, & Momilium, qui per ludibrium dictus est Augustulus, acclamatum Augustum pridie Kalendas Nouembres.

VII.

[a] Iidem.

Anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto Consulatum [a] adierunt Basiliscus iterum & Armatus. His Consulibus Augustus Imperator in Lucullanum castellum prope Neapolim relegatus est ab Erulorum Rege Odoacre, qui collapso penitus Occidentis Imperio rerum in Italiâ summam obtinuit teste Marcellino. Quòd autem idem author numerat annos octo supra septingentos ab vrbe conditâ vsque ad primum annum Octauiani Cæsaris, atque inde annos viginti duos supra quingentos vsque ad exauctorationem Augustuli, eóque computo Romanum Imperium extinctum docet anno Vrbis conditæ milleſimo ducentesimo tricesimo; nos verò colligimus tantùm ab Vrbe conditâ viginti septem annos supra mille, nempe septingentos quinquaginta & vnum ante natum Christum, deinde quadringentos septuaginta sex à Christo nato, dissidium istud integri triennij procedit ex chronico Eusebij, quod abundat triennio, vt alibi probauimus. Error autem, qui legitur in Eusebiano Chronico, transiit in Hieronymianum, atque inde in Marcellinianum, nam Marcellinus Chronicis Eusebiano & Hieronymiano suum subiunxit, vt ipsemet in præfatione sui operis protestatur.

ROMANVM IMPERIVM EXTINGVITVR.

VIII.

[b] De die Nat. cap. 17.

Varro libro antiquitatum duodeuicesimo, si fides est Censorino [b], qui Vlpio & Pentiano Consulibus, anno Vrbis conditæ nongentesimo nonagesimo primo, siue anno post Christum natum ducentesimo quadragesimo scripsit, *aut fuisse Vettium Romæ in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuius docto in diſceptando patrem, cum ſe audiſſe dicentem, ſi ita eſſet vt traderent hiſtorici, de Romuli vrbis condendæ auguriis ac duodecim vulturibus, quoniam* CXX. *annos incolumis præteriſſet populus Romanus, ad mille & ducentos peruenturum.* Hoc augurium probauit euentus, nam Romana Maiestas stetit per annos duntaxat viginti septem post mille & ducentos.

IX. STATVS GALLIARVM.

[c] De bell. Goth. lib. 1.

Euerso Occidentis Imperio, Wisigothi, Burgundiones & Franci ditionem suam per Gallias latè propagarunt. Euarix Wisigothorum Rex cui parebat iam pars Galliarum nobilissima, quæ Ligeri, Oceano, Pirenæis montibus & Rhodano clauditur, cedente Odoacre, vt Procopius [c] scribit, quicquid situm est inter Rhodanum & Alpes, quæ Gallos à Liguribus disterminant, potestati suæ subiecit. Gundeuchus & Chilpericus eius frater Burgundionum Reges, regiones ripis Rhodani & Araris * proximas, quas Magistri mi-

* *La Saone.*

litum ipsi antè defenderant, & in potestate Romanorum Imperatorum retinuerant, tunc egentes præsidij nec inuitas Sapaudiæ * suæ adiecerunt. Childericus Franciæ suæ fines per vtramque Belgicam & per Lugdunenses tertiam ac quartam plurimùm dilatauit, vt annis sequentibus dicturi sumus. Syagrius quas potuit reliquias Romanorum collegit. Supererant adhuc ad Ligerim Alani, in Occidentali Armoricâ Britanni dominabantur. Cis nouam illam Britanniam potentes erant Saxones. Legendus iis de rebus Gregorius Turonensis libro secundo historiæ Francorum, capitibus decimo octauo & decimo nono.

ANNI Christi 476. CHILDERICI 20.

* *La Sauoye.*

ANNI CHRISTI 477. 478. 479. 480. 481. CHILDERICI R. 21. 22. 23. 24. 25.

ANNI Christi 477. *& seqq.* CHILDERICI R. 21. *&c.*

I. ANNVS Christi quadringentesimus septuagesimus septimus notatur post Consulatum [a] Basilisci & Armati.

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

II. Anno Christi quadringentesimo septuagesimo octauo Consul [b] absque collegâ fuit Illo siue Illus vel Ellus, tot enim nominibus appellatur in Fastis.

[b] Idem.

III. Annus Christi quadringentesimus septuagesimus nonus consignatur Zenone Augusto solo Consule. Hic Zenonis Consulatus tertius est Marcellino, secundus Cassiodoro, primus Mario, quia Cassiodorus & Marius annum Christi quadringentesimum septuagesimum quintum non notant Zenone Augusto Consule, sed post Consulatum Leonis Iunioris, deinde Marius ad annum Christi quadringentesimum sexagesimum nonum Marciano collegam tribuit Leonem loco Zenonis.

IV. Anno Christi quadringentesimo octogesimo Consulatum [c] gessit Basilius, quem Marius cognomento Iuniorem facit.

[c] Idem.

V. Anno Christi quadringentesimo octogesimo primo Consulatum [d] suscepit Placidius sine collegâ.

[d] Idem.

VI. Ad istud quinquennium videntur referenda quæ gesta sunt à Childerico sub finem vitæ, describuntúrque à Gregorio [e] Turonensi hoc ordine. *Childericus Aurelianis pugnas egit. Adouacrius cum Saxonibus Andecauum * venit. Magna tunc lues populum deuastauit. Adouacrius de Andecauo vel aliis locis obsides accepit. Paulus Comes cum Romanis ac Francis Gothis bella intulit & prædas egit. Veniente verò Adouacrio Andecauis, Childericus Rex sequenti die aduenit, interemptóque Paulo Comite ciuitatem obtinuit. Magnum * eâ die incendium * domus Ecclesiæ concremata est. His ita gestis, inter Saxones & Romanos bellum gestum est. Sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus, gladio reliquerunt. Insulæ eorum cum multo populo interempto à Francis captæ atque subuersæ sunt. Adouacrius cum Childerico fœdus iniit, Alamannósque, qui partem Italiæ peruaserant, subiugarunt.* In gestis Regum Francorum, apud Roriconem, & apud Aimoinum, post captum Andegauum nihil legitur de Childerico. Fredegarius [f] loquitur de Saxonum insulis, Alamannorum verò nullam mentionem facit. Antiqui illi scriptores locum Gregorij difficilem satis aduerterunt, sed soluendæ difficultati nullus incubuit.

[e] Lib. 2. cc. 18. 19.

* *Angers.*

POSTREMA BELLA CHILDERICI.

* * Id est *magno incendio.*

[f] Hist. epitom. cap. 12.

VII. De Saxonum insulis verba Fredegarij hæc sunt. *Inter Saxones & Romanos bellum gestum est. Saxones terga vertentes, multis ex eis extinctis, insulæ eorum cum multo populo interempto à Francis captæ atque subuersæ sunt.* Alia lectio reperitur in exemplaribus editis Hanouiæ * sic. *Inter Saxones & Romanos bellum gestum. Saxones terga vertentes, multis ex eis extinctis, in solo eorum cum multo populo interempto à Francis capti atque subuersi sunt.* Sed ea correctio non debet

INSVLÆ SAXONVM.

* *Hanau.*

ANNI Christi 477. & seqq. CHILDERICI R. 21. &c.

admitti, nam qui Gregorium legerit, de insulis non de solo locutum fatebitur. Sunt qui vel ad exitum Schaldis *, vel in Oceano extra Gallias ponunt illas insulas, nec minùs aberrant à veritatis scopo, neque enim Gregorius recitat res gestas procul à Ligeri, quapropter insulas haud alias interpretamur quàm Ligerinas, quas arcibus ac præsidiis munierant Saxones, vt naues suas in tutis locis collocarent, & si fortè successu minùs prospero quid discriminis immineret, liberam per Oceanum abeundi facultatem nancisce-rentur. Nortmanni suis posteà temporibus idem in Ligeri & in aliis Galliæ fluminibus præstiterunt.

* L'Escault.

VIII. Quod attinet ad Alamannos, quos ab Adouacrio & à Childerico subactos in Italia docet textus Gregorianus, Alamannorum loco reponendos existimamus Alanos, qui confederant ad Ligerim, partémque non Italiæ sed Galliæ peruaserant. In exemplaribus Alani cum Alamannis additâ syllabâ facilè confunduntur. Editio Gregorij Duchesniana capite septimo libri secundi duas habet Lectiones, quarum altera meminit Alamannorum, Alanorum altera, nec mirum si quid simile putemus obseruandum capite decimo nono eiusdem libri.

IX. Childericus, si fides est Roriconi [a], *cùm ad Ambianorum vrbem remeare cuperet, febre correptus spiritum exhalauit.* In gestis [b] Regum Francorum, apud Aimoinum [c], & apud Roriconem [d] regnasse legitur ab obitu Merouei patris annos viginti quatuor, sed eum ad annum regni vicesimum quintum peruenisse vel ex eo liquet, quòd Clodoueus, cui Gregorius Turonensis [e] tribuit annos regni triginta, desiit esse in viuis anno quingentesimo vndecimo, prout suo loco probaturi sumus.

[a] Lib. 1.
[b] Cap. 9.
[c] Lib. 1. c. 12.
[d] Lib. 1.
[e] Lib. 2. c. 43.

CHILDERIC. MORITVR.

X. Ambianum regiâ dudum sede nobilitatum fuerat, ab ea ciuitate Andegauum vsque Franciæ fines à Childerico propagatos constat ex textu Gregorij iam recitato, id contigit accessione variarum vrbium, quæ partim in Belgica secunda, partim in Lugdunensibus tertiâ & quartâ sitæ sunt. His igitur temporibus dominationi Francorum præter antiquam Franciam, quæ Rheno, Mœno, Visurgi & Oceano claudebatur, in Gallia cis Rhenum parebant duæ prouinciæ quas Germanicas appellabant, cum clarissimis ciuitatibus ac territoriis Camaracensium, Turnacensium, Atrabatum, Morinorum, Bononensium, Ambianensium, Veromanduorum, Bellouacorum, & Syluanectensium in Belgica secunda, necnon Cenomannorum * & Andicauorum in Lugdunensi tertia, itémque Parisiorum & Carnotum * in Lugdunensi quarta. Colonia, Cameracum, Cenomannum, aliæque nonnullæ ciuitates suos habebant reges, quorum meminit [f] Gregorius Turonensis, reliquæ verò Francorum ditiones vni Childerico subiacebant.

FINES FRANCIÆ DILATATI.

* Le Mans.
* Chartres.
[f] Lib. 2. cc. 40. 41. 42.

XI. Nec vltra Rhenum in vetere Francia, nec cis illum amnem in vtraque Germania quicquam occurrit obseruandum præter Pontificatus Radherij & Eucherij, qui circa hæc tempora successerunt; ille Adelberto in Episcopatum Moguntinum, hic beato Quirillo in Traiectensem.

XII. In Belgica secunda Episcopi sedebant, Andouenus Ambiani, Promotus apud Viromanduos, Syluanecti Modestus, quantùm ex catalogis Episcoporum illarum Ecclesiarum à Morlierio, Vassorio & Iaulnæo editis coniicimus, nam qui successores horum immediati leguntur Edibius Ambianensis, Sophronius Viromandensis, & Liuanius Syluanectensis, ij Clodoueo regnante floruerunt. Vt autem Andouenus in Ambianensium Episcoporum Chronico quintus numeratur, ita synchronum illi tribuimus Numitium, qui pariter apud Loiselium quintus in Bellouacensium Pontificum Chronologiâ recensetur. Ceteræ ciuitates, quas in eâdem prouinciâ Francis subditas notauimus, carebant adhuc Præsulibus. Degebant, Tornaci Eleutherius, apud Viromanduos Gildardus & Medardus fratres, tres egregij iuuenes, de quibus sæpè inferiùs.

EPISCOPI BELGICÆ II.

XIII. Parisiis Episcopus erat Apedinius, cuius successor Heraclius subscripsit

concilio Aurelianensi primo. In vitâ Sanctæ Genouefæ [a] Parisienses aliquot annis grauem à Francis obsidionem passi dicuntur, finitóque bello durissima mox fames secuta est. *Tantâ miserorum calamitate permota beatissima Genouefa nauim conscendit, vt aliunde afflictis ciuibus alimoniam compararet, cumque Sequanam fluuium nauigaret, & aduersò superato flumine ad locum quendam perueniisset, in quo arbor excreuerat, quæ in ima propendentibus ramis naues quasdam pernicioso gurgitis præcipitio implicuerat, præcepit nautis, vt ad ripam nauigium appellerent, egressáque è naui, dum inter se consultarent nautæ, quâ ratione arborem illam possent excindere, ad solita orationis præsidia, quorum efficaciam iam crebrò esset experta, confugit. Ita factum est, vt nullo ferè securium ictu verberata arbor radicitus euelleretur, nec illud deinceps naufragij periculum illac nauigantes incurrerent. Exilierunt autem, vt fertur, ex eius arboris sinu duo angues immensæ magnitudinis versicoloribus squamis, odoris teterrimi. Cœpto deinde itinere, pergente sanctâ Genouefâ, iam ad vrbem quò tendebat, eam fama velox anteceſſerat, & ecce obuiam illi processit Tribunus quidam Passius nomine, cuius vxor annis aliquot paralytici humoris pondere, & pedum incessu, & membrorum omnium vsu sic fuerat priuata, vt corpore velut præmortuo, anima tantùm quodam hospitij iure in illo demoraretur, membris suum officium facere prorsus recusantibus. Ad cuius lectum sanctæ Genouefæ maritus eius precibus perductus, exclusis turbis, ad deprecandum Dominum se contulit, humum lachrymis infundens, ac deinde mulier crucis signo ab illâ consignata, membris restitutis è lecto mox surrexit incolumis. His eâ in vrbe non sine singulari Dei gratiâ virtutibus perpetratis Trecas * profecta est, vbi cæcos & perplures alios diuersorum morborum ac febrium cruciatibus penè exanimes, signi crucis impressione sanauit. Ex eâ autem vrbe rursus ad priorem illam reuersa est, vnde cùm frugibus comparatis onustisque nauibus Parisios repeteret, subitâ vi turbinis naues eius inter rupes & arbores impelluntur, ita vt non multùm à submersionis periculo abesse viderentur, vndarum impetu in eas irruente. At illa sublatis in cœlum manibus in tanto periculo diuinum popoſcit auxilium, statimque naues omnes, quæ simul erant vndecim, Deo miserante, sanctæ virginis precibus inde reuocatæ, cœptum iter felici cursu peragunt. Tunc Bossus Presbyter & alij, qui in nauibus erant, canticum Exodi pro gratiarum actione cum ingenti lætitiâ cecinerunt, dicentes, adiutor & protector factus est nobis Dominus in salutem. Denique Lutetiam prospero cursu perueniunt, ciuésque fame defectos & decolores ad pristinum corporum statum & robur, alimentorum suppeditatione reduxit.* Erat Genouefa iam maior quinquagenariâ, puella enim potuit esse sex annorum, cùm parentum vestigiis insistens obuiam processit Sanctissimis Episcopis Germano Antisiodorensi & Lupo Trecensi, qui contra Pelagianos pugnaturi proficiscebantur in Britanniam Florentio & Dionysio Consulibus, vt testatur Prosper in suis Fastis, id est, anno Christi quadringentesimo vicesimo nono. Postquàm autem quinquagesimum ætatis annum supergressa est, quoad abstinentiam suadentibus Episcopis ex antiquo vitæ genere nonnihil remisit, *certè* enim, inquit author vitæ, *à decimoquinto ætatis suæ anno vsque ad quinquagesimum, bis in hebdomadâ exiguâ cibi sumptione ieiunium dissoluit, panis hordeacei duntaxat & fabæ capiens pulmentum, idque Dominicâ duntaxat die & quintâ feriâ. Vinum verò vel quicquid inebriare potest, toto vitæ suæ spatio non bibit. Post annum autem quinquagesimum Episcopis suadentibus, quibus contradicere sacrilegium est, cùm Christus dicat. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, piscium & lacte vsum sed rarò & perparcè admisit. Childericus Rex Francorum, tametsi non esset Christianâ religione initiatus, virginem hanc sanctissimam singulari veneratione prosecutus est, nam cùm aliquando quosdam reos capitis pertinaci animi sententiâ decreuisset occidere, ne Genouefæ precibus posset flecti ad misericordiam, ex vrbe egressus, iussit portas occludi. At vbi Genouefæ nuntiatum est, Regem eos necandi gratiâ extra oppidum processisse, mox illis veniam precatura, festina abiit, atque aduenientè illâ ad portas obseratas, confestim ei, stupefactis custodibus, quasi ad quoddam iubentis imperium, reseratæ sunt, sicque cœptum carpens iter, vbi ad Regem peruenit, ne miseri illi capite plecterentur, obtinuit.*

ANNI Christi 477. & seqq. CHILDERICI R. 21. &c.

[a] Ap. Sur. d. 3. Ian.

APEDIN. EPISC. PARIS.

GENOVEFA MIRACVLIS CLARA.

* Troyes.

OBEDIENS EPISCOPIS.

CHARA CHILDERICO REGI.

ANNVS Christi 481. CHILDERICI 25.

septimo, horâ tertiâ pomeridianâ, dum foditur ad altitudinem septem aut eo plus pedum, in rupem vsque saxeam, inuenitur primùm fibula aurea, & mox nidus rotundior velut ex aluta putri, in quo nummi aurei plùs centum, rutro aperitur ab Hadriano Quinquino latomo Tornacensi, qui vt erat mutus & surdus ab ipso natali, voces inconditas mittere cœpit, & quo potuit modo vicinam aduocare. Eodem in loco reperti sunt ex argento nummi ducenti plùs minùs, sed ita extriti ac rubigine obducti vt facinus esset legere, vnde magna ex parte perierunt. Effossa multa ferramenta, vetustate exesa & consumpta propter loci nonnihil humecti vitium, & caluariæ duæ, quarum altera grandior cum ossibus iacentis humani skeleti. Ac demum intra pedum circiter quinque spatium inuentæ sunt quamplurimæ cimeliorum reliquiæ, gladius tam boni chalybis, vt ad primum contactum frustulatim totus dissiluerit, eius capulus, manubrium & vagina; graphiarium, bubulum caput, apes multæ de longè pluribus quantùm sciri potuit superstites saltem supra trecentas, dum reliquas inter exportata rudera non fuit datum perscrutari; acus vna, fibulæ, vnci, vncini, claui, filamenta, bullæ, omnia ex auro insertis infinito numero pyropis; equus, globus crystallinus. Ac ista quidem cuius aut æui essent aut personæ difficile fuisset atque impossibile iudicare, nisi vnà cum his repertus annulus aureus Childerici Francorum Regis fecisset indicinam.

XVIII. Annulus habet insculptam ΘΕΟΠΟΜΠΟΥ hominis criniti largiter, capillitio in vtrumque humerum defluente ac cincinnato. Manu dexterâ iaculum tenet. Nomen ipsum literis nondum Gothicis, sed adhuc Romanis expressum est, Childirici Regis. Olim vtrumque scribebatur Childiricus & Childericus, vt Sigibertus & Sigebertus. I cum E magnam habet communitatem teste Varrone [a], & veteres authore Gellio [b] consueuerant literis illis indifferenter vti.

[a] Lib. 5. de ling lat.
[b] Lib. 10. c. 24.

XIX. CVM IDOLO Bubulum caput aureum, idolum fuit Childerici, ex equi regij fronte seu capistro pendulum. Apum examine instructus erat totus equi ornatus. Affinitatem apum cum bobus agnoscit Phyletas, cùm eas apud Antigonum vocat *Taurigenas*, & Plinius cùm ita scribit [c], *aluearia hyeme stramento operiri, crebro suffiri, maximè verò fimo bubulo, cognatum hoc iis, innascentes bestiolas necat, araneos, papiliones, teredines, apésque ipsas excitat.*

[c] Lib. 21. c. 14.

XX. & ORNAMENTIS REGIIS. Ferreum Childerici graphium magnâ ex parte computruerat. Graphiarium ex auro obryzo totum nullis collucebat gemmis vt reliqua Regis ornamenta, sed cruciculis in parte planâ partim pedatis partim rectangulis insculptum erat, fortè munus fuit sanctæ Genouefæ vel alicuius Episcopi, qui Regem frequenti crucis inspectione à gentili prauitate sensim reuocare tentaret. Non alio consilio Imperatores vtriúsque Romæ videntur misisse ad illum aurea numismata quæ victoriis cruces gestantibus decorabantur. Reperta quidem sunt centum ex auro, sed formis duntaxat duodecim, quarum duæ erant Theodosij Iunioris, aliæ duæ Valentiniani Tertij, quinta Marciani, sexta & septima Leonis, octaua Zenonis & Leonis Iunioris, Nepotis nona, Basiliscí decima, Basiliscí & Marci eius filij vndecima, duodecima Zenonis. Ex argenteis autem quatuor tantùm inuenta sunt perforata, quæ totidem erant Imperatorum, Hadriani, Antonini Pij, Aurelij Veri & Constantij iunioris, & è collo pendula propalam à Childerico Rege gestabantur, vel vt illorum præcipuè Augustorum virtutem ac gloriam æmulatione quadam imitaretur, vel certè quòd eorum imaginibus ac geniis crederet se multum iuuari. Hadrianus, Antoninus Pius & Aurelius Verus idola coluerunt, Constantius iunior patre Constantino Principe Christiano ac Catholico natus desciuit in hæreticum Arianum, vnde suboritur haud leuis occasio suspicandi Childericum, qui per Gallias in quibus Christiana religio vigebat, latè dominabatur, aliquando dubium hæsisse an relicto Deorum cultu nomen inter Christianos daret, & Arianorum potiùs quàm Orthodoxorum sermonibus delectatum, quia in toto Occidente vix erat dynasta Catholicus, Bur-

ANNVS Christi 481.

gundionum enim in Galliâ, Sueuorum in Hiſpaniâ, Gothorum in Galliâ & Hiſpaniâ, Vandalorum in Africâ, Erulorum in Italiâ, Gipedum in Daciâ tranſdanubianâ, & Longobardorum in Pannoniâ Reges, qui ſe Chriſtianos profitebantur, in Arianam hæreſim impegerant.

CHILDERICI 25.

XXI. Antiqui tabellis pro chartis vtebantur, quibus vltro citróque, ſiue priuatim ſiue publicè opus erat, certiores abſentes faciebant. Et quia tabellæ illæ duabus tantùm paginis conſtabant, diptycha dicebantur, atque etiam pugillares quòd pugno facilè continerentur. Materia vulgaris erat buxus, pretioſior citrus, ebur. De Childerici pugillaribus tot ſeculorum iniuriâ periit ebur. Reperti tantùm cum graphiario regio bacilli duo aurei, quadrati & pyropis diſtincti qui diptychon exornabant, fixi clauiculis aureis adhuc extantibus, qui eburneæ tabellæ craſſitudinem oſtendunt.

XXII. Gladius regalis cum Childerico ſepultus, longus pedes duos ſeſqui præter propter, cui ad ſecandum duntaxat ſubtilis erat acies non acuminata in cuſpidem quâ punctim feriret. Lamella chalybea fruſtulatim tota diſſiluit, nec ſuperfuit quidquam præter aurum & gemmas quæ vaginam & capulum ornabant, ſed & bracteæ ex auro poſtmodum inuentæ, quæ manubrium gladij operiebant, eiuſdémque manubrij pars ima, binis obtecta arculis, operis item aurei gemmatique. Pendet omne gladij quod ſupereſt aurum vncias vndecim cum duabus drachmis, gemmæ abſque numero fulgoris vibrante vehementiâ feriunt oculos. Pila capularis binis componitur vitulis aureis, iiſque per armos iunctis ac ſine auribus, vt Apis Francici germanæ proles videantur, quidni & à Rege velut numina colerentur? Gladius pendebat è baltheo cuius extremus ornatus gemmis item præfulgebat.

XXIII. Ponè corpus Childerici iacuerunt, ſimplex ſecuris, framea ſiue haſta, equus, fibulæ aureæ, acus aurea ſeu ſpina, quâ veſtis regia ſummo pectore nectebatur, & globus cryſtallinus. Securis ferrum eſt ærugine eroſum, longum Romani pedis vncias octo, latum in acie quatuor. De ſecuribus hæc apud Iſidorum [a] leguntur. *Secures ſigna ſunt, quæ ante Conſules ferebantur, ne aut vſum perderent belli, aut vacantes otio aſpectum amitterent gladiorum, quas & Hiſpani ab vſu Francorum per deriuationem franciſcas vocant.* Frameæ ferreum ſpiculum non hamatum ſed triangulare fuit. Equi ornatum expoſuimus ſuprà. De globo cryſtallino hæc accipe ex Anſelmo Boëtio [b], *Frigida & ſiccæ naturæ adeo eſt cryſtallus, vt ſub lingua poſitus ſitim febrientium ſedet, manibuſque detentus acutâ febre correptos recreet & refrigeret, præſertim ſi ſatis magnus fuerit ac ſphericæ figuræ, ſæpéque in aqua roſarum mergatur, vbi à manu ægri incaluerit;* conſepultus autem Childerico videtur globus cryſtallinus, quo vſus in morbo fuerat, nam *febre correptus ſpiritum exhalauit*, vt ex Roricone [c] iam retulimus.

[a] Lib. 18. c. 6.

[b] Lib. 2. c. 44.

[c] Lib. 1.

XXIV. De ritu quo ſepulti ſunt tres primi Francorum Reges, qui Childericum anteceſſerunt nihil habemus, ideo viſum eſt nobis operæpretium ea quæ fuſiùs à Ioanne Iacobo Chiffletio de ſepultura Childerici Regis explicantur, in epitomen referre, vt antiquiſſimas Francorum cæremonias in curandis ethnicorum Regum funeribus ob oculos exhiberemus. Childerico ſucceſſit filius Clodoueus, annos duntaxat quindecim natus, vt Gregorius Turonenſis [d] affirmat. Hic Chlothouechus à coæuis vocatur, paulò leniùs Chlodouecus, ex quo rurſus, emollitâ vocis aſperitate, Chlodoueus & Clodoueus à noſtris dici cœpit, Hincmaro eſt Chlodowicus & Ludouicus, Caſſiodoro Luduin.

[d] Lib. 2. c. 43.

CLODOVEVS REX.

ANNI CHRISTI 482. 483. 484. 485. CLODOVEI R. 1. 2. 3. 4.

ANNI Christi 482. & seqq. CLODOVEI R. 1. &c.

ANNVS Christi quadringentesimus octogesimus secundus apud Cassiodorum notatur Seuerino Consule, cui cognomen Iunioris tribuit Marius, additque collegam Marcellinus Trocondum nomine. I.

Anno Christi quadringentesimo octogesimo tertio Faustus Consulatum solus iniit [a]. Obiit hoc anno Ardoastus siue Arboastus vel Arbogastus Carnotensis Episcopus. Successit Flauius qui sedit annos quatuordecim, vt Demochares, Rolliardus, Seuertius aliique affirmant. II.

[a] Cassiod. Marius, Marcell. EPISCOPI CARNOT.

Anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto Theodoricus Ostrogothorum Rex Consulatum gessit [b] cum Venantio. Hoc anno postquam Cenomanensis Episcopatus ab obitu Sancti Victorii per annos fermè duodeuiginti vacauit, sedem Pontificalem adeptus est Principius mense Iulio, transiit enim ad Deum decimo sexto Kalendas Octobris anno quingentesimo decimo tertio, cùm sedisset annos vndetriginta, mensem vnum, dies vnum ac viginti. Errant, qui Principium Remigij Remensis Episcopi fratrem constituunt, siue illum cum Principio Suessionensi Pontifice confundant, siue duos eiusdem nominis Antistites Remigio fratres assignent. III.

[b] Iidem. PRINCIPIVS EPISCOP. CENOMAN.

Annus Christi quadringentesimus octogesimus quintus notatur [c] Symmacho solo Consule. IV.

[c] Iidem.

ANNVS CHRISTI 486. CLODOVEI R. 5.

486. CLODOVEI R. 5.

CLODOVEVS Rex anno regni sui quinto, siue anno Christi quadringentesimo octogesimo sexto, quo Longinus & Decius Consulatum [d] gesserunt, bellum contra Siagrium suscepit, vt Gregorius Turonensis [e] testatur his verbis. *Anno quinto regni eius, Siagrius Romanorum Rex, Egidij filius ad ciuitatem Saxonas *, quam quondam supra memoratus Egidius tenuerat, sedem habebat. Super quem Chlodouechus cum Ragenario parente suo, quia & ipsi timebat, veniens, campum pugnæ pro se præparari deposcit, sed nec iste distulit, ac resistere metuit.* Dum huius belli apparatus multas, vt fieri solet, animorum exacerbationes gigneret aduersus Siagrium & Romanos qui fidem Christi profitebantur, electi Tornaco sunt Christiani, migrarúntque in vicum duabus inde leucis distantem, cui posteà Blandinij nomen inditum fuit, vbi Ecclesiam in honorem beati Petri erexerunt. Præ ceteris enitebant Serenus & Blanda coniuges, eorúmque filius Eleutherius, qui Tornacensis Episcopus fuit, & Theodorus qui Eleutherium in Episcopali dignitate anteceſſit. Apud Bollandum [f] hæc in antiquissimâ beati Eleutherij vitâ sic retexuntur. *Congregatis senioribus populi, Tribunus Scaudinienſis cum omni multitudine paganorum decreuit, vt omnes tam nobiles quàm ignobiles Christianæ religionis cultores à Tornacensi vrbe ciicerentur, & à suis possessionibus omnino priuarentur. Igitur omnes electi extra muros, basilicam in honore beati Petri Apostolorum Principis constituerunt in loco* I.

[d] Manus, Cassiod.

[e] Lib. 2. c. 27.

* Soissons.

ECCLES. BLANDIN.

[f] d. 10. Feb.

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

*qui nunc Blandinium * appellatur. Interea quædam pagana, filia Tribuni Scandinensis, ab infantia sua beatum Eleutherium latenter amauerat, & admodum vexata à dæmone impatibilem amorem cordis sui vlteriùs differre non poterat. Eiectis itaque Christianis, ipse Serenus cum vxore sua Blanda & vnico filio suo Eleutherio eiectus, & à sua possessione & omni dignitate seculi priuatus est. Quem, quia magnæ nobilitatis & excellentiæ erat, multi paganorum secuti meruerunt diuino fonte purificari, & insuper fide Catholicâ imbui. Igitur Christiani constructâ Basilicâ Theodorum Episcopum consecrari fecerunt.* De Theodoro eiúsque Pontificatu fusiùs agemus anno sequenti. Buzelinus amnem, qui Tornacum al-

* Blandin.

* L'Escault.

luit, Scaudum & Scaldim * vocat, vnde intelligas Censorinum (id nomen Tribuno fuit) Scaudinensem in prima Eleutherij vita & Scaldinensem in postrema dici, quoniam Tornaco vicinísque ad Scaldim oppidis præerat. Redeamus ad regia castra, sequamúrque Clodoueum Romanos vltimâ cæde percellentem.

II. SIAGRIVS VINCITVR. OCCIDITVR.

Inter se vtrisque, Francis videlicet ac Romanis, *pugnantibus, Siagrius elisum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum Regem Tholosam cursu veloci perlabitur. Chlodouechus verò ad Alaricum mittit, vt eum reddaret, alioquin nouerit sibi bellum ob eius retentionem inferri. At ille metuens ne propter eum iram Francorum incurreret (vt Gothorum pauere mos est) vinctum Legatis tradidit. Quem Chlodouechus receptum custodiæ mancipari præcepit, regnóque eius accepto, eum gladio ferire mandauit. Eo tempore multæ Ecclesiæ à Chlodouechi exercitu depradatæ sunt, quia erat ille adhuc fanaticis erroribus inuolutus. Igitur de quadam Ecclesia vrceum miræ magnitudinis ac pulchritudinis hostes abstulerant cum reliqua Ecclesiastici ministerij ornamenta. Episcopus autem Ecclesiæ illius missos ad Regem dirigit, poscens vt si aliud de sacris vasis recipere non mereretur, saltem vel vrceum Ecclesiæ sua reciperet. Hæc audiens Rex ait nuncio. Sequere nos vsque Saxonas, quia ibi cuncta quæ acquisita sunt, diuidenda erunt, cúmque mihi vas illud sors dederit, quæ Papa poscit, adimpleam. Dehinc aduenientes Saxonas, cunctum onus prædæ in medio positum, ait Rex. Rogo vos, ô fortissimi præliatores, vt saltem mihi vas istud (hoc enim de vrceo suprà memorato dicebat) extra partem concedere non abnuatis. Hac Rege dicente, illi quorum mens sanior erat, aiunt. Omnia, gloriose Rex, quæ cernimus, tua sunt, sed & nos ipsi tuo sumus dominio subiugati, nunc quod tibi beneplacitum videtur facito, nullus enim potestati tuæ resistere valet. Cùm hæc ita dixissent, vnus leuis, inuidus ac facilis, cum voce magna, eleuatam bipennem vrceo impulit dicens, nihil hinc accipies, nisi quæ tibi sors vera largitur. Ad hæc obstupefactis omnibus, Rex iniuriam suam patientiæ lenitate coercuit, acceptúmque vrceum nuncio Ecclesiastico reddidit, seruans abditum sub pectore vulnus.* Huc vsque Gregorius Turonensis [a], qui per Saxonas Suessionas intelligit, nec infrà deerunt similia recentiorum Authorum exempla, qui ciuitatem Saxonicam & Suessionicam promiscuè dicant.

[a] Lib. 2. c. 27.

III. [b] Lib. 2. c. 41.

Chararicus Rex cum Ragehario in auxilium aduersus Siagrium, à Clodoueo vocatus, *eminùs stetit*, teste eodem Gregorio [b], *neutram adiuuans partem, sed euentum rei expectans, vt cui euenisset victoria, cum illo & amicitiam conligaret.* Quod Clodoueo, quamuis odium in aliud tempus dissimulanti, summoperè displicuit.

IV. FRANCIA DILATATVR.

Eo bello defecit potestas omnis Romanorum in Gallia. Clodouei ditiones auctæ sunt primâ Belgicâ integrâ, cuius pars paucis pòst annis defectionem molitâ resipuit, vt suo loco dicturi sumus. Accessit & secundæ Belgicæ pars non ignobilis, ciuitas Metropolis Remorum cum ciuitatibus Suessionum & Catuellaunorum; necnon ciuitates Melduorum & Tricassium in prouincia Lugdunensi quarta seu Senonia cum pagis aliquot Lugdunensis primæ: penetrauit enim Clodoueus vsque ad fines Burgundionum, & vt interpolator Gregorij Turonensis [c] testatur, *Cùm iam terror Francorum resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, Sanctus Aprunculus Lingo-*

[c] Lib. 2. c. 23.

nica ciuitatis Episcopus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus, cúmque odium de die in diem crescceret, iussum est vt clàm gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio, nocte à castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit, ibique iuxta verbum Domini, quod posuit in ore Sancti Sidonij, vndecimus datur Episcopus. Ceterùm perbreui post Siagrij necem interuallo, mortem Sidonij & subrogationem Aprunculi contigisse hæc probat ratiocinatio Chronologica. Florentio & Dionysio Consulibus, vt Prosper scribit in suis Fastis, siue anno Christi quadringentesimo vicesimo nono Celestinus Papa Germanum * Antissiodorensem Episcopum vice suâ misit in Britanniam, quia Ecclesiæ illius insulæ prauâ Pelagiani dogmatis insinuatione corrumpebantur Germano in illo itinere socius fuit Lupus Episcopus Trecensis, qui biennium, vt in eius vita legitur [a], in Episcopatu iam exegerat. Lupus * igitur creatus est Episcopus Tricassium anno Christi quadringentesimo vicesimo septimo. Extat ad Lupum epistola Sidonij [b], ex eâque constat Sidonio curam Aruernensis Ecclesiæ commissam anno Christi quadringentesimo septuagesimo secundo, cùm *nouem quinquennia*, vt ille loquitur, *in Apostolica sede Lupus decurrisset*. Extant eiusdem Sidonij aliæ literæ [c] ad Oresium datæ *post tres Olympiadas*, siue anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto. Superuixit aliquot annis, ita vt dubium haud esse possit quin ad tempus illud peruenerit, quo bellum aduersus Siagrium à Clodoueo susceptum fuit; obiit autem paulò pòst Zenone Imperatore in viuis adhuc superstite, vt colligitur ex eius encomio, quod insertum est libro [d] Gennadij de viris illustribus, Zeno verò morte correptus fuit Olybrio solo Consule, vt Cassiodorus & Marcellinus obseruarunt, siue anno Christi quadringentesimo nonagesimo primo.

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

*S. Germain d'Auxerre.

[a] Apud Sur. d. 29. Iul.

* *S. Loup de Troyes.*

[b] Lib. 6. ep. 1.

[c] Lib. 9. ep. 12.

[d] Cap. 92.

Illis temporibus in prima Belgica is fuit status rerum Ecclesiasticarum.

V. VI. EPISCOPI TREVIRENS.

In cathedra Metropolitana Treuirorum sederunt Modestus eiúsque successor Maximianus. Mentio Modesti fit sexto Kalendas Martias in tabulis Ecclesiasticis. Sepultus est Treuiris apud sanctum Eucharium. Mersseus in Annalibus Treuirensibus [e] obitum eius refert anno Christi quadringentesimo octogesimo sexto.

[e] Cap. 43.

VII. VIRDVN.

Eodem anno Possessor Episcopus Virodunensis ex hac vita migrauit, successit Firminus. Vterque in Sanctorum numero habetur. Lege Wasburgium in antiquitatibus Galliæ Belgicæ, & Martyrologium Gallicanum quarto Nonas Maij.

VIII. METENS.

Metis sedebat Romanus Episcopus, de cuius obitu agemus post triennium. Consule Metensium Antistitum catalogum ex Codice Sancti Symphoriani Metensis exscriptum inter probationes quas Marcus Antonius *Dominicy* operi suo de Ansberti familia rediuiua subiecit. In Metensium Pontificum indicibus, ante sancti Arnulfi Præsulatum, cuius initium in annum Christi sexcentesimum vndecimum incidit, vix duo reperiuntur characteres, quibus nostra Chronologia fulciri possit. Sperus Metensis Episcopus Aruernensi Concilio subscripsit anno Christi quingentesimo tricesimo quinto. Villicus Metensem diœcesim administrabat cùm Venantius Fortunatus in Galliam ex Italia venit. Ad illas temporum notas, à quibus recedere nefas est, nostrum calculum componemus. In primis iuxta sancti Symphoriani Metensis Codicem, qui Fronimio tribuit annos Pontificatus octo, quindecim Grammatio, Agatimbro duodecim cum mensibus sex, Spero septemdecim, Villico viginti quinque cum duobus mensibus; docétque mortuos esse, Fronimium sexto Kalendas Augusti, Grammatium septimo Kalendas Maij, Agatimbrum quarto Idus Maij, Sperum decimo Kalendas Septembris, & Villicum decimo quinto Kalendas Maii; asseremus Fronimium Romano successisse anno Christi quadringentesimo octogesimo nono, obiisse sexto Kalendas Augustas anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo, postquàm sedisset annos octo; Fronimio successisse Grammatium anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo, obiisse septimo Kalendas Maias anno sui Præsulatus de-

ANNVS Christi 486. Clodovei R. 5.

cimo-quinto, Christi quingentesimo duodecimo; Grammatio successisse Agatimbrum anno Christi quingentesimo duodecimo, obiisse quarto Idus Maias anno Christi quingentesimo vicesimo quinto, postquàm sedisset annos duodecim, menses sex; Agatimbro succesisse Sperum anno Christi quingentesimo vicesimo quinto, Aruernensi Concilio interfuisse anno Christi quingentesimo tricesimo quinto, obiisse decimo Kalendas Septembris anno Christi quingentesimo quadragesimo secundo, postquàm sedisset annos septemdecim; Villicum subrogatum esse anno Christi quadragesimo tertio supra quingentesimum mense Februario, obiisse decimo quinto Kalendas Maias anno Christi quingentesimo sexagesimo octauo, postquàm sedisset annos viginti quinque, duósque menses, & in suam familiaritatem admisisset Venantium Fortunatum, qui relictâ Italiâ paulò post obitum Clotarij Regis ad Sigibertum eius filium anno Christi circiter quingentesimo sexagesimo secundo accessit. A morte Villici ad Arnulphi pontificatum lapsi sunt anni duntaxat quadraginta quinque, in Codice autem sancti Symphoriani numerantur sexaginta septem, nam Petro Villici successori assignantur decem, tum Aigulfo viginti, Arnoaldo octo cum mense vno, & Pappolo viginti septem cum diebus triginta, mortuique dicuntur Petrus quinto Kalendas Octobris, Aigulfus decimo Kalendas Decembris, Arnoaldus septimo Idus Octobris, Pappolus vndecimo Kalendas Decembris, ita vt eo calculo, si Villicus, vt arbitramur, anno Christi quingentesimo sexagesimo octauo decesserit, interitus Pappoli reiiciendus sit in annum Christi sexcentesimum tricesimum quartum, & Arnulphi Præsulatus ante annum Christi sexcentesimum tricesimum quintum nequeat inchoari. Certè obitus Villici nec referri debet ante annum Christi quingentesimum sexagesimum secundum, id est, ante Venantij Fortunati aduentum in Franciam, nec procul ab anno Christi quingentesimo sexagesimo octauo quo consignandum putamus. Codex sancti Symphoriani vitiosus est tantùm in Pappolo, qui tres duntaxat annos in Pontificatu degit. Petrus post Villicum decennio sedit, obiitque quinto Kalendas Octobris, anno Christi quingentesimo septuagesimo octauo. Aigulfus Petri successor Episcopatum rexit annis viginti, vitámque clausit decimo Kalendas Decembris anno Christi quingentesimo nonagesimo octauo. Arnoaldi electio pertinet ad annum sequentem, nempe Christi quingentesimum nonagesimum nonum, quia præter annos octo completos sedit mensem vnum, vt Codex sancti Symphoriani perhibet, obiitque vel decimo quinto Kalendas Maij, iuxta Martyrologium Metense, vel septimo Idus Octobris, iuxta libros alios ab Episcopo Madaurensi laudatos, anno Christi septimo supra sexcentesimum. Arnoaldo Pappolum alij sufficiunt, alii Arnulphum; præterea Pappolum alii volunt sedisse triennio, alii annis viginti septem. Pappoli mortem collocabimus vndecimo Kalendas Decembris anno Christi sexcentesimo decimo, exponemúsque rationes propter quas illius Pontificatus nec expungendus sit nec vltra triennium prorogandus. Arnulphus ineunte anno sequenti Præsulatum adeptus est. Hanc epocham certam atque indubitatam reddunt tria si simul conferantur argumenta. Arnulphus regnante Theodoberto creatus est Episcopus, vt ex vita sancti Clodulphi constat, diœceseos curam, teste Fredegario [a], gerebat adhuc anno Clotarii Regis quadragesimo secundo, siue anno Christi sexcentesimo vicesimo quinto, seditque annis tantùm quindecim ac diebus decem, vt habet Codex sancti Symphoriani Metensis. Illius igitur Præsulatus, cuius exordium anno Christi sexcentesimo vndecimo ponemus, nec citiùs anticipari debet nec seriùs differri; nam si differatur, eius initium non cadet in regnum Theodoberti, quia Theodobertus anno Christi sexcentesimo duodecimo interiit; si verò anticipetur, aut excedet annos quindecim, aut discrepabit à Fredegario authore antiquissimo ac synchrono. Cetertùm de Metensibus Episcopis, quorum anni modis adeò diuersis numerati reperiuntur, hæc dicta sufficiant, vt intelligas Romanum in viuis

[a] In Chron. c. 53.

ANNVS Christi, 486. CLODOVEI R. 5. IX. TVLLENS.

superstitem fuisse, cùm Clodoueus bellum contra Siagrium gessit.

Ad hæc eadem tempora peruenire potuit Auspicius Tullensis Episcopus iam laudatus. Explodendi certè sunt ij, qui Tullensem Ecclesiam volunt longo laborasse tunc interpontificio, quod vsque ad Principatum fermè Dagoberti perdurarit. Nam post Auspicium, quem Sidonio Apollinari coætaneum fuisse [a] constat, Tullensem * diœcesim rexit Vrsus, & Alodius, de cuius successoribus suo loco verba faciemus, Concilio Aurelianensi quinto subscripsit anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo.

[a] Sidon. lib 4. ep. 17.
* *Toul.*

X.

In ciuitatibus secundæ Belgicæ, quas victo Siagrio Clodoueus obtinuit, florebant æquè magni nominis Antistites.

XI.

In metropoli Remorum sedebat Remigius. Si Fredegario [b] credimus, is fuit Episcopus, qui per nuncium, vt ex Gregorio Turonensi iam retulimus, vrceum Ecclesiæ suæ repetiit recuperauitque. Nec te moueat quòd à Clodoueo nominatur Papa, sic enim eo seculo promiscuè vocabantur omnes Episcopi, vt ex plerisque Sidonij, qui tum scribebat, epistolis patet. Quantâ esset in existimatione apud Clodoueum adhuc ethnicum & apud Francos adhuc paganos, apprimè docet Hincmarus [c]. *Eo*, inquit, *tempore multæ Ecclesiæ à Chlodouei exercitu depredatæ sunt. Erant autem, sicut & Rex illorum, fanatici & pagani. Attamen audientes miracula, quæ fiebant per beatum Remigium, reuerebantur eum, & licèt pagani diligebant illum, in quo lux celestis gratiæ omnibus resplendebat, & Rex illorum libenter illum audiebat, & audito eo multa faciebat, & à multis nequitiis se cohibebat. Erat enim Sanctus Remigius vir sapiens atque sanctissimus, egregius Rhetoricus, præclarus in virtutibus, cæcis visum restituens, mortuis vitam reparans, dæmonia eiicions, omniúmque infirmitatum languoribus medelam præbens.*

[b] Hist. epit. cap. 16.

REMIGIVS EPISC. REMENS.

[c] In vit. S. Remig. c. 30.

XII.

Si Gregorio Turonensi [d] fides est, Remigius *septuaginta aut eo amplius in Episcopatu annos explenit.* Si credimus Hincmaro in eius vitâ [e], *cùm ad viginti & duos ætatis suæ annos peruenit, defuncto Bennadio, omnium generaliter votis ad Pontificij culmen raptus dignoscitur potiùs quàm electus, in Episcopatu verò septuaginta quatuor constantissimè ac vigilantissimè fidelis seruus & prudens Domino ministrauit, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, Idibus Ianuarij, sancti certaminis cursum consummauit.* Hincmarum in omnibus sequitur Flodoardus [f]. Sigebertus Hincmaro & Flodoardo longè recentior, Remigij Pontificatui septuaginta quatuor annos æquè tribuit, eum enim creatum vult Episcopum anno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, & migrasse ad Deum anno quingentesimo quadragesimo quinto. Sed hæc sententia non potest stare cum actis Aruernensis Concilij, cui Flauius Remigij post Romanum successor interfuit subscripsitque *die* VI. *Idus Nouembris* anno Christi quingentesimo tricesimo quinto, vt ad illum annum probabimus. Quapropter Remigium potiùs ad Episcopalem sedem prouectum putamus anno Christi quadringentesimo quinquagesimo nono, ita vt obierit Idibus Ianuariis anno Christi quingentesimo tricesimo tertio. Hunc computum aut verum aut vero proximum multa confirmant. Sanctus Nicasius Episcopus Remensis, cuius nomen in Martyrologio Romano legitur die decimâ quartâ Decembris, martyrium teste Flodoardo [g] subiit in persecutione Vandalicâ, quam Sanctus Hieronymus in literis ad Ageruchiam depinxit, id est anno Christi quadringentesimo septimo, exinde ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum nonum per annos quinquaginta duos sedere potuerunt quatuor Pontifices, Baruc, Barucius, Barnabas & Bennadius seu Bennagius, quos idem Flodoardus [h] inter sanctos Nicasium & Remigium recenset. Remigius in causâ Claudii Presbyteri literas, quas suo loco recitabimus, scripsit anno Pontificatus LIII. regnante iam Theodorico, qui Principatum exeunte anno Christi DXI. suscepit, eáque obseruatio manifestissimè docet eum Bennadio non successisse ante annum Christi quadringentesimum quinquagesimum nonum. Scripsit etiam Remigius literas Falconi Episcopo Traiecti, qui Pontifex esse

[d] De glor. Confess. c. 79.
[e] Capp. 6. 60.
[f] Lib. 1. capp. 11. 17.
[g] Lib. 1. c. 6.
[h] Lib. 1. c. 9.

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

cœpit anno Christi quingentesimo vicesimo nono, idque nostræ Chronologiæ nullatenus aduersatur. Denique post Remigium per sesquiannum aut etiam per integrum biennium sedem Remensem obtinere potuit Romanus præcessor Flauij, qui Concilio Aruernensi subscripsit exeunte anno Christi quingentesimo tricesimo quinto.

XIII. PRINCIPIVS EPISC. SVESSION. * *Soissons.*

Eo autem tempore quo Remigius Remensem Episcopatum administrabat, Suessionibus *, vbi Clodoueus victo Siagrio regiam sedem constituit, Episcopi fuerunt Principius ipsus Remigij frater, eóque mortuo Lupus eorumdem Remigij ac Principij nepos ex fratre. Principius à Sidonio [a] dicitur *in cœnobio Lirinensi Luporum concellita Maximorúmque*, quia vixit in cellulis illius monasterij vnà cum Lupo & Maximo viris integerrimis, quorum ille Trecensium postea fuit Episcopus, hic Reiensium *. Lupus, vt suprà notauimus, ad Episcopatum Trecensem promotus est anno Christi quadringentesimo vicesimo septimo, & anno præcedenti, vt in eius vitâ [b] legitur, Euangelicæ perfectionis desiderio feruens Honoratum cœnobij Lirinensis * Abbatem adierat. Si Principius eo anno qui quadringentesimus vicesimus sextus fuit, annorum erat circiter viginti, peruenire potuit ad illud tempus quo ciuitas Suessionum Clodoueo deditionem fecit. Extant ad eum duæ Sidonii [c] epistolæ. Obiit Suessionibus. Sepultus fuit in monasterio Sanctæ Teclæ extra muros, nomen eius habetur in tabulis Ecclesiasticis die vicesimâ quintâ Septembris. Successit Lupus de quo recurret sermo.

[a] Lib. 8. ep. 14.
[b] Ap. Sur. d. 29. Iul.
* *Lerins.*
[c] Lib. 8. ep 14. lib. 9. ep. 8.

XIV. EPISCOPI CATALAVN.

Apud Catalaunum Episcopus erat Florendus seu Florendinus, successor illius Amandini qui Concilio primo Turonico interfuit anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo. In catalogo Episcoporum Catalaunensium post Florendinum sequuntur Prouiderius & Proditor, tum Lupus de quo acturi sumus inferiùs in Concilio Aruernensi.

XV. EPISCOPI MELD. * *Meaux.*

Apud Meldas * sedebat Præsidius. Id colligitur ex Meldensium Episcoporum catalogo, vbi post Præsidium subiiciuntur Promissius & Medoueus, qui Concilio Aurelianensi quinto subscripsit anno Christi quingentesimo quadragesimo nono.

XVI. CAMELIANVS TREC. EPISC. [d] Ap. Sur. d. 29. Iul.

Trecis Pontifex præsidebat Camelianus ab anno quadringentesimo septuagesimo nono, nam Sanctus Lupus eius decessor, qui factus est Episcopus anno Christi quadringentesimo vicesimo septimo, Pontificatum tenuit per annos duos & quinquaginta, vt author [d] vitæ tradit.

XVII. AVENTINI MIRACVLA.

Haud procul Trecis degebat tunc Auentinus, cuius vitam in promptuario antiquitatum Tricassinarum edidit ex veteri Codice, notisque illustrauit Nicolaus Camuzatus Ecclesiæ Trecensis Canonicus. *Auentinus*, inquit author vitæ, *fuit Aquitaniæ parte regionis, Biturica vrbis oppidi indigena, parentibus mediocribus, Tricassinæ ciuitati proselytus adueniens. Audiuit autem vir Apostolicus Camelianus Episcopus famam nominis eius in operibus bonis, & videns eum de cœlesti munere habere gratiam, commendauit tradens ei promptuaria sua, ad quæ ille volens nolens addictus & valdè constrictus, quod ordinatum fuerat cum gratiarum actione oblatum non rennit. Dum hæc ageret, & eadem tenere videretur, inde pauperibus, viduis ac pupillis dapes copiosas erogabat, quantùm exinde egentibus dispensabat, tantùm amplius diuino imperio amplificabat. Cùm autem esset in promptuario lagena Bacchi centenaria, de quâ quotidianis diebus in domo Ecclesiæ communi pariter hauriebant, idémque ministrabat, & nullomodò vnquam minuebatur, sed potiùs accrescebat, vt habet curiositas hominum occulta Dei perscrutari beneficia, prædictus vir Apostolicus volens cognoscere quod ex Dei nutu fiebat, iussit mittere virgam palmæ, vt sciret quantùm exinde potatum fuerat, & quantùm supereresset, at vbi alterius personæ manus accessit ministrare, continuò cessauit fons ille cuius erat minister, vt deinceps infra paucos dies exinanita lagena atque euacuata esset. Dum id gestum esset quod ad stupefacienda corda hominum vel ad magnitudinem gloriæ nominis eius adcrescebat, dat ei Sanctus Camelianus licentiam properandi in partem quam ire vellet.*

XVIII. * De glor. Conf. capp. 67. 68.

Gregorius Turonensis [e] Auentinum non Cameliano tantùm sed & Sancto

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

Lupo illius anteceſſori notum ac familiarem indicat, refértque duo inſignia miracula, quæ poſt Sancti Lupi obitum ſub Epiſcopo Cameliano contigerunt. *Lupum*, inquit, *Antiſtitem apud Tricaſinorum Campaniæ vrbem ſepultum, nulli habetur incognitum, ad cuius Baſilicam Mauri cuiuſdam ſeruus negligentiâ admiſſâ confugit, frendens verò Dominus eius de veſtigio proſecutus, ingreſſus Baſilicam, nec orationi proſtratus, blaſphemans in Sanctum euomere cœpit ac dicere. En tu, Lupe, ſeruum meum auferes, & propter te non licebit mihi in eum vltionem debitam exercere? & iniectâ manu ſeruum trahere cœpit dicens, non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulchro, vt eruat te de manibus meis. Hac dicente miſero extemplò lingua, quæ in Sanctum blaſphemias effudit, diuinitùs obligatur, atque mutatus homo debaccheri cœpit per totam ædem, dans mugitum vt pecus, ſermonem vt homo non proferens. Cúmque hæc ſuis nunciata fuiſſent, adprehenſum duxerunt ad domum ſuam. Vxor verò eius multa munera in Baſilicam poſuit, ſed hic tertiâ die cum grauì cruciatu vitam finiuit. Quo defuncto, mulier quæ dederat recepit, ſeruus tamen permanſit ingenuus. Huic Antiſtiti famulabatur Auentinus quidam religioſus, ad quem poſt huius obitum captiui fecere confugium, quorum Domino Auentinus precium obtulit, ſed ille obligans ſe ſacramento, ait. Numquam hæc niſi in pago meo ſum accepturus. Dedítque dexteram ſuam, quòd ſi hic pecuniam tranſmitteret, iſte confeſtim captiuos à vinculo ſeruitutis abſolueret. Tranſmiſſo itaque precio oblitus Dominus fidei ſuæ, dum captiuos abſoluere diſſimulat, ipſe ligatur. Nam ſtatim ſummitas digiti de manu quæ fidem feceras dolere grauiter cœpit. Deinde paulatim dolor adcreſcens, per manum brachiúmque totum extenditur. Quid plura? Truncatum ad ipſam iunctúram brachium cùm cecidit, & hic ſpiritum exhalauit. Vxor verò eius poſt hæc voluit eos iterum ad ſeruitium reuocare, ſed capitis dolore percuſſa virum ſecuta eſt, & ſic hi in ingenuitate perpetuâ abſque vllius ſcripturæ munitione manſerunt.* In vitâ Sancti Lupi, quam Bollandus [a] in commentario prævio ad vitam Sancti Auentini citat, poſt recenſitos illuſtres eius diſcipulos inſignéſque Pontifices, Sanctos Polychronium, Seuerum, Alpinum & Camelianum, qui Diœceſes Virdunenſem *, Treuirenſem, Catalaunenſem ac Trecenſem rexerunt, hæc de Auentino ſubiiciuntur. *Horum Pontificum contubernio interfuit cluentiſſimus, nomine Auentinus, qui cuius fuerit virtutis, non tam exhibitio miraculorum, quàm ſcripta pandunt vitæ.* Inde colligimus Auentinum è Biturigum prouinciâ non accerſitum fuiſſe à Cameliano vt Oeconomus Eccleſiæ conſtitueretur, ſed dudum Trecis verſatum probatúmque, priuſquàm munus illud ſuſciperet, quod diu geſſiſſe non videtur.

[a] d. 4. Febr.

* de Verdun.

XIX. VARIA DOMICILIA.

Quid egerit Auentinus, poſtquàm ab Epiſcopo Cameliano *licentiam* obtinuit *properandi in partem quam ire vellet*, ita deſcribit author vitæ. *Tugurium ſibi ad fontem cuiuſdam Eccleſiæ collocauit, in quo non multùm temporis commoratus, ſed paucis diebus ibidem habitauit, videns ſe crebriùs à vulgi multitudine ac viſitatione publicari, cogitans intra arcana cordis ſui, ne ad offenſionem Dei veniret, aut implere non poſſet, quod voluntas animi ſponderat Deo, exinde remouit ſe ſponte ſuâ, & petiit inſulam ſeptem millibus fere ab vrbe Tricaſium diſtantem, quam alueus Sequanæ * vel Oſæ * fluuius in modum coronæ circumdant, & nihil aliud ſecum detulit, niſi panem, raſtrum, ſemen olerum, pauxillum ſalis, ordei granum, milium vel panicium, vnde victum haberet, quærens locum vbi cellulam ſibi exiguam manibus fecit lento vimine textam, in quâ ſibi latebram collocauit.* Hunc textum Camuzatus, Deſguerroiſius & Bollandus variis modis explicuerunt. Ac primùm Camuzatus in notis quibus vitam Sancti Auentini illuſtrare conatus eſt, traditione quadam à maioribus ad minores velut datatim transfusâ, certum teneri ſcripſit Sanctum Auentinum anachoreticam & ab omni hominum conſortio remotam vitam prope Verrerias * in pago ruſticano duabus leucis ab vrbe Tricaſſinâ diſſito, eius nomine inſignito, piè religioſéque duxiſſe, poſteà verò ſeſe in alium locum recepiſſe, in quo extructum ſacellum ſiue ædicula quæ vulgari vocabulo Capella * Ozæ appellatur, & ad iura cœnobij Moliſmenſis * in Diœceſi Lingonicâ ſiti pertinet, nec à præ-

* la Seine.

* l'Oze.

* Verrieres.

* la Chapelle d'Oze.

* Moleſme.

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

dictâ vrbe longiùs quàm septem leucis remouetur, Ozæque amnis modici confluente alluitur. Deinde in obseruationibus, quas historiæ Sancti Fidoli * subiunxit, dubitare visus est vtrùm locus in quo tandem Auentinus substitit, duabus an septem leucis ab vrbe Tricassinâ distaret, & notationibus, quas ad vitam Sancti Auentini præmiserat, non ita tenaciter & mordicùs inhærendum putauit, vt mutatâ sententiâ non auderet astruere beatum Auentinum habitasse in oppidulo cui nomen Insula *, duabus leucis ab vrbe Tricassinâ disparato, quod etiam Ozâ amne interluitur, vbi nunc situs est Prioratus qui à cœnobio Molismensi pendet. Desguerroisius existimauit Sanctum Auentinum primùm secessisse paullùm extra suburbia in locum tunc satis à vulgi aditu semotum, vbi dein à Sancto Vincentio Episcopo extructa Ecclesia, nunc Parochialis, Sancto Auentino sacra, intráque vrbis posteà dilatatæ muros inclusa; secundum verò eiusdem Sancti tugurium fuisse non ad Capellam Ozæ septem leucis ab vrbe Tricassinâ distantem, verùm vbi nunc Sanctus Auentinus * prope Verrerias pagus ita dictus, distans Trecis septem millibus, siue leucis duabus paullóque ampliùs, ibi enim riuum quemdam in Sequanam defluere; aut certè, vt iam dictum ex Camuzato, vbi oppidulum Insula atque Oza riuus. Bollandus primum Sancti Auentini tugurium collocauit circa Verrerias, alterum in loco Insulâ dicto, cœnobium verò vbi nunc intra ciuitatem Tricassinam, ampliatis nimirum pomeriis, Ecclesia beati Auentini visitur. Nos eiusmodi sententiis accuratiùs cum præcitato textu collatis credimus Auentinum primò secessisse extra suburbium Tricassinum, vbi posteà Vincentius Episcopus Ecclesiam construxit; deinde ad septimum milliare vbi oppidulum est Insula. Admodum enim probabile videtur primam latebram, quam Auentinus ob affluentem vulgi multitudinem vltrò deseruit, vrbi viciniorem fuisse quàm alteram vbi diutiùs vixit. Hanc autem non alibi quàm ad septimum milliare in loco Insulâ nuncupato quærendam apertissimè docent hæc verba. *Petiit Insulam septem millibus ferè ab vrbe Tricassium distantem, quam alueus Sequana vel Osa fluuius in modum corona circumdant.* Hic locus aliorum virorum pio secessu iam celeberrimus erat, ibi enim obiit diúque quieuit Sanctus Melanius Trecensis Episcopus, quem inter ac beatum Lupum medij sederunt Aurelianus & Sanctus Vrsus, vt ex catalogis Antistitum Tricassinorum constat. In posteriore hac eremo qualis Auentinus vixerit, author vitæ prosequitur his verbis. *Cùm iam autem interuallo temporis ibidem degeret, ac solitam duceret vitam, ad Leuiticum ordinem consecratur, donec ad Sacerdotale ministerium ascendit, psalmorum scientiâ adprimè eruditus, quam Spiritus Sanctus in os eius infundebat, & sermonibus declarabat. Cibus ei alter non erat nisi panis hordeaceus permixtus oleribus ac radicibus herbarum, quem peractis triduanis diebus mediâ iam hebdomadâ cum aquâ in refectionem sumebat. Indesinenter ad orationem in cinere & sacco iacebat. Vestimentum autem eius ad membra corporis hirsutum cilicium, tunica squallida, cingulum pelliceum, epydeten habens laneam, cucullam vetustam, calceamentum pedum eius cothurnum; lectulus verò vbi parumper requiescebat, pelliculis cooperiebatur.* Habuit Auentinus in eodem loco multos discipulos, ideóque vocatur Abbas in vitâ Sancti Fidoli, vt ad annum Christi quingentesimum vicesimum quintum probabimus. Insulæ monasterium laudatur in vitâ Sancti Leonis * Abbatis Mentuniacensis *, vt obseruauit Camuzatus in notis ad vitam Sancti Fidoli, qui beato Auentino in regimen eiusdem cœnobij successit. De Sancto Fidolo non semel verba faciemus. Ex illius vitâ liquet Auentinum præfecturâ monasterij sponte abdicatâ in eremum abiisse vbi vitam clausit. Existimamus locum fuisse prope Verrerias, qui Sancti Auentini nomen etiamnum gerit, nec longiùs ab vrbe Tricassinâ distat quàm Insula. Verùm de his iterum fusiùs, cùm ad tempora peruenerimus quibus ista contigerunt. Interim Menardum & Saussaium redargue, qui tertio Kalendas Octobres in beati Vrsionis encomio Sanctum Auentinum ipsius Vrsionis magistrum officio Diaconi sub Episcopo Lupo

Cameliani

* *S. Auentin lez Verrieres.*

** *S. Lyé Abbé de Mantenay.*

Cameliani decessore functum volunt. Menardus Saussaium in errorem traxit, citauitque temerè Gregorium Turonensem, qui nec capite sexagesimo octauo de gloriâ Confessorum quod ille notat, nec alibi loquitur de Auentini Diaconatu. ANNVS Christi, 486.

Victo Siagrio venerunt etiam in Francorum potestatem nonnulli pagi prouinciæ Lugdunensis primæ. De Tornodorensi * constat ex vitâ Ioannis Abbatis Reomaensis, author enim testatur Ioannem, qui Reomaense monasterium in pago Tornodorensi construxit, sub Romanis primùm deinde sub Francis vixisse. Quamuis autem Clodoueus deleto Siagrio pagum Tornodorensem in suam potestatem redegerit, numquam tamen potitus est ciuitate Lingonum vbi sedes erat Episcopalis, nam Gregorius Episcopus Lingonensis anno Christi decimo septimo supra quingentesimum cum aliis Episcopis regni Burgundici concilio Epaonensi sub Sigismundo Rege Burgundionum subscripsit. CLODOVEI R. 5. * Le Tournerois. XX. REOMAENSE MONAST.

Vitam Ioannis Abbatis Reomaensis, quam author coætaneus asceta monasterij Reomaensis conscripsit, Ionas Abbas vt ipsemet in suo prologo testatur, *anno tertio regni Domini Clotarij Regis*, id est anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo, *ex iussu ipsius Principis vel genitricis suæ præcelsæ dominæ Baltichildis Reginæ cùm ad vrbem Cabilonensem * mitteretur noni mensis secundâ hebdomadâ*, recognouit & interpolauit. Ionæ lucubrationem multò auctiorem, quàm apud Surium die vicesimâ secundâ Septembris & apud Barralem in Chronico Lerinensi reperiatur, è veteribus manuscriptis ediderunt Rouerius in suâ Reomao & Bollandus die vicesimâ octauâ Ianuarij. Monachi Reomaensis opus, quod Ionas præ manibus habuit amplificauitque, mansit hactenus ineditum. Huius exemplaria nacti sumus ex variis bibliothecis. Author sic orditur. XXI. * Chalon sur Saone.

IOANNIS REOMAEN. ABBATIS PRIMORDIA.

Vir per cuncta prædicandus Ioannes, nullíque suo tempore secundus, ortus sub territorio Lingonica vrbis, nobilitatem generis nobilitate adornauit mentis, eâdem humo editus, eâdem moriendo sepultus. Qui etiam generosissimis parentibus est procreatus. Pater eius Hilarius nomine, mater verò Quieta vocitata est. Quorum animos cultus religionis catenatos atque sub omni deuotione Christiani timoris innexos tenebat. Quique etiam inter ipsa primordij rudimenta tam in pueritiâ quàm in adolescentiâ sub Christiani cultu vigoris atque religionis, à parentibus alitus atque nutritus est. Qui cùm adhuc in domo parentum indole ætatis frueretur, non Lasciuiam sectabatur, sed Sanctorum vestigia sequebatur; non se cibis delicatioribus aut quibusque delectamentis passus est resolui, vt illa ætas solet. Meditabatur autem adhuc in ætate puerili, quod posteà, cùm in robur virile migrasset, deuotus impleuit. Litteris namque adprimè eruditus est. Sed quàm fuerit memoriæ singularis capax, quâue erga condiscipulos suos benenolentiâ vsus sit, non est nostræ facultatis euoluere. Igitur cùm fuisset annorum viginti, & ad secretiora eum loca nullatenus parentum tam affectus amoris, quàm grauitas senectutis penetrare permitteret, ipse tandem, abruptis omnibus retinaculis, ad Christum se contulit. Sic igitur in remoto villa propriis manibus sibi cellam summo labore ædificauit, oratoriúmque construxit, atque illic, adhibitis secum duobus tantùm pueris soli Deo vacabat. Denique idem venerandus vir cultuque religionis imitandus, præuentus gratiâ & misericordiâ Dei diuinis sublimatus virtutibus & in præceptis Dominicis tramite recto gradiens non solùm in cælesti regione perpetuo ditatus est munere, verùm & in præsenti ob multorum ædificationem longæuo floruit tempore, adeo vt à tempore Valentiniani Cæsaris atque Martiani Imperatoris, qui post Theodosium Iuniorem Monarchiæ dignitatem obtinuit, vsque ad tempora Iustiniani Augusti permaneret. Quo etiam tempore Franci cum Clodoueo Rege, postpositâ Republicâ, militari manu terminos Romanorum irrumpentes Galliam inuasere. Sícque vsque in tempora Theodorici Regis, qui filius extitit præfati Clodouei, & filij eius Theodoberti, perdurauit. Nam quando sacris arctiùs se mancipauit documentis Gallias sub Imperij iure Ioannes Consul regebat. Siquidem cùm ad perfectiora Christi miles animum tenderet, & huc atque illuc ad Sanctorum exempla imitanda spiritu feruenti sua religionis frena laxaret, in deserto, quod sub

ANNVS Christi 486. Clodovei R. 5.

axe Lingonico iacet, & à castro, cui Thornodoro nomen est, triginta ferè millibus distat, prædictis secum pueris comitantibus, nouus se contulit hospes. Vbi primùm in paruo quidem tugurio cœpit habitare. Hinc paulò pòst, confluentibus è diuersis partibus hominum turbis, dux ipse cælestis militiæ collocatur. Iam verò monasterio inibi fidei firmitate constructo, regulæ institutæ, Patrumque exempla, quorum ipse extabat imitator, rudi & nouello adhuc monasterio deesse non patitur. Dehinc studio perfectionis accensus, laborem itineris subit intrepidus, & animo feruenti monasteria circumquaque ire disponens, nec longo terrarum spatio, nec præsentium immanitate periculorum, qui erat fidei ignæus torris, aliquatenus potuit deterreri. Itaque monasteriis Galliæ visitatis, degustatáque luminis veritate, spiritualia condere cupiens mella, velut apis prudentissima, diuinæ gratiæ flosculos decerpebat, & intra pectoris sui conclauium recondens, ad summæ sanctitatis dulcedinem atque perfectionis culmen enitebatur Christo sibi propitio, qui cordis eius requiescebat cubiculo. Pretereà cùm, vt diximus, se primitus in deserto Thornodorensi condidisset, paucis adhuc secum commorantibus, nimiam aquæ penuriam patiebatur. Sed, inquirentibus fratribus, nuntiatur puteus in eodem loco esse antiquitus immani profunditate constructus, quem incuria vulgaris & temporum prolixitas, lapidum obrui permiserat densitate, vbi etiam pessimus serpens basiliscus habitabat. Quod cùm beato viro fuisset compertum, non tam suæ necessitatis obtentu, quàm fratrum, quos ibidem congregare cupiebat, curâ sollicitus, fidei arma concutiens, ad locum pergit, psallentibus cunctis, & nihil aliud quàm solam beati viri mortem expectantibus. Interea Ioannes descendens in puteum, oratione completâ assumptóque rostro primus terræ fossor accessit. Hinc hortatur vniuersos quò omnes aduenirent, & operantibus ipsis putei immanitas aperitur. Ibi itaque inuenitur serpens prædictus diuini nominis inuocatione peremptus. Vicerunt suffragia orationum, letalia venena serpentis. Tum eiecto serpente, ac puteo mundato, ibi vsque in hodiernum diem copia aquæ cognoscitur emanare. Hæc illius opificis sunt opera qui filios Israel ab ignitis liberauit serpentibus, & aquam de petrâ sterili produxit eis sitientibus. Operæpretium ducimus si summam eius humilitatem sub compendio tangamus. Supernâ namque fauente clementiâ crescente cum omni bono in suo cœnobio monachorum caternâ, cœpit anxio corde pensare quid melius foret, quidve salubrius mercedis cumulo obueniret, si plebi dominando præesset, aut subiectus alii obediendo sub obtentu religionis proficeret. Fuit tandem consilij, melius esse sub vinculo mortificationis se subdere, quàm aliis imperando dominari. Denique huius religionis gratiâ capessendæ, duobus secum comitantibus fratribus, densissimæ noctis tenebras captans aufugit. Hinc iterum in insulam marinam, quæ Lerinus nuncupatur, monasterium petiit, vbi tunc temporis & nunc vsque districtio regularis & Patrum sanctorum instituta inuiolata perdurant. Vbi cùm fuisset exceptus, humilitatis causâ sui reticuit propositi dignitatem. Cúmque ibidem anno & sex ferè mensibus delitescens, per vniuersam patriam quæreretur, à quodam tandem visus est, qui de Galliæ partibus commearat, à quo vix potuit pro sui habitus humilitate cognosci. Cúmque eum intuens super agnitione eius diutissimâ fuisset hæsitatione detentus, propiùs tandem accedens, & non solùm vultum, sed etiam vocis sonum diligenter explorans, & ad pedes eius concitus proruens. Nonne hic est, inquit, venerabilis Ioannes, qui prælationem honorum fugiens ad hæc loca peruenit? Primùm quidem super hoc stuporem videntibus summum incussit, pòst verò miraculo sunt maiore perculsi, cùm eius nomen, quod apud eos magnâ fuerat opinione compertum, protinus prodidisset. A quo vniuersi fratres prioris ignorantiæ veniam postulant, quòd videlicet eum inter iuniores tanto tempore deputassent. Deinde iam vt decebat in honore maximo cœpit haberi, quia verax est ille, qui dixit ciuitatem supra montem statutam non posse abscondi, neque debere poni lucernam sub modio sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur domum Dei lumen videant. Intereà agnitor beati Ioannis ad propria regressus ineffabile gaudium de inuentione eius patriæ reportauit. Quâ Pontifex noster Gregorius relatione compertâ, qui tunc temporis Lingonicæ Ecclesiæ gubernacula retinebat, electis duobus fratribus duo paria epistolarum scripsit, vnam ad patrem eiusdem monasterij, nomine Honoratum, alteram quoque eius proprio nomini editam transmisit, deprecans

vt rediret. Quòd si differret, sciret se ante tribunal Christi, & pro desolatione loci prædicti, & pro fratrum dispersione secum causas esse dicturum. Quarum exemplaria litterarum dignum fuerat huic libello inseri, si potuissent aliquatenus reperiri. Igitur inuitum eum ac flentem, quòd non meruerit vitam suam in illa quàm arripuerat subiectione finire, ad solùm patrium reduxere. Regressusque patriam ac ciues omnes aduentus sui gratiâ reddidit lætiores. Ingressus itaque monasterium comperit districtionem regulæ, quam docuerat, minimè seruari. Tum verò quasi rudis & adhuc nouelli monasterij institutis demum reformans, tandem aliquando ad statum pristinum rei ordinem reuocauit. Huc vsque monachus Reomaensis.

ANNVS Christi 486. CLODOVEI R. 5.

Ex scriptis istius authoris, quoad Ioannis ætatem, non leuis oboritur difficultas. In textu supra recitato natus asseritur, cùm Martianus & Valentinianus Augusti regebant Imperium Romanum; mortuusque, cùm Iustinianus apud Romanos imperabat, & Theodobertus Theodorici filius, Clodouei nepos, regno Francorum potiebatur; & in alio loco dicitur obiisse *circiter centum viginti annorum.* Hæc verò simul quadrare non possunt. Ioannes enim aut annum ætatis circiter vicesimum supra centesimum haud attigit, aut natus est priusquàm Martianus imperaret vel Theodoberto Regi superuixit, quia Martianus imperare cœpit exeunte mente Iulio, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, & Theodobertus Rex anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo vitam clausit, ab anno autem Christi quadringentesimo quinquagesimo ad annum Christi quingentesimum duodequinquagesimum anni duntaxat octo supra nonaginta numerantur. Martianus Imperium in Oriente adeptus est exeunte mense Iulio, anno Christi quinquagesimo supra quadringentesimum. Valentinianus iampridem imperabat in Occidente, desitque tandem viuere decimo sexto Kalendas Apriles anno Christi quadringentesimo quinquagesimo quinto. Simul igitur non imperarunt integro quinquennio, intra quod temporis spatium ortus Ioannis collocari debet. Vt ita sentiamus, duobus characteribus Chronologicis nos monet prælaudatus monachus Reomaensis. Ait enim Ioannem sacris arctius se mancipasse documentis *quando Gallias sub Imperij iure Ioannes Consul regebat*, & in desertum secessisse *cùm fuisset annorum viginti.* Toto Valentiniani Principatu, qui longissimus fuit ab anno Christi quadringentesimo vicesimo quarto ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quintum nullus occurrit Consul qui Ioannes vocetur, sed anno Christi quadringentesimo quinquagesimo sexto Ioannes & Varranes, & anno Christi quadringentesimo sexagesimo septimo Poseus & Ioannes Consulatum gesserunt. Posterior hic Ioannes in vitâ Ioannis Reomaensis notatur, sub eius Consulatu Ioannes, quem statim ac Martianus Imperium suscepit, in lucem editum existimamus, erat annorum septemdecim cùm sacris arctiùs se documentis mancipauit, & anno pòst tertio siue anno Christi quadringentesimo septuagesimo cùm annorum viginti esset in eremum secessit. Addemus & ex eodem anonymo tertium characterem, qui nostram sententiam plurimùm confirmat. Gregorius Episcopatum Lingonensem iniit anno Christi quingentesimo sexto, Ioannes tunc erat annorum sex ac quinquaginta, nec mirum si quæ prædictus author in eius vitâ narrauit, corpore tum vegeto peregerit. Qui volunt Ioannem ineunte Valentiniani Principatu natum esse cùm Theodosius Martiani decessor in Oriente imperabat, Ioannem Consulem, cuius meminimus, aut effugio subtili Consulem interpretantur suffectum cuius nomen in fastis non extet, aut inani prorsus interpretatione Consulem fingunt prouinciæ primæ Lugdunensis Præsidem Consularibus ornamentis à Valentiniano Augusto donatum. Deinde, ne Ioannes octogenario maior videatur cùm in Lerinensem insulam profectus est, dubitant an Gregorii loco Patientium Episcopum restituant, an scriptorem memoriâ lapsum insimulent, an denique Ioannem asserant reuocatum à Gregorio Comite Augustodunensi, Episcopo Lingonensi pòst futuro, Gregorius enim priusquàm Lingonensem Episcopatum adipisceretur, *Augusto-*

XXII. ÆTAS.

ANNVS Christi 486.

dunensis ciuitatis Comitatum ambiuit, & in Comitatu positus regionem illam per quadraginta annos iustitiâ comitante correxit, vt in eius vitâ Gregorius Turonensis [z] scribit. Verùm nec author culpandus est, qui Gregorij Lingonensis Antistitis mentionem fecit in vitâ Ioannis Abbatis, nec Patientius Episcopus in Gregorij locum reponendus videtur, nec Augustodunensis Magistratus cum Episcopatu Lingonensi temerè confundi debet, maximè cùm Reomaus extra Comitatus Augustodunensis fines fuerit, intra terminos verò Diœceseos Lingonicæ.

[z] De Vit. patr. c. 7.

XXIII. *Le Serain. L'Armançon. Analon. Semur.*

Cùm Clodoueus Rex Franciam per pagum Tornodorensem dilatauit, Ioannes Abbas Reomaensis annum agebat ætatis triceſimum sextum. Reomaense monasterium, quod à loco, cui nomen Reomaus, ita nuncupabatur, inter Serum & Armantionem fluuios haud procul ab Aualone & Semurio oppidis erexerat, antiquum puteum emundarat occiso basiliſco, copioſam ibi congregarat multitudinem monachorum, quibus custodiendam præscripserat regulam quam ex variis Galliarum cœnobiis à se lustratis collegerat. Cetera suis locis.

---

487. CLODOVEI R. 6.

ANNVS CHRISTI 487. CLODOVEI R. 6.

I. ANNO Christi quadringenteſimo octogeſimo septimo, quo Boëtius Consulatum [a] absque Collegâ gesſit, Christiani, qui Tornaco in vicum proximum anno priore commigrarant, erectâ basilicâ Theodorum Episcopum consecrari fecerunt. *Qui paucis diebus euolutis*, vt in antiquissimâ beati Eleutherij vitâ legitur [b], *diuino spiculo percussus interiit*. Omnes fatentur Theodorum sedisse paucis diebus. Herimannus Abbas diuinum spiculum interpretatur tonitru, & Theodorum *diuino spiculo id est ictu tonitrus* interemptum scribit. Guibertus in vitâ Sancti Eleutherij, Theodorum ob superbiam vltione diuinâ necatum subindicat his verbis. *Interiit diuino percussus spiculo, paucorum dierum tempore euoluto. Sic per apostasiæ vitium primus Angelus corruit. Sic Saül primus Hebræorum Rex propter peccatum inobedientiæ reprobatus fuit. Sic primus Episcopus Tornacensis vltione diuinâ percellitur, vt secundum Sapientis eloquium pestilente multato parvulus sapientior habeatur. Nam cùm exiguo concedatur misericordia, potentes potenter supplicia patientur. Sed qui sedes superborum euertit, & humiles pro eisdem constituit, Eleutherium in Episcopum eligi procurauit.* Recentiores passim Theodorum, quòd superbiùs ageret, spiculo diuino, hoc est ictu tonitrui peremptum tradunt. Vnus Democharis [c] Martyrem facit ac socium Sancti Chrysolij perhibet, sed errat grauissimè, nam Theodorus qui sub Clodoueo Francorum Rege interiit, procul abfuit ab ætate Sancti Chrysolij qui martyrium sub Diocletiano & Maximiano Augustis consummauit.

[a] Marius Cassiod. Marcell.

[b] Ap. Bolland. d. 20. Febr.

THEODOR. EPISC. MORITVR.

[c] De diu. Miss. sacr. c. 15.

II. Mortuo Theodoro, *videntes Christiani sanctitatem beatissimi Eleutherij Romam eum miserunt, & cum auctoritate Papæ regredientem Episcopum consecrauerunt*, vt legitur in ipsius Eleutherij actis, omnium quæ prodierunt vetustissimis. Postrema, quæ desumpta sunt ex breuiario Tornacensi, Papam, quem Eleutherius adiit, vocant Felicem secundum, innuuntque Felicem Gregorij Magni atauum, qui, vt ex Victore Tunnunensi colligitur, à Fausti Consulatu vsque ad Consulatum Anastasij & Rufi, siue ab anno Christi quadringenteſimo octogeſimo tertio ad annum Christi quadringenteſimum nonageſimum secundum sedit, loquuntur enim in eorum sententiâ, qui Feli-

SVCCEDIT ELEVTHER.

cem Liberio Papæ temporibus Constantij Augusti subrogatum prætermittunt. In iisdem actis excusis ordinatio Eleutherij Episcopi consignatur anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, in aliis auctioribus habetur annus Christi quadringentesimus octogesimus tertius, qui tamen annus deest in manuscripto codice Cornelij Duynij. Ætate Sancti Eleutherij nondum vsu receptum erat, vt anni ab Incarnatione Dominicâ numerarentur. Restituendus est in prædictis actis annus Christi quadringentesimus octogesimus septimus, quia Eleutherius ad Deum migrauit anno Christi quingentesimo tricesimo secundo, postquàm Pontificatum annis quinque ac quadraginta gessisset, vt ex dicendis patebit. Eleutherium à Remigio Remensi Antistite consecratum scribit Buzelinus, silent antiqui authores.

ANNVS Christi 487. CLODOVEI R. 6.

Ad hunc annum pertinet vltio, quam Clodoueus Rex sumpsit de milite, qui anno priori vrceum quem Episcopus repetebat, bipenni percusserat. *Transacto anno*, inquit[d] Gregorius Turonensis, *iussit* Rex *omnem cum armorum apparatu aduenire phalangam, ostensuram in campo Martio suorum armorum nitorem. Verùm vbi cunctos circuire deliberat, venit ad vrcei percussorem, cui ait, nullus tam inculta, vt tu, detulit arma, nam neque tibi hasta, neque gladius, neque securis est vtilis. Et adprehensam securem eius terræ deiecit. At ille cùm paululùm inclinatus fuisset ad colligendum, Rex eleuatis manibus securem suam capiti eius defixit. Sic, inquit, tu Saxonas* in vrceo ille feciſti. Quo mortuo reliquos abscedere iubet, magnum sibi per hanc causam timorem statuens.*

III.

[d] Cap. 2. c. 27.

CLODOVEVS VLTOR INIVR.

* Soissons.

---

488. CLODOVEI R. 7.

ANNVS CHRISTI 488.

CLODOVEI R. 7.

ANNO Christi quadringentesimo octogesimo octauo Consules notantur[a] Dinamius & Sisidius.

I.

[a] Marius Cassiod. Marcell.

Eleutherius Episcopus, qui vicum duabus leucis à ciuitate Tornacensi distantem incolebat, Christianam fidem sub initium sui Præsulatus confirmauit insigni miraculo, quod in antiquissimâ illius vitâ sic describitur[b]. *Tunc pagana filia Tribuni Scaudinensis, audiens beatissimum Eleutherium tanto honore*, dignitate videlicet Pontificali, *sublimatum, existimans eum præ diuitiis superbum & inanem, incautè illum adiit, orantem inuenit. Vir autem Dei subitò per Spiritum Sanctum agnouit eam vexatam à demone. Sed illa procedens pallium eius abstraxit, amorem indicauit, vt misericordiam impenderet exorauit. Quod beatus Eleutherius audiens, mente consternatus ait. Audisti quia Satanas tentabat Dominum Christum. Sed ille qui nullatenus tentari poterat, respondit. Vade retro Satana, non tentabis Dominum Deum tuum. Exemplo igitur tanti miraculi præcipio tibi in nomine Sanctæ ac indiuiduæ Trinitatis, vt à me recedas, nec vlteriùs id præsumere audeas. His dictis pallium reiecit, & oratione penè finitâ, pudibundus ab oratione exiuit. Illa autem protecta pallio, facta quasi in extasi mentis, spiritum exhalauit. Huius rei ignarus vir Dei, præparari asinum sibi præcepit, & à loco procul quasi duabus leucis abscessit. Mortua est autem filia Tribuni, & in campo, qui dicitur Martis, vt mos erat paganis, sepulta est. Interea beatus Eleutherius regrediens, magis mortis illius periculo, quàm suo pudori condolens, lugubrem patrem puellæ accersiri præcepit, & si Christo cum omni cognatione suâ crederet, eam resuscitandam promisit. Quod ille audiens, alacer abscessit, & iterum vocatis paganis se omnia facturum promisit. Tunc beatus Eleutherius, postquàm Missarum solennia frequentauit, cum omni clero suo cælestibus armis munitus, ad sepulchrum venit, baculo lutum terra*

II.

[b] Ap. Bolland. d. 20. Febr.

ELEVTHERIVS EPISCOPVS.

ANNVS Christi 488. CLODOVEI R. 7.

percussit. Sed subitò per Spiritum Sanctum incredulitatem Tribuni agnouit. Mira res! Subitò enim terræ motus magnus factus est. Igitur omnes mente consternati, ad propria latenter reuersi sunt. Sed totâ nocte beatissimus Eleutherius persistens orationibus, Dauidicis insistens versibus, iterum facto mane cum Christianis ad sepulchrum rediit, & secundo incredulitatem Tribuni agnouit. Terræ quidem motus magnus factus est. Item omnes pauidi fugerunt. Tertiâ autem die Tribunus adueniens, ad pedes beatissimi Eleutherij procidit, ac se reum in omnibus prodidit. Tunc vir Dei comperiens eum compunctum pœnitentiâ, ad sepulchrum rediit, & omnibus astantibus lapidem submoueri præcepit. Inde eam ter vocauit dicens. De luto plasmata es, in cinerem reuersa es, surge, ad pristinum statum reuertere. Exemplo beati Petri Apostolorum Principis, qui Tabitham mortuam resuscitauit, manum eius apprehendit, illa in nomine Iesu surrexit. Tunc indixit ei ieiunium sex dierum, septimâ autem die eam baptizauit, quam Blanda mater Episcopi de sacro fonte susceptit, suúmque ei nomen imponens Blandam nominauit. Ab illâ itaque Blandinium locus appellatus est. Quapropter Blandinij nomen deinceps vsurpare non verebimur. *Tribunus autem nondum credens, filiam suam iracundè abstraxit, & ei omnem possessionem & paganorum diuitias, si non suo pareret consilio, interdixit. Quid faceret? Diuitias & possessionem patris reiiciebat, Christum latenter humilis mente die ac nocte deposcebat.* Cetera suis locis.

FILIAM TRIBVNI MORTVAM SVSCITAT ET BAPTIZAT.

III. GILDARDVS ET MEDARDVS FIVNT PRESBYTERI.

His circiter temporibus Gildardus & Medardus fratres, qui Eleutherio ætate compares erant, in Episcopatu Viromandensi ad gradum Presbyteratus euecti sunt. In vitâ Sancti Medardi, quam Surius publicauit, reticetur nomen Episcopi Viromandensis, cuius disciplinæ Medardus traditus est adhuc puer. *Perspicientes*, inquit, *boni parentes bonæ sobolis suæ beneuolentiam, & in seruitio Dei eius attendentes industriam, Episcopo eum, qui tunc temporis Viromandensi præerat Ecclesiæ, commendauerunt, orantes deuotissimè, quatenus Episcopali benedictione ad clericatus promoueretur officium. Commendatum itaque sibi benignè Præsul ipse suscepit, benevolè amplexatus est, & diligenter enutriuit, & tamquam vnicum & vterinum filium in fide & doctrinâ Ecclesiasticâ educare liberaliter elaborabat.* Recentiores Antistitem illum temerè vocant Alomerum cui Medardus in Pontificatu Viromandensi successit, neque enim satis attentè considerant ætatem Medardi, qui maior erat quinquagenario, cùm Sofronius ipsius Alomeri decessor concilio Aurelianensi primo subscripsit.

---

489. & seqq. CLODOVEI R. 8. & seqq.

ANNI CHRISTI 489. 490. 491.

CLODOVEI R. 8. 9. 10.

I. ANno Christi quadringentesimo octogesimo nono, quo Probinus & Eusebius Consulatum inierunt[a], Romanus Metensis Episcopus obiit Idibus Aprilis, cùm diœcesim administrasset annis sex & triginta, vt habet Codex Sancti Symphoriani. Successit Fronimius.

[a] Marius Cassiod. Marcell.

II. Anno Christi quadringentesimo nonagesimo, in Fastis Marij & Marcellini, Consules ponuntur Longinus iterum & Faustus.

III. Annus Christi quadringentesimus nonagesimus primus Consulem in omnibus Fastis[b] habet Olybrium sine Collegâ. Clodoueus hoc anno, *regni sui decimo*, vt Gregorius[c] scribit, *Thoringis bellum intulit, eosdémque suis ditionibus subiugauit*, aut potiùs, vt in gestis[d] Regum Francorum legitur, *deuicto populo totáque terrâ vastatâ ipsos Turingos tributarios Francorum fecit.* Relicti sunt enim Turingis sui Reges, de quibus infrà multis in locis. Ceterùm quia regio illa nondum Christianos mores induerat, victoria Clodouei nihil confert ad nostros Annales.

[b] Marius Cassiod. Marcell. Victor.
[c] Cap. 2. c. 27.
TVRINGI VICTI A CLODOVEO.
[d] Cap. 10.

ANNVS CHRISTI 492. CLODOVEI R. II.

ANNVS Christi 492. CLODOVEI R. II.

I. ANno Christi quadringentesimo nonagesimo secundo, Consules [a] fuerunt Anastasius Augustus & Rufus.

[a] Cassiod. Marius Marcell. Victor.

II. Clodoueus confecto bello Turingico Chrotildem, quam prosapiâ, pulchritudine, moribus inclytam omnes prædicabant, statuit in vxorem per legatum poscere. Occurrebat difficultas haud leuis. Educabatur in Burgundiâ Chrotildis apud patruum Regem Gundobadum, qui fratrem suum Chilpericum Chrotildis patrem gladio sustulerat; vxorem Chilperici, Chrotildis matrem, alligato ad collum saxo aquis suffocarat; duos Chilperici filios, Chrotildis fratres, capite truncatos in puteum proiecerat; Chilperici filiam seniorem, Chrotildis sororem, quam Mucurunam, Chronam & Sedeleubam nominant, exilio damnarat; verendum erat ne Chrotildi quoque mortem inferret, si sciret eius nuptias à tanto Rege flagranter ambiri. Res itaque commissa fuit Aureliano viro ex genere Romanorum, vt nomen ipsum sonat, arte & industriâ præcallido. Ille quamprimùm Burgundiæ partes ingressus, socios syluis abdidit, circumamictus habitu mendici properauit ad aulam regiam, & die quadam Dominicâ dum Chrotildis vtpote Christiana sacro Missæ sacrificio intererat, ad ianuam Ecclesiæ in mediâ pauperum turbâ consedit. Chrotildis egressa mendicantibus eleemosynam iuxta consuetudinem erogauit, aureum porrexit Aureliano, ille manum eius apprehendit, & pallio super brachium cautè retracto nudam ori suo deosculaturus admouit. Posthæc euocatus in palatium & interrogatus cur id egisset, causam suæ profectionis aperuit, annulum aliáque ornamenta sponsalia Chrotildi tradidit, hæc respondit haud licere Christianæ viro pagano nubere, si tamen Deus id ordinasset, vt vxoris ope Rex Francorum suum creatorem agnosceret, se petita non abnuere, & Aureliano asserente Regem eius desiderio per omnia assensurum, rogauit illa, rediret confestim in Franciam, nec vlli quàm Clodoueo, à quo legationem expectabat, arcanum euulgaret, ne fortè Gundobadus illud aliquo pacto præsentisceret, acceptúmque annulum inter thesauros patrui collocauit. Aurelianus in Franciam reuersus omnia quæ gesta fuerant exposuit, & Clodoueum magnâ spe Chrotildis potiundæ lætum recreauit. Hæc paucis perstringuntur à Gregorio [b], copiosiùs referuntur in gestis [c] Regum Francorum, apud Fredegarium [d], & apud Aimoinum [e], pertinentque dubio procul ad hunc annum Clodouei Regis vndecimum, quia gesta sunt post eius reditum è Turingiâ, vt omnium est consensus, nec in aliud tempus reiici possunt, anno enim sequenti, vt probaturi sumus inferiùs, duxit Chrotildem, ex eâque suscepit duos filios, antequam dimicaret aduersus Alemannos, quos teste Gregorio [f] perdomuit anno Regni sui decimo quinto.

Legatio I. ad Clotildem.

[b] Lib. 2. c. 28.
[c] Cap. 12.
[d] Hist. epist. cap. 17. 18.
[e] Lib. 1. c. 13.
[f] Lib. 2. c. 30.

III. Clodoueus, cùm de sociandâ sibi Clotilde primùm cogitauit, annum agebat ætatis vicesimum sextum, &, vt Gregorius [g] obseruauit, habebat *iam de concubinâ filium nomine Theodoricum*, habebat & ex eodem toro filiam Teudechildem, de quâ inferiùs plura.

[g] Lib. 2. c. 28.

IV. His circiter temporibus, cùm Eleutherius Episcopus, qui Blandinij degebat, Christianam fidem plurimùm dilataret, & Censorinus Cæsar Tribunus Scaudinicnsis, qui Tornaco vicinisque oppidis ad Schaldim seu Scaudum præerat, promissionis immemor non tantùm idola sua non abiiceret, & in

ANNVS Christi 492. CLODOVEI R. II.

Christum non crederet, verùm etiam à Christianâ religione filiam suam Blandam, quam prædictus Pontifex à morte suscitarat baptizarátque, violenter abstrahere conaretur, Deo vindice Tornacensem ciuitatem corripuit grauissima lues, de quâ peruetustus author in ipsius Eleutherij actis, omnium antiquissimis, ita disserit[b]. *Pestis mortifera paganos inuasit, ita vt per plateas & vicos mortui inuenirentur. Sed nec vulnus apparebat, nec aliqua plaga mortis imminebat. Igitur pagani videntes mortes suorum imminere, & beati Eleutherij sanctitatem ampliare, mente pauidi consilium inierunt, quid de eo facerent exquisierunt. Itaque inito consilio decreuerunt, vt in crepusculo noctis Blandinium adirent, & Censorino Cæsari Tribuno beatum Eleutherium vinctum in nocte carcerù præsentarent. Quod ita factum est. In crepusculo enim noctis Blandinium inuerunt cum fustibus & lanceis, & Pastorem Christiana plebis orantem comprehenderunt, deinde vinctum catenis ad Censorinum Cæsarem adduxerunt. Quem ter virgis cæsum in carcerem retrudi præcepit. Nocte verò eâdem Angelus Domini affuit, deinde fores aperuit, & ei viam, quæ ducit Blandinium, insinuauit. Igitur regrediens Deo gratias egit. Dúmque Missarum solennia frequentaret, diuinam clementiam exorauit, vt Tribunum à superstitione idolorum reuocaret, & Catholicâ fide confirmaret. Itaque iterum Angelus Domini affuit, dicens. Ecce, Eleutheri, exaudita est oratio tua. Videbis enim illum genibus tuis procumbentem, deinde eum catechizabis. Igitur his dictis Angelus Domini discedens à loco, vnde descenderat, ascendit. Beatus autem Dei Sacerdos inuictissimus iterum diuinam flagitabat clementiam, vt ciuitatem à superstitione idolorum reuocaret.* Idque contigit post aliquot annos, cùm pestis iterum grassabatur, vt ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum dicturi sumus.

[b] ap. Bolland. d. 20. Febr.

PESTIS GRASSATVR TORNAC.

ELEVTHER. EPISCOP. INCARCERATVR,

DIVINITVS LIBERATVR.

---

493. CLODOVEI R. 12.

ANNVS CHRISTI 493. CLODOVEI R. 12.

I. ANNO Christi quadringentesimo nonagesimo tertio Cassiodorus in suis fastis Consulem habet Albinum, cui Marius & Marcellinus collegam tribuunt Eusebium.

II. Hoc anno, vt ex gestis[a] Regum Francorum colligitur, & asseritur ab Herimanno, Aurelianus rursum ad Gundobadum missus est, vt Chrotildem requireret nuptiali fœdere Clodoueo copulandam. Audiens hæc Gundobadus neptem suam dixit ignotam esse Clodoueo; hoc prætextu à Francis occasionem bellorum quæri; postea minatus est legato, quòd specie petendæ Chrotildis Burgundiam exploraturus accessisset. Ille constanter subiecit vel assignandum ab eo locum, vbi Clodoueus sponsam suam reciperet, vel Francos cum prævalido exercitu statim venturos in Burgundiam. Gundobadus ad bellum pronus videbatur, nam quidquid consilij caperet, siue Chrotildem dimitteret siue retineret, Clodoueum semper infestum sibi fore concludebat, aut propter repulsam quam passurus esset, aut propter vindictam quam suasu Chrotildis de Chilperici nece dubio procul esset repetiturus. Re deliberatâ consiliarij nihilominùs authores fuerunt, vt amicè, si fieri posset, cum Clodoueo transigeret, nec ferocium Francorum indomitos animos ad iram prouocaret, inquireret potiùs nûm Chrotildis aliquando per legatos à Clodoueo sponsalia munera percepisset, cauendum enim ne bellicoso Francorum Regi temerè quid criminis imputaretur. Annuit Gundobadus, neptem interrogauit, illa non negauit sibi datum aliàs à Francis annulum, quem inter regios patrui thesauros reposuerat, adiecitque simpliciter hoc

[a] Cap. 11.

CLODOVEVS DVCIT CLOTILDEM.

&

& sine consilio gestum fuisse. Viso annulo inspectâque inscriptione atque imagine Clodouei, Gundobadus iram haud dissimulauit, tamen ex procerum sententiâ Chrotildem protinùs Aureliano tradidit, illam Clodoueus opperiebatur Suessione, ibi celebratæ sunt nuptiæ, magnâ totius regni lætitiâ. Sed priusquàm nuptiali thoro simul decumberent, Chrotildis maritum duo rogauit; alterum vt Deum vnum in tribus personis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum agnosceret, idola vana derelinqueret succenderétque, & Ecclesias sanctas quas succenderat restauraret; alterum vt repeteret thesauros & bona Chilperici soceri, quem vnà cum eius vxore Gundobadus immani flagitio peremerat. Primum Clodoueus dixit difficile, alterum se, quamprimùm posset, promisit adimpleturum, & obsecratus vt Deum vnum verumque coleret, in falsâ deorum veneratione permansit, requirendisque Chilperici thesauris quàm indagandæ veræ religioni intentior Aurelianum in Burgundiam posteà direxit. Inexpectatâ legatione commotus exanduit Gundobadus, Legato mortem minitatus est, quòd præter inhibitionem Burgundiæ regnum adhuc exploraret. At Aurelianus nihil territus intrepidè petiit, vt partem thesaurorum qui Chilperici fuerant, Clodoueo eius genero, Chrotildis marito, nunc affini suo concederet. Æqua visa fuit hæc postulatio Burgundiæ primatibus, qui præterea pacem iucundam cum Clodoueo, fœdúsque cum gente Francorum sanciendum existimarunt, auditóque eorum consilio Gundobadus maximam vim auri & argenti pretiosissimámque supellectilem Legato dedit, & Aurelianus acceptis thesauris asseruit Clodoueum singulari semper erga Gundobadum studio fore, sparsâque sui Francorúmque incredibili per Burgundiam existimatione protinùs in Franciam remeauit. Hæc legi possunt in gestis [b] Regum Francorum, alia scribunt Fedegarius [c] & Aimoinus [d] in egressu Chrotildis ex finibus Burgundiæ, sed quæ nec accedunt ad verum, nec cum reliquo Historiæ contextu cohærent. Chrotildis Orthodoxam religionem profitebatur, parentésque habuerat eâdem imbutos fide.

ANNVS Christi 493. CLODOVEI R. 12.

[b] Cc. 12. 13.
[c] C. 18. 19.
[d] Lib. 1. c. 14.

III.

DILATAT REGNVM AD SEQVANAM.

In illis diebus, inquit vetus author [e] de gestis Regum Francorum, *dilatauit Chlodoueus amplificans regnum suum vsque Sequanam*, & apud Sigebertum eadem leguntur anno Chlodouei Regis duodecimo. Ad Sequanam tres tantùm erant ciuitates Episcopali sede claræ, Trecæ, Parisij, Rotomagum *. Franci Trecis ac Parisiis iam dominabantur, Clodoueus igitur suarum ditionum finibus à Somonâ feliciter ad Sequanam propagatis, Rotomagum Lugdunensis secundæ metropolim cepit. Ordericus [f] Crescentium Rotomagi tunc Episcopum sedisse clarissimè demonstrat, Crescentio enim tribuit annos Pontificatus viginti sex, & ab eius obitu vsque ad martyrium Prætextati, quod anno Christi quingentesimo octogesimo sexto contigit, numerat annos duos ac nonaginta.

[e] Cap. 14.
* *Rotom.*
[f] Lib. 5. CRESCENTIVS ROTOMAG. EPISC.

ANNVS CHRISTI 494. CLODOVEI R. 13.

494. CLODOVEI R. 13.

I.

ANno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto, Consules [a] in fastis notantur Asterius & Præsidius.

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

II.

CLODOVEVS AMPLIFICAT REGNVM AD LIGERIM.

Clodoueus apud Sigebertum anno regni sui decimo tertio ditiones suas vsque Ligerim amplificat. Apud authorem [b], qui gesta Regum Francorum scripsit, Clodoueus ob felicem illum successum æquè laudatur, & Aurelianus castrum Milidunensium in Ducatum accipit. Eâ expeditione bellicâ

[b] c. 14.

Clodoueus regno suo tres adiunxit Diœceses, Metropolitanam Senonum
ANNVS Christi in qua Milidunum * situm est, Autisiodorensem & Aurelianensem, quarum
Episcopi sub eodem Rege Concilio Aurelianensi primo interfuerunt.

494. Eraclius metropolitanam Senonum sedem post sanctum Agricium obti-
CLODOVEI R. 13. nuerat à septennio, vt ex historia Petri Buretelli colligit Demochares [a]; Aure-
* Melun. liæ sedebat Dago, Autisiodori verò Censurius. Hic floruit insignis pietate,
III. sanctorum numero ascribitur in tabulis Ecclesiasticis quarto Idus Iunias, Con-
[a] De diu. Miss. sacr. c. 17. stantinum presbyterum suâ auctoritate plurimùm impulit, vt quem Patien-
EPISCOPI SENON. AVREL. ALTISIOD. tis Episcopi Lugdunensis hortatu iam inchoarat, librum absolueret de vita &
[b] ap. Sur. d. 31. Iul. miraculis Sancti Germani Altissiodorensis quondam Antistitis. Huius rei fi-
[c] l. 6. ep. 10. dem faciunt epistolæ, quas [b] Constantinus operi suo præfixit. Extant & Sidonij [c] literæ ad Censurium, qui vitam ad annum Christi quingentesimum
produxit. Florebat Autisiodori Monasterium à sancto Germano conditum,
ibi sub beato Mamertino Abbate monachum induit Marianus, qui peruenire
ad hæc vsque tempora potuit, nam cœnobium sancti Germani regebat Mamer-
tinus Abbas, cùm Autisiodorensi Ecclesiæ præerat beatus Allodius, qui san-
MARIANVS ABBAS. cto Germano in Episcopatu successit. Sanctus Marianus in Martyrologio Gal-
licano colitur tertio Kalendas Maij. De monasterio, quod illius nomine ce-
leberrimum est, déque multis aliis, quorum origines minùs notæ sunt, age-
mus inferiùs sub Aunario Episcopo.

IV. Hoc anno Crescentius Rotomagensis Antistes ex hac vita migrauit, ab eius
CRESCENTIVS ROTOMAG. EPISCOP. OBIT. enim obitu vsque ad Prætextati martyrium, quod anno Christi quingentesimo
[d] lib 5. octogesimo sexto contigit, Ordericus [d] annos colligit duos ac nonaginta,
SVCCEDIT GILDARDVS. quos in tres Pontificatus ita distinguit, vt quadraginta duos Prætextato, Flauio
triginta quinque, quindecim Gildardo Crescentij successori tribuat, sed cùm
Gildardus subscripserit Concilio Aurelianensi primo, quod anno Christi
quingentesimo vndecimo celebratum est, imò vt ex ordinatione Lautonis
Constantiensis Episcopi patet, ad tempora Concilij Aurelianensis secundi
penè peruenerit, multò rectiùs ei Pontificatus annos triginta quinque, Flauio
quindecim assignabimus.

V. Clodoueus, vt ex Gregorio Turonensi [e] constat, bellum Alemannicum
[e] l. 2. cc. 29. 30. gessit anno regni sui decimo quinto, priusquàm autem illi expeditioni se ac-
cingeret, duos filios, alterum hoc anno, alterum anno sequenti susceperat
ex Chrotilde, quam duxerat in vxorem anno regni sui duodecimo, prout
[f] capp. 10. 11. 12. ex libro [f] de gestis Regum Francorum suprà collegimus. Ortum ac mortem
[g] l. 2. c. 29. prioris adhuc in cunis ita narrat Gregorius [g], *Ex Chrotilde Regina habuit filium*
CLODOVEO FILIVS NASCITVR. *primogenitum. Quem cùm mater baptismo consecrare vellet, predicabat assiduè viro,*
dicens. Nihil sunt dij quos colitis, qui neque sibi, neque alijs poterunt subuenire.
Sunt enim aut ex lapide, aut ex ligno, aut ex metallo aliquo sculpti. Nomina ve-
rò quæ eis indidistis, homines fuere non dij; vt Saturnus, qui à filio ne à regno de-
pelleretur, per fugam elapsus adscitur. Vt ipse Iupiter, omnium stuprorum spurcis-
simus perpetrator, incestator virorum, propinquorum derisor, qui nec ipsius sororis
propriæ potuit abstinere concubitu, vt ipsa ait, Iouisque & soror & coniunx. Quid
Mars Mercuriúsque potuere, qui potius sunt magicis artibus prædicti, quàm divini
numinis potentiam habuere? Sed ille magis colí debet, qui cælum & terram, mare &
omnia quæ in eis sunt verbo ex non extantibus procreauit. Qui Solem lucere fecit,
& cælum stellis ornavit. Qui aquas reptilibus, terras animantibus, aëra volantibus
adimplevit. Cuius nutu terræ frugibus, pomis arbores, vuis vineæ decorantur. Cu-
ius manu genus humanum creatum est. Cuius largitione ipsa illa creatura omnis ho-
mini suo quem creauit, & obsequio & beneficio famulatur. Sed cùm hæc Regina dice-
ret, nullatenus ad credendum Regis animus mouebatur, sed dicebat. Deorum nostro-
rum instione cuncta creantur ac prodeunt. Deus verò vester nihil posse manifestatur,
BAPTIZATVR. *& quod magis est, nec de deorum genere esse probatur. Interea Regina fidelis filium*
ad baptismum exhibet, adornari Ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quò facilius
vel hoc mysterio pronocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Ba-

ptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitauerunt, in ipsis sicut regeneratus fuerat albis obiit. Qua de causa commotus felle Rex non segniter increpabat Reginam, dicens. Si in nomine deorum meorum puer fuisset dicatus, vixisset vtique, nunc autem quia in nomine Dei vestri baptizatus est, viuere omninò non potuit. Ad hæc Regina, Deo, inquit, omnipotenti creatori omnium gratias ago, qui me non vsquequaque iudicauit indignam, vt de vtero meo genitum regno suo dignaretur adscire. Mihi autem dolore huius causæ animus non adtingitur, quia scio, in albis ab hoc mundo vocatus, Dei obtutibus nutriendus.

ANNVS Christi 494. CLODOVEI R. 13. MORITVR IN ALBIS.

In illâ narratione Gregorianâ multa sunt quæ fusiorem postulant explicationem. Infans aliquot dierum aut mensium, ethnici regis filius, baptizatur in Ecclesiâ, nomen accipit Ingomeris, ac paulò pòst extinguitur in albis, seu veste candidâ nondum depositâ. Super ætate, super tempore, super loco, super nomine, super veste variæ moueri possunt quæstiones, quas pro re natâ hîc enodabimus.

VI.

VII. BAPTISMVS QVOVIS TEMPORE.

Primo Ecclesiæ nascentis exordio, fidei Christianæ proceres, nullâ temporis habitâ ratione, quoscumque verè salutis auidos, ereptis opinionum erroribus, solemni ritu piatos ad Christi fidem adiungebant. Sic in actis Apostolorum [a], dum Philippus Diaconus diuini verbi sementem in hominum nouali faceret, statim Eunuchus Candacis Æthiopum reginæ intereundum salutari baptismate tingitur. Paulus singulari Dei beneficio, corporis animique caligine amotâ, mox per baptismum hæreditariam Ecclesiæ mercedem adipiscitur. Petrus intimo Sancti Spiritus hortatu, primo quoque tempore Cornelium & reliquam turbam baptismi charactere obsignat. Demùm tam Lydia ob Euangelij faces à Silâ & Paulo diuinitùs illatas, quàm custos carceris, quòd aperta nullo authore ostia, Paulóque & Silæ vincula sua sponte excussa essent, illicò relictis simulachris vni Deo nomina profitentur. Non multò pòst communis Ecclesiæ mos obtinuit, vt extra Paschatis & Pentecostes tempus nemo baptismatis mysteria celebraret. Audiendus eâ de consuetudine Tertullianus [b]. *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cùm & passio Domini in quâ tinguimur, adimpleta est, nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quòd cùm vltimum pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum, Inuenietis, inquit, hominem aquam baiulantem, paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & spes aduentus Domini subostensa, quòd tunc in cœlos recuperato eo, Angeli ad Apostolos dixerunt, sic venturum quemadmodum & in cœlos conscendit, vtique in Pentecoste. Sed enim Hieremias cùm dicit, [& congregabo illos ab extremis terræ in die festo] Pascha diem significat & Pentecostes, qui est propriè dies festus.*

[a] Capp. 8. 9. 10. 16.

[b] De bapt. c. 19.

TVM IN VIGILIIS PASCHÆ AC PENTECOSTES.

Sanctus Ambrosius eundem morem confirmat in sermone de festo [c] Pentecostes, dum ad spiritale gaudium religiosamque animi hilaritatem populum hortatur his verbis. *Lætemur in hac sanctâ die, sicut in Pascha lætati sumus, est enim in vtrâque similis eademque solemnitas, in Paschâ enim omnes gentes baptizari solent, in Pentecoste Apostoli baptizati sunt.* Sanctus Leo Papa, qui Childerico Clodouei regis patri synchronus vixit, in vniuersos Campaniæ, Samnij & Piceni Episcopos acriùs [d] erumpit indictâ depositionis pœnâ, quòd Ecclesiasticis sanctionibus contemptis, festis ac solemnibus Apostolorum ac Martyrum diebus, barbaras nationes à miserâ dæmonum seruitute ad vnius veri Dei notitiam cultúmque traductas, baptismatis aquis diluerent, cùm nouæ generationis lauacro expiandi prærogatiuam Paschatis & Pentecostes dies sibi præripuerint. *Magnâ indignatione commoueor*, inquit, *& multo dolore contristor, quòd quosdam è vobis ita comperi esse Apostolicæ traditionis oblitos, & studio sui erroris intentos, vt præter Pascha festum, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet non aliquâ humanæ infirmitatis necessitate cogente, sed solâ indisciplinati arbitrij libertate, ius baptismatis vindicare, & in Natalibus Martyrum, quorum finis aliter honorandus est, quàm dies Dominicæ Resurrectionis, regenerationis celebrare mysteria. Admonemus*

[c] Serm. 61.

[d] Ep. 78.

ANNVS Christi 494. Clodovei R. 13.

igitur, & non sine periculo status eorum qui hæc faciunt protestamur, vt ab hac præsumptione cessetur, & summam hanc potissimámque Dei gratiam non nisi in Paschali festiuitate & Pentecostes die desiderantibus & credentibus conferatis. Sanctissimus ille Pontifex consuetudinem baptizandi in Paschate & in Pentecoste adeò antiquam agnoscit, vt ei locum inter Apostolicas traditiones tribuat textu iam citato, & in literis ad Episcopos Siciliæ datis asserat [a] eos qui secùs agunt *ab Apostolica institutionis consuetudine discrepare.* Excipit vbique humanæ infirmitatis cessitatem, sic enim & in literis ad Episcopos Siciliæ. *Etsi sunt*, inquit, *alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reuerentia debeatur, principalis tamen & maximi Sacramenti custodienda nobis est mysticæ rationis exceptio, non interdicta licentia, quâ in Baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subuenitur. Ita enim ad has duas festiuitates connexas atque sibimet cognatas incolumium & in pacis securitate degentium libera vota differimus, vt in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragij, nullo tempore hoc verè salutis singulare remedium cuiquam denegemus.* In eadem sententia Tertullianum [b] fuisse testantur hæc verba, quæ subiiciuntur laudatis suprà. *Cæterùm omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo; si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.* Qui propter morbum in lecto baptizabantur, clinici dicebantur & grabatarij, nec fungi poterant honoribus sacerdotalibus, de his fusiùs agemus in Conciliis Matisconensi secundo, & Autisiodorensi. Interim pro certo habeatur Clodouei temporibus morem illum in Occidente vsitatissimum fuisse, vt excepto necessitatis casu Baptismus extra festum Paschæ vel Pentecostes non conferretur, nam & in Concilio Gerundensi *, quod Agapeto Consule, seu sexennio post obitum Clodouei Regis celebratum fuit, hæc leguntur. *De Catechumenis baptizandis id statutum est, vt in Paschæ solemnitate vel Pentecostes, quantò maioris celebritatis mator celebritas est, tantò magis ob Baptismum veniant, ceteris solemnitatibus infirmi tantummodò debeant baptizari, quibus quocumque tempore conuenit Baptismum non negari. De paruulis verò qui nuper materno vtero editi sunt, placuit constitui, vt si infirmi (vt adsolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eâdem die quâ nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.* Inde concludimus filium quem Chrotildis Regina peperit, baptismali lauacro regeneratum fuisse hoc anno in Vigilia Paschæ, si natus est ante illum diem, vel in Vigilia Pentecostes, si natus est post Pascha. Dicimus in Vigilia Paschæ vel Pentecostes, neque enim quis arbitrari debet ipsum Paschatis & Pentecostes diem ministrando Baptismati statutum fuisse, quia Patres plerumque, nullo addito, de Baptismo Paschæ vel Pentecostes loquuntur. Sepulturæ Christi memoria Sabbato recolitur, eodem die Baptismus olim conferebatur, vt Christiani abiectâ omni sorde peccati ad nouam vitam cum Christo resurgendum esse intelligerent. Quare in Amalario Fortunato [c] hæc leguntur. *Propter mysterium consepultura Christi, qua recolitur in Sabbato, baptizatur Christi corpus in Sabbato, vt post hanc sepulturam in die Dominica resurgat, initium enim resurrectionis à Dominica die debemus celebrare. Sit illa Dominica dies initium noui hominis qui resurrexit à mortuis.* Et in Bernone [d] Augiensi. *Rectissimè sancti Patres duo tantùm legitima tempora ad baptizandum, si nulla necessitas interuenit, constituerunt, Sabbatum videlicet Paschæ & Sabbatum Pentecostes, qua vtraque per octo dies celebrantur, meritò consepeliuntur Christo baptizati in Sabbato, vt cum ipso valeant resurgere die Dominico, sicut enim Sabbatum requiem animarum, sic Dominicus dies, qui est primus & octauus, significat resurrectionem corporum.*

[a] Epist. 4.

[b] De bapt. c. 19.

[*] Girone.

[c] Lib. 4. de Eccles. off. c. 29.

[d] De mist. c. 5.

VIII. Quæres an infantibus baptisma priscis temporibus conferretur, neque enim suffragari videtur Tertullianus [e] de baptismo paruulorum ita disserens. *Pro cuiusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi vtilior est, præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, nolite illos prohibere ad*

[e] de bapt. c. 18.

me venire. Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quò veniant docentur, fiant Chriſtiani quum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? cautiùs agetur in ſecularibus, vt cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur, norint petere ſalutem, vt petenti dediſſe videaris.

ANNVS Christi 494. CLODOVEI R. 13.

IX. ETIAM INFANTIBVS COLLATVS.

Reſpondemus longè ante Clodouei Regis tempora, non ſolùm adultos ſed etiam infantes & paruulos ad baptiſmum deferri ſolitos fuiſſe ſtatis temporibus Paſchæ & Pentecoſtes, vt hiſtoriæ veteres & ſanctorum Patrum monumenta clariſſimè demonſtrant. Eruditiſſimus Cardinalis Baronius ex vita Damaſi Papæ manuſcripta [a] refert, *Sabbato Paſchalis ſolemnitatis cùm compreſſio magna eſſet, baptiſmi tempore paruulum è manibus geſtantis hominis lapſum, ad imáque fontis delatum ab omnibus deploratum eſſe vt mortuum, cùm autem Damaſus oculos ad cælum eleuaſſet, ac pro ipſo oraſſet, poſt horæ ſpatium puerulum iuſſu Damaſi ex profundo aquarum vix eductum inuentum eſſe præter ſpem & expectationem omnium viuum ſanúmque vt anteà erat.* Sanctus Gregorius Nyſſenus [b] declarare cupiens eos qui donum ſacroſancti baptiſmatis acceperunt, nouo cæleſtis gaudij rore perfundi, pueros, quòd interiùs lætitiam concipere non poſſint, candidæ veſtis aſſumptione, cæleſtium rerum iucunditatem præ ſe ferre tradit in hunc modum. *Puellus infans mutatione veſtis ſenſu externo feſtum colit, quandoquidem interiori animi ſenſu nondum poteſt.* Et Sanctus Auguſtinus [c] in octauâ Paſchæ de puerorum baptiſmo, & celebri octo dierum ſolemnitate verba faciens, *illi*, inquit, *pueri, paruuli lactentes, maternis uberibus inhærentes, & quantùm in eos gratia conferatur neſcientes, vt ipſi videtis, & ipſi habent octauas hodie.* Hæc adeò perſpicua ſunt, vt nec aliâ egeant confirmatione, nec detorqueri poſſint ad adultos, qui poſtquàm baptiſmum ſuſceperant, infantes quoque vocabantur à ſanctis Patribus, quòd paruulorum ſimplicitate renati fuiſſent.

[a] Ad an. 384. n. 15.

[b] Orat. 1. de feſt. Paſch.

[c] Serm. 160.

X.

Vrgebis ex ſententiâ Epiſcoporum, qui Concilio Pariſienſi ſub Ludouico Pio poſt annos trecentos & ampliùs interfuerunt, eos duntaxat infantes offerendos baptiſmo, qui Chriſtianis parentibus nati ſunt, ita vt minimè metuendum videatur, ne deſertâ fide, quam in baptiſmo profeſſi fuerint, deficiant ad idola.

XI. PRIVATÆ RATIONES PRO FILIO CLODOVEI.

Ingomerum ethnico patre natum non inficiamur, ſed vt baptizaretur id matri Chriſtianæ datum fuit, accedente patris ethnici conſenſu, nec aliud inire conſilium debuit Epiſcopus, cui Regina piiſſima, marito annuente Rege quamuis pagano, filium obtulit baptizandum, ſpes enim oboriebatur idololatriæ per vniuerſam Franciam delendæ, ſi regis filius baptiſmo initiatus & Chriſtianis moribus à primis annis imbutus à matre, ſuccederet in regnum, vixque quicquam verendum videbatur à patre, qui Chriſtianis in ſuo regno degentibus nullam moleſtiam creabat, nec abnuebat filium ſuum in cunis Chriſto per baptiſmum dicari, & à matre, quod illam in filij baptiſmo ſpopondiſſe nullus negabit, Chriſtianam fidem edoceri. Pro libero conſenſu quem Clodoueus Rex præbuit, vt filius baptizaretur, & pro curâ quam Chrotildis in erudiendo filio ſe ſuſcepturam promiſit, palam loquitur res publico ac ſolenni ritu peracta, nihil clam, nihil inſcio Rege geſtum eſt, Regina Chriſtiana filium ad baptiſmum exhibuit, Eccleſiam adornari velis præcepit atque cortinis, eáque myſteriorum pompâ non deſperauit Regis animum, qui prædicatione flecti non poterat, ad credendum faciliùs prouocatum iri.

XII. BAPTISMVS COLLATVS. IN FLVVIIS. IN VIIS.

Primis temporibus, cùm res Chriſtiana informis & inchoata eſſet, baptiſteria in vſu non erant; in fluminibus, in fontibus, in viis, in mari, in priuatis ædibus, in carceribus, fidei noſtræ proceres baptiſmi ſacramentum adminiſtrabant. *Sciendum*, inquit Walfridus Strabo [d], *primò ſimpliciter in fluuiis vel fontibus baptizatos credentes, ipſe enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt in nobis idem conſecraret lauacrum, in Iordane baptizatus eſt à Ioanne.* Sanctus Lucas [e] in actibus Apoſtolorum ita loquitur de loco, vbi Eunuchus Reginæ Æthiopum baptizatus fuit à Philippo Diacono. *Et dum irent per viam venerunt ad quam-*

[d] De reb. Eccleſ. c. 26.

[e] Cap. 8.

ANNVS Christi. 494. CLODOVEI R. 13.

dam aquam, & ait Eunuchus; [Ecce aqua quid prohibet me baptizari?] dixit autem Philippus, [si credis ex toto corde, licet.] Et respondens ait, [credo filium Dei esse Iesum Christum.] Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Item [a] de flumine in quo baptizata fuit Lydia & domus eius. *Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in hac vrbe diebus aliquot conferentes. Die autem Sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Cùm autem baptizata esset & domus eius, deprecata est,* &c. Loquitur etiam ibidem de custode carceris qui baptizatus fuit in ipso carcere cum totâ suâ familiâ. Sanctus Apollinaris primus Ecclesiæ Rauennatis Episcopus, Apostolorum suppar, vt habet vetus author [b] in eius vitâ, *iis qui iam in Christum credebant, Missas & baptismata faciebat in domo Tribuni cum discipulis suis.* Et paulò inferiùs. *Non paruus illic erat Christianorum numerus, maximè nobilium. Habebant autem Christiani tugurium non longè à mœnibus, in quo ille Missas faciebat, baptizabat autem in mari, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Prima illa & antiquissima nascentis Ecclesiæ consuetudo post longissimum temporis interuallum reuixit in maiori Britannià. Cùm enim abolito Christianæ religionis cultu pleræque gentes illius insulæ rursum ad idola defecissent, illuc à Gregorio Romano Pontifice missi sunt Augustinus aliique verbi diuini præcones, inter quos erat Paulinus, qui copiosam populi multitudinem in variis regionibus, quæ Eduino potentissimo Nordanhumbrorum Regi parebant, *in fluuio Gleni, in fluuio Swalua, in fluuio Trehentâ* baptizauit, *nondum enim oratoria*, inquit Beda [c], *vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi Ecclesiæ poterant adificari.* Locus in quo baptisteria construi primùm cœperunt, priuatæ singulorum ædes ac domicilia fuere, quia Imperatores ethnici in capita Christianorum sæuientes omnem publicè construendi occasionem adimebant. In gestis [d] Sancti Marcelli Papæ hæc leguntur de Carpasio homine pagano. *Cùm introisset in eandem domum quam donauerat B. Cyriaco Diocletianus Augustus, inuenit locum, vbi Sanctus Cyriacus fontem adificauit, quem consecrauit beatus Marcellus Episcopus, vbi frequenter baptizabat Sanctus Cyriacus venientes ad fidem. Tunc Carpasius vicarius paganus crudelissimus, cùm in eâdem domo inuenisset baptisterium, fecit in loco eodem balneum quasi ad deridendam religionem Christianorum, vbi frequenter meretrices & scenici lauacra sibi exhibebant turpi lucro gaudentes in loco sanctificato.* At cùm primùm Christianæ rei bene esse cœpit, sub Principibus Christianis publica baptisteria in vrbibus non tamen in Ecclesiâ sed prope ipsam in porticu sunt ædificata. Quapropter Sanctus Athanasius in epistolâ ad omnes Orthodoxos, vbi de Arianis queritur, Ecclesiam à baptisterio distinguit. *Ecclesia quidem*, inquit, *& sanctum baptisterium igne absumptum est.* Et Sanctus Paulinus [e] baptisterium inter duas basilicas à Seuero conditum testatur his verbis. *Tu verò etiam baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti, vt nos in eorum quoque operum, quæ visibiliter extruuntur, adificatione superares.* Is locus proprius erat baptisteriorum etiam temporibus Clodouei, idque patet ex gestis [f] Sanctæ Genouefæ, vbi hæc habentur. *Sancta Genouefa cum Cilinià ad templum accessit, & ecce ipsa interiora baptistery limina, portis vltrò apertis, illis mirabiliter patescunt.* Neque enim video, quomodo apertâ baptisterij ianuâ, in Ecclesiam aditus patere potuisset, nisi de more baptisteria ante Ecclesiarum vestibula fuissent. Mos ille viguit vltra tempora Clodouei, nam Sanctus Gregorius Turonensis, vt ipsemet de se loquitur [g], *baptisterium ad Ecclesiam adificari præcepit.* Postea introductum est vt baptisteria in Ecclesiis extruerentur. Ex his concludimus apud Gregorium Turonensem, vbi Ecclesiam ait ornatam velis ac cortinis in baptismo Ingomeris, & apud alios authores ipso Gregorio antiquiores, vbi baptismatis in Ecclesiâ traditi

[a] Cap. 16.

IN CARCERIBVS.

[b] Ap. Sur. d. 23. Iul.

IN ÆDIBVS PRIVATIS.

IN MARI.

[c] Lib. 2. cc 14. 16.

[d] Ap. Sur. d. 16. Ian.

BAPTISTERIA ERECTA.

[e] Ep. 12.

[f] Ap. Sur. d. 3. Ian.

ANTE VESTIBVLA ECCLESIARVM.

[g] Lib. 10. c. 31.

DEINDE IN ECCLESIIS.

mentionem faciunt, Ecclesiæ vocabulo sumi baptisterium vnà cum Ecclesiâ cui coniungebatur. Quam interpretationem Iosephus Vicecomes [a] non respuit in scriptis Amphilochij, Ioannis Chrysostomi, Marci Gazensis Diaconi, & Victoris Vticensis.

ANNVS Christi 494. CLODOVEI R. 13.

Clodouei Regis filius nomen Ingomeris in baptismo suscepit. Hoc innuunt verba Gregorij, *Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitauerunt*, & sequentia de Chlodomere ipsius Ingomeris fratre, *post hunc verò genuit alium filium quem baptizatum Chlodomerem vocauit*. Circa quam cæremoniam hoc vnum notabimus. Infantes in baptismo nomen accipiebant, cùm nullo anteà vocarentur, adultis vetus nomen retinere vel mutare fas erat, Constantino Augusto nomen vetus remansit, Athenaidi Augustæ nomen nouum Eudociæ datum est.

[a] Debapt. l. 1. cap. 6.

XIII. FILIVS CLODOVEI VOCATVR INGOMERES.

Ingomeres post susceptum baptismum paucis duntaxat diebus vixit, *in ipsis* enim *sicut regeneratus fuerat albis obiit*, id est, ante octauum diem à baptismo. De candidâ veste, cuius vsus olim in baptismo fuit, antiqui Patres scripserunt permulta, quæ paucis contraxisse non pigebit.

XIV. MORITVR IN ALBIS.

Vestem albam baptizatis datam docet Cyrillus [b] Hierosolymitanus Episcopus, vbi occasione inde captâ, recens baptizatos ad veram solidámque virtutem ac perpetuum vitæ ac conscientiæ splendorem ita hortatur. *Exutis vestibus antiquis, & iis, quæ sunt secundùm spiritum albæ, indutis, perpetuò iam in albis incedere oportet, non hoc ideò dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse, sed quòd his, quæ verè alba, splendida & spiritualia sunt, vestiri te oporteat.* Eodem spectat Sanctus Ambrosius [c] in libro de iis qui mysteriis initiantur, cùm vestem candidam, turpitudine peccatorum amotâ, vitæ melioris instituendæ symbolum esse declarat. *Accepisti*, inquit, *posthac vestimenta candida, vt esset indicium, quòd exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina, qui enim baptizatur, & secundùm legem & secundum Euangelium videtur esse mundatus.* Albam vestem ipsis etiam infantibus, cùm baptizabantur, olim datam, non obscurè testatur S. Gregorius [d] Nyssenus, vbi puerum vestis mutatione exteriora gaudij signa, quæ mente & cogitatione non potest, præbere docet his verbis iam citatis. *Puellus infans mutatione vestis sensu externo festum colit, quandoquidem interiori animi sensu nondum potest.* Et Sanctus Paulinus Nolanus [e] post præclaram Ecclesiæ constructæ ac baptisterij mentionem, de candidâ infantium veste hoc habet distichon.

[b] Catech. 5. mystag.

CVR VESTIS ALBA DETVR BAPTIZATIS.

[c] Cap. 3.

[d] Orat. 3. de fest. pasch.

[e] Ep. 12.

Vnde parens sacro ducit de fonte Sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Cur vestis candida baptizatis daretur, quamplures proferuntur rationes. Inprimis hoc quasi symbolo declaratur vitæ integritas & innocentia quam consequitur is qui baptizatur, vt ex verbis Sancti Ambrosij iam laudatis constat & ex Origene [f] hominem baptizatum sic alloquente. *Lota sunt vestimenta tua, cùm venisti ad baptismi gratiam: purificatus es spiritu, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis & spiritus.* Deinde vestis alba vitæ sanctitatem quam recepit is qui baptizatus fuit, ad extremum vsque spiritum omni contentione retinendam docet apud Sanctum Cyrillum Hierosolymitanum iam citatum, & apud Sanctum Augustinum [g] ita differentem. *Paschalis solemnitas hodiernâ festiuitate concluditur, & ideò hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen vt candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Accedit tertia ratio, dignitate ceteris haud inferior, spiritualis videlicet genesis, vitáque immortalis, & sacræ anastasis gloria ad quam renascitur is qui baptismo regeneratur. *Ad hoc enim* inquit Sanctus Augustinus [h], *Dominus hodie resurrexit, vt imaginem nobis futuræ resurrectionis ostenderet, & ideò hodie vitali lauacro resurgens Dei populus ad instar resurrectionis Ecclesiam nostram splendore niuei candoris illuminet.* Parco ceteris significationibus candidæ vestis, multæ sunt enim, cùm color albus vitam, lætitiam, libertatem, nobilitatem, diuitias, triumphum & pacem; ater verò contraria denotet apud prophanos authores.

XVI. QVID SIGNIFICET.

[f] Homil. 12. in exod.

[g] Serm. 137.

[h] Serm. 163.

ANNVS Christi 494. Clodovei R. 13.

Baptismi minister baptizatis vestem candidam præbebat, datam vel ipsi baptizati seipsis induebant, vel susceptor aut inferior minister illorum corpori ritè aptabat. Minister baptismi dans vestem candidam, hæc verba profert apud Gregorium Magnum [a] *Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Iesu Christi in vitam æternam.*

XVII. A QVO DETVR.

Vestis erat linea, arcta, cingulo adstringebatur, & totum corpus tegebat, ita vt non vna sed plures viderentur, atque ideò de illâ Patres sæpè in plurali loquuntur. Hæc colliguntur ex Victore Vticensi [b] in apostatam inuehente. *Hæc sunt*, ait, *linteamina Elpidiphore, minister erroris, qua te accusabunt, cùm maiestas venerit iudicantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acriter persequentur.* Et ex Hieronymo [c] Cathecumenos ad odium peccatorum amoremque probitatis ita hortante. *Præceptis Dei lauandi sumus, & cùm parati ad indumentum Christi tunicas pelliceas deposuerimus, tunc induemur veste lineâ, nihil in se mortis habente, sed totâ candidâ, vt de baptismo consurgentes cingamus lumbos in veritate.*

[a] Lib. sacram.

XVIII.

[b] Lib. 3 persec. Vand.

[c] Epist. 128.

XIX.

Vestis illa emebatur à diuitibus, egenis suppeditabatur sumptibus Ecclesiæ. Primum docet Amphilochius in vitâ Sancti Basilij, cùm refert Basilium & Eubulum omnem rem familiarem in pauperum alimenta corrogasse, præter eam quæ ad vestem albam comparandam necessaria erat; sic enim habet. *Venditis igitur, distractisque & distributis rebus suis, comparatisque solummodò vestibus ad sanctum baptisma necessariis, ibant Hierosolymam ingentem hominum gentilium turbam, Christo lucrifacientes.* Alterum legitur apud Socratem [d] de Paulo Episcopo, qui cùm Hebræum quemdam pauperem sacrosancto baptismatis mysterio initiaturus esset, præter cetera ad baptismum necessaria, vestem quoque candidam pro eo comparauit. *Iudæus*, inquit Socrates, *acriter instare vt baptismo donetur, Paulus Episcopus quoniam illum tam obnixè baptisma petentem morâ nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias, cùmque vestem splendidam pro illo emisset, & alueum baptisterij aquâ impleri iussisset, Iudæum eò deduxit vt baptisma illi impertiret.*

[d] Lib. 7. c. 17.

XX. QVO DIE DEPONATVR.

Baptizati vestem candidam octauo die deponebant, Sabbato post Paschatis aut Pentecostes solemnia. Sanctus Augustinus [e] in octauâ Paschæ, baptizatorum mysteria explicare, & eos à somno vitiorum ad studia virtutis pietatisque excitare aggressus, ita loquitur. *Paschalis solemnitas hodiernâ festiuitate concluditur, & ideò hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen vt candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Et Iacobus Diaconus in vita sanctæ Pelagiæ hæc habet, *Mox Episcopus Pelagiam baptizauit, octauo autem die quando albam vestem deponere debuit, nocte, nobis prorsus insciis, illa surrexit, deponensque baptismatis vestem, cilicineam induit.* Inde mos obtinuit vt octo dies qui Christi anastasim claudunt, *albati*, siue *albi*, & qui proximè sequitur Dominicus dies, *Dominica in albis* diceretur. Cur alba vestis per septem dies portaretur, & die Sabbati deponeretur, multæ rationes afferuntur ab Albino Flacco, ab Amalario Fortunato, & ab Iuone Carnotensi. Imprimis Albinus Flaccus [f] hæc habet de Sabbato in albis. *Hodie albati, qui in Sabbato sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur, quòd verò in Sabbato exuuntur ista vestimenta, hoc significatur, quòd anima cuiusque fidelis migrans de corpore inueniet Sabbatum, id est requiem, & vestimenta sua hîc dimittet, id est corpus, vt recipiat illud iterùm in nouissima die.* Amalarius Fortunatus [g] addit septem Spiritus sancti dona quæ in baptismate infunduntur, nobis indicari. *Baptismalia Sacramenta*, inquit, *vsque ad completionem dierum septem tendunt, quia septiformi Spiritu ditantur nuper baptizati, siue quia vniuersitas temporis, qua fine septem dierum voluitur, significatur per septem dies, in qua necesse est satagere, vt nullus Christianus à fide & spe & charitate alienus sit, quamuis cetera omnia bona opera non possit capere; seu quia vnaquæque anima electa recedens à corpore, illicò inuenit Sabbatum, & habet suum opus completum.* Et Iuo Carnotensis in die Paschatis ita loquitur. *Idcircò sanctum Pascha in albis vestibus septem diebus celebramus, vt munditiam corporis*

[e] Serm. 157.

[f] Lib. de diu. offic.

[g] De diu. offic. l. 4. c. 23.

corporis & latitiam resurrectionis semper habere moneamur: vnde per Sapientiam dicitur, [*omni tempore sint vestimenta tua alba, & oleum de capite tuo nunquam deficiat,*] *quod est dicere, nunquam munditia à corpore, nunquam latitia spiritualis absit à corde. Hoc item significabatur, cùm Iudaicus populus post esum agni septem diebus azymis vescebatur, quod Apostolus in re significatâ interpretatur,* [*expurgate vetus fermentum, vt sitis nona conspersio, sicut estis azimi, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus,*] *ac si dicat, vt ad celebrandum verum Pascha & edendam carnem veri agni & immaculati sitis idonei, expurgate vetus fermentum, id est, tollite vetus peccatum, vt sitis nona conspersio, id est, nouitatem vitæ nouæ recuperetis, quam in lauacro sancto accepistis.*

ANNVS Christi 494. CLODOVEI R. 13.

Illa candidæ vestis depositio fiebat in Ecclesia, siue in baptisterio, *Hodie*, inquit Amalarius Fortunatus[a], *reuertuntur ad fontes, vt exuant se albis.* Vestis eiusmodi post depositionem primis seculis relinquebatur Ecclesiæ, vt colligimus ex Victore Vticensi iam citato, apud quem Muritta Diaconus Elpidiphoro Apostatæ vestem candidam, quâ ille post baptismum indutus fuerat, ostendit, vt desertæ religionis cœlestiúmque irarum denunciatione, à pessimo vitæ instituto ad bonam frugem traducatur: neque enim si vestem suam Elpidiphorus postquam exuerat, domum in suos vsus asportasset, hanc illi vestem quis obiicere ac monstrare potuisset. Hæc occasione Ingomeris in cunis baptizati, & in albis mortui dicta sunto, ceteras, prout occurrent, aliis in locis exponemus antiquas Baptismi cæremonias, de quibus pereruditum commentarium, qui consuli potest, nostrâ ætate scripsit Iosephus Vicecomes Doctor Mediolanensis.

XXI.

[a] de ord. antiph. cap 51.

ET VBI.

ANNVS CHRISTI 495. CLODOVEI R. 14.

ANNVS Christi 495.

I.

ANnvs Christi quadringentesimus nonagesimus quintus notatur[b] in fastis, Viatore Consule.

[b] Cassiod. Marius, Marcell. Victor.

II.

Hoc anno, qui bellum Alemannicum præcessit, Chrotildis, vt Gregorius Turonensis[c] testatur, *genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocauit, & his cùm ægrotare cœpisset, dicebat Rex, non potest aliud nisi & de hoc, sicut & de fratre eius, contingat, vt baptizatus in nomine Christi vestri, protinùs moriatur, sed orante matre, Domino iubente conualuit.* Hic considera singularem Clodouei beneuolentiam erga Chrotildem, cui quamuis anno superiori filius in albis obiisset, ne consensum quidem super altero baptizando negauit, inde colliges spem magnam ab omnibus Christianis conceptam Regis ab idolorum seruitute reuocandi, qui licet Ethnicæ perfidiæ reus esset, infenso contra Christianum nomen animo non ferebatur.

[c] Lib. 2. c. 29.

CLODOVEO NASCITVR FILIVS, BAPTIZATVS ÆGROTAT, CONVALESCIT.

III.

Godefridus Enschenius in Diatriba de Episcopatu Traiectensi, vbi agit de sancti Agricolai successoribus, incertum esse ait quandiu singuli sederint, donec ad hæc tempora perueniat, circa quæ ponit initium sancti Falconis, qui sancto Eucherio fratri suo in Episcopatu successit Obitus sancti Eucherij ponitur decimo Kalendas Martias, illius festum Ægidius obseruat à quibusdam coli.

S EVCHER. EP. TRAIECT. OBIT. SVCCEDIT FALCO.

IV.

Falco Pontificatum adeptus, statim in Mosomagensi Ecclesia iurisdictionem sibi aduersus Ecclesiæ Remensis iura vsurpauit. Arguit illum sanctus Remigius grauissimis literis, quarum initium tale est. *Domino verè sancto, & in Christo beatissimo fratri, Falconi Episcopo, Remigius Episcopus. Quantùm comperi, rebus gestis probaui, priùs cura beatitudini tuæ fuit, vt mihi inferres iniuriam,*

LIS INTER REMIG. REMENS. ET FALCON. TRAIECT. EPISCOPOS.

ANNVS Christi 495. CLODOVEI R. 14.

*quàm salutationem deferres. O! conueniens principium quod dedisti, vt lederes Episcopus antè me, quàm Episcopum te viderem. Nimiùm citò pennis teneritis euolasti, leuitate animi non maturitatis consilio. In ipso siquidem Episcopatus exordio ius ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecundè debueras introire. Fas ergo fuit vt inlicitis ordinationibus tuis à te credideris occupandam loci * Mosomagensis Ecclesiam, quam Metropolitani vrbis Remorum sub ope Christi suâ semper ordinatione rexerunt. Adhuc, arbitror, tua nescis, & iam aliena persuadis. In quam igitur cùm Leuitas feceris, Presbyteros consecraris, Archidiaconos institueris, primicerium scholæ clarissimæ militiaque Lectorum, non queror quòd me consilio inter ista non videris, vtinam te vidisses. Si enim Canones tua sanctitas ignorabat, satis præproperum fuit, vt transgredereris antequàm disceres. At verò Ecclesiarum statuta si noueras, tantò grauiùs tantóque periculosiùs insipientia tua priscorum magnificorúmque Pontificum decreta calcauit. Cane qui aliena præsumis, ne quod habere videris amittas. Cùm factæ ordinationis iura non constent, quo potissimùm consilio sacerdotalis officij tyrocinia defensabis, si temeraria transgressionis admissum pertinaciâ vel impotentiâ miscueris? Maioris discriminis erit antiquam sanctionem fuisse violatam, quàm laus sit loco stare contra Canones quos creasti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos à beatitudine tua non licuit promoueri? Plus illud est, quòd si iuxta maiorum statuta seueritatémque discutimus, non minùs quàm status illorum vester veniet Episcopatus in dubium*, &c. Finis earumdem literarum talis est. *Mandas, vt audio, colonorum tibi tributa portari, & præcipis vt reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quòd Ecclesia rem non Ecclesiam concupîsti, quando sollicitus exquisitor exposcis, qua ego, ad quem iure veniebant, remisi potiùs quàm quæsiui. Nolo te lateat Leuitas atque Presbyteros contra ordinem quos fecisti, ab ordine iam remotos. Perpendi enim quòd à me non decebat admitti, quos à te non licuerat ordinari. Heu quantùm me à cultus tui proposito repulisti, dum manis perperàm agere, quàm fœdera fraterna seruare! Optaueram namque vt Clericus permansisses, quia factus fueras vt Sacerdos. Sed si mentem tuam cura ista non tangit, ego tamen pro sinceritate profiteor, quòd animum non minùs angit à te inexcusabiliter erratum, quàm me fuisse contemptum.* Remigius non inani auctoritate nitebatur. Inter canones enim Apostolorum, qui numero tricesimus sextus est, iuxta veterem editionem Dionysij Exigui, statuit *Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in ciuitatibus & villis, quæ illi nullo iure subiectæ sunt. Si verò conuictus fuerit hoc fecisse præter eorum consensiam, qui ciuitates & villas detinent, & ipse deponatur, & qui ab illo sunt ordinati.* Dissidium illud inter Præsules sanctitate conspicuos haud diu durauit, & Ecclesia Mosomagensis, vt ex multis horum Annalium locis patebit, in Parœcia Remensi permansit.

V. * *Les Ardennes* PSEVDOPROPH. IN DIŒCESI TRAIECT.

Sedente Traiecti Falcone, vt Ioannes Placentius tradit, *In Gallijs quidam nunc in Arduenna * syluas, nunc aliò vagabundus & ligna cædens, tantoperè à muscis infestatus est, vt biennium amens permaneret. Qui ad se reuersus sub religionis habitu pseudoprophetam occulit, primò magum, mox desuper infirmos sanitates perficiens Christum se dicebat, cultúmque ab omnibus exigebat, nolentes se adorare cum populo, qui ei plurimus adhærebat, hostiliter inuasit, verùm à fideli quopiam pòst occisus est, & ita sequaces dispersi.*

ANNVS CHRISTI 496. CLODOVEI R. 15.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

I. ANNVS Christi quadringentesimus nonagesimus sextus apud Marium notatur post Consulatum Victoris, apud Cassiodorum verò, Marcellinum & Victorem, Paulo Consule.

II. CLODOVEVS HOSTES VINCIT INVOCATO CHRISTI NOMINE.

Hic annus, qui Clodouei Regis decimus quintus fuit, Franciæ felicissimus illuxit, quia Clodoueus victis ad Tulbiacum Alamannis & Boiis, Alamanniam cum Boioariâ subegit, insignémque victoriam Christo acceptam retulit, Baptismo post illam expeditionem suscepto. Vtrumque Gregorius Turonensis [a] ita recenset. *Regina non cessabat prædicare, vt Deum verum cognosceret, & idola negligeret, sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoueri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoueretur, in quo compulsus est confiteri necessitate, quod priùs voluntate negauerat. Factum est autem vt confligente vtroque exercitu vehementer caderentur, atque exercitus Chlodouechi valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, eleuatis ad cœlum oculis, compunctus corde, commotus in lachrymis ait, [Iesu Christe, quem Chrothildis prædicat esse filium Dei viui, qui dare auxilium laborantibus, victoriámque in te sperantibus tribuere dignaris, tuæ opis gloriam deuotus efflagito, vt si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus, probasse prædicat, credam tibi, & in nomine tuo baptizer. Inuocaui enim Deos meos, sed vt experior, elongati sunt ab auxilio meo, vnde credo eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt. Te nunc inuoco, & tibi credere desidero, tantùm vt eruar ab aduersariis meis.] Cúmque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cúmque Regem suum cernerent interemptum, Chlodouechi se ditionibus subdunt, dicentes. Ne amplius quæsumus, pereat populus, iam tui sumus. At ille prohibito bello, coarctatóque populo cum pace regressus, narrauit Reginæ qualiter per inuocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere. Actum anno XV. regni sui. Tunc Regina accersiri clam Sanctum Remigium Remensis vrbis Episcopum iubet, deprecans vt Regi verbum salutis insinuaret. Quem Sacerdos accersitum secretiùs cœpit ei insinuare, vt Deum verum factorem cœli & terræ crederet, idola negligeret, quæ neque sibi, neque aliis prodesse possunt. At ille ait [libenter te, Sanctissime Pater, audiebam, sed restat vnum, quod populus qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos, sed vado & loquor eis iuxta verbum tuum.] Conueniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentiâ Dei, omnis populus pariter adclamauit. [Mortales deos abigimus, piè Rex, & Deum, quem Remigius prædicat immortalem, sequi parati sumus.] Nunciantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus, iussit lauacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore ceræ, totúmque templum baptisterij diuino respergitur ab odore. Talémque sibi gratiam adstantibus Deus tribuit, vt æstimarent se paradisi odoribus conlocari. Rex ergo prior poposcit se à Pontifice baptizari. Procedit nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentésque maculas gestas antiquitus recenti latice deleturus. Cui ingresso ad baptismum, Sanctus Dei sic infit ore facundo. [Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti.] Erat enim Sanctus Remigius Episcopus egregiæ scientiæ, & Rhetoricis adprimè imbutus studiis, sed & sanctitate ita prælatus, vt Sancti Siluestri virtutibus æquaretur. Est enim nunc liber vitæ eius, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, delibutúsque sacro chrismate cum signa-*

[a] Lib. 2. capp. 30. 31.

ANNVS Christi, 496. CLODOVEI R. 15. TRES HABET SORORES.

culo crucis Christi. De exercitu verò eius baptizati sunt amplius tria millia. Baptizata est & soror eius Albofledis. Conuersa est & alia soror eius Lanthechildis nomine, quæ in hæresim Arrianorum dilapsa fuerat, quæ confessa æqualem Filium Patri & Spiritum Sanctum, chrismata est. Præter Albofledem & Lantechildem fuit & Clodoueo soror natu maxima, de quâ sic idem Auctor [a]. *Theodorius Rex Italiæ Chlodouechi Regis sororem in matrimonio habuit.* Hanc Theodorici coniugem Iordanus [b] vocat Audofledam, nuptámque docet anno post Theodorici Regis ingressum in Italiam, tertio. Theodoricus autem teste Cassiodoro [c], penetrauit in Italiam cum exercitu, Probino & Eusebio Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo vndenonagesimo. Atque ex illâ computatione liquet Audofledam Theodorico priùs nupsisse, quàm Clodoueus contra Boios & Alemannos proficisceretur, natúque grandiorem fuisse, quàm vt eiusdem Clodouei filia iuxta Iordani sententiam credi possit. De Theodorici Regis vxore, déque eorum filiâ, genero ac nepote, multa fabulosè scripsit Gregorius. Inpresentiarum tria hæc de Audofledâ notasse sufficit. Fratrem habuit Clodoueum, vixit in hæresi Arrianâ, Theodorico Regi pariter Arriano in matrimonium collocata fuit ante bellum Alemannicum. Extant Theodorici literæ, quibus affinem se parentémque Clodouei dicit. *Gloriemur* inquit, *vestræ virtutis affinitate glorianur.* Et paulò post addit de profugis Alemannis quos hospitio receperat. *Iure gratiæ merentur euadere, quos ad patrocinium nostræ defensionis respicientes confugisse.* Scriptæ fuerunt hæ literæ statim ac Theodoricus Alemannos à Clodoueo victos resciuit. Integræ recitabuntur inferiùs. Consuli possunt apud Cassiodorum [d] cum notis Guillelmi Fornerij, quæ supradictam Clodouei Theodoricique Regum affinitatem breuiter exponunt.

[a] Lib. 2. ep. 41.

III. In nonnullis editionibus Gregorij, bellum Alemannicum describitur, omissâ temporis notâ, in codice Corbeiensi legitur annus Clodouei decimus quintus, idémque reperitur in gestis Regum Francorum & in Sigeberti Chronico, ita vt nullum dubium moueri possit super anno, qui procul dubio fuit à Christo nato quadringentesimus nonagesimus sextus.

IV. Gregorius Turonensis [e] testatur pugnam ad Tulbiacum * initam fuisse. Tacitus Tolbiacum seu Tulbiacum, Talbiacum Tulpiacum *in finibus Agrippinensium* collocat [f]. Oppidum erat in ditione Sigiberti Regis, qui Coloniæ regiam sedem habebat. Alamanni Francos vltrò lacessebant spe potiundarum Prouinciarum quæ finitimæ Rheni ripæ vicinæ sunt. Clodoueus cùm in eo prælio frustrà deorum quos colebat, opem imploraſſet, frustrà Mauortem rogasset qui magna verteret, frustrà Iouem orasset qui iuuaret, frustrà templum vouisset Statori, qui fugientes copias sisteret, conuersus ad Christum humili voto facilè victoriam obtinuit. Id autem consilij cepit in summo discrimine persuasus ab Aureliano, si fides est antiquo scriptori de gestis [g] Regum Francorum, nec hoc alienum putamus à vero; Aurelianum enim, qui ex genere Romanorum erat, Christianum arbitramur. Gregorius Turonensis [h] obseruat Sigebertum, qui Coloniæ regnabat, in genu percussum, reliquo vitæ tempore claudicasse.

[e] Lib. 2. c. 37.
* *Zulch.*
[f] Lib. 4. hist.
[h] Cap. 15.
[g] Lib. 2. cap. 37.

V. Clodoueus partâ victoriâ, & Alemannorum Boiorumque Regibus in acie cæsis, Alemanniam ac Boioariam in suam potestatem redegit: non defuerunt tamen ex Alemannis, qui cùm victori parere nollent, ad Theodoricum Ostrogothorum Regem profugerent. Theodorici benignitatem in illis excipiendis non omisit Ennodius in panegyrico quem eidem Regi paucis post annis dixit. *Quid quod à te*, inquit, *Alamannia generalitas intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusa est? cui euenit habere Regem, postquam meruit perdidisse; cui feliciter cessit fugisse patriam suam, nam sic adepta est solis nostri opulentiam. Sub te vidimus euentus optimos de aduersitatibus generari, & fieri secundorum matrem occasionem periculi.* Theodoricus auditâ Alamannorum clade, visus est timere, ne Clodoueus felici successu elatus, infelices reliquias persequeretur quocumque se reciperent, ad eum enim has literas [i] quamprimùm direxit.

ALAMANNOS ET BOIOS SVBIGIT.

[i] Cassiod. l. 2. ep. 41.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. LITERAS ACCIPIT A THEODOR. R. ITALIÆ.

Gloriosâ quidem vestra virtutis affinitate gratulamur, quòd gentem Francorum priscâ atate residem feliciter in nous prælia concitastis, & Alamannicos populos causis fortioribus inclinatos victrici dextrâ subdidistis. Sed quoniam semper in auctoribus perfidiæ resecabilis videtur excessus (quia primariorum plectibilis culpa omnium debet esse vindicta) motus vestros in fissas reliquias temperate, quia iure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum vestrorum defensionem respicitis confugisse. Estote illis remissi, qui nostris finibus calantur exterriti. Memorabilis triumphus est Alamannum acerrimum sic expauisse, vt tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat illum Regem cum gentis suæ superbiâ cecidisse. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim seruitio subiugatam. Nam si cum reliquis confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus causis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella prouenerunt, quæ moderato fine peracta. Is enim vincit assiduè, qui nouit omnia temperare, dum iucunda prosperitas, illis potius blanditur qui austeritate nimiâ non rigescunt. Cede itaque suauiter genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consuetit exemplo. Sic enim fit vt & meis petitionibus satisfeciss videamini, nec sitis solliciti ex illâ parte quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes gratiâ, honore & affectione quâ dignum est, N. & N. Legatos nostros ad Excellentiam vestram consuetâ caritate direximus, per quos & sospitatis vestræ iudicium, & sperate petitionis consequamur effectum. Quædam verò quæ ad nos pro vestris vtilitatibus peruenerunt, per harum Portitores verbo vobis insinuanda commisimus, vt cautiores effecti, optatâ positis victoriâ constanter expleri. Vestra siquidem salus, nostra gloria est, & totius regnum Italiæ proficere iudicamus, quoties de vobis lata cognoscimus. Citharœdum etiam arte suâ doctum pariter destinauimus expetitum, qui ore manibusq; consonâ voce cantando, gloriam vestræ potestatis oblectet. Quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum iudicastis magno opere dirigendum. Extant aliæ Theodorici literæ [a] ad Boëtium Patritium antea datæ, quibus asserit conuiuij sui famâ pellectum Regem Francorum, à se Citharœdum magnis precibus expetitse.

[a] Cassiod. l. 2. ep. 40.

VI.

Clodoueo in præmium suæ victoriæ nihil cessit præter Alemanniam & Bojoariam, neque enim in finitimos populos mouit, pace cum Ostrogothis ac Burgundionibus seruatâ. Illis autem temporibus Alamannia, non tantùm vt olim cùm Sanctus Hieronymus [b] scribebat, vltra Rhenum comprehendebat tertiam veteris Germaniæ partem inter Danubium ac Mœnum sitam, sed & cis eundem Rhenum in Galliis ab aliquot annis amplectebatur agri Heluetici partem non ignobilem, *Iurensis* enim *deserti secreta inter Burgundiam Alemanniamque sita, Auentica* * *adiacent ciuitati* apud Gregorium Turonensem [c] in vitâ Sancti Lupicini Abbatis, qui Chilperico Burgundiæ Regi vixit synchronus. In Alamannia transrhenana Ecclesiæ nondum erant erectæ, in cisrhenanâ quædam erant Monachorum cœnobia, vt videre est in vitâ Sancti Lupicinij Abbatis iam laudatâ. Boij Sueuorum siue Alemannorum finitimi erant, Regem in prælio ad Tolbiacum amiserunt, deinde si fides est Auentino [d], fœdus societatémque cum Francis perpetuò fecerunt, his conditionibus. *Boy de corpore suo, vbi opus fuerit, Principem legant, at Ducem non Regem adpellent, Reges Francorum authores fiant. In bellis auxilio Francis sint Boy, eosdem pro amicis & hostibus habeant, ceterùm suis institutis ac moribus liberi viuant.* Abhinc, inquit idem author, *amicitia Boiorum bona atque honesta Francis permansit, adeo vt posthac Francorum Reges nihil penitus quicquam præclari, sine ope Boiorum, neque in rebus bellicis ac domesticis, neque in diuinis atque humanis vnquam gesserint, quemadmodum res ipsa indicabit, & Hatto Archiflamen Moguntinus ad Ioannem Nonum Pontificem Maximum scribit.* Ex illo Auentini textu palam fit Boios deinceps sub Imperio Francorum fuisse, adde quòd Theodoricus Francorum Rex, Clodouei filius, cui posteà prouinciæ transrhenanæ cesserunt, leges iisdem Bois scripsit. In illâ regione ante aliquot annos fax quædam Christianæ fidei iam præluxerat: nam beatus Seuerinus Abbas, qui coætaneus extitit Odoacri Regi, & anno Christi quadringentesimo octogesimo secundo, mortalem vitam claulit, in tabulis Ecclesiasticis octauâ die Ianuarij dicitur *Norici rum Apostolus*, quoniam

[b] In vit. S. Hilarion.

* *Auenche.*

[c] De vit. patr. cap. 1.

[d] Lib. 3.

ANNVS Christi. 496. CLODOVEI R. 15.

apud eam gentem Euangelium propagauit. Sed quia Deorum cultui nuncium non remiserant viri primates, penes quos imperium gentis erat, obscurato qui micuerat lucis radio, factæ sunt densissimæ quaquauersum tenebræ, donec Theodo Boiorum Dux, huius nominis Tertius, qui Ragintrudem Clodouei Regis proneptem in vxorem duxerat, sacro baptismatis fonte regeneratus est à Ruperto Wangionum Episcopo, qui Noricorum Apostolus à multis prædicatur, & instar Sancti Seuerini plurimùm laudatur in tabulis Ecclesiasticis, die vicesimâ septimâ Martij, quoniam *apud Banaros & Noricos Euangelium mirificè propagauit.*

VII. Alcuinus in vita sancti Vedasti, reditum Clodouei Regis ex Alamannia sic Remos vsque prosequitur. *Venit ad Tullum oppidum, vbi sanctum agnouit Vedastum laudabili religione sols seruire Deo, & dulcissimos contemplatiuæ vitæ carpere fructus. Hunc verò ad sanctum Remigium, Christi clarissimum Sacerdotem, ad Rhemorum properans ciuitatem, sibi socium assumpsit, quatenus per singulos itineris sui gressus saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, & Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis, vt paratus fide & virtutum scientiâ, à tanto Pontifice spirituali abluerentur lauacro, & ab illo donis cœlestibus confirmaretur, quod ab isto diuinâ priùs præueniente gratiâ, Euangelicis cœptum fuerat prædicationibus. Hic ad fontem vitæ festinantem deducebat Regem. Sacra Euangelicæ auctoritatis narrat historia Dominum Iesum Hiericho pergentem ad confirmanda fide suæ maiestatis corda populi præsentis, cuidam cæco ad se clamanti lumen reddidisse oculorum, vt per corporale vnius illius cæci lumen, spiritualiter multorum illuminarentur pectora. Ita & sanctus Vedastus*, Deo Christo donante, per cuiusdam illuminationem cæci, fidem quam verbo prædicauit, in corde Regis miraculo confirmauit, vt Rex ipse intelligeret, tam sibi necessarium cordis lumen, quàm cæco oculorum illustrationem, & quod diuina operata est gratia, per preces famuli sui, in oculis cæcâ nocte castigatis, hoc per sermones eiusdem famuli, eâdem operante potentiâ, per spiritualis intelligentiam lucis in suo pectore perficeretur. Nam Regia Excellentia condigno comitatu cum multitudine maxima populi iter agentibus illis, venerunt in quemdam pagum, qui incolarum terra illius consuetudine Vngise pagus dicitur, prope Reguliacam Villam, qua sita est super florigeras Axonæ* fluminis ripas, & ecce eiusdem fluminis pontem, Rege transeunte cum multitudine populi, obuiauit illi cæcus quidam, huius diutissimè solaris expers luminis, fortè nec suâ cæcatus culpâ, sed vt manifestarentur opera Dei in illo, & per illius illuminationem præsentem, plurimorum illuminarentur corda spiritualiter. Qui cùm intellexisset a prætereuntibus sanctum Vedastum Christi seruum in eodem agere comitatu, clamauit [Sancte & electe Deo Vedaste, miserere mei, & supernam pio pectore diligentiùs deposce potentiam, vt meæ subueniat miseriæ, non aurum posco nec argentum, sed vt mihi lumen per sanctitatis tuæ preces restituat oculorum.] Sensit itaque vir Dei virtutem sibi adesse supernam. Non ob illius cæci tantummodò, sed plùs propter præsentis populi salutem, totum se in sacras effudit preces, in diuina fidens pietate, & dexteram cum signo crucis posuit super oculos cæci, dicens, [Domine Iesu, qui es lumen verum, qui aperuisti oculos cæci ad te clamantis, aperi oculos & istius, vt intelligat populus iste præsens, quia tu es Deus solus faciens mirabilia in cælo & in terra.] Mox ille cæcus lumine recepto, gaudens perrexit viam suam. In quo loco tempore sequenti à religiosis viris ædificata est Ecclesia in testimonium miraculi istius, in qua orantibus & credentibus vsque hodie beneficia præstantur diuina. Igitur Rex à viro Dei Euangelicis adprimè imbutus doctrinis, & hoc præsertim miraculo in fide firmiter confortatus, nil moratus in via, nil dubitans in fide, sed magnâ alacritate animi, magnâ festinatione itineris, sanctissimum Pontificem Remigium videre properauit, vt illius sacratissimo ministerio, Spiritu sancto operante, in remissionem peccatorum & spem vitæ æternæ, Catholici baptismatis vino ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus est diebus, vt Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentia, secundum Apostolorum præceptum, priùs ablueretur lachrymis, dicente beato Petro Principe Apostolorum, [Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi,] & in nomine sanctæ Trinitatis cœlestis mysterij baptisma*

* S. Vast

* L'Aisne

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. VIII.

suſciperet. Sciens verò beatus Pontifex Apoſtolum dicere Paulum, [omnia veſtra honeſto cum ordine fiant] ſtatuit diem, quo Rex Eccleſiam intraret ad ſuſcipienda diuinæ pietatis ſacramenta.

Diem illum interpretatus eſt *Paſcha Domini* Fredegarius [a], & in errorem induxit Hincmarum [b], Flodoardum [c], recentioréſque penè omnes, ſed Paſchatis loco Natalem Domini reſtituendum, docet inſignis epiſtola, quam paulò pòſt Clodoueo de ſuſcepta ab eo Chriſti fide atque baptiſmo, ſcripſit Auitus Viennenſis Epiſcopus in regno Burgundiæ. *Auitus Viennenſis Epiſcopus Clodouecho Regi. Veſtra ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diuerſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum quid recti vnuſquiſque ſentiat, futuro examini reſeruamus, etiam in præſentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Inuenit quippe tempori noſtro arbitrum quemdam diuina prouiſio, dum vobis eligitis, omnibus indicatis, veſtra fides noſtra victoria eſt. Solent plerique in hac eadem cauſa, ſi pro expetenda ſanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſuetudinem generis, & ritum paternæ obſeruationis opponere. Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes; dum parentibus in incredulitatis cuſtodia inutilem reuerentiam ſeruant, confitentur ſe quodammodò neſcire quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione poſt talis facti miraculum noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate ſolâ nobilitate contenti, quidquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapia veſtra à vobis voluiſtis exſurgere. Habetis bonorum auctores; voluiſtis eſſe meliorum. Reſpondetis proauis quòd regnatis in ſeculo; inſtituiſtis poſteros quòd regnatis in cælo. Gaudeat ergo quidem Gracia, habere ſe Principem legis noſtræ, ſed non iam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari, quòd non deſit & reliquo orbi claritas ſua. Siquidem & occiduis partibus in Rege non noue, noui iubaris lumen effulgurat. Cuius ſplendorem congruè Redemptoris noſtri Natiuitas inchoauit, vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vnda vos pareat, quo natum redemptioni ſuæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & veſtri, quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo; in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid iam de ipſo glorioſiſſimæ regenerationis veſtræ ſolemnitate dicatur? cuius miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris diuina pietas gratulationis adiecit, vt ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſima humilitatis nuntius peruenisset. Vnde nos poſt hanc expectationem iam ſecuros veſtri ſacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiſcumque tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus Pontificum, manus ſancti ambitione ſeruitij membra regia vndis vitalibus confoueret. Cùm ſe Dei ſeruis inflecteret timendum gentibus caput. Cùm ſub caſide crines nutritos ſalutaris galea ſacra vnctionis indueret. Cùm intermiſſo tegmine loricarum immaculati artus ſimilis veſtium candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, Regum florentiſſime, faciet, inquam, indumentorum iſta mollities, vt vobis deinceps plus valeat rigor armorum, & quicquid felicitas vſque huc præſtitit, addet huic ſanctitas. Vellem verò praconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram, vel obſeruantiam præteriret. Numquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatione vidiſtis? An fortè humilitatem, quam iamdudum nobis deuotione impenditis, qui nunc primùm profeſſione debetis? An miſericordiam, quam ſolutus à nobis adhuc nuper populus captiuum, gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Vnum ergo quod vellemus augeri, vt quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam facies, vlterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas, nulla prauorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigatis. Nec pudeat pigeátque, etiam directis in rem legationibus, adſtruere partes Dei, qui tantùm veſtras erexit. Quatenùs externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitùs imperio ſeruituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potiùs gentem quàm Principem. Nulla igitur patria quaſi ſpecialis ſede ſibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis; conſtat*

[a] Hiſt. epit. c. 21.
[b] In vit. S. Remig.
[c] Lib. 1. c 13.

BAPTIZATVR IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

vos esse quo communis vno Solis iubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, sed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum praesentibus diademate, absentibus manifestate. Successus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas, quotiescumque illic pugnatis, vincimus. Inter haec tamen Catholica Religionis affectum seruat in vobis cura miserandi, & in apice rerum omnium gubernacula continente, non minùs eminet sanctitas quàm potestas. Ex qua vtique factum est, vt dirigi ad vos serui vestri, viri illustris, Laurentij filium principali oraculo iuberetis. Quod apud dominum meum, suae quidem gentis Regem, sed militem vestrum, obtinuisse me suggero. Nihil quippe est, in quo seruire non potest. Commendat directum. Congaudi missio, inuidi vos visuro. Cui minùs computandum est ad vtilitatem parenti proprio restitui, quàm patri omnium praesentari. Auitus, vt cuique attentiùs legenti patet, de Baptismo Clodouei loquitur, vt de re gesta quàm ægro prorsùs animo ferebant haeretici, quapropter frustrà contendunt nonnulli, reiciendum hoc negotium ad Pascha subsequentis anni, scriptámque hoc anno ab Auito illam epistolam vno aut altero die post Natalem Domini, cùm Viennæ rescire nondum potuisset, quid in eo festo factum fuisset Remis, & ex rumore tantùm qui sparsus fuerat, Regem Francorum illo die baptizatum suspicaretur. Certè negari non potest Clodoueum Remis versatum postremis huius anni diebus: extat enim praeceptum ab eo emissum *Remis sub die* IV. *Kal. Ian. Indictione* V. *primo Christianitatis anno.* Vberiùs agemus infrà de Characteribus Chronologicis istius Praecepti.

IX. Extra stata Paschatis ac Pentecostes tempora, baptizatus est Rex Francorum, rationem si petis, attende momentum rei. In tanto Principum numero, quibus orbis vniuersus terrarum paret, nullus est Catholicus. Catholici qui cùm in Franciâ, tum in vicinis regnis degunt, à multis annis spem omnem in vno Clodoueo collocarunt, qui deos suos maiorum more sic colit, vt in Christianum nomen minimè saeuiat, imò quantùm potest & Episcopis & Ecclesiis fauet, Christianam religionem non auersatur, Francos Christianos fieri non prohibet, vxorem duxit Catholicam, Pontificum alloquiis ac familiaritate lubens vtitur, liberos suos baptismo regenerari sponte permittit, eos, qui sibi successuri sunt in regnum, mysteriis Christianorum initiari non vetat, in summo periculo nomen inuocat Christi, hostes à quibus vincebatur, vincit insigni miraculo, vastissimas Prouincias obtinet in praemium suae victoriae, beneficium illud Christo acceptum refert, postulat baptismum flagrantissimis precibus, vrget Regina, vrgent omnes Catholici, nihil temerè fit vel inconsultò, congregantur Episcopi, id enim insinuat *adunatorum numerus Pontificum* apud Auitum Viennensem, omnium consensu, quia Paschalis solemnitas remotior est, propior eligitur. Quis in tanto negotio, quod in vtilitatem Ecclesiae Catholicae totum cedit, celeritatem non amet? Baptismus Clodouei Regis in diem vsque Natiuitatis Dominicae dilatus fuit, vt rei adeò praeclarae splendorem ipsa diei solennitas augeret. Aliud consilium hoc eodem anno, vt inferiùs ostendemus, iniit Eleutherius Episcopus, Censorinum enim Tribunum & Tornacenses numero non paucos, baptizauit Blandinij, quinto Kalendas Octobris, quia festinationem emolumento Ecclesiae, procrastinationem damno futuram praeuidebat.

X. Non minores occurrunt difficultates circa locum vbi Clodoueus baptizatus fuit, alij enim in baptisterio, alij in mediâ Ecclesiâ baptizatum volunt, rursum alij in Ecclesiâ Sancti Martini, alij in Metropoli Ecclesiâ Sanctae Mariae baptizatum tradunt.

XI. Si Iosepho Vicecomiti [a] credimus, Clodoueus primus omnium in Ecclesiâ sacro latice lustratus legitur, idque moris circa tempora Clodouei Regis introductum fuit, vt in Ecclesiis aedificarentur baptisteria, quod posteà confirmatum diuturnitate temporis, in plerisque ciuitatibus ac Prouinciis, vnà cum seculis aetatibúsque hominum inueterauit. Ne quid autem gratis dicere

[a] De bapt. l. 1. c. 6.

dicere videatur, adducit testimonia Gregorij Turonensis & Hincmari Remensis super baptismo Clodouei. Gregorianum [a] iam recitatum denuò recitamus. *Nunciantur hæc Antistiti, qui gaudio magno repletus iussit lauacrum præparari. Velis depictis adumbrantur platea Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totúmque templum baptisterij diuino respergitur ab odore.* Hincmarianum verò tale est in vitâ Sancti Remigij. *Eundi via ad baptisterium à domo regiâ præparatur, velis ac cortinis depictis ex vtráque parte protenditur & desuper adumbratur, plateæ sternuntur, Ecclesiæ componitur baptisterium, balsamo & ceteris odoramentis conspergitur.*

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

[a] Lib. 2. c. 31.

XII.

Quoties legimus Hincmarum, toties arbitrati sumus eum à sententiâ scriptoris suprà nominati quàm longissimè discrepare. Quis enim Clodoueum in baptisterio baptizatum non concludat ex verbis Hincmari? Quid aliud innuunt hæ phrases iam allatæ, *Eundi via ad baptisterium à domo regiâ præparatur: Ecclesiæ componitur baptisterium?* Et ista quæ in eodem authore proximè subsequitur, *Sanctissimus Pontifex manum tenens Regis à domo regiâ pergit ad baptisterium, subsequente Reginâ & populo?* Nullum ibi vestigium vllius præparationis, vt baptismus non intra baptisterium, sed in Ecclesiâ conferretur. Neotericæ sententiæ non magis fauet Gregorius, licet de plateis Ecclesiæ loquatur, eas enim distinguit à baptisterio, ipsumque templum baptisterij à reliquâ separat Ecclesiâ. *Velis depictis*, inquit, *adumbrantur platea Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur.* En ornatus Ecclesiæ; sequitur ornatus baptisterij omninò alius. *Baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterij diuino respergitur ab odore.* Hincmarus cùm scribebat, ob oculos dubio procul habuit Gregorium, cuius mentem iisdem penè verbis sic expressit, *plateæ sternuntur Ecclesiæ, componitur baptisterium*, sed lapsu temporis, vocabulum *Ecclesiæ* quod ad plateas pertinebat, relatum fuit ad baptisterium, virgulâ de suo loco vitiosè motâ, hoc sensu minùs genuino, *plateæ sternuntur, Ecclesiæ componitur baptisterium.* Nihil autem vetat, cùm baptismus in baptisterio conferebatur, Ecclesiam velis depictis adumbratam & cortinis albentibus adornatam fuisse: nam qui baptizabantur, vno eodémque die non Baptismum tantùm & Confirmationem suscipiebant, sed etiam, vt infrà probabimus, Eucharistiâ reficiebantur in Ecclesiâ, peracto Missæ sacrificio. Neque etiam nobis persuademus baptisteriorum in Ecclesiis constructorum morem in Franciâ cœptum fuisse circa Clodouei Regis tempora, nam Sanctus Gregorius Episcopus Metropolitanæ ciuitatis Turonicæ, qui longè pòst floruit, *baptisterium ad basilicam ædificari* præcepit, vt ipsemet de seipso testatur [b].

IN BAPTISTERIO.

[b] Lib. 10. c. 31.

XIII.

An baptisterium, in quo Clodoueus baptizatus fuit, Ecclesiæ Sancti Martini, vel Ecclesiæ metropoli Sanctæ Mariæ coniungeretur, multi liquidò constare nolunt. Sanctus Nicetius Treuirorum Episcopus ita loquitur in epistolâ quâ Chlodosoindam Clodouei ex Clotario filio neptem, etiam atque etiam hortatur [c], vt Alboinum Longobardorum Regem virum suum è secta Arij ad Catholicam fidem adducat. *Audisti ab auiâ tuâ dominâ bonæ memoriæ Rothilde, qualiter in Franciam venerit, quomodò dominum Chlodoueum ad legem Catholicam adduxerit, & cùm is homo esset astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret. Cùm ista quæ supra dixi probata cognouit, humilis ad Domini Martini limina cecidit, & baptizari se sine morâ permisit.* Ex illo textu Clodoueum multi baptizatum dicunt ad Ecclesiam Sancti Martini. Præceptum verò Ludouici Pij apud Flodoardum [d] docet distinctissimis verbis Clodoueum *in Ecclesiâ Sanctæ Mariæ baptizatum fuisse.* Quam sententiam complures tuentur.

IVXTA ECCLESIAM B. MARIÆ.

[c] Ap. Ducheſn. Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

[d] Lib. 2. c. 19.

XIV.

Olim baptisterium solummodò vnum in singulis ciuitatibus, idque prope primariam vrbis Basilicam constructum. Vnum fuisse in singulis ciuitatibus baptisterium, probabili satis argumento coniicimus ex oratione [e], quâ Sanctus Gregorius Nazianzenus diuites patritios ac dominos admonet, ne à sua dignitate alienum existiment cum pauperibus & seruis baptizari. Onuphrius Panuinus vir antiquitatis peritissimus in libro de præcipuis vrbis Romanæ ba-

[e] Orat. 40.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

silicis, vbi de baptisterio Lateranensi sermonem instituit, palàm testatur vnum fuisse baptisterium in singulis vrbibus, additque illud prope maiorem ciuitatis basilicam extitisse, eámque consuetudinem ad sua vsque tempora in multis locis, quemadmodum Florentiæ, Parmæ, Bononiæ, Pisis * & Vrbe veteri * obseruatam. Galuaneus [a], qui Ecclesiasticam Mediolanensem historiam fideliter conscripsit, cùm in eligendis Episcopis diuersa Catholicorum & Arianorum studia retulisset, sic ait, *Beatus Honoratus fuit factus Archiepiscopus Mediolanensis, & sedit annis tribus, & Ariani elegerunt alium in Archiepiscopum, vnde dicit historia Lombarda, quòd tunc temporis in qualibet ciuitate erant duo Episcopi, vnus Catholicus & alter Arianus, sicut in ciuitate Papiensi, quia ibi erat vnus Episcopus Arianus dictus Anastasius, qui residebat in Ecclesiâ Sancti Eusebij. & alter erat Catholicus qui tenebat baptisterium.* Quo loco patet *baptisterium* pro primariâ vrbis Ecclesiâ, in quâ baptisterium erat, positum fuisse. Eâdem loquendi formulâ vtitur Beroldus in suo Cæremoniali, agens enim de Sabbato Sancto, principem Ecclesiam vocat Ecclesiam baptismalem. *Tunc*, inquit, *magister scholarum procedit cum pueris suis cantando antiphonam vsque ad regias baptismalis Ecclesiæ, & ibi extra Ecclesiam Archiepiscopus exuit stolam*, &c. Præterea baptisterium in antiquis authoribus prope Basilicam semper reperitur. *Alius paralyticus*, ait Sanctus Gregorius Turonensis [b], *ex Aurelianensi territorio carrucâ deuectus, venit ad Sanctam Basilicam, qui diebus multis iacens ad ostium illud, quod secus baptisterium ad medium diem pandis egressum, beati Antistitis implorabat auxilium.* Et idem Sanctus Gregorius Turonensis, vt ipsemet de se testatur [c], *baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari* præcepit. Addemus & auctoritatem Pauli Diaconi [d] super insidiis in baptisterio Garibaldo Duci structis, ita differentis. *Cùm Garibaldum Ducem ipso sacratissimo Paschali die ad orationem in B. Ioannis Basilicam venturum sciret, super sacrum baptisterij fontem considens, læuáque manu se ad columnellam tugury continens, quà Garibaldus transiturus erat, euaginatúmque ensem sub amictu tenens, cùm Garibaldus propiùs accessisset, amoto amictu, nisu ingenti eiusdem in ceruicem ensem incussit.* Nomen autem Basilicæ quamuis pro quâcumque Ecclesiâ nonnumquam vsurpetur, propriè tamen de ea in quâ Episcopus sacra ministeria peragit, vel aliâ insigniori solummodò dici potest.

* Pisæ.
* Oruiete.
[a] Cap. 479.
[b] De Mir. S. Martin. l. 2. cap. 6.
[c] Lib. 10. c. 31.
[d] De gest long. l. 4. c. 18.

XV. Eiusmodi obseruationes necessariò nos adigunt, vt Clodoueum in baptisterio, quod metropoli Basilicæ Sanctæ Mariæ coniungebatur, baptizatum dicamus, iuxta sententiam Ludouici Pij. Ex textu Sancti Nicetij iam allato, quem præcepto Ludouici Pij contrarium plerique contendunt, id vnum euincitur, Clodoueum, cùm Remos peruenit, ad limina beati Martini statim cecidisse, ac permisisse siue annuisse, atque etiam optasse baptizari se sine morâ, mora tamen fuit aliquot dierum vsque ad proximam Natiuitatis Dominicæ solemnitatem, vt ex historiâ Gregorij Turonensis, ex vitâ Sancti Vedasti, & ex epistolâ Sancti Auiti Viennensis Episcopi simul collatis, apertè constat. Cur Clodoueus, antequam baptizaretur, ad Sancti Martini potiùs quàm ad alterius Ecclesiæ limina ceciderit, primumque Christo cultum eo in loco exhibuerit, hæc ratio potest afferri, quòd Rex bellicosissimus peculiarem sibi patronum eligeret beatum Martinum, qui militiam aliàs in castris Cæsareis strenuè professus fuerat, atque insigni miraculorum gloriâ per vniuersum orbem terrarum, ac præcipuè per Gallias, in summâ veneratione habebatur.

XVI. Quam vitæ rationem Clodoueus illis duxerit diebus, quos ante baptismi susceptionem Remis cum sanctissimo Præsule Remigio transegit, obseruat Alcuinus his verbis, in vitâ Sancti Vedasti. *Rex magnâ alacritate animi, magnâ festinatione itineris, sanctissimum Pontificem Remigium videre properauit, cum quo aliquantis moratus est diebus, vt Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentia, secundum Apostolicum præceptum, priùs ablueretur lachrymis, dicente beato Petro Principe Apostolorum.* [*Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi.*] Hæc verba Sancti Petri leguntur in actibus [e] Apostolorum. Eodem modo Sanctus Paulus [f], cùm Hebræos hortaretur, vt viam peccato-

[e] Cap. 2.
[f] Ep. ad Heb. cap. 6.

rum desererent, & Christianæ perfectionis semitam sequerentur, meminit pœnitentiæ, quâ se ante baptismum mulctauerant, eamque vocauit pœnitentiam ab operibus mortuis, vt infrà docebimus ex Sancto Augustino. Antiqui Patres fermè omnes, duobus hisce Apostolorum Petri ac Pauli testimoniis vti sunt, vt inculcarent pœnas de patratis sceleribus sumendas esse, priusquàm cœlestis iustitiæ gratiam per baptismum quis adipiscatur. Vnum producemus Augustinum [a]. *Neque ad baptismum*, inquit, *Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo pœnitentiam de vitâ pristinâ; nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet. Hoc autem etiam authoritate diuinorum librorum probare debemus, vtrùm baptizandi egerint pœnitentiam, quando ait Petrus,* [*agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Domini nostri Iesu Christi.*] Et alio in loco [b]. *Vnde & epistolâ quæ ad Hebræos inscribitur, cùm eorum qui baptizantur, commemorarentur initia, posita est ibi pœnitentia à mortuis operibus: sic enim dicit,* [*ideòque remittentes initia Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterùm iacientes fundamentum pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum, lauacri doctrinæ, impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum & iudicij æterni.*] *Hæc igitur omnia pertinere ad initia Neophytorum, satis apertéque scriptura testatur.* Illius pœnitentiæ, quæ baptismum antecedebat, hoc proprium fuit, vt qui baptizandi erant, signa doloris ex flagitiorum recordatione palàm ostenderent, pectoris percussione, lacrymis, orationibus, vigiliis, ieiuniis, ac peccatorum confessione. *Audisti*, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus [c], *quomodò gemuerunt dudum sacris introducti, & pectus percusserunt eos stimulante conscientiâ.* Et Sanctus Gregorius Nazianzenus [d] ei qui baptizari cupit, multa magno vsui fore, sic ait. *Bona auxilia erunt tibi ad ea quæ desideras consequenda, vigiliæ, ieiunia, humi dormitiunculæ, orationes, lachrymæ, ærumnæ, indigentium oppugnatio.* Idem quoque varia pœnitentiæ genera quibus baptismum quisque flagitare debeat, hoc recenset ordine, *lachrymas, gemitus, preces, chameunias, vigilias, animæ & corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati confessione, contemptiorique vitæ genere existit.* Tertullianus [e] antiquissimam illam consuetudinem, quâ qui baptismum susceperi erant, post lachrymarum effusionem, animi sui latebras & vlcera Sacerdotibus aperiebant, non quasi pœnitentiæ sacramento initiarentur, sed vt despicientiæ sui insigne argumentum præberent, egregiè admodum docet his verbis. *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiuniis, & genuflexionibus, & pernigilibus orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum, vt exponant etiam baptismum Ioannis, tingebantur, inquit, confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.* Multorum flagitiorum, quæ priuatim & secretò concepta fuerant, pœnas luere conscientiâ solùm teste, satis erat, sed scelerum quæ in omnium ore contrahebantur, publicam pœnitentiæ significationem præbere opus erat, vt quisque fidelium sciret eos, qui talia crimina commiserant, ab impiâ peccandi consuetudine se reuocasse. In vitâ [f] Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri hæc leguntur. *Is verò qui eos decollauit, nomine Dorotheus, postea sub Sancto Iulio Pontifice publicam egit pœnitentiam, & omni populo indicans quæ vidisset, baptizatus est in senectute suâ.* Nec dubitamus quin apud Ioannem Diaconum [g] hæc Nonni Episcopi ad Pelagiam pœnitentem verba, *confitere omnia peccata tua*, debeant intelligi de publicâ pœnitentiâ, quia Pelagiæ publicum fuerat flagitium in oculis totius ciuitatis. De pœnitentiâ fusiùs & commodiùs agemus aliis in locis, hîc nonnulla tantùm prælibamus occasione Clodouei Remis pœnitentiam agentis ante susceptionem baptismi.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

[a] De vtil. pœnit. cap. 1.

[b] De fid. & oper.

[c] Homil. 11. ad illuminat.

[d] Homil. 40.

[e] De bapt. cap. 20.

[f] Ap. Sur. d. 2. Iun.

[g] In vit. S. Pelag. ap Sur. d. 8. Octobr.

XVII. Scimus Clodoueum in solemnitate Natiuitatis Dominicæ baptizatum fuisse, an legitimum tempus pœnitentiæ priùs expleuerit, haud æquè affirmare possumus. Illis temporibus ante baptismi susceptionem, quadraginta dies pœnitentiæ requirebantur, ex vita Sancti Vedasti colligitur pauciores moratus cum Remigio priusquàm baptizaretur. Pœnitentiam per quadra-

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

ginta dies agendam ante baptismum, docet sanctus Cyrillus [a] Episcopus Hierosolymitanus, cùm fidei Christianæ candidatos pio quodam ardore sanctarum cohortationum ad studium vitæ asperioris accendit, vt quadraginta dierum pœnitentiam eos suscipere non pigeat, qui multis annis voluptati & libidinibus indulserint, *Relinque*, inquit, *præsentia, & crede futura, tot annorum circulos transegisti, mundo frustrà operam nauans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua.* Sanctus Hieronymus [b] Cyrillo recentior, qui teste Prospero desiit viuere, Theodosio nonùm & Constantio tertiùm Consulibus, anno Christi vicesimo supra quadringentesimum, idem pœnitentiæ tempus confirmat, cùm Catechumenos per quadraginta dies publicè docendos asserit his verbis, *Consuetudo apud nos eiusmodi est, vt iis qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem*; neque enim de cunctis Cathechumenis loquitur, sed tantùm de iis qui proximâ solemnitate baptismum susceperi erant, & toto illo tempore de anteacta vita pœnitentiam agere tenebantur. Hic mos posteà deductus fuit ad decem & octo dies, sed aliis in locis opportuniùs dicturi sumus cùm de illa mutatione, tùm de variis Catechumenorum classibus; neque enim singulas adiit Clodoueus, qui ne legitimum quidem tempus in pœnitentia transegit.

[a] Catech. 1. mystag.
[b] Ep. ad Pammach.

XVIII.

Gregorius Turonensis [c] ornatum Ecclesiæ ac baptisterij ad Clodouei baptismum, ita describit, *Velis depictis adumbrantur plateæ Ecclesiæ, cortinis albentibus adornantur, Baptisterium componitur, balsama diffunduntur, micant flagrantes odore ceres, totúmque templum baptisterij diuino respergitur ab odore.* In gestis [d] Regum Francorum ex Codice Cameracensi, vela quæ plateas Ecclesiæ adumbrant, dicuntur depicta *diuinitùs*, id est, *diuinis historiis*, vt explicat editio Marquardi Freheri. Diuinæ illæ historiæ eos qui intuebantur ad pietatem prouocabant, & vt externus apparatus ad internum animæ nitorem qui in baptismo percipitur, contemplandum pelliceret, Ecclesia cortinis albentibus adornabatur. Quod attinet ad ornatum baptisterij, cùm in singulis baptisteriis pignora sanctorum locarentur, vt alibi probabimus, inde factum est, vt nonnumquam balsamum summâ & acerrimâ suauitate conditum, pensilesque lychnuchi cum perpetui luminis alimento ponerentur. Apparatus autem in die baptismi multò maior erat. Odores incendendi consuetudo apud Æthiopes adhuc durat; thus enim adolent in administratione baptismi, sicut ex ordine baptismi secundùm vsum ipsorum perspicitur, *orationes quæ fiunt in sancto baptismo, Sacerdos primùm dicit Psalmum Miserere, thus dat*, &c. De cereis sermo inferiùs recurret.

[c] Lib. 2. c. 31.
[d] Cap. 15.

ORNATVS ECCLESIÆ ET BAPTISTERII.

XIX.

Apud Hincmarum [e] *præcedentibus sacrosanctis Euangeliis & crucibus cum Hymnis & Canticis spiritualibus atque Litaniis, Sanctorumque nominibus acclamatis, sanctus Pontifex* Remigius *manum tenens Regis à domo regiâ pergit ad baptisterium, subsequente Reginâ & populo.* In illo textu cuncta sunt obseruatione dignissima.

[e] In vit. S. Remig.

ANTIQ. CÆREMONIÆ BAPTISMI.

XX.

Sacer Euangeliorum codex præfertur, quia baptizandus fidem Euangelicam profitetur.

PRÆFERVNTVR EVANGELIA.

XXI.

Sequitur signum Iesu in crucem acti, quia, vt ait Apostolus [f], *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

[f] Ad Rom. cap. 6.

CRVX.

Hymni & Cantica spiritualia canuntur, ad gratias agendas Deo, & religiosam totius Ecclesiæ lætitiam contestandam, sic apud Sanctum Augustinum [g] dies in quo baptismus confertur, *dies est celsior cunctis, lucidior vniuersis, in quo singulorum mentes gaudio & exultatione Dominus perfudit*, & eo die apud Sanctum Paulinum [h].

[g] Serm. 163. de temp.

XXII.

CANVNTVR HYMNI.

Alleluya nouis balat exile choris.

[h] Ep. 11.

Sanctorum nomina cum Litaniis acclamantur. Hic ritus non adhibebatur tantùm ante baptismum, sed etiam in baptismo & post baptismum. Agebantur litaniæ septenæ ante baptismum, quinæ in baptismo, post baptismum

XXIII.

LITANIÆ.

ternæ, vt legitur in vetere Ordine Romano, vbi agitur de officio diuino in sabbato sancto. Hugo à Sancto Victore [a] triplicem illam litaniarum differentiam sic exponit. *Aguntur septenæ ante baptismum, vt Spiritus Sanctus, cuius est gratia septiformis, veniat in aquam baptismatis. Quinæ aguntur, dum baptizantur Catechumeni, vt Deus dignetur quinque sensus eorum custodire, ne illecebris secularibus capiantur. Ternæ post baptismum, vt fidem sanctæ Trinitatis, quam professi sunt, toto corde, totâ mente, totis viribus custodiant.* Non malè dixeris ante baptismum opem & patrocinium Sanctorum implorari, post baptismum verò significari baptizatos Sanctorum, quorum nomina inuocantur, communioni adscriptos esse.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

[a] De Spec. Miss. obser. c. 25.

Sanctus Pontifex Remigius eundo ad baptisterium tenet manum Regis, eoque ritu partes agit susceptoris, cuius officium fuit baptizandum ad baptisterium ducere. Ostendemus infra Clodoueum ab vno Remigio & baptizatum & de sacro baptismatis fonte susceptum fuisse.

XXIV. OFFICIVM SVSCEPTORIS.

Subsequitur Regina cum populo, vt Clodoueus Rex confiteatur bonam fidem coram multis testibus. In abrenuntiatione Satanæ & in fidei professione, de quibus agemus inferiùs, testes olim requirebantur.

XXV.

Cùm verò peruenissent ad baptisterium, inquit Hincmarus [b], *Clericus qui chrisma deferebat, à populo est interceptus, vt ad fontem venire nequiuerit, sanctificato autem fonte, nutu diuino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram, vlli non patebat egressus Ecclesiæ vel ingressus, sanctus Pontifex oculis ac manibus protensis in cælum, cæpit tacitè orare cum lachrymis. Et ecce subitò columba niue candidior, attulit in rostro ampullulam, chrismate sancto repletam, cuius odore mirifico super omnes odores, quos ante in baptisterio senserant, omnes qui aderant, inæstimabili suauitate repleti sunt. Accipiente autem sancto Pontifice illam ampullulam, species columbæ disparuit. De quo chrismate fudit venerandus Episcopus in fontem sacratum.*

XXVI.

[b] In vit. S. Remig.

INSIGNE MIRACVLVM.

In hoc postremo Hincmari textu præter insigne miraculum, quod ampullulam à columbâ, cuius species postmodum disparuit, allatam testatur, duæ res occurrunt obseruandæ, Sanctificatur fons, chrisma in fontem sanctificatum funditur.

XXVII.

Apud Sanctum Ambrosium [c], *forma baptismatis & vsus hoc habet, vt ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est. Nam vbi primùm ingreditur sacerdos, exorcismum facit; secundò super creaturam aquæ inuocationem; postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.* Sanctus Gregorius Magnus in libro [d] Sacramentorum, sanctificationem fontis & infusionem chrismatis copiosè describit, *expletis lectionibus, statim vnus ministrorum tenens ampullas in manibus suis stat in dextro cornu altaris. Tum deinde schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, expectantes parati Pontificem, secundus verò schola tenet vas aureum in manu suâ sinistrâ super platenam, vnde Pontifex mittat chrisma in fontem, & inde faciunt letaniam septenam, & cùm iam prope finem eius fuerint, tunc procedit Pontifex cum omni decore sustentatus à duobus Diaconibus. Et illa duo cereostata, quæ antea fuerant illuminata, semper ante ipsum procedunt vsquedum omnia finierit. Qui mox vt venerit ad fontes, stans benedicit fontes, dicens*, &c. Et post multa. *Inde accipiens vas aureum cum chrismate fundit chrisma in fonte, in modum crucis, & expandit aquam cum manu suâ, dicens, formidetur & sanctificetur fons iste renascentibus ex eo in vitam æternam. Tunc baptizantur.* &c. Vtrumque ritum paucissimis verbis habes descriptum in Ecclesiastica Hierarchiâ [e]. *Ipse*, nempe Pontifex, *ad matrem adoptionis* (baptisterium) *venit, eiusque sacrâ appellatione, inuocationeque sanctificatis aquis, cùm eas trinâ vnguenti perfusione crucis specie perfecit, parique numero sacrosanctarum vnguenti aspersionum, sanctum canticum à Spiritu sancto, qui est Prophetarum diuino numine permotorum afflatus, inspiratum recitauit, virum ad se portari iubet.*

XXVIII.

[c] Lib. de Sacram. cap. 5.

[d] In sabb. 5.

[e] Cap. 2.

Quod attinet ad ampullulam allatam à columba, auctorem, qui miraculum illud asserat, non habemus antiquiorem Hincmaro. Aimoinus [f] qui scripsit anno Christi circiter millesimo, columbam interpretatus est Spiritum san-

XXIX.

[f] Lib. 1. c. 16.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

ctum his verbis, *Cùm fortè qui chrisma gerebat, intercluſus à populo deeſſet, ecce ſubitò non alius ſine dubio, quàm ſanctus apparuit Spiritus, in columbæ viſibili figuratus ſpecie, qui rutilanti roſtro ſanctum deferens chriſma, inter manus depoſuit Sacerdotis, undas fontis ſanctificantis. Fit gaudium & exultatio, baptizantur multi de populo* &c. Flodoardus antiquior Aimoino, ſenſum Hincmari ſtylo concinniore ſic reddidit [a]. *Vbi verò ad præparatum baptiſterij peruentum eſt locum, Clericus chriſma ferens à populo interceptus ad fontem pertingere penitùs eſt impeditus. Sanctificato denique fonte, nutu diuino chriſma defuit. Sanctus autem Pontifex, oculis ad cælum porrectis, tacitè tradituꝝ oraſſe cum lachrymis. Et ecce ſubitò columba, ceu nix, aduolat candida, roſtro deferens ampullam cæleſtis doni chriſmate repletam. Cuius odoris mirabilis reſperſi nectare, inæſtimabili quo aderant ſuper omnia, quibus anteà delectati fuerant, replentur ſuauitate. Acceptâ itaque S. Præſul ampullâ, poſtquàm chriſmate fontem conſperſit, ſpecies mox columbæ diſparuit.* Flodoardus & Aimoinus Hincmarum ducem ſecuti ſunt, cui ſi non habes fidem, antiquiori argumento non potes vrgeri. Ridiculum enim eſt fingere viſum in Germaniâ fuiſſe à Centuriatoribus Magdeburgenſibus Gregorij Turonenſis codicem, in quo cæleſtis ampullæ mentio habebatur, & eundem textum à Germanis poſteà expunctum, quia deſiderabatur in exemplaribus editis in Galliâ, vbi Gregorius vitam degerat. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, cùm Diœceſim, quam Sanctus Remigius quondam rexerat, adminiſtraret, ſingulari ſtudio ac pietate motus, vitam illius conſcripſit, in quâ multa quæ de hiſtoriis Majorum adſumpſerat, multa quæ in antiquis ſchedulis repererat, ita vt inuenta ſunt poſuit, ideóque ipſius ſtyli diuerſitatem vltrò accuſauit. In hoc opere ſolas Sancti Remigij laudes ob oculos ſibi propoſuit, nec ſuæ, quod maximè conſiderandum eſt, aut Eccleſiæ Remenſis vtilitati priuatim conſuluit illo miraculo, quod vt legit ac fide dignum cenſuit, in literas retulit, cúmque ſibi iam perſuaſum haberet non defuturos, qui tanti prodigij veritatem negarent, aduerſus eiuſmodi genus hominum ſubiecit hoc pronunciatum. *De miraculo quod Dominus dignatus eſt oſtendere per columbæ ſpeciem in allatione chriſmatis, ſicut & de aliis, rata eſt Catholicorum Patrum ſequenda ſententia, quâ dicitur, diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Totum miraculum in eo poſitum eſt, vt ampullula chriſmate ſancto repleta in roſtro à columba dicatur ad Remigium delata. Quâ de re ſic nuper in hiſtoriâ Francicâ [b] Ioannes *de Bußieres* è Societate Ieſu. *Quæ oleum ampullâ inclusum ad inungendum Regem deferebat, cùm præ turbâ ſpectantium ad Remigium non poſſet accedere, vicariam columbam nactus eſt, quæ haud dubiè promiſſa celitùs dereptam à Sacerdotis manu phialam fulgenti roſtro ad Antiſtitem detulit.* In vitis Sanctorum pleraque reperiuntur multò magis miranda. De ceteris verò rebus quas nonnulli noſtrâ ætate curioſo examini ſubiecerunt, ne verbum quidem apud Hincmarum, imò nec apud Flodardum & Aimoinum, à quibus tamen omnem Neotericorum auctoritatem proficiſci neceſſe eſt.

[a] Lib. 1. c. 13.

[b] Lib. 1. n. 12.

XXX.

Apud Gregorium Turonenſem [c] Clodoueus *procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum deleturus lepræ veteris morbum, ſordentéſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus.* In geſtis [d] Regum Francorum *venit nouus Conſtantinus ad baptiſmum.* Illi Scriptores Conſtantinum & Clodoueum ſimul in eo conferre voluerunt, quòd quemadmodum Conſtantinus inter Imperatores Romanorum, ita Clodoueus inter Francorum Reges primus baptiſmum ſuſcepit. Quòd autem apud Hincmarum *in Remigio alter repræſentari videtur Sylueſter*, collationem illam Syluestri Papæ cum Remigio Epiſcopo Remenſi, non approbant omnes; multi enim Conſtantinum Auguſtinum à Syluestro Romano Pontifice baptizatum negant, Euſebij [e], Hieronymi [f], Socratis [g], Theodoreti, & Sozomeni authoritatibus freti. Extra noſtrum inſtitutum eſt hæc quæſtio, quam R. P. Ioannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter, in vtramque partem quamvalidiſſimis argumentis agitauit

[c] Lib. 2. c. 31.

[d] Cap. 15.

[e] In vit. Conſtantin l. 4. cap 62.

[f] In Chron.

[g] Lib. 1. c. 26.

in eruditissimis obseruationibus ad vitam Constantini Magni ab Eusebio Cæsariensi conscriptam.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

In gestis [a] Regum Francorum Clodoueus *venit ad baptismum, abnegatis Diabolo pompisque eius.*

XXXI.

Ritus renunciandi Diabolo & pompis eius ante baptismum, est antiquissimus. Missis enim interpretibus, qui sanctum Paulum in suis epistolis [b] ad eiusmodi morem sæpiùs allusisse contendunt, Tertullianus [c] renunciationem illam ab antiqua traditione acceptam testatur, *vt à baptismate ingrediar*, inquit, *aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare Diabolo & pompæ & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid responsuri quàm Dominus in Euangelio determinauit*, &c. *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

XXXII.

[a] Cap. 16.
[b] 1 ad Tim. cap. 6. ad Coloss. cap. 2.
[c] De cor. mil. cap. 3.

RITVS RENVNCIANDI DIABOLO.

Antiqui renunciationem explicant variis terminis, vnam tamen eandemque sententiam planè significantibus. Apud authorem [d] Constitutionum Apostolicarum baptizandus abrenunciat *& Satanæ & operibus eius, pompis, cultui, angelis, & machinationibus eius, & omnibus quæ sub ipso sunt.* Apud Tertullianum [e] renuntiat *diabolo & pompæ & angelis eius.* Apud Origenem [f] denunciat Diabolo *non se vsurum pompis eius, & voluptatibus pariturum.* Apud Sanctum Ephrem abrenuntiat *Satanæ & cunctis operibus eius.* Apud Sanctum Ambrosium [g] abrenuntiat *diabolo & operibus eius, sæculo & voluptatibus eius.* Apud Sanctum Ioannem Chrysostomum [h] abrenuntiat *tibi Satana & pompæ tuæ & cultui tuo.* Apud Sanctum Hieronymum [i] renuntiat *tibi diabole & pompæ tuæ & vitiis tuis & mundo tuo qui in maligno positus est.* Apud Saluianum [k] abrenunciat *diabolo, pompis, spectaculis & operibus eius.* Apud Sanctum Gregorium [l] Magnum abrenuntiat *Satanæ, & omnibus operibus eius & omnibus pompis eius.*

XXXIII.

[d] Lib. 7. c. 41.
[e] De cor. mil. cap. 3.
[f] Ad ep. Paul. ad Rom.
[g] Lib. 1. de Sacram. cap. 2.
[h] Homil. 16. ad pop. Antioch.
[i] Ad cap. 5. Matth.
[k] Lib. 6. de prouid
[l] In sacram.

Eiusmodi abrenunciationem Sanctus Ephrem grauissimis verbis ita commendat, *abrenunciatio quam in baptismo facimus, nominata quidem apparet parua, ceterùm intellecta, admodum magna, quam qui seruare voluerit, beatissimus erit, paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere iubemus, & abrenunciamus, cuiusmodi sunt non vnum duntaxat, non duo, nec decem, sed quodcumque appellatur malum, putà, abrenuncio Satanæ & cunctis operibus eius.* Tamen, vt qui baptismum susceperi erant, tres hypostases diuinas, quibus in filios adoptabantur, ob oculos sibi proponerent, abrenunciatio tota consistebat in tribus responsionibus ad totidem interrogationes, de quibus ita Sanctus Gregorius Magnus in Ordine baptisterij. *Tunc dices ei. Abrenuncias Satanæ? R. Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? R. Abrenuncio. Et omnibus pompis eius? Abrenuncio.* Interrogationes fiebant vel à ministro baptismi, vt supra citatus Ordo baptisterij docet apud Sanctum Gregorium Magnum, vel ab Exorcistâ, sic enim Ioannes Belethus [m] scribit, *Exorcista debet priùs baptizandos interrogare, num etiam abrenuncient Satanæ & omnibus eius pompis.* Responsionem baptizandi, vel si propter teneram ætatem non poterant, eorum loco sponsores reddebant. In aliis plerisque baptismi cæremoniis ternarius numerus adhibebatur, vt de tribus mersionibus constat apud Tertullianum iam allatum, & de tribus exsufflationibus Satanæ in libro de Ecclesiasticâ [n] Hierarchiâ, vbi hæc leguntur, *tum eum iubet tertiò Satanam, vt ita dicam, exsufflare, & præterea quæ defectionis & abrenunciationis sunt profiteri*, ita vt tribus exsufflationibus tres abrenunciationes coniunctæ videantur.

XXXIV.

[m] De diu. off. c. 90.
[n] c. 2.

Cæremonias quæ pertinent ad sacram illam renuntiationem, paucis referemus ex antiquis scriptoribus.

XXXV.

Baptisterium locus erat, vbi renuntiatio fiebat. *Venimus ad fontem*, inquit Sanctus Ambrosius [o], *ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi leuita, occurrit presbyter, vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina.*

XXXVI.

[o] Lib. 1. de sacram. cap. 2.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. XXXVII.

Quando te interrogauit, Abrenuntias diabolo & operibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus eius, quid respondisti? Abrenuntio.

Renuntiantes erant nudi & ad Solem occidentem inuersi, vt Sanctus Gregorius [a] Nazianzenus docet his verbis. *Cognosces porrò ex hoc habitu ac rerum specie, & ex verbis, quòd Satanæ renuncias, & Christo coniungeris, non enim oratione duntaxat, sed etiam habitu ipso, hoc est vestibus nudatus, corporeque ad occasum inuersus ac manus erectas habens, Satanam abiurabis.* Elias Cretensis cùm hunc Gregorij locum explicaret, non modò eiusdem nuditatis meminit, sed eam quoque à Sancto Dionysio traditam esse scripsit, & quid significaret sic insuper exposuit. *In diuino nostro ortu, quemadmodum sacerrimus Dionysius inquit ad Sacerdotem quidem is adducitur qui spirituali regenerationi donandus est, ipse autem & pedes eius, adhibitâ ministrorum eorum, qui ad hoc constituti sunt, operâ, calceis nudat, & corpus vniuersum detegit. Per hæc quòd ille excalceatur ac denudatur, prioris vitæ affectionibus vitiosis addictæ denudatio, atque ad extremos etiam vsque ipsius habitus abiectio significatur.* Verba quæ leguntur eâ de nuditate in libro [b] de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, hæc sunt. *Sacerdotibus imperat vt viri atque sponsoris nomina perscribant, ijs scriptis preces perficit, quas vbi vniuersa Ecclesia cum eo compleuit, discalceat eum expoliatque per Diaconos.* Cur autem qui diabolo renunciabant, ad occasum Solis conuerterentur, hanc rationem reddit Sanctus Cyrillus [c] Hierosolymitanus. *Cùm Solis occasus apparentium tenebrarum sit locus, diabolus autem cùm sit tenebræ, robur in illis suum habeat, idcirco symbolicè occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum principi renuntiatis.*

CÆREMON. IN ABRENVNTIAT.

[a] Orat. 40.

[b] Cap. 2.

[c] Catech. 1. myst.

XXXVIII. Prætereà renunciantes stabant recto corpore, sic enim loquitur sanctus Cyrillus [d] Hierosolymitanus. *Primùm ingressis estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, vt protensâ manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.* Rationem si postulas, recto stabant corpore, vt ad bellum suscipiendum contra dæmonem, promptos ac paratos se demonstrarent.

[d] Catech. 1. myst.

XXXIX. Renunciantium varij fuerunt gestus. Protendebant manus, vt quasi præsenti Satanæ inimicitiam indicerent, id docent hæc verba sancti Cyrilli Hierosolymitani proximè citata, *mandari vobis audistis, vt protensâ manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.* Posteà easdem manus in cælum erigebant, iuxta effatum Gregorij Nazianzeni iam allegatum, *manus erectas habens Satanam abiurabis*, idque faciebant, vt actionum suarum curriculum intelligerent in cælum esse dirigendum. Et quoniam baptismi cæremoniæ spirituale certamen in multis referunt, easdem etiam manus complicabant, iuxta illud Concilij Constantinopolitani Quinti [e], *stant figuram certaminis explicantes, deorsum innuentes, & manus complicantes.* Sequebatur aduersarum manuum inuicem collisio, quæ ad deridendum dæmonem eiúsque consuetudinem respuendam fieri solebat, vt videre est in libro [f] de Ecclesiastica Hierarchia, *manuum depulsione* (meliùs collisione, cùm Græcè ἀπώσει legatur) *obscuri vitij commercium consuetudinémque respuentem.*

[e] Act. 1.

[f] C. de bapt.

XL. Manus imponebatur capiti renuntiantis, vt ex verbis Tertulliani iam allatis constat, *sub Antistitis manu contestamur vos renunciare Diabolo & pompæ & Angelis eius.*

XLI. Qui locum illum Apostoli ad Timotheum [g], *confessus bonam confessionem coram multis testibus*, interpretantur de confessione in baptismo facta, renunciando sæculo & pompis eius, inde colligunt veterem in Ecclesia consuetudinem fuisse, vt abrenunciatio coram multis testibus fieret, ne vllo vnquam tempore in dubium vocari posset. Non defuerunt testes, cùm Clodoueus renunciauit Diabolo & operibus & pompis eius, Hincmaro enim teste, Regem ad baptisterium euntem, frequens populus subsequebatur.

[g] Ep. 1. c. 6.

XLII. Absolutâ renuntiatione fiebat fidei professio, cuius ita meminit Gregorius Turonensis [h] in baptismo Clodouei. *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus est.*

[h] L. 2 c. 31.

De

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. XLIII.

De antiquitate fidei in baptismo profitendæ, magnificentissimum habemus testimonium in Actibus Apostolorum [a], vbi Eunuchus eruditus à Philippo Diacono, interrogatúsque Iesum Christum Dei filium confitetur. *Aperiens Philippus os suum euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait, credo Filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum, & descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* In Actibus sanctorum Martyrum Processi & Martiniani, quos Princeps Apostolorum baptizauit, Processus & Martinianus baptismum petunt ab Apostolo, monet eos Apostolus, vt credant in Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & in Spiritum sanctum, hanc fidei doctrinam sequitur abiectio Processi & Martiniani ad pedes Apostoli, quæ assensionis est ac professionis indicium, tum denique baptizat eos Apostolus. Apud Surium [b] ex perantiquis codicibus habetur illa historia his verbis concepta. *Processus & Martinianus cùm viderent mirabilia quæ faciebat per beatos Apostolos suos Dominus Iesus Christus, admirantes dixerunt eis. Viri venerabiles non potestis ambigere vestri iam oblitum esse Neronem, quandoquidem nonus iam mensis agitur, quòd estis in custodia. Rogamus itaque vos, vt eatis quocumque voletis, tantum in eius nomine, per quem facitis res admirandas, baptizetis nos. Dixerunt eis beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, Si credere velitis toto corde & animo in nomen Trinitatis, vos ipsi quoque facere poteritis quæ nos facere cognouistis. Hoc vbi audierunt qui in custodia erant, omnes vnanimiter clamabant: Donate nobis aquam, quia siti periclitamur. Eádem horâ beatissimus Petrus Apostolus in ipsâ custodia Mamertini dixit ad omnes. Credite in Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum, & in Spiritum sanctum, & omnia ministrabuntur vobis. Tum omnes abiecerunt se ad pedes Apostolorum, rogantes vt baptismum ab eis perciperent. At verò beatissimi Apostoli orauerunt Deum, orationéque expletâ, beatus Petrus in monte Tarpeio signum crucis expressit in eadem custodiâ, atque eâdem horâ emanarunt aquæ è monte, baptizatique sunt beati Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo. Hoc vt viderunt cuncti, qui erant in custodia, prostrauerunt se ad pedes beati Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexus & diuersæ ætatis numero quadraginta septem.*

[a] Cap. 8. FIDEI PROFESSIO.

[b] D. 2. Iul.

XLIV.

Quamuis fidei professio quam Eunuchus Reginæ Æthiopum, Processus & Martinianus Martyres, ac Clodoueus Rex, in actibus Apostolorum, apud Surium, & in historia Gregorij Turonensis edunt, nihil exprimat præter mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationem Verbi, tamen Clodouei Regis temporibus mos vsitabatur in Ecclesia pridem receptus, vt qui baptismum susceperturus erat, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam confiteretur. In actis [c] sancti Callisti Papæ, qui sub Alexandro Imperatore martyrium subiit, hæ leguntur interrogationes Callisti Romani Pontificis ad Palmatium cum responsionibus Palmatij. *Palmatius intrans domum, vbi congregata erat Christianorum multitudo, procubuit ad pedes sancti Callisti dicens, Profitcor Dominum Iesum Christum verum esse Deum, quem dæmones confessi sunt hodie. Per ipsum te conjuro ac deprecor, vt liberes me à cultura dæmonum, & baptizes in nomine Dei quem prædicas. Respondit ei Callistus Episcopus. Noli errando deridere veritatem. At ille cum lachrymis dixit: Non derideo, domine mi, quia verè cognoui ex cæcitate mihi & responsis Iulianæ virginis templi dæmonio obsessæ, quòd Dominus Iesus Christus verus sit Deus. Respondit Calepodius Presbyter, & ait Episcopo. Noli, beatissime Pater, petenti baptismum denegare. Tunc indixit ei Callistus ieiunium vnius diei, ac catechizauit eum, allatámque aquam in puteo eiusdem domus benedixit, repositóque in peluim Palmatio, dixit. Credis ex toto corde in Deum Patrem omnipotentem, factorem omnium visibilium & inuisibilium? Respondit Palmatius. Credo. Deinde Episcopus. Et in Iesum Christum filium eius? Et ait. Credo.*

[c] Ap Sur. d. 4. Octob.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Iterùm ait Episcopus. Qui natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Palmatius respondit. Credo. Ait Episcopus. Et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem. Et exclamauit cum lachrymis Palmatius, dicens. Credo Domine. Qui baptizatus, Verè, inquit, vidi Dominum Iesum Christum verum lumen à quo illuminatus sum. Apud sanctum Hieronymum [a] solemne est *in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare, credis in sanctam Ecclesiam, credis in remissionem peccatorum?* Apud sanctum Cyprianum [b] hæc *interrogatio fit in baptismo. Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam?* Denique apud S. Ioannem Chrysostomum [c], *hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, iubentes dicere, credo in resurrectionem mortuorum, & in hac fide baptizamur, postquam enim hoc confessi sumus cum aliis, tunc demittimur in fontem illorum fluentorum.*

[a] Contra Luciferi.

[b] Epist. ad Ianuar.

[c] Ad c. 15. ep. 1. ad Corint.

XLV. Quemadmodum autem abrenunciatio tota consistebat in tribus responsionibus ad totidem interrogationes, ita omnis professio fidei tribus includebatur responsionibus ad totidem interrogationes factis, vel à baptizando, vel si non poterat, ab eius sponsore. Vtraque nobis exhibet Sanctus Gregorius Magnus in libro sacramentorum, vbi de baptismo in Sabbato sancto sic agit. *Interrogat Sacerdos. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? Resp. Credo. Interrogat. Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum natum & passum? Resp. Credo. Interrogat. Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, carnis resurrectionem, vitam æternam? Resp. Credo.* Ternarij numeri, qui reperitur in illis interrogationibus ac responsionibus, has rationes suppeditat Sanctus Ambrosius libro secundo [d] de Spiritu sancto. *Tertiò repetita figura mysterij operationem Trinitatis expressit, & ideo in mysteriis interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur, nec potest quis nisi trinâ confessione purgari. Vnde & ipse Petrus in Euangelio tertiò interrogatur, virùm diligat Dominum, vt trinâ responsione vincula, quibus Dominum negando, se ligauit, absolueret.* Clariùs ac copiosiùs libro secundo [e] de sacramentis. *Interrogatus es. Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti. Credo, & mersisti, hoc est sepultus es. Iterum interrogatus es. Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti. Credo, & mersisti, idcò & Christo es sepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es. Credis & in Spiritum Sanctum? Dixisti. Credo, tertiò mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio. Denique vt vobis afferamus exemplum, Sanctus Apostolus Petrus posteâquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, quia ter negauerat, posteà vt ipsum lapsum aboleret & solueret, tertiò interrogatus à Christo, si Christum amaret, tunc ille dicit. Tu nosti Domine quia amo te. Tertiò dixit, vt tertiò absolueretur. Sicut ergo peccatum dimittit Pater, sic dimittit filius, sic dimittit & Spiritus sanctus.* Et Sanctus Cyrillus [f] Alexandrinus cùm hanc triplicem Christi interrogationem, & Petri responsum retulisset. *Hinc*, ait, *Ecclesia regulam tertiò interrogandi eos accepit qui ad baptismum accedunt, vt terna Christi confessione fidelibus adnumerentur.*

[d] Cap. 11.

[e] Cap. 7.

[f] Lib. 12. in Ioan. c. 64.

XLVI. Qui fidei professionem emittebant, spectabant ad orientem Solem, cùm priùs in abiuratione Satanæ stetissent ad occidentem. Vtrumque ritum docet Sanctus Gregorius [g] Nazianzenus his verbis, *ad occasum inuersus Satanam abiurabis, rursusque ad ortum te te conuertens Deum confiteberis.* Vtriusque rationem reddit Sanctus Hieronymus [h]. *In mysteriis*, inquit, *primùm renunciamus ei qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis, & sic versi ad orientem, pactum inimus cum Sole iustitiæ, & ei nos seruituros esse promittimus.* Addi potest ex diuersâ illâ corporis constitutione fideles admonitos, vt omnem suam curam & cogitationem in Deo defigerent, vitiáque & peccata, quorum est summa fœditas & turpitudo, perpetuò auersarentur. *Nudum eum*, vt legitur in libro [i] de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, *nudisque pedibus collocat occasum aspicientem, manuumque collisione, ἀτίμου, obscuri vitij commercium consuetudinemque respuentem, & sibi insitum dissimilitudinis statum quasi exsufflantem, professionemque nuncium.*

[g] Orat. 40.

[h] Ad cap. 6. Amos.

[i] Cap. 2.

remittere ei, quod Dei ſimilitudini eſt contrarium, ſic exutum priuatumque omni communione ac ſocietate ad orientem Solem conuertit, indicans in diuino lumine conſtantiam & puram aſpectus eleuationem, per omnimodam vitiorum declinationem futuram. Sanctus Cyrillus [a] Hieroſolymitanus fidei profeſſionem edituros ait ad Solis orientis regionem ſpectaſſe, vt feliciſſimam orbis ſedem, quam Deus in oriente conſtituit, ex quâ primus parens & princeps humani generis propter capitale crimen expulſus fuit, poſt baptiſmi ſacramentum ſibi patere intelligerent. *Cùm itaque Satanæ renunciaueris, & omne cum illo pactum reſciderit, aperitur tibi paradiſus Dei, quem ipſe ad orientem plantauit, vnde propter mandati violationem primus parens noſter pulſus eſt in exilium, & huius rei ſymbolum eſt, cùm ab occaſu conuerteris ad ortum qui lucis eſt locus.*

ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

[a] Catech. 1. myſt.

XLVII.

Qui fidem profitebatur, defixis in cælum oculis, manus in altum erigebat, ſic enim author [b] de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, *ipſum ad orientem transfert, intuentemque in cælum, & manus tendentem iubet Chriſto aſſentiri.* Ritus ille magnis itineribus ad cœlos properandum indicabat.

[b] cap de bapt.

XLVIII.

Ad illum locum Apoſtoli [c], *confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus*, Primaſius addit *in baptiſmo*, eáque interpretatione docet inſtar abrenunciationis Satanæ, profeſſionem fidei ſolitam edi publicè, coram teſtibus. Iuramentum additum videtur. *Venturi ad baptiſmum*, inquit Sanctus Hilarius [d], *priùs confitentur credere ſe in Dei filio & in paſſione ac reſurrectione eius, & hanc profeſſioni ſacramento fides redditur.*

[c] Epiſt. 1. ad Timoth. c. 6.

[d] Can. 15. in Matth.

XLIX.

Renunciantium Satanæ & profitentium fidem par ratio fuit, quoad nuditatem corporis, quia baptizandi, poſtquam veſtibus exuti fuerant, vngebantur inter ſcapulas & in pectore, abrenunciabant Satanæ, profitebantur fidem, tum baptizabantur, & vngebantur in vertice, poſtea veſtibus inducebantur, vt veſtiti confirmarentur. Is ordo cæremoniarum ſibi inuicem ſuccedentium ita probatur. In Ordine baptiſterij Sanctus Gregorius Magnus hæc habet. *Poſteà verò de oleo ſancto facies crucem inter ſcapulas dicendo, fuge immunde ſpiritus, da honorem Deo viuo & vero. Similiter in pectore crucem faciens dic. Exi immunde ſpiritus, da locum Spiritui ſancto. Tunc dices ei. Abrenuncias Satanæ? R. Abrenuncio. Et omnibus operibus eius? R. Abrenuncio. Et omnibus pompis eius? R. Abrenuntio.* Abrenuntiationem Satanæ proximè ſequebatur fidei profeſſio, vt conſtat ex libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, & ex ſanctis Gregorio Nazianzeno, Hieronymo & Cyrillo Hieroſolymitano ſuprà citatis, cùm baptizandos diceremus poſt abrenunciationem Satanæ ab occaſu verſus ortum ad edendam fidei profeſſionem verti ſolitos. In libro autem Sacramentorum, ſanctus Gregorius Magnus profeſſionem fidei & cæteras baptiſmi cæremonias, de quibus ſermonem hîc inſtituimus, ſic deſcribit. *Item interrogat Sacerdos. Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ? Reſp. Credo. Interrogat. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum natum & paſſum? Reſp. Credo. Interrogat. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam? Reſp. Credo. Interrogat. Vis baptizari? Reſp. Volo. Et dicit. Et ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Vt autem ſurrexerit à fonte ille, qui eum ſuſcipit, offerat eum vni Presbytero, qui faciat ſignum crucis de chriſmate cum pollice in vertice eius, dicens. Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chriſmate ſalutis in vitam æternam. Reſp. Amen. Et baptizantur, & ſunt parati, qui eos ſuſcepturi ſunt, cum linteis in manibus, & accipiunt ipſos à Presbyteris qui eos baptizant. Pontifex verò redit in ſacrarium expectans, vt cùm veſtiti fuerint, confirmet eos.* Habes diſtinctè ad ipſam vſque vnctionem quæ in vertice fiebat, nudos perſtitiſſe eos, quos etiam nudos ante baptiſmum renunciaſſe Diabolo ſuprà probauimus, ſed & eos priuſquàm renunciarent Satanæ, cùm vngebantur, nudos quoque fuiſſe docet ſanctus Cyrillus [e] Hieroſolymitanus, & liber [f] de Eccleſiaſtica Hierarchia. Sed in

[e] Catech. 1. myſt.

[f] Cap. 2.

ANNVS Christi, 496. CLODOVEI R. 15.

hoc Romana Ecclesia differebat à Græcorum consuetudine, quòd hi oleo in volam manus infuso, Catechumenos à summo vertice ad imos pedes vngebant, nam Autor Ecclesiasticæ Hierarchiæ, *Virum*, ait, *perfunaendum toto corpore*, & apud sanctum Cyrillum hæc habentur, *Deinde verò tam exuti, exercizato oleo à summis capillis ad infimos vsque pedes peruncti estu*. Latini verò tangebant eis *pectus & interscapilium de oleo sancto, crucem faciendo cum pollice*, vt ex sancto Gregorio Magno iam citato, & ex vetere ordine [a] Romano patet. De vnctione pectoris ita loquitur sanctus Cyrillus [b] Hierosolymitanus. *Tunc verò & pectus inungitur, vt induti thoracem iustitiæ, fortiter aduersus insultus Diaboli consistatis*. Iuo [c] Episcopus Carnotensis vnctionem inter scapulas sic explicat. *Vngitur & inter scapulas, vbi est vigor portandi oneris, vt fortitudinem accipiat, ad portandum pondus diei & æstus, sicut bonus athleta*. De illius autem vnctionis Ministro animaduertendum est, quamuis ab Episcopo inchoaretur, tamen à Sacerdotibus aut Diaconis perfectam fuisse, hæc enim in Ecclesiastica [d] Hierarchia traduntur de Episcopo. *Ipse cùm inungendi ac perfundendi ter exprimendo signum crucis principium fecit, virúmque deinceps perfundendum toto corpore Sacerdotibus tradidit, ad matrem adoptionis venit*. Quo loco Contemplator inquit, *diuinus quidem Pontifex sacrosanctam vnctionem orditur, Sacerdotes autem sub eo sacrum perfundendi munus exequuntur*. Et Auctor [e] Constitutionum Apostolicarum, cùm Diaconorum partes & munera recenset, vngendi officium ipsis sic attribuit, *cum illuminantur mulieres, Diaconus vngit oleo sancto, deinde Diaconissa ipsas abstergit*. Diaconissarum quoque munus fuit feminas vestibus exuere, quod officium viris præstabant Diaconi, postquàm initium fecerat Episcopus, discingebat enim Catechumenum Antistes, & ministrorum seu Diaconorum manibus exuebat, vt legere est in libro de Ecclesiastica Hierarchia, & apud Eliam Cretensem, vtrumque suprà citauimus, cùm ageremus de nuditate corporis in abrenunciatione Satanæ. Porrò sanctus [f] Ambrosius vnctionem pectoris & inter scapulas abrenunciationi Satanæ antecessisse testatur hoc sermonis contextu. *Venimus ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Leuita, occurrit Presbyter, vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur habet quod speret; vbi certamen, ibi corona. Luctaris in sæculo, sed coronaris à Christo, & pro certaminibus sæculi coronaris. Nam etsi in cælo præmium, hîc tamen meritum præmij colligitur. Quando te interrogauit, Abrenuntias Diabolo & voluptatibus eius? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ seriei cautionis*.

a Tit. de Sabbat. S.
b Catech. 3. myst.
c Serm. de sacr. Neoph.
d Cap. 2.
e Lib. 3. c. 15.
f Lib. 1. de sacram. c. 2.

L. Rex Clodoueus *omnipotentem Deum in Trinitate confessus*, vt explicuimus suprà, *baptizatus est in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, ait Gregorius [g] Turonensis. Hincmarus [h] meminit præterea trinæ mersionis, *post confessionem*, inquit, *orthodoxæ fidei ad interrogationem sancti Pontificis secundùm Ecclesiasticum morem, baptizatus est trinâ mersione in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti*.

g Lib. 2. c. 31.
h In vita S. Remig.

LI. Christus discipulos suos apud Matthæum [i] his verbis alloquitur, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*. Quapropter in baptismi formâ, Patres inuocationem Trinitatis semper considerarunt. Quòd verò Lucas [k] ait conuersos ad fidem iussos à Petro baptizari in nomine Christi, *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum*, id non sic accipiendum est, vt nomen Patris & nomen Spiritus Sancti non æquè ac nomen Filij, qui baptizarent, expresserint. Nam Sanctus Iustinus, qui secundo seculo floruit, Apostolo Ioanni penè suppar, ita loquitur in oratione ad Antoninum Pium Augustum. *Ex Apostolicâ institutione in baptismate Parentis omnium & Domini Dei nomen nominatur*, & paulò pòst, *In nomine etiam Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritus sancti, qui per sacros Prophetas pronunciauit*

i Cap. 24.
k Act. cap. 2.

BAPTISMVS IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS S.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

res Christi omnes, abluitur is qui illuminatur. Et Sanctus Cyprianus [a], qui sequenti seculo martyrium subiit, verba Sancti Petri sic exponit. *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi pater omitteretur, sed vt patri quoque filius adiungeretur. Denique vbi post resurrectionem à Domino Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizari gentiles iubentur. Quomodò ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modò in nomine Iesu Christi vbicumque & quomodocumque gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse gentes baptizari iubeat in plenâ & adunatâ Trinitate.* Audiendus & Sanctus Fulgentius [b] quia Clodoueo Regi æqualis vixit. *Omnis qui in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi morte ac nomine baptizatur, in cuius vno cum Patris & Spiritus sancti constat nomine baptizatus. Quod duorum magnorum luminarium, Petri scilicet Paulique verbis, tanquam splendentibus radiis illustrata, eorúmque decorata corporibus Romana (quæ mundi cacumen est) tenet & docet Ecclesia, totusque cum eâ Christianus Orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri. Nam Beati Petri Iudeis Filium Dei prædicantis hæc verba sunt.* [*Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.*] *Beatus quoque Paulus, vt in morte nos Christi baptizatos firmissimè crederemus, in eâ quam Romanis scribit epistolâ, hoc salutis nostræ mysterium, tanquam in eminentissimâ cunctis videndum speculâ collocauit, dicens,* [*Quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.*]

[a] Ep. ad Iubaian.

[b] De incarn. & grat. c. 11.

LII. TRES MERSIONES.

Si sancto Ioanni Chrysostomo credimus in homiliâ de fide in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, *Dominus in tribus mersionibus aquæ vnum baptisma discipulis suis tradidit, dicens. Euntes docete*, &c. Certè negari non potest, quin ab Apostolorum traditione fluxerit, vt qui ad fidei sacramentum accederent, ter in aquam mergerentur. Nam Tertullianus [c] qui secundo seculo vixit, vt sanctos Basilium [d] & Hieronymum [e] ipso Tertulliano recentiores omittamus, inter varias baptismi cæremonias, quarum auctricem traditionem, consuetudinem confirmatricem, & fidem obseruatricem ait, hanc habet, *ter mergitamur.* Extat Canon Apostolicus, quòd non debeat vna mersio in baptismate, quasi in morte Domini prouenire. *Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam mersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus. In morte mea baptizate, sed* [*euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*] Ad quem locum Zonaras hæc habet. *Hic Canon tria baptismata, tres immersiones intelligit, in vno mysterio, scilicet in vno baptismate, sic vt ad vnamquamque immersionem baptizans addat vnum sanctæ Trinitatis nomen. Nam semel eum qui baptizatur in sacrum lauacrum demergere, & in mortem Domini duntaxat vnam celebrare immersionem, scelestum ac nefarium est.* Et Theodorus Balsamon in eundem locum. *Statuit hic Canon per tres immersiones peragi oportere mysterium sacri baptismatis, scilicet in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: semel autem baptizare propter vnitatem Deitatis & Trinitatem personarum. Eum quidem certè, qui per vnam immersionem in mortem Domini baptizat, Canon dicit deponendum, vt qui præter Domini doctrinam faciat & apertè impius sit.* Concilium Constantinopolitanum primum, quod anno Christi trecentesimo octogesimo primo celebratum fuit, damnat *Eunomianos qui in vnam demersionem baptizantur.* Tamen cùm Ariani postea in Hispaniâ, quò tres naturas diuinas in tribus personis esse demonstrarent, trinâ mersione vterentur, visum est Gregorio Magno, vt vna mersio in Hispaniâ fieret, ne sequentes ritum Arianorum, sequi & doctrinam viderentur. Extant eâ de re illius [f] literæ ad Leandrum Episcopum Hispalensem *, sed cùm scriptæ fuerint longè post Clodouei Regis tempora, nec prius ab antiquâ traditione discessum legatur, haud dubitandum, quin Clodoueus iuxta narrationem Hincmari baptizatus sit trinâ mersione, quam vetus Ordo Romanus in Sabbato sancto ita describit. *Acceptis infanti-*

[c] De cor. mil. cap. 1.

[d] De Spir. S. cap. 27.

[e] Contr. Lucif.

[f] Lib. 1. ep. 41.

* De Seville.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

bus à parentibus vel patrinis eorum, baptizant eos sub trinâ mersione, tantùm sanctam Trinitatem semel inuocantes, ita dicendo. Et ego baptizo te in nomine Patris. Et mergit semel: & filij, & mergit iterum. Et Spiritus sancti. Et mergit tertiò. Non alio modo trinam mersionem explicuerat pridem Tertullianus [a] his verbis. *Post resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris, & nouissimè mandans vt tinguerent in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non in vnum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in singulas personas tinguimur.* Apud sanctum Augustinum [b] *mysterium Trinitatis in sacramento baptismatis demonstratur, dum tertiâ vice vetus homo mergitur, vt nouus surgere videatur.* Et apud sanctum Leonem [c] Magnum, *sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis elevatio, resurgentis est instar de sepulchro.* Christus autem, vt sanctus Ambrosius [d] ait, *in vno nomine baptizari nos iussit, hoc est, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Noli mirari, quia dixi vnum nomen, vbi est vna substantia, vna diuinitas, vna maiestas.*

[a] Contr. prax. cap. 16.
[b] Serm. 201.
[c] Epist. 4.
[d] Lib. 2. de sacram. cap. 7.

LIII. Qui baptismum suscipiebant, in aquam toto corpore mergebantur. *Nos baptisma assumentes*, inquit sanctus Gregorius [e] Nyssenus, *ad imitationem Domini & Doctoris & Praeceptoris nostri, in terra quidem non sepelimur, sed ad terra cognatum elementum aquam venientes, in illa, sicut Saluator in terra, nos abscondimus.* Et ex homiliis sancti Augustini ad Neophytos, Iuo Carnotensis & Gratianus hæc verba citant, *in hoc fonte, antequàm vos toto corpore tingeremus, interrogauimus, Credis in Deum?* &c.

[e] Orat. de baptism.

LIV. Nudos fuisse, cùm tingebantur, suprà probauimus. huiuscemodi ritus plures rationes afferuntur. Apud sanctum Cyrillum [f] Hierosolymitanum nuditas in baptismo significat veteris hominis depositionem, deinde Christi in cruce patientis similitudinem exprimit, & est etiam signum baptizatos Dei gratiam adipisci. *Statim igitur vt ingressi estis, vestem exuistis, quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fiat. Atque ita exuti, eratis nudi, imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum, quâ ille nuditate Principatus & Potestates huius seculi spoliauit, & magnâ confidentiâ in ligno de illo triumphauit. O rem admirandam! nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat. Re verâ enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore.* Apud sanctum [g] Ambrosium eâdem nuditate baptizandi monentur, vt abstineant ab auaritia. *Ideò nudi in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cæli ianuam properemus, quàm autem incongruum & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, diues intrare velit in cælum?* Eâ præterea nuditate homines fatentur se diuinâ gratiâ & omnibus donis spiritalibus spoliatos esse, vt ab eiusmodi nuditate liberati, per sui demissionem cælestibus donis ac gratiâ cumulatè repleantur. Ad illam rationem alludit sanctus Ioannes Chrysostomus [h], cùm nuditati Adæ & nuditati in baptismo diuersam causam sic assignat, *Et hîc nuditas, vt illic nuditas: sed illic quidem, cùm peccasset, nudatus fuit quoniam peccauit, hîc autem nudatur vt liberetur.*

[f] Catech. 2. myst.
[g] Serm. 10.
[h] Ad c. 2. ep. ad Coloss.

LV. In Clodouei Regis baptismo, baptistæ simul ac susceptoris munia expleuit Remigius Episcopus Remensis. Id docet Hincmarus [i] clarissimis verbis, *Post confessionem*, inquit, *Orthodoxæ fidei ad interrogationem sancti Pontificis, secundum Ecclesiasticum morem, baptizatus est trinâ mersione in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Et susceptus ab ipso Pontifice de sancto fonte*, &c. Deinde quia teste Gregorio Turonensi [k], *Remigius iussit lauacrum præparari*, & *Rex prior popposcit se à Pontifice*, ab eodem scilicet Remigio, *baptizari*, nemo sani iudicij non fatebitur Clodoueum Regem à Remigio Episcopo baptizatum fuisse, & idem Remigius apud Flodoardum [l] sæpiùs repetit Clodoueum Regem à se susceptum fuisse de sacro fonte, vt cùm de vase aureo quod ei Clodoueus Rex dederat, sic loquitur. *Aliud argenteum vas quod mihi domnus illustris memoriæ Hlodowicus Rex, quem de sacro baptismatis fonte susceperi, donare dignatus est.* Occurrent in his Annalibus alia eiusdem

CLODOVEVS AB EODEM BAPTIZATVS AC SVSCEPTVS.

[i] In vita S. Remig.
[k] Lib. 2. c. 31.
[l] l. 1. c. 18.

generis exemplа, neque enim vni duntaxat Clodouco contigit ab eodem Pontifice baptizari ac ſuſcipi. ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

Apud Gregorium Turonenſem Clodoueus dicitur *baptizatus in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, delibutúſque ſacro chriſmate cum ſignaculo crucis Chriſti.*

Triplex vnctio olim adhibebatur, prima, de qua ſuprà, inter ſcapulas & in pectore, ſecunda in vertice, tertia in fronte; duæ priores erant tantùm cæremoniæ, quarum altera baptiſmum antecedebat, altera ſubſequebatur, tertia verò Sacramentum erat Confirmationis. Verba Gregorij de prima non ſunt accipienda, an autem de ſecunda vel de tertia, in dubio eſſe poteſt. Vtramque explicabimus. LVI. LVII. TRES VNCTIONES.

Signatur baptizatus cum chriſmate per Sacerdotem in capitis ſummitate, per Pontificem verò in fronte, vt priori vnctione ſignificetur Spiritus ſancti ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam: in ſecunda quoque, vt eiuſdem Spiritus ſancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis venire in hominem declaretur. Tunc enim ipſe Spiritus poſt mundata & benedicta corpora atque animas libens à Patre deſcendit, vt vas ſuum ſuâ viſitatione ſanctificaret & illuſtraret, & nunc in hominem ad hoc venit, vt ſignaculum fidei quod in fronte ſuſcepit, faciat cum donis cæleſtibus repletum, & ſuâ gratiâ confortatum, intrepidè & audacter coram Regibus & Poteſtatibus huius ſæculi portare, & nomen Chriſti liberâ voce prædicare. Nec mirum ſi homo bis eodem chriſmate ad accipiendum Spiritum ſanctum vngatur, cùm idem Spiritus bis ſit ipſis Apoſtolis datus, id eſt, in terra ſemel, quando poſt Reſurrectionem ſuam Dominus inſufflauit in eos, & dixit: [Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt;] & de cælis ſemel, quando poſt Aſcenſionem Domini in die Pentecoſtes in linguis igneis ſuper Apoſtolos venit, & omnium gentium linguis eis loqui conceſſit. LVIII. Hucuſque Rabanus Maurus[a], qui duplicem diſtinguit vnctionem, alterius miniſtrum facit Preſbyterum, alterius verò ſolum Epiſcopum. [a] De inſt. cler. lib. 1. cap. 30.

Cæremoniam vngendi in vertice poſt baptiſmum, ita deſcribit Alcuinus in titulo de Sabbato ſancti Paſchæ. *Vt autem ſurrexit à fonte, faciat Presbyter ſignum Crucis de chriſmate cum pollice in vertice eius dicens, hanc orationem. Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aquâ & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in vitam æternam. Tunc ſuſcipiatur ab ipſo, à quo ſuſcipiendus eſt. Poſteà veſtitur infans veſtimentis ſuis. Si verò Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmare eum oportet chriſmate.* LIX. En alteram diſtinctionem in duplici illâ vnctione, primam baptizati ſuſcipiunt adhuc nudi, alteram veſtiti.

Vnctionem in vertice inſtituit Siluester Papa *propter occaſionem tranſitus mortis*, vt legitur in Pontificali libro, qui Damaſo tribuitur. Cùm enim multi ſtatim poſt baptiſmum vitam immaturâ morte concluderent, quibus abſente Epiſcopo, & aliis, ſicut fit, grauioribus curis diſtricto, diuinum Confirmationis ſacramentum dari non poterat, voluit eos ſacrâ iſtâ vnctione corroborari, vt qui linquente artus ſpiritu penè iam animam agebant, in illo ictu ſupremi certaminis contra lethifera dæmonis tela egregiè muniti, victoriæ palmam facili negotio reportarent. LX.

De altera vnctione, quæ ſacramentum eſt Confirmationis, ita loquitur vetus Ordo Romanus in Sabbato ſancto. *Pontifex egreditur à fonte in ſacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, vel in Eccleſiâ, vbi voluerit, & ſedeat in eâ, vt cùm veſtiti fuerint infantes, confirmet eos.* Et mox infrà. *Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Archidiacono chriſma, inuolutis ſcapulis & brachiis ex panno lineo, eleuatâ & impoſitâ manu ſuper capita omnium, det orationem ſuper eos cum inuocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti. Oratione expletâ, interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum, ita dicendo. Confirmo te in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, &c.* LXI. SACRAMENT. CONFIRMATIONIS.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Qui vel à Presbytero vel à Diacono baptizatus fuerat absente Episcopo, quia propter absentiam Episcopi non poterat tunc confirmari, statim ac licebat, præsentabatur Episcopo, vt Confirmationem susciperet. Exemplum habes in actis sancti Marcelli Papæ. Sisinnius Diaconus Apronianum baptizat, & ad Marcellum Pontificem vt sacro chrismate liniatur adducit. Actorum verba hæc sunt [a]. *Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Sisinnij Diaconi, dicens. Adiuro te per Christum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, & facias me tecum peruenire ad coronam. Eádem horâ allata est aqua, & catechizauit eum, & benedixit fontem, & deposuit eum nudum in peluim, dicens ei. Credis in Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum? Et ille respondit. Credo. Et Sisinnius Diaconus dixit ei. Illuminet te Christus. Et eleuauit eum de pelui, & duxit eum ad sanctum Marcellum Episcopum, qui eum chrismate consignauit.* Episcopi, minores vrbes, sacræ Confirmationis nuper baptizatis conferendæ causâ, circumibant. *Non quidem*, ait sanctus Hieronymus [b], *abnuo hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.*

[a] Ap Sur. d. 16. Ian.

[b] Contr. Lucifer.

LXIII. A primo Ecclesiæ nascentis exordio, ritus confirmandi post baptismum in vsu fuit. Samaritani baptizantur à Philippo Diacono, postmodum sacrâ Confirmatione consignantur ab Apostolis. *Cùm verò*, inquit Lucas [c] in actibus Apostolorum, *credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizantur viri ac mulieres, tunc Simon & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns autem signa & virtutes maximas fieri admirabatur. Cùm autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum, nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu.* Sanctus Paulus cùm Ephesi plurimos inuenisset, qui baptismo Ioannis initiati, ne quidem Spiritus sancti nomen audierant, eos salutari baptismo Christi expiauit, & quò Spiritus sanctus in animos eorum sese infunderet, Confirmationis sacramento instruxit. *His auditis*, inquit Lucas [d] in iisdem actibus Apostolorum, *baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.*

[c] Cap. 8.

[d] Cap. 19.

LXIV. Quæres an etiam ij, qui extra statа Paschatis ac Pentecostes tempora baptizabantur, statim post baptismum sacramento Confirmationis consignarentur?

LXV. Respondemus id liquidò constare multis exemplis quæ supra retulimus. Addemus & aliud ex vitâ sanctæ Pelagiæ pœnitentis, quam ex Nicephoro [e] colligimus coætaneam Theodosio Iuniori. Hæc ad pedes Nonni Episcopi Edessæni prouoluta, cùm nec Paschæ nec Pentecostes sabbatum esset, baptismum & confirmationem impetrauit eodem die, *Sanctus Nonnus Episcopus exorcizauit eam, & baptizauit, & imposuit ei signum Domini*, inquit Iacobus Diaconus [f] qui præsens aderat.

[e] Lib. 14. c. 50.

[f] In vit. S. Pelag. ap. Sur. d. 8. Octobr.

LXVI. CLODOVEVS SVSCIPIT CONFIRMATIONEM. Quicquid sit igitur de germano Gregoriani textus sensu, quoad chrisma quo Clodoueus Rex delibutus fuit, & quoad signaculum crucis Christi quo munitus fuit, siue explicetur de vnctione in vertice, quæ pertinet ad baptismum, siue intelligatur de vnctione in fronte, quæ sacramentum est Confirmationis, nemini dubium esse debet, quin Clodoueus à Remigio Episcopo in eadem solennitate Natiuitatis Dominicæ, post baptismum susceperit Confirmationem, de quâ Ludouicus Pius [g], cui facilè assentimur, vnctionem supradictam interpretatur, cùm de metropoli Remensis vrbis Ecclesiâ, titulo sanctæ semperque Virginis ac genitricis Mariæ consecratâ, sic disserit. *In quâ auctore Deo & cooperatore S. Remigio gens nostra Francorum cum æquinoco nostro Rege eiusdem gentis, sacri fontis baptismate ablus, ac septiformis Spiritus S. gratiâ illustrari promeruit.* Nam postrema phrasis pro sacramento Confirmationis sumi debet, quia, vt ex Rabano Mauro iam retulimus, per vnctionem quam Pontifex

[g] Ap. Flod. l. 2. cap. 19.

tifex facit in fronte, Spiritus ſancti ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis venire in hominem declaratur, & apud ſanctum Gregorium Magnum [a] oratio quam Pontifex leuatâ manu ſuâ ſuper capita baptizatorum dicit, cùm eos confirmat talis eſt. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aquâ & Spiritu ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum Paraclitum de cœlis, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilij & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, adimple eos Spiritu timoris tui, & conſigna eos ſigno Crucis in vitam propitius æternam. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum qui tecum viuit & regnat Deus in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti. Per,* &c. Ipſiſſima penè verba Gregorij Turonenſis [b], quæ ſupra recitauimus, ſunt in geſtis [c] Regum Francorum. *Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, delibutuſque ſacro chriſmate cum ſigno ſanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Paulò immutantur ab Hincmaro [d]. *Baptizatus eſt trinâ merſione in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti. Et ſuſceptus ab ipſo Pontifice de ſancto fonte, perunctus eſt ſacro chriſmate cum ſigno ſanctæ crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et à Flodoardo [e] ſic redduntur. *Poſt orthodoxæ confeſſionem fidei, trinâ tinctus merſione, diuino ſummæ individuæque Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti ſub nomine, ſuſcipitur ab eodem ſancto Pontifice, diuinóque conſecratur inſignitus vnguine.* Apud Fredegarium autem & apud Aimoinum nulla mentio fit vnctionis.

ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

[a] L. Sacram. in Sabb. S.

[b] L. 2. c. 31.

[c] Cap. 15.

[d] In vit. S. Remig.

[e] L. 1. c. 14.

Ludouicus Pius apud Flodoardum [f] aliam adhuc vnctionem commemorat, quam Gregorius Turonenſis & alij Scriptores antè nominati prætermiſerunt. Poſtquàm enim aſſeruit Clodoueum Remis in Metropoli Eccleſia baptizatum ac confirmatum à ſancto Remigio fuiſſe, hæc proximè ſubiungit de vnctione ad regiam poteſtatem. *Sed & ipſe Rex nobiliſſimus ad regiam poteſtatem perungi Dei clementiâ dignus inuentus fuit.* Nec repugnat Clodoueum, quem ſanctus Auitus Viennenſis Epiſcopus Regem vocat non nouum, quia iampridem ab obitu patris Childerici regnabat, in Metropoli Eccleſia Remorum à ſancto Remigio perunctum fuiſſe in Regem Chriſtiano ritu, maximè cùm deinceps annos Regni ſui, non tantùm à morte Childerici Regis, ſed etiam à ſuſcepta Chriſtianitate nonnunquam numerarit, vt patebit infrà.

LXVII.

[f] L. 2. c. 19.

VNGITVR IN REGEM.

De exercitu Clodouei Regis, inquit Gregorius Turonenſis, *baptizati ſunt amplius tria millia.* Fredegarius [g] dicit ſex millia. Vtrumque Hincmarus [h] ſic conciliat, *baptizantur de exercitu eius tria millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus*, additque multos è Francorum exercitu necdum ad fidem conuerſos cum Raganario vltra Sommam * fluuium aliquandiù degiſſe. Quod attinet ad plebem. *Baptizatur poſteà cunctus populus Francorum*, inquit vetus Auctor in Regum Francorum [i] geſtis, & Clodoueus in vita ſancti Remigij, quam Hincmarus ſcripſit, dicitur *baptizatus cum gente integra.*

LXVIII.

[g] Hiſt. epit. c. 11.

[h] In vit. S. Remig.

* *La Somme*

[i] Cap. 15.

Petes an paruuli qui cum Clodoueo Rege baptiſmum ſuſceperunt, ſtatim confirmati fuerint?

LXIX.

Audi Alcuinum [k]. *Vt autem ſurrexit à fonte, faciat Presbyter ſignum crucis de chriſmate cum pollice in vertice eius, dicens hanc orationem. Deus omnipotens,* &c. *Tunc ſuſcipitur ab ipſo à quo ſuſcipiendus eſt, poſteà veſtitur infans. Si verò Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet chriſmate, & poſteà communicare.*

LXX.

[k] Tit. de Sabbat. S.

Ex illo Alcuini textu patet baptizatos ſtatim non tantùm confirmari, ſed etiam participes Euchariſtiæ fieri ſolitos. Veterem illum ritum docet Amphilochius in vita ſancti Baſilij his verbis, *Admirans verò Maximus Epiſcopus Baſilij in Deum amorem, orans induit eum Reſurrectionis Chriſti veſtimentis. Baptizauit autem etiam Eubulum, vngénſque eos ſacro chriſmate, tradidit illis viuificam communionem.* Et Iacobus Diaconus iam laudatus in vita ſanctæ Pelagiæ. *Sanctus Nonnus Epiſcopus exorcizauit eam, & baptizauit, & impoſuit ei ſignum Domini, tradiditque illi corpus Chriſti.*

LXXI.

INFANTES REFICIVNTVR EVCHARISTIA.

Ritus Euchariſtiæ poſt baptiſmum præbendæ in vſu fuit ipſis Apoſtolo-

LXXII.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

tum temporibus, hæc enim de sancto Petro leguntur in Actis [a] sanctorum Martyrum Processi & Martiniani. *Oratione expleta beatus Petrus in monte Tarpeio signum Crucis expressit in eadem custodia, atque eâdem horâ emanarunt aquæ è monte, baptizatique sunt Processus & Martinianus à beato Petro Apostolo. Hoc vt viderunt cuncti, qui erant in custodia, prostrauerunt se ad pedes beati Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexus & diuersæ ætatis numero quadraginta septem. Obtulit autem pro eis sacrificium laudis, & participes eos fecit Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi.*

[a] Apud Sur. d. 2. Iul.

LXXIII. Quæres an is qui baptizatur à Presbytero, & absente Episcopo tunc confirmari non poterat, post baptismum admitteretur ad Eucharistiam?

LXXIV. Huic petitioni pridem satisfecit Alcuinus loco iam citato, cùm ea quæ post collatum baptismum fieri debent pro præsentia vel absentia Episcopi sic perstrinxit. *Si verò Episcopus adest, statim confirmari eum oportet chrismate & postea communicare, & si Episcopus deest, communicetur à Presbytero dicente ita. Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.*

LICET NON SINT CONFIRMATI.

LXXV. Quæres an ritus Eucharistiæ post baptismum suscipiendæ, adultis & infantibus communis esset?

LXXVI. Id liquet ex textu Alcuini iam allegato, adde quòd antiqui Patres cùm Eucharistiæ post baptismum præbendæ consuetudinem docuerunt, nullam adultorum vel infantium mentionem fecerunt, quod indicium est vtrosque ad sacram synaxim accessisse. Pueros sub vini specie, adultos sub vtraque Eucharistiæ conuiuium olim inire solitos, Hugo de sancto Victore [b] sic docet. *Exinde datur baptizato vestis candida, quæ innocentiam significat, & stolam iocunditatis perpetuæ, si innocentiam seruauerit, ei promittit. Ad vltimum datur cereus accensus in manu eius, quatenus illud Euangelij implere doceatur, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent non vos, sed Patrem vestrum qui in cælis est. Omnibus his nouus homo in vtero matris Ecclesiæ inchoatur, pronchitur, consummatur, & vniuersitati Ecclesiæ aggregatur, hoc est corporis Christi membrum efficitur. Vnde si eius valetudinis est, Sacramenta vnitatis id est, corpus & sanguinem Christi accipere debet. Pueris recèns natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possint. Augustinus ad Bonifacium contra hæresim Pelagianorum. In Ecclesia Saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo dimittuntur, peccata traxerunt. Nec illud cogitetis eos vitam habere posse, qui sunt expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso Domino, [Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, &c.] Ergo (si sine periculo fieri potest) iuxta primariam Ecclesiæ institutionem Sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Vnde ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum, quod penitùs superuacuum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reseruando sanguinem Christi, vel ministrando pueris immineat periculum, potiùs supersedendum videtur. Nec terreant vos præmissa Augustini verba. Ipse enim alibi quasi ea determinans dicit. Nulli est aliquatenùs ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominj participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis consortio, etiamsi antequam illum panem comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat.* Hæc Hugo.

[b] Lib. 1. de sacram. cap. 20.

LXXVII. ALBOFLEDIS BAPTIZATVR. Eâdem quâ Clodoueus die, *baptizata est & soror eius Albofledis*, teste Gregorio Turonensi. Peculiares nonnullas cæremonias in baptismo fœminarum hîc obseruare, non erit extra nostrum institutum.

LXXVIII. FEMINÆ BAPTIZANTVR NVDÆ. Nudi accedebant ad baptismum tam viri quàm fœminæ. Sisinnius Diaconus Apronianum *deposuit nudum in peluim*, vt ex Actis sancti Marcelli Papæ iam retulimus. Sanctus Ioannes Chrysostomus in epistola ad Innocentium Papam, quæ in vita ipsius per Palladium scripta circumfertur, vbi narrat trepidationem & tumultum, quem Theophilus Alexandriæ Episcopus ciuit, vt ipsum ab Ecclesia eiiceret, innumeras mulieres, quæ sacrosancti Paschatis per-

uigilio ad baptiſmum in Eccleſiam conuenerant, multitudine & furore militum irrumpentium pertertitas, ſine veſte aufugiſſe docet his verbis. *Mulieres quæ intra Eccleſiam, vt baptizarentur, ſeſe veſte nudauerant, per id temporis nudæ fugiebant, metu acerbiſſimæ huius commotionis impulſæ, neque ſexus verecundia & honeſtati permittebantur præ pauore conſulere.* ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

Cùm autem viros à mulieribus, & has ab illis ſine veſtimento conſpici maximè dedeceret, vetus mos obtinuit, vt viri ſimul cum viris ad dextram, & mulieres cum mulieribus ad ſiniſtram in diuerſa ſtatione conſiſterent, & cùm tempus eſſet, baptizarentur ſeorſim ſinguli, *primùm viri, deinde fœminæ*, vt in libro Sacramentorum loquitur ſanctus Gregorius Magnus, apud quem in ordine baptiſterij ſunt etiam orationes, aliæ ſuper maſculos, aliæ ſuper fœminas. Et Alcuinus, qui longè pòſt vixit, eandem conſuetudinem in capite de Sabbato ſancti Paſchæ ſic teſtatam reliquit. *Poſt horam tertiam Sabbato præparantur ad Eccleſiam, qui baptizandi ſunt, ſimul cum patrinis & matrinis, & ordinantur ab Acolyto, maſculi ad dexteram, fœminæ verò ad ſiniſtram.* LXXIX. SEORSIM A VIRIS.

Marium patrini ſeu ſuſceptores erant mares, fœminarum matrinæ ſeu ſuſceptrices erant fœminæ. Apud Authorem [a] Conſtitutionum Apoſtolicarum hæc præſcribuntur, *vtrum ſuſcipiat Diaconus, mulierem Diaconiſſa, vt decorè traditio infrangibilis ſigilli adminiſtretur.* In geſtis [b] ſancti Sebaſtiani Martyris, illa ſuſceptorum ac ſuſceptricum, ſiue patrum ac matrum ſpiritalium differentia clariſſimè dignoſcitur. *Cùm clamaret Claudius, credere ſe & deſiderare fieri Chriſtianum, iuſſit ſanctus Polycarpus Presbyter, vt darent vniuerſi nomina ſua. Primus itaque omnium dedit nomen ſuum Tranquillinus pater Marcelliani & Marci. Poſt hunc ſex amici eorum, Ariſton, Creſcentianus, Eutychianus, Vrbanus, Vitalis & Iuſtus. Et poſt hos Nicoſtratus cum fratre ſuo Caſtorio & Claudius Commentarienſis. Et poſt hos filij Claudij Felicißimus & Felix. Inde Martia mater Marcelliani & Marci, & Symphoroſa vxor Claudij, & Zoe Nicoſtrati coniunx. Poſt has familia omnis, quæ erat in domo Nicoſtrati, anima promiſcui ſexus & ætatis triginta tres. Poſtremò vincti omnes è carceris ſqualore adducti, numero ſexdecim. Igitur omnes iſti, ſimul animæ ſexaginta quatuor, à ſancto Polycarpo Presbytero baptizati, & à ſancto Sebaſtiano ſuſcepti ſunt. Fœminarum autem matres ſpiritales factæ ſunt Beatrix & Lucina.* Iacobus Diaconus poſtquam in vitâ ſanctæ Pelagiæ deſcripſit humilitatem, quâ pedes amplectebatur Nonni Epiſcopi, & obteſtationem quâ baptiſmum flagitabat, hæc ſubdit de Romanâ Diaconiſsâ. *Tunc omnes Epiſcopi & Clerici qui conuenerunt, videntes talem peccatricem pro deitatis deſiderio talia loquentem, admirantes dicebant, numquam ſe talem vidiſſe fidem & deſiderium ſalutis, ſicut huius meretricis. Et ſtatim tranſmiſerunt me peccatorem Diaconum ad Epiſcopum ciuitatis, vt hæc omnia ei inſinuarem, & vnam de Diaconiſſis iuberet eius beatitudo tranſmittere mecum. Qui audiens lætatus eſt gaudio magno dicens. Bene, pater honorabilis, te expectabant opera iſta, ſcio quòd os meum eris. Et ſtatim tranſmiſit mecum Dominam Romanam primam Diaconiſſarum. Quæ veniens inuenit eam adhuc ad pedes ſancti Nonni Epiſcopi.* Et paulò pòſt, *fuitque illi mater ſpiritalis ſancta Domina Romana, prima Diaconiſſarum, quæ accipiens eam*, &c. Atque iterum inferiùs. *Poſt biduum ergo, dormiente eâ cum ſanctâ Romanâ commatre ſuâ in cubiculo ſuo*, &c.

[a] L. 3. c. 16.

[b] Apud Sur. d. 20. Ian.

HABENT MATRINAS. LXXX.

Gregorius Turonenſis narrationem quam de conuerſione ac baptiſmo Clodouei Regis inſtituit, ita claudit. *Conuerſa eſt & alia ſoror eius Lanthechildis nomine, quæ in hæreſim Arrianorum dilapſa fuerat, quæ confeſſa æqualem Filium Patri & Spiritum ſanctum, chriſmata eſt.* Multi cùm neſcirent quid Gregorius per illam chriſmationem intelligeret, Lanthechildis ſeu Lanthildis non meminerunt, aut eam vnà cum Clodoueo fratre baptizatam aſſeruerunt. In priori numero ſunt Fredegarius [c] & Aimoinus [d], iique minùs vituperandi. In poſteriori verò claſſe ſunt vetus author [e] qui geſta Regum Francorum ſcripſit, Rorico [f], Hincmarus [g] & Flodoardus [h], hique nullomodò ſtare poſſunt cum Gregorio, qui diſtinctè admodum docet Albofledem cum fratre bapti- LXXXI.

[c] Hiſt. epit. c. 21.
[d] L. 1. c. 16.
[e] Cap. 15.
[f] Lib. 2.
[g] In vit. S. Remig.
[h] Lib. 1. c. 11.

ANNVS Christi, 496. CLODOVEI R. 15. LXXXII.

zatam, Lanthildem verò chrismatam fuisse, postquam filium æqualem Patri & Spiritum sanctum confessa est, quia priùs Arianâ hæresi fœdabatur.

Lanthildis confitetur filium æqualem Patri & Spiritum sanctum. Duobus illis articulis omnem Arianorum perfidiam anathematizat. De Ario enim & eius assectis ita loquitur sanctus Epiphanius [a]. *Nec ipse modò sed eius doctrinæ sectatores infinitas in Dei Filium ac Spiritum sanctum contumelias inferre non dubitarunt.* Deinde pluribus persequitur, refellitque eorumdem blasphemias, quibus Filium Patri consubstantialem negabant, asserebantque Spiritum sanctum creaturæ esse creaturam, quòd per filium omnia facta sunt. Cùm Mediolani & in toto Imperio frequentes essent Ariani, sanctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis aduersus eos scripsit ad Gratianum Augustum libros quinque de fide, scripsit & de Spiritu sancto libros tres ad eundem Imperatorem, scripsit præterea librum de filij diuinitate & consubstantialitate, in quo hæc leguntur [b]. *Sublato ὁμοίου, id est unius substantiæ vocabulo, ὁμοιοῦσιν id est similem factori suo posuerunt, cùm aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est. Nec quod Deus est, homo extitisse credendus est. Ita & Filium Dei similem volunt, vt eum aliunde similem, non de ipsâ vnâ sanctâ & beatâ Patris substantiâ dicant. Qui si de Patris substantiâ non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est de nullis extantibus, vt idem Arius tradidit. Sublato enim eo quod Pater est, vndecunque fuerit filius, necesse est vt & initium ex nihilo & ortum ex tempore habeat. Nihil enim sine initio nisi solus Deus. Vnde & Filius, sine ipse Dominus ait.* [*Ego & Pater vnum sumus.*] *Quod ideo dixit vt duarum personarum vocabula in vnius deitatis maiestate monstraret. Sicut & Propheta ex voce Dei. Eructauit, inquit, cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Vides ergo hoc verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde nisi de paterno pectore, & (vt ita dixerim) de vtero cordis Dei credimus natum. Et proinde eum Regem appellat, quia ipse est Rex Regum, Deum Dominum cui omnia diuina opera succumbunt, qui dixit.* [*Omnia quæ Pater habet mea sunt,*] &c.

Et libro primo de Spiritu sancto probat [c] non esse inter creaturas Spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia, posteà ostendit [d] non posse ad Spiritum derivari Dei, quod scriptum est de Dei filio, *omnia per ipsum facta sunt*, quia Spiritus Dei super omnia, non inter omnia est. *Solent*, inquit, *dicere hæretici, idcò inter omnia Spiritum sanctum esse numerandum, quia scriptum est de Dei filio, omnia per ipsum facta sunt. Quàm malè confunditur actio qua non tenet veritatem, & præposterο ordine assertionis inuoluitur? Hoc enim tunc valeret, vt inter omnia dicerent esse Spiritum sanctum, si factum probarent. Námque omnia per filium scriptura dicit esse quæ facta sunt. Cùm autem factus non doceatur Spiritus sanctus, vtique nec inter omnia probari potest, qui neque factus est sicut omnia nec creatus. Mihi igitur ad vtrumque hoc proficit testimonium, vt & super omnia probetur esse qui factus non est, & quia super omnia est non videatur factus esse, nec inter ea quæ sunt facta numerandus. Quòd si quis, quia omnia facta per Verbum Euangelista posuit, non excipit Spiritum sanctum, quoniam in Ioanne locutus Spiritus Dei, omnia per ipsum facta sunt, dixerit, non omnia facti sumus, cùm vtique loqui in Euangelistis Spiritum Dei ipse Dominus ostenderit, dicens, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis, tamen si quis vt dixi, hoc loco non excipit Spiritum sanctum, sed inter omnia numerat, nec ibi ergo excipit Dei filium vbi Apostolus dixit. Nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Sed vt sciat quia inter omnia non est filius, legat sequentia. Nam cùm dicit, & vnus Dominus Iesus per quem omnia, ab omnibus vtique excipit Dei filium, quia excepit & Patrem. Eiusdem autem impietatis est, vel Patri vel filio vel Spiritui Sancto derogare. Non enim credit in Patrem qui non credit in Spiritum, nec potest sine regulâ veritatis fides stare. Nam qui negare cœperit vnitatem potestatis in Patre & Filio & Spiritu sancto, non potest vtique ibi, vbi nulla diuisio sit, fidem probare diuinam. Ergo quia pietatis vnitas est benè credere, etiam vnitas impietatis est malè credere. Itaque qui putant Spiritum inter omnia debere numerari, quia omnia legun-*

[a] Hær. 69.

LANTHILDIS CLODOVEI SOROR RESIPISCIT AB ARIANISMO.

[b] Cap. 2.

[c] Cap. 1.

[d] Cap. 2.

tur facta per Filium, etiam Filium vtique inter omnia annumerandum putant, quia legunt. Ex Deo omnia. Consequenter autem nec Patrem secernunt ab omnibus, quia à creaturis omnibus Filium non secernunt, quoniam sicut ex Patre omnia, ita etiam per Filium omnia. Hoc ipsum suprà euidenter Apostolus dixit, ne inter omnia posuisse Filium vel impijs videretur, qui audierant dixisse Filium, Pater quod dedit mihi maius omnibus est.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Canon septimus Concilij Constantinopolitani distinguit hæreticos in duas classes, alij enim recipiuntur vngendi tantùm, alij verò post longum catechumenatum baptizandi. In priorum numero sunt Ariani, de quibus Patres ita decernunt. *Arianos recipimus dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit vt sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & signatos siue vnctos primùm sancto chrismate, & frontem & oculos & nares & aures, & eos signantes dicimus. Signaculum doni Spiritus sancti.* Vtrumque habes à Gregorio Turonensi paucis in causa Lanthildis egregiè notatum, hæc enim Arium anathematizat confitendo filium æqualem Patri & Spiritum sanctum, posteà vngitur chrismate.

LXXXIII. RECONCILIATVR PER CHRISMATIONEM.

De reconciliatione Arianorum Siricius Papa [a] sic disserit in literis ad Himerium Episcopum Tarraconensem *. *Primâ paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impijs Arianis, plurimos ad fidem Catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuò baptizare velle, quod non licet, cùm hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium, missa ad prouincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Nouatianis aliisque hæreticis, sicut in Synodo est constitutum, per inuocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidénsque custodit, à quo tramite vos quoque posthàc minimè conuenit deuiare, si non vultis à nostro Collegio synodali separari sententia.* Eamdem doctrinam profitetur Leo [b] Magnus in literis ad Nicetam Episcopum Aquileiensem. *Hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati antèà non fuissent, solâ inuocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam (vt scitis) seruandam omnibus Ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initum, nullâ iteratione violetur, dicente Apostolo [vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.] Cuius ablutio nullâ iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio Spiritus sancti innocanda est, vt quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.* Vides apud sanctissimos illos Pontifices vnctioni coniunctam manuum impositionem, quam requirunt quoque Patres secundi Concilij Arelatensis [c]. *Bonosiacos*, inquiunt, *quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Eámque sententiam pluribus explicat sanctus Isidorus [d] Episcopus Hispalensis. *Hæretici, si tamen in Patre & Filij & Spiritus sancti attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterùm baptizandi sed solo chrismate & manus impositione purgandi sunt. Baptismus enim non est hominis meritum, sed Christi, ideóque nihil interest, hæreticus an fidelis baptizet. Quod Sacramentum tam sanctum est, vt nec homicidâ ministrante polluatur. Habet quidem baptismum Christi hæreticus, sed quia extra vnitatem fidei est, nihil ei prodest. At vbi ingressus fuerit, statim baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem, quod enim accipit approbo, sed quia foris accipiat improbo. Dum autem venerit non mutatur, sed agnoscitur, character est enim Regis mei baptismus, non error sacrilegus, corrigo desertorem, non muto characterem.*

LXXXIV.
[a] Epist. 1.
* de Tarragone

[b] Epist. 79.

[c] Cap. 17.

[d] Lib. 2. de Eccles. offic, c. 24.

Gregorius Turonensis in Lenthildis reconciliatione meminit [e] tantùm chrismatis, omissâ manuum impositione, vt & aliis in locis, vbi de Arianis loquitur, de Gundobado Burgundionum Rege [f], *qui cùm cognouisset assertiones hæreticorum nihil esse, à sancto Auito Episcopo Viennensi, Christum filium*

LXXXV.
[e] Lib. ...c 31.

[f] Lib. 2. c. 34.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Dei & Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clàm vt chrismaretur expetiit. De Brunichilde [a] Regina, *quæ quia Arrianæ legi subiecta erat, per prædicationem Sacerdotum atque ipsius Regis commonitionem conuersa, beatam in vnitate confessa Trinitatem credidit atque chrismata est.* De Galswintha Regina [b], *quæ in lege Catholica conuersa fuerat & chrismata.* De Herminigildo [c] Leuuigildi Regis filio, qui *conuersus est ad legem Catholicam, ac dum chrismaretur Ioannes est vocitatus.* De Richaredo Rege [d], qui *se Catholicæ legi subdidit, & accepto signaculo beatæ Crucis cum chrismatis vnctione, credidit Iesum Christum Filium Dei æqualem cum Spiritu sancto, regnantem in sæcula sæculorum.* Gregorius Turonensis ita scripsisse mihi videtur, quia in Conciliis Arausicano primo [e] & Epaonensi [f] nulla mentio fit impositionis manuum. In Arausicano, *hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placuit.* In Epaonensi Patres permiserunt *Presbyteros desperatis & decumbentibus hæreticis, si conuersionem subitam petant, chrismate subuenire.*

[a] Lib. 4. c. 27.
[b] Lib. 4. c. 28.
[c] Lib. 5. c. 39.
[d] Lib 9. c. 15.
[e] Can. 1.
[f] Can. 16.

LXXXVI. CVM MANVVM IMPOSITIONE.

Tamen in reconciliandis Arianis non video cur adhibitam manuum impositionem quis audeat inficiari, neque enim vllus vnquam ab hæresi venit, cui manus non fuerit imposita. *Manus impositio*, inquit sanctus Augustinus [g], *si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse indicaretur. Propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem, quæcumque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Hugo de sancto Victore [h] separationem chrismatis ab impositione manuum egregiè docet, asserit enim manus impositionem aliquando vnctione chrismatis fieri, aliquando sine chrismate, additque non omnes qui baptizantur ab hæreticis, cùm veniunt ad Ecclesiam, chrismari, omnibus verò propter hæreseos detestationem manum imponi. Verba illius hæc sunt de receptione hæreticorum. *Ideò cùm ad Ecclesiam veniunt, instruuntur de fide, & per manus impositionem accipiunt Spiritum sanctum. Manus impositio aliquando vnctione chrismatis fit, aliquando sine chrismate, oratione dictâ super hominem. De illis qui ab hæreticis baptizantur, nescientes eos hæreticos esse, & in nullo eorum errori consentientes, potest dici quòd Sacramentum, & rem Sacramenti suscipiunt, & tamen cùm ad Ecclesiam veniunt, manus superimponitur eis, vt ostendatur error detestari.*

[g] De bapt. cõtra Donat. l. 5. cap. 21.
[h] Tract. 5 sum. sent. c. 8.

LXXXVII.

Arianos in Ecclesiâ per manuum impositionem recipiendos docet sanctus Innocentius [i] Papa. *Arianos*, inquit, *cetera quæque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum, sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum, cum Sacerdotij aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate, quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod vtique in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur, quoniam cùm à Catholicâ fide eorum authores desciscerent, perfectionem Spiritus quam acceperant amiserunt, nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potiùs quàm per fidem dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri potest vt eorum prophanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, vt diximus, ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?* Pro manuum impositione facit etiam secundi Concilij Arelatensis Canon decimus septimus iam recitatus. Nec omittendum augustissimum Recharedi Regis super eâ re testimonium, in oratione enim quam habuit ad Concilium Toletanum Tertium, in quo cum gentibus quibus dominabatur Arianismum abiurauit, de gentium earumdem conuersione sic locutus est. *Deterso antiquo errore per vnctionem sacrosancti chrismatis, vel manus impositionem Paracletum intra Dei Ecclesiam percepertunt Spiritum, quem vnum & æqualem cum Patre & Filio confitentes, eiusque dono in sinu Ecclesiæ sanctæ Catholicæ collocatæ sunt.* Quo loco coniunctio *vel* non est disiunctiua, vt probè norunt, qui scriptores illorum temporum lectitarunt.

[i] Epist. 18.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Denique R. P. Ioannes Morinus in commentario [a] historico de disciplinâ in administratione sacramenti pœnitentiæ, vbi reconciliationis eorum, qui de diuersis hæresibus ad Ecclesiam redeunt, varias formulas refert ex tribus antiquissimis Codicibus, Petauiano, Siculo & Tolosano, ait hæc in Petauiano legi post octauam Paschæ. *Benedictio super eos qui de Arianâ ad Catholicam redeunt unitatem. Domine Deus pater omnipotens, pater Domini nostri Iesu Christi qui dignatus es famulos & famulas tuas ab errore & mendacio hæreseos Arianæ eruere, & ad Ecclesiam tuam Catholicam eos perducere. Tu Domine mitte in eos Spiritum Paraclitum sanctum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & adimple eos Domine Spiritu timoris Dei in nomine Iesu Christi saluatoris nostri, per quem & cum quo est tibi honor & gloria in sæcula sæculorum.* Obseruatque in codice Siculo supradictæ orationi hunc præfigi titulum. *Reconciliatio cum impositione manuum redeunti ab Arianis.* Notat præterea benedictioni pro iis qui de diuersis hæresibus veniunt, in codice Tolosano hunc esse titulum, *benedictio super eos qui de diuersis hæresibus veniunt*; in Siculo verò, *benedictio cum impositione manuum super eos qui de diuersis hæresibus veniunt.* Ibi benedictio idem sonat ac oratio, manuum autem impositio semper habuit orationem seu benedictionem coniunctam, quapropter à sancto Augustino [b] vocatur *oratio super hominem*, & antiqui scriptores Ecclesiastici manuum impositionem & orationem velut vnum & idem sæpè permutant, quin etiam cùm vnam vsurpant, vtramque plerumque intelligunt, eóque sensu benedictio quæ sola ponitur in codicibus Petauiano & Tolosano, includit manuum impositionem, quam Siculus codex exprimit cum benedictione, & in primo Canone primi Concilij * Arausicani iam recitato, vbi de chrismate & de benedictione sermo est, benedictionis nomen pro benedictione & impositione manuum ei coniunctâ sumi potest. De nexu inter impositionem manuum & orationem agit pluribus R. P. Ioannes Morinus in commentario iam laudato de administratione sacramenti pœnitentiæ, nono capite libri sexti & octauo capite libri octaui.

[a] Lib. 9. c. 10.

[b] De bapt. contr. donat. lib. 3. cap. 16.

* d'Orange.

LXXXVIII. Rectè sanctus Augustinus & Hugo de sancto Victore locis suprà citatis hæretico reconciliando manum imponendam dixerunt, vt cùm in Ecclesiam admittitur, arguatur erroris, & errorem videatur detestari, nec aliâ de causâ sanctus Innocentius Papa cuius verba iam recitauimus, Arianos sub imagine pœnitentiæ per manus impositionem suscipiendos asseruit. Sanè, cùm hæreticus ad Ecclesiam veniebat, multa erant ad pœnitentiæ imaginem comparata. Publicè in Ecclesiâ errorem humillimè confitebatur, & anathematizabat. Plures interrogationes de hæresi abiurandâ, velut totidem exorcismi, illi proponebantur, & singulis respondere tenebatur, *abiuro*, aut verba similia. Constantiam in fide quam amplectebatur iuramento pollicebatur. Oratio ad Deum pro eo fiebat. Rituum illorum pleroſque non obscurè insinuat Gregorius Turonensis in causa Lanthildis Arianæ, de quâ nunc agimus, ea enim primò dicitur *confessa æqualem Filium Patri & Spiritum sanctum*, & deinde *chrismata.*

LXXXIX. Ex pœnitentiæ imagine, quam manuum impositio in recipiendis Arianis præ se ferebat, clarissimè patet illam impositionem manuum ad sacramentum Confirmationis non pertinuisse. Idem censendum de vnctione quæ manuum impositioni coniungebatur, non enim sacramentum Confirmationis fuit, vt Bessarion in libello de Eucharistiâ falsò existimauit, sed pura duntaxat cæremonia, quæ in hæreticorum reconciliatione & Ecclesiæ incorporatione adhibebatur cum inuocatione sancti Spiritus, ac lapsu temporis abrogata est, eiusmodi autem abrogationem in vero sacramento quis admittat? Illius vnctionis minister erat Episcopus aut vrgente necessitatis casu, Presbyter absente Episcopo. Ita enim decernunt Concilij primi Arausicani Canon primus & Epaonensis Concilij Canon decimus sextus suprà recitati. Ceterùm qui baptizati fuerant ab hæreticis, cùm ad Ecclesiam veniebant, aut vetus quod ab

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. XC.

hæreticis impositum fuerat, nomen seruabant, aut nouum assumebant Lanthildis videtur vetus retinuisse, nouum accepit Herminigildus, vt ex Gregorio Turonensi iam obseruauimus.

Post huiusmodi cæremonias Lanthildem Eucharistiæ mysteriis admissam non est cur inficiemur. Gennadius [a] enim Massilliensis, qui Lanthildi Synchronus in ditione Regis Ariani degebat, de hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis baptizatis ita scripsit. *Recipiantur quidem vt baptizati, ne sanctæ Trinitatis inuocatio vel confessio annulletur, sed doceantur antè, & instruantur, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesiâ teneatur, & si consentiunt credere vel acquiescunt confiteri, purgati iam fidei integritate, confirmentur manus impositione, si verò paruuli sunt vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui offerunt iuxta morem baptizandi, & sic manus impositione & chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur.* Qui verò priùs in Ecclesiâ Catholicâ baptizati deficiebant ad Arianos, atque ab illis iterum baptizabantur, si postea redibant ad Ecclesiam, non statim admittebantur ad Eucharistiam, sed in classem pœnitentium ablegabantur. Vigilius [b] ab Eutherio consultus quid in eo casu faciendum sit, genus illud hominum à priori longissimè distinguit, & vtrorumque reconciliationem docet non eodem modo fieri oportere, licet pro qualitate & deuotione pœnitentis indulgere permittat. *De his*, inquit, *qui baptismatis gratiâ salutaris acceptâ apud Arrianos iterum baptizati, profundæ voraginis sunt morte demersi, in æstimatione fraternitatis tuæ aliorumque Pontificum per suas diœceses relinquatur, vt si qualitas & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impositionem manus, quæ per inuocationem sancti Spiritus fit, operatur, sed per illam, quâ pœnitentiæ fructus acquiritur, & sanctæ communionis restitutio perficitur.*

[a] De Eccles dogm. cap. 52.

[b] Ep. 2.

XCI. CLODOVEVS IN ALBIS.

Clodoueus Rex in solemnitate Natiuitatis Dominicæ Remis baptizatus, septem reliquos huius anni dies in eâdem ciuitate transegit candidatus. In illius rei fidem extant hæc Reomaensis præcepti verba, *primo nostro susceptæ Christianitatis atque subiugationis Gallorum anno. Datum sub die* I V. *Kal. Ian. Ind.* V. *Actum Remis ciuitate, anno Magni Clodouei* XVI. Non opus est commentariis. Omnes illi characteres indicant præceptum istud emissum Remis à Clodoueo Rege, die vicesimâ octauâ Decembris, hoc anno, Christi quadringentesimo nonagesimo sexto. Indictio quinta iam currebat à mense Septembri. Clodoueus ab aliquot diebus baptismo regeneratus fuerat, & ab aliquot mensibus Galliam Belgicam sibi penitus asseruerat debellatis Alemannis, qui partem illius Rheno proximam inuadebant, nec putes Galliam Belgicam, qualis à Iulio & Augusto Cæsaribus inter Oceanum Sequanam Matronam ac Rhenum collocatur, in Reomaensi tantùm præcepto Galliam per excellentiam dici, eandem enim appellationem alibi sortitur, vt in vitâ sancti * Eugendi Abbatis [c], quam eius discipulus sub illa fermè tempora conscripsit, vbi *Gallica lingua* ponitur pro Belgicâ. Quòd autem alio in loco notamus annos Principum apud Gregorium Turonensem & plerosque scriptores antiquos non à die quo regnare cœperunt, sed à primo die subsequentis anni solitos numerari, id locum non habet in actis siue cancellariis Principum, ibi enim anni Principis inchoantur semper à die quo Principatum adeptus est. Quapropter præceptum quod à Clodoueo emissum fuit hoc anno die vicesimâ octauâ Decembris, rectè legitur datum anno eiusdem Clodouei post Childerici patris obitum decimo sexto iam inchoato, susceptæ verò Christianitatis atque subiugationis Gallorum primo. Sed à Neotericis addita videtur *Ind.* v. Indictiones enim apud Francos non erant in vsu.

* *S. Oyen.*

[c] Ap. Sur. d. 1. Ian.

XCII.

Septem illi dies, quibus Neophyti prodibant albati, vocantur ab Amalario [d] dies sanctificati, & ipsæ noctes ab eodem dicuntur [e] noctes baptismales, quia piè sanctèque admodum cum Psalmis atque Hymnis à nouis Christianis colebantur. Toto illo tempore Neophyti abstinebant à balneis. Id docet Tertullianus in libro [f] de Corona militis, vbi sermonem de baptismi

[d] Lib. 1. c. 24.

[e] Lib. 4. c 27.

[f] Cap. 3.

cæremoniis

cæremoniis ita claudit, *ex ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.* Hoc ritu Neophyti se durioris vitæ studio inflammatos ostendebant: balneis enim vti, in honore apud omnes habebatur & in deliciis. Succedit alia ratio, ne videlicet eo tempore deleretur sacri chrismatis vnctio, quam per octo dies conseruari solitam docet Amalarius [a] his verbis. *Salomon ait,* [*Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.*] *Et hîc possumus intelligere, quòd talia debeant esse opera nostra omni tempore, qualia sunt vestimenta albatorum tam munda & candida. Et sicut ab illorum capite oleum non deficit per octo dies, ita nunquam charitas ex mente nostra deficiat.* Prætereà Neophyti quandiu erant in albis, iubebantur abstinere ab epulis lautioribus, à spectaculis & à re vxoria. Extat eo de ritu Canon [b] in Concilio Carthaginensi quarto. *Neophyti aliquandiu à lautioribus epulis, & spectaculis, & coniugibus abstineant.* Huic Canoni non aduersabatur conuiuium, quod baptizatus ministro & susceptori solebat in symbolum charitatis exhibere, nec existimandus est Clodoueus ab illo beneuolentiæ testimonio erga Remigium abstinuisse. Eiusmodi conuiuiorum, quæ baptismi ministris ac susceptoribus parabantur à Neophytis, antiquitatem docet sanctus Gregorius Nazianzenus [c], vbi contra eos inuehitur, qui prætextâ inopiæ causâ non accedebant ad baptismum, asseritque nihil de gratia imminutum iri, si vtrosque vel tenui vel nullo conuiuio exceperint. *Turpe est,* inquit, *dicere, vbi est munus quod propter baptismum offeram? vbi splendida vestis in qua exsplendescam? vbi ea quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur, vt in his quoque rebus nominis celebritatem consequar?*

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. ALBATI BALNEO.

[a] Lib. 1. c. 29.

ET REVXORIA ABSTINEBANT.

[b] Can. 86.

CONVIVIO EXCIPIEBANT MINISTROS BAPTISMI.

[c] Orat. 40.

XCIII. LIBERALES ERGA PAVPERES ERANT.

Noui milites Christi post susceptum baptismum multa pauperibus donabant. Huc spectat illa apud omnes gentes celebrata liberalitas, quâ, vt in Actis Apostolorum legitur, *quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Et Medicus Hebræus baptismo initiatus, vt Iosephus [d] Vicecomes ex vita sancti Basilij refert, *insequentibus diebus per domos hospitales distribuebat pecuniam ex arte medica constatam, & quod supererat pauperibus elargiebatur.* Huic pietatis officio Clodoueus Rex ac Primates Franciæ, qui cum eo baptizati sunt, haud defuerunt, sic enim de illis loquitur Hincmarus [e], *Baptizatus autem Rex plurimas possessiones per diuersas prouincias sancto Remigio tam ipse quàm Franci potentes dederunt, quas ipse per diuersas Ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, & ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, & fidem Christi ac sanctum Sacerdotium vilipenderent.*

[d] De rit. bapt. lib. 1. cap. 46.

[e] In vit. S. Remig.

XCIV.

In baptismo Ingomeris multa iam diximus de candida veste. Neophyti post baptismum septem diebus continuis non prodibant in publicum illâ non induti. Ea de causâ Gregorius Turonensis [f], cùm de quingentis Iudæis in ciuitate Aruernica baptizatis loquitur, albicare totam ciuitatem dicit, *Albicabat,* inquit, *tota ciuitas de grege candido.* Eiusmodi ritum obseruabant ij, qui extra statas Paschatis ac Pentecostes tempora baptizabantur, vt ex vita sanctæ Pelagiæ toties laudata constat, eóque computo dicendus est Clodoueus albam vestem deposuisse pridie Kalendas Ianuarias, feriâ tertiâ, annus enim quingentesimus nonagesimus sextus fuit bissextilis, & post intercalationem bissexti Dominicalem literam habuit F.

[f] Lib. 5. c. 11.

XCV.

Sanctus Gregorius Nazianzenus [g] & sanctus Cyrillus [h] Hierosolymitanus inter baptismi cæremonias reponunt cerei gestationem, & Iuo [i] Carnotensis ritum illum sic explicat. *Ad vltimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Euangelij* [*luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*] Neophyti septem illis diebus quibus candidam vestem deferebant, ducebantur ad Ecclesiam cum cereis accensis, intererántque augustissimo Missæ sacrificio. *Octo dies Neophytorum,* inquit Alcuinus [k], *cursum vitæ pra-*

[g] Orat. 40.

[h] In procatec.

[i] In serm. de Sacram. Neophyt.

CEREOS GESTABANT.

[k] Tit. de Sabb. in a.b.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

sensiùs demonstrant. Sicut enim Hebraicus ille populus, transito mari rubro, columnâ ignis sibi præcedente nocte, per omne iter in terram repromissionis triumphans introiit. Ita nostri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidie ad Ecclesiam, columnâ cerei illuminatâ præcedente eos. Et Ordo Romanus [a] ipsos etiam paruulos qui baptizantur à Missâ vetat abesse per totam hebdomadam sequentem. *Posteà*, inquit, *per totam hebdomadam Paschæ omnibus diebus ad Missam veniant, & parentes eorum pro ipsis offerant, & communicent.* Ceterùm Alcuinus iam citatus columnam cerei illuminatam, quæ Neophytos euntes in Ecclesiam præcedebat, ait *ad nullos alios vsus in quibuslibet locis debere accendi, nisi in recordatione luminis Spiritus sancti, dum itur ad Ecclesiam.*

[a] Tit. de Sabb. S. in die.

XCVI. Miraberis non tantùm baptizatis sed etiam eorum seruis & aulicis datos olim cereos cum candidis vestibus, vt factum est ab Arcadio Augusto Constantinopoli anno Christi quadringentesimo primo in gratiam Theodosij Iunioris, insignem enim pompam, quâ puer post baptismum ab Ecclesiâ in palatium reportatus est, Marcus [b] Gazensis Diaconus qui aderat ita descripsit. *Baptizato Iunsori Theodosio, & ab Ecclesiâ egresso in palatium licebat rursum intueri decorem eorum qui præerant multitudini, & vestem eorum refulgentem, erant enim omnes candidati, vt existimaretur multitudo esse niue repleta. Præcedebant autem Patricij illustres, & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, vt putarentur astra cerni in terrâ.* Clodouei Regis pompam multò numerosiorem ac verè baptismalem fecerunt tria millia Neophytorum cum Sanctissimo Præsule, qui *plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis* fulgebat, teste [c] Hormisdâ Romano Pontifice. Tunc certè de Remensi ciuitate narrari debuit, quod ad Aruernicæ commendationem posteà longè minori de causâ retulerunt Gregorius Turonensis [d], *flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candido, nec minus fuit ibi gaudium, quàm quondam Spiritu sancto descendente super Apostolos, Hierusalem videre promeruit*, & Fortunatus Poëta [e]

[b] Ap. Baron. ad an. 401. n. 28.

[c] Ap. Hincmar. in vit. S. Remig.

[d] Lib. 5. c. 11.

[e] Lib. 4.

Vndique rapta manu lux cerea prouocat astra,
Credas vt stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.
Nec sistina minùs, quàm tunc fuit illa coruscans,
Diuersis linguis quæ dedit vna loqui.

XCVII. Olim Ecclesia propter baptizatos ingentem lætitiæ significationem præbebat, ob idque octo dies festos lætè agitabat. Sanctus Ambrosius in sermone, qui sexagesimus primus est in antiquis editionibus, sexagesimus in recentioribus, cunctos Christianos in die Pentecostes hortatur, vt omnibus gaudiis exultent, propterea quòd multi sacramento baptismi sese Christianæ militiæ obligauerint. *Lætemur*, inquit, *in hac sanctâ die, sicut in Paschâ lætati sumus, est enim in vtráque die similis eadémque solennitas. In Paschâ enim omnes gentes baptizari solent. In Pentecoste autem Apostoli baptizati sunt.* Sanctus Augustinus explicans sermonem Domini in monte prædicat *celebrationem octauarum feriarum in regeneratione noui hominis.* Et Amalarius [f] de septem diebus qui Pentecosten sequuntur, ita disserit. *Septem dies qui sequuntur, recolunt aduentum septiformis Spiritus, sine nostram lætitiam, in quâ congratulamur nuper baptizatis, qui nimirum informantur in corpore Christi.* Deinde subiungit verba sancti Augustini iam recitata. Rupertus [g] Abbas ad commendationem festi, quod octo diebus in gratiam baptizatorum solemne fuit, obseruat in Canone Missæ, quæ Paschatis & Pentecostes octiduo peragitur, baptizatorum mentionem fieri, & singulis illarum hebdomadarum diebus solemnitatem sancti baptisterij à clero celebrari solitam. *Nam & in Canone*, inquit, *per hanc hebdomadam hoc pro ipsis additum est.* [*hanc igitur oblationem seruitutis nostræ sed & cuncta familiæ tuæ quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aquâ & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum.*] *Et ab hac vesperâ, qua bapti-*

[f] Lib. 4. c. 29.

[g] De Diu. Offic. l. 7. c. 11.

DIES OCTO FESTI IN GRATIAM NEOPHYTORVM.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. CLODOVEVS SOLVS IN TOTO ORBE PRINCEPS CATHOLICVS.

zati sunt per singulas huius hebdomadæ vesperas clerus ad fontes procedit cum Christi resurrectione solemnitatem sancti celebrans baptisterij. Vberrima proculdubiò fuit Ecclesiæ Remensis lætitia, cùm tria millia Neophytorum in albis splendescerent, in eorúmque numero conspiceretur Rex potentissimus ac bellicosissimus, qui vastissimis Prouinciis inanes Deos adhuc colentibus præerat, ac solus inter totius orbis Principes Orthodoxam fidem sincerè profitebatur. Anastasius Papa, qui Pontificatum quarto Kalendas Decembris hoc eodem anno suscepit, maximam quoque testatus est lætitiam, datis ad Clodoueum literis, quarum initium tale est. *Glorioso & illustri filio Clodoecho Anastasius Episcopus. Tuum, gloriose fili, in Christianâ fide, cum exordio nostro in Pontificatu contigisse lætamur.* Certè Clodoueo verissimè tunc competebat elogium, quod Childeberto eius pronepoti tribuit postea sanctus Gregorius Magnus [a]. *Quantò ceteros homines Regia dignitas antecedit, tantò ceterarum gentium regna regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alij, non mirum est, sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est; sicut enim magnæ lampadis splendor in terræ noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid autem Reges se ceteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementiùs superantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis.* At ne quid gratis à nobis hac in parte dictum fortè quis suspicetur, ceteros illorum temporum Dynastas, schismaticos aut hæreticos vel idololatras breuissimo indice commonstrabimus. Res non erit extra nostrum institutum, commendabit enim plurimùm dignitatem singularis beneficij, quo gens Francorum præ reliquis nationibus Deo se deuinctam fateatur necesse est.

[a] Lib. 5. ep. 6.

XCVIII. Sanctus Auitus Viennensis Episcopus in literis suprà recitatis, quas Clodoueo Regi recens baptizato scripsit, duos Principes Catholicos agnouit, Anastasium Augustum in Oriente & Clodoueum Regem in occidente. *Gaudeat,* inquit, *Gracia habere se Principem legis nostræ, sed non tam qua tanti muneris dono sola mereatur illustrari, quòd non desit & reliquo orbi claritas sua, siquidem & occiduis partibus in Rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat.* Sed Anastasius, qui testibus Cassiodoro & Marcellino quintum in Imperio annum iam agebat, quamuis in hæreticum apertè nondum desciuisset, ante biennium anno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto, seu *tertio anno Imperij*, vt loquitur Cyrillus Monachus in vitâ sancti Sabæ Abbatis, siue *Indictione secundâ, Asterio & Præsidio Consulibus*, vt in Chronico Marcellini legitur, *contra Orthodoxorum fidei maiestatem intestina cæpit prælia commouere, piaculi sui perfidiam priùs in Eufemium vrbis Episcopum sibi pro Orthodoxorum fide viriliter resultantem profano manifestauit ingenio*, ita vt censeri non deberet inter veros Catholicos, cùm Clodoueus baptismum suscepit, nec eum sanctus Auitus laude dignum iudicasset, si probè atque integrè nouisset res Constantinopoli gestas. Ceteri Dynastæ, quotquot in reliquo terrarum orbe dominabantur, vel colebant idola, vel sectabantur hæresim aut schisma, nec in eâ re probandâ opus videtur alio teste quàm eodem Auito, qui verbis iam citatis nullum eorum in numero Catholicorum habuit, placet tamen distinctiùs de singulis agere.

XCIX. Sanctus Gregorius Turonensis, postquàm narrationem de baptismo Clodouei Regis absoluit, hæc subiungit [b] de Regibus Burgundionum. *Tunc Gundobadus & Godegiselus fratres, Regnum circa Rhodanum aut Ararim cum Massilienscm prouinciam retinebant. Erant autem tam illi quàm populi eorum, Arriana secta subiecti.*

[b] Lib. 2. c. 32.

C. Idem Author [c] inter Arianos ascribit Alaricum Wisigothorum Regem, qui nobilissimas in Hispania & in Gallia prouincias obtinebat. Orthodoxam fidem, vt suo loco dicemus, in aulam Wisigothorum Regum inuexit primùm Ingundis Franca, Clodouei Regis proneptis, nupta Herminigildo Lewigildi Regis Ariani filio natu maiori.

[c] In præf. l. 3.

CI. Sueuis in Hispania dominabatur etiam Rex Arianus, vt ex Chronicis Ida-

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

tij & Isidori colligitur. Idatius opus suum claudit anno Leonis Imperatoris vndecimo, Christi quadringentesimo sexagesimo octauo, sub Remismundo Rege, quem Arianum fuisse testatur, cùm ad octauum annum Leonis Augusti de Aiace apostata sermonem instituit his verbis. *Aiax natione Galata, effectus Apostata, & senior Arianus, inter Suenos Regis sui auxilio hostis Catholicæ fidei & diuinæ Trinitatis emergit.* Et Isidorus [a] Remismundum ac successores Sueuorum Reges asserit in Ariana hæresi vixisse, donec Theudemirus eam eiurauit. Verba illius hæc sunt. *Huius Remismundi tempore Aiax natione Galata, effectus Apostata & Arianus, inter Suenos Regis sui auxilio fidei Catholicæ hostis emersit, cuius seductione Sueui à fide Catholica recedentes, in Arianum dogma declinant. Post multos deinde Reges regnum Sueuorum suscepit Theudemirus, qui fidem Catholicam adeptus, Arianæ impietatis errore destructo, Suenos vnitati fidei reddidit.* Theudomirus autem ex Ambrosij Moralis supputatione regnare cœpit anno Christi quingentesimo sexagesimo.

[a] In Chron. Sueu.

CII. Apud Vandalos in Africa regnabat Trasamundus æquè Arianus, de quo sic Isidorus [b]. *Trasemundus regnauit annis* XXVII. *mensibus quatuor. Iste Arianâ insaniâ plenus Catholicos insectatur, Ecclesias claudit, in Sardaniam exilio ex omni Africana Ecclesia* CXX. *Episcopos mittit.*

[b] In Chron. Vvand.

CIII. Theodoricum Ostrogothorum Regem Arianum quoque fuisse, docet Marcellinus, cùm Ioannem Papam Româ Constantinopolim iussè scribit, *Theodorico Rege pro Arrianorum suorum cæremoniis reparandis laborante.*

CIV. Præterea Gipedes in Dacia Transdanubiana & Longobardi in Pannonia erant Ariani, vt Valesius in gestis veterum Francorum obseruauit. Auentinus [c] Boioariorum Ducum, qui Christo nomen dederunt, primum & antiquissimum recenset Theodonem Tertium, qui Regi Francorum Orientalium siue Austrasiorum subiacebat, & Ragintrudem Clodouei Regis proneptem in vxorem duxerat. Theodolinda proneptis eiusdem Ragintrudis Agiluphum Longobardorum in Italia Regem coniugem suum pijs hortationibus ad Catholicam fidem ab Ariana hæresi postea perduxit, vt scribit Paulus Diaconus [d] in gestis Longobardorum.

[c] Lib. 3.

[d] Libb. 3. 4.

CV. Turingi, Saxones, Dani, Sueones *, aliique Septemtrionales populi Principibus ethnicis obtemperabant, & Christianam Religionem tunc primùm amplexi sunt, cùm venerunt in potestatem Francorum, aut diuini verbi præcones è Francia missos auscultarunt, vt suis locis ostendemus.

* *Les Suedois.*

CVI. Alamundarus Saracenorum Philarchus idolis nuntium remisit anno Anastasij Augusti vicesimo secundo, vt Cedrenus scribit, id est, anno Christi quingentesimo decimo tertio, post Clodouei conuersionem decimo septimo.

CVII. Lazorum Reges fidei Christianæ se subiecerunt seriùs Clodoueo. Etenim Marcellinus Anastasio Imperatori sufficit Iustinum *indictione vndecimâ, Magno & Florentio Consulibus*, id est, anno Christi quingentesimo decimo octauo. *Quinto* autem *anno Imperij Iustini*, vt ex Theophane refert Auctor Miscellæ, *Zatus Rex Lazorum venit Byzantium ad Iustinum, & rogauit eum, vt fieret Christianus, & ab eo appellaretur Imperator Lazorum. At Imperator grandi cum gaudio illo suscepto, illuminauit eum & filium appellauit. Profectus autem Lazorum Imperator à Iustino portauit coronam & chlamydem Imperatoriam albam. Quo comperto Cabades Rex Persarum significauit Iustino*, &c. Is Cabades Persarum Rex idola venerabatur, & in Christianos crudelissimè sæuiebat, testibus Anastasio Bibliothecario in Chronico, Theodoro Lectore, Cedreno ac Nicephoro.

CVIII. Auctor Miscellæ citatus Reges Erulorum & Hunnorum ad Christianam fidem conuersos docet sub Iustiniano Augusto, qui Iustino in Imperium successit. *Rex Erulorum*, inquit, *Gethes nomine venit Constantinopolim cum populo, & petit Imperatorem vt fieret Christianus. Qui baptizatum in Theophaniis suscepit eum ex baptismate repromittentem auxiliari ei in quibuscumque voluisset.* Et inferiùs. *Tunc & Rex Hunnorum, qui sunt iuxta Bosphorum, nomine*

Gorda, accessit ad Imperatorem, & factus Christianus susceptus est. Erulorum conuersionem in eiusdem Iustiniani tempora sic reiicit Procopius [a]. *Postquàm Imperium Iustinianus suscepit, Erulos agro donatos perbono, atque auctos largitione, vt & sociis Romanorum & Christianis vellent omnes ascribi perpulit.* Idémque ex ipso Procopio confirmat Euagrius [b].

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. CIX.

In Britannia, Britanni quorum Principatus solâ Walliæ * (vt hodie vocant) regione tunc claudebatur, cum Aquilonaribus incolis insulæ Pictis ac Scotis, quorum vltimi Hiberniæ quoque dominabantur, erant Schismatici. Angli verò & Saxones erant idololatræ, quibus reliqua insula parebat in septem Dynastias diuisa. Schismate Britannorum, Pictorum ac Scotorum adhuc durante, Christiana fides in Angliam primùm inuecta est, postquàm Adelbergis Clodouei proneptis eò transfretauit Edilbertho Cantuariorum Regi in matrimonium collocata, vt ex epistolis sancti Gregorij Magni, & historia venerabilis Bedæ suo loco probabimus. Religio Christiana è Cantio post Edilberthi baptismum in reliquas Angliæ & Saxoniæ Britannicæ partes feliciter est propagata. Nam Saberethus Orientalium Saxonum Rex, Edilberthi Regis ex sorore Ricula nepos, & Edwinus Nordhumbrorum seu Septemtrionalium Anglorum, id est, Deirorum & Berniciorum Rex, eiusdem Edilberthi ductâ Edelburgâ filiâ gener, ad Christianorum cœtum accesserunt. Deinde diuersis temporibus Carpualdus Orientalium Anglorum Rex, & Cynigilsus Rex Occidentalium Saxonum, ab Edwino & Oswaldo Nordhumbrorum Regibus persuasi fuerunt fidem & Sacramenta Christi suscipere. Præterea Oswi Nordhumbrorum Rex Alchfledam filiam suam Pendæ Middelenglorum seu Mediterraneorum Anglorum Principi, Pendæ Merciorum Regis filio, dedit in vxorem eâ lege vt ipse Christianus fieret, Sigbertum Orientalium Saxonum Regem ad Christianam fidem perduxit, Merciorum regnum subegit ac Christo asseruit. Posteà Ediluach Australium Saxonum Rex baptizatus est in prouincia Merciorum, præsente ac suggerente Rege Wlfhere. Denique fidem Christi recepit & insula * Vecta, cùm in potestatem Ceaduallæ Regis Occidentalium Saxonum deuenit. Res illas Britannicas copiosè descripsit Beda, qui consuli potest in Ecclesiastica historia gentis Anglorum, libris secundo [c], tertio [d], & quarto [e].

[a] De bel. Goth. l. 2. c. 14.
[b] Lib. 4. c. 19.
* *Le pays de Gales.*
* *L'Isle de Wvigth.*
[c] Capp. 3. 5. 6. 7. 9. 14. 15.
[d] Capp. 1. 7. 21. 22.
[e] Capp. 13. 16

Vniuerso terrarum orbe sic perlustrato, facilè deprehendes nullum Principem verè Catholicum fuisse, cùm Clodoueus Francorum Rex nuntium idolis remisit, quod non putauimus à nobis prætermittendum sine piaculo, cùm nec illud eruditissimus Cardinalis Cæsar Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi vndequingentesimum [f] tacuerit, & in Præfatione tomi sexti ad Clementem octauum, cùm deploratissima tempora repræsentaret, inter alia hoc etiam dixerit infelicissimum, *Quòd nullus omninò toto orbe Christiano Catholicus Princeps extaret, sed cuncti Reges & Imperatores hæresibus tenerentur impliciti, & cum Italiâ ipsa Roma, Romanáque Ecclesia sub Gothico & Ariano gladio ingemiscerent, quando ex insperato suscitat sibi Deus hominem secundum cor suum instar Dauid, seruum fidelem, Regem Francorum, Religionis Catholicæ professorem atque acerrimum defensorem, Christianissimum Clodoueum, qui è gentilium superstitione conuersus, illud ipsum quod accepit ab Ecclesia Catholica Euangelium, in Francos omnes qui aderant, & in posteros feliciter propagauit.*

CX.

[f] NN. 14. 15.

Præceptum quod Clodoueus Magnus, cùm Remis adhuc esset, in gratiam monasterij Reomaensis concessit, ex manuscripto Codice illius cœnobij tale profertur à Petro Rouerio. *Clodoueus Rex Francorum vir inlustris. Seruos Dei, quorum virtutibus gloriamur, & orationibus defensamur, si nobis amicos acquirimus, honoribus sublimamus, atque obsequiis veneramur, statum regni nostri perpetuò augere credimus, & seculi gloriam atque cælestis regni patriam adipisci confidimus. Quapropter notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, & inlustribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domesticis, Vscariis, Graphionibus, Centenariis, & omnibus curam*

CXI. PRÆCEPTVM CLODOVEI PRO MONAST. REOMAENSI.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

*sancta Dei Ecclesia gerentibus per nostrum regnum discurrentibus, tam præsentibus quàm futuris. Quia Dominus Ioannes clarus virtutibus locellum suum in pago * Tornotrinse, sub regulâ beati Macarij ad habitationem Monachorum constructum, qui Reomaus vocatur, primo nostro suscepta Christianitatis atque subiugationis Gallorum anno nostræ Celsitudini tradidit & commendauit, vt sub nostrâ emunitate & mundiburdio, nostrorumque successorum Regum, semper maneat. Propterea & nos ipsum peculiarem patronum nostrum, cuius merito omnes hostes nostros vincere credimus, taliter honorauimus, vt quantumcumque suo asino sedens vnâ die circa locum suum nobis traditum & commendatum de nostris fiscis circuisset, perpetuò per nostram regalem munificentiam habeat, & quod ipse nobis, nosque illis contulimus iure hæreditario tam nos quàm nostri successores Reges teneant in omni defensione, reclamatione, aduocatione, & immunitate, nullique vnquam dignitati, nullique Ecclesiæ propter meritum tanti Patris subdatur & conferatur. Monachis verò ibidem per diuersas cellulas manentibus seu mansuris omnia necessaria secundùm numerum quo fuerint, à nobis, & successoribus nostris Regibus ex nostro censu Regio præbeantur. Ideóque has literas manu nostrâ firmatas ipsi nostro Patrono Domino Ioanni dedimus. Id omnino vos rogamus, atque decernimus, vt nec nos nostrique successores Reges, neque vos vestrique minores, nec vllus quilibet de iudiciariâ potestate, de vernes curtes* (lege potiùs de villis curtis) *vel rebus ipsius Monasterij, in quibuslibet pagis, vel territoriis in regno Deo propitio nostro, nostrorumque successorum Regum, futuroque bono ipsius Monasterij, quod vel ab ipso Patrono Ioanne, vel à nobis est concessum, seu à suis progenitoribus ipsi & nobis datum, & hæreditate vel iudicio fuerit delegatum, tam ex munere nostro quàm de paterno & proprio, vel in reliquum de comparato aut de conlato populi, seu de quolibet adtracto aliquid auferre præsumat. Et pro ipsâ casâ Dei, aut ipso patrono nostro tam ciues quàm coloni ac gasindi suscepti, si aliquid violenter rapuerint, Dei nostrorumque terrore percussi ad integrum reddant. Et nemo prædictas res eorum inquietare audeat, nec in eorum vicos vel villas & curtes ad causas audiendas, nec ad mansiones faciendas, nec freda exactanda, nec vllas functiones requirendas ingredi præsumat. Sed sub nostra nostrorumque Regum successorum tuitione, & mundiburdio prædictum Monasterium propter meritum tanti patroni permaneat & quiescat. Et quod à nobis circa ipsum peculiarem nostrum patronum Dominum Ioannem conceditur, & conseruatur, hoc à nostris successoribus Regibus pro ipso patrono nostro, ac pro ipso loco sancto ad successores suos, quos ex suis elegerint, semper sit conseruatum, nec vllas requisitiones, nec repetitiones, nec vllum impedimentum à iudicibus publicis pertimescant. Vnde ipsa congregatio pro tempore tanti Patroni, eiusque successorum, pro stabilitate regni nostri & salute patriæ Domini misericordiam iugiter debeat exorare. Et vt hoc præceptum firmum habeatur, & per omnia tempora conseruetur, manus nostra signaculo subter illud decreuimus roborare, ac signo Crucis quo fulsimus auctoraumus. † Signum Clodouei fortissimi Regis. Datum sub die* IIII. *Kalendas Ianuarias, Indictione* V. *Actum Remis ciuitate in Dei nomine feliciter. † Ego Anachalus obtuli anno Magni Clodouei* XVI.

* *Le Tonnerrois.*

CXII. De die, mense, anno ac loco quo præceptum illud Clodouei emissum est, disseruimus suprà. Ceteras difficultates paucis enodabimus, ne quid hic desiderari videatur.

CXIII. Olim Præcepta, quibus Ecclesiarum priuilegia vel sanciebantur vel augebantur, vtrique Magistratuum generi, Ecclesiastico simul & Laico dirigi consueuerant, vt aliis fauentibus, aliis non repugnantibus plenius esset concedentium beneficium. Hoc Clodoueus præstitit. Episcoporum & Abbatum compellatione Magistratus omnes Ecclesiasticos, siue totum clericorum ac regularium ordinem in summis eorum rectoribus complexus est. Magistratus laicos diuisit in Duces, Comites, Domesticos, Vicarios, Grafiones, Centenarios & Missos discurrentes. Nascente Francorum imperio Duces dicebantur qui iuri simul & armis, Comites qui iuri tantùm præerant, lapsu temporis Comites armorum ac iuris præsides æquè fuerunt, eâ tamen inter vtrosque remanente differentiâ, quòd Comites singulis ciuitatibus, Duces pluri-

MAGISTRATVS ECCLESIASTICI.

LAICI.

bus præficiebantur. Domestici præerant villis regiis. Vicarij Comitum vicem in minoribus vrbibus gerebant. Grafiones iuri dicendo in causa rerum repetendarum & fiscalibus debitis exigendis præfuere. Centenarij seu Centenariones pagorum minimorum iudices sub Comitibus fuerunt non magno à Vicariis discrimine, nam vt ab illis proximè ad Comites reiiciebantur causæ maiores, ita & ab iltis. Missi fuerunt duplicis generis. Alij maiores, qui certo loco stationem habentes ius extra ordinem dicebant, vt Comitum iniustitias vel errata emendarent. Alij discurrentes appellabantur, quia per regnum discurrebant, vt subditorum querelas exciperent, ac nisi grauiores essent, de illis iudicarent.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Clodoueus in suo Præcepto testatur Monachos Reomaenses sub Regula sancti Macarij vixisse. Duplex inuenitur Regula Macariana. Vna duorum Macariorum aliorúmque Abbatum. Altera vnius Macarij. Vtriusque meminit Hugo Menardus in obseruationibus ad concordiam Regularum editam à sancto Benedicto Anianæ * Abbate. Priori, quàm anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, Henricus *Cuich* sacræ Theologiæ tunc Licentiatus, ac deinde Ruremondensis Episcopus, ad calcem operum Ioannis Cassiani ex Codice Affligemensi * primus in lucem emisit, hic præfigitur titulus in Codice Floriacensi. *Incipit Regula Monasteriorum, vel Deum timentium Discipulorum, id est, Serapionis, Machari, Pacnuti, & alterius Machari.* Et in Codice Corbeiensi. *Incipit Regula Sanctorum Patrum, Serapionis, Machari, Paunuthi, & alij Machari.* Posteriori, quàm anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo septimo, Petrus Rouerius Societatis Iesv Presbyter, in historia Reomaensi ex Codicibus Beccensi & Thuaneo publicauit, hic apponitur titulus. *Regula B. Macary, qui sub sua dispositione habuit V. M. Monachorum.* In Codicibus Floriacensi & Corbeiensi, qui prioris Regulæ titulum habent, loco *Machari*, lege *Macarij*, loco *Pacnuti*, & *Paunuthi*, lege *Paphnutij*. Aduerte præterea Codicem Floriacensem * hac terminari clausulâ. *Excit Regula Patrum Abbatum triginta octo.* Fuit igitur prior illa Regula Serapionis, Macarij, Paphnutij, alterius Macarij, aliorúmque Abbatum triginta quatuor. Ob numerum tot Abbatum citatur aliquando sub nomine Regulæ Patrum, frequentiùs sub nomine Macarij, nunquam verò sub nomine Serapionis aut Paphnutij. Serapionem Ægyptium Presbyterum sic commendat Ruffinus [a] Aquileiensis. *In regione Arsenoite Serapionem quendam Presbyterum vidimus multorum Monasteriorum patrem, sub cuius cura plura & diuersa Monasteria, quasi decem millium habebantur Monachorum, qui omnes ex laboribus propriis, quos præcipuè messis tempore, mercede manuum conquirebant, partem plurimam ad supradictum Patrem conferentes, in vsus pauperum destinabant.* Paphnutium [b] sic. *Vidimus & Monasterium sancti Paphnutij hominis Dei, qui nominatissimus in illis locis Anachoretes, & vltimus habitator fuerat deserti in regionibus Heracleos splendida apud Thebaïdam vrbis.* Denique cum agit de loco, qui pro multitudine dispersarum in eremo cellarum dictus est Cellia, duos Macarios ita laudat [c]. *Narrabant nobis quidam ex Patribus qui ibi erant, quòd in locis illis duo Macarij, quasi duo cæli luminaria refulsissent, ex quibus vnus Ægyptius genere, & discipulus beati Antonij fuit, alius Alexandrinus. Quibus vt vocabula nominis, ita virtutes animi & cælestium gratiarum magnificentia concordabat. Vterque enim Macarius, vterque abstinentiæ exercitiis & virtutibus animi æqualiter pollens, hoc solo alius præcellens, quòd quasi hæreditatem gratiarum & virtutum beati Antonij possidebat.* Errat autem hic Auctor, cùm Ægyptium seu seniorem Macarium sancti Antonij discipulum vocat, eóque titulo præferendum ait iuniori siue Alexandrino. Discipulus enim sancti Antonij aut vterque Macarius aut neuter haberi debet, quia ratio de vno potior, quàm de altero non occurrit. Ambo, quoniam sanctum Antonium viderunt, illius discipuli censeri possunt, nam quotquot olim adierant, allocutique fuerant sanctum Antonium, gaudebant se discipulos eius appellari, maximè quòd virtutum

CXIV. MONACHI REOMAENSES SVB REGVLA S. MACARII.

*Abbé d'Aniane.

*Affleghem.

DVPLEX REGVLA MACARIANA.

*Fleury sur Loire.

[a] De vitis PP. l. 2. c. 28.

[b] Ibid. cap. 16.

[c] Ibid. c. 28.

DISTINGVVNTVR TRES MACARII.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. THEBÆVS.

illius ac religiosi instituti sectatores se profiterentur. Macarius, qui verè discipulus sancti Antonij fuit, distinguendus est à duobus prædictis Macariis, quos aliquot annis antecessit, & quia vixit in inferiori Thebaide, cognomen Thebæi iure sortiri potest. De hoc Macario sic Cronius apud Palladium in historia [a] Lausiaca. *Sedebat beatus Antonius inter Babylonem & Heracleam in vasta solitudine quæ fert ad mare rubrum, circiter triginta milliaribus à fluuio. Cùm ergo veniſſem ad eius Monasterium quod est prope fluuium, in quo sedebant eius discipuli, Macarius & Amatas, qui eum etiam cùm dormiſſet sepelierunt, expectaui*, &c. Erat illud Monasterium in loco cui nomen Pispir, & Ruffinus asserit [b] visos à se Pœmenem & Iosephum *in Pispiri, qui appellabatur mons Antonij*. Duplex autem mons Antonij fuit, vnus exterior, alter interior. Ab exteriore, vbi Monasterium Pispiritanum, cui regendo Sarmata relictus est, in interiorem Antonius secessit anno ante obitum decimoquinto, secumque duxit prælaudatos discipulos Macarium & Amatam, quorum assiduo ministerio ad mortem vsque vsus est. In Chronico Hieronymiano ad annum Constantij Augusti decimum nonum, id est, ad annum Christi trecentesimum quinquagesimum sextum, hæc de S. Antonio eiúsque discipulis leguntur. *Antonius Monachus centesimo & quinto ætatis anno in eremo moritur*, &c. *Sarmata, Amathas & Macarius discipuli Antonij insignes habentur*. Sancto Antonio in montis interioris regimine successit Amathas siue Ammonas, huic Pityrion, vt Palladius [c] his verbis docet. *Vidimus in Thebaide altum montem fluuio imminentem, valdè terribilem & præcipitem, & Monachos illic viventes in speluncis. Eorum autem pater erat Pityrion, qui fuit vnus ex discipulis Antonij, & tertius qui illum locum excepit. Qui quidem multas virtutes efficiebat, & efficaciter spiritus expellebat. Cùm enim successisset Antonio & eius discipulo Ammonæ, meritò etiam successit hæreditati donorum.* Interim Sarmata in exteriori monte siue in Monasterio Pispiritano necatus est à Saracenis anno Constantij Augusti vicesimo, ad illum enim annum, quem anno Christi trecentesimo quinquagesimo septimo illigamus, ita scribit Hieronymus in suo Chronico. *Sarraceni in Monasterium beati Antonij irruentes, Sarmatam interfecerunt*. Sarmatæ subrogatus est Macarius, qui Monasterio non diu præfuit, illud enim *velociter* reliquisse dicitur in vita sancti Posthumij, vbi hæc de eiusdem Macarij Pispiritani seu Thebæi funere commemorantur. *Macarius emisit spiritum, statimque populorum ingens turba intentè ad funus currunt. Ibi psallentium multitudo, diuersis hymnorum vocibus, quasi vno ore laudes Deo canebant, donec corpus ad sepulchrum deduceretur humandum, nemo tamen vehementer dolebat, eò quòd sanctus Macarius tam velociter Monasterium relinqueret, quoniam Dominus similem ei Posthumium gregi suo magistrum prouiderat.* Macarius Ægyptius, cuius memoria decimo-octauo Kalendas Februarias in tabulis Ecclesiasticis recolitur, *Scithium*, siue *Scetin*, aut *Scithicam* in Libya *solitudinem* præcipuè inhabitauit, Macario Pispiritano superstes fuit per multos annos, ex hac enim vita migrauit anno Christi trecentesimo nonagesimo primo, idque ex historia [d] Lausiaca sic colligitur. Palladius Alexandriam se contulit *secundo Consulatu Theodosij Magni Imperatoris*, id est, anno Christi trecentesimo octogesimo octauo; cumque versatus esset *tres annos in Monasteriis quæ sunt circa Alexandriam, illinc recedens* venit *in montem Nitriæ*, anno videlicet Christi trecentesimo nonagesimo primo; deinde cùm *toto anno in monte* habitasset, perrexit *in intimam solitudinem*, anno scilicet Christi trecentesimo nonagesimo secundo; Macarium autem, quia priori anno, Christi trecentesimo nonagesimo primo vitam finierat, conuenire non potuit, idque in fine capitis vndeuicesimi testatum sic ipsemet reliquit. *Res admirabiles & præter opinionem fecit Deus per sanctum Macarium, cuius immortalis anima nunc est cum Angelis. Eum ego non conueni, obierat enim anno antequam ego ingrederer in solitudinem.* Macarius Alexandrinus Ægyptio superuixit, sic enim idem Palladius exorsus est caput operis sui vicesimum. *Conueni autem eum, qui erat eius socius in fidei operibus, & idem venerabile nomen quod ipse habebat.*

[a] Cap. 25.

[b] Lib. 2. hist. Eccl. c. 8.

[c] Cap. 1. 74.

ÆGYPTIVS.

[d] Capp. 7. 19.

ALEXANDRINVS.

habebat. Dico autem sanctum Macarium Alexandrinum, qui erat Presbyter earum quæ dicuntur cellarum. In quibus cellis ego nouem annos habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius, &c. Hic Macarius in tabulas Ecclesiasticas relatus est quarto Nonas Ianuarij; cognomen Alexandrini sumpsit à patria; iunior dictus est, vt distingueretur ab Ægyptio, qui prior obiit & ætate maior, vixit enim *nonaginta annos integros*, vt Palladius [a] affirmat. Ceteros præterimus Macarios, quia nullus eorum creditus est hactenus Auctor Regulæ, quam Ioannes Reomaensis Abbas in suo Monasterio seruandam præcepit. Petrus Rouerius obseruatione ad historiam Reomaensem duodequadragesimâ, testatur lectos à se manuscriptos Codices, in quibus is qui Regulam illam concinnauit, asseritur habuisse *sub sua dispositione quinque millia Monachorum*. At iste Monachorum numerus totam difficultatem non dirimit, nam duo Macarij, Pispiritanus & Alexandrinus quinque millibus Monachorum præfuerunt. De Macario Pispiritano sic Anonymus [b] in vita sancti Posthumij, qui Monasterium Pispiritanum post eumdem Macarium administrauit. *Nota facta est sancto Macario, scilicet beati Antonij discipulo, conuersatio Posthumij, & celebre eius factum est nomen, visumque est illi ad hunc abire in eremum. Nam idem Macarius ab illustri viro Antonio Monachorum ferè quinquaginta millia susceperat gubernanda.* Vbi non *quinquaginta millia*, sed *quinque millia* proculdubio leget, quisquis Posthumium, qui Macario in præfecturam Pispiritanam successit, aduerterit Patrem quinque millium Monachorum in hoc ipsius vitæ titulo nuncupari. *Vita beati Posthumij Patris quinque millium Monachorum.* Macarius Alexandrinus similiter quinque millia Monachorum rexit, habuit enim tres cellas, vt historia Lausiaca [c] Palladij, & Paradisus [d] Heraclidis docent, vnam in Scete, alteram in Celliis, tertiam in monte Nitriæ, μίαν ἐν τῇ Σκήτει ἐν τῷ πατρικῷ τῇ ἀδελφῇ, μίαν εἰς Λιβύλω εἰς τὰ λεγόμενα κελλία, μίαν εἰς τὸ ὄρος τῆς Νιτρίας, quia nonnumquam, aut seniorem Macarium in Scithica solitudine degentem adibat, aut secedebat in eremum cui dispersæ cellæ nomen Celliorum dederant, morabatur autem propriè in monte Nitriæ, vbi quinque millia Monachorum tunc fuisse sic affirmat Palladius capite septimo, ὡς ὃ ὄρος οἰκοῦσιν ἄνδρες ὡς πεντακισχίλιοι, & capite decimo-quarto, πεντακισχίλιοι οἰκοῦντες μοναζόντως τὸ ὄρος ἐκεῖνο. Eundem Nitriensium Monachorum numerum notat beatus Hieronymus in literis [e] ad Eustochium de custodia virginitatis. *Quid ante non plures annos Nitriæ gestum sit, referemus. Initum est inter Monachos consilium, nam in eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant*, &c. Rouerius [f], quia Macarium Pispiritanum haud nouit, illum cum Alexandrino confudit, & Posthumium, qui Monasterium Pispiritanum gubernauit, Macarij Alexandrini successorem in Nitriensi præfectura finxit. Laudandus tamen est, quòd cùm duos Macarios Ægyptium & Alexandrinum distinxisset, Regulam, quam Monachi Reomaenses susceperunt, non Ægyptio, sed Alexandrino acceptam retulit. In eandem imus sententiam, quia Macarius Ægyptius à nemine vocatur Pater quinque millium Monachorum, & Macarium Thebæum, qui Pater quinque millium Monachorum fuit, Monasteriique Pispiritani præfecturam iniit anno post sancti Antonij mortem proximo, semper arbitrati sumus eiusdem sancti Antonij magistri sui præceptis & institutis adeò delectatum, vt de condenda noua Regula nunquam cogitarit.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

[a] Cap. 19.

[b] Lib. 1. de vit. PP.

[c] Cap. 10.
[d] Cap. 6.

[e] Epist. 22.

[f] Obseru. 38.

QVIS AVTHOR REGVLÆ.

Gennadius [g] de Macario Ægyptio sic scribit. *Macarius Monachus ille Ægyptius, signis & virtutibus clarus, vnam tantùm ad iuniores professionis suæ scripsit epistolam, in quâ docet illum perfectè posse Deo seruire, qui conditionem creationis suæ cognoscens, ad omnes semetipsum inclinauerit labores, & luctando, atque Dei, aduersùm omne quod in hac vitâ suaue est, auxilium implorando, ad naturalem quoque perueniens puritatem, continentiam velut naturæ debitum munus obtinuerit.* Miræus à plerisque iam reprehensus fuit, quòd eam epistolam non distinxerit à Regulâ Macarianâ, quam Macario Alexandrino attribuimus. A Gennadio [h] laudatur & *Macarius alius monachus*, qui *scripsit in vrbe Romanâ aduersùm Mathema-*

CXV.

[g] Cap. 10.

ERROR MIRÆI.

[h] Cap. 18.

ANNVS Christi, 496. CLODOVEI R. 15.

ticos librum, in quo labore Orientalium quæsiuit solatia scripturarum, sed hoc nihil affinitatis habet cum Regulâ Macarianâ de quâ nunc agimus.

Illa Regula distribuitur in articulos triginta. Similes aliquot sententias in suis epistolis habent sanctissimi Patres Hieronymus [a] & Augustinus [b]: necnon in suis Regulis beatissimi Præsules Cæsarius & Aurelianus; quin & integra capita non pauca descripserunt sanctus Benedictus Abbas Anianæ & Smaragdus eiusdem loci Monachus, ille in concordiâ Regularum quas cum Regulâ sancti Benedicti Casinensis Abbatis contulit, hic in commentariis quibus eandem Regulam illustrauit. Singulos articulos seu capita recitabimus, additis etiam notis, quoties occasio postulabit.

[a] Ep. 4.
[b] Ep. 109.

REGVLA S. MACARII DIVISA IN ARTICVLOS.

CXVII. DE ACTIB. VIRTVTVM INTERNIS.

Articulus primus. *Milites Christi sic debent componere gressus suos. Charitatem in se perfectissimam continentes, Deum ex totâ animâ diligere, & ex totâ mente, & ex toto corde, & ex totâ virtute suâ.*

CXVIII. Articulus secundus. *Inuicem perfectissimam sectantes obedientiam, pacifici, mites, moderati, non superbi, non iniurioſi, non susurrones, non irrisores, non verbosi, non præsumptuosi, non sibi placentes, sed cui militant Christo, non blasphemiam sectantes, nec dicentes quidquam præter quod bonum est, ad obsequium non pigri, ad orationem parati, in humilitate perfecti, in obedientiâ præcincti, in vigiliis instantes, in ieiunio hilares.*

CXIX. Articulus tertius. *Nullus alio se iustiorem arbitretur, sed vnusquisque omnibus se inferiorem contendat, quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

CXX. Articulus quartus. *Præceptum senioris vt salutem suscipias, non murmurando vllam operam facias, non responsionem contra præceptum vsurpes.*

CXXI. Articulus quintus. *Non te extollas aut magnifices vtilem aliquam operam fecisse, non in acquirendo aliquid lucri congaudeas, aut in damno contristeris.*

CXXII. Articulus sextus. *Non te familiaritas vlla secularis trahat, sed tota dilectio tua in cellula demoretur. Cellam vt paradisum habeas, fratres tuos spirituales vt æternos confidas habere parentes.*

CXXIII. Articulus septimus. *Præpositum Monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. Similiter quoque & omnes te oportet diligere fratres, cum quibus te confidis videre gloriam Christi.*

CXXIV. DE OPERE MANVVM. Articulus octauus. *Non oderis laboriosa opera, otium quoque ne sectaris. In vigiliis confectus, in opere iusto affectus, ambulans quasi dormitans lassus ad stratum venias, & cum Christo requiescere te credas.*

CXXV. DE PRECATIONE. Articulus nonus. *Cursum monasterij super omnia diligas, qui verò sæpiùs orare voluerit, vberiorem inueniet misericordiam Christi.*

CXXVI. Nouem hi priores articuli leguntur in concordia Regularum, capite septimo [c], cui titulus est, *quæ sunt instrumenta bonorum operum.* Rouerius [d] regulam omnem sancti Macarij reducit ad septem præcipua capita, scribitque primum constare septem primis articulis, & totum esse de actibus virtutum internis, mansuetudine, humilitate, obedientiâ, charitate erga Deum & homines. Cuiusmodi verò essent hoc in genere Nitrienſium instituta, docet egregiè Ruffinus [e] his verbis. *Venimus ad Nitria famosissimum in omnibus Ægypti monasteriis locum, qui quadraginta ferè millibus abest ab Alexandriâ, ex nomine vici adiacentis in quo nitrum colligitur, Nitriæ vocabulum trahens, prospiciente hoc, credo, tunc iam diuinâ prouidentiâ, quòd in illis locis peccata hominum, tanquam nitro sordes, abluenda essent & abolenda*, &c. *Huic cùm appropinquaremus loco, vbi peregrinos fratres aduenire senserunt, continuò velut examen apum singuli quique ex suis cellulis prorumpunt, atque in obuiam nobis læto cursu & festinâ alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum vrceos aquæ & panes, secundùm quod Propheta corripiens quosdam dicit.* [*Quia non existis filiis Israël in obuiam cum pane & aquâ.*] *Tunc deinde susceptos nos adducunt primò cum psalmis ad Ecclesiam, lauant pedes, ac singuli quique linteis quibus vtebantur abstergunt, quasi via laborem leuantes, re autem verâ vitæ humanæ ærumnas mysticis traditionibus abluen-*

[c] Paragr. 2.
[d] Obseru. 40.
[e] De vit. pp. l. 2. c. 11.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

tes. Quid ergo nunc de humanitate eorum, quid de officiis, quid de charitate loquar? cùm omnes gestirent nos ad suam quisque introducere cellulam, & non ea solùm, quæ hospitalitati debentur, explere, sed insuper aut de humilitate, quâ ipsi pollebant, docere, aut de mansuetudine atque aliis huiusmodi bonis, quæ apud illos, velut ad hoc ipsum de sæculo sequestratos, diuersâ quidem gratiâ, vnâ tamen eâdemque doctrinâ discuntur. Nusquam sic vidimus florere charitatem, nusquam sic vidimus opus feruere misericordiæ & studium hospitalitatis impleri. Sanctus Hieronymus in literis ad Rusticum [a] habet multa, quæ prælaudatis articulis, quarto, sexto & septimo respondent, sic enim ait. *Habeto cellulam pro paradiso.* Paulò pòst. *Viderint quid alij sentiant, vnusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Et infrà. *Præpositum monasterij timeas vt dominum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare, quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententiâ iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse.* [*Audi Israël, & tace.*] Sanctus Augustinus [b] inter Regulas quas Monialibus præscripsit, hanc quoque non omisit. *Præpositæ tanquam matri obediatur, honore seruato, ne in illâ offendatur Deus.* Et sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium hæc præcepit. *Matri post Deum omnes obediant, Præpositæ deferant.*

[a] Ep. 4.

[b] Ep. 109.

Ex Rouerij diuisione [c] secundum Macarianæ Regulæ caput est de opere manuum & precatione, complectiturque sex articulos, octauum videlicet, tresque proximè sequentes cum decimoquinto & tricesimo. Octauum duntaxat ac nonum suprà recitauimus. Priori consentanea sunt hæc sancti Hieronymi [d] ad Rusticum præcepta. *Facito aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum*, &c. *Operis tui pensum persoluas, subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias ambulansque dormites.* In posteriori, *cursus* significat diuinum Officium siue horas canonicas. Istius acceptionis multa passim occurrunt exempla. Gregorius Turonensis testatur [e] scriptum à se librum *de cursibus Ecclesiasticis.* Apud eundem Auctorem quidam monachus à præsentiâ fratrum clam eleuatus dicitur [f] *post impletum in oratorio cursum.* Non vna fuit vbique cursus seu diuini Officij ratio, varij cursus à diuersis scriptoribus commendantur, cursus Romanus, cursus Gallicanus, cursus sancti Benedicti, cursus sancti Columbani, quapropter monachi, quos Macarius erudit, non cursum simpliciter, sed cursum sui monasterij iubentur super omnia diligere. Cursum autem, quòd quotidie excurratur, seu persoluatur, ita dictum volunt.

CXXVII.

[c] Obseru. 41.

[d] Ep. 4.

[e] Lib. 10. c. 31

[f] De glor. Confess. c. 38.

CXXVIII. DE LECTIONE.

Articulus decimus. *Matutino dicto ita meditationem habeant fratres vsque ad horam secundam, si tamen nulla causa extiterit, quâ necesse sit etiam prætermissâ meditatione aliquid fieri in commune.*

CXXIX. DE OPERIBVS.

Articulus vndecimus. *Post horam verò secundam vnusquisque ad opus suum paratus sit vsque ad horam nonam, vt quod iniunctum fuerit sine murmuratione perficiat, sicut docet Apostolus.*

CXXX.

Vt hosce duos articulos benè capias, horas metire iuxta morem antiquum, quo dies, sicut nox, horis duodecim constat, & per Matutinum nocturnas Vigilias intellige, quia Matutinum & Matutini siue Orationes Matutinæ in antiquis quidem Regulis, modò nocturnas Vigilias significant, modò Laudes vt hodie loquimur, imò & hora Matutina pro Prima nonnunquam sumitur, sed ætate Macarij, solemnitas aut laudum aut horæ Primæ nondum celebrabatur. Post nocturnas igitur Vigilias, Macarius Monachos vult vsque ad horam secundam meditationi, id est lectioni, post horam verò secundam vsque ad horam nonam operibus suis vacare. Meditationem lectionem interpretamur. Hæc interpretatio nititur auctoritatibus Sanctorum Cæsarij, & Aureliani. Sic enim decernit sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium. *Omni tempore, duabus horis, hoc est à mane vsque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo verò diei spatio faciant opera sua, & non se fabulis occupent, propter illud Apostoli.* [*Cum silentio operantes.*] *Reliquis verò in vnum operantibus, vna de sororibus vsque ad Tertiam legat.* Et in Regulâ Monachorum. *Omni tempore vsque ad Tertiam legant.* Et sanctus Aurelianus. *Post Matutinas Orationes*, seu Laudes, *ad sum-*

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

num reuerti non liceat, sed completis Matutinis statim dicatur Prima; deinde vsque ad Tertiam omnes lectioni vacent. Sanctus quoque Benedictus in capite suæ Regulæ, quod inscribitur *de Officiis diuinis in noctibus*, meditationem pro lectione vsurpat. *Hyemis*, inquit, *tempore, id est à Calendis Nouembris vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis octauâ horâ noctis surgendum est, vt modicè amplius de mediâ nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quod verò restat post Vigilias, à fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi*, id est lectioni, *inseruiatur.* Sensus enim est, vt interstitium istud, quod intercedit à fine Vigiliarum nocturnarum vsque ad Matutinos siue vsque ad Laudes, Monachi qui psalterij & lectionum ignari sunt, in earumdem rerum meditatione seu lectione insumant, nempe vt discant rectè legere & pronunciare lectiones & psalterium, atque etiam interpretari, imò & ipsum psalterium memoriæ mandent si possint. Nec ille sancti Benedicti textus, de quo consule notas & obseruationes Hugonis Menardi ad concordiam [a] Regularum, intelligendus est de oratione mentali, quamuis alibi nulla ei assignetur hora in totâ Regulâ sancti Benedicti. *Quod mirari debet nemo*, ait idem Auctor Benedictinus, *quia in antiquorum Patrum Regulis nullam videmus eiusmodi orationi horam præscribi, cùm prisci illi Monachi omni loco & tempore diuina meditarentur.* Operibus laboriosis & precationibus, quibus incumbere monachi iubentur in Regulâ Macarianâ, Nitrienses vacare solitos docet Palladius [b]. *Hi omnes*, inquit, *suis manibus faciunt vestem lineam, adeò vt sint omnes minimè egentes.* En opera laboriosa. Sequuntur preces. Τῆς ἑσπέρας κατακλινούσης, *vespera appetente*, vel *circa horam nonam* vt Heruetus vertit, *licet stare & audire ἀφ' ἑκάστης μάνης ab vnaquaque cellula Hymnos & Psalmos Christo decantatos & preces in cœlos emissas, adeò vt existimet quispiam se in sublime elatum transmigrasse in Paradisum delitiarum.* Hæc obseruamus, quia Regula Macariana quam examinamus, quò conformior ostenditur Nitrienſibus institutis, eò magis probatur opus esse Macarij Alexandrini, qui Monachis Nitrienſibus præfuit. In eâdem Regulâ Macarius vnicuique præcipit, *vt quod iniunctum fuerit sine murmuratione perficiat, sicut docet Apostolus.* Id etiam sanciuit sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium. *Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili iudicio pereat murmuratorum, secundùm illud Apostoli.* [*Omnia facite sine murmurationibus.*] Et in Regulâ monachorum. *Omne ministerium cum bona voluntate facite, vt impleatis illud.* [*Voluntariè sacrificabo tibi.*]

[a] Cap. 23. paragr. 1.

[b] Cap. 7.

CXXXI. DE DELICTORVM ANIMADVERSIONE. [c] Obseru. 42.

Articulus duodecimus. *Si quis autem murmurauerit, vel contentiosus extiterit, aut recedens in aliquo contrariâ voluntate præceptis, dignè corripiatur secundum arbitrium senioris, vel quemadmodum qualitas poposcerit, vt cùm se pœnitendo humiliauerit, vel emendauerit, ita correptus frater non audeat vsque recidere.* In obseruationibus [c] Roueri, caput tertium Regulæ Macarianæ, quod est de animaduersione in delinquentes, complectitur hunc articulum, duosque subsequentes; necnon articulos decimum sextum & decimum septimum; item vicesimum sextum, vicesimum septimum & vicesimum octauum.

CXXXII. Articulus decimus tertius. *Si quis verò de fratribus, vel qui in oratorio sunt, vel qui per cellulas consistunt, eius errori consenserit, culpabilis erit.*

CXXXIII. Articulus decimus quartus. *Ad horam verò orationis dato signo, qui non statim prætermisso omni opere quod agit venerit, quia nihil orationi præponendum est, foris excludatur vt erubescat.* Sanctus Cæsarius in Regulâ monialium, orationem à ceteris distinguit operibus, vocatque per excellentiam *opus Dei*, & monacham, quæ signo tacto tardiùs ad orationem aut ad aliud opus venerit, vult increpationi primùm subiacere, deinde, si secundam aut tertiam admonitionem neglexerit, *à communione vel à conuiuio*, id est ab orationis communione & à participatione mensæ communis, separari. *Quæ signo tacto tardiùs ad opus Dei vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum est, subiacebit. Quòd si secundò aut tertiò admonita emendare noluerit, à communione vel à conuiuio separetur.* Sanctus Aurelianus monachos, qui signo dato tardiùs ad quodcumque opus

venerint, pœnis etiam ſubiicit. *Signo tacto, omne opus prætermittatur, & ſicut apes prudentiſſimæ ad alueariũ, ita veloci feſtinatione properare contendite. Si quis tardiùs venerit, diſtrictioni ſubiaceat* Sanctus Cæſarius in Regulâ Monachorum, excuſat eum qui eſt in remoto loco. *Prater eum qui in remoto loco eſt, ſigno tacto, ad omne opus Dei nullus tardiùs veniat. Si tardiùs venerit, ſtatim de ferulâ in manus accipiat.* ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

Articulus decimus-quintus. *Operam verò dabunt ſinguli fratres, (quod tempore quo Miſſæ fiunt in Vigiliis obſeruandum eſt) vt quando omnes conueniunt, quicumque grauatur ſomno, exeat foras, nec ſe fabulis occupet, ſed ſtatim redeat ad opus ad quod conuenitur. In congregatione autem ipsâ, vbi legitur, aurem ſemper ad ſcripturas habeant, & ſilentium obſeruent omnes.* Hic articulus cum duobus ſequentibus apud Rouerium pertinet ad ſecundum caput Regulæ Macarianæ, quod eſt de opere manuum & precationibus. Habetur integer in Regulâ Patrum, capite ſexto, & ex eâ citatur in concordiâ Regularum, capite quinquageſimo ſecundo [a]. *In Vigiliis obſeruandum eſt, quando omnes conueniunt, vt quicunque grauatur ſomno & exiit foras, non ſe fabulis occupet, ſed ſtatim redeat ad opus ad quod conuenitur. In congregatione autem ipsâ, vbi legitur, aurem ſemper ad ſcripturas habeant, & ſilentium obſeruent omnes.* In prædictis Regulis licentia Monacho conceditur exeundi foras, ſi ſomno grauetur tempore ſeu Vigiliarum nocturnarum, ſeu Miſſarum quæ fiunt in Vigiliis nocturnis, id eſt, vt hodie loquimur, cùm Matutinum dicitur, aut Miſſæ ſeu Lectiones fiunt ad eaſdem Vigilias ſeu Matutinum. Illas Vigiliarum ac Miſſarum ſignificationes fuſiùs exponemus ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum ſextum. Ab Ægyptiorum Patrum ſententiâ recedunt Sanctiſſimi Præſules Cæſarius & Aurelianus, facultatem enim exeundi foras non tribuunt, ſed monachum ſeu monacham, ſi ſomno grauetur, aliis ſedentibus, in pedes ſtare præcipiunt diebus feſtiuis, ferialibus verò vacare leui cuidam operi, quod mentem à lectionis auditu non retrahat. Apud Cæſarium, qui nonnihil deprauatus eſt, in Regulâ monialium ſic lege. *In Vigiliis, vt nemo per otium ſomno grauetur, ea opera fiat, quæ mentem non retrahat à lectionis auditu. Si verò Dominicus aut feſti ſunt dies, quæ grauatur ſomno, aliis ſedentibus, iubeatur ſtare, vt poſſit à ſe ſomni marcorem repellere, ne in opere Dei tepida inueniatur aut negligens.* Cæſarij Regulam eo loco ſic reſtituendam eſſe docet hic Aureliani textus. *Ad Vigilias, dum lectio legitur, aut de ſparto aut de canabe aut aliud huiuſmodi manibus operamini, vt non ſomnus obrepat. Si verò Dominicus, aut feſti ſunt dies, cui ſomnus venerit, aliis ſedentibus iubeatur ſtare, vt poſſit à ſe ſomni marcorem depellere, ne in opere Dei tepidus inueniatur aut negligens.* Item ille. *Ad Vigilias nullus dormiat. Si verò Dominici, aut feſti dies ſunt, cùm ſomnus venerit, aliis ſedentibus ſtet, vt poſſit à ſe ſomni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepidus inueniatur aut negligens.* CXXXIV. DE SILENTIO.

[a] Paragr. 2.

Articulus decimus-ſextus. *Hoc etiam addendum fuit, vt frater qui pro qualibet culpa arguitur vel increpatur, patientiam habeat, & non reſpondeat arguenti ſe, ſed humiliet ſe in omnibus ſecundùm præceptum Domini dicentis, quia* [*Deus humilibus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit*] *&* [*qui ſe humiliat exaltabitur.*] Hanc ſanctionem confirmat ſanctus Cæſarius in Regula monialium. *Quæ pro qualibet culpâ admonetur, caſtigatur, corripitur, arguenti reſpondere penitus non præſumat.* Et in Regula Monachorum. *Arguente Abbate, aut Præpoſito, aut quolibet ſeniore, reſpondere penitus non præſumat.* Rationem reddit ſanctus Aurelianus. *Si quis pro qualibet culpa aut tranſgreſſione Regulæ increpatur, aut diſciplinam accipit, arguenti reſpondere non præſumat, quia peccatum, quod hìc diſtringitur, in æterna examinatione non punitur. Et ſic debetis animæ curam excipere, quomodò æger curam medici, tenentes illud ſacræ Scripturæ.* [*Qui abiicit diſciplinam, infælix eſt.*] *Et illud.* [*Ego in flagella paratus ſum.*] CXXXV. DE CORRECTIONE.

Articulus decimus-ſeptimus. *Qui verò ſæpiùs correptus non ſe emendat, nouiſſimus in ordine ſtare iubeatur. Qui ſe ne ſic quidem emendauerit, extraneus habeatur, ſicut Dominus dixit. Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Hic articulus ha- CXXXVI.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

betur in concordia [a] Regularum & apud Smaragdum [b]. Macarius præcipit, vt is qui sæpiùs correptus non se emendat, stet nouissimus *in ordine*, id est, in officio diuino. Ordo enim officium diuinum, cursum, synaxim, opus Dei, horas canonicas significat. In eo sensu ordines psalli dicuntur,& Patres Concilij [c] Narbonensis definiunt, *vt in psallendis ordinibus, per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo.*

[a] Cap. 37.
[b] Cap. 18.
[c] Can. 2.

CXXXVII. DE SILENTIO.

Articulus decimus-octauus. *Ad mensam autem specialiter nullus loquatur, nisi qui præest, vel qui interrogatus fuerit.* Hic articulus cum sequenti & postrema parte decimi-quinti suprà recitati conficit caput quartum Regulæ Macarianæ, quod est de silentio, iuxta diuisionem [d] Roueri. Silentium Nitriotarum Monachorum à Palladio plurimùm commendatur. Laudantur Or & Macarius; ille [e], quòd nullum verbum protulerit nisi opus esset; hic [f], quòd quadraginta dies ante Pascha transegerit de nulla re nec magna nec parua loquutus. Articulus Regulæ Macarianæ, de quo nunc agimus, in concordia Regularum [g] allegatur ex Regula Patrum. Vetat Macarius, ne quis ad mensam loquatur præter eum *qui præest, vel qui interrogatus fuerit.* Excipit eum qui mensæ præest, vt quoties libuerit, aliquid ad ædificationem dicat. Excipit & illum qui interrogatus fuerit non à quolibet, sed ab eo duntaxat qui mensæ præsit. Nullius ad mensam lectionis meminit, ideóque silentij studiosior videtur fuisse quàm sancti Præsules Augustinus, Cæsarius & Aurelianus, qui librum ad mensam cùm monachorum tum monacharum legi præceperunt, vt cùm fauces cibum sumebant, Dei verbum aures audirent. Monachas sic erudit Augustinus [h]. *Cùm accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite. Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures percipiant Dei verbum.* Augustinum sic expressit Cæsarius in Regula monialium. *Sedentes ad mensam taceant, & animum lectioni intendant. Cum autem lectio cessauerit, meditatio sancta de corde non cesset. Si verò aliquid opus fuerit, quæ mensæ præest sollicitudinem gerat, & quod est necessarium nutu magis quàm voce petat. Nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant Dei verbum.* Eandem Cæsarij sanctionem à monialibus ad monachos traduxit Aurelianus. *Dum cibus sumitur, legatur, vt vterque homo exterior cibo, interior verbo Dei reficiatur, quia scriptum est.* [*Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.*] Et ipsemet Cæsarius in Regula monachorum. *Ad mensam dum manducant, nullus loquatur, sed vnus legat quemcumque librum, vt sicut corpus reficitur tantùm cibo, ita anima reficiatur Dei verbo. Sic dicit Dominus.* [*Non autem solo pane viuit homo, sed ex omni verbo Dei.*] *Qualis est terra sine pluuia, & caro sine cibo, talis est anima si non reficiatur Dei verbo.* Posteriorem partem articuli decimi-quinti, quâ Macarius iubet, vt *in congregatione ipsa*, id est, in omnium monachorum conuentu, *vbi legitur, aurem semper ad Scripturas habeant, & silentium obseruent omnes*, non existimamus capiendam esse de mensa, sed de diuinis officiis ac synaxi, quia prior pars eiusdem articuli fuit de Vigiliis nocturnis & de Missis seu Lectionibus, quæ fieri solebant in iisdem Vigiliis, & totius articuli sensus est, vt monachus, cui facultas exeundi foras ob somni corporem conceditur, in ipsa congregatione silentium obseruet, aurémque semper habeat ad Scripturas quæ leguntur, siue antequàm exeat foras, seu postquàm ad opus rediit, propter quod congregatio seu conuentus agi cœpit.

[d] Obseru. 41.
[e] Hist. Laus. c. 9.
[f] Ibid. c. 10.
[g] Cap. 47.
[h] Ep. 109.

CXXXVIII. Articulus decimus-nonus. *Nullus se in sua peritia vel in voce exaltet, sed humilitate & obedientia lætetur in Domino.*

CXXXIX. DE HOSPITALITATE. Articulus vicesimus. *Hospitalitatem sectans per omnia, ne auertas oculos inanem relinquens pauperem, ne fortè Dominus in hospite aut in paupere ad te veniat, & videat te hæsitantem, & condemneris, sed omnibus te hilarem ostende & fideliter age.* Hic articulus legitur etiam in concordia [i] Regularum & apud Smaragdum [k]. Rouerius [l] hinc orditur caput quintum Regulæ Macarianæ, quod est de hospitalitate & conuictu cum aliis, tréque complectitur articu-

[i] Cap. 60. parag. 1.
[k] Cap. 53.
[l] Obseru. 44.

los. Apud monachos Nitrienſes immenſa fuit hoſpitalitatis cura. Teſtis Palladius in multis locis Hiſtoriæ Lauſiacæ. Capite ſeptimo ſic ait. *In hoc monte Nitriæ vna eſt maxima Eccleſia*, &c. *Prope Eccleſiam autem poſitum eſt Xenodochium, in quo venientem hoſpitem toto tempore accipiunt, etiamſi biennium aut triennium voluerit manere, donec velit ſuâ ſponte recedere.* Capite vndeſeptuageſimo, quomodò fuerit ab eis exceptus, ita deſcribit. *Deuenimus ad Nitrienſes*, &c. *Cùm vidiſſent autem aliqui ex ipſis nos procul venientes, aliqui quidem nobis cum aqua occurrerunt, & alij pedes noſtros lauabant: alij verò veſtes mundabant: alij verò ad cibum inuitabant, & ad virtutum diſciplinam; alij autem ad contemplationem & Dei cognitionem.* Capite ſeptuageſimo Ammonium eiuſque diſcipulos ab hoſpitalitate ſic commendat. *Vidimus autem Patrem quoque eorum qui illic erant, nomine Ammonium, habentem eximias cellas, & atrium, & puteum, & reliqua neceſſaria. Cùm autem ad eum veniſſet quidam frater qui volebat ſaluus fieri, & ei diceret vt ipſi inueniret cellam ad habitandum, illicò egreſſus præcepit ei ne egrederetur è cellis, donec ipſi inueniſſet aptum habitaculum, & cùm ipſi reliquiſſet omnia quæ habebat cum ipſis cellis, ſeipſum incluſit in paruam cellam. Quòd ſi plures erant, qui conueniebant, volentes ſalui fieri, congregabat vniuerſam fraternitatem, & illo quidem tradente lateres, hoc verò aquam, perficiebant cellas in vno die. Eos autem, qui erant habitaturi in cellis, in Eccleſiam vocabant ad conuiuia. Dúmque illi ſe recreant & exhilarant, vnuſquiſque cùm è ſua cella ouillam ſuam pellem aut ſportam pane vel ceteris impleſſet neceſſariis, deferebant ad nouas cellas, vt nulli nota eſſet vnuſcuiuſque oblatio. Noctu autem venientes habitaturi ſuas cellas, repentè inueniebant omnia neceſſaria.* Et apud eundem Auctorem [a] Apollo dicit de ſuſcipiendis monachis, *quòd oportet adorare fratres aduenientes. Non enim ipſos, ſed Deum adoraſti. Vidiſti enim, inquit, fratrem tuum, vidiſti Dominum Deum tuum, & hoc, inquit, ab Abraham accepimus. Et quòd oporteat, inquit, nonnunquam cogere fratres ad refectionem, à Lot accepimus, qui coegit Angelos.*

ANNVS Chriſti 496. CLODOVEI R. 15.

[a] Cap. 52.

CXL. DE CONVICTV.

Articulus viceſimus-primus. *Paſſus iniuriam taceas, iniuriam facere non noſce, ſed factam poſſe tolerare. Non te inania ſeducant conſilia, ſed magis te ſemper in Chriſto confirma. Non tibi vllos æſtimes eſſe proximiores parentes, quàm qui tecum ſunt tui in cellula fratres.* Totus hic articulus eſt de monachorum conuictu, perrinetque ad caput quintum Regulæ Macarianæ, quod apud Rouerium partim de monachorum hoſpitalitate, partim de eorumdem conuictu inſcribitur. Legitur integer in concordia Regularum [b]. Prima hæc verba, *paſſus iniuriam taceas*, occurrunt apud ſanctum Hieronymum [c] in literis ad Ruſticum.

[b] Cap. 14. paragr. 2.
[c] Ep. 4.

CXLI.

Articulus viceſimus-ſecundus. *Ad neceſſaria quærenda à cellula bini egrediantur, vel terni fratres, & ita illi, quibus credendum eſt, non qui verboſitatem aut gulam ſectantur.*

CXLII. DE MONACHIS SVSCIPIENDIS.

Articulus viceſimus-tertius. *Ergo ſi de ſeculo quis in' monaſterio conuerti voluerit, Regula ei introeunti legatur, & omnes actus monaſterij illi pateſiant. Quod ſi omnia aptè ſuſtinuerit, ſic dignè à fratribus in cellula ſuſcipiatur.* Hic articulus duóque ſubſequentes apud [d] Rouerium conſtituunt ſextum Macarianæ Regulæ caput de abrenunciatione ſeculi & opum. Ex Regulâ ſancti Macarij deſcribuntur in concordia Regularum, capite ſexageſimo quinto, paragrapho quarto, & paragrapho ſecundo eiuſdem capitis ex Regulâ Patrum recitatur primus prædictorum articulorum cum priori parte alterius. A ſanctione ſancti Macarij non receſſerunt ſancti Cæſarius & Aurelianus. Sic enim ſanctus Cæſarius ſtatuit de Monialibus in recapitulatione ſuæ Regulæ. *Quæcumque ad conuerſionem venerit, in ſalutatorio ei frequentiùs Regula relegatur, & ſi promptâ & liberâ voluntate profeſſa fuerit ſe omnia Regulæ inſtituta complere, tamdiu ibi ſit quamdiu Abbatiſſæ iuſtum ac rationabile viſum fuerit; ſi verò Regulam dixerit ſe non poſſe complere, penitus non excipiatur.* Et ſanctus Aurelianus de Monachis in ſua Regula. *Hoc iubente Deo inprimis ſtatuimus tenendum, vt ſi quis ad conuerſionem venerit, Regula ei in ſalutatorio legatur, &, ſi profeſſus fuerit ſe omnia impleturum, tunc excipiatur.*

[d] Obſeru. 45.

ANNVS Christi. 496. CLODOVEI R. 15. CXLIII.

DE ABRENVNCIATIONE OPVM.

Articulus vicesimus-quartus. *Nam si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut Regula continet. Quòd si susceptus fuerit, non solùm de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa iudicabit hora. Nam si aliquid priùs erogauit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum, vt aliquid habeat in sua potestate.* Hic articulus in concordia Regularum [a], ex Regula sancti Macarij describitur integer, ex Regula verò Patrum ad illa duntaxat verba, *ab illa iudicabit hora.* Præcipit sanctus Macarius, vt coram cunctis fratribus, *in mensa*, id est, in communi possessione Monasterij, ponantur opes, quas *in cellulam*, id est, in Monasterium, infert is qui sæculo abrenunciat. In alia significatione non vsurpatur mensa, cùm apud Gregorium Turonensem [b] Baudinus Episcopus Turonensis *instituit mensam Canonicorum*, & apud Cyprianum [c] beatus Cæsarius Arelatensis Episcopus captiuos eo redemit argento, *quod venerabilis Eonius antecessor eius, Ecclesiæ mensæ reliquerat.* Is igitur, qui suscipitur in Monasterio, facultatibus, quas in illud infert, ita se spoliat, vt nullum ius in eas sibi reseruet, imò non opibus tantùm sed & propriæ renunciat voluntati, seque totum Abbatis imperio mancipat. *Quòd si susceptus fuerit*, inquit beatus Macarius, *non solùm de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa iudicabit hora.* In Regula Patrum, istius periodi principium sic habetur. *Quòd si susceptum fuerit*, id est, quæ res seu substantia si suscepta fuerit. Idcóque Hugo Menardus [d] in Regula Macariana legendum putat. *Quòd si suscepta fuerit*, nempe substantia de qua priùs fiebat sermo. Sed in eo textu nihil corrigendum duximus, quia mens Auctoris esse videtur, vt referatur potiùs ad eum qui suscipitur in Monasterio, quàm ad substantiam, quam tradit veniens in Monasterium. Cùm autem monasticam vitam amplexuro licitum sit facultates suas erogare cui velit, non curat B. Macarius vtrùm is illas pauperibus an Monasterio largiatur; hoc enim ei solummodò iniungit, vt in sua potestate nihil habeat. *Si aliquid priùs erogauit pauperibus, aut veniens in cellulam aliquid intulit fratribus, ipsi tamen non est licitum, vt aliquid habeat in sua potestate.* Duplici verò ratione fieri potest, vt qui priusquàm in Monasterium veniret, aliquid erogauit pauperibus, aut cùm in Monasterium venit, aliquid fratribus intulit, is in Monasterio susceptus nonnihil adhuc habeat in sua potestate. Prior modus est, si penes se quid retineat ex opibus, quas obtinebat antequàm Monachum indueret. Posterior, si facultates sibi comparet ex laboriosis operibus, quibus in Monasterio iuxta consuetudinem monasticam vacat. Neutrum probat beatus Macarius. Priorem vetat etiam sanctus Cæsarius his verbis in Regula Monialium. *Nihil suæ potestati, quod peculiariter aut ordinare aut possidere videantur, reseruent propter illud Domini.* [*Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides.*] *Et* [*Si quis non reliquerit omnia, & secutus me fuerit, meus non potest esse discipulus.*] Et paulò pòst ob oculos ponit exemplum Ananiæ & Saphiræ. *Ideò*, inquit, *hoc sanctis animabus vestris præcipimus timentes exemplum Ananiæ & Saphiræ, qui cùm totum se dixissent Apostolis obtulisse, partem obtulerunt, partem sibi infideliter reseruarunt. Quod fieri nec decet, nec licet, nec expedit.* Pauciotibus verbis rem eandem beatus Aurelianus ita complectitur in Regula Monachorum. *Id quod secum exhibuerit, totum tradat in potestatem Abbatis, timens exemplum Ananiæ & Saphiræ.* Posteriorem modum habendarum opum in Monacho quantùm Nitriotæ detestarentur, ac præcipuè sanctus Macarius, cuius Regulam exponimus, in literis ad Eustochium ita docet beatus Hieronymus [e]. *Quid ante non plures annos Nitriæ gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus parcior magis quàm auarior, & nesciens triginta argenteis Dominum venditum, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquit. Initum est inter Monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinque millia diuisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. Aly pauperibus distribuendos esse dicebant, aly dandos Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos.*

[a] Cap. 65. parag. 1. 4.
[b] Lib. 10. c. 31.
[c] Apud Sur. d. 27. Aug.
[d] In not. ad Conc. Reg. c. 65. parag. 4.
[e] Ep. 22.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

tendos. Macarius verò, & Pambo, & Isidorus, & cæteri quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreuerunt infodiendos esse cum eodem, dicentes. [*Pecunia tua tecum sit in perditionem.*]

Articulus vicesimus-quintus. *Et si ex qualibet causa scandali post tertium diem exire inde voluerit, nihil penitùs nisi vestem, in qua venit, accipiat. Quòd si casu transierit, nullus hæreditatem eius adire debet. Quòd si impulsare quis voluerit, Regula ei legatur, & confundatur turpiter, & discedat confusus, quia & illi, à quo repetit, fuerat recitata.* Hic articulus in concordia Regularum [a] describitur ex Regula sancti Macarij. Beatus Cæsarius in Regula monialium, fœminam, quæ sæculo renunciauit, vult in Monasterio vsque ad mortem permanere. *Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum ouile voluerit intreire, vt spiritalium luporum fauces Deo adiuuante possit euadere vsque ad mortem suam de Monasterio non egrediatur.* Et in Regula Monachorum. *In primis, si quis ad conuersionem venerit, eâ conditione excipiatur, vt vsque ad mortem suam ibi perseueret.* Suffragatur S. Aurelianus. *Si quis ad conuersionem venerit, Regula ei in salutatorio legatur, &, si professus fuerit se omnia impleturum, tunc excipiatur. Exceptus verò vsque ad mortem suam nec præsumat nec permittatur de Monasterio egredi propter illud Propheticum.* [*Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*] A Regula sancti Macarij non parùm recedunt. Hic enim pro qualibet causa scandali, quod in Monasterio exoriatur, Monachis liberam abeundi facultatem concedit, modò sint innocentes, nam pœnas in reos aliis sanctionibus decernit. Ne complures autem, si fortè quid scandali moueatur, è Monasterio statim velint exire, sapienter admodùm statuit, vt quicumque post tertium suscepti Monachatus diem è Monasterio discedere voluerit, is *nihil penitùs nisi vestem, in qua venit, accipiat.* Monachus igitur Macarianus facultates, quas Monasterio tradidit, cùm in eo suscipiendus esset, numquam repetere potest, nisi Monasterium ob ortum in eo scandalum relinquat intra triduum ab induta veste monastica. Si verò *transierit*, id est, si moriatur, hæreditatem ab eo nemini venturam pronuntiat beatus Macarius, & aduersus eos, qui *impulsare*, seu pulsare, id est, in ius vocare, voluerint, causam Monasterij, cui traditæ sunt opes, hoc tuetur argumento, quòd Monachus iuxta Regulam nihil proprium habere potuit, & eadem Regula recitata fuit ei, cuius hæreditas postulatur.

CXLIV. DE MONACHIS ABIRE VOLENTIBVS.

[a] Cap. 65. parag. 4.

Articulus vicesimus-sextus. *Ergo ex qualibet causa quis peccauerit frater, ab oratione suspendatur, & ieiuniis distringatur. Quòd si coram omnibus fratribus veniam petierit, dimittatur illi.* Redit sanctus Macarius ad animaduersionem delictorum. Monachum, qui deliquit, *ab oratione*, id est, ab orationis communione suspendit, castigatque ieiuniis vltra regularem consuetudinem indictis, veniam tamen ei concedit, si coram cunctis fratribus prostratus eam petat. Legitur hic articulus cum duobus sequentibus in concordia Regularum [b], & ex Regula sancti Macarij descriptus asseritur.

CXLV. DE DELICTORVM ANIMADVERSIONE.

[b] Cap. 37. parag. 3.

Articulus vicesimus-septimus. *Nam si in sua voluerit perseuerare nequitia & superbia, & dicat. Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, vt eam vbi voluerit Dominus. Qui de fratribus hoc eum dixisse primus audierit, referat Præposito & Præpositus Abbati. Abbas coram omnibus fratribus resideat, & eum exhiberi iubeat, & virgis purgetur, & oratio fiat, & sic ad communionem recipiatur, vt si quis sanè non emendatur doctrinâ, virgis purgetur.* Duas editiones huius articuli contulimus, vnam ex Codice * Beccensi publicauit Petrus Rouerius in vitâ [c] Ioannis Abbatis Reomaensis, alteram ex Codice Floriacensi Hugo Menardus in concordiâ Regularum [d]. Factâ collatione tertiam ambabus correctiorem damus. In Historia Reomaensi contumax Monachus ita loquitur. *Accipiam casulam meam, & eam vbi voluerit Dominus.* Rectiùs in concordiâ Regularum. *Accipiam casulam meam, vt eam vbi voluerit Dominus.* In eadem concordia hæc proximè sequuntur. *Qui de fratribus hoc eum dixisse priùs audierit.*

CXLVI. DE MONACHIS AB ABBATE PVNIENDIS.

* *De l'Abbaye du Bec.*

[c] Lib. 3. cap. 1.

[d] Cap. 37. parag. 3.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

In prædicta verò Historia meliùs. *Qui de fratribus hoc eum dixisse primus audierit.* Casula, quam Monachus accepturum se dicit, est apud Isidorum [a] Hispalensem *vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Idem Auctor [b] posteà cucullam per diminutionem à cella similiter deriuat. *Cuculla*, inquit, *quasi minor cella.* Porrò, si cuculla deducitur à cella, casula, quæ vestis est cucullata, vestis Monachorum censeri debet. Ita sentiendum sancti Fulgentij discipulus in eius vita docet his verbis. *Casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec Monachos suos habere permisit.* In Historia Reomaensi sanctus Macarius statuit, vt *Abbas* in Monachum animaduersurus *coram omnibus fratribus resideat, & cum exhiberi iubeat virgis emendatum.* Meliùs in concordia Regularum, vt *Abbas coram omnibus fratribus resideat, & cum exhiberi iubeat, & virgis purgetur.* Non enim arbitramur à sancto Macario sancitum, vt Monachus Abbati ac fratribus exhiberetur virgis iam emendatus, sed vt virgis coram Abbate ac fratribus purgaretur, tum oratio fieret, & sic ad communionem ille reciperetur. Monachos Nitrienses, quibus beatus Macarius longo tempore præfuit, virgis, si deliquissent, excipi solitos Palladius Episcopus in Historia [c] Lausiaca sic affirmat. *In hoc monte Nitriæ vna est maxima Ecclesia, & in ipsa Ecclesia sunt tres palmæ, ex quibus vnaquæque habet flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos Monachos qui delinquunt. Alterum verò ad puniendos latrones, si quando inciderint. Tertium verò ad corrigendos eos, qui fortè veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeò vt quicunque delinquunt, & conuincuntur meruisse vt dent pœnas, palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant.*

[a] Orig. l. 19. cap. 24.
[b] Ibid.
[c] Cap. 7.

CXLVII. DE MONACHIS TRANSFVGIS.

Articulus vicesimus-octauus. *Quòd si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat nisi annotata sua vestimenta, & extra communionem infidelis discedat. Nam quieti & pacifici excelsum diripiunt regnum, & filij computantur altissimi, & pretiosas splendidasque accipiunt coronas. Filij autem tenebrarum in exteriora ibunt tormenta.* [*Super quem requiescam, dicit Dominus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos.*] Ita Codex Beccensis. Sed loco illarum vocum, *nisi annotata sua vestimenta*, hæ reperiuntur in concordiâ Regularum [d], *nisi in notatissimo vestimento.* Vtriusque lectionis idem est sensus. *Si casu quis frater de monasterio exire voluerit, nihil penitus accipiat nisi annotata sua vestimenta*, id est nisi vestem quâ inducbatur cùm ad monasterium venit; siue, vt scriptum habetur in articulo vicesimo quinto suprà recitato, *nihil penitus nisi vestem in qua venit accipiat*, aut, vt in concordia Regularum legitur, *nihil penitus accipiat nisi in notatissimo vestimento*, id est, in vestimento seculari, quo transfuga ille distingui posset à Monachis. Hac sanctione retunditur Monachi superbia, qui præcedenti articulo palam aiebat, se monasterio egressurum cum sua casula, id est, cum veste monastica.

[d] Cap. 37. paragr. 3.

CXLVIII. DE IEIVNIO.

Articulus vicesimus-nonus. *Ita & hoc obseruandum est, quòd quartâ & sextâ feriâ qui infringunt ieiunium, grauem sibi pœnam acquirunt.* Hic articulus apud Rouerium [e] constituit septimum seu postremum Macarianæ regulæ caput, quod est de ieiunio. Sanctus Macarius ieiunium feriæ quartæ & feriæ sextæ sub graui pœna Monachis indicit. Hos enim dies cuiuslibet hebdomadæ cum abstinentia & carnis maceratione transigere consueuerant olim Christiani, quia Iudæi feriâ quartâ de Christi morte consilium inierunt, & feriâ sextâ Christum affixerunt cruci. Sanctus Ignatius Philippensibus ita scribit. *Ieiunare quartis & sextis feriis ne negligatis.* Clemens Alexandrinus [f] de Christiano sic loquitur. *Nouit ipse ieiunij quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti* seu paraseeues, ἃ παρασκευὴ καὶ παρασκευή. *Dicitur autem ille quidem Mercurij, hic verò Veneris.* Per ænigmata mysticam intellige allusionem, quam attigimus suprà, fusiorique stylo sanctus Augustinus [g] in literis ad Casulanum Presbyterum sic exponit. *Cur autem quartâ & sextâ maximè ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio, ipsâ quartâ sabbati, quam vulgò quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse*

[e] Obseru. 46.
[f] L. 7. Strom.
[g] Ep. 86.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei quem vocamus quintam sabbati, deinde traditus est eâ nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista quintam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vesperâ sequente futura erat cœna Paschalis, quâ cœnâ incipiebat azymum & eius immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam sabbati fuisse, quando ait Dominus. [*Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.*] *Ac per hoc dies ipse ieiunio deputatus est, quia sicut Euangelista sequitur & dicit.* [*Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum & seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent & occiderent.*] *Intermisso autem vno die, de quo dicit Euangelium.* [*Primâ autem azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?*] *Hoc ergo die intermisso passus est Dominus, quod nullus ambigit, sextâ sabbati, quapropter & ipsa sexta rectè ieiunio deputatur. Ieiunia quippe humilitatem significant. Vnde dictum est.* [*Et humiliabam in ieiunio animam meam.*]

CXLIX. DE OPERE MANVVM.

Articulus tricesimus. *Illud etiam addendum fuit, vt intra monasterium artificium non faciat vllus, nisi ille cuius fides probata fuerit, qui ad vtilitatem & necessitatem monasterij faciat quod facere poterit.* Postremus hic articulus iuxta Rouerij diuisionem pertinet ad secundum caput regulæ Macarianæ, quod in duas distinguitur partes, quarum vna est de opere manuum. Huc vsque de sancti Macarij Regulâ, sub quâ Monachos Reomaenses vixisse Clodoueus Rex in suo Præcepto testatur.

CL. CONFIRM. CHRONOLOG.

Antequàm ceteras huius Præcepti partes exponamus, obserua Chronologiam nostram egregiè confirmari à sancti Antonij ætate, de qua nobis necessariò loquendum fuit, cùm de tribus Macariis, Pispiritano, Ægyptio & Alexandrino verba faceremus. Citauimus Chronicon Hieronymianum, in quo ad annum Constantini Augusti decimum-nonum hæc leguntur. *Antonius Monachus centesimo & quinto ætatis anno in eremo moritur.* Annum Constantij Augusti decimum-nonum, anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto illigauimus. Cæsar Baronius, quamuis annum Constantij Augusti decimum-nonum in annum Christi trecentesimum quinquagesimum sextum incidisse nobiscum fateatur, obitum sancti Antonij biennio seriùs in annum Christi trecentesimum quinquagesimum-octauum reiicit. Ita sentire cogitur, quia Imperatorem ante annum Christi ducentesimum quinquagesimum tertium non agnoscit Decium, sub cuius Principatu sanctum Antonium in Ægypto natum sic affirmat Eusebius in suo Chronico. *Decius quum Philippos patrem & filium interfeciſſet, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouet &c. Antonius Monachus in Ægypto nascitur.* Nos verò, quia Deciani Principatus initium anno Christi ducentesimo quinquagesimo primo collocamus, nec ab Eusebio, nec à sanctis Athanasio & Hieronymo recedimus. Astipulamur Eusebio qui sanctum Antonium in lucem editum ait Decio iam imperante. Sancto suffragamur Athanasio [a] qui sanctum Antonium ex hac vita migrasse tradit, cùm annum ætatis quintum supra centesimum ageret. Assentimur sancto Hieronymo, qui sanctum Antonium anno vitæ suæ centesimo quinto, Constantij Augusti decimo-nono, mortuum pronuntiat. Dicet fortè quis ortum sancti Antonij, non eo quo Decius imperare cœpit anno, sed sequenti consignari in Chronico Eusebiano quod allegauimus. Ad annum enim tertium Olympiadis ducentesimæ quinquagesimæ septimæ sic Eusebius. *Philippus senior Veronæ, Romæ iunior occiditur. Romanorum vicesimus-quintus regnauit Decius,* &c. Et ad annum quartum eiusdem Olympiadis. *Decius è Pannonia inferiore Budaliæ natus fuit. Decius quum Philippos patrem & filium interfeciſſet, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouet,* &c. *Antonius Monachus in Ægypto nascitur.* At hæc nostræ non aduersantur opinioni, quia principium anni Olympiadici sumitur ab æstiuali solstitio, natumque credimus Antonium, cùm

[a] In vit. S. Anton.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

annus Olympiadicus alius ab eo, quo Decius Imperium sumpserat, nuperrimè inchoatus esset; anni verò Consularis seu Romani, quo idem Decius Imperatorem se dixerat, plures supereſſent menses vsque ad Kalendas Ianuarij, quibus apud Romanos annus aperiri consueuerat. In Chronico Eusebiano iuxta editionem Pontaci, quâ vti solemus, anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio Decius interfectis Philippis Imperium arripit. Hic profectò calculus Baronium decepit, &, vt ostendimus suprà, coëgit à sancto Hieronymo Auctore synchrono, ac fide digniſſimo in obitu sancti Antonij dissentire. Præstat igitur exordium Deciani Principatus ad annum Christi referre ducentesimum quinquagesimum primum, vt initio nostri operis in Apparatu Chronologico fecimus. Ab illo enim anno vsque ad annum Constantij Augusti decimum-nonum, quocum annus Christi trecentesimus quinquagesimus-sextus apud ipsummet Baronium coincidit, annos rectè numerabis centum & quinque, quos Antonio tribuunt sanctus Athanasius in eius vita, & sanctus Hieronymus in suo Chronico ad annum Constantij Augusti decimum-nonum, quo mortuum tradit. Hæc confirmandæ Chronologiæ ergò. Reuertamur ad regium Præceptum quod Clodoueus in gratiam Reomaensium Monachorum emisit.

CLI. Clodoueus in suo Præcepto locellum Reomaum à Ioanne sibi traditum ac commendatum affirmat. Olim cùm Monasteria construebantur, loca ipsa ne diuiderentur ab hæredibus, sub immunitatis defensione tradebantur Regibus, qui postea eadem in alodem dabant. Huiusce consuetudinis illustre monumentum occurrit inter capitula à Carolo Caluo facta *in Synodo apud Sueſſionas ciuitatem, in Monaſterio ſancti Medardi, anno Incarnationis Dominicæ octingenteſimo quinquageſimo tertio, in menſe Aprili. Miſſi noſtri*, inquit Carolus, *diligenter inueſtigent per ſingulas parochias cum Epiſcopo, de Monaſteriis, quæ Dominum timentes in ſuis proprietatibus ædificauerunt, & ne ab hæredibus eorum diuiderentur, parentibus & prædeceſſoribus noſtris ſub immunitatis defenſione tradiderunt, & poſteà in alodem ſunt data, vt deſcribant quæ ſint, & à quo vel à quibus in proprietatem data ſint, & nobis renuntiare procurent, vt cum Epiſcopis & cæteris fidelibus noſtris conſideremus, quid & qualiter ſecundum Dei voluntatem & noſtram ſalutem agere debeamus.* Quam Carolus immunitatis defensionem vocat, Clodoueus emunitatem ac mundiburdium dicit. Extant apud Marculfum [a] formulæ cùm emunitatis regiæ, tum chartæ de mundiburdio seu mundiburde Regis. Accipe fragmentum emunitatis regiæ. *Nouerit ſolertia veſtra, quòd nos ad petitionem Apoſtolici viri Domini illius, illius vrbis Epiſcopi, tale pro æterna retributione beneficium viſi fuimus indulſiſſe, vt in villabus Eccleſiæ, quas moderno tempore aut noſtro, aut cuiuſlibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipſius ſancti loci voluerit diuina pietas ampliare, nullus iudex publicus, ad cauſas audiendas, aut freda vndique exigendum, quocumque tempore non præſumat ingredi. Sed hoc ipſe Pontifex vel ſucceſſores eius propter nomen Dei ſub integro emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo, vt neque vos, neque iuniores, neque ſucceſſores veſtri, nec vlla publica iudiciaria poteſtas, quocumque tempore in villis vbicumque in regno noſtro, ipſi Eccleſiæ, aut regiâ aut priuatorum largitate collatis, aut qui in anteà fuerint collaturis, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuſlibet cauſis exigere, nec manſiones aut paratas, vel fideiuſſores tollere non præſumatis, ſed quidquid exinde aut de ingenuis, aut de ſeruientibus, cæteriſque nationibus, quæ ſunt infra agros vel fines, ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ commanentes, fiſcus aut de fredis, aut vndecunque potuerat ſperare, ex noſtra indulgentia pro futura ſalute in luminaribus ipſius Eccleſiæ, per manum agentium eorum, proficiat in perpetuum.* Accipe & formulam chartæ de mundeburde Regis & Principis. *Rectum eſt, vt Regalis poteſtas illis tuitionem impertiat, quorum neceſſitas comprobatur. Igitur cognoſcat magnitudo ſeu vtilitas veſtra, quòd nos Apoſtolicum & venerabilem illum Epiſcopum aut Abbatem Eccleſiæ vel Mo-*

FORMVLA EMVNITATIS REG.

[a] Lib. 1. capp. 3. 14.

MVNDEBVRD. REG.

naſterÿ in honore illius Sancti conſtructi, cum omnibus rebus vel hominibus aut gaſindis vel amicis, ſeu vndecumque ipſe legitimo reddibit mittio, iuxta eius pretionem, propter malorum hominum inlicitas infeſtationes, ſub ſermonem tuitionis noſtræ viſi fuimus recepiſſe, vt ſub mundeburde vel defenſione illuſtris viri illius Maioris domus noſtræ, cum omnibus rebus Eccleſiæ vel Monaſterÿ, quietus debeat reſidere, & ſub ipſo viro illo illuſtris vir ille cauſas ipſius Pontificis, aut Abbatis, vel Eccleſiæ, aut Monaſterÿ, vel qui per eum ſperare videntur, vel vndecumque legitimo reddibit mittio, tantùm in Palatio noſtro ſequi deberet. Præterea per præſens decernimus ac iubemus præceptum, vt memoratus Pontifex aut Abbas ſub noſtro ſermone, & mundeburde antedicti viri quietus reſideat, & nec vos, nec iuniores, aut ſucceſſores veſtri, vel quiſlibet eum de inquiſitis occaſionibus iniuriare nec inquietare præſumatis. Et ſi aliquæ cauſæ aduerſus eum vel ſuo mittio ſurrexerint, quæ in pago abſque eius graui diſpendio definitæ non fuerint, in noſtri præſentia reſeruentur. Quam præceptionem, vt firmior habeatur, propriâ manu ſubſcripſimus. Agemus iterùm de illis formulis aliâ occaſione, difficilioráque vocabula, quorum mentio in Clodouei præcepto non occurrit, tunc exponemus.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

CLII.

Ab iiſdem formulis parùm diſcrepat Clodoueus in ſuo præcepto, ſic enim ait. *Id omninò vos rogamus atque decernimus, vt nec nos noſtrique ſucceſſores Reges, neque vos veſtrique minores, nec vllus quilibet de iudiciaria poteſtate, de villis, curtis, vel rebus ipſius Monaſterÿ, in quibuſlibet pagis, vel territoriis in regno, Deo propitio, noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum Regum, futuróque bono ipſius Monaſterÿ, quod vel ab ipſo patrono Ioanne, vel à nobis conceſſum, ſeu à ſuis progenitoribus ipſi & nobis datum, & hæreditate vel iudicio fuerit delegatum, tam ex munere noſtro, quàm de paterno & proprio, vel in reliquum de comparato, aut de conlato populi, ſeu de quolibet adtracto, aliquid auferre præſumat. Et pro ipſa caſa Dei aut ipſo patrono noſtro tam ciues quàm coloni ac gaſindi ſuſcepti, ſi aliquid violenter rapuerint, Dei noſtróque terrore percuſſi ad integrum reddant. Et nemo prædictas res eorum inquietare audeat, nec in eorum vicos, vel villas & curtes, ad cauſas audiendas, nec ad manſiones factendas, nec freda exactanda, nec vllas functiones requirendas ingredi præſumat. Sed ſub noſtra noſtrorúmque Regum ſucceſſorum tuitione & mundiburdio prædictum Monaſterium propter meritum tanti patroni permaneat & quieſcat.* Per emunitatem varia remittit onera, manſiones, freda, functiones. Per manſiones intellige hoſpitia Magiſtratibus aut regiis miſſis vulgò debita. Freda cum Gregorio Turonenſi [a] compoſitiones interpretare fiſco debitas. Functiones explica penſitationes publicarum rerum aut pecuniarum in regios miniſtros. Cùm Marculfus ſcripſit, Maiores domus regiæ maximâ pollebant auctoritate, ſub eorúmque mundeburde ſeu tuitione res Eccleſiarum & Monaſteriorum ponebantur à Regibus. Aliter agit Clodoueus, res Monaſterij Reomaenſis ſub ſuo ſucceſſorúmque Regum mundiburdio vult eſſe, nullâ mentione factâ Maioris domus, cuius poteſtas ſub poſteris Regibus vigere primùm cœpit. Quinque genera rerum ac bonorum diſtinguit, munus regium, hæreditatem, bonum comparatum, bonum collatum, & bonum attractum. *Tam ex munere*, inquit, *noſtro, quàm de paterno & proprio, vel in reliquum de comparato, aut de conlato populi, ſeu de quolibet adtracto.* Duo priora nullam patiuntur difficultatem. Tria poſteriora ſic inter ſe diſcriminantur pro tribus modis acquiſitionum. *Comparatum* vocatur id, quod dato pretio acquiſitum eſt. *Conlatum* ſeu collatum dicitur, quod datum eſt gratuitò. *Adtractum* ſiue attractum nuncupatur id, quod velut merces induſtriæ & lucrum laboris obuenit. Eadem genera in formula confirmationis *de omni corpore facultatis Monaſterÿ* ſic complectitur Marculfus [b]. *Præcipientes ergo, vt omnes facultates ipſius Monaſterÿ, quicquid aut regiâ collatione, aut priuatorum munere, vel anteceſſoribus Abbatibus ſeu & à domno lui ibidem eſt legaliter adquiſitum aut comparatum, immò de quibuſcumque rebus rectè adtractum*, &c. Denique ne quam difficul-

MANSIONES.

[a] De mirac. S. Martin. l. 4. c. 16.

FREDA.

FVNCTIONES.

QVINQVE GENERA BONORVM.

[b] Lib. 1. c. 35.

ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15. GASINDI. [a] Formul. 61. CLIII.

tatem taciti prætermisisse videamur, obserua Gasindos fuisse homines familiaribus obsequiis adhibitos, & Gasindium eiusmodi obsequium olim dici solitum. In legum enim antiquarum Codice formula [a] reperitur, in quâ si Gasindo suo quidpiam donare quis voluerit, causa donandi sic exprimitur. *Respectu fidei & seruitij tui, quod circa nos impendere non desistis.*

Præceptum Clodouei pro Monasterio Reomaensi ter excusum fuit hactenus. Semel anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo septimo in Historiâ Reomaensi Petri *Royer*. Iterum anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo in miscellaneis curiosis Philippi *Labbe*. Tertiò inter chartas ac probationes Historiæ Burgundiæ hoc anno, Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto. Hæ tres editiones non differunt inter se, quamuis earum Auctores annum Clodouei Regis decimum-sextum, quo præceptum emissum est, ad eundem Christi annum haud reducant. Rouerius & Labbeus annum interpretantur Christi quadringentesimum nonagesimum-septimum, Stephanuus *Perard* annum Christi quadringentesimum octogesimum secundum. At neutri per mensem Decembrem conuenit Indictio quinta. Rouerius præceptum verum tuetur, atque concessum fuisse postquam Clodoueus Gundobadum Burgundiæ Regem bello vicit fecitque vectigalem. Labbeus an verum vel falsum credat, haud declarat constanter: vbi enim Cancellarios Clodouei Regis recenset, locum dat Anachalo, cuius nomen nullibi præterquàm in Reomaensi præcepto legitur, in notis verò, quas eidem præcepto subiicit, innuit Rouerium in soluendis obiectionibus, quæ poterant opponi, frustrà laborasse, additque præceptum illud eâ de causâ maximè sibi suppositititium videri, quòd Mario Auenticensi teste, Clodoueus Gundobadum Burgundionum Regem ad Diuionem * non debellauit ante Patricij & Hypatij Consulatum, qui anno Christi quingentesimo illigatur. Scriptor rerum Burgundicarum obseruat Præceptum, de quo nunc agimus, asseruari Diuione in Camerâ regiorum Computorum, aitque magnæ iam auctoritatis visum fuisse ante annos trecentos & ampliùs; cùm anno Christi millesimo trecentesimo vicesimo quarto in processu quodam verbali à Roberto *Berfumée* citatum reperiatur. Hoc autem vnum aduersus Rouerium ac Labbeum notare sufficit, quòd victoria, quam Clodoueus prope Diuionem de Gundobado retulit, ad probandam vel improbandam Reomaensis Præcepti fidem nihil omninò confert. Eo enim bello, quod à Mario Auenticensi sub Consulatu Patricij & Hypatij & à Gregorio Turonensi libro secundo [b] Historiæ Ecclesiasticæ Francorum describitur, ne vici quidem vnius facta est ad Franciam accessio, vt Gregorius clarissimè testatur his verbis, quæ pacis inter Clodoueum & Gundobadum initæ non aliam conditionem quàm tributi solutionem exponunt. *Rex* Clodoueus *missâ legatione ad Gundobadum, vt ei per singulos annos tributa imposita reddere debeat, iubet. At ille & de præsenti soluit, & deinceps soluturum se esse promittit.* Pagus Tornodorensis, in quo cœnobium Reomaense situm est, Clodoueo parere cœpit, postquàm victus ac fugatus fuit Siagrius, qui reliquiis Romanorum in Galliâ collectis inter Francos & Burgundiones medius considebat; neque enim quia Burgundionum Reges ciuitatem Lingonensem, vbi sedes Episcopalis erat, sub iugum miserunt, existimare quis debet eos vniuerso Episcopatu Lingonensi potitos fuisse. Lingonensis quidem ciuitas à Romanis primùm ad Burgundiones, deinde à Burgundionibus ad Francos peruenit; Tornodorum verò quamuis intra fines Episcopatus Lingonensis esset, ciuitate Lingonensi ad Burgundiones transeunte sub imperio Principum ex genere Romanorum permansit, donec deditionem Clodoueo Francorum Regi fecit, stante adhuc ac florente Burgundionum regno, quod extinctum tandem fuit anno Christi quingentesimo tricesimo quarto, siue vt Marius Auenticensis affirmat Paulino Iuniore Consule, Indictione duodecimâ. Quapropter Ioannes ad quem Reomaus in pago Tornodorensi pertinebat, nullâ Burgundionum factâ mentione, lon-

* *Dyon.*

PRÆCEPTVM REOMAENSE PROPVGN. [b] Cap. 32.

gæuam ætatem vixisse dicitur sub Romanis ac Francis. *Adeò vt à tempore Valentiniani Cæsaris atque Martiani Imperatoris, qui post Theodosium Iuniorem Monarchiæ dignitatem obtinuit, vsque ad tempora Iustiniani Augusti permaneret. Quo etiam tempore Franci cum Clodoueo Rege, postpositâ republicâ, militari manu terminos Romanorum irrumpentes Galliam innasere. Sicque vsque in tempora Theodorici Regis, qui filius extitit prafati Clodouei, & filij eius Theodoberti peraurauit.* ANNVS Christi 496. CLODOVEI R. 15.

Clodoueus Francorum Rex pagum Tornodorensem adeo dilexisse fertur, vt illic postea Monasterium Melundense * seu Molundense aut Molomiense condiderit. Quibus temporibus in monte Voluto, qui castro Tornodori contiguus est, viuebat insignis eremita. Hic reuelatione permotus Angelorum Principi Michaëli erexit Ecclesiam, quæ multis muneribus aucta creuit in Abbatiam decimo seculo, vt Robertus & Sammarthani obseruarunt in Gallià Christianâ. CLIV. * *Molome.* MONAST. MOLOMIENSE.

Hoc eodem anno, quo Clodoueus Rex baptismum suscepit, Eleutherius Episcopus, cùm Blandinii per annos nouem sedisset, Tornacum, vnde ab ethnicis ante decennium cum parentibus suis & aliis Christianis in procinctu belli Suessionensis expulsus fuerat, magno cum honore deductus est. Tempus notatur in auctiore ipsius Eleutherij [b] vitâ, ibi enim Eleutherius dicitur collegisse Synodum anno sui Pontificatus quadragesimo, postquàm Ecclesiam Blandinienſem annis nouem, Tornacensem triginta & vno gubernasset. *Beatus siquidem Eleutherius*, inquit author illius vitæ, *iam Tornacensem Ecclesiam triginta annis & vno rexerat, Blandinienſem verò nouem. Qui audiens filios Ecclesiæ perturbatos indoluit*, &c. Clariùs apud Guibertum in eiusdem Eleutherij vitâ. *Iam quadraginta fermè laborauerat annis in officio regiminis pastoralis. Nouem siquidem annis Ecclesiam Blandinienſem, triginta & vno rexerat Tornacensem. Resuscitauit ei Dominus aduersarios pertinaces hæreticos*, &c. Iampridem Eleutherius Angeli monitu resciuerat Censorinum Tribunum, cuius mandato virgis cæsus fuerat, relictâ tandem idololatriâ Christianum fore. Res diu expetita feliciter contigit, & hæc Eleutherio causa reditus in vrbem fuit, vt vetustus author in ipsius Eleutherij Actis, omnium antiquissimis, quibus recentiora consentiunt, declarat his verbis. *Beatus Dei Sacerdos inuictissimus iterùm diuinam flagitabat clementiam, vt ciuitatem à superstitione idolorum reuocaret. Itaque pestis iterùm paganos oppressit, vt etiam habitacula sua relinquerent, & in occultis locu sese absconderent. Igitur quid facerent? idola peribant, responsa etiam dare suis cultoribus recusabant. Intereà multo tempore euoluto decreuerunt Tribunum occidere, si non in omnibus beato Eleutherio consentiret. Tandem coactus à palatio exiuit, Beatum Eleutherium sequenti omni cognatione suâ adiit, ad pedes eius corruit, se cum lacrymis catechumenum fieri postulauit. Beatus autem Antistes, eius precibus congratulans, omni populo ieiunium septem dierum indixit. Factum est autem die octauâ, vt Tribunus cum omni suâ cognatione & omnibus paganis, tam potentibus quàm egenis, indutus sacco, à Tornaco vrbe exiret, & se fieri Christianum cum omni populo postulauit. Qui beatus Eleutherius eum baptizauit, & Catholicam fidem ei & omnibus paganis sertatim aperuit. Igitur post hæc beatus Eleutherius in ciuitatem cum magno honore & non minimâ Christiani populi constipatus multitudine, deductus est. Omnes autem, qui crediderant, diem solennem, in quâ baptizati erant, constituerunt, id est, quinto Kal. Octobru.* Nulla Clodouei mentio fit in illâ narratione, tamen existimamus plerosque Tornacensium ab idololatria recessisse, statim ac audierunt Regem inuocato Christi nomine victoriam insignem de potentissimis hostibus, à quibus vincebatur, illustri miraculo retulisse, iamque cogitare de suscipiendâ fide Christianâ quam Regina profitebatur. Post Clodouei baptismum auctus est eorumdem Tornacensium zelus erga religionem Christianam, vt ostensuri sumus anno sequenti, quo Eleutherius vndecim millia hominum in eâdem hebdomadà baptizauit. Recentiores Authores quærunt, vtrùm per eos qui baptismi à se susceptí memoriam quinto Kalendas Octobris solennem esse voluerunt, intelligendi sint Tornacenses numero CLV. [b] Ap. Bolland. d. 20. Febr. ELEVTHERIVS EPISC. BAPTIZAT TRIBVNVM. TORNACVM REVOCATVR.

ANNVS Christi 496. Clodovei R. 15.

non pauci, qui hoc anno Blandinij cum Censorino Tribuno baptizati sunt, an alij vndecies mille qui baptismum Tornaci susceperunt anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo? Textus suprà recitatus proculdubio referri debet ad eos quibus Eleutherius hoc anno Blandinij baptismum contulit, nec aliter explicatur à Guiberto & in breuiario Tornacensi, vbi altum silentium de vndecim millibus baptizatorum in vnâ hebdomadâ, quorum mentio ad annum Eleutherij Episcopi decimum siue ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum septimum facta reperitur in auctiore sancti Eleutherij vitâ, sed distinctè à præcitato textu, qui prius ibidem totus ne mutatâ quidem syllabâ repetitus legitur. Eleutherius Episcopus tantam vtilitatem Ecclesiæ accessuram præuidebat, si Tribunus & qui Tribunum sequebantur, inter Christianos accenserentur, vt eorum baptismum in stata tempora Paschæ vel Pentecostes, aut in diem, quæ propter aliquam solennitatem celebris haberetur, differendum minimè iudicarit. Spe vanâ non fuit delusus, reuocatus est in vrbem, idola confregit, ciues ferè omnes ad Christianam fidem perduxit, & anno sequenti, qui fuit Christi quadringentesimus nonagesimus septimus, in vnâ hebdomadâ plusquàm vndecim millia baptizauit. Hebdomadam illam credimus festo Paschæ vel Pentecostes proximam fuisse, hanc opinionem aliquot argumentis anno sequenti confirmabimus.

ANNVS CHRISTI 497. CLODOVEI R. 16.

ANNVS Christi 497. Clodovei R. 16.

ANNVS Christi quadringentesimus nonagesimus-septimus notatur apud Marium secundus post Consulatum Viatoris, apud Cassiodorum verò & apud Victorem & Marcellinum consignatur Anastasio Augusto iterùm Consule.

I. Ineunte hoc anno, Auitus Viennensis Episcopus, & Anastasius Romanus Pontifex, vbi rescierunt Clodoueum Francorum Regem ad Christianam fidem accessisse, statim gratulatorias ei literas direxerunt. Neuter baptismum in Natali die Domini collatum improbauit.

II. Clodoveo scribvnt.

Auitus, quia vicinior erat, primus videtur scripsisse. Filius Laurentij, viri illustris inter Francos, degebat tunc in Burgundia. Cur è Francia discessisset, non produnt Auctores. Hunc Clodoueus ad se remitti postulauit vt patri redderetur. Annuit Rex Burgundiæ Gundobadus Auito suadente. Rerum illarum testes sunt ipsius Auiti literæ, quas idem Laurentij filius ad Clodoueum detulit. Eas anno superiori recitauimus integras, vt Regem Francorum in festo Natiuitatis Dominicæ baptizatum ostenderemus. Auitus Clodoueum laudauit, quòd eo die ad salutem ex vnda regeneratus esset, quo natum redemptioni suæ cæli Dominum mundus accepit. Non ignorabat in Ecclesia Ebredunensi, quæ regno Burgundiæ tunc accensebatur, morem peculiarem ab antiquis temporibus inualuisse, vt fideles in Natali die Domini baptismum solenni ritu susciperent. Id docet Gregorius Turonensis [a] in Encomio sancti Marcellini Ebredunensis Episcopi, qui Constantio Constantini Magni filio imperante floruit. *Hic*, inquit, *fecisse dicitur lauacrum ad baptizandum, in quo, Natale Domini & Dominicæ Cœnæ, aqua dicitur diuinitùs exoriri. De quo etiam ad aliud lauacrum, in quo prisca consuetudo baptizari instituit, aqua defertur. Non tamen cumulatur, vt de illis fontibus Hispaniæ suprà retulimus.* Alludit huc Auctor ad caput vicesimum-quartum libri primi de Mira-

III. Avitvs Ep. Vienn.

[a] De glor. Conf. c. 69.

ANNVS Christi 497. CLODOVEI R. 16.

Miraculis Martyrum, quod in hæc verba conscriptum reliquit. *Est & illud illustre miraculum de fontibus Hispaniæ, quos Lusitanica prouincia profert. Piscina namque est apud Osset campum antiquitùs sculpta, & ex marmore vario in modum Crucis miro composita opere. Sed & ædes magnæ claritatis ac celsitudinis, desuper à Christianis constructa est. Igitur cùm dies sacer post curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus, confuso proditore, mysticam discipulis præbuit cœnam, conueniunt in locum illum cum Pontifice cives, iam odorem sacri præsentientes aromatis. Tunc datâ oratione Sacerdos ostia templi iubet simul muniri signaculis, aduentum virtutis Dominicæ præstolantes. Die autem tertiâ, quod est Sabbati, conuenientibus ad baptizandum populis, aduenions Episcopus cum ciuibus suis, inspectis signaculis, ostia reserat clausa. Ac mirum dictu, piscinam quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam, sed ita cumulo altiore refertam, vt solet super ora modiorum triticum adgregari, videásque hinc illinc que latices fluctuare, nec partem in diuersam defluere. Tunc cum exorcismo sanctificatum, conspersum desuper chrismate, omnis populus pro deuotione hausit, & vas plenum domi pro salutione reportat, agros vineásque aspersione saluberrimâ tutaturus. Et cùm exinde multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, nunquam tamen vel cumulum minuit, licèt vbi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in se reuersis, vt initio produntur nescio, ita & fine claudantur ignaro.* Maximus Cæsar-augustanus * Antistes in suo Chronico duplex distinguit Ossetum, vnum vocat [a] *oppidum Lusitaniæ in Diœcesi Pacis Augustæ*, alterum collocat [b] *in Hispania Bætica apud aquas duras Constantiæ Iuliæ*. Plinius [c] Ossetum Bœticum ponit in agro Hispalensi, idémque esse cum Iulia Constantia, sic ait. *Oppida Hispalensis conuentus, Celtiaca, Vacamana, Acria, Ilipa cognomine Italica. Et à læua Hispalis Colonia cognomine Romulensis. Ex aduerso oppidum Osset, quod cognominatur Iulia Constantia, Vergentum,* &c. Ioseph de sancta Maria Carthusianus Hispalensis * lauacrum miraculosum Osseto Bœtico contra mentem Gregorij & Maximi præcitatorum attribuit. Diagus in Annalibus [d] Valentinis fontes Ossetanos in Regnum Valentinum traxit. Vtrumque refutauit Franciscus Biuarius prolixo tractatu, quem suis in Maximi Chronicon Commentariis inseruit, instar Appendicis ad res gestas Erâ quingentesimâ duodenonagesimâ. De situ Osseti nullam hic disputationem instituemus, quia textus Gregorianos eo tantùm consilio suprà protulimus, vt ab Ossetano miraculo argumentaremur ad Ebredunense. Nam quemadmodum ex Osserano, quod in Paschali solennitate fieri consueuerat, omnes fatentur Osseti baptismum olim in eo festo collatum esse, sic ex Ebredunensi, quod in Natalitiis Domini contingebat, Ebreduni * baptismus ex antiquo more in Natali die Domini susceptus comprobatur. Post Clodouei Regis conuersionem vsus iste baptizandi perseuerauit apud Francos in Natalitiis Domini. Guntchramnus enim anno regni sui vicesimo-quarto, Christi quingentesimo octogesimo-quinto, de dilato nepotis sui baptismo sic questus legitur [e]. *Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquisse, cuius nutritores matre deprecante petierunt, vt eum de sancto lauacro in Dominici Natalis solemnitate deberem excipere, & non venerunt.* A Francis ad Anglos idem vsus posteà transiit. In literis enim ad sanctum Eulogium Alexandrinum Episcopum sanctus Gregorius [f] Papa cognomento Magnus, meminit Anglorum ab Augustino Episcopo baptizatorum in solemnitate Dominicæ Natiuitatis, indictione primâ, siue anno Christi quingentesimo nonagesimo-septimo, cùm Ecclesia Anglicana erat adhuc in cunis sub Edilbertho Rege. *In solemnitate*, inquit, *Dominicæ Natiuitatis, quæ hâc primâ indictione transacta est, plusquàm decem millia, Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati.* Cæterùm in Adonis Martyrologio, quod illo loco interpolatum creditur, miraculum Ebredunense, de quo suprà locuti sumus, aliter quàm apud Gregorium Turonensem refertur. Primò siletur dies solemnitatis Dominicæ, qui commemoratur à Gregorio,

* *Sarragosse.*

[a] Ad an. 550.
[b] Ad an 506. 559.
[c] Lib. 3. c. 1.

* *de Seuille.*

[d] Lib. 5. c. 7.

* *Ambrun.*

[e] Greg. Tur. l. 8. c. 9.

[f] Lib. 7. ep 30.

ANNVS Christi 497. CLODOVEI R. 16.

deinde baptisterium, quod apud Gregorium non cumulatur, aquis subitis dicitur inundari. Vulgati Adonis textus talis est. *Duodecimo Kalendas Maij, in Galliis, ciuitate Ebredunensi, sancti Marcellini primi eiusdem vrbis Episcopi & Confessoris. Qui diuino iussu cum sanctis Sociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens maximam partem Alpium maritimarum verbo & signis admirandis, quibus vsque hodie refulget, ad fidem Christi conuertit, ita vt baptisterium, quod ipse apud præfatam vrbem condidit, in sacrosanctis Paschatis festi Vigiliis, diuinâ virtute, singulis annis aquis subitis inundetur, & per septem eiusdem solemnitatis dies, gratiâ exuberante permaneat. Venerabiles Socij eius apud Dinienſium vrbem conditi, glorioſis nihilominùs miraculis commendantur.* Idem legitur in Martyrologiis Bedæ ac Romano vsque ad hæc verba, *ad fidem Christi conuertit.* Quæ sequuntur apud Adonem de baptisterio, non benè cohærent cum præcedentibus, & interpolata videntur à Neoterico rerum antiquarum ignaro, qui cùm nesciret baptismum olim in Natalitiis Domini collatum fuisse, genuinam Ebredunensis miraculi narrationem, qualem apud Gregorium legerat, non ausus est edere.

IV. ET ANASTAS. PP.

Anastasius Papa, cùm Clodoueum Francorum Regem baptismo regeneratum accepit, statim gratulatorias ei literas per Eumerium Presbyterum misit, quas, è schedis Hieronymi Vignerij nostræ Congregationis Presbyteri, Lucas Dacherius Monachus Benedictinus tomo quinto veterum scriptorum publicauit. *Glorioso & illustri filio Cludoecho Anastasius Episcopus. Tuum, glorioſe fili, in Christianâ fide cum exordio noſtro in Pontificatu contigisse gratulamur. Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cùm plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum iussus est mittere idem piscator hominum & cæleſtis Ieruſalem beatus clauiger. Quod Serenitati tuæ insinuare voluimus per Eumerium Presbyterum, vt cùm audieris lætitiam Patris, creſcas in bonis operibus, impleas gaudium noſtrum, & sis corona noſtra, gaudeatque mater Eccleſia de tanti Regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, glorioſe & illuſtris fili, matrem tuam, & esto illi in columnam ferream. Nam refrigeſcit caritas multorum, & malorum hominum versutiâ nauicula noſtra feris fluctibus agitatur, & deſpumantibus vndis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem, & Dominum collaudamus, qui eruit te de poteſtate tenebrarum, & in tanto Principe prouidit Eccleſia, qui possit eam tueri, & contra occurrentes peſtiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte & glorioſe fili, vt Deus Omnipotens Serenitatem tuam & Regnum protectione cæleſti proſequatur, & Angelis suis mandet vt custodiant te in omnibus viis tuis, & det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam.* Spem Romani Pontificis haud fefellit Clodoueus; debellatis enim vicinis gentibus, quarum aliæ seruiebant idolis, aliæ sectabantur hæresim, vt Imperij sui, sic & Eccleſiæ Catholicæ fines ampliſſimè dilatauit.

V. ALBOFLEDIS CLODOVEI SOROR MORITVR. LITERÆ CONSOLATORIÆ S. REMIGII AD CLODOVEVM.

Eius soror Albofledis, vt Gregorius Turonensis [a] testatur, *non poſt multum tempus* à susceptо baptismate *migrauit ad Dominum, pro quâ cùm Rex contriſtaretur, sanctus Remigius conſolatoriam miſit epiſtolam*, cuius initium recitat idem Gregorius. Integram reddemus, quia docet Albofledem obiisse virginem sub huius anni principium, hyeme nondum exactâ. *Domino illuſtri meritis, Chlodoueo Regi, Remigius Epiſcopus. Angit me & satagit veſtræ cauſa triſtitiæ, quid glorioſæ memoriæ germana veſtra tranſiit Albofledis. Sed conſolari poſſumus, quia talis de hac luce diſceſſit, vt recordatione magis suſpici debeat quàm lugeri. Illius enim vita fuit, quòd aſſumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migrauit ad cælos. Viuit veſtræ fidei, & si est conſpectus deſiderio recepta, Chriſtus impleuit vt benedictionem virginitatis acciperet, quæ sacrata non est lugenda, quæ flagrat in conſpectu Domini flore virgineo, quo ſcilicet & corona tecta, quam pro virginitate ſuſcepit. Abſit vt à fidelibus lugeatur, quæ bonus Chriſti odor esse promeruit, vt per eum, cui placet, auxilium possit conferre poſcentibus. Dominus meus, repelle de tuo corde triſtitiam, animo ritè compoſito regnum sagaciùs guber-*

[a] Lib. 2. c. 37.

nate, erectiora sumentes studio serenitatis consilia. Leto corde membra conforta, mœroris torpore discusso, acriùs inuigilabis ad salutem. Manet vobis regnum administrandum, & Deo auspice, procurandum. Populorum caput estis, & regimen sustinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre consueuerunt. Esto ipse tua anima consolator, vigorem illius prouidentiæ continens ingenitæ, ne tristitia candorem tua menti subducat. De eius præsente transitu, quæ choris est iuncta virgineis (vt credo) Rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam vestram ei commendo familiarem meum Presbyterum Maccolum, quem direxi. Quæso vt tantis habeatis ignoscere, quòd qui occursum debui, exhortatoria destinare verba præsumpsi. Tamen per harum baiulum, si iubetis vt vadam, contemptâ hyemis asperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos (auxiliante Domino) peruenire contendam.

ANNVS Christi 497. CLODOVEI R. 16.

VI.

Baptizatus Rex Clodoueus *cum gente integrâ, plurimas possessiones per plurimas prouincias sancto Remigio tam ipse quàm Franci potentes dederunt, quas ipse per diuersas Ecclesias tradidit, ne Franci eum rerum temporalium cupidum esse, & ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, & fidem Christi ac sanctum Sacerdotium vilipenderent. De quibus rebus in orientalibus Franciæ partibus, petentibus traditoribus, portionem quandam Episcopio Remensi adiunxit; & de his quæ in Rhemensi prouinciâ illi fuerunt tradita, non modicam partem Ecclesiæ sanctæ Mariæ in castro Lauduni * clauati Rhemensis parochiæ, vbi nutritus fuerat, tradidit; ibique Genebaldum, virum carne nobilem, & tam in scripturis sanctis quàm & in secularibus literis eruditum, qui relictâ coniuge, nepte scilicet ipsius B. Remigij vitam religiosam expetierat, Episcopum ordinauit, & parochiam ipsius Comitatus Laudunensis prafato castro subiecit.* Hæc Hincmarus in vitâ sancti Remigij. Atque hoc initium fuit Laudunensis Episcopatus, cùm Laudunum priùs diœceseos esset Remensis, nec anteà ciuitatis titulo gauderet, indéque factum est, vt metropolis Remorum, cui notitia prouinciarum ac ciuitatum Galliæ sub Honorio Augusto condita, vndecim tantùm ciuitates subiicit, deinceps duodecim sibi subditas habuerit. Porrò Sigebertus sedem Episcopalem Lauduni constitutam testatur anno Clodouei Regis decimo sexto, post susceptum baptismum primo, qui nostro calculo numeratur annus Christi quadringentesimus nonagesimus septimus.

* Laon.

ERIGITVR LAVDVNENSIS EPISCOPATVS.

VII.

Ludouicus Rex, inquit Hincmarus [a], *sedem suam in Suessionum ciuitate, vnde Siagrium expulerat, constituens delectabatur præsentiâ & colloquio beati Remigij. Sed quia villas quas sibi Rex & Franci in pagis Suessionico videlicet & Laudunensi dederunt, vt suprà dictum est, Episcopio Laudunensi & aliis casis Dei donauerat, non habebat in vicinitate ipsius ciuitatis Suessionum, nisi vnam villulam, quæ sancto Nicasio data fuerat. Vnde suadente religiosissimâ Reginâ & petentibus locorum incolis, qui multiplicibus Xeniis erant granati, vt quod Regi debebant, Ecclesiæ Rhemensi persoluerent, Rex sancto Remigio concessit, vt quantùm circumiret dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Sanctus autem Remigius per fines qua manifestissimè patent, pergens, signa sui itineris misit, & omnia quæ ambitus circumitionis illius continuit, ei præcepto suæ auctoritatis Rex donauit, quæ vsque hodie Rhemensis Ecclesia, quarum rerum capita sunt Luliacus & Codiciacus, iure quieto possidet.*

[a] In vita S. Remig.

VIII.

Quantâ gratiâ & auctoritate sanctus Remigius apud Clodoueum Regem hisce temporibus valeret, docet inprimis author vitæ sancti Arnulphi Episcopi Turonensis & Martyris, cuius fragmentum Ducheſnius [b] ex antiquo Codice manuscripto publici iuris fecit. *Beatissimus Arnulphus nobilissimis Francorum parentibus ortus est & genitus. Pater eius nomine Quiriacus, primò gentilis, post fidei dono claruit insignis. Mater verò cognomine Quintiana simili modo diabolicâ fraude irretita, postremò diuina cognitionis suscepit sacramenta. Eâ tempestate sanctus Remigius diuini verbi agricola studiosissimus, vicem agebat commissi Pontificatus. Itaque cùm comperisset hos variis superstitionibus impediri, omnem adhibuit diligentiam, quò eorum animos ad eum, qui est vita, veritas &*

[b] Collect. Hist. Franc. tom. 1.

ARNVLPHI PARENTES ET PRIMORDIA.

ANNVS Christi 497. CLODOVEI R. 16.

*via, conuerteret. Quorum siquidem mentes spiritalibus disciplinis quotidie excolebat. Quid plura? vterque credidit & baptismi gratiam adeptus est. Mutatis verò gentilitatis nominibus, ille Rogatianus, ista dicta est per congruam sui nominis etymologiam Eufrasia. Antequàm baptizarentur, erant ambo steriles, & amore sobolis coartabantur per singulos dies. Vnde factum est, quod omnia quæ in villâ Reiteste * nomine habere videbantur, sancto Remigio tradiderunt, vt eius meritis sibi filius condonaretur. Nec multò pòst susceperunt filium, cui ab antiquâ Senatorum prosapiâ nomen imposuerunt Arnulphum. Quem cùm baptizari fecisset sanctus Remigius, ipse pater acceptionis eius est in baptismate factus, baptizatum verò genitrici nutriendum dedit, ac post triennium sibi reexhibitum disciplinis liberalibus imbuendum tradidit. Processu verò temporis, cùm iam in robur virilis venisset ætatis, diuinitùs accidit, quòd Chlodoueus Rex eatenus gentilis, Christianitatis legem susceperit. Quem cum omni Francorum exercitu sanctus Remigius baptizauit, & baptizato sanctum Arnulphum prece quâ potuit commendauit, ac vt plurimùm coleret suppliciter obsecrauit. Qui in tanta apud eum habitus est honoris reuerentia, vt inter suos domesticos præcipuam meruisset familiaritatis gratiam.* De coniugio illius cum Scariberdâ Clodouei Regis nepte agemus inferiùs.

* Retel.

IX. ELEVTHERIVS TORNAC. EPISCOPVS BAPTIZAT 11000. PAGAN.

In auctiore vita sancti Eleutherij Tornacensis Episcopi hæc leguntur [a]. *Decimo ordinationis anno, præsidente Papa Anastasio, Tornacenses omnibus Christianis rebelles ad fidem reduxit, & in eadem hebdomada plusquàm vndecim millia baptizauit.* Habitâ ratione tam copiosi numeri, pacisque tranquillissimæ, quâ Tornacensis Ecclesia tunc fruebatur sub Rege ac Tribuno Christianis, existimamus ciues illos Tornacenses, quorum numerus vndecim millia superabat, ab Eleutherio Episcopo baptizatos fuisse in hebdomada, quæ solemnitatem Paschæ vel Pentecostes antecessit, vt antiqua consuetudo seruaretur. In confirmationem opinionis nostræ obseruamus baptismi à Censorino Tribuno eiúsque comitibus anno priore suscepti memoriam solemnem institutam fuisse quinto Kalendas Octobris, nullam verò baptismi ab vndecim millibus hominum & ampliùs hoc anno suscepti. Nam baptismus statis temporibus collatus solemni memoriâ quot annis ab Ecclesia celebratur, secùs autem est de baptismo extra stata tempora collato, cuius memoria, quia dies est incertus, nisi singulari quâdam institutione quæ diem notet, recoli non potest. Anastasius Papa, illius nominis secundus, cuius mentio fit in præcitata sancti Eleutherij vita, biennium, vt Bibliothecarius testatur, in Romana Sede non expleuit, obiitque decimo-tertio Kalendas Decembris, anno Christi, vt ex Symmachi successoris Pontificatu colligimus, quadringentesimo nonagesimo-octauo, nam teste eodem Bibliothecario, die quarto post Anastasij Papæ mortem suffectus est Symmachus, qui sedit annos quindecim, menses septem, dies septemdecim, sepultúsque est eo quo coli solet die decimo-quarto Kalendas Augusti, Cassiodoro, vt ipsemet Cassiodorus docet, tum Consule; siue anno Christi quingentesimo decimo-quarto. Ex hac autem Romanorum Pontificum Chronologia liquet annum Eleutherij Episcopi decimum, quo plusquàm vndecim millia Tornacensium baptizauit, vel in annum Christi quadringentesimum nonagesimum-septimum, vt contendimus, vel in sequentem incidisse, initium verò Præsulatus, vel in annum Christi quadringentesimum octogesimum-septimum, vt asseruimus, vel in annum Christi quadringentesimum octogesimum-octauum, vnde redarguas quoslibet Scriptores, qui eiusdem Antistitis ordinationem anno Christi quadringentesimo septuagesimo, vel anno Christi quadringentesimo octogesimo-tertio, vel anno Christi quadringentesimo octogesimo-quarto, vel anno Christi quingentesimo primo perperàm ascripserunt. Cæterùm, vt Eleutherij Episcopi annus decimus in solemnitate Paschæ vel Pentecostes non potest cum Anastasij Pontificatu ante annum Christi quadringentesimum nonagesimum-septimum coniungi, quia Romæ sedere cœpit Anastasius mense Nouembri anno Christi quadringentesimo nonagesimo-sexto, ita post

[a] Ap. Boll. d. 20. Feb.

prædictum annum Christi quadringentesimum nonagesimum-septimum reijci nequit; alioquin enim obitus Eleutherij, qui Præsulatum annis quinque ac quadraginta gessit, differretur post annum Christi quingentesimum tricesimum-secundum, cùm tamen exploratum habeatur Eleutherium ex hac vita discessisse sub Bonifacio Papa, illius nominis secundo, qui viuere desiit decimo-sexto Kalendas Nouembris anno Christi tricesimo-secundo supra quingentesimum, vt suo loco fusiùs probabimus. Eleutherius, teste antiquissimâ eius vitâ, cœcum illuminauit. Simile quoque miraculum *in die sancto Natalis Domini* patratum ait Auctor auctioris vitæ iam laudatæ, & homini, qui visum recepit, nomen tribuit Mantilij, deinde tria alia exponit miracula, de quibus annis proximè sequentibus acturi sumus, quia gesta sunt ante annum Eleutherij in Pontificatu decimum quartum, qui cum anno Christi quingentesimo primo coincidit. Mantilius autem statim ac aperti sunt eius oculi, Christo credidit, & fructum veræ pœnitentiæ promeruit.

ANNVS Christi. 497. CLODOVEI R. 16. CÆCVM ILLVMINAT.

Hoc anno vitam clausit Flauius Carnotensis Episcopus, sedit enim annos quatuordecim, vt Democharcs, Rolliardus, Seuertius, aliique affirmant. Successit Solennis, seu Solennius, cuius Pontificatum iidem Scriptores ad annos vnum & triginta prorogant, sed simul complectuntur annos duorum Antistitum, Solennij videlicet qui gessit Episcopatum annis duntaxat duodecim, & Auentini quem prætermittunt. Extat apud Bollandum [a] vita sancti Auentini ex rhythmo Gallico succinctè concinnata, in qua de Solennij parentibus, déque eius assumptione in Pontificem hæc leguntur. *Quo tempore Clodoueus (is qui postmodùm sancta Clothildis vxoris sua hortatu ac precibus, Christi fidem Francorum Regum primus amplexus est) Galliam multis afflictam cladibus, imperio regebat, Castroduni *, quæ tunc vrbs clara dicebatur, Ioannes extitit Comes, vir pius iuxtà ac prudens, & ciuibus suis longè dissimilis, quorum plerique tunc gentilium superstitionibus obstricti tenebantur. Is cùm Blesensis * Comitis filiam Agnetem, pari pietatis ac sapientiæ laude conspicuam duxisset, tres ex ea filios, Solennem, Auentinum, Ioannem ac filiam Agnetem suscepit. Verùm hæc vix egressa è cunis, baptismóque lustrata decessit. Filij egregiè ad omnem morum honestatem ac vitæ sanctimoniam educati sunt. Flauius Agnetis auunculus, Carnutum Episcopus, Solennem & Auentinum scientiis liberalibus imbuendos suscepit, Ioanne ad parentum solatium domi relicto. Cúmque illorum præclaram indolem ad omnium studia virtutum incitatam probasset, in clerum eos Ecclesiæ Carnotensis, licèt admodùm adhuc adolescentes, sed longè præcellentes suis æqualibus, atque omnibus vnicè caros cooptauit. Dein ætate scientiáque prouectos sacerdotio initiauit. Demùm Archidiaconi munus, primorum cleri consensu, Solenni obtulit, aũt eo operosè deprecante, Auentino illud, inuito quoque diúque oblucrato, imposuit. Magnam verò Auentinus in ea sustinenda personæ laudem virtutis atque eruditionis promeritus est, sibíque omnium mirificum quemdam amorem conciliauit. Solennis in Canonicorum Collegium, quamuis periculorum metu aliquantulùm obnitens, adlectus est. Defuncto dein Flauio Antistite, annuente Clodoueo Rege, clerus ac populus subrogandum ei Solennem censuêre, doctrinâ, prudentiâ, innocentiâ vitæ, diuinæ gloriæ zelo, commendatum. Id vbi agi sensit Solennis, fugam arripit, séque in specum quamdam abdit, ne tanto oneri subiicere humeros cogeretur. Eius cognitâ fugâ, turbata plebs vniuersa, ne diutiùs tamen Pastore careret, ineunda denuò suffragia conclamat. Creatus ergo est sanctus Auentinus, inuitus & ipse, sed consensu coactus, atque ab Episcopis, qui aduocati conuenerant, ordinatus. Ingens erat omnium exultatio, vt vix omnes atque agri festis vocibus Auentinum Antistitem celebrantium personarent. Eæ ipsæ voces ingeminatæ identidem à transeuntibus ante sancti Solennis latebras, aures eius animúmque aduerterunt. Ergo ratus se periculo defunctum, Deo gratias agit, proditque, germano gratulaturus, quam ipse effugisset, dignitatem. Sed contrà ac sperabat, res cessit. Vt enim in conspectum populi venit, vociferantur vniuersi, adesse Solennem, Episcopum consecrandum, qui prior sit cle-*

FLAVIVS CARNOT. EPISC. OBIT.

[a] D. 4. Feb.

* Chasteaudun.

* Comte de Blois.

ANNVS Christi 497. CLODOVEI R. 16.

ctus. Quid multa? Rapiunt inuitum, ac nequicquam abnuentem, & deprecantem ne fratri tanta iniuria fiat, ne Regula Ecclesiastica, qua duos in vna Cathedra collocari Episcopos prohibet, violetur. Illi contrà. Gratus ades, Episcopum te Carnutes popoſcerunt, Episcopum habebunt, germano, vt tibi mentem atque consilium Deus dederit, tu prospicies, ne obsiste votis tuorum. Attonitus tumultuantis populi fauore Solennis, cessit tandem, atque Auentinum ad Dunenses legauit, sacra curaturum vice suâ, sed Episcopali auctoritate. In illo textu, præter ea quæ de ordinatione Solennis & Auentini proferuntur, nihil occurrit probabile; veteres enim Scriptores nec Solennem & Auentinum fratres fuisse, nec Flauium eorum proauunculum extitisse produnt, nec vllam Blesensium Dunensiúmque * Comitum mentionem circa illa tempora faciunt. In vita sancti Solennis, cuius fragmentum Bollandus in præuio Commentario ante vitam sancti Auentini publicauit, electio in Episcopum & fuga sancti Solennis, ordinatio sancti Auentini, reditus & ordinatio sancti Solennis non aliter quàm in vita sancti Auentini describuntur, post ordinationem verò sancti Solennis hæc subiiciuntur de Dunensi Episcopatu & Auentino Episcopo. *Dicit itaque sanctus Solennis. Quid ergo faciemus de Auentino Episcopo? Responderunt omnes. Si post tuum superstes fuerit obitum, dignitatis obtineat locum, sin autem, tuo sit obtemperans principatui. Vir autem Domini, pietatis visceribus commotus, ne sancta macularetur Religio, & eius animus in aliquo obfuscaretur, dedit sub cura regiminis oppidum cognominatum Dunum, vbi omnibus diebus vitæ suæ Religionis cultum securus exerceret.* Auentinus igitur verè ordinatus fuit Episcopus, cùm Solennis in specu delitesceret, redarguendúsque est Saussaius [a] in Elogio sancti Solennis, vbi censet ipsum Solennem, postquàm in vrbem rediit, ordinatum fuisse Pontificem, quia *nondum Auentinus ordinationis manus receperat.* Solennis, cùm Præsulatum iniit, erat annorum quatuor ac triginta, rexítque Diœcesim Carnotensem annis duodecim, sic enim scribit Auctor vitæ. *Sanctus verò Solennis cùm sex lustra & quatuor more aristarum vita voueret curricula, Pontificalem prometus in honorem florebat in Ecclesia, clari luminis decoratus fulgore, per tres quoque Olympiadas gerens triumphum de hac luce migrauit ad Dominum.* Ibidem Solennis dicitur Episcopatum adeptus triginta diebus, antequàm Clodoueus Francorum Rex exercitum contra Gothos duceret, vnde factum putamus, vt neoterici sanctum Solennem Clodouei Regis Catechisten vocarint, eiúsque baptismo Remis adfuisse crediderint. At Clodouei baptismus bellum Wisigothicum antecessit annis vndecim, & Solennis qui Pontificatum anno post Clodouei baptismum proximo suscepit, annum absoluebat in Episcopatu decimum cùm Clodoueus Gothos commisso prælio profligauit.

* *Comtes de Dunois.*

SVCCEDIT SOLENNIS.

AVENTINVS EPISC. DVNENSIS.

[a] D. 24. Sept.

XI. FRONIMIVS EPISC. METENSIS OBIT.

Hoc etiam anno discessit è vita sexto Kalendas Augusti Fronimius, cùm annos octo in Episcopatu Metensi sedisset. Successit Grammatius. Hæc exscripta sunt ex Codice S. Symphoriani Metensis. Caue autem ne Fronimium Agathensi * Concilio credas interfuisse, vel confundas cum sancto Firmino, qui colitur decimo-quinto Kalendas Septembris, & Metensem Pontificatum gessit antequàm ea ciuitas in potestatem Francorum deueniret.

* *Le Concile d'Agde.*

ANNVS Christi 498. Clodovei R. 17.

ANNVS CHRISTI 498. CLODOVEI R. 17.

I. ANno Christi quadringentesimo nonagesimo octauo Marius Consulem occidentis notat Paulinum, huic Cassiodorus collegam in oriente tradit Ioannem, cui Victor & Marcellinus cognomen Scythæ tribuunt.

II. Hoc anno videtur consignanda Viridunensium defectio, Aimoino [a] enim teste contigit post baptismum Clodouei, præcessitque Burgundicam expeditionem de quâ Marius sub Consulibus Patricio & Hypatio, anno Christi quingentesimo. Bellum autem Viridunense multæque res à sanctissimis viris Eusticio & Maximino piè admodum ac præclarè gestæ sic enarrantur in eiusdem Maximini vitâ, quam Duchesnius [b] inter coætaneos Historiæ Francorum scriptores edidit. *Cives Viridunenses * oppidi defectionem atque perduellionem contra Regem dicuntur meditari. Sed Rex ratus non esse in talibus rebus procrastinandum, viribus undequaque coactis, cum valida manu militari ad eandem urbem venit iniuriæ gratiâ ulciscendæ. Cuius muros coronâ militum obambit, aggeres struit, aspera complanat, & quæque essent urbi capiendæ commoda ordinat, portis custodias ammouet, & ne quis tutò exeat, magno studioseque conamine prouidet. Quo in tempore Episcopus eiusdem ciuitatis nomine Firminus diem clausit vltimum, obsessi verò, cùm, vt dixi, clausi tenerentur, viribusque diffiderent, sed & murorum firmitas arietibus atque aliis machinis iam cedere videretur, & mortuo Episcopo nullus putaretur aptus reperiri, qui preces populi conuenienter allegaret coram Principe irâ feruente, omnes in vnam coiere sententiam, vt sanctum virum Eusticium, qui in eadem vrbe sub titulo Presbyteratus degebat, clarissimusque virtutum titulis florebat, ad Principem miserorum ciuium postulationem lacrimasque depositurum mitterent. Vir autem Deo ac misericordiâ plenus, suorum ciuium postulata non abnuens, ad Principem vt petebatur ire disposuit, & calamitatem quæ iam iamque suis imminebat, Domino propellendam commendauit, simulque vt ipse in ore eius esset suppliciter exoranit, neque spes eum fefellit. Tactus diuino monitu Rex adeò est affectus, vt postulationi eius libentissimè annueret, & impunitatem quamuis nocentissimis contribueret. Igitur viro beatissimo ordinante, & Regis manum tenente, repagula portarum vrbis reduci iussa sunt, & porta aperiri. Sed & Clerus præcedere ordinatus est, Regem cum laudibus & Deo dignis cantilenis suscepturus, per quæ & Principi dignum sedulitatis suæ monstraret obsequium, & liberationis propriæ Domino offerret tripudium. Itaque Rex postquàm ira refrigerata per famulum eius se sensit ab immani ereptum piaculo, gratias in Ecclesia Deo reddidit, & ciuibus principali indulgentiâ datâ, ad curanda iuxta morem epulis regalibus corpora sese conuertit. Quibus biduo indulgens, & recreatum exercitum post laborem itidem ad alia paria negotia curanda ducere volens, tertiâ demum die sanctum Eusticium suis aspectibus euocari voluit, & vt vrbi cuius subuentor fuerat, quamque ab imminenti excidio eripuerat, Episcopali dignitate & honore præesset ammonuit, & ammonendo petiuit. At verò sanctus ille diuina institutionis non immemor, quâ præcipitur, quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino inuenies gratiam, oblatum honorem, vel potius onus Sacerdotij humiliter recusauit. Cúmque Rex hoc ab eo obtinere nequisset, vt Pontifex scilicet crearetur, iussit vt sibi comes fieret, quousque ad Aurelianensem vrbem deueniret. Iam ergo in crastinum discessurus, cùm inter gaudia regalia à beato & præfato viro, ne id sibi molestum esset, multimodis precibus obtinere niteretur, & ad consensum eius se peruenisse gauderet, id ab eo muneris reciproci exactum est, qua-*

[a] Lib. 1. c. 17. VIRODVNVM OPPVGNATVR.

[b] Tom. 1. * Verdun.

PAX FIT INTERCEDENTE EVSPICIO PRESBYTERO.

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 18.

*tenus Regis Præcepto Maximinus * nepos eius consors illius fieret itineris & baculus senectutis. Videbat namque in eo ingenitam bonitatis docilitatem, & à puero innocentiæ puritatem, & crescentia virtutis insignia per dies incrementa. Rex verò libentissimè petitioni eius assensum præbuit. Quid plura? Cùm ab oppido Viridunensi pedes extulisset, & res regno suo dignas per loca opportuna & ciuitates ordinauisset, ad Aurelianorum * vrbem peruenit, comitatui eius adhærentibus prædictis viris. In quâ vrbe dum aliquantisper remoraretur, quadam die dum more Regibus solito alacritate vltra solitum vtitur, motus instinctu diuino sanctum senem Eusticium, einsque tam virtute quàm sanguine proximum aduocari iussit Maximinum. Cui & dixit. Nostræ quidem fuerat voluntatis, & vt putaueramus Ecclesiæ vtilitatis, vt te doctore & duce floreret ciuitas & populus tibi sanguine socialis. Sed quia suggerente animo nostro vsque ad hæc te traximus loca, forsitan voluntate operante diuinâ, optamus te in his partibus locum aliquem eligere, in quo & tuæ voluntati & vtilitati satisfiat, & per vos futura ætas proiectum vtilitatis percipiat, quatenus & vobis in hac re certantibus merces adcrescat, & nobis fautrix diuinitas existat. Sed & vobis successuri emolumentum capiant salutare, nostrumque teneant continuum memoriale. Vestrum est ergo istud prouidere, nostrum verò erit prouisa ordinare. Qua indulgentia viri sancti percepta diligentissimè inuestigare cæperunt qui locus eorum votis esset commodus, scilicet vbi secreti compotes fierent, & menti semper amica silentia adipisci possent. Sed cùm quod quærebant diuinitate fautrice reperissent, & à Rege super hac re sciscitati essent, S. Eusticius, qui sciret imminere sibi diem vocationis extremæ, non suo nomini tantum munus adscribi sed sub titulo nepotis sui Maximini voluit confirmari dicens. Quia ætas mihi emensa non multos promittit annos, & famuli vestri nepotis mei Maximini industria, animi quoque deuotio meliora de se sperare suadet, peto vt agrum * Miciacensem ei liberalitas vestra concedat, paruulámque possessionem, quæ vocatur Cambiacus *, simúlque aliam quæ vocatur Litimiacus. Quatenus dum supersumus, Deo nobis vacare ibi liceat cum his qui nostræ iungi voluerint societati, adiuuante nos atque fauente huius vrbis Præsule Eusebio. Nam ibidem Rege consistente, isdem Eusebius loco præcedentis substitutus fuerat Episcopus. His auditis Rex libentissimè annuit, & petitis venerabilis viri assensum præbere iudicauit. Ideóque accitis Commentariensibus & Notariis publicis solemnes ordinatæ atque conscriptæ vel confirmatæ sunt conscriptiones, adhibitis signis atque sigillis sub nomine beati Maximini, vt in eodem agro Miciacensi, vbi veteres parietinæ structuram tantummodò priscam præferebant, noua famulorum Christi vsibus reparare liceret habitacula, & in eis famulis Dei absque vllo liceret Domino famulari incommodo.*

* *Mesmin.*
* *Orleans.*
* *Mici.*
* *Chaingy.*

CLODOVEVS MAXIMINO MICIACVM TRADIT.

Carolus Sausseyus [a] cœnobium istud Miciacense, quod vulgò nunc sancti Maximini dicitur, plurimùm commendauit in Annalibus Aurelianensis Ecclesiæ. *Sanctimoniam*, inquit, *istius inclyti Monasterij testantur insignes Abbates, Monachi, Confessores, qui ex hoc Cœnobio prodierunt, Sanctorum numero adscripti, Eusticius, Maximinus Senior, Auitus, Liphardus, Leonardus, Vrbicius, Agilus, Theodemirus, Maximinus Iunior, Viator, Latus, Calestus, Constantius, Framboldus, Launomarus, Sancta Maxima; quibus adduntur Florentius, Ruffinus, Euchardus, Ducatus & Linentius, qui diuersis locis coluntur.* Ex præcedenti verò narratione constat Ecclesias Viridunensem & Aurelianensem hoc anno suis viduatas Episcopis nouos accepisse. Obiit Viriduni Firminus, vbi colitur, successit Videnus seu Vitonus. Obiit Aureliæ Dago, successit Eusebius.

[a] Lib. 1. parag. 2. & 4.

LAVS MONASTERII MICIAC.

S. FIRMINVS VIRODVN. EP. OBIT.

DAGO ET EVSEBIVS AVRELIAN. EPISCOPI.

III.

Richardus [b] Wasseburgius ex antiquis Viridunensium Episcoporum catalogis, annos Pontificatus viginti-septem tribuit sancto Videno, tum viginti-quinque Desiderato, & duodequinquaginta sancto Agero. Sed hic calculus abundat decennio, centum enim annos complectitur, sanctus verò Agericus vitam ad annum Christi quingentesimum nonagesimum octauum haud prorogauit, nam, teste Gregorio Turonensi [c], migrauit ad Deum anno Childeberti Iunioris Regis decimo-tertio, qui cum anno Christi quingen-

[b] Lib. 2. EPISCOPI VIRODVN.

[c] Lib. 9. capp. 20. 21.

tesimo

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 17.

tesimo octogesimo-octauo coincidit. Constat ex Conciliis Aruernensi primo & Aurelianensi quinto, Desideratum sedisse annis quingentesimo tricesimo-quinto, & quingentesimo quadragesimo-nono, quapropter ex Pontificatibus sancti Videni & Desiderati nihil subtrahemus, Pontificatum autem sancti Agerici intra annos octo & triginta coarctabimus.

IV. MAXIMIANI EPISC. TREVIR. OBIT.

Hoc anno apud Mersæum ponitur obitus Maximiani Treuirensis Episcopi, cuius temporibus floruisse sanctum Castorem, oppidi ad confluentes Mosellæ in Rhenum siti hodie patronum, quidam perperàm censent, hic enim vnà cum sancto Lubentio sub Maximiano Treuirorum Antistite, huius nominis secundo, vixit medio quarto sæculo, vt ex eius vita patet [a].

[a] Apud Bolland. d. 13. Feb.

V. SVCCEDIT FIBICIVS.

Maximiano in Episcopatu Treuirensi Fibicius ex probatissimo sancti Maximini Abbate subrogatus est, qui Ecclesiæ Dei suâ conuersatione minimè dedecori fuit, agitur eius memoria die quintâ Nouembris. Sedit tantùm biennio, si fides est Mersæo, sed cùm author ille mortem Aprunculi, qui sancto Fibicio successit, referat anno Christi quingentesimo decimo-quinto, id est annis duodecim citiùs quàm contigerit, vt ex antiquis monumentis suo loco demonstrabimus, non possumus in sequentium Pontificum annis assignandis ab eius sententiâ non discedere.

VI. EXVLAT VOLVSIANVS TVRON. EP.

Gregorius Turonensis de Volusiano Turonensium Pontifice sic loquitur vltimo capite Historiæ Ecclesiasticæ Francorum. *Hic Pontifex suspectus habitus à Gothis, quòd se Francorum ditionibus subdere vellet, apud vrbem Tholosam exilio condemnatus, in eo obiit, sedit autem annos septem, menses duos.* Annus Volusiani Episcopi septimus incidit in annum præsentem, Christi quadringentesimum nonagesimum octauum, ab obitu enim sancti Martini, quem anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo contigisse infrà demonstrabimus, ad annum vsque Volusiani septimum, ex Gregorij Turonensis computo, qui eodem capite annos quadraginta septem Brictio, septemdecim Eustochio, triginta Perpetuo assignat, anni centum & vnus colliguntur. In eandem rem capita libri secundi, primum, decimum-quartum & vicesimum sextum à nobis haud citantur, desunt enim in Codice Corbeiensi. Nostræ autem Chronologiæ cuncta, quæ de sanctis Præsulibus, Brictio, Eustochio & Perpetuo narrantur, rectissimè cohærent. Sanctus Martinus ad Deum migrauit anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, nocte Dominicâ, quæ diem octauam Nouembris præcedebat, vt fusè mox probaturi sumus. Brictius post dies viginti successit, tricesimo tertio sui Pontificatus anno Romam profectus est, septimo pòst anno Turonos rediit, ibique mortuus est post septennium die decimâ tertiâ Nouembris anno suæ ordinationis quadragesimo septimo siue anno Christi quadringentesimo quadragesimo quarto. Subrogatus est Eustochius, qui Concilio Andegauensi, vt ex ipsâ præfatione patet, interfuit *quarto Nonas Octobris, Opilione Consule*, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo tertio, & ex hac vitâ discessit die decimâ nonâ Septembris, anno sui Sacerdotij decimo septimo, Christi quadringentesimo sexagesimo primo. Eodem anno, siue vt Gregorius Turonensis in opere [b] de miraculis sancti Martini scribit, *anno sexagesimo quarto post transitum glorioſi Domni Martini beatus Perpetuus Turonicæ sedis cathedram sortitus est dignitatis*. Eodem quoque anno Seuerino Consule, mense Nouembri, Perpetuus Episcopus Turonensis in ciuitate Turonorum cum multis aliis Episcopis receptionem seu translationem sancti Martini celebrauit, vt præfatio Concilio Turonensi primo præfixa docet. Hæc translatio distinguenda est ab alterâ quam idem Perpetuus anno Christi quadringentesimo septuagesimo secundo peregit quarto Nonas Iulias. Prior facta est cùm Perpetuus *submotâ Basilicâ* [c] *quàm priùs Brictius Episcopus ædificauerat super sanctum Martinum*, amplioris fundamenta iacere cœpit sub initium sui Pontificatus, posterior verò postquàm Perpetuus Basilicam illam absoluit. De vtráque iterum agemus inferiùs. Obiit sanctus Perpetuus sexto Idus Apriles anno suæ sedis tricesimo, Christi quadringentesimo nona-

[b] Lib. 1. c. 6.

[c] Greg. Tur. l. 10. c. 31.

CHRONOLOGIA TVRON. EPISCOPORVM.

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 17.

gesimo primo. Volusianus eodem anno mense Nouembri sancto Perpetuo suffectus sedit annos septem, menses duos, & è viuis excessit decimo quinto Kalendas Februarias ineunte anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono. Cur Alaricus Wisigothorum Rex Arianus Volusianum septimo Pontificatus anno in exilium ablegarit, hæc vltrò manifesta se prodit ratio, quòd illo anno, qui reparatæ salutis quadringentesimus nonagesimus octauus fuit, Clodoueus Francorum Rex Viriduno * Aureliam * maximis itineribus contendit, & quamuis de bello Wisigothis inferendo non cogitaret, ciuitates ad Ligerim sitas quibus illi dominabantur, aduentu repentino perterruit. Restat vt sententiam nostram de tempore quo sanctus Martinus obiit, Chronologicis rationibus idoneè confirmemus.

* *Verdun.*
* *Orleans.*

VII. INQVIRITVR ANNVS QVO S. MARTINVS OBIIT.

Acturis de tempore quo sanctus Martinus animam feliciter Deo reddidit, expendendi præ ceteris occurrunt, Seuerus, Prosper & Gregorius Turonensis, nam Seuerus synchronus fuit & familiaris beato Martino, Prosper non multò pòst florere cœpit, & Gregorius quamuis longè recentior, non haberi debet in minori loco, sedit enim Turonensis Episcopus, & admodum probabile videtur illum in obitu Beati Martini non alias temporum notas apposuisse præter eas quas in Ecclesiæ Turonensis archiuo repererat, id certè de Consulibus Attico & Cæsario vocari non debet in dubium, quia in totâ suâ historiâ aliisve libris vix vllam aliorum Consulum mentionem facit, & hos præter suam consuetudinem bis allegat, semel in Historiâ [a] Ecclesiasticâ, iterùm in miraculis [b] sancti Martini.

[a] Lib. 1. c. 43.
[b] Lib. 1. c. 5.

VIII. *Martinus armatam militiam in adolescentiâ secutus, inter scholares alas sub Rege Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit, non tamen sponte, quia à primis ferè annis diuinam potiùs seruitutem sacra illustrù pueri spirauit infantia. Nam cùm esset annorum decem inuitis parentibus ad Ecclesiam confugit, seque Catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cùm esset annorum duodecim, eremum concupiuit, fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Cùm edictum esset à Regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cùm esset annorum quindecim captus & catenatus, sacramentis militaribus est implicatus. Triennium ferè ante baptisma in armis fuit. Cùm esset annorum duodeuiginti ad baptismum conuolauit. Per triennium ferè postquàm est baptismum consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus intra Gallias barbaris, cùm Iulianus coacto in vnum exercitu, apud Vangionum * ciuitatem donatiuum cœpisset erogare militibus, tunc opportunum tempus existimauit, quo peteret missionem. Exin relictâ militiâ sanctum Hilarium Pictauæ * Episcopum ciuitatis expetiuit.*

* *Vvorms.*
* *Poictiers.*

Hæc habet in vitâ sancti Martini Seuerus [c] eius discipulus, qui & in eodem opere Martinum Treueros profectum testatur [d] ad Maximum Imperatorem, exceptumque splendidissimo conuiuio, *ad quod veluti ad diem festum euocati summi atque illustres viri Prafectus idemque Consul Euodius, Comites duo summâ potestate praditi, frater Regis & Patruus.* Ammianus [e] author est Iulianum ab Imperatore Constantio dictum Cæsarem sextâ die Nouembris, Arbetione & Lolliano Consulibus, siue anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, proximis Kalendis Decembribus profectionem in Gallias suscepisse, ibique penè permansisse vsque ad exitum tertij sui Consulatus quem gessit anno Christi trecentesimo sexagesimo. Si dicamus Martinum militiæ nuntium remisisse anno Christi trecentesimo quinquagesimo sexto, cùm Iulianus ad Vangionum ciuitatem accessit aduersus Alemannos dimicaturus, posito quòd annorum tunc esset viginti, vt vult Seuerus, certè annorum tantùm erat quinquaginta cùm Treueros se contulit ad Maximum Consule Euodio, Consulatus enim Euodij illigatur ab Idatio Eræ quadringentesimæ vicesimæ quartæ & à Marcellino Indictioni XIV. Imperante Theodosio Seniore, id est anno Christi trecentesimo octogesimo sexto. At aliter sentit Seuerus in suis dialogis [f], vbi scribit Martinum septuagenarium tunc extitisse. Vnde concludas grauia

[c] Capp. 1. 2. 3. 4.
[d] Cap. 33.
[e] Libb. 15. 16. 17. 18. 20.
[f] Dial. 2. c. 8.

menda in vitam ſancti Martini à Seuero compoſitam irrepſiſſe circa notas annorum quos vixit, priuſquàm militiæ cingulum deponeret.

ANNVS Chriſti 498. CLODOVEI R. 17.

Proſper nullum habet verbum de ſancti Martini ætate.

Gregorius Turonenſis multis in locis diuerſiſque Characteribus Chronologicis ſententiam Seueri confirmat, aſſerentis Martinum fuiſſe ſeptuagenarium Euodio Conſule.

IX.

Primò, Gregorius Turonenſis [a], poſtquàm aſſeruit Lidorium ordinatum Epiſcopum *anno Imperij Conſtantis primo*, ſediſſe *annos* XXXIII. ſucceſſorem ei dat Martinum, cuius annum in Epiſcopatu viceſimum ſextum illigat ætatis anno octogeſimo primo. Quibus notis innuit Lidorium ad ſedem Turonenſem promotum anno Chriſti trecenteſimo triceſimo octauo, ex hac vitâ migraſſe anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo primo, eodemque anno ſuffectum Martinum, cuius annus in Epiſcopatu viceſimus ſextus, ætatis octogeſimus primus, conuenit cum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo. Ceterùm ſi Martinus ætatis annum agebat octogeſimum primum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, egerat ſeptuageſimum anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſexto, Euodio Conſule. Supereſt in eo ſcrupulus, quòd Gregorius Martinum ordinatum dicit Epiſcopum anno octauo Valentis & Valentiniani, ſic vt annus Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus primus habeatur octauus ille Valentiniani & Valentis annus, qui noſtro calculo fuit annus Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus ſecundus. Sed cùm bello Gothico, quo Valens extinctus eſt, alij annum Imperij præfigant decimum quartum, alij decimum quintum, Gregorius poſteriorem ſententiam amplexus hoc loco videtur, eâdemque ratione ait [b] alibi quarto Valentiniani & Valentis anno migraſſe ad cœlos ſanctum Hilarium, cuius obitus anno tertio illorum Auguſtorum ponitur in emendatis Hieronymi Chronicis, quæ Valentis vltimum annum habent decimum quartum non decimum quintum.

X.

XI.

[a] Lib. 10. c. 31.

[b] Lib. 1. c. 36.

Secundò, Gregorius Turonenſis [c] ait ſanctum Martinum migraſſe ad cœlos *octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Arcady & Honorij ſecundo Imperij anno, Attico Caſareoque Conſulibus*, id eſt anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo. At ſi Martinus, vt ſuprà iam diximus, ætatis annum agebat octogeſimum primum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, egerat ſeptuageſimum anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſexto, Euodio Conſule.

XII.

[c] Lib. 1. c. 43.

Erat igitur Martinus ſeptuagenarius, cùm Treueros profectus eſt ad Maximum, Euodio Conſule, anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſexto, ſupereſt vt inueſtigemus quot annis poſteà vixerit.

XIII.

Seuerus [d] ait ſanctum Martinum *ſexdecim annos* vixiſſe poſt Euodij Conſulatum, eius igitur obitum collocandum putat anno Chriſti quadringenteſimo ſecundo, quo litera Dominicalis erat E.

XIV.

[d] Dial. 3. c. 15.

Proſper in Chronico Martinum corpore exutum ſcribit anno Arcadij & Honorij Auguſtorum quinto. Ex calculo Proſperi, qui primum Arcadij & Honorij annum conſtituit eum quo Theodoſius extinctus eſt, annus Arcadij & Honorij quintus idem eſt cum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo nono, qui præditus fuit literâ Dominicali B. Sic dicendus eſt Martinus poſt Euodij Conſulatum annos vixiſſe tredecim.

XV.

Gregorius Turonenſis [e] teſtatur Martinum ad cælos migraſſe *Attico Caſareoque Conſulibus*, vixit igitur poſt Euodij Conſulatum annos duntaxat vndecim, obiitque anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, quo litera Dominicalis fuit D.

XVI.

[e] Lib. 1. hiſt. c. 41. & lib. 1. de mir. ſancti Mart. c. 3.

Ex tribus illis Auctoribus minimo in loco ponendus eſt Seuerus, quoniam exceptâ profectione ad Maximum quam Euodio Conſule ſuſceptam ſcribit, ne vnam quidem Martini actionem ſuo Charactere Chronologico rectè conſignauit, tamen Seuerum ſequitur Baronius in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis, Martinumque aſſerit migraſſe in cœlum anno ætatis ſuæ octogeſimo ſexto, Pontificatus triceſimo primo, Chriſti quadringenteſimo ſecundo, ſed ad an-

XVII.

ANNVS Christi, 498. CLODOVEI R. 17. XVIII. num quingentesimum vndecimum in obitu Clodouei docebimus quam ob rem vltrò decipi voluerit.

Seuero & Prospero iure præfertur Gregorius Turonensis, obitum enim Martini consignat quatuor Characteribus Chronologicis annum Christi trecentesimum nonagesimum septimum connotantibus, Consulatu scilicet Attici & Cæsarei, anno Arcadij & Honorij secundo, anno Pontificatus vicesimo sexto, anno ætatis octogesimo primo.

XIX. Quòd Consulatus Attici & Cæsarei cadat in annum Christi trecentesimum nonagesimum septimum, id extra controuersiam est, illigatur enim Indictioni x. à Marcellino, & Eræ quadringentesimæ tricesimæ quintæ ab Idatio.

XX. Annus secundus Arcadij & Honorij Augustorum cadit quoque in annum Christi trecentesimum nonagesimum septimum, quia testibus Idatio, Prospero, Marcellino & Socrate [a] Theodosius Magnus obiit Olybrio & Probino Consulibus, Erâ quadringentesimâ tricesimâ tertiâ, Indictione octauâ, id est anno Christo tricentesimo nonagesimo quinto.

[a] Lib. 5. c. 25.

XXI. Annus Martini Pontificis vicesimus sextus coincidit cum anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, quia Lidorius Martini decessor obiit anno Christi trecentesimo septuagesimo primo, cùm sedisset annos triginta tres à primo anno Constantis Imperatoris, siue ab anno Christi trecentesimo tricesimo octauo.

XXII. Denique anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, Martinus rectè dicitur ætatis suæ annum egisse octogesimum primum, natus est enim anno Christi trecentesimo decimo septimo, annumque agebat septuagesimum Euodio Consule, siue anno Christi trecentesimo octogesimo sexto.

XXIII. Non desunt tamen qui transitum Beati Martini reiiciant in annum Christi quadringentesimum, quia Gregorius Turonensis [b] ait eum contigisse *mediâ nocte quæ Dominica habebatur*, anno autem Christi quadringentesimo, mense Nouembri, litera Dominicalis erat G, & litera illa cadit in diem vndecimam Nouembris, quâ die festum sancti Martini celebratur. Sed illa difficultas facilè solui potest.

[b] Lib. 1. c. 45.

XXIV. Seuerus librum de vita sancti Martini composuit, scripsit præterea tres epistolas, dialogos duos, in quibus eiusdem Sancti vitam, miracula & obitum narrauit. Paulinus & Fortunatus idem opus Poëtico stylo exararunt. Gregorius Turonensis quatuor libros edidit de miraculis Sancti Martini, multa quoque de eodem Sancto retulit in historia Francorum, libris primo & decimo. In tanto Auctorum numero non reperitur qui posteris indicarit diem, quo Martinus mortalem vitam reliquit. Notat Gregorius transitum Martini contigisse *mediâ nocte quæ Dominica habebatur*, sed non asserit noctem illam Dominicam quâ Martinus transiit, incidisse in diem tertium ante Idus Nouembres. Id tamen supponunt Neoterici, dum pertinaciùs volunt illius anni quo Martinus obiit, literam Dominicalem fuisse G mense Nouembri, siue annum assignent quadringentesimum, qui bissextilis fuit, & literas Dominicales habuit A & G, seu recurrant ad annos trecentesimum nonagesimum-quintum, & quadringentesimum-sextum, qui præditi quoque fuerunt litera Dominicali G. Sed cùm Martini transitus ab antiquis Auctoribus quos citauimus haud notetur die Nouembris vndecimâ, sententiam Neotericorum amplectendam nulla ratio persuadet, neque enim quia festum sancti Martini cebratur vndecimâ die Nouembris, inde sequitur necessariò sanctum Martinum illâ die ex hac mortali vita transiisse. Gregorius Turonensis libro primo [c] suæ historiæ ait Martinum à seculo exiisse *anno Episcopatus* XXVI. & libro decimo [d] testatur, illum sedisse *annos* XXVI. *menses* IV. *dies* XXVII. Nihil vitij est in illis textibus. Gregorius annum, quo quis Principatum adeptus est aut Pontificatum, non diuidit in duas partes, vt alteram tribuat ei qui Princeps aut Pontifex esse desiit, alteram assignet illi qui Principatum aut Pontificatum suscepit. Eâ ratione annus Christi trecentesimus

[c] Cap. 45.

[d] Cap. 31.

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 17.

septuagesimus-primus, quo Martinus post Lidorij mortem ordinatus est Episcopus, numeratur annus vltimus seu tricesimus-tertius Lidorij, & annus Christi trecentesimus septuagesimus-secundus habetur primus Martini, & sic deinceps procedendo, qui reperitur annus Martini vicesimus-sextus, is est annus Christi trecentesimus nonagesimus-septimus. Iamverò, si Martinus electus est Episcopus anno medio, migrauitque ad Deum anno vertente, inchoauit sanè annum Pontificatus vicesimum septimum, sedit annos viginti sex integros cum aliquot mensibus ac diebus, peruenítque penè ad exitum anni trecentesimi nonagesimi-septimi, idque non inficiamur, existimamus enim illum transiisse mense Nouembri, de die tantùm disputationem inimus. Anno Christi trecentesimo nonagesimo-septimo litera Dominicalis fuit D, atque inde colligimus beatum Martinum obiisse nocte Dominicâ quæ diem octauam præcedebat, & vndecimam diem Nouembris eidem Sancto, non ob eius transitum, sed ob eius depositionem, sacram haberi. Diem transitus alium à die depositionis docet Gregorius libro primo [a], vbi altercationem Pictauorum & Turonicorum ita describit. *Cùm primitùs Sanctus Des apud Condatensem * vicum ægrotare cæpisset, Pictaui populi ad eius transitum sicut Toronici conuenerunt. Quo migrante, grandis altercatio in vtrumque surrexit populum, dicebant enim Pictaui, noster est Monachus, nobis Abbas extitit, nos requirimus commendatum. Sufficiat vobis, quòd dum esset in mundo Episcopus, vsi estis eius conloquio, participastis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insuper & virtutibus iocundati. Sufficiant ergo vobis ista omnia, nobis liceat auferre vel cadauer exanimum. Ad hæc Toronici respondebant. Si virtutum nobis facta sufficere dicitis, scitote quia vobiscum positus, amplius est quàm hîc operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, nobis vnum, & (vt ipse sæpè dicebat) maior ei virtus ante Episcopatum fuit quàm post Episcopatum. Ergo necesse est, vt quod nobiscum non impleuit viuens, expleat vel defunctus. Vobis est enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verùm si mos antiquitùs institutus seruatur, in vrbe quâ ordinatus est habebit, Deo iubente, sepulchrum. Certè si pro Monasterio priuilegium cupitis vindicare, scitote quia primùm ei Monasterium cum Mediolanensibus fuit. His ergo litigantibus, sole ruente nox clauditur, corpúsque in medio positum firmatis ferâ ostiis ab vtroque populo custoditur. Futurum, vt mane facto à Pictauis per violentiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbem Toronicam à proprio frustrare patrono. Denique nocte mediâ omnis Pictauus somno falanga comprimitur, nec vllus superfuit, qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vbi Toronici eos conspiciunt obdormîsse, adprehensam sanctissimi corporis glebam alij per fenestram eiiciunt, alij à foris suscipiunt, positúmque in naui cum omni populo per Vingennam * fluuium descendunt. Ingressíque Ligeris alueum ad vrbem Toronicam cum magnis laudibus psallentióque dirigunt copioso. De quorum vocibus Pictaui expergefacti, nihil de thesauro quem custodiebant habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi.* Ex distantia locorum & anni tempestate quâ hæc contigerunt, colligere est Turonenses ad ciuitatem suam peruenisse vel feriâ secundâ sub vesperum vel etiam feriâ tertiâ, ita vt corpus solemni pompâ depositum fuerit feriâ quartâ quæ cadebat in diem vndecimam Nouembris. Baronius [b] nomine depositionis, transitum intelligit, additque corpus beati Martini Turonos à Condatensi vico delatum die XIV. Nouembris, eâque die singulis annis agi solitam receptionem sancti Martini. In testem adducit præfationem primo Turonensi Concilio præfixam, cuius initium tale est. *Seuerino V. C. Consule, sub die* XVIII. *Kalendas Decembris, cùm ad sacratissimam festiuitatem, quâ Domini Martini receptio celebratur, in ciuitate Turonorum beatissimi Sacerdotes, quorum subscriptio subter adiecta est, conuenissent, necessariò crediderunt, vt,* &c. Binius in suis notis ad illud Concilium, receptionem interpretatur translationem. Sanè cùm Gregorius Turonensis asserat suis temporibus duas tantùm solennitates quot annis celebrari solitas in memoriam sancti Martini, quarto No-

[a] Cap. 43.

* Cande.

* La Vienne.

[b] In not. ad Martyr. Rom. d. 11. Nou.

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 17.

nas Iulias & tertio Idus Nouembres, liquet Episcopos qui primo Turonensi Concilio subscripsêre, non conuenisse ad solennem festiuitatem quæ singulis annis recolebatur, sed ad translationem reliquiarum quæ tunc facta est, & illo tantùm anno celebrata. De die quo Concilium illud Turonicum habitum est, controuersiam mouet veterum librorum varietas: multi enim XIV. Kalendas Decembris legunt, alij, vt Remensis & Bellouacensis, XVIII. sed ea discrepantia nullius videtur momenti. Annum etiam incertum reddit Consulatus Seuerini, alij enim annum interpretantur quadringentesimum sexagesimum-primum quo Seuerinus Consulatum iniit cum Dagalaifo, alij annum Christi quadringentesimum octogesimum secundum, quo alter Seuerinus cum Trocondo Collega Consulatum gessit, tamen Concilium illud congregatum sub Consulatu prioris Seuerini anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo manifestissimè colligimus ex obitu Leonis Episcopi Bituricensis, qui Concilio subscripsit, nec peruenit ad Consulatum posterioris Seuerini: nam Sidonius in literis ad Perpetuum Episcopum Turonensem circa annum Christi quadringentesimum septuagesimum secundum, vt Sirmondus obseruat, datis, recitat res gestas in electione Simplicij, qui post Palladium & Eulodium Leonis successores Bituricensium Episcopus sedit. Perpetuus Episcopatum Turonensem obtinuit anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo, obiitque anno Christi quadringentesimo nonagesimo-primo, Pontificatus sui tricesimo, *Summotâ*, inquit Gregorius [a], *Basilicâ, quam priùs Briccius Episcopus adificauerat super sanctum Martinum, ædificauit aliam ampliorem miro opere. In cuius absida beatum corpus ipsius venerabilis transtulit.* Hæc translatio alia fuit ab illa cuius meminit Præfatio Concilij Turonensis, suprà recitata. Translatio enim ad quam conuenerant Episcopi, qui Concilio Turonensi primo subscripserunt, notatur Seuerino Consule, siue anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo, quo Perpetuus Episcopatum iniit, eóque tantùm anno celebrata fuit à populo festâ die. Alteram verò ad annum Christi quadringentesimum septuagesimum-secundum, siue ad annum Perpetui Episcopi vndecimum, refert Sigebertus editus Parisiis. Hæc priore multò illustrior, in tabulas Ecclesiasticas relata fuit quarto Nonas Iulias, ad illam enim diem hæc leguntur in Martyrologio Romano, *Turonis translatio sancti Martini Episcopi & Confessoris, & dedicatio ipsius basilicæ hoc ipsò die quo etiam is ante aliquot annos in Episcopum fuerat ordinatus.* In illam tamen diem non incidit ordinatio sancti Martini, nam si fuit ordinatus Episcopus die quartâ Iulij, seditque vt Gregorius [b] scribit *annos* XXVI. *menses* IV. *dies* XXVII. non transiit nocte quæ præcessit diem octauam Nouembris, vt asserimus, aut vndecimam diem eiusdem mensis, vt alij contendunt, sed eam noctem quæ primam Decembris diem præcedebat. Quarto Nonas Iulias in Vsuardi Martyrologio notantur translatio & ordinatio sancti Martini, sed dedicatio Basilicæ non exprimitur. Quapropter existimamus illo die celebratam primùm translationem sancti Martini, deinde eiusdem ordinationem, tum & dedicationem Basilicæ, licet ordinatio beati Martini & dedicatio Basilicæ alijs diebus factæ fuerint. Tres autem illæ res eodem die consignantur in Adonis Martyrologio & in historiâ vulgatâ [c] Gregorij, quibus innititur Martyrologium Romanum.

[a] Lib. 10. cap. 31.

[b] Lib. 10. c. 31.

[c] Lib. 2. c. 14.

XXV.

Transijt igitur ad Deum Beatus Martinus mediâ nocte quæ Dominica habebatur præcedebatque diem octauam Nouembris anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, Attico & Cæsareo Consulibus, anno Arcadij & Honorij Augustorum secundo, Erâ quadringentesimâ tricesimâ quintâ, Indictione vndecimâ iam inchoatâ, sicque primus annus ab obitu sancti Martini numerandus est post Christum natum trecentesimus nonagesimus octauus, si quid autem secus notatum reperitur in historijs, id corrigendum.

XXVI.

[d] Bolland. d. 20. Feb.

ELEVTHERIVS TORNAC. EP. CLARET MIRACVLIS.

Eleutherius Tornacensis Episcopus, vt in auctiore [d] illius vitâ, & apud Guibertum habetur, priusquàm in Pontificatu annum decimum-quartum

ANNVS Christi 498. CLODOVEI R. 17.

ageret, Tornaci duos cæcos illuminauit quorum posterior Mantilius appellabatur, sanauit claudum cuius nomen ignoratur, Peritium leprosum curauit, & Clodoueo Regi peccatum occultum indicauit ab Angelo sibi reuelatum. Hoc anno Clodoueus Rex, vt ex dictis patet, varias vrbes adiit procul Tornaco, & anno Christi quingentesimo bellum in Burgundiâ gessit, vt ex Mario [a] Auenticensi & ex Gregorio Turonensi [b] constat. Inde autem colligimus ipsius Regis profectionem in ciuitatem Tornacensem & colloquium cum Eleutherio Episcopo in annum Christi quadringentesimum nonagesimum nonum incidisse, nec leuis hæc ratio nobis visa est, vt duorum cæcorum, quorum alter nomine Mantilius visum in solennitate Natiuitatis Dominicæ recepit, illuminationem anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo, sanationem verò claudi & Peritij leprosi anno Christi quadringentesimo nonagesimo octauo ascriberemus. Ab vtero matris suæ claudus erat is quem Eleutherius sanauit, & sanatus in Deum credere voluit, imitatus Mantilium & alterum cæcum de quibus anno priori verba fecimus. Peritius leprâ percussus, & ab omnibus contemptus iacebat ad Ecclesiæ ianuam quæ Schaldim * respicit, die autem quadragesimo cùm multi ad baptismum conuolarent, transeuntem Antistitem rogauit, vt sibi quoque lauacri regenerationem impertiretur. Annuit Episcopus, aquam mox afferri præcepit, collatoque baptismo non animæ tantùm quam Christo regenerauit, sed & carni quam mundauit, beneficium integræ sanitatis contulit.

[a] In Chron.
[b] Lib. 2. capp. 32. 33.

* *L'Escaut.*

XXVII. SEPELIT SVOS PARENTES.

In breuiore sancti Eleutherij vitâ, siue in illius actis, omnium antiquissimis, nihil de Mantilio cæco, nihil de claudo, nihil de Peritio leproso, nihil de peccato Clodouei reuelato ac remisso legitur, sed post illuminationem alterius cæci statim narratur obitus Sereni & Blandæ, piissimorum coniugum, qui parentes extiterunt ipsiusmet Eleutherij. *Pater eius Serenus plenus dierum*, inquit Author illorum actorum, *cum Blanda vxore sua migrauit ad Dominum. Illos autem sanctus Eleutherius cum maximo honore sepeliuit ante portam beati Petri Blandinienſis. Pater ante aditum Ecclesiæ requieſcit, mater verò vltrò in cæmeterio ſepulta eſt quinto Idus Ianuarij.* Ætatem attigerunt octogenariâ maiorem. Filium enim Eleutherium susceperunt *in ſenectute bona*, vt habetur in vtrâque vitâ ipsius Eleutherij, siue, vt Guibertus loquitur, *declinantes tantiſper ad veſperam ſenectutis*, vel, vt legitur in breuiario Tornacensi, *cùm ad ſenium iam vergerent*, id est, vt explicamus, cùm Blanda esset annorum ampliùs quadraginta, & propter ætatem grandiorem impar concipiendæ soboli penè videretur. Eleutherius autem, priusquàm parentibus orbaretur, annis vixit plusquàm quadraginta, reuersus enim erat Tornacum, integroque saltem decennio Pontificias infulas partim Blandinij partim Tornaci gesserat, & teste Fortunato [c] creatus fuerat Episcopus *cùm triginta annorum vitæ ſpatium caperet*, siue cùm annis triginta iam expletis ageret tricesimum primum, vt patet ex iis quæ ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum sextum in illius ortu, & ad annum Christi quadringentesimum octogesimum septimum in illius promotione ad Episcopatum diximus.

[c] In vit. S. Medard.

XXVIII. MORS BLANDÆ FILIÆ CENSORINI TRIBVNI.

In auctiore vitâ sancti Eleutherij, in Guiberto & in breuiario Tornacensi ne verbo quidem perstringuntur obitus & sepultura Sereni ac Blandæ coniugis, narrantur tantùm in breuiore sancti Eleutherij vitâ superiùs citatâ, in quâ de alterâ Blandâ, Censorini Tribuni Scaudinienſis filiâ, hæc proximè subiunguntur. *Filia autem Tribuni ſancta & immaculata permanſit, & curſu benignè finito ad cæleſtia tranſmigrauit. Hæc autem pridie Idus Iunij ſepulta eſt ante altare Apoſtolorum Principis. Titulus autem ſuper ſepulchrum virginis conſcriptus eſt hac continens. Hîc ſepulta eſt virgo filia Tribuni à patre ſuo, nomine Blanda, à qua Blandinium nuncupatum eſt.* In auctiore vita sancti Eleutherij & apud Guibertum mortua perhibetur pridie Kalendas Iunij. De anno controuersia quoque moueri potest. Nam quamuis Author qui sancti Eleutherij acta, omnium antiquissima, & authoritate ceteris præstantiora publicauit, ab

ANNVS Christi 498. Clodovei R. 17.

obitu & sepulturâ Sereni ac Blandæ coniugum ad mortem Blandæ virginis statim transierit, non inde sequitur vtramque Blandam eodem anno defunctam esse, illam quinto Idus Ianuarij, hanc pridie Kalendas vel Idus Iunij, maximè cùm beatus Eleutherius annos vixerit sex ac triginta post suum reditum è villâ Blandiniensi, & prædictus scriptor, omissâ penè totâ rerum illo tempore gestarum narratione, præter illuminationem cuiusdam cæci, & obitum Sereni ac vtriusque Blandæ, nihil in literas retulerit. Id cùm Guibertus animaduerteret, cuncta quæ de Blandâ virgine dicenda occurrebant, vno narrauit contextu, cuius vltimam partem hîc exscribere sufficiet. *Catechizata fidei rudimentis, sexque dierum purgata ieiunio, regeneratur in Christo, quam Blanda venerabilis mater Episcopi de sacro fonte suscepit, Blanda nomen eidem imposuit. Quæ Tribuni filia postmodum Blandinio nomen dedit. Hanc pater ad infidelitatem rediens, multis affecit molestiis eò quòd esset fidelis. Sed virgo Christum lucrifaciens, patris abdicatione ereptum sibi patrimonium parui pendens, perseuerans in fide, quieuit in pace. Sepulta in villâ Blandiny pridie Kalendas Iuny ante beati Petri sacrarium & altare.* Inde locus errandi datus est recentioribus, qui Blandam non longè post susceptum baptismum mortuam affirmarunt. *Post sex dierum ieiunium* (verba sunt breuiarij Tornacensis) *baptizatam, déque nomine matris suæ, quæ de sacro fonte eam susceperat, Blandam appellatam, (vnde pago Blandiny nomen) virginem Deo* Eleutherius *consecrauit. Sed Tribuno denuò fallente fidem, qui superstitioni suæ addictus, & virginis proposito offensus, deorsum eam trahere ablatione mundi muliebris, & patrimony priuatione nitebatur, cùm firma illa consisteret, mundique oblectamenta præ Christi vnius amore despueret, non longè pòst accidit, vt defuncta in Domino puella (quæ & ante altare Diui Petri in dictâ basilicâ sepulta est) ad fidei & constantiæ suæ præmia in cælum euolaret.* Errant profectò qui Blandam mortuam putant, antequàm Censorinus Tribunus, eius pater, Christianam fidem profiteretur. Erat adhuc in viuis, cùm Censorinus baptismum suscepit, & Eleutherium Pontificem Blandinio Tornacum reduxit, vt ex antiquissimâ sancti Eleutherij vitâ constat. Si cætera deessent argumenta, sententiam nostram abundè confirmaret iste titulus, quem sepulchro inscriptum docet eiusdem vitæ scriptor. *Hîc sepulta est virgo filia Tribuni à patre suo, nomine Blanda, à quâ Blandinium nuncupatum est.* Nam Censorinus, si nuncium idolis nondum remisisset, curam non gessisset sepeliendæ filiæ, vel illam Tornaci in campo Martis, vt semel iam fecerat, non autem Blandinij in Ecclesia sancti Petri sepeliendam curasset.

XXIX. Clodoueus, vt Alcuinus in vitâ sancti * Vedasti scribit, *vtriusque & victoriæ ex hostibus & suæ salutis voti compos, ad sceptra regni gubernanda reuersus est, Sanctumque Vedastum beato Pontifici commendauit Remigio. Qui ibi moratus, vitæ meritis & virtutum claruit exemplis, omnibus amabilis & venerabilis factus est.* Et paucis interiectis. *Cúmque viri Dei celeberrima vulgaretur fama, & caritatis in eo munificentia, & religio vitæ, & verbi Dei instantia, longè latéque ab omnibus celebraretur, visum est beatissimo Pontifici Remigio, tam præclaram Christi lucernam melius esse supra candelabrum ponere, vt splendidissimo suæ sanctitatis fulgore latiùs ad salutem luceret multorum, quàm sub vnius loci latebris propemodùm abscondita lateret. Diuinâ igitur dispensatione & salubri Sacerdotum consilio, ordinauit eum Episcopum, & ad prædicandum verbum vitæ Atrebatensi * eum direxit vrbi, quatenus populus diu in antiquis malæ consuetudinis erroribus iacens, Deo auxiliante, per assiduam sacræ prædicationis instantiam, per illum in viam veritatis, & agnitionem filij Dei deduceretur.* Ex illo textu plerique suspicantur à Clodouei baptismo ad Vedasti Pontificatum multos annos interceßisse. Malbrancus in scholiis ad caput primum libri quarti de Morinis, varias recenset authorum opiniones, quorum alij Vedastani Præsulatus initium in annum Christi quingentesimum, alij in annum Christi quingentesimum tricesimum primum, nonnulli seriùs in annum Christi quingentesimum quadragesimum

* S. Vvast.

VEDASTVS FIT EPISC. ATREBAT.

* Arrat.

geſimum ſecundum reiiciunt. Ipſe verò illud collocandum arbitratur anno Chriſti ſeptimo ſupra quingenteſimum, nec diffitetur quoſdam reperiri qui decennio citiùs referant. Hanc poſtremam ſententiam, quæ propiùs ad veritatem accedit, non amplectitur, quia cum Locrio fidem adhibet deprauatis Attrebatenſis Eccleſiæ tabulis, quæ beati Vedaſti tranſlationem anno poſt eius obitum non centeſimo duodetrigeſimo, vt alij Codices habent, ſed centeſimo duodeuigeſimo factam teſtantur. At iſtæ tabulæ, vt alibi ſæpiùs, ita & in hoc loco indigent emendatione, annum enim ab obitu ſancti Vedaſti centeſimum duodeuiceſimum, quo prædictam tranſlationem connotant, anno illigant Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, & quamuis decennium reſecent ex interuallo quod à morte ſancti Vedaſti vſque ad illam tranſlationem effluxit, tamen eandem tranſlationem annis vndeuiginti ſeriùs quàm par eſt differunt, quoniam Audomarus Taruannenſis Epiſcopus, qui præſens aderat, Præſulatum iniit ſub Dagoberto Rege, geſſitque per annos duntaxat triginta, priuſquàm incideret in morbum, quo extinctus eſt. Ex actis autem Sanctorum Vedaſti atque Audomari, & ex Fredegario Chronologiam ſic inſtituendam ducimus. Vedaſtus Epiſcopus ordinatus eſt anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo octauo, diœceſim rexit annis circiter quadraginta, obiitque octauo Idus Februarias anno Chriſti quingenteſimo triceſimo octauo, & annis pòſt centum ac duodetriginta ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto eleuatus eſt è tumulo Kalendis Octobribus ab Autberto & Audomaro. Autbertus Cameracenſium Pontifex tranſlationi ſancti Vedaſti ſuperuixit tantùm biennio, vitamque mortalem clauſit Idibus Decembribus, anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo. Audomarus * aliquot menſibus antequam Dagobertus Rex obiret, in Eccleſiæ Taruannenſis Antiſtitem aſſumptus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo ſeptimo; priuilegia Monaſterio Sithiuenſi conceſſit decimo-quinto Kalendas Iunias anno Clotarij Regis ſexto, id eſt, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo primo; interfuit tranſlationi ſancti Vedaſti Kalendis Octobris anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto; migrauitque ad Deum quinto Idus Septembris anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo octauo, Singula ſuis locis probabimus. Vedaſtus *Pontificatus gradu & prædicationis officio ſuſcepto, concitus ad iam præfatam peruexit vrbem* Attrebatenſem, *ſed in auſpicium futuræ proſperitatis & ſalutis, Deus cuiuſdam miraculi teſtificatione eius patefecit ciuibus introitum*, nam beatus Præſul in ipſâ ciuitatis portâ, vt Alcuinus iam laudatus affirmat, cæcum & claudum ſanos reddidit, talibuſque prodigiis, complures ab idololatria reuocauit.

ANNVS Chriſti 498. CLODOVEI R. 17.

* *Omer.*

ANNVS CHRISTI 499. CLODOVEI R. 18.

499. CLODOVEI R. 18.

ANNVS Chriſti quadringenteſimus nonageſimus nonus apud Marium notatur poſt Conſulatum Paulini, apud Caſſiodorum verò conſignatur Ioanne Conſule, cui Marcellinus cognomen Gibbi tribuit. I.

Hoc anno referendum putamus inſigne ſancti Remigij facinus, quod Hincmarus * ante bellum Burgundicum ſic enarrat. *Eulogius quidam vir præpotens, conuictus apud Regem Ludouicum de crimine Regiæ Maieſtatis, cùm ſe purgare non poſſet, ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ & ad interceſſionem beati Remigij confugium fecit. Cui ſanctus Remigius & vitam & rerum ſuarum apud Regem obtinuit poſſeſſionem. Idem autem recompenſationis gratiâ ſancto Remigio Sparnacum* * II.

* In vit. S. Remig.

* *Eſpernay.*

ANNVS Christi 499. CLODOVEI R. 18. EG REGIVM FACINVS REMIGII EPISC. REMENS.

villam suam in proprietatem dare voluit, Sanctus autem Remigius retributionem temporalem pro intercessionis suæ beneficio recipere noluit. Sed quoniam idem Eulogius verecundiæ confessione addictus, quia contra natales suos vitâ donari per alterius indulgentiam meruit, in seculari habitu stare non valuit, Sanctus Remigius ei dixit, vt si perfectus esse vellet, venderet omnia sua & daret pauperibus, & sequeretur Christum. Et sic de thesauro Ecclesiastico taxatum pretium, quinque scilicet millia argenti libras Eulogio dedit, & eandem villam in possessionem Ecclesiæ comparauit, bonum exemplum omnibus Episcopis tam suo tempore in carne viuentibus quàm post eum in ordine succedentibus derelinquens, vt pauperibus aut viduis aut pupillis, vel pro his qui ad misericordiam Ecclesiæ confugiunt, qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio aut in insulis damnantur, aut certè quamcumque sententiam suscipiunt, iuxta sacros canones subuenientes, vel quæcumque agentes bona, pro temporali retributione non faciant, sed iuxta Dominicam vocem, [Gratis accepistis, gratis date] quòd Dei gratiâ, id est, gratis data acceperunt, gratis etiam, id est, sine retributione temporali proximis largiantur.

III. DEDICATIO ECCLESIÆ MICIAC.

Cùm Eusticius Abbas eiúsque nepos Maximinus, Clodoueo Rege & Eusebio Aurelianensi Pontifice adiuuantibus, Ecclesiam cellásque Monachorum in agro Miciacensi construxissent, Eusebius Basilicam ipsam sacrauit, & dedicauit in honorem sancti Stephani, eodémque die Maximinum ordinauit Diaconum ac postmodùm Sacerdotem, vt refert Gononus [a] ex manuscriptis Codicibus Monasterij Beatæ Mariæ de * Amberto in agro Aurelianensi.

[a] Lib. 4.
* *Nostre-Dame d'Ambert.*

IV. CLODOVEVS TORNACVM PROFICISCITVR.

Hoc anno Clodoueus Rex Tornacum profectus est, vt ex Chronologiâ priùs stabilitâ constat, *Delectabat eum mirabiliter audire prædicantem Eleutherium, & memoriter retinebat sermonem sapientiæ sale conditum. Peccatum post lauacrum baptismi commiserat, quod confiteri verecundia prohibebat. Quod Sanctus videns in spiritu Regi detulit. Rex pudore suffusus & lacrymis, illicò reatum cognouit, & obsecrans Rex vt inter Missæ solemnia Sanctus eius fieret aduocatus, pro ipso veniam impetrauit, sicut rei probauit euentus. Nam manè consecrans Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, lucis in Ecclesia claritas fulsit per vnius horæ spatium, vbi per ministerium Angelicum Sanctus accepit qualitatis culpæ notitiam, & quantùm ad veniam, certitudinis argumentum. Certificatus ergo Rex per scriptum ab Angelo reuelatum tam de culpa quàm de venia, Deo gratias agens, & ad propria remeans, Sancto Dei contulit gratuitò multa dona.* Huc vsque Guibertus in vita sancti Eleutherij Tornacensis Episcopi. Habentur consentanea in auctiore eiusdem Eleutherij vita, & in Breuiario Tornacensi, sæpè iam citatis.

500. CLODOVEI R. 19.

ANNVS CHRISTI 500. CLODOVEI R. 19.

I. [b] Cassiod. Marius, Marcell. Vict. BELLVM BVRGVND. [c] Lib. 2. cap. 32. 33.

ANNO Christi quingentesimo Consulatum [b] inierunt Patricius & Hypatius. His Consulibus, vt Marius obseruat, gestum est bellum Burgundicum, quo Gundobadus Rex vniuersam sibi Burgundiam asseruit, fratre Godegisilo interempto, delusísque Francis, qui partes Godegesili sequebantur. Si plura cupis, lege Gregorium Turonensem [c].

II. [d] *Moissac.*

In nostras manus peruenit vetus Codex Abbatiæ * Mossiacensis, in quo manuscriptæ Sanctorum vitæ centum ac tredecim continentur. Nono Kalendas Septembris descriptum habetur elogium sancti Eptadij Augustodunensis Presbyteri, quem Clodoueus Francorum Rex, pace cum Burgundio-

nibus ínitâ, expetiit Episcopum Autissiodorensem fieri, sic enim loquitur Auctor vitæ. *Eodem tempore quo se ad fœnium quorumdam pacis mediante concordiâ duorum Regum, superstitiosa complexa potentia Burgundionum gentis & Francorum, à Rege Gundobado præcellentissimus Rex Francorum Clodoueus suppliciter exoranit, vt hunc beatissimam virum Eptadium ciuitatis suæ Autissiodorensis* * *præstaret Antistitem ordinandum. Cuius petitionem vel electionem prædicti Regis ita restitit voluntas offensa, tanquam sibi maximas vires deposceret possidendas. Tamen propter præsentis concordiam populi pacis, caritatis intuitu vt petebat, negare non potuit. Cuius acceptâ permissione auctoritatis statim elegitur, consensus vniuersitatis exequitur populorum.* At vir humillimus vbi primùm audiuit quæ se inscio gesta fuerant, *indignum se* dixit *tanti molis sacerdotij hominem peccatorem, statímque cellulâ suâ derelictâ omne pernoctationis proripuit ad deserta montium, in montanam solitudinem properauit, ibíque multùm temporis latens orationibus ac ieiuniis continuatis Dominum supplicabat, vt impleretur in eo quod Propheta cantauerat* [*Ecce elongaui fugiens & mansi in solitudine, expectabam eum qui saluum me fecit à pusillo animo & tempestate.*] *Et tam diù in solitudine deserti permansit, donec iterum ei præfatus Rex cum iuramento pollicitus est, dicens, non se vnquam contra voluntatem ipsius esse venturum, nisi tantummodò pro regni sui incolumitate diuinæ clementiæ supplicaret, & in necessitatibus captiuorum tam Romanorum quàm Burgundionum vel vniuersarum gentium vt cæperat, laboraret.*

ANNVS Christi. 500. CLODOVEI R. 19. EPTADIVS PRESBYTER RECVSAT EPISC. ALTISSIOD. * *Auxerre.*

Ex illo textu colligimus ad Deum hoc anno migrasse sanctum Censurium Autisiodorensem Episcopum, qui colitur quarto Idus Iunias. Agemus anno sequenti de Vrso illius successore, qui Pontificatum sex duntaxat annis gessit, ac mensibus quatuor, præcessítque Theodosium, qui Concilio Aurelianensi primo subscripsit, vt ad annum Christi vndecimum supra quingentesimum probaturi sumus.

III. S. CENSVRIVS EP. AVTISS. MORITVR.

In eadem sancti Eptadij vita Flauichonus deprehenditur Episcopus * Augustodunensis, paulò ante bellum Burgundicum, quapropter in catalogis Augustodunensium Antistitum, quorum series eo loco hactenus manca reperitur, rectè collocandus videtur inter Euphronium & Pragmatium, quorum alter in Episcopatu iam sedebat anno Christi quadringentesimo sexagesimo primo, alter superuixit Epaonensi Concilio, quod anno Christi quingentesimo decimo-septimo celebratum fuit. Mansit autem beatus Eptadius in Burgundia, vitámque produxit vsque ad Principatum Sigismundi, *cui per epistolam imperauit vt per auctoritatem suam ingenuorum animas daret, & obtinuit, ex quibus non minùs quàm ferè tria millia captiuorum promiscui sexus & ætatis liberati.* Vixit fortè vsque ad annum Christi quingentesimum vicesimumquintum, quo territorium Augustodunense ad Franciam accessit.

IV. EPISCOPI AVGVSTODVN. * *Eueſque d'Autun.*

ANNVS CHRISTI 501.

CLODOVEI R. 20.

501. CLODOVEI R. 20.

ANNVS Christi quingentesimus-primus notatur Consulibus [a] Pompeio & Albieno, siue Auieno.

I. [a] Cassiod. Marius, Marcell. Vict.

Eleutherius Tornacensis Episcopus, hoc anno Præsulatus sui decimo-quarto, Romam se contulit. Causa profectionis hæc describitur in auctiore eius vita [b]. *Litigatio magna inter Tornacenses clericos exorta est. Quidam enim hæretici quasdam propria hæreseos nouitates præferebant, & prædicationem veritatis destruere conabantur, audentes mysterium diuinæ dispensationis corrumpere, &*

[b] Apud Bolland. d. 20. Feb.

II.

ANNVS Christi 501. CLODOVEI R. 20. ELEVTHERIVS EP. TORNAC. IT ROMAM. * L'Escaut. TRIVMPHAT DE HÆRETICIS.

negantes paranymphum cæleſtem partum Virginis nunciaſſe. Aly autem hæretici confuſionem inducentes, & vnam carnis & Deitatis naturam eſſe male componentes, diuulgabant tali confuſione diuinam naturam Vnigeniti paſſibilem, & purum hominem eſſe, qui ex beatiſſima Virgine Maria natus eſt, impudenter aſſerebant. Aly verò Spiritui ſancto aduerſabantur. Aly autem Deo deuoti & ſeruientes credebant veritati, non obedientes falſitati. Tanta autem litigatio inter illos erat, vt etiam hæretici Catholicos Eccleſiæ Tornacenſis filios inuaderent, & in fluuio qui dicitur Scalda, multos obtruncatos ſubmergerent. Vir autem Dei Eleutherius Catholicæ defenſor fidei animos filiorum ſuorum, alios exhortando, aliis prædicando, in Chriſti fide firmiſſimè roborabat. Qui quarto-decimo Præſulatus ſui anno videns in his partibus Eccleſias de miſericordia Dei penè deſperatas, ſermonem de diuinitate Chriſti vnigeniti Domini noſtri compoſuit, & poſt hæc ad Romanum Pontificem Symmachum detulit, à quo honorificè ſuſceptus eſt. Deinde à Roma regreſſus omnes hæreticos conuicit, Deo tamen miſerante, illos poſteà ad fidem conuertit.* Guibertus ortâ contentione Catholicos affirmat in Schaldim demerſos ab hæreticis, quos tandem Eleutherius Epiſcopus anno ſui Præſulatus decimo reduxit ad fidem ſub Anaſtaſio Papa, deinde cùm hæreſis iterùm Tornaci pullularet, eundem Eleutherium anno ſuæ Sedis XIV. Romam profectum ad Symmachum Papam tradit. In Breuiario Tornacenſi alia initur Chronologia, hæreſim anno ſui Pontificatus nono propagari cœptam comprimit Eleutherius anno ſui Præſulatus decimo-tertio, ſub Anaſtaſio Papa; deinde vt eandem hæreſim anno Sedis viceſimo-octauo renatam iterùm profligare poſſit, Romam proficiſcitur, & Symmachum Papam Anaſtaſij ſucceſſorem ſuper eo negotio conſulit. At nec anno Eleutherij Epiſcopi nono hæretici erant Tornaci, nec Eleutherius de hæreticis, ſed de paganis triumphauit anno ſui Præſulatus decimo; præterea nec annus Eleutherij Epiſcopi decimus-tertius cum Anaſtaſij Papæ Pontificatu, nec annus eiuſdem Eleutherij viceſimus-octauus cum Symmachi Papæ Pontificatu coincidit. Hæc obſeruata volumus, vt intelligas Guiberto, qui decimo-tertio ſeculo vixit, & recentioribus non immeritò præferri à nobis anonymum Heidiloni Nouiomenſium ac Tornacenſium Antiſtiti coæuum, qui auctiorem ſancti Eleutherij vitam ſcripſit nono ſeculo, & Guibertum totis quadringentis annis anteceſſit.

III. ANTIMVNDVS PRIMVS EPISC. MORINORVM CONSTITVITVR. [a] In Chron.

Hoc anno Antimundus à Remigio metropolitano Remenſi conſtitutus eſt primus Morinorum Epiſcopus, ſedit enim annos duntaxat nouemdecim, & Athalbertus eius ſucceſſor obiiſſe comperitur anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, cùm Pontificatum annis duobus ac triginta geſſiſſet. Matthæus Deſpretſius [a] Archidiaconus Morinenſis, vt Antimundum ſtatim à Clodouei Regis baptiſmo præpoſitum Morinis Epiſcopum probet, ait eum nonniſi tertio pòſt anno in decretam Prouinciam penetraſſe, quoniam ei via præcludebatur à Chararico Morinorum Domino, additque Athalbertum ſimiliter impeditum ferè biennio, quominùs in Epiſcopatu reſideret ad quem ſublectus fuerat. Eandem Chronologiam init Iacobus Malbrancus [b]. Neuter affert auctoritatem aut coniecturam alicuius fidei. Multò probabilius eſt Chararicum, qui proculdubio Chriſtianus obiit, aliquot annis poſt Clodouei conuerſionem ad Chriſtianam fidem perductum fuiſſe, nec priùs cogitatum de mittendo ad Morinos Epiſcopo.

[b] Lib. 1.

IV. A REMIGIO EPISCOPO REMENSI METROPOL.

Haud procul Remis in paupere tugurio degebat Antimundus, quem pietas primùm à forenſibus ad munus Sacerdotale, dein ad ſegregem vitam priuatæque ſalutis curam auocarat. Non literarum omnino rudis animus, ſed à Chriſtianæ religionis ſtudio inſtructior. Mandat ſibi Remigius Anachoretam accerſiri. Quærit cui ſtudeat, cui viuat, an non ſalus animorum vitæ ſolitariæ anteferenda, quid conſectetur veſte illâ cilicinâ cutem afflictando, longis inediis gulam fallendo, quotidianis humi cubationibus, animoſâ denique mundi fugâ? Multam inde quidem laudem ac meritum enaſci, ſed his omnibus præcellere charitatem & zelum Apoſtolicum, quo quis ſla-

grat diuini nominis propagandi desiderio inflammatus. His motus Anachoreta, permotus nondum. Tum Præsul ingeminatis, vti eloquio valebat, rationibus addit gentem quampiam viri Apostolici inopiâ ac spiritali fame propemodum enecari. Ecquæ porrò illa, subiicit. Illa inquam, ait Remigius, cui ad Christi sequacem cultum traducendæ te video destinatum, sunt Morini extremi quidem hominum, sed Deo, si hominem habeant, proximi futuri, amplus hic campus, in quo ritè excolendo tui vnius excurrere possit industria. Tandem cessit manus & animum, quem vt videt Remigius propendentem, adiicit quæ ad morum istius gentis peruicaciam spectabant, cùm eò veneris, inquit, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ, duræ ceruicis est populus, sed qui verbo Dei, quod omni gladio penetrabilius est non obdurescat, non obfirmetur. Antimundus sacratur Episcopus,& Remigij fretus hortamentis Taruannam * proficiscitur, malè excipitur ab ethnicis quorum maximus erat in illâ regione numerus, peruincit incredibili suâ patientiâ, itaut inter Morinos mitissimi Pastoris nomen ad vsque Taruannicum excidium retinuerit. Lege Iacobum Malbrancum [a] iam laudatum.

ANNVS Christi 501. CLODOVEI R. 20.

* *Teruenense.*

[a] Lib. 1. c. 39.

V.

Eusprcius, vt in eius vitâ legitur apud Gononum [b], postquam Ecclesia Miciacensis ab Eusebio Episcopo Aurelianensi sacrata fuit, biennio tantùm superuixit, obiit igitur hoc anno, celebratur eius festum die vicesimâ Iunij teste Carolo Sausseyo [c]. *Corpus sepultum est in Ecclesiâ sancti Laurentij extra ciuitatem Aurelianensem ad latus corporis sancti Aniani, deinde cum corpore sancti Aniani illatum est in Ecclesiam sancti Petri ad orientalem plagam, quæ nunc sancti * Aniani vocatur, in cuius honorem in vtrâque Ecclesiâ Sacella extructa manent.* Nullibi gessit Episcopatum, ideóque malè nominatur Episcopus in titulo quem Gononus eius vitæ præfixit. Andreas Sausslayus in supplemento Martyrologij Gallicani hæc habet ad diem vicesimam Iulij. *Apud Parisios sancti Eusprcy Abbatis Miciacensis primi.* Post obitum Beati Eusprcij Maximinus eius nepos Abbas Monasterij * Miciacensis constitutus est ab Eusebio Aurelianensi Pontifice, sic animum intendit contemplatiuæ vitæ, vt non negligeret eorum curam, quibus etsi non præesse, prodesse tamen affectabat. Lege Gononum.

[b] Lib. 4.

[c] Lib. 3. in Euseb.

S. EVSPICII MICIAC. MORS ET SEPVLTVRA.

* *S. Agnan.*

* *Mesmin Abbé de Micy.*

VI.

Ad Altissiodorem Pontificatum, qui per nouem circiter menses vacauerat, mense Martio promotus est Vrsus, sedit enim annos sex, menses quatuor, obiitque quarto Kalendas Augustas, vt apud Democharem [d] testatur Iacobus de Aulâ. Illius elogium accipe ex Chronologia Monachi Altissiodorensis. *Vir fuit sanctitate conspicuus, qui iuxta sancti Amatoris basilicam reclusus, anachoreticam duxit vitam, vbi vsque hodie est Oratorium eius nomini dedicatum. Cuius sanctitatis euidens testimonium fuit, quòd cùm quadam die ciuitas subito conflagraret incendio, ipse populi clamore permotus familiarem illuc baculum destinauit, eóque inter minaces flammas constituto omne incendium dicto citiùs deflagrauit. Sancti viri merito taliter declarato, vrbis decedente Pontifice, vi extractum Præsulatui suffecere: Cella eius in Ecclesiam cessit.*

[d] De Diu. Miss. Sacr. c. 19.

VRSVS EPISC. ALTISSIOD.

ANNVS CHRISTI 502.

CLODOVEI R. 21.

ANNVS Christi 502. CLODOVEI R. 21.

I.

ANNO Christi quingentesimo secundo Consulatum gesserunt [e] Probus & Abienus siue Auienus cognomento iunior.

[e] Cassiod. Marius, Marcell.

II.

Clodoueus bellum ciuitatibus Armoricis intulit, ne quid inter Sequanam & Ligerim hostile superesset. Quamuis autem certam epocham nullus ve-

BELLVM ARMORIC.

ANNVS Christi 502. CLODOVEI R. 21.

terum annotarit, tamen quæ superiùs dicta sunt, quæque dicentur inferiùs, quisquis attentè considerauerit, ex iis facilè colliget expeditionem illam hoc circiter tempore consignandam esse. Hactenus è Prouinciâ Lugdunensi secundâ nihil præter metropolim ciuitatem Rotomagensium, è Prouinciâ Lugdunensi tertiâ nihil in potestate Francorum fuerat præter ciuitates Cenomannorum & Andicauorum. Postmodum Clodoueus vniuersam Prouinciam Lugdunensem secundam perdomuit, Episcopi enim penè omnes illius Prouinciæ subscripserunt definitionibus Concilij Aurelianensis anno Christi quingentesimo vndecimo. In ditionem quoque Francorum redegit integram Lugdunensem tertiam, exceptâ metropoli ciuitate Turonorum, quam bello pòst in Regem Wisigothorum commoto cepit. Eâ tempestate Prouinciæ Lugdunensi tertiæ varij Principes dominabantur. Metropolis Turonorum parebat Alarico Wisigothorum Regi qui Galliam omnem Aquitanicam à Ligeri fluuio ad Pyrenæos montes obtinebat. Ciuitas Cenomannorum * obtemperabat Regnomeri Clodouei Regis propinquo, cuius meminit Gregorius Turonensis [a]. Ciuitatem * Andicauorum, quam Franciæ Childericus adiunxerat, Clodoueus eius filius hæreditario iure possidebat. Ciuitates Redonum * & Namnetum * extinctâ Romanorum potestate liberi iuris erant, has Clodoueus in suam ditionem redegit, vt patet ex subscriptionibus Episcoporum, qui primo Concilio Aurelianensi sub eodem Clodoueo Rege interfuerunt. Ciuitates Venetum, Coriosopitum, Ossismorum & Diablintum constituebant regnum Britannicum, cuius prima fundamenta temporibus Valentiniani tertij Augusti iacta fuerant à Britannis è maiori Britanniâ profugis metu Anglorum & Saxonum, quos Beda [b] tunc illuc ex antiquâ Germaniâ venisse scribit; Clodoueus Britannis ciuitatem Venetum * eripuit, ceteras eisdem concessit modò abstinerent regio nomine, seque Cómites imposterùm dicerent ac Regum Franciæ beneficiarios. Hæc docet Gregorius Turonensis multis in locis, ac præcipuè libro quarto [c] Historiæ Ecclesiasticæ, vbi de Britannis & de Macliauo qui Veneticam vrbem expetierat, ita loquitur. *Semper Britanni sub Francorum potestate post obitum Regis Chlodouechi fuerunt, & Comites non Reges appellati sunt, Macliauus autem de terrâ consurgens, Veneticam vrbem expetiit, ibique tonsoratus & Episcopus ordinatus est.*

* Le Mans.
[a] Lib. 2. c. 42.
* Angers.
* Rennes.
* Nantes.
[b] Lib. 1. c. 15.
* Vanes.
[c] Cap. 4.

III. VIDVA MONAST.

Regno per Armoricam dilatato Clodoueus Monasterium erexit ad ripam Ligeris in villâ cui nomen Vidua. Illic *non modicam Deo seruientium aduanauit congregationem, & inter plurima Sanctorum pignora, pretiosum Martyrem Benignum videlicet Carnotensem * Episcopum, vnà cum ter beatâ Martyre ac virgine Agnete pretiosâ locauit veneratione*, vt ex vetere manuscripto publicauit Bollandus [d]. In catalogis Carnotinorum Antistitum hactenus desideratur nomen sancti Benigni, cui locus inter antiquissimos illius Ecclesiæ Pontifices est attribuendus. Quod attinet ad reliquias sanctæ Agnetis, partem earum asseruari colique apud se complures Ecclesiæ gloriantur.

* De Chartres.
[d] D. 21. Ian.

IV. EPISCOPI LVGDVN. SECVNDÆ.

Quinam tunc in Prouinciâ Lugdunensi secundâ fuerint Episcopi, non meliùs aliunde dignoscere possumus, quàm ex primo Concilio Aurelianensi, cui post aliquot annos subscripserunt, Nepus Episcopus Ecclesiæ Abrincatinæ *, Litharedus Episcopus Ecclesiæ Oxomensis, Maurusio sancti Gaudi successor Episcopus Ecclesiæ * Ebroicinæ, Leontianus Episcopus Ecclesiæ * Constantinæ. Plerique Codices Litharedum Episcopum faciunt Lexouiensem, fama tamen est Oximi olim Episcopalem cathedram fuisse atque inde postea Saios translatam, hodie certè Oximensis * pagi caput sub Sagiensi * est Episcopo, sed cùm vterque clerus, Sagiensis & Lexouiensis Litharedum Episcopum pertinaciùs repetat, inde fit vt eo sedi suæ Sagiensi restituto mancum nanciscamur catalogum Episcoporum * Lexouiensium, qui præterea cum Lexobiensibus in Britanniâ Gallicanâ facilè confunduntur. Baiocis * verò sedebat Patricius præcessor Vigoris coætanei Childeberto Regi, vt probabimus suo loco.

* Abrancbes.
* Eureux.
* Constances.
* Hiesmes.
* Sées.
* Lisieux.
* Bajeux.

Eidem Concilio Aurelianenſi primo ſubſcripſerunt Epiphanius Epiſcopus Eccleſiæ Namneticæ, Melanius Epiſcopus Eccleſiæ Redonicæ, Modeſtus Epiſcopus Eccleſiæ Veneticæ. Præter Modeſtum autem in Britanniâ minori ſeu Gallicanâ duo alij erant Epiſcopi, Riocus & Morguethenus, ſedebat ille Lexobiæ *, hic Corentinopoli *. Conſule Albertum de monte Relaxo Dominicanum, qui Britannicarum ſedium Epiſcopos in ſuâ Britanniâ ſanctâ recenſuit. Poſtquam Redones cœperunt eſſe ſub poteſtate Francorum, Melanius Epiſcopus qui ſancto Amando ſucceſſerat, inter præcipuos Clodouei conſiliarios fuit, vt in illius vitâ legitur [a]. *Eius conſilio Rex multas à fundamentis conſtruxit Eccleſias, dirutaſque reſtaurauit, & monaſteria quædam decentiſſimè fabricauit, pauperes quoque eius conſilio abundantiſſimè ſuſtentans, Dei ſeruos cuiuſcumque fuiſſent ordinis condignâ reuerentiâ honorabat, iuſtitiam per populos ipſius monitis exercebat, cultumque diuinum pro poſſe amplificabat.*

ANNVS Chriſti 502. CLODOVEI R. 21.

V. EPISCOPI LVGDVN. TERTIÆ.

* *Lexobie.*

* *Kempercorantin.*

[a] Ap Bolland. d. 6. Ian.

Eâ tempeſtate pueritiam agebat in agro Baiocaſſino Marculfus, cuius vitam habes apud Surium Kalendis Maiis. In agro Conſtantino degebant duo inſignes Monachi, Paternus & Scubilio, ille annum attigerat viceſimum ſecundum, hic ætate paulò maior erat, vterque vitam duxit longæuam, câdem enim horâ mortui ſunt cùm Paternus annos vixiſſet octoginta tres, vt author vitæ teſtatur [b]. Eorum primordia paucis retexemus. Ortus eſt Paternus apud Pictauos ex parentibus generis nobilitate publicâque adminiſtratione conſpicuis, ſed natalium ſplendorem vicit vitæ ac morum claritudine, Iulitâ matre illum honeſtiſſimè educante. In tenerâ ætate cœleſti inſpiratione permotus, in cœnobio Enixionenſi monachum induit. In ipsâ autem adoleſcentiâ ad ſublimiora ſanctæ vitæ ſtudia aſpirans, cùm non fideret ſibi ipſi propter ætatis teneritudinem, cum Scubilione eiuſdem loci monacho priùs communicato conſilio, relictis parentibus, in agro Conſtantino vnà cum illo libenter conſtituit peregrinus degere. Ibi cùm iam triennio verſati eſſent, Generoſus Abbas Enixionenſis ad monachos ſuos perquirendos eò quoque profectus eſt, ſed cùm rigidam Paterni vitam agnouiſſet, apud Lucianum Epiſcopum & ciues præclarum ei reddidit teſtimonium, Scubilionem verò ſecum ad monaſterium reduxit, cui tamen non multò pòſt copiam fecit ad Paternum ſeſe recipiendi. Porrò Lucianus Epiſcopus Paternum primò Diaconum, deinde Preſbyterum ordinauit. Ille quantùm ſibi ſenſerat ex illâ promotione acceſſiſſe dignitatis, tantò plùs ipſe ſibi cumulandis virtutibus veri honoris adiicere nitebatur. Tantus autem Sciſciaci * ex eius & Scubilionis laboribus gratiæ fructus excreuit, dum illic cœleſtis verbi ſemina ſpargerent, vt fanum prophani cultus in pecorum ſtabula redactum ſit. Spelunca in quam viri illi egregij ſe abdiderant, tam ſuaues ex ſe diffudit virtutum odores, vt permulta ex Paterno prodierint monachorum examina, nec pauca apud Conſtantienſes, Baiocenſes, Cenomanos, Abrincenſes, & Rhedonenſes ab illo fundata ſint monaſteria. Ceterùm Lucianus Epiſcopus, cuius mentionem fecimus, non alius nobis videtur à Leontiano Epiſcopo Conſtantienſi, qui primo Aurelianenſi Concilio ſubſcripſit.

[b] Ap. Sur. d. 16. April.

PATERNVS.

ET SCVBILIO MONACHI.

* *Cheſay.*

ANNVS CHRISTI 503. CLODOVEI R. 22.

503. CLODOVEI R. 22.

I. ANNO Chriſti quingenteſimo tertio Marius Conſulem ponit Voluſianum, cui Marcellinus collegam tribuit Dexecratum. Vtrumque omiſerunt Caſſiodorus & Victor.

ANNVS Christi 503. CLODOVEI R. 22.

*Alaricus Rex Gothorum, cùm videret Chlodouechum Regem gentes assiduè debellare, legatos ad eum dirigit, dicens. Si frater meus velit, insideret animo, vt nos, Deo propitio, pariter videremus. Quod Chlodouechus non respuens ad eum venit. Coniunctíque in insula Ligeris, quæ erat iuxta vicum * Ambaciensem, territorij vrbis Toronicæ simul locuti, comedentes pariter ac bibentes, promissâ sibi amicitiâ pacifici discesserunt.* Hæc Gregorius Turonensis [a], quæ Sigebertus gesta tradit anno Clodouei Regis vicesimo-secundo.

II. CLODOVEVS ET ALARICVS REGES COLLOQVVNTVR.

Ecclesiæ Vormacienſi, vt Democharis [b] affirmat, *Sanctus Crotoldus circa annum 503. præfuit, vbi egregium templum condere cœpit pro duodecim Monachis ac gubernatore præposito. In hoc templo adhuc hodie apparet eius imago parietibus appicta, & diademate ornata. In quo & sepultus creditur. Extat etiam de eo adhuc tale epigramma:*

Pontè iacet Sanctus Crotoldus in vrbe sepultus,
Cuius fama patet, laus quoque vera Deo.
Spargere qui studuit diuini semina verbi,
In cæli regno semina læta metet.

* *Amboiſt.*

[a] Lib. 1. c. 35.

III. S. CROTOLDVS VORMAT. EP.

[b] De diu. Miſſ. ſacrif. c. 35.

Franciscus Irenicus de Pontificatu Vormacienſi sic scribit [c]. *Fuit penes priscos Wormacienſis Pontificatus totius Germaniæ maximus, quem Clodoueum erexisse fama diuulgauit.* Id autem sic intelligendum, vt sub Clodouei Principatu Pontificatus Vormacienſis non quidem conditus primùm dicatur, sed auctus dignitate metropolitanâ, quâ sanctus Crotoldus eiúsque successores gauisi sunt, donec ea Moguntinæ Sedi restitueretur. Consule quæ superiùs dicta sunt ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum-quintum. Inter Amandum qui Vangionum tunc Episcopus erat, & sanctum Crotoldum medius sedit Carolus, & Ecclesia Vormatienſis per illa tempora non laborauit interpontificio.

IV. EPISCOPI VORMAT.

[c] Lib. 1. c. 35.

V.

Hisce temporibus adhuc superstes in viuis erat eximiæ pietatis virgo Genouefa, nam vt Auctor vitæ testatur [d] *vixit annos amplius octoginta.* Plurimùm diligebatur à Clodoueo Rege. Habes vitam satis prolixam apud Surium [e], vbi varia narrantur miracula, Parisiis, Meldis, Lauduni *, Trecis, Aureliæ, Turonis edita, *tandem felici cursu longa vitæ spatia emensa, laudabiliter diem clausit extremum, tertio Nonas Ianuarias*, quo anno haud scimus. Certè si puella fuit sex circiter annorum, cùm S. Germano Autisiodorensi Episcopo primùm occurrit, hoc anno fuit octogenaria, neque diu superuixit, migrauit enim ad Deum, priusquàm Clodoueus aduersùs Alaricum moueret, nam cùm ligneum Oratorium super eius monumentum fuisset extructum, vt Auctor vitæ scribit, posteà piissimus Rex eodem in loco Principibus Apostolorum ædificandam suscepit Basilicam, in ipso belli Aquitanici procinctu, vt dicetur infrà. In Martyrologio Romano, die tertiâ Ianuarij, sancta Genouefa virtutibus admirandis & miraculis clara prædicatur. Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum [f], vbi de ciuitate Parisiaca loquitur, postquàm illustrium Antistitum Marcelli & Germani virtutes exposuit, hæc subiungit. *Est ibi & sancta Genouefa in Basilica sanctorum sepulta Apostolorum, quæ in corpore posita tantùm in virtute præualuit, vt mortuum suscitaret. Ad cuius tumulum sæpius petit ones datæ suffragium obtinent, sed & frigoriticorum febres eius virtute sæpissimè restinguntur.*

[d] Apud Sur. d. 3. Ian.

[e] D. 3. Ianuar.

* *Laon.*

S. GENOVEFÆ OBITVS.

[f] Cap. 91.

MIRACVLA.

VI. ARNVLPHVS DVCIT VXOREM.

Arnulphus, cuius mentionem iam fecimus, cùm inter Clodouei domesticos præcipuam familiaritatis gratiam meruisset, hinc actum est vt ei Rex, prout Author vitæ testatur, *neptem suam Scariberdam traderet loco sponsæ & coniugis cum Comitatu Remensi & honore frequenti.* Matrimonium illud ante hunc annum contrahi non potuit, si consideretur ætas Scariberdæ, quæ matrem habuit Clodouei sororem ipsoque iuniorem Clodoueo, neque etiam reijciendum videtur in posteriora tempora, si ratio habeatur cùm diuturnarum peregrinationum quas Arnulphus obijt, tùm etiam annorum quibus Arnulphi Pontificatus & obitus Remigij debent consignari. Primò enim Arnulphus

annos

annos septemdecim sub habitu laicali peregrinatus est, deinde factus Exorcista Tolosam se contulit, orationibus ad sancti * Saturnini sepulchrum diu vacauit, tum Turonos profectus oneri Pontificio collum inuitus subiecit, demissóque post septemdecim dies Episcopatu, varias iterùm prouincias per annos vndecim lustrauit, ac tandem auditâ sancti Remigij morte Remos rediit, vt miracula cerneret quæ Deus per glorioſa beati Pontificis merita faciebat. Hæc autem ad Chronologicos calculos ita rediguntur. Arnulphus anno Christi quingentesimo-tertio primam peregrinationem suscepit, clero se adiunxit post annos septemdecim anno Christi quingentesimo vicesimo, post biennium ordinatus est Episcopus Turonensis anno Christi quingentesimo vicesimo-secundo, quo Theodorus & Proculus è viuis excesserunt, eodem quoque anno postremæ peregrinationi se commisit, & vndecim annis in ea expletis, reuersus est Remos anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio, cùm sanctus Remigius Idibus Ianuariis eiusdem anni iam obiisset.

ANNVS Christi 503. CLODOVEI R. 22. *S. Sermin.

VII. EA RELICTA PEREGRINATVR.

Breuiarium Parisiense die decimâ-octauâ Iulij vitam sancti Arnulphi sic prosequitur. *Doctus à beato Remigio Arnulphus continentiam seruare, sponsam adhuc virginem eidem sancto Pontifici commendauit, ac monitus Angelicâ reuelatione vt mundum contemneret, elegit peregrinus loca inuisere Sanctorum.* Narrantur ista fusiùs in Bibliotheca Floriacensi ex antiquo Codice quem Ioannes à Bosco publici iuris fecit. *Arnulphum & Scaribergam beatus Remigius cum gaudio suscipiens, eos præmonuit decorari ex præmiis virginitatis. Cuius monita sicut spiritales filij suscipientes constituerunt se animi deuotione, castimoniæ sanctitate perpetuò custodire. Dum hæc deuotio omnibus modis eos possideret, & eorum corda ad hoc peragendum flamma Spiritus sancti accenderet, & die noctúque pernigiles in Dei seruitio assisterent, quâdam nocte de perfectione animæ virtus diuina animum beati Arnulphi pulsauit, dicens. Si vis perfectus esse, relictis omnibus Deum nudum sequere. In qua communicatione accedens quasi mortuus ad beatum Remigium retulit diuinitatis commercium. Relictis ergo & depositis sub eleemosyna omnibus, & commendatâ vxore domnâ Scaribergâ patri spiritali sanctissimo Remigio, commonitionem peregrinationis pro Christi nomine accelerauit expetere. In qua peregrinatione sub laicali habitu decem & septem annis procurrens, primò Romam adiit, diúque ibi ad Apostolorum Petri & Pauli suffragia persistens, Constantinopolim perrexit, locáque sancta, vbi omnium Apostolorum doctrina effloruit, visitare cœpit. Tandem verò instinctu redemptionis nostræ ac venerabilis sanctæ Crucis honore Hierosolymam abiit ad sepulchrum Domini, ibíque longo tempore, donec pro redeundo diuinitùs est admonitus, ieiuniis & orationibus vacare procurauit.*

VIII. ERRORES GVESNAYI.

Ioannes Baptista Guesnayus in Massilia Christiana sub Honorato Episcopo scribit Collegium Canonicorum Regularium sancti Augustini hoc anno in oppido *de Pignans* fundatum fuisse à Theodorico Clodouei Regis filio, quem Prouinciæ Comitem vocat. *In honorem*, inquit, *Iesu Christi & Deiparæ in oppido de Pignans fundauit Collegium Canonicorum Regularium sancti Augustini anno 503. post bellum Gothorum, vbi debent esse sub Præposito Religiosi diui Augustini sub titulo Sanctæ Mariæ de Consolatione, cui Capellam Princeps ædificauit intra syluam Pinorum, vbi est vestigium antiquæ Capellæ sub eodem titulo.* Et vt isti rei potiorem fidem conciliet, totam narrationem, cuius initium duntaxat recitauimus, ex tabulario Pignanensi descriptam sic affirmat. *Videnda quæ asseruantur in tabulario sacræ domus Pignanensis manuscripta, in quibus de Theodorici victoria & huius Collegij fundatione ex antiqua fundatæ domus institutione legimus in hæc suprascripta verba.* At Theodoricus Clodouei filius nunquam potitus est Prouinciâ, & bellum inter Francos ac Gothos non exortum est ante annum Christi septimum supra quingentesimum; deinde *diui* titulus, qui sancto Augustino tribuitur, scriptum illud non admodùm antiquum esse prodit. Verùm ne mireris Guesnayum adeò turpiter in his hallucinari, quæ de Theodorico Clodouei Regis filio scribit, nam Theodori-

ANNVS Christi 503. CLODOVEI R. 22.

cum Clodouei filium Catholicum, qui teste Gregorio Turonensi [a] per annos tres ac viginti post patrem in Francia regnauit, à Theodorico Rege Ostrogothorum Ariano non distinguit in suo Cassiano [b], vbi postquàm Childeberti Francorum Regis pietatem laudauit, Theodorici Ostrogothorum Regis infelicem exitum ita subiungit. *Theodorici Ostrogothorum Regis Clodouei ex concubina filij & Childeberti fratris pietas alium habuit exitum sanè infelicem, hic enim sub vitæ finem pristinis ab moribus, quos laudabiles habuerat, in crudelitatem degenerans, Symmachum eiúsque generum Boetium, falso ad se delatos crimine, capitali affecit supplicio; quo peracto scelere, cœnanti ipsi cùm caput piscis miræ magnitudinis appositus esset, visus est in eo sibi Symmachi intueri caput, quo portento territus, breui pòst moritur anno Christi 526.*

[a] Lib. 3. c. 23.
[b] Lib. 2. c. 25. n. 22.

---

504. CLODOVEI R. 23.

ANNVS CHRISTI 504. CLODOVEI R. 23.

I. ANNO Christi quingentesimo quarto Cethegus Consulatum gessit absque collegâ.

II. Hoc anno *Albinus Venetica * regionis, Oceani Britannici quæ est confinis, indigena, qui inter nouella iuuentutis exordia* Cincillacense monasterium expetierat, factus est Abbas, *cùm esset annorum circiter triginta & quinque.* Vixit in Abbatis officio per annos quinque ac viginti, donec electus est in Episcopum Andegauensem. Lege illius vitam apud Fortunatum.

* *Vanes.*

ALBINVS FIT ABBAS.

III. Clodoueus hoc eodem anno, regni sui vicesimo tertio, incidit in febrim, quâ laborauit per biennium, donec sanitatem precibus sancti Seuerini recuperauit, vt ad annum Christi quingentesimum sextum ex vetustissimis Actis eiusdem Seuerini probabimus. Multò minoris fidei sunt Acta sanctæ Marthæ, quæ nomine Marcellæ pedissequæ feruntur & recensentur à Mombritio [c], nam *re verâ magis*, vt optimè Baronius [d] notauit, *recentiorem aliquem præ se ferunt scriptorem.* Quapropter ridendi Neoterici, qui non aliâ quàm illorum actorum authoritate nixi Clodoueum Regem Tarascone ad sepulchrum beatæ Marthæ curatum & incolumitati restitutum volunt, ac præcipuè anonymus, qui summoperè laudatur à Ioanne Baptistâ Guesnayo in Massiliâ Christianâ, citaturque in hæc verba sub Honorato Episcopo. *Clodoueus, qui primus Rex Teutonicorum vel Alemannorum extitit Christianus, baptisatus à S. Remigio Episcopus, & dictus est Ludouicus, auditis D. Hospitæ Christi rumoribus, grauem morbum passus ad locum eius venit, mox vt sacrum eius tumulum tetigit, sanitatem illius morbi, à quo olim nullam poterat inuenire medelam, se recepisse lætatus est, quapropter B. Marthæ & loco eius, annuli sui chirographo trium milliariorum spatio in gyro ex vtráque parte Rhodani terram & villas & castra dedit, & fecit locum illum & Ecclesiam liberam, scribens ne alicui potestati laicæ quandoque subderetur.* Quæ quidem longâ non indigent refutatione, quia Tarasco * vicinaque cis & vltra Rhodanum loca Clodoueo Regi nunquam paruerunt.

[c] Tom. 2.
[d] In not. ad marr. d. 29. Iul.

* *Tarascon.*

ANNVS CHRISTI 505. CLODOVEI R. 24.

ANNVS Christi, 505. CLODOVEI R. 24.

ANNO Christi quingentesimo quinto Consulatum gesserunt [a] Sabinianus & Theodorus. I.

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

Illis temporibus in vico, cui nomen * Mentuniacum prope Sequanam duabus infra Trecensem ciuitatem leucis florebat Romanus Abbas, qui monasterium illic in honorem sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij constituxerat, regebatque summâ prudentiâ. Apud Nicolaum Camuzatum, qui promptuarium sacrarum antiquitatum Tricassinæ Diœceseos edidit, in vitâ sancti * Leonis, qui Romano in administratione cœnobij successit, idem sanctus Romanus legitur à Rege Clodoueo confirmationem donationis impetrasse quorumdam prædiorum, quæ Merobaudus Patricius eidem asceterio liberalissimè impertiuerat, sed quinam fuerit ille Merobaudus, planè est incompertum. II.

* *Mantenay.*

MONASTERIA CONDVNTVR A CLODOVEO.

* *Lyé.*

Præterea sub idem tempus non procul à Villanoxâ * conditum fuit ad montium radices monasterium Nigellæ * absconditæ pro viris ac feminis ex munificentiâ Clodouei Regis & Chrothildis Reginæ, si fides est antiquæ traditioni, cuius meminit Desguerroisius in Historiâ Ecclesiasticâ Diœceseos Tricassinæ sub Pontificatu sancti Camilliani. III.

* *Villenoce.*

* *Nelle la reposte.*

ANNVS CHRISTI 506. CLODOVEI R. 25.

506. CLODOVEI R. 25.

ANNVS Christi quingentesimus sextus notatur Messalâ & Ariobindâ Consulibus [b]. I.

[b] Cassiod. Marius, Marcell.

Hoc anno Ioannes Abbas Reomaensis in Lerinensem insulam abiit. Causa suscepti itineris hæc in illius vitâ profertur. *Crescente cum omni bono in suo cœnobio monachorum caternâ, cœpit anxio corde pensare quid melius foret, quidve salubrius mercedis cumulo obueniret, si plebi dominando præesset, aut subiectus aliis obediendo sub obtentu religionis proficeret. Fuit tandem consilij, melius esse sub vinculo mortificationis se subdere, quàm aliis imperando dominari. Denique huius religionis grattâ capessendæ, duobus secum comitantibus fratribus densissimas noctis tenebras captans aufugit. Hinc iterum in insulam marinam, quæ Lerinus * nuncupatur, monasterium petiit, vbi tunc temporis & nunc vsque districtio regularis & Patrum sanctorum instituta inuiolata perdurant. Vbi cùm fuisset exceptus, humilitatis causâ sui reticuit propositi dignitatem.* Hue vsque monachus Reomaensis. Agemus anno sequenti de Ioannis reditu. Gregorius qui Ioannem reuocauit, hoc anno in cathedrâ Lingonensi sedere cœpit, obiit enim anno Pontificatus sui triceſimo tertio, Christi quingentesimo triceſimo nono, vt suo loco probabimus. II.

IOANNES ABBAS REOMAENS. IT LERINVM.

* *Lerins.*

GREGORIVS FIT EPISCOPVS LINGONENSIS.

Seuerinus Abbas Agaunensis in Franciam vocatus hoc anno venit, vt Clodoueum Regem, qui febre laborabat, precum suarum auxilio sanitati redderet. Id colligimus ex Actis ipsius Seuerini, quæ quantò sunt antiquiora, tan- III.

SEVERINVS ABBAS VOCATVR PARISIOS.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25.

tò potiorem merentur fidem. Scripta sunt primùm à Fausto Presbytero Seuerini discipulo, deinde ab Anonymo qui Carolo Magno Augusto & Magnoni seu Magno Senonensium Antistiti synchronus vixit. Fausti lucubrationes perierunt, sed eas à se fideliter expolitas Anonymus initio sui prologi sic testatur. *Sacram sanè libelli seriem, quam Faustus Presbyter discipulus sancti Seuerini Abbatis de eius vita vel actibus post ipsius ediderat obitum, transscribentes, iubente etiam venerabili viro Magno meritis & nomine vrbis Senonicæ Antistite, vitia Scriptoris corrigere curantes, commodum duximus, secundùm ingenioli nostri capacitatem, eiusdem historiæ textum aliquantò clariore propagare sermone, & licet verba non ipsa, sensum tamen & ordinem eiusdem lectionis funditùs exequendo, nec etiam diuersum aliquid huic textui inserendo, nisi quod à præfato Presbytero eidem agnouimus historiæ insertum, quod etiam facilè Lectoris poterit comperire solertia.* Anonymus igitur, quo solùm vsuri sumus, eandem fermè quàm Faustus auctoritatem sibi conciliat, sic autem de morbo Clodouei Regis, & de profectione Seuerini è Monasterio in aulam regiam differit. *Sanctus Seuerinus, religiosus Dei cultor, clara de stirpe progenitus, nobiliter in sacra Scriptura pia matris Ecclesiæ nutriebatur à iuuentute sua, donec crescentibus annis ad hoc vsque peruallus est, vt in sacrosancto Agaunensium Monasterio, vbi sanctus Mauritius, præclarus Christi Martyr, corpore quiescit, Abbas dignis fauoribus eligeretur, &c. Dum huius sancti Patris fama longè latéque per vniuersam spargeretur prouinciam, peruenit velociùs ad Regem Clodoueum in Parisius ciuitate, qui tum temporis graui febrium languore tenebatur astrictus. Ei quoque protinùs à domesticis persuasum est, vt hunc Dei Sacerdotem ad se venire cum omni humilitate deposceret, quatenùs per eius orationes sanari à Domino mereretur. Quod & factum esse, sicut legentibus sequens lectionis ordo demonstrat, manifestum est. Cùm igitur Rex Francorum Clodoueus apicem regni sui iam per annos viginti quinque Parisius vrbe nobiliter gubernaret, subito dolore febrium, sicut superiùs intimauimus, correptus grauiter desudare cœpit. Typo videlicet frigoris duobus annis imminente continuis cruciatibus affligebatur; ita prorsus, vt à nullo prouinciæ illius medicorum, corporis adipisci valeret sanitatem. Nam & à ministris propter metum populorum cubiculo recluſus custodiebatur, diuinâ proculdubio hoc totum dispensatione agente, vt dum pro illius incolumitate restauranda vir Domini Seuerinus de loco quietis suæ promoueri cogeretur, multis insuper illas deueniens in partes, proficeret ad salutem, sicut in sequentibus demonstratur, &c.* Seuerinus per Transuarium Clodouei cubicularium vocatus, fratribus Agaunensibus se non rediturum, sed in castro Nantonis breui moriturum ex Angelica reuelatione prædixit. *Scitote, inquit, viri Patres, & Fratres, quia me iam amodo amplius viuentem non videbitis in carne, donec veniat dies iudicij magnus valdè & metuendus, cùm ante tribunal Christi omnes aggregabimur. Nam & mihi hoc demonstratum in visu noctis per Angelum Domini, & iam omnis proueniens rei futuræ patefactus est. Siquidem, sicut in ipsa didici visione, est in hac Burgundia locus, montis vertice sublimatus, in quo situm fuerat quondam oppidum, quod castrum Nantonis dicebatur, vbi me non post multùm temporis oportet nouissimum huius lucis concludere finem, ibidémque corpusculum meum à duobus Presbyteris Paschasio videlicet & Vrsicino sepelietur. Modò denique Angelico taliter monitus præsagio, scio me hanc Regis petitionem nullatenus refutare posse, nisi vt vadam sicut poscit. Profectò etenim liquet, quia in proximo extremus vita mea dies instat. Sufficit etiam mihi, si ad locum vsque citiùs peruenire potero, qui est corpusculi mei sepultura prædestinatus, &c. Cùm iam spatio itineris magna ex parte lustrato Niuernum * ciuitatem peruenissent, orandi gratiâ Ecclesiam Dei diuertens intrauit, & ibi cùm orasset, custodes Ecclesiæ velut ignarus, statim interrogat. Vbi est, inquiens, Pontifex vester, fratres? Custodes verò respondentes dixerunt. Pontifex vel Episcopus noster Eulalius iam ab anno priore peste percussus grauissimâ, est mutus & surdus, grabatóque penè ad mortem iacet fessus; & secundus iam inceptus annus est, ex quo nec altario sacrificauit, nec populum ex*

* *Neuers.*

SANAT EVLALIVM NIVERN. EPISC.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25.

more benedixit, nec prorſus, quod grauius eſt, de ſtratu ſuo ſurgere valuit, ſed ſæpiſſimè à miniſtris magis mortuus æſtimatur quàm viuus. Quibus ipſe vir Domini pio compaſſus affectu dicebat. Num intrare ad eum viſitandi cauſſâ potero, vt ſaltem illi verba ſalutis referam pauca? At illi continuò. Veni, inquiunt, Domine Pater, & ad eum ſtatim, vt velis, ingredere. Itaque reuerentiſſimus Dei ſeruus Seuerinus cubiculum Pontificis ingreſſus, peruenit feſtinus, in quo iacebat Epiſcopus Eulalius, anno integro linguæ & aurium priuatus officio. Cúmque in eum eſſet intuitus, cœpit eius condolere ægritudini, ac ſe protinùs in orationem dans Deum ſtudiosè deprecabatur pro eius reſtauranda incolumitate. Et cùm diutiſſimè in terram proſtratus oraſſet, ſurrexit concitus, conuertéńſque ſe ad Eulalium dixit ei. Loquere, quæſo, Dei Pontifex mecum. Cui Eulalius Præſul, eatenus mutus & ſurdus, illicò reſpondens. Benedic, inquit, me, vir Dei ſanctiſſime, qui ad ſalutem meam miſſus à Domino Ieſu Chriſto veniſti, vt curares me ab infirmitate mea. Sit etiam nomen Domini in cunctis ſæculis benedictum, qui per te mei miſereri dignatus eſt. Deuotus denique famulus Dei Seuerinus porrigens illi manum alleuauit eum, & dixit. Surge, ſerue Dei, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & te veſtimentis tuis indue, gratias agens & congratulans flagellis eius, qui te ad hoc caſtigauit vt ſaluaret, ad hoc flagellauit vt coronaret. Hodie ſiquidem altario Dei mecum vota ex more perſoluens, plebem tibi ſubiectam benedices. Adhuc autem eo loquente, confeſtim Eulalius Epiſcopus erigens ſe à lecto gratias Deo reddebat, qui per famulum ſuum Seuerinum tantam ſuper eum manifeſtauerat virtutem, vt ab imminenti mortis periculo eius precibus eriperetur. Eádem itaque die ſanitati redditus, Miſſas quoque continuò celebrans, populum benedixit. Hæc acta ſunt in regno Burgundiæ. Seuerinus in Franciam progreſſus Lutetiæ in ipſo ciuitatis aditu leproſum ſputo liniens ſanauit. Poſt hæc *aulam regiam penetrans, locum ſecretioris cubiculi ſubiit, & ante lectum Regis, ſuper quem accumbebat ægrotus, protinùs ſubſtitit, dicens. Viue valens, Rex venerande. A quo humiliter reſalutatus, ſtatim coram eius lectulo ſe in orationem pectore proſtranis compuncto. Oratione verò expletâ ſurrexit, ac ſe caſulâ exuens ſuper Regem eam impoſuit, confeſtímque dimiſit eum febris, & ſanus mirificè eſt effectus, & eâdem ſurgens horâ gratias agebat Deo immenſas, & genu flectens venerabatur digne ſatis Dei virum pium ac religioſum, per cuius aduentum ſanari, & miram ac tantam Dei clementiam conſequi meruerat. Confortatus eſt itaque Rex Clodoueus conualeſcens de ægritudine, & magnificabatur in ſolio regni ſui ſicut prius. Porrò per aliquot temporis ſpatium beatus Pater Seuerinus cum illo manens, multos de domo eius ſimul & de Pariſiaca plebe, diuerſis calamitatibus oppreſſos, ad ſanitatem ſacris orationibus reformabat; claudis videlicet reſtituens greſſum, mutis loquelam, cæcis lumen, ſurdis recreabat auditum, immundos quoque ſpiritus de corporibus pellens obſeſſis, præclaris virtutum diuulgabatur titulis. Rex denique Clodoueus benigno eum poſcebat affatu. Obſecro, inquiens, Abba Pater, accipe pecuniam de theſauro noſtro quantumcumque volueris, & eam prout libet pauperibus eroga. Rei etiam quicumque in regno meo carcere recluſi pro ſua detinentur nequitia, tuâ indulgentiâ cuncti relaxentur. Iubente itaque Rege cuncti in regno ſuo panduntur carceres, & innumera eorum multitudo, qui diuerſis erant cruciatibus afficiendi, & morte debitâ puniendi, beati Seuerini aduentu lætabundi egredientes, ſoluuntur ab omni tormentorum genere.* Agemus anno ſequenti de morte ſancti Seuerini. Interim ſoluendæ ſunt nonnullæ difficultates, quæ circa textum ſuprà recitatum occurrunt.

ITEM CLODOVEVM REGEM.

IV.

Primò quæritur, cur Seuerinus Abbas Agaunenſis vocetur, cùm Agaunenſe Monaſterium Sigiſmundus Burgundiæ Rex aliquot annis poſt mortem Seuerini conſtruendum curarit. Bollandus, cui libenter aſſentimur, in præuio Commentario, quem præcitatæ vitæ ſancti Seuerini [a] præfixit, ait Agauni ante Sigiſmundi Regis ætatem Cœnobium extitiſſe, quod certâ Regulâ & inſtitutis temperatum non erat, ſed promiſcuæ multitudinis, ſexus vtriuſque concurſu, ſeiunctis tamen domiciliis, diuerſa pertractantis mu-

[a] Die 11. Febr.

CVR DICTVS ABBAS AGAVNENSIS.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25.

nia, sub Pastoris siue Abbatis regimine coaluerat, additque monasterium eiusmodi non ita strictè sumi pro domicilio monachalis vitæ exercitatoribus destinato, sed, vt alibi sæpè, pro templo Deique aut Sanctorum cultui dicato loco, & Abbatem vocari Seuerinum qui locum illum rexerit, nisi hic existimetur alio ex monasterio illuc cum paucis monachis venisse, atque cum secularibus degendo promouisse quidem Sanctorum Martyrum veneration-em & conuenarum pietatem, numquam tamen ad perfecti cœnobij normam perducere rem valuisse.

V. Secundò controuertitur annus, quò Seuerinus Agauno Parisios venit. Alij enim notant annum Clodouei Regis vicesimum quintum, alij vicesimum septimum, quia Clodoueus per biennium ægrotauit, & in eius annum vicesimum quintum qui legitur in actis sancti Seuerini, alij initium morbi, alij curationem incidisse volunt. Præterea vt de anno Christi quo Clodoueus Rex obiit non omnes consentiunt, ita nec conueniunt de annis Christi quibus anni Clodouei Regis vicesimus quintus & vicesimus septimus illigari debent. Ex nostro calculo, cuius rationes alibi reddimus, anni Clodouei Regis vicesimus quintus & vicesimus septimus cum annis Christi quingentesimo sexto & quingentesimo octauo comparantur. Cùm autem Clodoueus anno Christi, vt omnes fatentur, quingentesimo septimo victoriam de Gothis in campo Vocladensi reportarit, inde manifestissimè colligimus eum ab Abbate Seuerino sanatum fuisse anno Christi quingentesimo sexto, cùm annum in regno vicesimum quintum ageret, & biennio febre iam laborasset. Insigni sanè dignus est laude Clodoueus, quòd ope diuinâ post biennalem morbum sanitati redditus de domandis hæreticis statim cogitarit.

VI. * *Chasteau Landon.* Tertiò ambigitur vtrùm castrum Nantonis, quod hodie corruptè castrum * Landonis vocatur, vbi Seuerinus Abbas obiit, ad Burgundiam tunc, an ad Franciam pertinuerit. In præcitato textu accensetur Burgundiæ, sed Bollandus iure subdubitat, num author, qui Faustum amplificauit nono seculo, secutus sit Galliarum diuisionem ætate Seuerini ac Fausti posteriorem. Multa iam narrauimus, ex quibus patet castrum Nantonis, ciuitatem Senonum ceteraque oppida Senonensis Episcopatus Clodoueo paruisse, priusquàm ab Abbate Seuerino, quem Agauno vocauerat, incolumitati redderetur.

VII. Quartò quæstio moueri potest super Eulalio Niuerni Pontifice, quem Seuerinus Abbas Agauno Parisios proficiscens, iterque per Burgundiam faciens sanauit. Sammarthani, qui Niuernensium Antistitum postremum catalogum ediderunt, nullam mentionem fecerunt Eulalij, lucubrationemque suam exorsi sunt à Tauriciano Episcopo, qui Concilio Epaonensi sub Sigismundo Burgundiæ Rege anno Christi quingentesimo decimo septimo subscripsit. Coquillius Eulalium perperàm confudit cum Æoladio qui sub Guntchramno Rege Diœcesim Niuernensem rexit, nam quamdiu Guntchramnus regnauit, in aliis Franciæ partibus nullus Clodoueus Principatum gessit. In breuiario, quod Arnaldus Sorbinus Episcopus Niuernensis anno Christi millesimo sexcentesimo recognouit, Clodoueus qui sanitatem precibus Abbatis Seuerini recuperauit, huius nominis secundus appellatur errore non minori, quia Clodoueus Secundus annum regni vicesimum quintum non attigit, & in Agaunensium Abbatum nomenclaturâ non reperitur Seuerinus, qui regnante Clodoueo Secundo monasterium Agaunense gubernarit. Distinguendi sunt Eulalius & Æoladius, quorum ille in breuiario Niuernensi colitur septimo Kalendas Septembris, hic in supplemento Martyrologij Gallicani quarto Kalendas Martij, & ex Actis sancti Seuerini suprà laudatis seruandus est in Niuernensium Antistitum catalogo beatus Eulalius, qui sub Gundobado Burgundiæ Rege, Sigismundi patre floruit, Tauricianum in Pontificatu antecessit, & anno Christi quingentesimo sexto pristinæ valetudini restitutus est ab Agaunensi Abbate Seuerino, quem Clodoueus huius nominis pri-

EPISCOPI NIVERN.

mus, Franciæ Rex ægrotans anno regni sui vicesimo quinto Lutetiam euocabat. ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25.

Eodem anno, Clodouei Regis vicesimo quinto apud Sigebertum in Chronico *Gibrianus Scotus cum fratribus & sororibus in Galliam peregrinatus, vrbem Remensem vitâ & morte suâ illustrat.* De tempore non mouebimus litem, quia Gibrianus Tressani frater fuit, Tressanus autem, vt inferiùs ostendemus, Remigio Remensium & Genebaudo Laudunensium Episcopis Synchronus vixit. At Gibrianus vrbem Remensem morte suâ non illustrauit, obiit enim in pago Catalaunensi, ibique diu iacuit humatus vsque ad Fulconis præsulatum, sub quo Remos cum deferri contigit in Ecclesiam sancti Remigij. *Delata sunt etiam tunc temporis*, inquit Flodoardus [a], *ad Ecclesiam B. Remigy membra sancti Gibriani à pago Catalaunensi, vbi peregrinatus fuisse noscitur & humatus. Aduenerant siquidem in hanc prouinciam septem fratres ab Hiberniâ, peregrinationis ob amorem Christi gratiâ, hi scilicet, Gibrianus, Tesanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Abranus, Petranus, cum tribus sororibus suis, Frandâ, Promptiâ, Possennâ, eligentes sibi super fluuium, nomine Maternam *, opportuna degendi loca. Quorum hic Gibrianus sanctus Sacerdos quemdam vicum elegit ad habitandum Cossa vocatum, vbi plurimis annorum curriculis sobriè, iustè & piè viuens, vsque ad exitum vitæ bonum studuit certamen certare. Cuius corpus primò iuxta publicum fertur aggerem sepultum fuisse, vbi posteà supra tumbam ipsius est oratory aedicula constructa ob insignia scilicet quædam miraculorum ibidem manifestata. Ad quam confluere populi solita fuerat frequentia, maximè cùm depositionis eiusdem celebrarentur festa. Multa namque inibi sanitatum tribuebantur remedia, ex quibus quædam habentur descripta, sed plurima celantur ignota. Tres tamen mulieres nominibus adscriptis ibidem notantur illuminatæ. Cuidam præterea Grimoarę manus cum integrâ est sanitate restituta.* In breuiario Remensi natalis sancti Gibriani ponitur octauo Kalendas Maias. Ibi dicitur maximus septem illorum fratrum, qui Clodoueo primo Francorum Rege Christiano atque sancto Remigio Remorum Pontifice in Franciam ex Hiberniâ venerunt peregrinationis gratiâ, eximium pietatis ac virtutum exemplar fuisse prædicatur, dignisque laudibus extollitur, quòd cùm à sancto Remigio peregrinorum patre humaniter ac benignè vnà cum fratribus exceptus fuisset, locum sibi supra Maternam fluuium in Diœcesi tamen * Catalaunensi ad habitandum elegerit, vbi diutissimè piorum eleemosynis atque manuum labore, sobriè, sanctè & deuotè vitam duxit.

VIII. SANCTVS GIBRIANVS EIVSQVE SOCII.

[a] Lib. 4. c. 9.

* La Marne.

* L'Eueschè de Chaalons sur Marne.

Coluenerius in Flodoardo Helanum loco Tesani legit, & in notis ad illum locum obseruat in manuscripto Codice quo vsus est, aliâ manu Helanum qui desiderabatur additum fuisse, & pro eo in vulgatis Tesanum reperiri. Tesanum retinet Saussaius [b] in martyrologio Gallicano. Colganus Helanum restituit in notis & in appendice ad vitam sancti Tressani septimo Idus Februarias, innixus est variis menologiis, deinde officio Sanctorum Remensis Diœceseos quod dixit esse apud se, & vitâ sancti Helani quam per antecessum pollicitus est se daturum ad diem septimam Octobris. Vnum Coluenerio & Colgano aduersatur præcipuè, quod apud Molanum tertio Nonas Decembres notatur *Vualciodori * depositio sancti Eloquij Presbyteri & Confessoris. Qui ex Hiberniâ ad Galliarum littora venit cum venerabilibus viris sanctis, Furseo, Vltano, Foillano, Boëtio, Mombolo, Adalgiso, Hettone, Helano, Tresano, Germano, Verano & Columbano*, eademque ferè verba habentur in initio vitæ sancti Eloquij, cuius author putatur sanctus Forannanus, qui teste Miræo [c] vitam clausit pridie Kalendas Maias anno Christi nongentesimo octogesimo secundo. At authores illi cùm quatuor fratres Helanum, Tressanum, Germanum & Veranum dicunt cum sanctis Eloquio & Furseo in Gallias ex Hiberniâ venisse, per hoc non videntur intendere, quòd omnes simul tempore, sed tantùm quòd omnes ex eâdem patriâ in Gallias aduenerint. Helanus igitur cum fratribus suis Franciam adiit regnante Clodoueo Primo, posteà Columbanus regnante

IX. HELANVS.

[b] D. 8. Maij.

* Vuanfors.

[c] In Fast. Belg. d. 30. Apr.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25. Guntchramno Clodouei nepote, seriùs verò Furseus & Eloquius regnante Clodoueo Secundo. Vnde alia sancti Eloquij vita inter eius socios non annumerat sanctos Helanum, Tressanum, Germanum, Veranum & Columbanum, sed sic habet. *Venit beatus Eloquius ad Galliarum littora ex Hiberniæ regione cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Furseo, Vltano, Foilano, Boetio, Ettone, & ceteris confratribus.* Quamquam nec omnes hi simul accesserunt, è viuis enim exiit Furseus, antequam Vltanus & Foillanus ex Britanniâ, vbi eos reliquerat, in Gallias transfretarint. Ista fusiùs probabuntur suis locis. Præterea Helanus, Tressanus, Germanus, & Veranus ne quidem nominantur à Wione in ligno vitæ, à Menardo in Martyrologio Benedictino, & ab aliis scriptoribus Benedictinis, qui tanto studio sanctum Furseum eiusque discipulos ordini sancti Benedicti ascripserunt.

X. Fragmentum ex vitâ sancti Helani recitat Colganus loco citato. *Clodoueo Rege Francorum recenter ad fidem Christianam conuerso, & baptizato, cùm res Ecclesiæ Gallicanæ inprimis regerentur à sancto Remigio Archiepiscopo Remensi, ex Hiberniâ insulâ, quam Scotorum gens incolebat, in Christiani vigoris dignitate florens, omnibusque vicinis gentibus fide præpollens, vt scribit Ionas Abbas initio vitæ sancti Columbani Hiberni, qui cum suis discipulis centum annis post sanctum Helanum & fratres eius, magnam partem Galliæ, Germaniæ & Italiæ monasteriis repleuit, ex eâ, inquam, insulâ peregrinationis ob amorem Christi gratiâ, septem fratres eximia pietatis ac virtutum exemplaria cum tribus sororibus suis diuinâ inspiratione incitati venerunt in Franciam, nimirum Gibrianus, Helanus, Tressanus, Germanus, Veranus, Habranus, & Petranus, Franda, Promptia & Possenna.* In Martyrologio Romano Nonis Octobris mentio fit *in pago Rhemensi sancti Helani Presbyteri*, & eodem die apud Molanum in additionibus ad Vsuardum ponitur *in pago Remensi, vico, qui vocatur Buxiolus, depositio sancti Helani Presbyteri & Confessoris.* Colganus in appendicibus ad vitas Sanctorum Fursei [a] & Tressani [b], si simul conferantur, videtur distinguere duos Helanos, vnum sancti Gibriani fratrem, alterum sancti Fursei discipulum, quem putat eundem esse cum Hillonio Abbate Solenniacensi, sed Hillonius nec patriâ Hibernus fuit, nec in sancti Fursei disciplinam se tradidit.

[a] D. 16. Ian.
[b] D. 7. Febr.

XI. Sanctus Tressanus, sanctorum Gibriani & Helani frater, hodie Auenniaci in monasterio puellarum quiescit. Vitam illius scripsit author anonymus, qui Flodoardo vetustior censetur apud Bollandum [c], hanc redigemus in epitomen. *Sex fratres Tressani cum tribus sororibus in Dei vacantes laudibus terrena despiciebant, æterna desiderabant, ad cælestia anhelabant. Hinc sancto viro, pro eo quòd erat idiota, incidit cogitatio sancta, vt famulatu corporeo cælum quæreret, quod ministerio Ecclesiastico habere non posset. Adhæsit vni regionis incolarum in pago Remensi super Maternam fluuium. Et cùm vidisset eum Dominus eius Scotorum genere natum, & Francigenæ linguæ penitus insciũm, commisit illi peculium porcorum. Est locus qui dicitur Mutiniacus *, vbi est Ecclesia in honore Beati Martini dicata. In illo loco custodiebat gregem prædictus Domini famulus*, & post matutinorum ac Missarum solemnia Sacerdotem adibat ad fores Ecclesiæ *cupiens discere Ecclesiastica regula mysterium*, & intra breue temporis spatium euasit non mediocriter eruditus. *Homines proximi loci, qui dicitur * Ageius, cùm audissent quadam die B. Remigium aduenisse in villam, quæ dicitur * Villare in sylvâ, adeunt præfatum Præsulem queritantes Tressanum virum genere Scotum vineas suas vastasse, camposque & prata depascere, omniaque sua diripere. S. autem Remigius Tressanum accersit, causam inquirit, vt inculpabilem agnouit, accusatores & inuidos à se repulit, Tressanum verò verbis dulcibus à se consolatum dimisit. S. igitur Tressanus colligens in vnum gregem porcorum, dum reduceret ad domos possessorum, stetit in loco qui adhuc dicitur mons S. Tressani, aspicienſque locum, qui dicitur Ageius, vos, inquit, qui me apud summum Domini Sacerdotem mendaciter accusastis, postquam triginta annorum circulum transieritis, nunquam sæcularibus pecuniis crescatis, melius est vobis in sæculo puniri quàm in futuro sine fine cruciari.*

[c] Die 7. Feb.

TRESSANVS.

* Mutigny.

* Ay.

* Villiers en Selue.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25.

*ciari. His verbis expletis porcos, quorum erant, reddidit, sicque secum in Dei seruitio mansit. Volens ergo Dominus ostendere populis, quòd exaudierit vocem serui sui, implet in præfatorum inuiderum progenie, & apparet vsque hodie, quòd postquàm transierunt trigesimum ætatis annum egestate laborant, indigent & mendicant. Paruo autem interuallo temporis transacto S. Tressanus Laudunum * iuit, S. Pontificem Genebaudum adiit, & vt B. Remigium peteret, vt ab eo ad sacros ordines promoueretur, humiliter expescit. S. autem Genebaudus videns S. viri bonum desiderium, eumque modico tempore non mediocriter eruditum, perrexit ad S. Remiginm, desiderium viri iusti pandit, & quod suppliciter petit velociter adquirit.* Hæc videntur gesta sub initium Pontificatus Genebaudi, priusquam carnalibus se voluptatibus immiscuisset. *Ad ordinem Sacerdotis promotus sanctus Tressanus elegit locum super Maternam fluuium, qui dicitur * Marogilus, in quo est Ecclesia B. Hilary Pictauiensis nomine dedicata. Est præterea prope illum Ecclesia in honorem B. Martini Turonensis Præsulis consecrata.* Vtrobique Tressanus exercuit se in diuinis cultibus per plures annos. *Transiuit autem à sæculo, septimo Idus February, finiens agonem cosmicum. Sacerdotes & hi qui eius funeri affuerunt, de exanimati corporis sepulturâ certare cæperunt. Propositum est, vt sepeliretur in Ecclesiâ sancti Hilary Marogili, in quâ Domino militauerat diebus multis. Volentes ergo leuare feretrum, nihil proficere potuerunt. Propositum est vt ferretur ad Altouillarense * cœnobium,* hoc est, ad locum cui nomen altum Villare, vbi postea conditum fuit monasterium Altouillarense, *sed hoc tentantes suum laborem prioris similem compererunt. Sapientiori autem consilio Deo inspirante concepto, propositum vt plaustro corpus imponeretur, duæque buculæ iungerentur, & vbi à Domino dispositum erat à bestiis ad locum sepulturæ duceretur. Erat in proximo locus, qui dicitur Auenniacus, vbi buculæ cum sancti corpore steterunt immobiles, nullo modo procedere volentes. Quod videntes Sacerdotes cognouerunt esse Domini voluntatem, vt ibi sepeliretur Sacerdos, cuius sancta anima iam penetrauerat cœlos. Ibi igitur sepelierunt corpus sancti Sacerdotis.* Sanctus Tressanus colitur Auenniaci * in Diœcesi Catalaunensi sexto Idus Februarij, qui dies fuit depositionis, cùm mortuus asseratur septimo easdem Idus. Eius officium proprium per octauam, quod anno Christi millesimo sexcentesimo impensis Franciscæ à Markiâ Auennianensis Abbatissæ impressum fuit, totum videtur ex vitâ superiùs laudatâ desumptum.

* Laon. * Marcuille. * Hauuillers. * Auenay.

XII. Quamuis authores passim indicent ceteros sancti Gibriani fratres sanctitate claruisse, tamen singulorum natales non reperiuntur in menologiis notati. Ferrarius tertio Nonas Decembres meminit Sanctorum Germani & Verani. Apud Camerarium coluntur tertio Nonas Ianuarias *SS. Possenna & Promptia Scotæ vnà cum sex aliis fratribus.*

XIII. Præter sanctum Gibrianum, ciusque fratres ac sorores, de quibus suprà, Remigium Episcopum Remensem, postquàm Clodoueum Regem salutari lauacro ablutum Christo peperisset, adierunt multi alij fidei orthodoxæ & pietatis magni magistri de gente Scotorum, vt Præcordius, Bectoldus, & Amandus, quorum mentio fit à Colgano in Notis ad Kalendas Februarias. Apud Molanum in additionibus ad Vsuardum legitur iisdem Kalendis *in Vasliaco natalis sancti Præcordij Confessoris.* De sancto Præcordio & de villa Valliaco seu Vasliaco hæc ab Andrea Raytino ex Belfortij supplemento accepta publicauit Ioannes Colganus. *Inter villas Ecclesiæ Corbeiensis Valliacus * habetur in pago Suessonico, ita glebis & vineis fertilissima, vt abundantiâ ciuium, non vicus sed dici posset ciuitas plenissima. Axonâ * enim contiguâ fluuio aquis & pratis superba est. Ad hanc igitur casu quondam aduenit quidam,* nempe Præcordius, *ex Scotorum genere, virtutéque clarus, & per omnia venerabilis vitæ, ibíque habitando mansionem adamauit, & tamen ex toto remansit ac fœliciter ibi defunctus est. Porrò tantâ claruit perfectione & honestate morum, vt efficeretur B. Remigio familiaris, qui tunc sanctitate fulgens Episcopus erat metropolis Rhemensis.* Sancti Præcordij translatio celebratur Corbeiæ Nonis Iu-

PRÆCORDIVS.

* Velly. * L'Aisne.

ANNVS Christi 506. CLODOVEI R. 25. BECTOLDVS. AMANDVS. *Chaumont. * Chasteau-Porcien. * Retel. OLIVERIA. LIBERATA.

niis. Sancti Bectoldi memoria colitur decimo-sexto Kalendas Iulias. Lege Colganum loco citato. Cæterùm quem Colganus Bectoldum vocat, hunc alij Berthaldum appellant. Berthaldus cum Amando discipulo vitam anachoreticam egit in Caluo * monte, qui tribus circiter leucis à Castro * Porciani, neque multò longiùs à Regiteste * Reteliorum vrbe distat, Oliueriam & Liberatam nobilissimas sorores clam parentibus ac notis ex Altâ villâ, quæ sesquileucam abest, ad se ventitare solitas erudiuit, ac præsertim ad seruandum pudicitiæ florem illibatum & cælestis sponsi thalamos expetendos prouocauit adeò fœlici successu, vt illæ spretis parentum possessionibus ac vitæ mortalis blanditiis in saltu Caluomontensi vitam traduxerint, vbi duo egregii fontes etiamnum manant earum virginum insigniti vocabulis & schlopi iactu inuicem dissiti. Multi febribus aliisue vexati morbis ad sanctæ Oliueriæ fontem confluunt, atque in vicina ædicula preces fundunt ante antiquissimam eiusdem virginis effigiem, neque ferè dies Dominicus aut festus labitur, quin aliqui illuc pietatis ergò conueniant, vt Lietauius Prior Caluimontensis in vita Sancti Berthaldi scripsit, & ex eo retulit Bollandus in elogio sanctarum virginum ac sororum Oliueriæ & Liberatæ, quæ coluntur tertio Nonas Februarij.

507. CLODOVEI R. 26.

ANNVS CHRISTI 507. CLODOVEI R. 26.

I. ANNVS Christi quingentesimus septimus apud Marcellinum notatur Anastasio Augusto tertium Consule, cui Cassiodorus Venantium collegam tribuit, Marius autem & Victor Consules habent Venantium & Celerem, de quorum Consulatu acturi sumus anno sequenti.

II. BELLVM VVISIGOT. Hoc anno Christianissimus Francorum Rex Clodoueus Alaricum Wisigothorum Regem Arianum acie fusum occidit, & regnum Franciæ per vniuersam Aquitaniam à Ligeri fluuio ad Pyrenæos montes felicissimo victoriarum successu dilatauit. Rem hoc anno gestam docet Isidorus [a], testatur enim Alaricum Eurico patri successisse Erâ quingentesimâ vicesimâ secundâ, siue anno Christi quadringentesimo octogesimo quarto, regnasse annis tribus ac viginti, peremptúmque fuisse Erâ quingentesimâ quadragesimâ quintâ. Vnde corrigas Gregorium Turonensem [b] annos ei tribuentem duntaxat viginti duos. Certè Alaricum ad hunc annum regni sui vicesimumtertium peruenisse docet Cæsarius Episcopus Arelatensis hâc sua subscriptione, quâ Concilium Agathense * anno priori, Alarici Regis vicesimo-secundo, celebratum corroborauit. *Ego Cæsarius in Christi nomine Episcopus Arelatensis, iuxta id quod vniuersis Sanctis coepiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, statuta Patrum secutus, his definitionibus subscripsi. Not. sub die 3. Idus Septembris, Messalâ V. C. Consule, anno* XXII. *regni Domni nostri Alarici Regis.* Hæc quoad tempus, iam belli causas & apparatum, ipsum bellum, & exitum belli cum rebus Ecclesiasticis Aquitaniæ perueſtigemus.

[a] In Chron. Goth.

[b] Lib. 2. c. 37.

* D'Agde.

III. THEODORICVS REX OSTROGOTH. FRVSTRA SCRIBIT ALARICO REGI VVISIGOT. Apud Cassiodorum, [c] extant literæ, quibus Theodoricus Ostrogothorum Rex Alarico genero scribit, ne moueat bellum cum aduersario, donec pax inter eos tractetur, maximè cùm de verbis adhuc parua sit contentio. *Alarico Regi Visigotharum Theodericus Rex. Quamuis fortitudini vestræ confidentiam tribuat parentum vestrorum innumerabilis multitudo, quamuis Attilam potentem reminiscamini Visigotharum viribus inclinatum, tamen quia populorum*

[c] Lib. 1. ep. 2.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

ferocia corda longâ pace molleſcunt, cauete ſubitò in aleam mittere, quos conſtat tantis temporibus exercitia non habere. Terribilis eſt hominibus conflictus, ſi non ſit aſſiduus, & niſi uſu præſumatur, concertandi ſubitò fiducia non habetur. Abſit vt vobis aliquid indignatio cæca ſurripiat. Moderatio prouida eſt, quæ gentes ſeruat. Furor autem inſtantia plerumque præcipitat, & tunc vtile ſolùm eſt ad arma concurrere, cùm locum apud aduerſarium iuſtitia non poteſt inuenire. Quapropter ſuſtinete, donec ad Francorum Regem legatos noſtros dirigere debeamus, vt litem veſtram amicorum debeant amputare iudicia. Inter duos enim nobis affinitate coniunctos non optamus aliquid tale fieri, vnde vnum minorem contingat forſitan inueniri. Non vos parentum ſuſus ſanguis inflammat, non grauiter vrit occupata prouincia, adhuc de verbis parua contentio eſt. Facillimè tranſigitis, ſi non per arma veſtros animos irritetis. Obiiciamus, quamuis cognato, cum noſtris coniuratis eximias gentes. Iuſtitiâ, quæ Reges efficit fortiores, citò conuertit animos, qui contra ſe tales ſentit armatos. Et ideò ſalutationis honorificentiam prælocuti, legatos noſtros . . . . & . . . . ad vos credimus eſſe dirigendos, qui vobis & mandata noſtra ſufficienter inſinuent, & vſque ad fratrem noſtrum Gundibadum vel alios Reges latâ veſtrâ voluntate properent. Ne videamini eorum immiſſione laborare, qui malignè gaudent alieno certamine. Auertant enim diuina, vt ſupra vos iniquitas illa preualeat. Commune malum, veſtrum iudicamus inimicum. Nam ille me iure ſuſtinebit aduerſum, qui vobis nititur eſſe contrarius.

IV.

Theodoricus Regibus Francorum & Wiſigothorum affinis erat, Clodouei ſororius, ſocer Alarici; ſed cùm præterea & gente & religione, quæ duæ res ad impellendos hominum animos plurimùm valent, Alarico iungeretur, vtpote Gothus & Arianus, propenſiori erga illum ſtudio ferebatur, & partes eius, ſi bellum immineret, amplexurum ſe non obſcurè promittebat. Tamen aduerſus Clodoueum, qui tot victoriis in hoſtes reportatis terrorem latè circumtulerat, & bellicoſiſſimis populis à Danubio ad Oceanum in Germania, & à Rheno ad Ligerim in Gallia dominabatur, nihil duxit temerè ſuſcipiendum à Wiſigothis, quorum feroces animos otium diuturnæ pacis emollierat, ſatiùs exiſtimauit Oratores ad Regem Francorum dirigere cum literis exhortatoriis ad concordiam cum aduerſario ſeruandam, donec eorum controuerſia Legatis amicorum finitimorúmque Regum intercurrentibus finiretur. Extant apud Caſſiodorum [a] illæ literæ. *Ludouin Regi Francorum Theodericus Rex. Adeò inter Reges affinitatis iura, diuina coaleſcere voluerunt, vt per eorum placabilem animum prouenias quies optata populorum. Hoc enim ſacrum eſt quod nullâ permittitur commotione violari. Nam quibus obſidibus habeatur fides, ſi non credatur affectibus? Sociantur proximitate Domini, vt nationes diuiſæ ſimili debeant voluntate gloriari, & quaſi per aluees quoſdam concordiæ aduunata ſe poſſint gentium vota contingere. Quæ cùm ita ſint, miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, vt cum filio noſtro Alarico Rege duriſſimum velitis ſubire conflictum, vt multi qui vos metuunt de veſtra concertatione lætentur. Ambo eſtis ſummarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leuiter regna veſtra quaſſatis ſi datâ partibus libertate confligitis. Virtus veſtra patriæ non ſiat inopinata calamitas. Quia grandis inuidia eſt Regum in cauſis leuibus ruina populorum. Dicam liberè, dicam affectuosè quod ſentio. Impatiens ſenſus eſt ad primam legationem protinùs arma mouere. A parentibus quod quæritur, electis iudicibus, expetatur. Nam inter tales viros, & illos gratum eſt dare, quos medios volueritis efficere. Quid de nobis vos ipſi æſtimare poteritis, ſi nos intentiones veſtras reliquiſſe cognoſcitis? Abſit ille conflictus, vbi vnus ex vobis deleri poterit inclinatus. Abiicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. Iure patriâ vobis interminor & amantis. Ille nos & amicos noſtros patietur aduerſos, qui talia monita (quod non opinamur) crediderit eſſe temnenda. Quapropter ad Excellentiam Veſtram . . . . & . . . . Legatos noſtros magnoperè credidimus dirigendos, per quos etiam ad fratrem veſtrum, filium noſtrum Re-*

[a] Lib. 1. ep. 4. CLODOVEO REGI FRANC.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

gem Alaricum scripta nostra direximus, vt nullatenus inter vos scandala seminet aliena malignitas, sed in pace perseuerantes, quæ sunt inter vos, mediis amicis, placabiliter finire debeatis. Per eos etiam & verbo vobis aliqua dicenda mandauimus, vt gentes quæ sub parentibus vestris longâ pace floruerunt, subitâ non debeant concussione vastari. Illi enim credere debetis, quem vestris vtilitatibus arridere cognoscitis. Quoniam qui vult alium in præcipites casus mittere, eum certum est fideliter non monere.

V. Ex harum literarum collatione cum superioribus ad Alaricum, is rerum gestarum ordo deprehenditur. Alaricus Legatos ad Clodoueum misit, ad illam legationem, quacunque de re fuerit, neque enim Theodoricus eam expressit, protinùs excanduit Clodoueus; Alaricus Clodouei responso, quod nec in literas relatum fuit, læsum se quoque putauit. Existimamus dictum quid arrogantiùs à Wisigothis minari visus; & responsum quid ferociùs à bellicoso Rege pusillanimitatem Alarici temnente, potuit autem Alaricus facilè despici, quòd, vt sanctus Isidorus de illo scribit [a], *à pueritia vitam in otio & conuiuio peregisset.* Cùm res in eo essent statu, & mediocres irarum causæ viderentur, nec adhuc vlla nisi de verbis audiretur contentio, Theodoricus ad Alaricum generum, cui plurimùm timebat, Oratores direxit, qui cognitâ Wisigothi Regis voluntate, mox ad Burgundionum aliarúmque gentium Reges se conferrent eos rogaturi, vt aut pacem inter Wisigothos ac Francos consolidarent, aut fœdus cum Alarico contra gentem Francorum inirent. Deinde alios Legatos in Franciam misit, qui suaderent amicitiam cum Wisigothis perpetuò seruandam, acceptóque responso statim, quid consilij Clodoueus caperet, pacisne vel belli studiosum se præbuisset, Alarico renuntiarent. Vtrisque literis propensus fuit ad sopiendam controuersiam, Wisigothis diu desidibus Alaricoque rei militaris ignaro adeò metuebat, si prælio lis dirimeretur. In epistola quam Clodoueo scripsit, ambobus Regibus inter quos dissidium erat, interminatus est *iure patris & amantis*. Videtur cum diuerso respectu sic locutus, vt patris ius sibi vendicaret erga generum Alaricum quem sæpiùs filium appellauit, amantis verò ius erga Clodoueum cuius sororem duxerat. Quòd autem iisdem ad Clodoueum literis Alaricum Clodouei fratrem nuncupauit, id tribuendum priscæ consuetudini, quâ Reges & Imperatores mutuò se fratres honoris gratiâ vocant. Habes exemplum illustre apud Ammianum [b], vbi Sapores Persarum Rex Constantium Augustum ratione dignitatis fratrem suum nominat hoc apice suarum literarum. *Rex Regum Sapores, particeps syderum, frater Solis & Lunæ, Constantio fratri meo salutem plurimam dico.* Habes & exemplum in sequentibus literis [c] quas Theodoricus Gundibado Burgundionum Regi scripsit, priusquàm Franci cum Wisigothis conserto prælio dimicarent.

[a] In Chron. Gotth.

[b] Lib. 17.

[c] Apud Cassiod. l. 3. ep. 1.

VI. GVNDIBADO REGI BVRGVND. *Gundibado Regi Burgundionum Theodericus Rex. Graue malum est inter claras regiásque personas, voluntates sibimet videre contrarias, & dissimulando spectare, vt de vno aliquid dolendum possit emergere. Non sine inuidia nostra geritur, si nobis patientibus affinium clade dimicetur. Habetis omnes per me pignora magnæ gratiæ, non est vnus ab alio segregatus, si quid in vobis delinquitis, meo grauiter dolore peccatis. Nostrum est regios iuuenes obiectâ ratione moderari, quia illud in vobis verè sentiunt displicere, qui dum malè cupiunt, audaciam sua voluntatis retinere non possunt. Vereantur senes, quamuis sint floridâ ætate feruentes, sciant nos aduersarios esse contrarietatibus suis, & illud velle persequi, ne ab vtrisque possit excedi. Decet enim nos aspera verba dicere, ne affines nostri ad extremum debeant peruenire. Et ideò . . . . & . . . . Legatos ad fraternitatem tuam credimus destinandos, vt si filio nostro Alarico visum fuerit, ad Regem Francorum cum coniuratis nobis gentibus dirigere debeamus, quatenus causa, quæ inter eos vertitur, amicis mediis rationabiliter abscindatur. Conuenit enim tales tantósque Reges non inter se lamentabiles rixas quærere, vt de suis & nos possint casibus sauciare. Quapropter fraternitas vestra adhibito mecum studio, eorum nitatur*

reparare concordiam, quia nemo poteſt credere, ſine noſtro voto illos ad hæc præ-
lia perueniſſe, niſi omninò clareat, ne ad conflictum veniant, noſtra potiùs eſſe
certamina. Aliqua verò à præſentium gerulis literarum ſermone vobis commiſimus
intimanda, vt ſic prudentia veſtra cuncta componat, quemadmodùm conſueuit, Deo
iuuante, perficere, vnde ſolet diligentiſsimè cogitare.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

Scripſit & Theodoricus [a] Regibus Herulorum, Guarnorum & Thuringorum ſuper eodem argumento. *Herulorum Regi, Guarnorum Regi, Thoringorum Regi Theodericus Rex. Superbiam diuinitati ſemper exoſam perſequi debet generalitatis aſſenſus. Nam qui vult opinabilem gentem voluntariâ iniquitate ſubuertere, non diſponit ceteris iuſta ſeruare. Peſſima conſuetudo eſt deſpicere veritatem. Credit ſibi omnia cedere, ſi elatum contigerit in abominabili certamine ſuperare. Et ideò vos quos conſcientia virtus erigit, & conſideratio deteſtabilis præſumptionis accendit, legatos veſtros vnà cum meis & fratris noſtri Gundibadi Regis ad Francorum Regem deſtinate, vt aut ſe de Viſigotharum conflictu conſideratâ æquitate ſuſpendat, & leges gentium quærat, aut omnium patiatur incurſum qui tantorum arbitrium iudicat eſſe temnendum. Quid quærit vltrà cui offertur abſoluta iuſtitia? Dicam planè quod ſentio. Qui ſine lege vult agere, cunctorum diſponit regna quaſſare. Sed melius eſt vt inter initia perniciosa reprimatur aſſumptio, vt ſine labore perficiatur omnium, quod certamen eſſe poterat ſingulorum. Recolite namque Eurici Senioris affectum, quantis vos iunit ſemper muneribus, quoties à vobis proximarum gentium imminentia bella ſuſpendit. Reddite filio eius gratiam, quam tantùm agnoſcitis veſtris vtilitatibus attributam. Nam ſi tanto regno aliquid præualuerit, vos aggredi ſine dubitatione præſumet. Quapropter Excellentiam veſtram epiſtolari ſermone ſalutantes per legatos noſtros. . . . . & . . . . . præſentium portitores, verbo vobis aliqua dicenda commiſimus, vt vos qui noſtrum ſequimini, Deo iuuante, diſpoſitum, vnus vos complectatur aſſenſus, & foris hoc agatis, ne in veſtris prouinciis dimicare poſſitis.*

[a] Ap. Caſſiod. lib. 1. ep. 3.

REGIBVS HERVLOR. GVARNOR. THVRINGOR.

VII.

Tot legationibus nihil profecit Theodoricus; fruſtrà Clodoueo, ſi Alaricum adoriretur, minas intentauit; fruſtrà Gundobadum, cuius filio filiam ſuam in vxorem dederat, contra Regem Francorum ſollicitauit; fruſtrà Thuringos, Guarnos, Erulos hortatus eſt, vt amicos Wiſigothis, Francis inimicos ſe præberent. Ventum eſt ad arma. Gundobadus Clodoueum iuuit à quo ſibi plus timebat quàm à Gothis. Eruli, Guarni, Thuringi neutras partes amplexi quieuerunt. Gregorius Turonenſis [b] aſſerit Clodoueum bello Wiſigothico ſe accinxiſſe religionis zelo permotum, quòd indigno prorſus animo ferret Alaricum hominem Arianum in Galliis regnare, nam hæc ipſe de eo. *Igitur Chlodouechus Rex ait ſuis. Valdè moleſtè fero, quòd hi Arriani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & ſuperatis redigamus terram in ditione noſtrâ. Cúmque placuiſſet omnibus hic ſermo, commoto exercitu Pictauis * dirigit. Ibi tunc Alaricus commorabatur.* Ex legatione quam Alaricus, vt ſuprà dictum eſt, ad Clodoueum miſit, aliam belli ſuſcipiendi cauſam enatam non inficiabimur, nam ſi Clodoueus nullam odij ſui rationem reddidiſſet præter Arianam hæreſim quam Alaricus profitebatur, in ſe proculdubiò concitaſſet omnes Principes Arianos, nec Gundobadum Burgundionum Regem Arianum ad ſuas partes vnquam pertraxiſſet. Sed cùm ad legationem ab Alarico directam iraſceretur, ac pridem zelo Catholicæ religionis accenſus Aquitaniam, imò Galliam atque Orbem vniuerſum iugo ſeruitutis Arianæ liberare vellet, harum cauſarum alteram apud exteras gentes, alteram apud Francos euulgare potuit inſigni prudentiâ, vt & vicinos Reges Arianos, donec de Wiſigothorum Rege triumphaſſet, in amicitiâ Francorum retineret, & Orthodoxos Francos quibus imperabat, ad delendos hæreticos magis ac magis inflammaret. Qui geſta Regum Francorum ſcripſit, is orationem, quam ex Gregorio Turonenſi recitauimus, teſtatur [c] habitam à Clodoueo Pariſiis, deinde ſapientiſſimum Chrotildis Reginæ conſilium, quod Clodoueo Chriſtianiſſimo Principi minimè diſplicuit, ita narrat. *Tunc Chrotildis Regina conſi-*

VIII.

[b] Lib. 2. c. 37.

CAVSÆ BELLI.

* *Poitiers.*

[c] Cap. 17.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

lium dedit Regi dicens. Faciens, inquit, faciet Dominus Deus victoriam in manibus Domini mei Regis. Sed tu audi ancillam tuam, & faciamus Ecclesiam in honorem beatissimi Petri Principis Apostolorum, vt sit tibi auxiliator in bello. Et Rex ait, placet hoc quod hortaris, ita faciamus. Tunc Rex proiecit à se in directum bipennem suam, quod est Franciſca, & dixit. Fiatur Ecclesia beatorum Apostolorum, dum auxiliante Deo reuertimur. Pugnaturus aduersus hæreticos, iure Principes Apostolorum eo munere sibi conciliandos putauit, vtpote quos aduersus impios quosque nouerat validissimos Ecclesiæ propugnatores. *Rex quoque deuotissimus*, vt Hincmarus scribit [a], *pergens contra Alaricum Arrianum benedictionem petiit à sancto Remigio, qui & benedictionem dedit, & victoriam in verbo Christi spopondit*, vt & Solennius Carnorensis Episcopus, in cuius Diœcesi Deodatum celebrem eremitam ad Ligerim Rex etiam consuluit cùm Turonos proficiscereturr.

[a] In vit. S. Remig.

IX. ITER CLODOVII. LEGES.

De Clodouei Regis itinere, de legibus ab eo piè conditis, déque victoriâ glorioſissimè reportatâ Gregorius Turonensis [b] ita disserit. *Quoniam pars hostium per territorium Toronicum transibat, pro reuerentiâ Beati Martini dedit edictum, vt nullus de regione illâ aliud quam herbarum alimenta aquamque præsumeret. Quidam autem de exercitu inuento cuiusdam pauperis fœno, ait. Nonne Rex herbam tantùm præsumi mandauit, & nihil aliud? & hoc, inquit, herba est. Non enim erimus transgressores præcepti eius si eam præsumimus. Cúmque vim faciens pauperi, fœnum vi abstulisset, factum peruenit ad Regem. Quem dicto citiùs gladio peremptum, ait. Et vbi erit spes victoriæ, si beato Martino offendimus? satisque fuit exercitui, nihil vlteriùs ab hac regione præsumere. Ipse verò Rex direxit nuncios ad beati Basilicam dicens. Ite & forsitan aliquod victoriæ auspicium ab æde sanctâ suscipietis. Tunc datis muneribus, quæ loco sancto exhiberent, ait. Si tu Domine adiutor mihi es, & gentem hanc incredulam, semperque æmulam tibi, meis manibus tradere decreuisti, in ingressu Basilicæ sancti Martini dignare propitius reuelare, vt cognoscam quia propitius dignaberis esse famulo tuo. Itinerantibus autem pueris, & ad locum accedentibus, iuxta imperium Regis, dum sanctam ingrederentur Basilicam, hanc Antiphonam ex improuiso primicerius qui erat imposuit.* [*Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, supplantasti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.*] *Quod psallentium audientes, Domino gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes, lati nuntianerunt Regi. Porrò ille cùm ad fluuium Vigennam * cum exercitu aduenisset, in quo loco eum transire deberet, penitus ignorabat, intumuerat enim ab inundatione pluuiarum. Cúmque illâ nocte Dominum deprecatus fuisset, vt ei vadum quo transire posset dignaretur ostendere, mane facto cerua miræ magnitudinis ante eos nutu Dei, flumen ingreditur, illáque vadante, populus quo transire posset agnouit. Veniente autem Rege apud Pictauos, dum in tentoriis commoraretur, pharus ignea de Basilicâ sancti Hilarij egressa, visa est ei tanquam super se aduenire, scilicet vt lumine Beati Confessoris aditus Hilarij, liberiùs hæreticas acies, contra quos sæpe isdem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret. Conteſtatus est autem omni exercitui, vt neque ibi quidem aut in viâ aliquem expoliarent, aut res cuiusquam diriperent. Erat autem in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius Abba reclusus in monasterio suo ob Dei timorem intra terminum Pictauensem. Cuius monasterij nomen lectioni non indidimus, quia locus ille vsque hodie Cellula * sancti Maxentij vocatur. Cuius monachi cùm hostium cuneum vnum ad monasterium cernerent propinquare, Abbatem exorant, vt de cellulâ suâ egrederetur ad consolandum eos. Illoque demorante, hi timore percussi, cum aperto ostio producunt de cellulâ suâ. At ille in occursum hostium, quasi pacem rogaturus, pergit intrepidus. Vnus autem ex his enaginato gladio, vt caput eius libraret, manus ad aurem erecta diriguit, gladiusque retrorsum ruit. At ipse ad pedes beati viri veniam deposcens sternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad exercitum redierunt, timentes ne & ipsi pariter interirent. Huius verò brachium Beatus Confessor cum oleo benedicto contrectans, impoſito si-*

[b] Lib. 2. c. 37.

* La Vienne.

* S. Maixent.

gno Crucis restituit sanum. Eiusque obtentu monasterium permansit inlæsum. Multaque & alias virtutes operatus est, quæ si quis diligenter inquiret, librum vitæ illius legens, cuncta reperiet. Interea Clodoueus Rex cum Alarico Rege Gothorum in campo Vogladensi, decimo ab vrbe Pictauâ miliario conuenit, & confligentibus his eminus resistunt comminus illi. Cúmque secundùm consuetudinem Gothi terga vertissent, ipse Rex Chlodouechus victoriam Domino adiuuante obtinuit. Habebat autem in adiutorium suum filium Sigiberti Claudi nomine Chlodericum. Hic Sigibertus pugnans contra Alamannos apud Tulbiacensem oppidum, percussus in geniculum claudicabat. Porrò Rex cùm fugatis Gothis Alaricum Regem interfeciſſet, duo ex aduerso subitò aduenientes, cum contis vtraque ei latera feriunt. Sed auxilio tam loricæ quàm velocis equi, ne periret, exemptus est. Maximus ibi tunc Aruernorum populus, qui cum Apollinare venerat, & primi qui erant ex Senatoribus corruerunt. Vogladum, vbi pugnatum est, alij interpretantur *Vouglé*, alij *Cinaux*. Prior locus à ciuitate Pictauiensi distat tribus leucis, posterior quinque, prior remotus est à Vigennâ, posterior imminet Vigennæ. Lege Bouchetum [a] in Annalibus Aquitanicis & Sammarthanos [b] in regiâ familiâ Francorum. Quicquid hi dicant, prior locus, qui textui Gregoriano conformior est, nobis magis arridet.

ANNVS Christi. 507. CLODOVEI R. 26. VICTORIA.

[a] Part. 2. c. 2.
[b] Lib. 3. c. 5.

Metropolis igitur Turonum, in quâ corpus sancti Martini quiescebat, prima ciuitatum transligerinarum Francos recepit. Inter munera quæ sancto Martino Clodoueus offerri voluit, is qui gesta Regum Francorum scripsit, locum tribuit *equo velociſſimo, quem Rex amabat plurimùm.* Turonis Episcopus tunc præerat Licinius *, *huius* enim *tempore*, inquit Gregorius Turonensis [c], *Clodouechus Rex victor de cæde Gothorum Turonus rediit.* Nihil videtur clariùs dici posse, superest tamen difficultas non leuis in Chronologiâ Turonensium Antistitum rectè stabiliendâ. Sanctus Volusianus Episcopus Turonensis, vt superiùs probatum est, obiit anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono ineunte, decimo quinto Kalendas Februarias, quo die nomen eius legitur in tabulis Ecclesiasticis. Successit Verus, cui Gregorius Turonensis [d] tribuit annos sedis vndecim & dies octo. Id si creditur, vixit Verus vsque ad annum Christi quingentesimum decimum, & biennio superstes fuit bello Wisigothico, cuius initium in annum Christi quingentesimum septimum, exitus in annum Christi quingentesimum octauum cadit. Existimamus mendum irrepsisse in Gregorij Turonensis historiam, notis annorum ac dierum, quibus sedit Verus, inter se commutatis, nostro enim calculo Verus Pontificatum gessit non annis vndecim ac diebus octo vt in exemplaribus legitur, sed annis octo ac diebus vndecim ab anno Christi quadringentesimo nonagesimo nono quo sanctus Volusianus ex hac vitâ sublatus est, ad annum Christi quingentesimum septimum quo Clodoueus bellum aduersus Alaricum suscepit. Sententiam nostram egregiè admodum confirmant subscriptiones Agathensi * Concilio subiectæ & Gregorius Turonensis si simul conferantur, subscriptio enim Leonis Diaconi, quem Verus Episcopus Turonensis ad Synodum Agathensem direxit, probat eundem Verum in viuis adhuc superstitem fuisse mense Septembri, Messalâ Consule, anno Christi quingentesimo sexto quo celebratum est Agathense Concilium, & Gregorius Turonensis bellum Wisigothicum, quod anno Christi quingentesimo septimo inchoatum & anno Christi quingentesimo octauo confectum fuisse constat, asserit gestum sub Pontificatu Licinij qui Vero successit. Præterea Veri Episcopi mortem & Licinij subrogationem anno Christi quingentesimo septimo contigisse persuadet subsequentium Pontificum series, quam ex Gregorio Turonensi [e] sic colligimus vsque ad annum Euphronij septimum, quem idem author [f] anno Sigiberti Regis secundo siue anno Christi quingentesimo sexagesimo tertio illigauit. *Licinius sedit annos duodecim, menses duos, dies* XXV. obiitque anno Christi quingentesimo vicesimo. *Theodorus & Proculus rexerunt Ecclesiam Turocam simul annis duobus*, obieruntque anno Christi quingentesimo vicesimo

X.

CHRONOLOGIA EPISCOPORVM TVRONENS.

[c] Lib. 10. c. 31
[d] Lib. 10. c. 31

* *Lesin.*

* *Le Concile d'Agde.*

[e] Lib. 3. c. 17. lib. 10. c. 31.
[f] De Mir. S. Martin. lib. 1. cap. 32.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

secundo. *Dinisius sedit menses decem*, obiitque anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio *Ommatius tribus annis præfuit*, obiitq; anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto. *Leo sedit menses sex*, obiitq; anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo. *Francilio sedit annos duos, menses sex, & anno tertio Episcopatus sui, cùm Dominici Natalis lux alma populis effulsisset, spiritum fudit*, anno scilicet Christi quingentesimo vicesimo-nono. *Iniuriosus sedit annos sexdecim, menses vndecim, dies viginti-sex*, obiitque anno Christi quingentesimo quadragesimo-sexto. *Baudinus sedit annos quinque, menses decem*, obiitque anno Christi quingentesimo quinquagesimo-secundo. *Guntharius sedit annos duos, menses decem, dies viginti-duos*, obiitque anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto. *Cessauit Episcopatus anno vno*, Eufronius igitur Pontificatum adeptus est anno Christi quingentesimo quinquagesimo-sexto, & septimus illius annus cum anno Sigiberti Regis secundo, siue cum anno Christi quingentesimo sexagesimo-tertio coincidit. Huic computationi duæ res obiici possunt, Pontificatus sancti Arnulfi omissus à Gregorio, & mors Clodouei Regis sub anno Licinij Pontificis vndecimo ab eodem Gregorio [a] collocata. Sed Arnulfus in catalogo Turonensium Antistitum prætermissus à Gregorio videtur, quia post dies septemdecim Episcopatu se abdicauit, Pontificatus autem adeò breuis commodè inseretur anno Christi quingentesimo vicesimo-secundo post mortem Theodori & Proculi. Quod attinet ad annum Licinij Pontificis XI. quo Gregorius Turonensis legitur obitum Clodouei Regis consignare, id quàm alienum sit à vero, palam ostendemus ad annum Christi quingentesimum vndecimum, quo Clodoueus Rex ex hac vita discessit.

[a] Lib. 1. c. 43.

XI. ADELFIVS EPISC. PICTAV.

Franci ex agro Turonum rectà contenderunt Pictauum, vbi sedebat Episcopus Adelfius, qui Concilio Aurelianensi primo posteà subscripsit. Sancti Maxentij Abbatis, qui prout ex Gregorio Turonensi iam retulimus, in pago Pictauiensi tunc florebat, in sacro Ecclesiæ Martyrologio mentio [b] fit vt *Presbyteri & Confessoris, qui miraculis claruit.*

[b] Die 16. Ian.

XII. ALBIGENS. RVTENI, ARVERNI SVBACTI.

Post pugnam Vocladensem, *Chlodouechus filium suum Theodoricum per Albigensem ac Rutenam ciuitatem ad Aruernus dirigit. Qui abiens, vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subiugauit.* Hæc Gregorius Turonensis [c], qui prætereà subiungit Clodoueum hyemem egisse Burdigalæ *, quò, sicut apud Aimoinum [d] legitur, *ad patrem victor rediit* Theodoricus, postquàm *Ruthenos* *, *Cadurcósque* *, *atque Arnernos* * *subegit.*

[c] Lib. 2. c. 37.
* *Bordeaux.*
[d] Lib. 3. c. 21.
* *Le Rouergue.*
* *Le Quercy.*
* *L'Auuergne.*

Seuerinus Abbas Agaunensis, qui Clodoueum Regem exeunte anno priore suis precibus incolumitati restituerat, obiit apud Castrum Nantonis in Episcopatu Senonensi, priusquàm idem Clodoueus Parisiis iter in Aquitaniam susciperet. *Cùm iam tempus suæ transmigrationis*, inquiunt eius acta, *propinquum esse præsciret, sicut ostensum sibi ab Angelo fuerat, Regi valedicens & plebi ciuitatis, celeriùs se ab vrbe Parisius promouit, & viam gradiens peruenit ad montem, quem Castrum Nantonis vocant, in cuius vertice Oratorium quoddam ex lignis erat constructum. Ibidémque tunc temporis duo Presbyteri Paschasius & Vrsicinus Deo seruiebant, ad quos ita inclytus Christi famulus Seuerinus, Oratorium cùm intrasset, blando sermone locutus est, dicens. Serui Dei, fratres carissimi, scio quia vos corpusculum meum vltimo obsequio sepulturæ tradere oportet, sicut à Domino mihi reuelatum est. Nam & Angelico edoctus oraculo ad locum hunc idcircò accessi præsentem, in quo huius terrenæ habitationis extremus mihi debetur terminus, vt à vobis, sicut prædixi, secundum Dei dispensationem sepeliar, quorum etiam nomina priùs per visum diuinitùs agnoueram. Vnde & depositionis meæ diem quia in proximo, fratres mei, adesse non dubito, omni mentis deuotione vestram deprecans caritatem, commendo vobis Faustum vestrum compresbyterum, videlicet necessitatis meæ ministrum, qui mihi per triginta annos assiduè seruiuit. Monachum etiam nostrum Vitalem vestræ relinquo fraternitati, diligenter rogans, vt vestra erga eos benevolentia vinculo dilectionis adstricta seruetur*, &c. *A præfatis*

XIII. MORS S. SEVERINI ABBATIS AGAVN.

igitur

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 16.

igitur sacerdotibus eiusdem Castri Nantonis incolis honorificè excipitur, ibidémque vltimum vitæ præsentis, & imminentem sui obitus cùm expectaret diem, assiduis lachrymarum fletibus, nec non & orationum sanctarum studiis felicem diuinæ misericordiæ animam commendabat. Iam ergo expleto huius mundanæ peregrinationis curriculo, cùm æternæ percepturus remunerationis vocaretur ad palmam, corporeis exutus nexibus, inter sacra verborum colloquia spiritum exhalauit, mortis videlicet debitum tertio Idus Februarij feliciter consummans, ab hac lacrymarum plena miseriis doloribúsque conualle ereptus, ad vitam migrauit perpetuam, &c. Horâ eius obitus, sicut protestati sunt, qui vltimo flentes aderant obsequio, instar stellæ totus lumine circumfusus est locus, &c. Porrò sacerdotes suprà commemorati corpus Sancti iam exanime, lotum ex more, vestibúsque indutum, cum summo honoris obsequio sepulturæ tradentes in prædicto montis Oratorio condiderunt, vbi vsque hodie eumdem sanctum Confessorem suum Seuerinum summus Sanctorum Rex Deus & Dominus noster præclaris virtutum claryficat miraculis. Colitur S. Seuerinus tertio Idus Februarias in tabulis Ecclesiasticis & in Breuiario Senonensi. Castrum Nantonis, quod hodie corruptè Castrum * Landonis in agro Vastinensi nuncupatur, illis temporibus ad Regnum Franciæ iam pertinebat. Willelmus Morinus [a] Prior Abbatiæ Ferrariensis in Historia Vastinensi scribit Paschasium & Vrsicinum, qui beatum Seuerinum sepelierunt, Ferrariensis * seu Bethleemitici Cœnobij Monachos siue Anachoretas fuisse, atque in Castro Nantonis anachoreticam vitam ita coluisse, vt interea Curionum vice accolis administrarent Sacramenta, citátque viram sancti Seuerini quæ in Ferrariensi tabulario extat. Verùm cùm ex eodem chartulario multa proferat quæ fide & auctoritate prorsus carent, nec vitam quam inde allegat Actis sancti Seuerini præcitatis anteponendam putamus. Faustus & Vitalis post sancti Seuerini magistri sui mortem ad illius tumulum consederunt, Faustus res à tanto viro præclarè gestas literis commendauit. Agemus inferiùs de Basilica, quam ibidem erexit & Clericis tradidit Childebertus Rex, Clodouei filius.

* *Chasteau-Landon en Gastinois.*

[a] Lib. 2. c. 2.

* *Ferrieres.*

XIV.

Monachi Ferrarienses primum sui Monasterij Abbatem agnoscunt Maurilium seu Morilicum, quem Guillelmus Morinus [b] Clodoueo Regi, Remigio Remorum Antistiti, & Eraclio Senonensium Præsuli synchronum facit ex charta quam Lector supposititiam facilè iudicabit. Iidem asserunt Sacellum Bethleemiticum, quod à sanctis Sauiniano & Potentiano, primis Ecclesiæ Senonensis conditoribus, in honorem beatissimæ Virginis extructum fuerat, Clodouei Regis ad fidem recens conuersi liberalitate in augustissimum templum excreuisse, cùm Remigius Remensem Diœcesim, Senonensem Eraclius administrabat. Cæterùm hoc anno qui post Clodouei conuersionem vndecimus numeratur, ad Deum migrauit idem Eraclius vt Democharis [c] affirmat. Successit Paulus eius frater. Vterque Sanctorum numero adscriptus est. Eraclij mentio fit in Martyrologio Romano, sexto Idus Iunias, festum verò celebratur à Senonensibus septimo Idus Iulias, quo die hæc inter alia leguntur in eorum Breuiario. *Heraclius, vt generis claritate illustris, ita sanctitatis gloriâ conspicuus post sanctum Agricium magni meriti virum Ecclesiam Senonensem gubernandam suscepit, sancto Remigio Clodoueum baptizanti & præsens & cooperator adfuit. Sancto Ioanni Euangelistæ maximo deuinctus amore, Ecclesiam & Monasterium Virginum in superiori vrbis Senonensis suburbio construi curauit, & in eo sæpiùs sacra celebrauit mysteria. Transactis in Ecclesiæ suæ sollicitudine pluribus annis, reuelato obitus die, in cinere & cilicio positus animam Deo reddidit. Cuius corpus in ipsa Ecclesia sancti Ioannis conditum, & multis miraculis nobilitatum, cum reliquiis sancti Pauli eius germani in maiorem sancti Stephani Basilicam postea translatum est, vbi in thecis argenteis retrò maius altare iugi fidelium deuotione honorantur.* Pauli Episcopi festum agunt ijdem Senonenses die quintâ Iulij, vt ex eorum Kalendario patet. Fallitur Democharis, cùm Episcopatum Pauli producit vsque ad annum Christi quingentesimum

[b] Lib. 6. c. 1.

[c] De diu. Miss. sacrif. c. 17.

ERACLIVS ET PAVLVS FRATRES EPISCOPI SENONENSES.

ANNVS Christi 507. Clodovei R. 26.

triceſimum nonum, Leo enim, qui Paulum in Epiſcopatu ſecutus eſt, Pontifex erat anno Chriſti quingenteſimo triceſimo tertio, vt conſtat ex Concilio Aurelianenſi ſecundo, imò & longè anteà cùm Remigius quinquageſimum tertium in Remenſi Pontificatu annum agebat anno Chriſti quingenteſimo duodecimo, vt ad illum annum obſeruabimus.

XV. Episcopi Altiss.

Obiit & hoc anno ſanctus Vrſus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet annos ſex, menſes quatuor iuxta Democharem [a]. Sepultus fuit in Baſilicâ ſancti Germani, colitur tertio Kalendas Auguſtas in tabulis Eccleſiaſticis, ſucceſſorem habuit Theodoſium qui Concilio Aurelianenſi primo ſubſcripſit. Conſentanea leguntur in hiſtoriâ Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, ſed author errat craſſiſſimè, cùm Clodouei Regis vitam ad Eleutherij Pontificatum prorogat.

[a] De Diu Miſſ. Sacr. c. 19.

XVI. Ioannes Abb. Reom. redit Reomavm.

Ioannes Abbas Reomaenſis, cùm *anno & ſex ferè menſibus* in Monaſterio Lerinenſi delituiſſet, *à quodam tandem viſus eſt qui de Galliæ partibus commearat. Vniuerſi fratres prioris ignorantiæ veniam poſtularunt, quòd videlicet eum inter iuniores tanto tempore deputaſſent. Deinde iam, vt decebat, in honore maximo cœpit haberi, quia verax eſt ille qui dixit ciuitatem ſupra montem ſtatutam non poſſe abſcondi, neque debere poni lucernam ſub modio ſed ſuper candelabrum, vt qui ingrediuntur domum Dei lumen videant. Intereà agnitor beati Ioannis ad propria regreſſus ineffabile gaudium de inuentione eius patriæ reportauit. Quâ Pontifex noſter Gregorius relatione compertâ, qui tunc temporis Lingonicæ Eccleſiæ gubernacula retinebat, electis duobus fratribus duo paria epiſtolarum ſcripſit, vnam ad Patrem eiuſdem monaſterij, nomine Honoratum, alteram quoque eius proprio nomini editam tranſmiſit, deprecans vt rediret. Quod ſi differret, ſciret ſe ante tribunal Chriſti, & pro deſolatione loci prædicti, & pro fratrum diſperſione ſecum cauſas eſſe dicturum. Quarum exemplaria litterarum dignum fuerat huic libello inſeri, ſi potuiſſent aliquatenus reperiri. Igitur inuitum eum ac flentem, quòd non meruerit vitam ſuam in illâ quam arripuerat ſubiectione finire, ad ſolum patrium reduxere. Regreſſuſque patriam ac ciues omnes aduentus ſui gratiâ reddidit latiores. Ingreſſus itaque monaſterium comperit diſtrictionem regulæ, quam docuerat, minimè ſeruari. Tum verò quaſi rudis & adhuc nouelli monaſterij inſtituta demùm reformans, tandem aliquando ad ſtatum priſtinum rei ordinem reuocauit.* Huc vſque Monachus Reomaenſis. Hic author hiſce vocibus, *Pontifex noſter Gregorius*, patriam ſuam ſatis declarat. Prætereà obſerua Lerinenſem Abbatem, cui Gregorius Epiſcopus Lingonenſis ſcripſit, in textu ſuprà citato & in Ioannis vitâ quam Bollandus edidit, Honoratum dici; apud Surium verò, apud Barralem & apud Rouerium non nominari, licet Rouerius fateatur illud nomen in nonnullis manuſcriptis haberi, retinendum putauimus, quia catalogus Abbatum Lerinenſium integer non extat, & Honoratus Abbas eſſe potuit poſt Porcarium qui ſanctum Cæſarium anno Chriſti quadringenteſimo vndenonageſimo in monaſterium admiſit. Ioannes, Reomaum regreſſus & *reminiſcens illud Apoſtoli, [filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis,] ſtuduit denuò ſalubria dogmata ſub regulari tenore, quem beatus Macarius Ægyptiorum indidit Monachis, miniſtrare, atque educatam in melius plebem ad cæleſtia gaudia pronocare, annitente ſibi monacho Filomero nomine omni ſanctitati & religioni dedito. Cuius fultus auxilio cæleſte præconium tam monachis quam populo annuens abſque dilatione conferebat.*

XVII. Interpolatio Ionæ repellitvr.

Ionas, qui vitam Ioannis interpolauit, addit Ioannis matrem in viuis ſuperſtitem fuiſſe, cùm filius ex inſulâ Lerinenſi rediit. *Per idem tempus*, inquit, [b] *mater eius comperiens deſiderabilem aduentum venerabilis filij ad eum venire properat, vt tamdiu aſpectum eius à ſe ſegregatum tandem ouans cerneret, ſuiſque votis ſatisfaceret. Arrepto itaque itinere ad eum in eo loco quo vir poſitus erat aduenit, ac miniſtrorum depoſcit affectum, vt agerent qualiter deſideratam diu prolem ſuis obtutibus contemplari meruiſſet. Hoc ille audito abnuit, matriſque affectui fauere recuſauit reminiſcens illud.* [*Qui non reliquerit patrem aut matrem,*

[b] Lib. 1. c. 7.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

non est me dignus.] *Sed tamen ne fidem matris quam in Christi amore & timore fixam nouerat, temerè contemnendo perturbaret, transiens ante eam parumper obtutibus eius apparuit, vt & desiderium matris satiaret, & vigorem religionis ob blandimenta matris non molliret. Hortatur namque eam per ministros aciem animæ medicinali mandatorum Dei obseruatione polire, vt se posset in visione intueri pacis, quia deinceps nunquam se visuram eum in præsenti vitâ sciret.* Hæc interpolatio non conuenit ætati Ioannis, qui tunc annum agebat quinquagesimum septimum, & parentes habuerat senectute iam graues cùm viginti duntaxat annorum esset, vt in eius vitâ Monachus Reomaensis testatur his verbis. *Cùm fuisset annorum viginti, & ad secretiora eum loca nullatenus parentum tam affectus amoris, quàm grauitas senectutis penetrare permitteret, ipse tandem abruptis omnibus retinaculis ad Christum se contulit.* Quapropter si Ioannes post diuturnam absentiam obiter aliquando matri se videndum præbuit eo quo Ionas recitauit modo, certè id multò citiùs peregit reuersus à primâ peregrinatione quam post erectum Reomaense Monasterium statim susceperat, vt in eius vitâ Monachus Reomaensis his etiam verbis declarat. *Monasterio inibi fidei firmitate constructo, regula instituta Patrumque exempla, quorum ipse extabat imitator, rudi & nouello adhuc monasterio deesse non patitur. Dehinc studio perfectionis accensus, laborem itineris subit intrepidus, & animo feruenti monasteria circumquáque ire disponens, nec longo terrarum spatio, nec præsentium immanitate periculorum, qui erat fidei igneus torris, aliquatenus potuit deterreri. Itaque Monasteriis Galliæ visitatis, degustatáque luminis veritate, spiritualia condere cupiens mella, velut apis prudentissima, diuinæ gratiæ flosculos decerpebat, & intra pectoris sui conclauim recondens, ad summæ sanctitatis dulcedinem atque perfectionis culmen enitebatur Christo sibi propitio, qui cordis eius requiescebat cubiculo.*

XVIII. ACTA IOANNIS ABB. REOMENS.

Monachus Reomaensis res à Ioanne post eius reditum è monasterio Lerinensi gestas ita prosequitur. *Quia totius bonitatis erat auidus, suus laudabilis in cunctis testabatur affectus. Omnibus etenim iuxta Apostolum, omnia factus erat vt omnes lucrifaceret. Regulari proinde censurâ vigente, cùm monachi sanctorum Patrum Ægyptiorum institutæ sequi cupientes, quæ sanciunt monachum iugi manuum operatione & contritione non modò corporis sed etiam cordis adhibitâ perfectæ castimoniæ puritate exerceri, hoc mandatum quasi cælitus delatum seruabant. Itaque loci vsus & necessitas exigebat, vt syluam quæ illi monasterio adiacet, infestâ extirpatione purgare deberent. Quod laboris opus summo conamine & maximâ cum intentione agentes quâdam die, ignoro quinam contigit casus, vt ad monasterium regressi secures suas omnes in operis cœpti loco relinquerent. Veniens interea quidam ex loci ipsius incolis absentibus fratribus omnium secures furti scelere deportauit. Fratres autem regressi damni deceptionem Patri nuntiant. Tum ille. Orationi, inquit, lectionique vacate, donec ego Domino adiuuante damnum commune vbicumque requiram. Egressus autem ad locum pergit. Tum oratione illo suo more completâ, dum in animo volueret, cur hoc Deus famulis suis fieri permisisset, vidit eminùs rapidissimo cursu hominem ad se venientem, qui hoc scelus admiserat. Dúmque hic accelerat, ille paululum remoratur. Breui adiunctus continò ad pedes eius aduoluitur, & crimen quod commiserat confitetur. Et nullam se arripere potuisse retulit copiam euadendi, nisi damnum seruorum Dei omnimodis reformaret. Pariterque veniam precabatur sceleris recens admissi. Tum beatus Ioannes miseratione commotus non solùm veniam verùm etiam eulogias cum benedictione largitus est. Re verâ quia anchoram spei suæ in Domino locauerat, nihil aliud quàm misericordiam in suis actibus ostendebat. Secundùm Euangelium intonare nouerat. Estote, inquiens, misericordes sicut & pater vester misericors est.* Hinc sermonem conuertit ad Agrestium, de quo nos inferiùs ad annum Christi quingentesimum duodecimum. Apud Ionam autem occurrit interpolatio, quæ caput nonum libri primi complectitur, ostenditque quomodò Ioannes ad castrum, cui Sinemuro nomen est, impudicæ mulieris illecebras fugâ euita-

ALIA IONÆ INTERPOLATIO NON IMPROBATVR.

ANNVS Christi 507. CLODOVEI R. 26.

uit. Hanc historiam à vero non arbitramur alienam, quia Diabolus vt monachos à virtutis tramite reuocaret, vsus est sæpissimè mulieribus impudicis, & pij monachi, quorum numero Ioannes ascribi debet, vt victoriam ex hoste reportarent, fugâ sibi consulendum existimarunt.

ANNVS CHRISTI 508.

CLODOVEI R. 27.

508. CLODOVEI R. 27.

I. ANNO Christi quingentesimo octauo, Indictione primâ, Marcellinus Consules agnoscit Celerem & Venantium. In eâdem sententiâ est Cassiodorus, qui Venantium huius anni Consulem cognomento facit Iuniorem, vt à Venantio superioris anni Consule distinguatur. Marius verò hunc annum notat post Consulatum Venantij, quia Venantium & Celerem Consules anno priori malè collocauit.

II. Hoc anno Clodoueus Burdigalâ, vbi hyemem egerat, Turonos atque inde Parisios rediit. Sed antequam veniamus ad res quas in illis locis gessit, quem bello Wisigothico finem imposuerit, audiamus ex Gregorio Turonensi [a]. *Chlodouechus apud Burdegalensem vrbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici à Tholosâ auferens, Ecolismam * venit. Cui tantam Dominus gratiam tribuit vt in eius contemplatione muri sponte corruerent. Tunc exclusis Gothis vrbem suo dominio subiugauit. Posthac peractâ victoriâ Toronus regressus est.* Aimoinus [b] iter Clodouei Burdigalâ Tolosam, Tolosâ Engolismam paulò distinctiùs prosequitur. *Clodoueus*, inquit, *in Burdegalensi vrbe hiemabat. Brumali autem recedente rigore, vernalique succedente tempore Tolosam petit. Inde thesauros Alarici auferens ad Engolismam pergit.* Cùm autem Inculismâ Turonos iter arripuit, *in Santonico vel Burdigalense Francos præcepit manere ad delendam Gothorum gentem*, vt in gestis [c] Regum Francorum legitur, copiis illis præfecit Theodoricum filium, *qui ciuitatibus captis circa maritima, iussu patris ad eum reuersus est*, vt Fredegarius [d] obseruauit.

[a] Lib. 2. c. 37.

* *Engolesme.*

[b] Lib. 1. c. 22.

[c] Cap. 17.

[d] Hist. ep. c. 16.

III. FRANCIA DILATATVR. Ex supradictis facilè colligi potest, quibus ciuitatibus quibusve prouinciis auctum fuerit regnum Franciæ, belli Wisigothici prospero successu. Anno priori Clodoueus Turonos, Pictauum, Burdigalam ceperat, Theodoricus eius filius Cadurcos, Albigenses, Ruthenos, Aruernos subegerat, & Franciam vsque ad Occidentalem Burgundiæ limitem propagarat, Gothis in illâ regione ne oppido quidem relicto. Hoc anno Clodoueus Tolosam & Inculismam occupauit, Theodoricus eius filius in agris Xanctonico * & Burdigalensi * gentem Gothorum extinxit maritimis ciuitatibus in ditionem receptis. His igitur finibus circumscribendæ sunt vrbes ac prouinciæ sub iugum à Clodoueo missæ postremo hoc biennio, ab ortu regno Burgundiæ, Oceano ab occasu, Ligeri à Septentrione, à meridie Pyrenæis montibus & Galliâ Narbonensi, ita tamen vt agri Tolosanus & Vcecienſis, qui partem Galliæ Narbonensis efficiebant, adscribantur Franciæ. Hoc terrarum circuitu comprehenduntur tres prouinciæ Aquitanicæ cum ciuitatibus Turonorum, Tolosatium, & Vcecienſium *, quarum prima metropolis erat prouinciæ Lugdunensis tertiæ, duæ aliæ ciuitates erant prouinciæ Narbonensis primæ. De Turoni ac Tolosâ nulla est difficultas, nam Clodoueum duabus illis ciuitatibus dominatum testatur Gregorius Turonensis suprà laudatus. De ciuitate Vcecienſi quæstio moueri potest, tamen eam hoc bello in Francorum potestatem venisse oportet, neque enim Wisigothis ampliùs paruit, vt patet ex diuisione Diœceseon à Wambâ Rege initâ, quæ Narbonæ metropoli

* *La Xaintonge.*

* *Le Bourdelois.*

* *Vsez.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

subiicit Beterrim *, Agatham *, Magalonam *, Nemausonem *, Lutebam *, Carcasonam & Elnam, nullà mentione factà Tolosæ & Vceciæ, quæ Narbonæ metropoli subiacebant, priusquàm Clodoueus Rex eas Wisigothis abstulisset.

* Beziers.
* Agde.
* Magueloune.
* Nismes.
* Lodeue.

Ciuitatis metropolis Turonorum Episcopus erat Licinius, de quo sic Gregorius Turonensis libro decimo [a]. *Licinius ciuis Andegauus, qui ob amorem Dei in Orientem abiit, sanctáque loca visitauit, exinde digressus, in possessione sua Monasterium collocauit infra terminum Andegauum; & posteà Abbatis officio in Monasterio, vbi sanctus Venantius Abba sepultus est, functus, ad Episcopatum eligitur. Huius tempore Chlodouechus Rex victor de cæde Gothorum Turonus rediit.* Idem Auctor [b] alibi docet sanctum Venantium, cuius memoria in tabulis Ecclesiasticis tertio Idus Octobris celebratur, Monasterio præfuisse, quod Basilicæ sancti Martini propinquum erat. Præter illud Cœnobium quod à sancto Venantio nomen accepit, florebant in Diœcesi Turonensi varia Monasteria, præ cæteris enitebant duo, quorum alterum ab vrbe distabat centum & quinquaginta passus, dicebatúrque Monasterium seu Basilica sancti Martini, alterum longiùs positum ab eadem ciuitate aberat duobus fermè milliariis, vocabatúrque Maius Monasterium. Ad nostra vsque tempora in Maiore * Monasterio degerunt degúntque etiamnum Monachi, sed Monachorum loco à multis seculis in Ecclesia sancti Martini & in Cœnobio sancti Venantij constituti sunt Canonici, & Capitulum sancti Venantij subest hodie Sammartiniano. Originem & situm Maioris Monasterij, vitámque Monachorum ibi viuentium sic exponit in vita sancti Martini Seuerus Auctor coætaneus. *Sumpto Episcopatu qualem se quantúmque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere. Idem enim constantissimè perseuerabat qui priùs fuerat. Eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius humilitas erat. Atque ita plenus authoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum Monachi virtutémque desereret. Aliquandiu ergo adhærenti ad Ecclesiam cellulà vsus est. Deinde cùm inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra ciuitatem millibus Monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vno enim latere præcisâ montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger * fluuius reducto paululùm sinu clauserat. Vnâ tantùm eádémque arctâ admodùm viâ adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat, multíque ex fratribus in eundem modum. Plerique saxo superiecti montis cauato, receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere aut vendere (vt pleriſque Monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coegisset. Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eò magis sit mirum necesse est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coegerant. Pluresque ex his posteà Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet sacerdotem?* Obiit S. Martinus mense Nouembri, anno Christi trecentesimo nonagesimo-septimo, Briccius in Episcopatu successit, &, vt Gregorius Turonensis docet [c], *ædificauit Basilicam paruulam super corpus B. Martini*, Briccio successit Eustochius, Eustochio Perpetuus, qui, teste eodem Gregorio [d], *submotâ Basilicâ, quam priùs Briccius Episcopus ædificauerat super S. Martinum, ædificauit aliam ampliorem miro opere, in cuius absida beatum corpus ipsius venerabilis transtulit.* Opus illud, vt alibi iam diximus, inchoauit anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo sub initium sui Pontificatus, absoluitque anno Christi quadringentesimo septuagesimo-secundo. Illic diu viguit Monastica disciplina sub egregiis Abbatibus, è quorum numero fuit Leo, qui Turonensem Episcopatum adeptus

IV. LICINIVS TVRON. EP.

[a] Cap. 11.
[b] De vit. patr. c. 16.

TRIA MONAST. TVRON.

* Mairmoutier.

* La Loyre.

[c] Lib. 10. c. 31.
[d] Ibid.

MONAST. S. MARTINI.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27. MONAST. S. VENANTII.

est anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto. Basilicæ seu Monasterio sancti Martini, vt superiùs obseruauimus, vicinum erat S. Venantij Cœnobium, in quo floruerunt Abbates à Gregorio [a] laudati, Syluanus eiúsque discipulus sanctus Venantius, necnon Licinius, qui factus est Episcopus Turonensis, & Guntharius qui eundem Pontificatum gessit. Cur Maius Monasterium ita vocatum sit, anonymus eiusdem Cœnobij Monachus tres rationes affert [b], quæ nobis minimè placent. Prima talis est. *Nomen quod dicitur Maius Monasterium ab eo Martino, teste Gregorio Turonensi, huic loco nouimus fuisse impositum, siquidem beatissimus Archipræsul Turonum Martinus, tria condidit Monasteria, primum Mediolanis *, secundum Pictauis, tertium verò à Turonis milliario, quod respectu & comparatione duorum re & nomine Maius Monasterium appellauit.* Non inficiamur in tribus illis locis à sancto Martino condita fuisse Monasteria, sed cùm Gregorius Turonensis [c] de beato Martino sic scribat, *in Monasterio verò, quod nunc Maius dicitur, Basilicam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ædificauit*, ex illis vocibus, *quod nunc Maius dicitur*, contendimus id nominis, *Maius Monasterium*, nec inditum à beato Martino, nec eius ætate vsurpatum fuisse. Secundam rationem sic exponit anonymus. *Est*, inquit, *& alia ratio quare vocabulum tale sortitum sit, sicut Sulpitij Seueri docet assertio. Idem beatus Archipræsul tumultuantis vitæ mordaces curas declinans, in hæc secretiora loca tanquam in portum quietis secesserat. Eius autem sanctæ clientelæ octoginta adhærebant viri, qui nobilis instar magistri in fame & siti, in cinere & cilicio sese damnantes, mundum sibi & se mundo crucifixerant. Hi omnes sigillatim in singulis mansionibus tanquam in Monasteriolum per totam hebdomadam orationibus & ieiuniis vacantes, die tantùm Dominicâ ad grande Monasterium, cuius lateri perfosso Ducis & Doctoris eorum lectus & mansio inhærebat, conueniebant. Harum igitur mansionum relatiuæ comparationis respectu, Monasterium illud, quò, vt dictum est, conuenire consueuerant, Maius Monasterium non immeritò appellauit.* Authorem vitæ sancti Martini malè vocat Sulpitium Seuerum, nam Seuerus nomine, Sulpitius cognomento fuit, vt fusiùs explicabimus alibi, ne catalogo Bituricensium Antistitum perperàm adscribatur. Nullum verbum reticuimus ex iis quæ scriptis mandauit de Monasterio quod beatus Martinus Turonensis Episcopus *duobus ferè extra ciuitatem millibus* extruxit. Causam igitur erigendi Monasterij hanc affert, quòd Episcopus *inquietudinem se frequentantium ferre non posset*, eidémque Episcopo *inquietudinem se frequentantium* fugienti tribuit *discipulos octoginta*, sed Monasterium nec grande, nec maius appellat, nec ait beati Martini discipulos per totam hebdomadam sigillatim in singulis cellulis mansisse, ac die tantùm Dominicâ conuenisse simul ad illud Monasterium quod singularum mansionum respectu Maius Monasterium diceretur, imò testatur eos singulis diebus vnà conuenisse cùm ad orationem tum ad comestionem. *Rarus*, inquit, *cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant.* Deinde Anonymi ratio, quam expendimus, falsò supponit Maius Monasterium ita nuncupatum fuisse ab ipsomet sancto Martino. Postremò Anonymus argumentatur à sanctitate beati Martini, *Sanctitatis eius merito*, inquit, *& excellentiâ præ cæteris virtutibus maioratum tenens, Maius Monasterium quadam meritorum prærogatiuâ meruit appellari.* Verùm cùm sanctus Martinus, antequàm ad Episcopatum Turonensem assumeretur, Monachus & Abbas diu vixerit apud Pictauos, in eáque regiogione pluribus quàm in Turonia miraculis inclaruerit, non videmus cur Turonense Monasterium illius sanctitate potiùs glorietur quàm Pictauiense, idcóque Maioris Monasterij nomen Turonensi potiùs quàm Pictauiensi tribuendum quis putet. Gregorius Turonensis descripsit [d] altercationem post sancti Martini obitum inter Pictauos & Turonicos in vico Condatensi exortam, cùm vtrique corpus in sua ciuitate sepelire vellent, Pictaui suum Monachum suúmque Abbatem, Turonici suum Episcopum require-

[a] Vita part. c. 26. hist. l. 10. cap. 31.
[b] Gall. Christ. tom. 4. MAIVS MONAST.
* *Milan.*
[c] Lib. 10. c. 31.
[d] Lib. 1. c. 43.

rent, asseruitque Turonicos Pictauis de virtutibus sancti Martini sic locutos esse. *Scitote quia vobiscum positus, amplius est quàm hìc operatus, nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, nobis vnum, & vt ipse sapè dicebat, maior ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum.* Explosis anonymi rationibus, Maius Monasterium affirmamus ita dici cœptum, postquàm in sancti Martini basilicâ collocati fuerunt monachi, erat enim multò spatiosius, abundabatque longè copiosiori monachorum numero. Illic ædificatæ fuerunt duæ basilicæ, vna in honorem Principum Apostolorum à sancto Martino, altera in honorem sancti Ioannis sub sancti Volusiani Præsulatu. Vtriusque meminit Gregorius Turonensis [a], primæ sic in encomio sancti Martini, *in monasterio, quod nunc Maius dicitur, basilicam in honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli edificauit*, alterius sic in elogio Volusiani, *huius tempore vicus Mantolomaus edificatus est, & basilica sancti Ioannis ad Maiorem monasterium.* Cœnobium illud post sanctum Martinum hi rexerunt Abbates à Roberto in Gallià Christianâ recensiti, Galbertus, Aychardus, Guilermandus, Peregrinus, Andemundus, Dominicus, Ildemarus, Manfredus, Deodatus, Vulginus, Benedictus, Hildricus, Martinus, Godo, Latinus, Gimo, Fundilius, Bonifacius & Eustochius qui tempore Gregorij Turonensis vixit. Agemus inferiùs de successoribus, hæc sufficiant de statu Turonensis Episcopatus, cùm illa regio in potestatem Francorum deuenit.

ANNVS Christi, 508. CLODOVEI R. 27.

[a] Lib. 10. c 31.

Aquitania omnis, vt vetus Prouinciarum ac Ciuitatum Galliæ notitia Conciliis Gallicanis à Sirmondo præfixa nos docet, in tres prouincias temporibus Honorij Augusti diuidebatur; in Prouinciam Aquitanicam primam cuius Metropolis erat Ciuitas * Biturigum, in Prouinciam Aquitanicam secundam, cuius Metropolis erat Ciuitas * Burdigalensium, & in Prouinciam Aquitanicam tertiam cuius Metropolis erat Ciuitas * Elusatium. Ætate Clodouei, totidem erant in Aquitaniâ Prouinciæ Ecclesiasticæ, Bituricensis quæ Prouinciam Aquitanicam primam comprehendebat, Burdigalensis quæ limitibus Prouinciæ Aquitaniæ secundæ ac territorio Boatium circumscribebatur, & Elusana quæ Nouempopulaniam seu Prouinciam Aquitanicam tertiam, si pagum Boatium excepteris, amplectebatur integram. Lapsu temporis, Elusanæ successit Auscitana, nono enim seculo, quia Elusa per Normannos iacebat excisa, sedes Metropolitana siue Archiepiscopalis Auscos * translata est. De pago Boatium, qui primùm ad Nouempopulaniam, deinde ad Aquitaniam secundam pertinuit, atque etiamnum pertinet, agemus infrà.

V. TRES AQVITANIÆ.

* *Bourges.* * *Bordeaux.* * *Eause.* * *Aux.*

Imperante Honorio Augusto, Metropoli Biturigum suberant Ciuitates Aruernorum, Rutenorum, Albiensium, Cadurcorum, Lemouicum, Gabalum & Vellauorum, & vnaquæque suum habebat Episcopum ætate Clodouei Regis. Concilio Agathensi, quod anno Christi quingentesimo sexto celebratum fuit, & Concilio Aurelianensi primo, quod habitum est anno Christi quingentesimo vndecimo, subscripserunt Tetradius Episcopus Ecclesiæ Bituricæ Metropolis, Quintianus Episcopus Ecclesiæ * Rutenicæ, Boetius Episcopus Ecclesiæ * Cadurcinæ. Præterea Eufrasius Ecclesiæ * Aruernicæ Episcopus Agathensi Concilio per Paulinum Presbyterum, Aurelianensi ipse propriâ manu subscripsit, interfuit Agathensi Concilio Sabinus Episcopus Ecclesiæ * Albigensis, & Leonicus Episcopus Ciuitatis Gabalum ad eandem Synodum Agathensem direxit Optimum Diaconum. Extra dubium igitur esse debet sex illos Episcopos in Aquitaniâ primâ floruisse, cùm Clodoueus bellum Wisigothicum gessit. Sedebat in cathedrâ * Lemouicinâ Ruricius auitâ nobilitate, quâ familiam Anicianam contingebat, clarissimus. In Vellauorum siue Anicensium Antistitum catalogo, quem Odo Gisseyus in Historiâ Beatæ Mariæ de Podio aliique texuerunt, hiatus est circa ætatem Clodouei. Caue ne primarias vrbes Gabalorum & Vellauorum confundas cum Mimate * & Podio *, vbi sedes hodie sunt Episcopales. Ciuitas Gabalorum in eo stetit loco, vbi nunc oppidulum *Ianouls*, cuius vocabulum ab antiquo

VI. EPISCOPI AQVITANIÆ I.

* *Rhodez.* * *Cahors.* * *Clermont.* * *Alby.* * *Limoges.* * *Mande.* * *Le Puy.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

Gabalo deriuatum videtur, quatuor leucis distabat à vico Mimatensi, qui, quoniam in nobilissimam totius regionis vrbem excreuit, nomen postea dedit Episcopis Mimatensibus, vrbis Gaballitanæ mentionem ex Gregorio [a] Turonensi faciemus adhuc sub Sigiberto Clodouei nepote. Ciuitas Vellauorum, quæ Ptolemæo [b] Ουελλαυα, Gregorio [c] Turonensi est vrbs Vellaua, hodie oppidum Sancti Pauliani, secundâ leucâ ab Anicio *monte, in quo ciuitas erecta est, cui duplex nomen Anicij & Podij, primum à colle cognomine, alterum ab ipso monte, quia vt multa olim extructa in collibus oppida Gallorum in *dunum* desinebant, quod ascensum veteri ipsorum linguâ significabat, ita deinceps eâdem ferè notione *Pody* vox vrbium nominibus addita, quam Franci *Puy* efferunt, vt Podium Sanctæ Mariæ, *Puy Sainte Marie*, Podium Laurentij, *Puy-Laurent*, &c. Episcopi ab vrbe Vellaua dicti sunt primùm Vellauenses & Vellaui, deinde ab Anicio Anicienses, postremò Podienses à Podio. Stante vrbe Vellauâ Sedes Episcopalis translata est Anicium à sancto Euodio *, qui sancto Pauliano * in Episcopatum successit. Errare eos credimus, qui translationem huiusce modi factam putant ante ætatem Honorij Augusti. De vrbe Vellaua deque Anicio, vbi tunc Aurelius Episcopus degebat, ad annum Childeberti Regis decimum-sextum, Christi quingentesimum nonagesimum-primum, quo nomen Podij nondum audiebatur, ita differit Gregorius [d] Turonensis. *Quidam ex Biturico, ingressus Vellauæ vrbis terminum, ad locum, quem Anicium vocitant, accedit, & ad Basilicas propinquas cum omni exercitu restitit, instruens aciem qualiter Aurelio ibidem tunc consistenti Episcopo bellum inferret.* Præter octo Episcopatus, quos hactenus in Aquitania prima numerauimus, quatuor alij, Castrensis *, Vabrincensis *, Tutelensis * & Sancti Flori * à Ioanne vicesimo-secundo Papa instituti sunt ac distracti à vicinis Episcopatibus, Castrensis ab Albigensi, Vabrincensis à Rutenico, Tutelensis à Lemouicensi, & Sancti Flori ab Aruernico, ita vt intra fines Aquitaniæ primæ sint hodie duodecim Episcopatus, Bituricensis videlicet Metropolitanus, aliique vndecim qui subsunt eidem Metropolitano, si Podiensem excipias, cuius Episcopus nullius se prouinciæ dicit, vt Catellus [e] aliique docent hoc Ioannis Episcopi titulo. *Ioannes de Borbonio, Dei gratiâ sanctæ Ecclesiæ Anicienſis nullius prouinciæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & nulli alteri in quoquam subiectæ, Episcopus.* Qua de re fusiùs suo loco.

a Lib. 4. c. 34.
b Lib. 2. c. 7. tab. 3. Europ.
c Lib. 10. c. 25.
* *Montanis.*
* *S. Vosi.*
* *S. Paulian.*
d Lib. 10. c. 25.
* *Castres.*
* *Vabres.*
* *Tulles.*
* *Saint-Flour.*
e Hist. Occit. lib. 5.

VII. EPISCOPI AQVITANIÆ II.

Imperante Honorio Augusto, Metropoli Burdigalensium suberant ciuitates Agennensium, Ecolismensium, Santonum, Pictauorum & Petrocoriorum. Ætate Clodouei Regis in Aquitania secunda sedebant, Cyprianus Episcopus Ecclesiæ Burdegalensis Metropolis, & Chronopius Episcopus Ecclesiæ Petrocoricæ *, qui supradictis Conciliis Agathensi & Aurelianensi primo interfuerunt; item Gregorius Episcopus Ecclesiæ * Santonicæ, de quo iterùm anno sequenti, necnon Lupicinus Episcopus Ecclesiæ Ecolismensis, & Adelphus Episcopus Ecclesiæ Pictauorum, de quibus recurret sermo in Concilio Aurelianensi primo. Catalogus Aginnensium * Pontificum mutilus hoc loco reperitur, in eo enim desiderantur aliquot antecessores illius Bebiani, qui Concilio Aurelianensi quinto subscripsit. Sex prædictis Episcopatibus additi sunt quatuor, nam Ioannes XXII. Romanus Pontifex ab Aginnensi diuisit Condomiensem *, à Petrocorico Sarlatensem *, à Pictauo Lucionensem * & Malleacensem *, qui nostrâ ætate Rupellam * translatus est, ita vt in Aquitania secunda sint hodie decem Episcopatus, nempe Burdigalensis Metropolitanus, aliique nouem qui subiiciuntur eidem Metropolitano. Præterea pagus Boatium, qui priùs ad Nouempopulaniam pertinebat, accessit ad Aquitaniam secundam, sed in ea numerum Episcopatuum non auxit, quia Pontificiam Sedem amiserat primariâ vrbe dirutâ.

* *Petrigueux.*
* *Xaintes.*
* *Agen.*
* *Condom.*
* *Sarlat.*
* *Luçon.*
* *Maillezais.*
* *La Rochelle.*

VIII. EPISCOPI AQVITANIÆ III.

Aquitania tertia, quoniam nouem populis constabat, Nouempopulaniæ nomen obtinuit. Illorum populorum hæc erant nomina, Elusates, Tarbelli,

li, Lactorates, Conuenæ, Venarni, Sotiates, Vasatij, Bigerriones & Ausci. Nouempopulania, imperante Honorio Augusto, duodecim ciuitates amplectebatur; Elusates enim, Lactorates, Sotiates siue Aturenses, Vasatij, Bigerriones & Ausci suas singuli ciuitates habebant, Elusates Elusam, Lactorates Lactoram, Sotiates siue Aturenses Vicum-Iulij, Vasatij Vasatas, Bigerriones Tarbam, Ausci siue Auscij Augustam, alij verò tres populi duabus singuli ciuitatibus decorabantur, Tarbelli Aquis *& Boio, Conuenæ Conuenis & Consorano, Venarni siue Benarni Benecharno seu Benarno & Olorone *. Boius * seu ciuitas Boatium diruta creditur regnante in Nouempopulania Euarige Wisigothorum Rege, Alarici, quem Clodoueus interemit, patre. Ætate igitur Clodouei supererant in Nouempopulania vndecim tantùm ciuitates, eæque suos habebant Episcopos, vt constat ex Agathensis Concilij subscriptionibus, inter quas hæ reperiuntur. *Clarus Episcopus de ciuitate Elusa metropoli subscripsi. Gratianus Episcopus de Aquis subscripsi. Vigilius Episcopus de ciuitate Lactorensi subscripsi. Suauis Episcopus de Conuenis subscripsi. Glycerius in Christi nomine Episcopus Consoranicæ ciuitatis subscripsi. Galactorius Episcopus de Benarno subscripsi. Gratus Episcopus de ciuitate Olorone subscripsi. Nicetius, propitio Deo, Episcopus de Auscius subscripsi. Petrus Presbyter missus à Domino meo Marcello Episcopo de ciuitate Vico-Iuly subscripsi. Polemius Presbyter missus à Domino meo Sextilio Episcopo Vasatis ciuitate subscripsi. Ingenuus Presbyter missus à Domino Apro Episcopo Bigorritanæ ciuitatis subscripsi.* Hos vndecim Episcopos, qui tertio Idus Septembris, anno Christi quingentesimo-sexto, Concilio Agathensi subscripserunt, sub Clodouei etiam Principatu vixisse arbitramur, excepto vno Galactorio Episcopo de Benarno, cuius Martyrium in supplemento Martyrologij Gallicani recolitur sexto Kalendas Augustas, inde enim colligere est sanctissimum Pontificem neci traditum fuisse ab Arianis anno Christi quingentesimo-septimo, cùm Orthodoxi Franci Wisigothos è ciuitate Benarno nondum expulissent. Hodie tot in Nouempopulania sunt Episcopatus quot olim cùm Clodoueus regnabat, non tamen iidem, abolitus est enim Elusanus & erectus Lapurdensis, qui mutato nomine Baionensis nunc appellatur. Caue autem ne Sedem Episcopalem Elusâ Lapurdum translatam putes. Aliter se res habuit. Aquensis Diœcesis diuisa fuit in duas, in Aquensem videlicet & Lapurdensem. Econtrà Diœceses Elusana & Auscientis simul vnitæ sunt post Elusæ destructionem, & Auscitana deinceps aucta fuit titulo Metropoleos. Quibus temporibus ista contigerint, incertum. In catalogo Pontificum Lapurdensium ac Baionensium, qui primo loco recensetur beatus Leo, vixit sub Carolo Simplice, sed admodùm probabile videtur, antequàm Nortmanni Nouempopulaniam vastarent, floruisse Lapurdenses Episcopos, quorum nomina exciderint. Gregorius Turonensis [a], cùm enarrat conditiones pactionis inter Guntchramnum & Childebertum Reges initæ *sub die* IV. *Kal. Decembris, anno vicesimo-sexto regni domni Guntchramni Regis, domni Childeberti verò duodecimo anno*, id est, anno Christi quingentesimo octogesimo-septimo, Lapurdum annumerat inter ciuitates, quæ Childeberto cesserunt. *Pari*, inquit, *conditione ciuitates Meldus, & duas portiones de Siluanectis, Turonus, Pictauus, Abrincatas, Vico-Iuli, Consoranis, Lapurdo & Albige, domnus Childebertus Rex cum terminis à præsenti die suæ vindicet potestati.* Non desunt qui Lapurdum vt ciuitatis titulo sic & Episcopali Sede per illa tempora nobilitatum putent. Senocus, qui Concilio Rhemensi sub Sonnatio anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto interfuit, in Elusanorum Antistitum catalogo postremum locum occupat. Alios, quorum memoria periit, ei suffectos arbitramur, cladem enim Elusanam in posteriora tempora reiiciendam existimamus. Charta Lascurrensis, quam Petrus *de Marca* in Historia Benearnensi [b] publicauit, docet Elusam ciuitatem Metropolitanam vastatam fuisse cum ceteris vndecim Nouempopulaniæ, seu Gasconiæ, vt tunc loquebantur, ciuitatibus à gente Gundalorum, ibique

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

* *Aeqs.*
* *Oloron.*
* *Buchs.*

[a] Lib. 9. c. 10.

[b] Lib. 1. c. 9.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

Gundalorum loco restituenda gens Vandalorum, & per Vandalos intelligendi Nortmanni. Ab annis enim mille & centum, vt Petrus Franciscus Chifletius in Paulino illustrato [a] testatur, apud Scriptores vno Vandalorum nomine veniunt nationes omnes Gothicæ seu Geticæ Borealesque, quarum numero gentem Nortmannorum adscribendam vox ipsa satis probat, nam Nortmannus significat hominem Septemtrionalem, constatque Nortmannos, qui Nouempopulaniam aliasque partes Galliarum magnis cladibus affecerunt, è prouinciis profectos fuisse, quæ Sueciæ Daniæque Regibus hodie subiacent. Chifletius, vt opinionem suam confirmet, præter antiqua Martyrologia & Acta Martyrum, qui per quintum ab Incarnatione Dominica seculum martyrio coronati sunt, citat Hincmarum [b] & Flodoardum [c] Auctores probatissimos, quorum ille eâdem floruit ætate quâ Nortmanni Galliam diripuerunt, hic proximo pòst sæculo. Nortmanni Burdegalam ceperunt incenderúntque anno Christi octingentesimo duodequinquagesimo. Id asserunt Annales Metenses & Chronologia de gestis Nortmannorum in Francia priusquàm Carolus Simplex pacem cum illis sanciret. Euersâ Burdigalâ Nouempopulaniam, quæ contermina erat, bellicus Nortmannorum furor facilè inuasit. Tunc proculdubio contigit clades luctuosissima, quam charta Lascurrensis barbaro stylo sic exponit. *Post obitum B. Galectory Episcopi & Martyris extitit quædam gens Gundalorum, & destruxit omnes ciuitates Gasconiæ, & corpora Sanctorum quæ inuenit destruxit, & subuertit flammis & igne. Has ciuitates, quæ destructæ fuerunt, fuit, Aquis, Lascuris, Oloren. Ecclesia, Tarbæ, ciuitas Auxiensis, ciuitas Elicina Metropolitana, Cosorensi, Conuenasi, Lactoren. Sotiense, Busatense, Laburdensi, & sedes Gasconiæ fuerunt in obliuione multis temporibus, quia nullus Episcopus in eas introiuit.* Diuersis igitur temporibus, Aquitaniæ tertiæ seu Nouempopulaniæ ciuitates & Episcopatus hæ vicissitudines & mutationes exceperunt. Ætate Honorij Augusti, suberant Elusatium Metropoli ciuitates Aquensium, Lactoratium, Conuenarum, Consorannorum, Boatium, Benarnensium, Aturensium, Vasatica, Tarba, Elloronensium & Auscíorum. Sub Principatu Clodouei Regis, Elusano Episcopo Metropolitano subiiciebantur hi decem Episcopi, *Episcopus de Aquis, Episcopus de ciuitate Lactorensi, Episcopus de Conuenis, Episcopus Consoranicæ ciuitatis, Episcopus de Benarno, Episcopus de ciuitate Olorone, Episcopus de Auscíis, Episcopus de ciuitate Vicoiuli, Episcopus de Vasatis ciuitate, Episcopus Bigorritanæ ciuitatis.* Posteà Lapurdensis accessit vndecimus. Denique nono seculo, cùm Sedes Metropolitana translata est Auscios, Episcopi, qui Metropolitano subessent, iterùm redacti sunt ad denarium numerum, quia Elusa Pontificali Cathedrâ deinceps caruit. Nec in ea prouincia plures aliique fuerunt Episcopatus ad hodierna vsque tempora. Auscíensis enim Archiepiscopus hos habet Suffraganeos, Aquensem, Lactoratensem, Conuenensem, Consarannensem, Lascarensem, Adurensem, Vasatensem, Tarbensem, Olorensem & Baionensem.

[a] part. 1. c. 27.

[b] Ep. 1. edit. Mogunt.

[c] Lib. 1. c. 8.

IX. Quæritur ab eruditis, vtrùm Boius seu ciuitas Boatium nobilitata sit aliquando Sede Pontificali, priusquàm diueretur à Wisigothis, aut Aquitaniæ secundæ seu Diœcesi Burdigalensi adiungeretur. Nullus Boatium Episcopus in catalogis inuenitur. Quidam hinc eruunt argumentum, vt ciuitatem Boatium olim Episcopalem fuisse inficientur. At inanis est hæc ratiocinatio, quia pleræque ciuitates Nouempopulaniæ, ante vastationem à Nortmannis illatam, in suorum Antistitum catalogis, eorum duntaxat memoriam seruant, quorum nomina reperiuntur in subscriptionibus Conciliorum quæ extra Nouempopulaniam habita sunt, & in Auctoribus qui procul ab eadem Nouempopulania scripserunt. Testis Conuena, hodie ciuitas Sancti * Bertrandi, cuius Episcopi ante Nortmannorum irruptionem haud alij in catalogis prodeunt, quàm Suauis, qui Concilio Agathensi subscripsit anno Christi quingentesimo-sexto, Præsidius, qui Concilio Aurelianensi secundo subscripsit anno

* *Saint Bertrand de Cominge.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

Christi quingentesimo tricesimo tertio, Amelius qui Concilio Aurelianensi quinto subscripsit anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo, Rufinus qui Concilio Matisconensi subscripsit anno Christi quingentesimo octogesimo quinto, & Abrahamus qui Concilio Narbonensi subscripsit anno Christi septingentesimo duodenonagesimo. Testis Ciuitas Conforannorum hodie * S. Licerij, in Pontificum enim suorum catalogo quatuor tantùm recenset ante aduentum Normannorum, sanctum Valerium, sanctum Glicerium, Theodorum & Francolinum, quorum primus & tertius laudantur à Gregorio Turonensi [a], secundus Concilio Agathensi subscripsit anno Christi quingentesimo sexto, quartus Concilio Narbonensi subscripsit anno septingentesimo octogesimo octauo. Testis Vicus Iulii siue Adurris *, prædecessores enim Gumbaldi Adurensis Episcopi, qui sedebat anno Christi nongentesimo septuagesimo septimo, ne quidem nomine tenus ad nos peruenerunt, si tres excipias; Marcellum, qui Concilio Agathensi subscripsit anno Christi quingentesimo sexto; Rusticum, qui Concilio Matisconensi subscripsit anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto, & ad illum annum à Gregorio Turonensi [b] laudatus reperitur, & Filibaudem sancti Philiberti Patrem, qui vixit sub Dagoberto Rege, & ab antiquo scriptore in ipsius Philiberti vitâ commendatur. Testes Vasatæ *, illius enim Ciuitatis Episcopi, qui floruerunt ante decimum seculum, obliuioni penitus dati sunt, exceptis Sextilio & Oreste, quorum ille Polemium Presbyterum anno Christi quingentesimo sexto ad Synodum Agathensem direxit, & Concilio Aurelianensi primo subscripsit anno Christi quingentesimo vndecimo, hic Concilio Matisconensi subscripsit anno Christi quingentesimo octogesimo quinto, & ad eundem annum Childeberti Regis decimum, Guntchramni Regis vicesimum-quartum nominatur à Gregorio Turonensi [c]. Testis & Oloro, illius enim Ciuitatis tres antiquissimi Pontifices, quorum nomina supersunt, hoc enumerantur ordine, Gratus qui Concilio Agathensi subscripsit anno Christi quingentesimo sexto, Licerius seu Lucerius qui Conciliis Parisiensi anno Christi quingentesimo septuagesimo tertio, & Matisconensi anno Christi quingentesimo octogesimo quinto interfuit, Raimundus qui Præsulatum circa annum Christi millesimum quadragesimum gessit.

[a] De glor. Conf. c. 84.

* *Aire.*

[b] Lib. 7. c. 31.

* *Basas.*

[c] Lib. 7. c. 31. lib. 8. c. 20.

X.

Vt arbitramur Boium seu Ciuitatem Boatium, priusquàm ab Euarige Wisigothorum Rege destrueretur, olim Episcopalem fuisse, sic eos damnamus, qui veterem Boium cum hodiernâ Baionâ confundunt, & à Boio deductum putant Boionæ vocabulum, quod posterioribus temporibus in mitiorem Baionæ vocem abierit. Boatium Ciuitate solo æquatâ, Episcopatus Burdigalensis, qui conterminus erat, auctus est agro Boatium, itaut Episcopatu Boatium penitùs extincto ambæ diœceses, quæ duobus anteà distinctis Pontificibus subiiciebantur, vni Burdigalensi eique Metropolitano Aquitaniæ secundæ deinceps subiacuerint. Quapropter in capitulatione de nominibus regionum Galliæ, quam Duchesnius [d] edidit, hæc habentur de Ciuitate Boatium in Prouinciâ Nouempopulanâ. *Ciuitas Boasium, quod est Boium in Burdigalensi*, vbi postrema duo verba, *in Burdigalensi*, glossema sunt amanuensis, qui statum sui temporis ob oculos exhibere voluit. Aquensis Episcopatus, qui latissimè patebat, diuisus fuit in duos, in Aquensem penes quem pars Borealior, & in Lapurdensem penes quem pars Australior remansit, eâque partitione semel initâ Episcopatus Aquensis, quà pertingit Oceanum, medius etiamnum est inter Episcopatum Lapurdensem seu Baionensem & partem illam Archiepiscopatus Burdigalensis quæ antiquum Boatium Episcopatum olim componebat. Ciuitas igitur Boatium procul aberat Lapurdo seu Baionâ, nec ex Episcopatu Boatium factus est Lapurdensis, qui Lapurdi nomine in Baionam mutato Baionensis hodie nuncupatur. Baiona vocatur ab indigenis quasi *Bata ona*, id est portus bonus, nec vnquam Boiona, quicquid dicat Vinetus, appellata est. Baiona non est vox antiqua, medio

[d] Tom. 1. collect. Hist. Franc.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

circiter duodecimo seculo cœpit vsurpari. Ætatem illam qui antecesserunt istius Ciuitatis aut Antistites aut Vicecomites, à Lapurdo constantissimè Lapurdenses sunt cognominati, posteà verò vtrique promiscuè nominati sunt & à Lapurdo Lapurdenses & à Baionâ Baionenses, lapsu temporis prævaluit tandem nomen Baionæ *, sic tamen vt Baionensis titulus solis Episcopis adscribatur, nam vicinum Baionæ territorium ager Lapurdensis & Vicecomitatus Lapurdensis hodiéque vocitatur. Non possumus iis assentiri, qui vocem *Labourd*, quæ agro & Vicecomitatui prædictis attribuitur, non deriuant ab antiquo Lapurdo, quod in priscis Auctoribus deprehenditur, sed à vulgari vocabulo *Lapurra* quod in illâ regione locum desertum & prædonibus expositum sonat.

* *Bayonne.*

XI.

FINES NOVEMPOPVL. VERSVS AVSTRVM.

Aquensis Episcopatus, cùm ad Clodouei ditiones accessit, versùs Austrum iisdem quibus Nouempopulania finibus circumscribebatur. Lapurdensis Episcopatus haud alios habuit limites, complexus est enim meridionalem partem Aquensis Diœceseos. Itaque studiosè inquirendum, quis ille fuerit Nouempopulaniæ terminus. Apud Plinium [a] *Pyrenæi montes Hispanias Galliasque disterminant, promontoriis in duo diuersa maria proiectis.* Promontorium, quod Oceanum in confinio Galliarum & Hispaniarum pertingit, apud Ptolemæum [b] Oeaso vocatur, & hoc nomen non tantùm promontorio sed etiam vicinæ tribuitur vrbi, quam Petrus *de Marca* in Historiâ [c] Benearnensi hodiernum sancti Sebastiani fanum interpretatur. Fines Lapurdensis Episcopatus illuc vsque porrectos testabatur Arsius Episcopus Lapurdensis, cum hanc descriptionem suæ Diœceseos inibat anno Christi nongentesimo octogesimo. *Omnis vallis quæ Cirsia dicitur vsque Caroli Crucem, vallis quæ dicitur Bigur, vallis quæ Erberua dicitur, vallis quæ Vrsazia dicitur, Batzen item vallem vsque in medio portu Belat, vallem quæ dicitur Larin, terram quæ dicitur Ernania, & sanctum Sebastianum de Pusico, vsque ad sanctam Mariam de Aroslh & vsque ad sanctam Trianam.* Chartam integram primus publicauit Arnaldus Oihenartus [d] in Notitiâ vtriusque Vasconiæ, tum Ibericæ, tum Aquitanicæ. Eandem tursùm protulit Petrus *de Marca* inter probationes quibus Historiam Benearnensem [e] illustrauit. Vtramque editionem si conferas, obseruabis leuem admodum in vocibus discrepantiam. Illic Cirsia scribitur, hic Citsia; illic Vrsazia, hic Vrsaxia; illic Bazten, hic Bastan. Ab Arsij Lapurdensis Episcopi sententiâ Celestinus [f] Tertius Papa non recessit in suo rescripto, cùm intra Lapurdensis Diœceseos ambitum anno Christi millesimo centesimo nonagesimo quarto complexus est *vallem quæ dicitur Laburdi, vallem quæ dicitur Arberoa, vallem quæ dicitur Orsais, vallem quæ dicitur Cizia, vallem quæ dicitur Baigur, vallem quæ dicitur Bastan, vallem quæ dicitur Lerin, vallem quæ dicitur Lesseca, vallem quæ dicitur Oiarzu vsque ad S. Sebastianum.* Præterea vallem, quæ Batzen & Bastan suprà nuncupata est, aliasque citeriores, quarum mentionem ex Arsio Lapurdensi Episcopo & ex Celestino Papâ fecimus, adscripsit Galliæ sanctus Eulogius Auctor longè antiquior. In literis enim ad Willesindum Ecclesiæ Pampilonensis Episcopum, quæ datæ reperiuntur *septimo Calendas Decembris, Erâ octingentesimâ octuagesimâ nonâ*, id est anno post Christum natum octingentesimo quinquagesimo primo, siue integro ante Arsij Præsulatum seculo, laudauit monasterium sancti Zachariæ *situm ad radices montium Pyrenæorum, in Galliæ portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim & Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur.* Fontes autem Aragi, siue Argæ vt moderni vocant, ex illis oriuntur montibus, qui Vastanensi pago seu valli quæ *Bastan* ab Arsio & Celestino præcitatis appellatur, Hispaniam versùs proximè succedunt. Portariis apud Eulogium & portubus hodie apud indigenas eadem significatio est, vtrumque vocabulum fauces & angustias montium significat, ideóque Arsius Episcopus ipsum Galliarum & Hispaniarum limitem *in medio portu Belat* vltra vallem Vastanensem constituit. Prolixiori sermone non est opus, vt Hispaniam versùs æquis certisque

[a] Lib. 3. c. 3.

[b] Lib. 2. c. 7.

[c] Lib. 1. c. 4.

[d] Lib. 3. c. 4.

[e] Lib. 1. c. 8.

[f] Ap. Petr. de Marca in Hist. Benarn. lib. 1. cap. 8.

circumscribantur terminis cùm victoriæ Clodouei tum Nouempopulania, necnon antiquus Episcopatus Aquensis, & qui diuisus ab eo fuit Lapurdensis seu Baionensis.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27. XII.

Francicarum ditionum non iidem semper qui victoriarum Clodoueanarum veterisque Nouempopulaniæ fines extiterunt. Nam Reges primùm Nauarræ magnam Lapurdensis Episcopatus partem occuparunt, deinde à Regibus Castellæ bellis acerrimis iisque diuturnis impetiti sunt. De pace tandem inter vtrosque conuenit, Castellæ regno vsque ad Vedasum amnem propagato, Nauarræis enim cedentibus Castellani retinuerunt tractum illum hodiernæ Ipuscoæ, *qui à fano sancti Sebastiani*, vt Oihenarti [a] verbis vtar, *Lapurdum vsque*, id est, vsque ad hodiernum pagum seu Vicecomitatum Lapurdensem *excurrit*. Spatium terrarum, quod à fano sancti Sebastiani ad Vedasum vsque amnem protenditur, tractum vocamus hodiernæ Ipuscoæ, quoniam Ipuscoa hodie Deuâ & Vedaso fluuiis includitur, olim verò cis amnem Vrumeam, qui prope oppidum Sancti Sebastiani in Oceanum egeritur, haud dilatabatur, vt veteres tabulæ, quas *Voti sancti Æmiliani vocant*, Ferdinando Gundissalui Castellæ Comiti apud Sandoullum in Commentario [b] rerum Monasterij Sancti Æmiliani adscriptæ docent his verbis. *De riuo de Galharraga vsque in flumen Deua, id est, tota Viscaya; & de ipsa Deua vsque ad S. Sebastianum, id est, tota Ipuscoa.* Similiter spatium terrarum, quod Baionam vrbem Vedasumque amnem interiacet, hodiernum appellamus pagum seu Vicecomitatum Lapurdensem, quia Vicecomitatus Lapurdensis, qui Vedaso fluuio nunc clauditur, antiquitùs trans Vedasum longè producebatur. In Annalibus enim Rogeri *de Houeden* protenditur vsque ad portum *Huars*, vel *Huuiars* dictum, incolis nunc *Oiharzun*, ideóque apud Oihenartum [c], qui prædictum Rogerum citat, Vidassonem amnem, Fontarrabiam oppidum, necnon vicum illum cui nomen *Irun Vrancu*, meritò complectitur, imò apud eundem Oihenartum [d] iisdem quibus Lapurdensis Episcopatus terminis circumscribendus videtur. Nec angustioribus arctatur limitibus apud Petrum *de Marca*, in Historia [e] Benarnensi, agrum enim Hernanensem includit, quem intersecat Vrumea priusquàm ad oppidum Sancti Sebastiani deuoluatur. Obseruat Oihenartus [f] forenses formulas & tabulas publicas in illa Baionensis Episcopatus parte, quam Nauarræ Castellæque Reges inter se diuiserunt, ante quadringentos annos non Hispanicâ sed Gasconicâ linguâ scribi consueuisse. Mos huiusce modi, quia regionem istam à Gasconia, quæ Francici regni pars erat, auulsam indicabat, abolitus est à Nauarræ Castellæque Regibus, statim ac per eos id fieri potuit. Hæc mutatio, cùm res ciuiles tota spectaret, non imminuit Ecclesiasticam iurisdictionem Episcoporum Lapurdensium seu Baionensium, quorum Diœcesis per tria regna, Franciæ videlicet Nauarræ & Castellæ, deinceps dilatata est. Lege decretum Synodi [g] Constantiensis * super redintegratione Baionensis Ecclesiæ, datum pridie Kalendas Aprilis, anno Christi millesimo quadringentesimo decimo-septimo, ibi enim notantur *emolumenta ad capitularem mensam dictæ* Baionensis *Ecclesiæ pertinentia, in Castellæ & Nauarræ regnis existentia.* Rursùm anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo, tractus Diœceseos Baionensis, qui Regno Nauarræ tunc accensebatur, aliam vicissitudinem expertus est, pars enim illius ac tota penè Nauarra occupata est à Ferdinando Arragonum Rege. Quadripertitus hinc cœpit esse Baionensis Episcopatus, vt pote qui per quatuor Regum ditiones extendebatur. Ludouico XII. Francorum Regi parebat Baiona vrbs primaria totius Episcopatus, & Pontificiâ Sede nobilis, vallisque, quæ Laburdi dicitur Celestino Papæ, pars non mediocris, id est, ager Baionæ vicinus, qui Lapurdensis pagi seu Vicecomitatus nomen cis Vedasum huc vsque retinuit. Penes Catharinam Nauarræ Reginam erat inferior Nauarra, in qua sitæ sunt quatuor hæ valles, *Cirsia, Bigur, Erberna & Vrsazia*, à quibus descri-

[a] Lib. 3. c. 4.
[b] Patag. 35.
[c] Lib. 2. c. 8.
[d] Lib. 3. c. 4.
[e] Lib. 1. c. 4.
[f] Lib. 3. c. 4.
[g] Sess. 11. * *Constance.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

ptionem suæ Diœceseos Arsius Lapurdensis Antistes inchoauit. Vallis, quæ iuxta exemplorum diuersitatem ab Arsio Episcopo Cirsia & Citsia, à Celestino Papa Cizia nuncupatur, Oihenarto [a] ditio est Cisana, indigenis *Garaci*, celebrémque olim limitem nacta est Crucem Caroli, *vbi nunc Sacellum Sancti Saluatoris ad Yuainetam in summo Pyreneo*. Præter vallem, cui nomen Cizia, in ea inferioris Nauarræ parte, quæ Cisana * cognominatur, includitur Vicecomitatus Baigorritanus, qui duas leucas in longum patet, sexque vicos agrestes amplectitur, vt in Historia Benearnensi [b] docet Petrus *de Marca*. Baigorria, incolis *Baigorri*, vnde Vicecomitum Baigorritanorum nomen, decem tantùm leucis Vasconicis Pampelone distat, teste Oihenarto [c]. Vocatur & variis nominibus, quæ partim apud eundem Auctorem, partim apud alios iam laudatos reperias, *Baigurria*, *Beygur*, *Bigur*, *Baiguer*, *Baigur*, *& Baiguer*. Vallis, quam Arsius Episcopus Erberuam, Arberoam Celestinus Papa nominat, nomen fecit Vicecomitatui * Arberoano, quem vnà cum Baigorritano in Nauarra inferiore Oihenartus [d] collocauit. Vallis, quæ Arsio Vrsazia est & Vrsaxia, Celestino & indigenis *Orsais*, pertinet ad eandem inferiorem Nauarram, alluitúrque Niuo * infra oppidum totius prouinciæ primarium, quod fanum Sancti Ioannis * Pedeportuensis appellant. Apud Arsium post quatuor prædictas valles, Cirsiam, Baiguriam, Erberuam & Vrzasiam, quæ sitæ sunt in Nauarra inferiore, sempérque paruerunt Catharinæ Nauarrorum Reginæ, sequuntur aliæ duæ, *Batzen* seu *Bastan*, & *Larin* seu *Lerin*, quas Ferdinandus Arragonum Rex in suam potestatem redegit cum valle Lessaca, quæ memoratur in rescripto Celestini Papæ, rigatúrque Vedaso, qui teste Oihenarto [e] per agrum Vastanensem labitur. Idem Auctor [f] valles, quas Ferdinandus Arragoniæ Rex in Diœcesi Baionensi tenuit, ponit in Nauarra Iberica, id est, in ea Nauarræ parte, quæ Regibus Hispaniarum deinceps morem gessit, & *Iberica*, siue Hispanica vocatur, vt distinguatur ab altera Nauarræ parte, quæ Catharinæ Reginæ legitimisque eius hæredibus huc vsque obtemperauit, & Francica meritò nuncupari potest, quia LVDOVICO XIV. Christianissimo Francorum Regi patet, ad quem hæreditario iure deuoluta est. Denique Ioanna Castellæ Regina possidebat reliquas ditiones in Baionensi Episcopatu sitas, *terram* videlicet *quæ dicitur Ernania, & Sanctum Sebastianum de Pusco vsque ad Sanctam Mariam de Arosth, & vsque ad Sanctam Trianam*, vt Arsius Episcopus loquitur, seu *vallem quæ dicitur Oiarzu vsque ad Sanctum Sebastianum*, vt ait Celestinus Papa, hoc est, partem illam Baionensis Episcopatus trans Vedasum, quæ Guipuscoæ tunc attribuebatur atque etiamnum attribuitur. Breuiter autem ac commodè iuxta præsentem rerum statum sic distingui possunt quatuor partes Diœceseos Baionensis, quæ dominationi totidem Regum obnoxiæ fuerunt, postquàm Ferdinandus Arragoniæ Rex Catharinam Nauarræ Reginam maximâ regni parte spoliauit. Ludouicus XII. Francorum Rex partem obtinuit quæ sita est in Regno Franciæ, Catharina Nauarræ Regina partem quæ sita est in Nauarra Francica, Ferdinandus II. Arragoniæ Rex partem quæ sita est in Nauarra Iberica, Ioanna Castellæ Regina partem quæ sita est in Guipuscoa. Hispani plerisque nominibus à vocali incipientibus adiicere solent literas *g* & *u*, dicunt enim *gueuo* pro ouo, *guerta* pro horto, *guessa* pro osse, *Guesca* pro Osca ciuitate, sic iis est Guipuscoa quæ vocatur in antiquis monumentis Ipuscoa. A Deua fluuio vsque ad oppidum Sancti Sebastiani, vt probatum est suprà, vetus Ipuscoa porrigebatur, hodierna verò Guipuscoa latiùs ab eodem Deua protenditur vsque ad Vedasum * amnem, qui lapsus è Nauarræ montibus intersecat partem illam Baionensis Episcopatus, quæ spectat ad Nauarram Ibericam, deinde egressus ex ea prouincia, donec Oceano misceatur, Vicecomitatum Lapurdensem à Guipuscoa, seu ditiones Francicas à Castellanis disterminat. Inter Deuam & Vedasum medij sunt amnes quatuor non ignobiles, Vrola, Oria, Vrumea,

[a] Lib. 3. c. 4.
* *Le cartier de Sise.*
[b] Lib. 1. c. 12. lib. 3. c. 1.
[c] Lib. 2. c. 12.
* *La Vallée & Vicomté d'Arberoue.*
[d] Lib. 1. c. 4.
* *Le Nive.*
* *Saint Iean pied de port.*
[e] Lib. 1. c. 8.
[f] Lib. 3. c. 4.
* *La Bidoſe.*

& Oiarçunis. Postremus hic nomen accepit ab Oiarçuno * vico cognomine, descendit è montibus Nauarræ, secat vallem Oiarçunensem, seque in Oceanum effundit haud procul à portu Passagio *, cui imminet vicus *Leço*, vnde & idem amnis *rio de Leço* communiùs à Guipuscoatibus appellatur. Celestinus Papa Diœcesim Baionensem per vallem Oiarçunensem, quam Oiarçunis alluit, dilatat *vsque ad sanctum Sebastianum*, id est vsque ad oppidum, cui nomen sancti Sebastiani impositum est ad sinistram Vrumeæ in Oceanum influentis ripam. Vrumea prorumpit è montibus Nauarræ, currítque per agrum Hernanienſem priusquàm ad vrbem sancti Sebastiani deuoluatur. Arsius Episcopus intra Lapurdensis Episcopatus ambitum complectitur *terram quæ dicitur Ernania, & sanctum Sebastianum de Pusico, vsque ad sanctam Mariam de Arosth & vsque ad sanctam Trianam*. Hinc colligimus fines Episcopatus Baionensis vltra Vrumeam fuisse propagatos. Hernania * enim, quæ pago Hernanienſi nomen dedit, & oppidum sancti Sebastiani, loca sunt ad lævam Vrumeæ ripam sita. Oihenartus [a] *Sanctam Trianam* interpretatur sanctum Adrianum, limitesque Diœceseos Baionensis extendit vsque ad editum montem, qui nomine sancti Adriani notissimus est, & vsque ad Vrolam amnem, cuius ripæ proximam ait *sanctam Mariam de Arosth*, quia vox illa *Arosth* non longè abit ab Vrostilâ, quæ parum ab Vrolâ & Azpeytiâ vrbe distat. Ab huiusmodi explicationibus super *Sanctâ Trianâ* & *Sanctâ Mariâ de Arosth* abstinet Petrus *de Marca*, nec facilè quis credet limites Baionensis Episcopatus ad Vrolam vsque dilatatos fuisse, cùm inter amnes Vrolam & Vrumeam cui vicus Hernania & oppidum sancti Sebastiani de Ipuscoa siue de Ipusco, corruptè per transpositionem literæ de Pusico, adiacent, medius occurrat Oria vtroque maior. Carolus Quintus Imperator, Ioannæ Castellanorum Reginæ filius, & Ferdinandi Arragonum Regis ex eâdem Ioannâ filiâ nepos, sub suâ tenuit potestate partes Diœceseos Baionensis in Guipuscoâ & in Nauarrâ Ibericâ sitas, easque filio suo Philippo Hispaniarum Regi, huius nominis secundo, transmisit. Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Philippus, ex occasione grassantis in Gallià hæreseos, per Ducem * Albanum à Carolo IX. Francorum Rege postulauit, vt regio edicto conueniendi ad conciones libertas in vrbibus limitaneis reuocaretur, ne malum contagione in vicinas prouincias serperet, & commoditate ob proximitatem illecti plerique ex alterâ ditione in alteram migrarent, cúmque id obtinere non potuisset, egit apud Summum Pontificem, *vt Vipuscoa & Biscaia, quæ Baionæ Episcopo subserant, ab eius potestate ac Diœcesi diuellerentur*. Verba sunt Thuani [b], qui *Vipuscoam* vsurpat pro parte Guipuscoæ, & per Biscaiam intelligit antiquæ Vascitaniæ seu citerioris Vasconiæ partem, quæ Vastanensem pagum apud Oihenartum [c] complectitur. Hic Auctor allegato Thuano hanc obseruationem proximè subiungit. *Hoc tamen Pompelonensi Episcopo non purè aut decretoriè, sed tantùm fiduciario iure à Pontifice attributum, tantisper dum grassantis in Gallià tunc hæresis lues cessaret, declarant ipsa rescripti Pontificij tabulæ*. Post illa tempora, vt lectâ Historiâ [d] Benearnensi, habitoque nuper super eâ re colloquio cum Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino Ioanne *Dolce* Episcopo Baionensi didicimus, Episcopi Canonicique Baionenses non destiterunt frui liberè suis vltra Vedasum possessionibus ac reditibus sub Catholicis Hispaniarum Regibus, Philippis, Secundo, Tertio & Quarto, quandiu pax inter Francos Hispanosque viguit. Quæ res indicio etiam est spatium illud terrarum, vt intra limites Episcopatus Baionensis, sic & intra Nouempopulaniæ Franciæque fines olim fuisse, licet partim Nauarræ, partim Castellæ nunc accenseatur. De limitibus Nouempopulaniæ, quam Clodoueus integram subegit, prolixiorem hîc sermonem non faciemus, illius prouinciæ vicissitudines, quæ plurimæ fuerunt, suis locis exposituri.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

* Oyarçon.

* Le Passage.

* Hernani.

[a] Lib. 2. c. 8.

* Le Duc d'Albe.

[b] Lib. 56.

[c] Lib. 3. c. 4.

[d] Petr. de Marca lib. 1. c. 4.

XIII. EPISCOPI PROVINCIÆ NARBONENS.

Vetus prouinciarum ac ciuitatum Galliæ notitia collocat in Prouincia Narbonensi prima Metropolim ciuitatem Narbonensium & ciuitates Tolo-

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

satium, Beterrensium *, Nemausensium * & Luteuensium * cum Castro * Vcecienſi, quòd paulò pòst in ciuitatem excreuit. Clodoueus in illâ prouinciâ duas tantùm ciuitates, Tolosam videlicet & Vceciam expugnauit. Heraclianus Episcopus Tolosanus & Probatius Episcopus Vcecienſis Agathensi Concilio subscripserunt anno Christi quingentesimo sexto. Tunc Episcopatus Tolosanus amplissimè patebat, ex eo enim vno sex posteà distracti sunt, Apamiensis *, Mirapicensis *, Vaurensis *, Riuensis *, Lomberiensis *, & sancti * Papuli, qui Tolosano Metropolitano nunc subsunt cum Episcopatu Montis * Albani qui diuisus fuit à Cadurcino. Cùm igitur Clodoueus legitur Cadurcum in Aquitaniâ primâ, & Tolosam in prouinciâ Narbonensi primâ cepisse, censendus est in suam redegisse potestatem, quicquid Archiepiscopatu Tolosano eiusque suffraganeis Episcopatibus hodie comprehenditur.

* *Bezier's.*
* *Nismes.*
* *Lodeue.*
* *Vsez.*
* *Pamiers.*
* *Mirepoix.*
* *Lauaur.*
* *Rieux.*
* *Lombez.*
* *S. Papoul.*
* *Montauban.*

XIV. MARTYRIVM S. GALACTORII ET. DE BENARNO.

Martyrium beati Galactorij Episcopi de Benarno recolitur sexto Kalendas Augusti. Petrus *de Marca* in Historiâ Benearnensi [a] Auctor est Galactorium copiis aliquot in aciem eductis contra Wisigothos strenuè pugnasse, cùmque aduentanti Francorum exercitui se adiungere pararet, prope Oceanum in prælio captum ac posteà trucidatum ab Arianis fuisse in odium religionis Catholicæ cui nuncium remittere noluit. Apud Arnaldum Oihenartum in catalogo Benearnensium Antistitum ponuntur, primo loco beatus Galactorius Martyr, secundo Sauinus, quorum ille Concilio Agathensi subscripsit anno Christi quingentesimo sexto, hic anno Christi quingentesimo octogesimo quinto interfuit Concilio Matisconensi secundo, desiderantur igitur nomina Pontificum, qui Benearnensem Episcopatum sub Clodoueo & eius liberis administrarunt Ciuitas Benarnensium seu Benearnensium, cui nomen Benarnus in notitiâ cùm Imperij Romani tum Galliarum & apud Gregorium Turonensem [b], euersa fuit à Nortmannis, qui Burdegalam ceperunt anno Christi octingentesimo duodequinquagesimo, atque inde in Nouempopulaniam effusi pleraſque ciuitates illius prouinciæ deuastarunt. In eodem loco, vbi vetus quondam Benarnus steterat, nouam ciuitatem condiderunt Duces Gasconiæ Willelmus Sancij, cuius memoria in Historiis extat ab anno Christi nongentesimo sexagesimo primo ad annum vsque nongentesimum octogesimum, eiusque liberi Guillelmus, Bernardus & Sanctius, quorum postremus, cùm sedem Episcopalem post diuturnum interpontificium ibidem restituendam curasset, obiit anno Christi circiter triceſimo supra milleſimum. At hæc noua ciuitas non Benarnus vt olim sed Lascurris, vulgò *Lascourre* dicta est, & Episcopi non Benarnenses aut Benearnenses vel de Benarno vt aliàs sed Lascurrenses sunt appellati. Vox vernacula *Lascourre*, ex quâ Latinè facta est Lascurris, locum significat, per quem aquæ è vicinis fontibus emissæ & intra ripas nondum coercitæ fluunt incerto cursu, & vrbi de quâ loquimur optimè imposita est, in eâ enim fontes erant variique fluxus aquarum, quos incolæ vocitabant *les Escourres*. Lapsu temporis, *Lascourre*, quod Ciuitatis nomen erat, vsurpari desiit, eóque obsoleto pronuntiatum est *Lascar* & *Lescar*, eademque Ciuitas ab iis qui Latinè loquebantur non amplius dicta est Lascurris sed Lascaria. Quamuis autem Lascariæ nomen in vsu iam esset, Episcopi priorem titulum diu retinuerunt, seque Lascurrentes scripserunt non Lascarienses, donec Ioannes Saletanus *, qui Pontificatum ab anno Christi milleſimo sexcenteſimo nono ad annum Christi milleſimum sexcenteſimum triceſimum secundum tenuit, in suis diplomatibus Episcopum Lascarienſem se dixit. Prouincia verò, in quâ Ciuitates Episcopales Lascaria & Oloro sitæ sunt, antiquissimum nomen seruauit, & à Benarno Ciuitate Populoque Benarnensi seu Benearnensi Benearnia * hodieque nuncupatur. Hæc de nominibus, quibus primaria Benearnensium Ciuitas effertur, obseruanda duximus, quia pro differentiâ temporum vt in Auctoribus quos legimus varias appellationes sortita est, sic & in nostris Annalibus sortietur.

[a] Lib. 1. c. 15.

[b] Lib. 9. c. 20.

VARIA NOMINA BENARNI.

* *De Saletes.*

* *Le Bearn.*

Eadem

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

Eadem quoque ratio nos hortatur, vt si quæ præterea ciuitates in Nouempopulania binomines aut trinomines extiterunt, diuersas earum nuncupationes exponamus. Ciuitas Conuenarum apud Ptolemæum & in Itinerario Antonini vocatur Lugdunum, à Gregorio Turonensi [a] Conuenæ, à quibusdam Conuena, hodie ciuitas est sancti Bertrandi, nomen enim accepit à sancto Bertrando Episcopo qui florebat exeunte vndecimo seculo incunteque duodecimo, à Conuenis autem & à Conuenâ dictus est hactenus Episcopus Conuenarum aut Conuenensis. Ciuitas Aturensium, Sotia primùm, quia Sotiatium Ciuitas erat, deinde à Romanis Vicus Iulij, postremò ab amne Aturo * siue Atyro Aturis & Atyris vulgò *Ayre* nuncupata est, necnon Aturris, Atyrris, Adurris & Aduris, quia prædictus fluuius non rarò scribitur cum duplici *r*, & posterioribus seculis *t* abiit in *d*, quapropter Episcopi, qui primùm Vicoiulienses, posteà Aturrenses, Aturenses, Atyrrenses & Atyrenses, hodie Adurenses & Adurrenses appellantur. Ciuitas Vasatica, olim Cossio, tum Vasatæ, vnde Vasatenses Episcopi. Ciuitas Bigerrionum seu Bigerronum, aut Begerrorum seu Bigerrorum, Tarba, corruptè Tursambica, Tralugorra, Tursa, Turba, necnon Trauia, rectè verò apud Gregorium [b] Turonensem Begorra, quia ibi castrum Bigorra, vnde olim Bigorritani, Begorretani & Bigerrici, qui nunc Tarbenses Episcopi. Ciuitas Elloronensium apud antiquos Auctores Iluro, Ilurona, Elloro, Elaronna, Elarona, communiùs Oloro, rarissimè Olero, vnde Episcopi Elloronenses, Loronenses, Elorenses, Ellorenses, Holornenses, vulgariùs Oloronenses, donec per syncopen Olorenses dici maluerunt. Ciuitas Auscíorum, olim Augusta Auscorum & Auscíorum, posteà Auscí & Auscij, nouissimè Auxi; ab Auscis & Auscíis Episcopus Auscensis & Auscíensis, ab Auxis Auxitanus.

[a] Lib. 7. capp. 34. 36.

* *L'Adour.*

[b] Lib. 9. c. 20.

XV. ET ALIARVM CIVITATVM NOVEMPOP.

Præ ceteris Episcopis, qui sub Clodoueo Ligerim inter ac Pirenæos montes degerunt, insignes sanctitate fulserunt Quintianus Episcopus Rutenensis, cuius nomen relatum est in tabulas Ecclesiasticas decimo-octauo Kalendas Iulias, & Glycerius Consueranorum Antistes ac patronus qui signis innumeris diù post obitum coruscauit, vt Saussaius in martyrologio Gallicano scribit septimo Idus Augusti. Inter vtrumque singularis intercedebat amicitia, vt colligitur ex sancti Glycerij seu Licerij vitâ, cuius fragmentum ex antiquo Codice cœnobij Mossiacensis accipe. *Licerius Spanus confugit ad virum beatissimum miraculis præditum, Traiæ * ciuitatis Episcopum Faustum. Mox eius obsequiò se familiariter tradidit edocendum. Sanctissimum Faustum pro causâ Christi miserunt in exilium in ciuitate vico Iulio.* Licerius * Fausto ad sedem reuerso semper adhæsit, eóque mortuo se recepit *apud virum Apostolicum Quintianum Rotenica ciuitatis Episcopum, in eius seruitio ordinatur Subdiaconus, & Diaconus & Presbyter, & Episcopus Conscranis Ecclesia est directus, quia quamuis ab illo non videbatur competere Sacerdos fuisset ordinatus, attamen à cunctis est libenter exceptus. Quis enim de eius electione potuit dubitare, cui tantùm gloria quotidie crescebat. Quadraginta & quatuor annos Pontificali honore implcuit.* Hæc sufficient ad corrigendos quamplurimos authores, quorum alij Sanctum Licerium beato Fausto in Episcopatu Tarbensi seu Bigorritano subrogant, alij Licerium à Glycerio distinguunt, & Glycerium Clodoueo Regi, Licerium Carolo Martello coæuum tradunt. Prætereà cùm beatus Licerius, quem sanctus Quintianus Episcopum ordinauit, annos quatuor & quadraginta sederit, eidem beato Quintiano diù superstes proculdubio vixit, immediatéque præcessit in Pontificatu Theodorum illum, qui anno Christi quingentesimo quadragesimo nono per Eleutherium Archidiaconum Concilio Aurelianensi quinto subscripsit, ideóque Theodori non successor vt Saussaius asserit, sed antecessor dici debet.

XVI. SS. QVINTIANVS ET GLYCERIVS EPISCOPI.

* *Tarbe.*

* *Lizier.*

XVII. COMMENTVM DE TROIANO EP. INCVLSVM. REFELLITVR.

Vidimus antiquum Breuiarium Ecclesiæ Sanctonensis, in quo hæc legebantur de Troiano illius ciuitatis Episcopo. *Cùm Clodoueus Rex Francorum è Gothorum strage victor Angolismam rediret, per noctem dormiens visus est videre*

ANNVS Christi. 568. CLODOVEI R. 27.

Troianum Antistitem sibi obuiam procedere, moxque illucescente die ad eum salutandum veniens Troianus à Rege audiuit. Tu es Antistes is dignissimus quem ego hac nocte vidi. Cùm coram Rege prosternere se reuerentiæ gratiâ vellet Troianus, illud non sustinuit Rex, inquiens non licere se à tam cruentâ strage redeuntem à tanto venerari Antistite, rogauitque eum, vt pro suâ salute ad Deum preces funderet. Sed illa stare non possunt cum rectâ Chronologiâ, quia Petrus Episcopus Sanctonicus Concilio Aurelianensi primo subscripsit anno Christi quingentesimo vndecimo, & literæ reperiuntur [a] à Troiano datæ ad Eumerium Episcopum Namnetensem, cuius præcessor Marsus in viuis adhuc erat anno Christi quingentesimo vicesimo nono, cùm Albinus Abbas Pontificatum Andegauensem iniit. Ad verum propiùs accedunt quæ de cathedrali Ecclesiâ Engolismensi & de Clodoueo Rege scribit Ademarus. *Ecclesiam*, inquit, *sedis Episcopalis Chlodoueus Rex à nouo inchoari iussit destructâ sede priori, quam Gothi Arrianâ maculatione fœdauerant.*

[a] Tom. 1. conc. Gall.

CLODOVEVS ÆDIFICAT ECCLES. INCVLISM.

XVIII. LEOBINVS ADOLESCENS.

Illis diebus in agro Pictauiensi degebat Leobinus adolescens, nobili loco natus, qui tanto discendarum scientiarum desiderio tenebatur, vt si quid otij post operam agriculturæ nauatam supererat, illud totum legendis libris impenderet. Agros colendo vt parentibus obediret, insignem monachum; scripturarum lectioni vacando vt aliquando ceteros erudire posset, illustrem Episcopum in tenerâ ætate iam præse ferebat. Vtrumque, quo flagrabat, studium ita pridem interpretatus est antiquus Auctor vitæ, quem sæpiùs ex editionibus Duchesnianâ & Labbeanâ citabimus.

XIX. MONAST. PICTAVENS.

In diœcesi Pictauensi quatuor erant celebria virorum monasteria, cœnobium sancti Hilarij, cœnobium Enixionense siue Henssionense, cœnobium Lucionense, & cœnobium sancti Maxentij.

XX. S. HILARII.

Sancti Hilarij monasterio, quod in suburbano Pictauensi situm erat, tunc præerat beatus Fridolinus de quo plura inferiùs.

XXI. HENSIONENS.

Monasterium Enixionense siue Henssionense, quod hodie sancti Iouini * de Marnis dicitur, regebat Generosus Abbas, cuius iam meminimus ante sexennium. Colitur sanctus Generosus sexto Idus Iulias, quo die in notis ad Litanias Pictonicas ab Henrico Ludouico *de la Rochepozay* Pictauorum Episcopo sic commendatur. *Generosus Romanus, Henssionensis cœnoby Monachus, eidem, defuncto Lemiegisilo Abbate, præfectus est, Ansoaldi Pictauorum Antistitis tempestate emicuit, eiusque nomini Ecclesia Prioratus & Paræciæ titulo insignita in Diœcesi Pictauensi dicata est.* Et apud Saussaium in excerpto è sacris Pictauiensis Ecclesiæ monimentis idem Generosus obiisse fertur *reparatæ salutis anno sexcentesimo vigesimo primo.* Sed nec annus Christi sexcentesimus vigesimus primus conuenit cum Ansoaldo Pictauorum Episcopo, cuius iussu Vrsinus vitam beati Leodegarij Augustodunensis Antistitis conscripsit, nec Generosus annum Christi sexcentesimum vicesimum primum aut Ansoaldi Pontificatum attigit, erat enim Abbas cùm Paternus & Scubilio Monachi Henssionenses in agrum Constantinum secesserunt, vt ex vitâ sancti Paterni iam retulimus. Henssionense monasterium appellationem accepit à loco qui vocabatur olim *Anssion*, hodie verò nomen gerit beati Iouini de Marnis, sic enim prælaudatus author notarum ad Litanias Pictonicas Kalendis Iunij scribit. *Iouinus ex illustri familiâ in territorio * Lodunensi natus, Henssionensis monasterij, quod nunc sancti Iouini de Marnis dicitur, propagator extitit, ibidemque diem obiit, & humatus est. Locus ille olim vocabatur Anssion.* Sanctus Iouinus sancto Generoso longè antiquior habetur, fuit enim vnus ex sancti Hilarij discipulis, vt author martyrologij Gallicani ad Kalendas Iunias obseruauit.

* *S. Iouin de Marne.*

* *Le Loudunois.*

XXII. LVCIONENS.

Lucionense monasterium stante adhuc in Galliis Romanorum Imperio conditum fuisse, & à Lucio conditore nomen obtinuisse traditur. Eius meminit author Chronici Malleacensis. Abbatum nomina interciderunt.

XXIII.

Monasterium, in quo beatus Maxentius sub Agapito Abbate monasticam vitam duxit, ipsumque Maxentium Abbatem, à quo nomen idem posteà cœ-

nobium accepit, anno priori iam laudauimus, citato in hanc rem Gregorio Turonensi. Quot annos superuixerit Maxentius, haud liquet, colitur sexto Kalendas Iulias. Ad illius tumulum micantibus signis insurrexit oppidum & nomine & clientelâ eius etiamnum insigne cum illustri Cœnobio. Aruernis quoque, vt Saussaius [a] affirmat, sacra dudum eius memoriæ condita est Ecclesia, *in qua sub Sancti Adiutoris Maxenty titulo, propter auxilia quæ sæpè pretiosis apud Deum suffragiis poscentibus impendit, in hunc vsque diem celebratur & colitur.*

ANNVS Christi, 508. CLODOVEI R. 27. [a] Die 26. Iun.

Puellare Monasterium Sancti * Ausonij apud Inculismam primordia sua refert ad Romanorum Principum adhuc ethnicorum tempora, sed monumenta quibus id innititur, non sibi constant, vt in Encomio beati Ausonij Engolismensis Episcopi iam notarunt eruditi Sammarthani.

XXIV. * *S. Ausoni.* MONAST. S. AVSONII INCVLISM.

Bernardus Lodouensis Episcopus Ioanni Papæ vicesimo-secundo tria volumina de vitis Sanctorum dedicauit, quæ typis numquam hactenùs excusa in Bibliotheca Patrum Dominicanorum Auenione asseruantur. Benedictus Gononus ex illo opere descripsit vitam Sanctorum Amandi & Iuniani Eremitarum, atque ab ea orditur librum quartum de vitis Patrum Occidentis. Amandus inter arctas & accessu difficiles angustias rupium, paruum tugurium sibi construxit in rure seu territorio Ruricij Lemouicensis Episcopi supra Vigennam, cuius loci vocabulum tunc Commodoliacus dicebatur, vbi dierum ac bonorum operum plenus ad Dominum migrauit. Floruit eodem ferè tempore quo Clodoueus cum Alarico prælium conseruit. Iunianus natione Cameracensis, qui priùs in S. Amandi disciplinam se tradiderat, post eius obitum in eadem cellula per annos quadraginta solitariam vitam duxit. Multis miraculis inclaruit, fugauit ingentem serpentem, orationibus pestem sedauit, cœco lumen restituit, hominem claudum ac surdum curauit, Ruricium, qui patruo posteà in Episcopatu Lemouicensi successit, liberauit à dæmone. Sic habet Auctor vitæ. *Quidam vir illustris & nobilis Ruricius, qui alio nomine Proculus dicebatur, nepos alterius Ruricij Episcopi Lemouicensis, diues & opulentus, superbiæ fastu elatus, diuino iudicio traditur spiritui superbiæ Diabolo flagellandus, vt humiliatus disceret & sentiret quantùm tumidus amisisset. Cúmque à suis affinibus & per medicos, &, quod grauius est, per maleficos duceretur, vt à vexatione Diaboli sanaretur, dum ab eo vnum volunt eiicere, mox in eum legio dæmonum est ingressa. Cúmque à pluribus acriùs exagitaretur, sui ad se reuersi cogitare cœperunt, vt ad sancti Iuniani cellam eum perducerent, vt eius orationibus sanaretur, salubri consilio ad hominem Dei perducunt dæmoniacum. Vir autem Dei hortabatur eum vt ieiuniis & orationibus insisteret, & largas eleemosynas pauperibus erogaret. Sed cùm vir ille multas pecunias sancto Iuniano offerret, vt à tanto hoste liberaretur, sanctus vir respondit non esse iustum, vt qui sua propter Deum sponte reliquerat, alienis opibus ditaretur, sed quod Sancto offerebat, pauperibus erogaret. Cùm autem sanctus Iunianus pro sanitate eiusdem orationibus, ieiuniis ac vigiliis intentus insisteret, eius meritis pristina restituitur sanitati, & ita sanus redditur tam à mente quàm à corpore à vexatione spirituum malignorum, vt post decessum patrui sui Domini Roricij Præsulis Episcopus institueretur in Lemouicensi Sede.*

XXV. AMANDVS ET IVNIANVS EREMITÆ LEMOVIC.

Si Chronico Virdunensi seu Flauiniacensi fides est, Monasterium Menatense in Aruerna Diœcesi sub Clodoueo Rege floruit. Gregorius Turonensis in vita sancti Galli laudat Monasterium Cronomense, quod ab Aruerna ciuitate sex duntaxat milliariis distabat.

XXVI. MONAST. MENAT. CRONOM.

Ex patrum vitis quas Gregorius Turonensis [b] scripsit, colligimus viros tunc vixisse sanctitate conspicuos, in Aruernia Portianum & Martium Abbates, Protasium recluſum & Æmilianum eremitam; in Turonia Leobatium Abbatem, & in agro Bituricensi Patroclum adhuc puerum.

XXVII. [b] Capp. 5. 9. 11. 14. 18.

Beatissimus Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cœli semper etiam inter terrena seruitia conabatur. Hic enim seruus fertur fuisse cuiusdam barbari, idem

XXVIII. PORTIANVS ABB.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

*cùm plerumque ad Monasterium confugeret, & eum domino suo Abba redderet excusatum, ad extremum fugiens *, dominus eius cuestigiò sequitur, & Abbatem calumniari cœpit, reputans quòd ipse eum seduceret ne sibi suus famulus deserviret, cúmque de consuetudine vt eum redderet calumniando Abbatem insisteret, dicit Abba Portiano, quid vis vt faciam? & ille, redde, inquit, me excusatum, cúmque excusatus redditus fuisset, & dominus eius reducere eum domi vellet, ita cæcatus est vt nihil penitùs posset cognoscere. Cernens autem se grauibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens. Supplica, quæso, pro me Dominum, & accipe hunc seruum ad eius cultum, forsitan promerebor recipere lumen amissum. Tunc Abba, vocato beato, ait. Impone, quæso, manus tuas super oculos eius. Cúmque ille refutaret, tandem Abbatis deuictus precibus, super oculos domini sui signum beatæ Crucis imposuit, statimque disruptâ caligine & sedato dolore, pristinæ redditus est sanitati. At verò exin beatus Portianus * Clericus factus tanto virtutis cumulo est prælatus, vt decedente Abbate ipse succederet.*

* Nominatiuum absolutus.

* S. Porçain.

Cetera prosequemur sub Theodorico Rege, Clodouei filio, nec omittemus terriculamenta, quæ dæmon Portiano parauit, cognita fuisse Protasio quamuis procul dissito, & apud Candidobrense Monasterium recluso. De vtroque copiosè disserit Gregorius [a]. Portiano frater erat nomine Leopardinus, qui relictâ patriâ Bituricensem Episcopum adiit, quocum piissimè vixit aliquandiu, deinde ab eo licentiam obtinuit viuendi Anachoretarum more vbicumque vellet in Diœcesi Bituricensi, eâque facultate impetratâ, reuersus est ad fratrem iam Abbatem, qui multis precibus suasit, vt stationem suæ proximam ad mutuum vtriusque solatium eligeret. Huic consilio conuenire visus est Ardei nobilissimi viri fundus, cui nomen Viuaris, vbi posteà insigne Monasterium constructum fuit. Ceterùm in Actis Leopardini vulgatis loco Sulpitij Episcopi repone Simplicium Tetradij antecessorem. De vtroque fratre, Portiano & Leopardino iterùm inferiùs.

PROTASIVS RECLVSVS.

[a] Cap. 5.

LEOPARD. PORTIANI FRATER.

XXIX. MARTIVS ABBAS.

Beatissimus Martius Aruernæ vrbis Abba, eiusdémque territorij fuisse incola fertur, & à pueritia sua religiosam agens vitam, totum se Dei operibus dedicauit, cúmque tanquam sydus egregium in hac vrbe fulgeret, adhuc aliquid sibi deesse putans, haud procul ab ea secessit, acceptóque sarculo montem lapideum cædere cœpit, in quo cellulas sculpens habitacula sibi parunla fecit. Æternus Dominus, qui iugiter glorificat Sanctos suos, cœpit cæleste famuli sui meritum terrigenis declarare, vel qualis esset cultor suæ diuinitatis ostendere, dum ei curarum gratiam dignatus est impertiri. Ad tanti viri famam cœperunt quidam ad eum confluere, gaudentes eius instrui disciplinis. Quid plura? Colligit viros, format Monachos, efficit ad opus Dei perfectos. Hæc Gregorius [b], qui Martium, cùm Aruernia in potestatem Francorum venit, Abbatem fuisse satis innuit, dum ait patrem suum Florentium, cùm annorum vndecim puer esset ac morbo langueret, ab ipso Abbate Martio iam sene ac morti proximo sanatum fuisse per impositionem manuum, subditque eundem Martium ætate nonagenarium obiisse.

[b] Cap. 14.

XXX. ÆMILIANVS EREMITA.

Beatus Æmilianus relictis parentibus ac facultate propriâ, eremi deserta petiuit, & se intra secreta syluarum Ponticiacensium Aruerni territory abdidit, in qua decisâ syluâ modicum deplanans campum rastro ipsam effodiens humum, vitæ eliciebat alimentum, habebat & hortum paruulum, quem aquâ superueniente rigabat, de quo olus ad refectionem nullo impinguatum adipe præsumebat; solatium verò absque Dei adiutorio nullum habens, cohabitatores enim bestiæ auésque illi erant, quæ ad eum quotidie tanquam ad Dei famulum confluebant; vacabat autem ieiuniis & orationi, nec eum ab hac causa vlla mundanæ sollicitudinis occasio impedire poterat, quia præter Deum aliud nihil habebat. Hæc Gregorius [c], ex cuius calculo constat Æmilianum in Aruerniâ sub Clodoueo vixisse sexagenarium, obiit enim *ætate circiter nonagenariâ*, cùm *duos aut tres annos* superstes fuisset Sigiualdo Duci, quem Theodoricus Clodouei filius interfecit anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio, vt probabimus inferiùs.

[c] Cap. 12.

XXXI. VRSVS ET LEVBATIVS ABBATES.

Vrsus Abba Cadurcinæ vrbis incola fuit, ab ineunte ætate religiosus & in Dei

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

*amore deuotus, de quo egressus loco Biturícum terminum est ingressus, fundatísque Monasteriis, id est, Tauriſiaco, Oniâ atque Pontiniaco, ſtabilitíſque Præpoſitis ſanctitate honorificis, diſpenſatione libratis, Turonicum territorium est ingreſſus, & ad locum, quod Senapariam vocitari priſcus inſtituit Auctor, acceſſit, ædificatóque Oratorio Monaſterium ſtabiliuit, commiſſáque Leobatio præpoſito ſummâ Regulæ, Monaſterium aliud ſtatuit, quod nunc Loccis * vocant.* Hæc Gregorius [a], qui deinde narrat altercationem Vrſi Abbatis cum Sichlario Gotho, qui Alarico Regi perfamiliaris fuit, ac denique poſt obitum eiuſdem Vrſi, de quo dubium eſſe poteſt an vnquam in Clodouei ditione vixerit, de Leobatio ceteriſque Præpoſitis ſic loquitur. *Præpoſiti, qui per Monaſteria erant, Abbatis officium, Epiſcopis largientibus, ſuſceperunt; ſed & Leobatius apud Senapariam Monaſterium, quod intra territorium Turonicum erat, Abbas inſtituitur, in ſumma ſanctitate ac ſeueritate perdurans, ibíque & obiit ac ſepultus eſt*, ita vt nemo debeat in dubium reuocare, quin Vocladenſi pugnæ diu ſuperſtes extiterit. De ſanctis Abbatibus Vrſo & Leobatio mentio fit in ſupplemento Martyrologij Gallicani, decimo-quinto Kalendas Auguſti. Commentitia ſunt, quæ de ſancti Vrſi profectione in Hiſpaniam narrantur quinto eaſdem Kalendas in Martyrologio Hiſpano.

* Loches.
[a] Cap. 18.

XXXII. PATROCLVS PVER.

Quod attinet ad Patroclum. Is natus erat annos circiter duodecim, cùm annus Chriſti quingenteſimus octauus numerabatur. Qualis autem in ea pueritia fuerit, Gregorius Turonenſis [b] in vitis Patrum ſic deſcribit. *Beatiſſimus Patroclus Biturici territory incola Ætherio patre progenitus, cùm decem eſſet annorum, paſtor ouium deſtinatur, fratre Antonio tradito ad ſtudia literarum: erant enim non quidem nobilitate ſublimes, ingenui tamen, cúmque quodam meridie hic ab ſcholis, iſte à grege commiſſo ad capiendum cibum paterno in hoſpitio conueniſſent, dixit Antonius fratri ſuo. Diſcede longiùs, ô ruſtice, tuum eſt enim opus oues paſcere, meum literis exerceri, qua de re nobiliorem me ipſius officij cura facit, cùm te huius cuſtodiæ ſeruitus vilem reddit: quod ille audiens, & hanc imprecationem quaſi à Deo ſibi tranſmiſſam putans, reliquit oues in campi planitie, & ſcholas puerorum niſu animi agili atque curſu velociſſimo expetiuit, traditíſque elementis ac deinceps quæ ſtudio puerili neceſſaria erant, ita celeriter memoriâ opitulante imbutus eſt, vt fratrem vel in ſcientia præcederet, vel alacritate ſenſus, adiuuante diuini numinis auxilio, anteiret.*

[b] Cap. 9.

XXXIII. EVSITIVS EREMITA.

Prætereà in Diœceſi Biturícenſi degebat ad Carum amnem Euſitius ſiue Euſychius eremita, cuius etiam meminit Gregorius Turonenſis [c] in libro de gloria Confeſſorum. Indigena fuit vrbis Petragoricæ, apud Gemeliacum vicum natus ex tenuis fortunæ parentibus, qui graſſante fame coacti, relicto patrio ſolo, in prouinciam Biturigum commigrare, vt abſque ciuium improperio opportunam parandi victus facultatem nanciſcerentur, cùm neque hoc ex voto ſuccederet, vnum aliquem ex liberis pretio diſtrahere ſtatuerunt. Abbas loci, cui nomen Patriciacus, Euſitium à parentibus ſuis vænum ſic expoſitum numeratâ pecuniâ redemit, atque intra Monaſterij ſepta admiſſum, depoſitâ poſt aliquod tempus comâ, attondit in Monachum, & culinæ primùm, tum clibani, ac pecorum miniſteriis deputauit. His ſedulò peractis Euſitius ad Sacerdotij apicem euectus eſt, poſteà ſolitariæ vitæ ſtudio incenſus, ex Abbatis fratrúmque licentia petiit abditiſſimum locum, nemoribus conſitum, antiquo vocabulo Priſciniacum dictum, haud procul fluuio * Caro, vbi humili casâ & Oratorio extructis, pane hordeaceo, modicíſque oleribus famem, aquâ profluente ſitim ſedabat, cilicio tectus incubabat cineri, & poſt ſanctarum orationum munia, poſt irrigua dulcium lachrymarum fluenta, poſt ſacræ lectionis incitamenta, excolendis nutriendiſque apibus vacabat. Illius vitam [d] conſule, & ætatem ex eo collige potiſſimùm quòd ſenex erat cùm Childebertus aduerſus Amalaricum Wiſigothorum Regem copias mouit.

[c] Cap. 82.
* Le Cher.
[d] Apud Phil. Labb. tom. 2. Biblioth.

XXXIV. MARIAN. EREMITA.

Euſitio adde Marianum ingenuis parentibus in vrbe Biturica procreatum,

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

qui relictâ sponsâ monasticam vitam per sex annos in cœnobio Princiaco sub Abbate Faterio, deinde eremiticam per quadraginta quatuor apud Spinolaicum vicum duxit. Plura de illo inferiùs post obitum Tetradij Bituricensis Episcopi.

XXXV. TRIETIVS ABBAS. * *Lié.*

In agro quoque Bituricensi florebat Trietius Abbas insignis, sub cuius disciplinâ Lætus ab aliquot annis monasticam vitam colebat. Degit enim Lætus * in Trietij monasterio annis sexdecim, deinde cœnobium Miciacense adiit, vbi cùm aliquandiu degisset, in eremum secessit cum Auito Presbytero, qui posteà Miciacensis Abbas factus est, eámque dignitatem iam obtinebat, cùm Sigismundus Burgundionum Rex in potestatem Clodomeris Francorum Regis deuenit. Hæc constant ex Gregorio Turonensi [a] qui bellum Burgundicum descripsit, ex Boscio [b] qui vitam sancti Læti Confessoris edidit, & ex Surio [c] qui vitam sancti Auiti Abbatis in lucem emisit. Lætus cùm nuntium seculo remittere statuit, puer erat annorum duodecim, & oues patris sui Siderici non procul à Trierij seu Trietij vel Treiecij monasterio pascebat. Abbas puerum in monachum suscepit, & in clerum voluit attonderi, crescente pòst ætate per singulos gradus Ecclesiasticos prouehi & Diaconatus honore sublimari fecit.

[a] Lib. 3. c. 6.
[b] In Biblioth. Floriac.
[c] D. 17. Iun.

LÆTVS MONACHVS.

XXXVI. CLODOVEVS REDIT TVRONOS.

Clodoueus Rex Engolismâ captâ *Turonus regressus est, multa sanctæ Basilicæ Beati Martini munera offereus*, vt asserit Gregorius Turonensis [d], Vetus author qui gesta Regum Francorum scripsit, de equo, quem eidem Ecclesiæ anno priori curauerat offerri, hæc subiunxit [e]. *Equus verò, quem antea ad ipsam Ecclesiam transmiserat, illius matricolariis datus est. Ille verò centum solidos pro ipso equo, vt eum reciperet, transmisit. Quibus datis, equus ille nullatenus se mouit. At ille ait. Date illis alios centum solidos. Cúmque alios solidos dedissent, statim ipse equus solutus abiit.*

[d] Lib. 2. c. 37.
[e] Cap. 17.

XXXVII. FIT IMPERATOR. * Equite id est equo.

Eodem tempore Clodoueus, cùm in ciuitate Turonensi versaretur, vt Gregorius [f] obseruat, *ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu accepit, & in Basilicâ beati Martini tunicâ blateâ indutus est, & chlamyde, Imponens vertici diadema. Tunc ascenso * equite aurum argentumque in itinere illo quod inter portam atrij & Ecclesiam ciuitatis est, præsentibus populis manu propriâ spargens, voluntate benignissimâ eroganit, & ab eâ die tanquam Consul aut Augustus est vocitatus.* Cur Francorum Regi munus exhibuerit Orientis Imperator, causa patet, Regis latè victoris beneuolentiam beneficiis aucupari satagebat, vt Ostrogothorum, quibuscum tunc, Celere & Venantio Consulibus [g], inimicitias gerebat, potentiam in dies crescentem faciliùs retunderet. Quid autem Consulis & Augusti nomine significetur, haud æquè constat apud omnes. Gregorij textum censemus explicandum simpliciter hoc sensu, quòd ab eâ die Clodoueus tanquam Consul & Augustus, hoc est tanquam Imperator vocitatus fuerit. Id verò suadere videntur ij, qui diadema siue coronam auream & purpuream seu blateam tunicam, de quibus apud Gregorium [h] & in gestis [i] Regum Francorum mentio fit, cum codicillis pro Consulatu Clodoueum ab Anastasio accepisse scribunt [k]. Nam præterquam quòd corona fuit Hieroglyphicum Imperij, & chlamis vestis extitit familiaris Romanis, peregrina Francis, itaut Carolus Magnus, qui peregrina vestimenta quamuis pulcherrima respuebat, Romæ semel Adriano Pontifice petente & iterum Leone successore eius supplicante chlamidem [l] induerit, non desunt rationes, cur ab Orientis Imperatore Clodoueus Imperator vocari meruerit. Erat quippe Christianus; præpotens inter Occidentales Principes; solus expers Arianæ perfidiæ ipsi Anastasio qui Catholicus haberi volebat odiosæ; fœdere & affinitate Burgundionibus coniunctus; Ostrogothis & Wisigothis rerum gestarum gloriâ, transrhenanis gentibus ipsâ nominis famâ formidabilis. Præterea Theodoricus Ostrogothorum Rex Pannoniam Sirmiensem quæ Constantinopolitanis Imperatoribus quondam paruerat, à quadriennio Cethego [m] Consule victis Bulgaris subegerat, verendumque erat ne victoriis ela-

[f] Lib. 2. c. 38.
[g] Marcell. in Chron.
[h] Lib. 2. c. 38.
[i] Cap. 17.
[k] Hinc. in vit. S. Remig.
[l] Eginh. in vit. Car. M.
[m] Cassiod. in Chron.

tus aliquando nomen Imperatoris ambiret, quapropter rebus suis rectè consultum duxit Anastasius, si priùs bellicoso Regi, qualis ab omnibus Clodoueus habebatur, Augusti titulum cum coronâ & chlamide deferret. Eodem planè modo Iustinus, qui post Anastasium imperauit, vt Lazos aduersus Persas sibi conciliaret, Zatum Lazorum Regem appellauit Imperatorem, hæc enim ex Theophane refert auctor Miscellæ [a]. *Quinto anno Impery Iustini Zatus Rex Lazorum venit Byzantium ad Iustinum, & rogauit eum vt fieret Christianus, & ab eo appellaretur Imperator Lazorum. At Imperator grandi cum gaudio illo susceptо, illuminauit eum & filium appellauit. Profectus autem Lazorum Imperator à Iustino, portauit coronam & chlamidem Imperatoriam albam.* Temporibus autem quibus Gregorius Turonensis scripsit, imperante scilicet Mauritio, Consul & Augustus idem sonabant, quia Iustinianus Primus Imperator suâ constitutione [b] de Consulibus pridem voluerat vnà cum Imperio iugem inhærere Consulatum, vnde mos inualuerat, vt quemadmodum Imperatores prisci per Tribunitiam quondam potestatem, ita deinceps Imperatores Orientis annos Imperij sui per Consulatum annotarent, quos imitatus etiam Carolus Magnus statim ac Imperator in Occidente fuit acclamatus, Consulem se dixit, & annum Christi octingentesimum primum, qui primus fuit Imperij, primum quoque sui Consulatus appellauit [c].

ANNVS Christi 508.

CLODOVEI R. 27.

[a] Lib. 15.

[b] Nou. 105.

[c] Sigon. lib 4. de regn. Ital. in Car Imp. & Pipin. R.

Clodoueus, vt Gregorius Turonensis [d] affirmat, *egressus à Toronus Parisius venit, ibique cathedram regni constituit. Ibi & Theodoricus ad eum venit.* De rebus ab illo Theodorico Clodouei filio præclarè gestis egimus suprà. In Australi Parisiorum suburbio perantiquum erat palatium, opus olim Romanorum, adiectæque Palatio magnificentissimæ Thermæ. Ibi præter ceteros Iulianus Cæsar & Valentinianus Senior Augustus hyemarunt. Ibi & Reges Francorum Clodoueus posterique diù habitauere, sed postquam Nortmannorum metu Carolini Reges nouum in Insulâ siue in mediâ ciuitate Palatium sibi extruxerunt, illud vt ab hoc distingueretur, vetus Palatium appellari cœptum est. Tandem à Thermis quæ solæ ex eo supererant, Palatium Thermarum, locus Thermarum Cæsaris & domus Thermarum audiit recentioribus seculis. Non procul ab illo Palatio in honorem Principum Apostolorum erigebatur Basilica, quam super Genouefæ virginis tumulo Clodoueus in procinctu belli Gothici ex consilio Clotildis ædificare cœperat. Hanc Basilicam dictam reperies, modò *Basilicam sanctorum Apostolorum*, Petri nimirum & Pauli, modò *Basilicam sancti Petri Apostoli*, donec beatæ Genouefæ virginis ibi sepultæ nomen accepit. A Clodoueo Rege inchoatam, à Clotilde post obitum Clodouei confectam docet vetus author in vitâ sanctæ Genouefæ.

XXXVIII.

[d] Lib. 2. c. 38.

REGIVM PALATIVM PARISIIS.

Clodoueus in itinere quod Turonis Parisios habuit, aliquamdiu subsitit Aureliæ. Id edisscimus ex vita sancti Fridolini, cum Adelfio Pictauiensium Episcopo ad Clodoueum profecti Aureliam anno post Vocladensem pugnam proximo [e]. Antequam autem Rex Aureliam perueniret, Deodatum insignem eremitam ad sinistram Ligeris ripam Blesas inter & Balgentiacum adiit, eique agrum amplissimum cellulæ continentem largitus est cum libris auri viginti sex totidemque argenti, vt haberet vnde pauperibus & in dies aduentantibus religiosæ vitæ candidatis, qui quadragenarium numerum paulò pòst impleuerunt, necessaria ministraret. Lege elogium historicum sancti Deodati *, quod Philippus Labbeus tomo secundo suæ Bibliothecæ publicauit ex prolixiore vitâ.

XXXIX.

[e] Bouchet in Annal. Aquit. p. 1. c. 3.

DEODATVS EREMITA.

* *S. Dié.*

Fridolinus seu Fridelinus, vel Tridolinus, Tredelinus ac Tudelinus, tot enim nominibus indigitatur, natus est in Hiberniâ, parentibus ac patriâ relictis in Galliam transiit, Euangelium Christi multis in locis feruentissimo zelo prædicauit, in monasterio Pictauiensi, quod sancti Hilarij dicebatur, post varias peregrinationes consedit, erga patronum illius cœnobij ferebatur insigni studio, locum vbi reliquiæ delitescebant Ecclesiâ diruta dolebat ignorari, nec vllâ spe recreatus est thesauri quem adeò expetebat potiundi,

XL.

FRIDOLINVS ABBAS S. HILARII.

ANNVS Christi 508. Clodovei R. 27.

quamdiu regio sub Arianorum Principum dominatione ingemuit, sed statim ac cognouit Catholicæ pietati securitatem esse in Aquitaniâ sub Orthodoxo Rege Clodoueo, confidit votorum aliquando se compotem fore, maximè quia pharus ignea de Basilicâ sanctissimi Confessoris egressa victoriam Francis aduersus Wisigothorum gentem præsagierat. Cùm autem vigiliis ac ieiuniis assiduum se daret, vt quam tantoperè desiderabat à Deo gratiam consequeretur, *beatus Hilarius illi per visionem manifestus apparuit, & inter alia nonnulla hoc illi quadam vinacis impery auctoritate mandauit, vt videlicet ipse, simul & Pictauensis Episcopus ad Regem Francorum incunctanter accederent, & sumptus impendia, quibus ampliari & augustius fieri monasterium posset, fiducialiter postularent. Quibus verbis insuper addidit, vt instaurato nouiter monasterio, locum sibi sanctus Abbas congruum prouideret, in quo corpus eius facta translatione reconderent.* Petrus Damiani apud quem ista leguntur in sermone de translatione sancti Hilarij, supponit Fridolinum Abbatem fuisse, priusquàm illi beatus Hilarius appareret, cui sententiæ maiorem fidem habendam putamus, quàm narrationi Boucheti[a], qui Fridolinum post supradictam visionem ad maiorem translationis auctoritatem creatum vult Abbatem populi consensu. Canisius in ipsius sancti Fridolini vitâ scribit eum ab Episcopo & Clero coactum, imò reluctantem à sancto Hilario admonitum ne huic oneri se subtraheret, sed impositum laborem pro Dei gloriâ & monasterio patienter sustineret, neque de Dei voluntate ambigeret, qui illum ad illud obeundum officium vocarat, vltrò copiosam ad illud debitè exequendum gratiam daturum. Apud eundem authorem legere est, quomodò *Sanctus Hilarius erga sanctum Fridolinum se familiarissimum & fidelissimum exhibuit, in spiritu ei sæpius apparuit, voluntatem Dei annuntiauit, & plurima futura prædixit, sæpius ei adfuit, in negotiis & rebus plurimis bona consilia & instructionem dedit.* Adelfium Episcopum & Sanctum Fridolinum cum Clodoueo collocutos Aureliæ testatur Bouchetus, additque illustre miraculum, quod ex Balthero descriptum æquè narratur à Canisio. Cùm Adelfius & Fridolinus mensæ Regis accumberent, scyphus crystallinus auro gemmisque ornatus in quatuor confractus partes absque fractionis vestigio à sancto Fridolino redintegratus est.

[a] P. 2. cap. 3.

XLI. Translatio S. Hilarii.

Petrus Damiani, legationem quam Adelfius & Fridolinus obierunt, ipsamque sancti Hilarij translationem sic prosequitur. *Felicis oraculi legatione perfunctos Rex clementer ac benignè suscepit, eisque magnifica regiæ liberalitatis munera contulit. A fundamentis ergo monasterium per latomos ac cæmentarios denuò construentes, & pollucibiliter instaurantes ministri Domini, tamdiu cæptis indefessi laboribus institerunt, donec non modò surgentis structuræ machinam ad consummationem vsque perducerent, sed etiam vtrimque parietes, hoc est intus & extrinsecus radiantis musiui decore vestirent. In quo videlicet opere, vbi regy munerù summa defecit, Episcopus ex Ecclesiasticis facultatibus supplere quod deerat non cessauit. Tandem itaque monasterio, non modò consummata fabrica structurâ perfecto, verùm etiam Sacerdotalis officij benedictionibus dedicato, mox demoliti sunt tumulum, in quo sanctum fuerat corpus humatum. Constituto igitur die, in quo sancta membra transferrent, præcedente nocte, dum Episcopus simul & Abbas in vigiliis & orationibus ingiter pernoctarent, repentè conspiciunt, quòd beati Angeli de tumulo, qui iam terebratus fuerat, sanctum corpus educunt, & in locum qui sibi præparatus fuerat, propriis manibus inferunt.* Author ille Historiam hanc recitat ex relatione tantùm quorumdam fratrum, & vitam sancti Fridolini fatetur in manus suas nequaquam peruenisse. Apud Bouchetum Angelici ministerij nullâ mentione factâ templum, (quod multò probabilius videtur) post ipsam translationem reparatum scribitur hoc contextu. Dicta translationi dies vicesima sexta Iunij. Confluit clerus populusque ad ædem sancti Hilarij quæ tunc erat suburbana. Episcopus peracto Missæ sacrificio preces indicit, cum Fridolino intereà cryptam ingreditur, reliquias sancti Hilarij exportant, quas capsæ inclusas repererunt, transferuntque quò sanctus iusserat,

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

ferat, ad locum scilicet paratum in medio eiusdem Ecclesiæ. Plurima inter transferendum perpetrata miracula. Admirabile quoddam lumen cryptam ipsam perfudit odórque suauissimus, ægri plurimi sanitate donati. Post translationem templum illud vetus Monasteriúmque reparatum est, prout Clodoueus Rex fieri præceperat.

XLII. De die translationis, quamuis Bouchetus super eo negotio nullam quæstionem moueat, non omnes consentiunt. Bollandus ad Idus Ianuarias, vbi agit de prima translatione Sancti Hilarij, quamplures citat Auctores, qui festiuam illius translationis memoriam celebrant sexto Kalendas Iulias & Kalendis Nouembribus. Habitâ ratione rerum hoc anno gestarum, quas exposuimus suprà, stamus pro Kalendis Nouembribus, & facilè imus in sententiam Ferrarij, qui translationem illam in tabulis Ecclesiæ Pictauiensis sexto Kalendas Iulias inscriptam ait, quia Kalendæ Nouembres Festo omnium Sanctorum sunt impeditæ, fieri enim potuit vt illa translatio Kalendis Nouembribus primùm recoleretur, donec Kalendis iisdem festiuitas omnium Sanctorum agi cœpit.

XLIII. Saussaius ad Kalendas Nouembres ait translationem sancti Hilarij factam *è veteri Monastery suburbani templo ad nouam Basilicam vrbicam quam Tredelinus notæ pietatis Abbas diuino monitu erexerat.* Sed Clodouei temporibus reliquiæ S. Hilarij ab vna æde in aliam motæ non fuerunt, templum quidem quod sub Abbate Tredelino seu Fridolino in Pictauiensi suburbio erat, hodie reperitur intra muros ciuitatis inclusum, atque inde datus errori locus, vt Adelfij & Fridolini ætate corpus sancti Hilarij ex suburbio delatum in vrbem nonnulli crederent. Postquàm è viuis excessit beatus Hilarius, deliberatum, quo præcipuè tumulari eum loco oporteret. Quidam suadebant vt in Sacello conderetur quod iuxta domum suam construxerat, vbi hodie est Abbatia sancti Hilarij de * Cella, alij dicebant ipsum sibi in æde Sanctorum Ioannis & Pauli, vbi vxorem & filiam sepelierat, in vrbis suburbio monumentum locasse, eâ videri standum ipsius extremâ voluntate. Ingenti assensu hanc cuncti accepêre sententiam, quæ temporum illorum consuetudini maximè conueniebat, tunc enim cœmeteria extra muros ciuitatum erant. Locatum sancti Hilarij corpus inter coniugis Apræque filiæ corpora medium est. Longo pòst interuallo Pictauienses quidam, homines religiosi, lapideam imposituri monumento testudinem, refodi circùm terram iussêre. Tum fenestra in dextro latere reperta, pariésque olim applicatarum candelarum fumo denigratus. Quæ res argumento fuit, olim monumentum illud in propatulo fuisse, & per fenestram illam ad ipsum Sancti tumulum patuisse prospectum, verùm cùm bellicis tumultibus euersa sæpiùs Ecclesia fuisset, opertum terrâ fuisse illud Sacellum, ne qua sancto corpori inferretur iniuria. Porrò suauissimus per eam fenestram odor exhalabatur, qui sacro horrore cæmentariorum corripuit animos, vt negarent se, quippe peccatis coopertos, id moliri audere. Terni Sacerdotes, animis primùm exomologesi seriò expiatis, fenestram ingressi, retulêre fornicem auro oblitum, tres sub eo marmoreos tumulos esse, medium Hilarij. Transferendas in vrbem sacras reliquias ciues censuêre. Sed Sacerdotum vno postridie extincto, altero paralysi, tertio cœcitate percusso, haudquaquam Deo id probari consilium rati, obstructâ fenestrâ destiterunt. Historiam illam in vita sancti Hilarij narrauit Hildebertus Episcopus Cenomannensis, & ex eo, quem Hildebrandum malè nominauit, descripsit in Annalibus Aquitanicis parte primâ capite decimo-quarto Bouchetus, qui tantùm abest vt sacrum illud pignus, quod ab Abbate Fridolino tandem eleuatum fuit, ex æde suburbana dicat in vrbem delatum, quin secundâ parte Annalium capite tertio, cùm translationem à Fridolino factam exponit, sancti Hilarij corpus in medio eiusdem Ecclesiæ in qua delituerat, collocatum asserit distinctissimis verbis, vt suprà retulimus.

* *La Celle.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

Fridolinus Abbas post supradictam translationem, nihil in votis ardentiùs habuit, quàm vt ipsam, quæ sæpè diruta fuerat, ædem repararet. Hæc intra muros vrbis nunc inclusa, vulgò Basilica Sancti Hilarij maior dici solet. Clodoueus Rex non passus est munificentiam suam desiderari, nam teste Fredegario [2], *multis muneribus Ecclesiam Sancti Martini & Sancti Hilary ditauit.* Quibus in rebus hæc dona verterentur, haud scimus. In appendice Annalium Aquitanicorum reperitur *dotatio Ecclesiæ Sancti Hilary per Clodoueum Francorum Regem facta*, quam nota temporis & subscriptiones Episcoporum falsam arguunt, vt fusiùs dicemus anno Christi quingentesimo vndecimo, quo Concilium Aurelianense primum celebratum fuit.

XLIV. CLODOVEVS DITAT ECCLESIAS SS. MARTINI ET HILARII.

Reuersus ex Aquitania Clodoueus insigne pietatis suæ monumentum edidit, literis ad Episcopos Regni sui directis, quibus non solùm testatus est cautum à se diligenter in procinctu belli Gothici, ne quid detrimenti cùm Ecclesiis & earum Ministris, tum Monialibus ac religiosis viduis inferretur, sed etiam scripsit captiuos tum Clericos tum laicos ipsorum Episcoporum arbitrio & testimonio relaxatum iri. *Dominis sanctis & Apostolicâ Sede dignissimis Episcopis Chlothouechus Rex. Enunciante famâ quid actum fuerit vel præceptum omni exercitui nostro, priusquàm in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem vestram præterire non potuit. In primo quoque de ministerio Ecclesiarum omnium præcepimus, vt nullus ad subripiendum in aliquo conaretur, neque de sanctimonialibus, neque de viduis quæ in religione Domini deuote esse probarentur. Simili conditione & de Clericis, vel filiis supradictorum tam Clericorum quàm viduarum, qui cum illis in domo ipsorum consistere videbantur. Idem & de seruis Ecclesiarum, quos de Ecclesiis tractos per Episcoporum sacramenta constiterit, præceptum est obseruare, vt nullus ex ipsis aliquam violentiam vel damnum pateretur. Quod ita ad integrum est agnoscendum vt ex his supradictis, si aliquis vim captiuitatis pertulisset, siue in Ecclesia siue extra Ecclesiam, omninò sine aliqua dilatione reddendos esse præcipiamus. De ceteris quidem captiuis laicis, qui extra pacem sunt captiuati & fuerint approbati, apostolia cui volueritis arbitrij vestri non est negandum. Nam de his qui pace nostra tam Clerici quàm laici subrepti fuerint, si veraciter agnoscitis, vestras epistolas de annulo vestro signatas sic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte nostra præceptionem latam noueritis esse firmandam. Sic tamen populus noster petit, vt cuicumque epistolas vestras præstare fueritis dignati, cum sacramento per Deum, & benedictione vestrâ dicere non tardetis rem istam quæ poscitur veram esse, quia multorum varietates vel falsitates inuentæ sunt, vt comprehendatur, sicut scriptum est, perit iustus cum impio. Orate pro me, Domini sancti & Apostolicâ Sede dignissimi Papæ.*

[2] Hist. epit. c. 21.

XLV. SCRIBIT EPISCOPIS.

XLVI. OSTROGOTHI HOSTES FRANCOR.

Hoc anno, *seu Venantio Iuniore & Celere Consulibus*, vt Cassiodorus affirmat, à Theodorico Rege *contra Francos destinatur exercitus.* De successu agemus anno sequenti. Interim Gundobadus Burgundionum Rex hoc anno Narbonam cepit diripuitque, Gesilicus Wisigothorum Rex, Alarici Regis ex concubina filius, qui patri successerat, fugâ lapsus Barcinonam * se contulit, vt Isidorus scribit in Chronico Gothorum.

* *Barcelone.*

XLVII.

Aiunt Clodoueum, cùm nihil prætermitteret quò Regnum suum tot prouinciis ac ciuitatibus recèns auctum firmare posset, Ferreolo ordinis Senatorij viro, genere & opibus in Gallia Narbonensi & in Aquitania prima prapotenti filiam in vxorem dedisse, quam Auctor vitæ sancti Firmini nominat Industriam, Ducheſnius Deutriam ac Deutheriam vocat. Agebat tum Ferreolus annum ætatis saltem quinquagesimum-tertium, vt patet ex iis quæ datâ occasione ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum primum de Ferreolorum gente diximus. Cur cœlibem vitam ad hunc vsque annum egerit, in promptu occurrere potest ratio ex illius temporis consuetudine, plerique enim viri illustres ordinis Senatorii, cùm fidem Catholicam profiterentur, extinctóque Romano Imperio sub hæreticis Regibus ab administratione Reipublicæ se procul summotos viderent, abstinebant à

coniugio, ne liberos procrearent vitam sine gloria, sine titulis, sine Magistratu ducturos, &, si dignitates Ecclesiasticæ deferebantur, adiungebant se clero, atque inde factum, vt illâ ætate quamplures Episcopi Galliarum Patricij Senatoriique generis existerent. Tantùm etiam abest vt Ferreoli & regiæ puellæ nuptias propter conditionis disparitatem, quam nonnulli obiiciunt, in dubium reuocemus, quin Clodouei Regis prudentiam magis quàm felicitatem Ferreoli mirandam in illo matrimonio putamus. Ferreolus vir Catholicus ex Senatoria familia, qui sub Ariana Wisigothi Regis dominatione multùm gemebat, fortunam expertus videtur votis omnibus longè superiorem, si factus est gener Orthodoxi Regis, qui nobilissimam victoriam de Wisigothis haud pridem reportarat finibus regni sui latissimè propagatis. Genus autem eiusdem Ferreoli si consideramus, infra regiam dignitatem quid augustius esse potuit aut vtilius Franciæ? Apud Wisigothos auctoritatis erat maximæ, patre & auo gloriabatur Præfectis Prætorio Galliarum, auo Imperatore per matrem, proauo per auiam Consule ac Præfecto Prætorio Italiæ & Galliarum. At vxor, quam Ferreolus duxit, siue illa Industria, siue Deuteria, vel Deutheria vocaretur, longè ante hunc annum nupsit, nec filia fuit Clodouei Regis, atque ita sentire nos cogit quæ sequitur ratiocinatio Chronologica.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

LAVS FERREOLI.

Ex Ferreolo & Industria seu Deutheria nati sunt octo liberi, sex mares, Ansbertus, Deotarius, Firminus, Gamardus, Aigulfus, Ragnifridus; fœminæ, duæ Goda & Maria. Masculorum natu maximus fuit Ansbertus. Id indubitatum habetur apud varios Auctores, qui producuntur in testes à Dubouchetо & à Dominicio inter probationes, quibus ille veram Francicæ domus originem aperit, hic Ansberti familiam rediuiuam ostendit. Iidem Scriptores non eodem semper ordine ceteros Ferreoli liberos recensent quoad mares, nec ipsæ fœminæ, quas constanter vltimo loco ponunt, ideò censendæ sunt cunctis fratribus iuniores, nam qui masculis honor conceditur, non illorum ætati tribuitur, sed dignitati quâ fœminis præstant. Inter tot Ansberti liberos vnus duntaxat reperitur Firminus, cuius ortus certo charactere Chronologico figitur ad annum Christi quingentesimum decimum-sextum ex vulgato Gregorio Turonensi, & ex vitis eiusdem Firmini & Ferreoli Episcoporum Vcecienſium, vt suo loco probabimus. Ceterùm Ferreolus Episcopus Vcecienſis, Arnoldi frater natu minor, patrem habuit Ansbertum ipsius Firmini fratrem, & puer septennis vnà cum patruo Firmino qui duodecim annorum erat ad Roricium propatruum, qui tunc annum ætatis octogesimum agebat, Vceciam * se contulit testibus earumdem vitarum Scriptoribus, vnde colligere est Ferreolum in lucem editum anno Christi quingentesimo vicesimo-primo. Quis autem credat illo anno duos nepotes ex filio iam natos filiæ Clodouei, quæ ante annos duntaxat tredecim nupsisset?

XLVIII. VXOR FERREOLI NON FVIT FILIA CLODOVEI REGIS.

* *Vsez.*

Eodem prorsus argumento corruit eorum sententia, qui Blitildem Ansberti vxorem fingunt filiam Clotarij Regis & neptem Clodouei, anno enim Christi quingentesimo vicesimo-primo Ferreolus Clotario nasci non potuit è filia nepos, quia Clotarius tunc annos ad summum natus erat viginti quatuor, vt pote qui quartus extitit Clodouei filius ex Chrotilde, nec lucem hausit ante annum Christi ccccxcvii., posito etiam quòd Chrotildis quatuor filios intra quadriennium marito pepererit.

XLIX. VXOR ANSBERTI NON FVIT NEPTIS CLODOVEI.

Hincmarus [a], postquàm bellum Wisigothicum missamque ab Anastasio Augusto legationem in Franciam enarrauit, agit de Vicariatu seu Primatu Remigij Remensis Episcopi per vniuersum Regnum Clodouei Regis. An historia vera sit aut commentitia, multi disputant in vtramque partem, & adhuc lis sub iudice videtur. Nos auctorem tanti nominis non putamus fabulis componendis delectatum fuisse, licèt eum non difficeamur memoriâ lapsum in multis circumstantiis quas expendemus inferiùs.

L.

[a] In vita sancti Remigij.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27. LI.

De Primatum origine copiosè disseruit Ioannes Morinus noster in Exercitationibus Ecclesiasticis [a], varias eorum acceptiones explicuit Petrus de Marcâ in dissertatione de Primatu Lugdunensi & ceteris Primatibus. Primatum interpretare vicis Apostolicæ delegationem, quam Romani Pontifices Episcopis minorum sedium detulerunt vsu ipso edocti, quantùm conferret ad auctoritatem firmandam & disciplinam conseruandam in dissitis longè prouinciis. Primatus seu Vicariatus per Galliam collatus primùm reperitur Arelatensi Episcopo, *deinde* vt Hincmarus [b] obseruat, *Viennensi ciuitati commissus est, indéque hanc sollicitudinem Episcopus Arelatensis recepit.* Agendum nobis erit infrà de finibus Primatuum Arelatensis & Remensis, eodem enim tempore Cæsarius Arelatensis Episcopus & Remigius Episcopus Remensis Primates fuisse reperiuntur. Id autem idoneè præstari non potest, nisi de variis Galliarum diuisionibus sermo priùs habeatur, ad quem nos accingimus eò quoque lubentiùs, quòd diuturnarum inter Arelatenses & Viennenses Episcopos de Primatu controuersiarum fontem aperiet, & veterem prouinciarum Ecclesiasticarum statum ob oculos exhibebit.

[a] Lib. 1. exerc. 17. 18. 19.
[b] Ep. 6. c. 17.

LII. VARIÆ GALLIARVM DIVISIONES.

Sub Iulio Cæsare Gallia distinguebatur in Braccatam quæ prouincia Romanorum & Gallia Narbonensis dicebatur, & in Comatam quæ diuidebatur in Belgicam, Celticam & Aquitanicam, Sequanâ & Matronâ inter Belgicam & Celticam, Garumnâ inter Celticam & Aquitanicam excurrentibus. Augustus seruatâ partitione Galliarum in quatuor prouincias, attribuit Aquitaniæ vastum illud terrarum spatium quod à Ligeri ad Garumnam vsque protenditur. Paulò pòst ex quatuor prouinciis factæ sunt septem, quia Gallia Narbonensis secta fuit in Narbonensem, Alpinam, Viennensem, & Belgica diuisa fuit in Belgicam & Germanicam. Notitia Romani Imperij Gallias & septem prouincias veluti synonimicè non semel vsurpat. Enumeratura enim prouincias quæ à Galliarum Vicario regebantur, enumerationi hunc titulum adscribit, *sub dispositione viri spectabilis, Vicarij septem prouinciarum*, & rursus enarrans Vicarios Præfectis Prætorio Italiæ & Galliarum subiectos, Gallias non alio nomine vocat quàm septem prouinciarum, *Vicarij sex, Vrbis Romæ, Italiæ, Africæ, Hispaniarum, septem prouinciarum, Britanniarum.* Similiter Diœceses Præfecto Prætorio Galliarum assignatas describens, *sub dispositione*, inquit, *viri illustris Præfecti Prætorio Galliarum, Diœceses infrà scriptæ, Hispaniæ, septem prouinciæ, Britanniæ.* Qui septemplicem Galliarum diuisionem non admittunt, notitiæ locum apertè mendosum aiunt, ibique restituendum *septemdecim*, quia quamuis notitia Gallias, vt vidimus, septem prouinciarum nomine sæpiùs appellet, vbique tamen prouincias illas sigillatim explicans septemdecim enumerat. Rursus alij priorem Galliarum diuisionem in septem Prouincias tuentur ipsâ septemdecim prouinciarum enumeratione, quæ nullum nomen nouum indidit alicui prouinciæ, sed aliquam ex his septem in plures separauit retento matricis nomine, Lugdunenses enim quinque factæ sunt, Aquitaniæ tres quarum tertia dicta quoque est Nouempopulana, Narbonenses duæ, Alpinæ duæ, Belgicæ duæ, Germanicæ duæ, Viennensis vnica. Cùm Rufus breuiarium suum Valenti Augusto dicauit, Galliæ diuidebantur in quatuordecim tantùm prouincias, quia vetus Narbonensis Augusti quatuor duntaxat prouincias amplectebatur Narbonensem scilicet & Viennensem cum duabus Alpinis, & vetus Celtica seu Lugdunensis tres solùm prouincias comprehendebat duas Lugdunenses primam & secundam cum Maximâ Sequanorum. Quatuordecim prouinciæ Galliarum apud Rufum enumerantur hoc ordine. *Alpes maritimæ, prouincia Narbonensis, Viennensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenses duæ.* Quærunt eruditi viri quo tempore potissimùm instituta fuerit hæc diuisio. Quidam eam referunt ad Hadrianum, alij ad Constantinum vel ad Theodosium. Petrus de Marcâ longè vetustiorem Constantino putat, eámque primùm inductam in quibusdam prouinciis ex mero Prin-

cipum arbitrio, deinde sub Hadriano vel Antonino, qui disponendi Imperij curam singularem gesserunt, ad numerum quatuordecim prouinciarum perductam scribit. Tiberij & Neronis Principatu duas Germanias à reliquâ Belgicâ distractas contendit ex Tacito, præterea ex inscriptione apud Gruterum quæ Marci Aurelij temporibus posita est cuidam Bassæo, qui dicitur *Procurator à rationibus prouinciarum Belgicæ & duarum Germanicarum*, non solùm diuisionem duarum Germaniarum colligit, sed etiam prouinciarum Belgicæ, id est primæ & secundæ. Maximam Sequanorum à reliquâ Lugdunensi aulsam probat ex aliâ inscriptione, quæ Diocletiani Principatu posita reperitur apud Gruterum *Aurelio Proculo V. C. prou. Max. seq.* obseruatque Lugdunensem Sequanicis populis minutam, in primam quoque & secundam ad exemplum Belgicæ & Germaniarum diuisam fuisse, in Codice enim Theodosiano Antonius Marcellinus dicitur Præses *primæ* Lugdunensis anno Christi trecentesimo decimo nono. Denique ex subscriptionibus Concilij Arelatensis primi, quod anno Christi trecentesimo decimo-quarto celebratum fuit, Viennensem prouinciam à Narbonensi aulsam exhibet. Ad probationes ceterarum prouinciarum fatetur se veterum testimonio carere. Cùm Rufus scribebat, nondum Aquensis prouinciæ seu Narbonensis secundæ nomen audiebatur, nondum à Lugdunensibus distractæ erant Turonia & Senonia, illa à Lugdunensi secundâ, hæc à Lugdunensi primâ. Postrema hæc immutatio referri debet ad tempora Gratiani. Patres Concilij Valentini, quod anno Christi trecentesimo septuagesimo-quarto habitum est imperante Gratiano, synodicam epistolam quam miserunt ad vniuersos Episcopos Galliarum, inscripserunt *dilectissimis fratribus per Gallias, & quinque prouincias constitutis Episcopis*. Porrò quinque prouinciæ sunt partes solidæ Narbonensis antiquæ, quæ olim distincta fuit à reliquis tribus prouinciis Galliarum, fient autem quinque illæ prouinciæ, si quatuor à Rufo numeratis, nempe Narbonensi, Viennensi, Alpibus maritimis, & Alpibus Graiis, addas Narbonensem secundam. Concilij Aquileiensis epistola data sub eodem Gratiano Augusto, anno Christi trecentesimo octogesimo-primo, secundam Narbonensem disertè præfert in hac inscriptione. *Concilium, quod conuenit Aquileiæ, dilectissimis fratribus Episcopis prouinciæ Viennensis, & Narbonensium primæ & secundæ.* Ceterùm cùm Galliæ diuidebantur in prouincias quatuordecim, Narbonensis Rhodano disterminabatur à Viennensi, quæ Massiliam & Arelatum comprehendebat, vnde sequitur Aquensem prouinciam quæ Aquas * Sextias & reliquas ciuitates vsque ad Alpium maritimarum fines complexa est, quamuis Narbonensis secundæ nomen obtinuerit, à Viennensi distractam fuisse non autem à Narbonensi à quâ tanto interuallo dissita erat.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

* *Aix.*

LIII. Galliæ, postquam sectæ sunt in septemdecim prouincias, bipertiri cœperunt in Gallias & quinque prouincias, per Gallias intelligebatur vetus Gallia Comata, per quinque prouincias vetus Braccata seu Narbonensis. Maximus Imperator bipertitam illam Galliarum diuisionem attingit in literis ad Siricium Papam, vbi de Agricij Presbyteri ordinatione sic loquitur. *De Agricio, quem indebitè ad Presbyterij gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostræ Catholicæ possum præstare reuerentius, quàm vt de hoc ipso, cuiusmodi esse videatur, Catholici iudicent Sacerdotes? Quorum conuentum ex opportunitate omnium vel qui intra Gallias vel qui intra quinque prouincias commorantur, in quâ elegerint vrbe, constituam, vt iisdem residentibus & cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit, iudicetur.* Taurinatense * Concilium quod paulò post mortem sancti Ambrosij Mediolanensis Episcopi celebratum fuit, Episcopis Galliæ sic scribit. *Fratribus dilectissimis per Gallias & quinque prouincias constitutis.* Symmachus [a], qui Præfectus Vrbis fuit sub Honorio Imperatore, in literis suis ad Protadium, eandem Galliarum indicat diuisionem. *Silentij inter nos*, inquit, *simile scis esse delictum. Atque ideò mihi iniusta culpa datur, quæ vtrique communis est. Et tamen defensio mihi suppetit, quia nec profectiones*

* *De Turin.*

[a] Lib. 4. ep. 30.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

commeantium nota sunt, & tu non iisdem sedibus immoraris, dum aut Treuiros ciuicâ religione, aut quinque prouincias otij voluptate commutas. Harum quinque prouinciarum corpus Petronius Præfectus Prætorio Galliarum immutauit. Expunctâ enim prouinciâ Alpium Graiarum, ex reliquis quatuor, & ex duabus Aquitaniis & Nouempopulania, conuentus septem prouinciarum Arelate agi constituit. Tunc Galliæ distingui cœptæ sunt in Gallias & septem prouincias. Zosimus Papa Honorio Augusto synchronus scribit [a] *vniuersis Episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis*, item [b] *Aurelio & vniuersis Episcopis per Africam constitutis, vniuersis Episcopis per Gallias & septem Prouincias constitutis, vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis à pari, die* X. *Kalend. Octob. Honorio* XI. *& Constantio* II. *Coss.* id est anno Christi 417. Hanc Galliarum distinctionem commemorant & constitutione suâ confirmant Imperatores Honorius & Theodosius, cùm septem prouinciarum quot annis ad Arelatem confluentium commercium Constantini tyrannide interruptum, instaurandum esse sentiunt. Data est ea constitutio ad Agricolam Præfectum Prætorio Galliarum Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Coss. siue anno Christi 418. Septem illas prouincias, & totum hoc negotium sic explicat Hincmarus [c] in literis ad Episcopos Remensis Diœceseos. *Temporibus Theodosij & Honorij Imperatorum, & Zosimi Pontificis per septem prouincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem,* (loco Lugdunensis quæ nunquam fuit in numero septem prouinciarum, Aquitaniam primam restitue) *Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & Nouempopulanam, & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his prouincijs honorati vel possessores, iudices & Episcopi prafatarum prouinciarum ab Idibus Augusti quibuscumque mediis diebus in Idus Septembris, in vrbe Arelatensi quæ & Constantina vocatur, ad Concilium forense vel Ecclesiasticum conuenirent, ita vt de Nouempopulana & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longiùs constitutæ sunt, si eorum iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, Legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto prafatorum Imperatorum, & in epistolis Apostolicæ Sedis Pontificum inuenitur.* Tantæ fuit ille conuentus auctoritatis, vt quicquid in eo decernebatur, per vniuersam Galliam vim ac virtutem legis obtineret. Sic enim iubet Constitutio. *Quicquid tractatum fuerit, & discussis rationibus constitutum, nec latere potiores prouincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam iustitiæque seruari.* Quamobrem verò Arelate conuentus ille celebraretur, monent Imperatores. *Cùm ergo huic seruat ciuitati quicquid habet terra præcipuum, ad hanc velo, ramo, vehiculo, terrâ, mari, flumine deferatur quicquid singulis nascitur, quomodo non multùm sibi Gallia nostra præstitum credant, cùm in ea ciuitate præcipiamus esse conuentum in qua diuino quodammodò munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstetur.*

[a] Ep. 5.
[b] Ep. 6.
[c] Ep. 6. c. 17.

LIV. Ciuitas Arelatensis, vbi tam insignibus priuilegiis ab Imperatoribus ornatam se vidit, cum Viennensi, cui priùs subiiciebatur, de dignitate metropolitana contendit. Ad sopiendam omnem controuersiam factæ sunt duæ prouinciæ Viennenses, ciuitate Arelatensi in metropolim erectâ. Abhinc Galliæ diuisæ sunt in prouincias octodecim. Erant duæ Narbonenses, quarum metropoles Narbo & Aquæ-Sextiæ, duæ Viennenses, quarum metropoles Vienna & Arelatum, duæ Alpinæ, quarum metropoles Darantasia * & Ebrodunum *, Aquitanicæ tres, quarum metropoles Bituriges, Burdigala & Eluſa, Lugdunenses quinque, quarum metropoles Lugdunum, Rotomagum, Turones, Senones & Vesontio *, Belgicæ duæ, quarum metropoles Treuiri & Remi, duæ Germanicæ, quarum metropoles Moguntia & Agrippina. Ciuilis hæc Galliarum in octodecim prouincias distributio nunc etiam expressissima hæret in Ecclesiasticis earumdem Galliarum prouinciis, Archiepiscopatus enim cum illa decem & octo prouinciarum notitia, Episcopatus cum vrbibus ab itinerario antiquo notatis summâ quadrante ferè consentiunt, pauca tantùm posterioribus seculis immutata sunt, Tolosâ, Auenio-

* *Tarantaise.*
* *Ambrun.*
* *Besançon.*

ne, Vltraiecto, Cameraco *, Mechlinia *, Parisiis metropolitico iure honoratis.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27. DVÆ PROVINCIÆ VIEN. LV.

Vtriusque prouinciæ Viennensis Ecclesiasticos limites post longas controuersias definiit sanctus Leo [a] literis Apostolicis datis tertio Nonas Maij, Valentiniano Augusto septimùm & Auieno viro clarissimo Consulibus, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo. *Consideratis*, inquit, *allegationibus vtriusque partis præsentium clericorum ita semper intra prouinciam vestram, & Viennensem & Arelatensem ciuitates claras fuisse reperimus, vt quarumdam causarum alternâ ratione, nunc illa in Ecclesiasticis priuilegiis, nunc ista præcelleret, cùm tamen eisdem commune ius quondam fuisse à gentibus proderetur. Vnde Viennensem ciuitatem, quantùm ad Ecclesiasticam iustitiam pertinet, inhonoratam penitus esse non patimur, præsertim cùm de receptione priuilegy auctoritate iam nostræ dispositionis vtatur. Quam potestatem Hilario Episcopo ablatam, Viennensi Episcopo credidimus deputandam. Qui ne sibi repentè semetipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor oppidis præsidebit, id est Valentiæ & Tarantasiæ, & Genauæ *, & Gratianopoli *, vt cum his ipsa Vienna sit quinta, ad cuius Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat, reliquæ verò ciuitates eiusdem prouinciæ sub Arelatensis Antistitis auctoritate & ordinatione consistant, quem pro modestiæ suæ temperantiâ ita futurum credimus studiosum caritatis & pacis, vt nequaquam sibi credat ablatum, quod fratri videat esse concessum.* Iisdem de limitibus ex constitutione sancti Leonis aliorumque Pontificum altiùs repetitis ita loquuntur Patres Concilij * Francofordiensis [b] sub Carolo Magno. *De altercatione Vrsionis Viennensis Episcopi & Elesanti Arelatensis, lectæ sunt epistolæ beati Gregory, Zosimi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt, eò quòd Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta præemineret, & Arelatensis nouem suffraganeas habere deberet quibus ipsa præemineret.* Ecclesiæ Viennensis quatuor sedes suffraganeas recensuit suprà sanctus Leo, nouem verò suffraganeas Arelatensi numera Massilienſem, Auenionensem, Arausicensem *, Vasiensem *, Carpentoractensem *, Cabellicensem *, Tricastinensem *, Diensem, & Albensem, quibus addenda quoque decima Tolonensis, itaut Arelatensis Metropolitanus decem Episcopis suffraganeis aliquando præfuerit. Lapsu temporis prouincia Viennensis prima, cuius caput est Vienna, tribus aucta fuit Episcopatibus, Maurianensi *, Albensi * seu Viuariensi *, & Diensi * qui adiunctus est Valentino. In diuisione prouinciæ Viennensis à sancto Leone initâ Viennensi primæ attribuitur Darantasia. Eam ob rem metropolitana dignitas Episcopi Darantasiensis in dubium vocatur à multis. Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum politica duas amplectebatur ciuitates Darantasiam & Octodorum, Ecclesiastica totidem Episcopatus Darantasiensem & Octodorensem. Episcopus Darantasiensis metropolitanus erat in illâ prouinciâ, ius metropoliticum exercebat in Episcopum Octodorensem quem ordinabat, tamen non erat αὐτοκέφαλος, sed Viennensi metropolitano subiiciebatur in ordinatione suâ, quoniam in suâ prouinciâ non habebat sufficientem numerum Episcoporum à quibus ipse ordinaretur, visus est etiam obligatus ad se sistendum Conciliis à Viennensi metropolitano conuocandis, atque ideo metropolitanus dici debet imminutæ auctoritatis, qui singulariter à metropolitano Viennensi tanquam à Primate dependebat. Has obseruationes multa confirmant. In diuisione factâ inter Viennensem & Arelatensem metropolitanos Octodorus neutri eorum legitur attributa, quamuis Darantasia Viennensi summitteretur, vnde liquet Octodorensem Episcopum Darantasiensi subiacuisse. Certum est etiam quibusdam metropolitanis fuisse priuilegium ordinandi vicinos metropolitanos, ad illam consuetudinem alludunt Patres tertij Concilij Aurelianensis [c], vbi de metropolitanorum ordinatione sic decernunt. *De metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, vt metropolitani à metropolitanis, omnibus, si fieri potest, præsentibus comprouincialibus ordinentur, itaut ipsi metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit.* De-

[a] Ep. 109.

* Cambray.
* Malines.
* Geneue.
* Grenoble.
* Le Concile de Francfort.
[b] Cap. 8.
* Orange.
* Vaison.
* Carpentras.
* Cauaillon.
* Trois Châteaux.
* S. Iean de Maurienne.
* Alb.
* Viuiers.
* Die.
[c] Cap. 3.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

nique Darantasiensem Episcopum eo quo diximus modo metropolitanum fuisse clarissimè demonstrant epistolæ Leonis tertij & Nicolai primi Romanorum Pontificum in antiquitatibus Viennæ ciuitatis exscriptæ. Prior ita loquitur. *Et licet Tarantasiæ Episcopus aliquibus oppidis videatur prælatus, tamen prouincia Alpium Graiarum ditioni Viennensis Ecclesiæ submissa, sicuti à prædecessoribus nostris confirmatum est, manebit, nec debet Episcopus supradictæ prouinciæ humilitatis viam in subditione maioris contemnere, cùm constet eum gratiâ muneris aliquibus prælatum existere.* Posterior eadem tradit, vbi enim Darantasiam Viennensi Episcopo subditam manere confirmauit, sicut Leonis decreto statutum fuerat, hæc subdit. *Neque tamen propterea Tarantasiensis Ecclesiæ Pontifex ius sibi collatum perdat. Quia nec hoc Viennensis Archiepiscopus Primas ipsius à nostrâ auctoritate postulauit, vt in aliquibus oppidis sibi commissis non ordinet, & ad se cùm opportunum viderit, non aduocet, sed sub iure Viennensis Archiepiscopi ita se positum semper sciat, vt per dispositionem ipsius omnia hæc agat, & ad synodum ipsius vocatus pariter cum ipsis sibi concessis occurrat, & quantùm ad generalem prouinciam attinet, nihil prater auctoritatem ipsius præsulis definire præsumat.*

LVI. CONTENDVNT DE PRIMATV PER GALLIAS

Aliam controuersiam inter vtriusque Viennensis metropolitanos Episcopos super Vicariatu siue Primatu per Gallias exortam latissimè referunt eruditissimus Cardinalis Baronius tomis Annalium quinto & sexto, R. P. Ioannes Morinus libro primo [a] Exercitationum Ecclesiasticarum, & Franciscus Hallierus libro quarto [b] de Hierarchiâ Ecclesiasticâ. Paucis contractam sic accipe. A morte Zosimi Romani Pontificis, qui desiit esse in viuis anno Christi quadringentesimo decimo octauo, ad initium Pontificatus Symmachi; qui sedere cœpit anno Christi quadringentesimo nonagesimo octauo, interceserunt anni octoginta, quorum spatio ter grauiter concussus est Primatus Arelatensis. Viennensis enim Episcopus eò quòd primæ metropolis esset metropolita in omnes Viennenses imperium semper ambiuit, eâque de causâ negotium Arelatensi perpetuò facessiuit, obtinuitque vt sententia à Zosimo in gratiam Arelatensis lata retractaretur, quâ tamen retractatione ita videtur pronuntiatum, vt neutri disertè Primatus fuerit attributus. Deinde sedente Leone, salutis anno quadringentesimo quadragesimo quinto, Hilarius Arelatensis spoliatus est primatu. Recruduit denique contentio anno Christi quadringentesimo nonagesimo-septimo, sedente Anastasio Secundo Pontifice, causâ tum planè cecidit Arelatensis, sed Symmacho in Anastasij locum suffecto Arelatensis causâ longè superior euasit, vt ex variis epistolis Symmachi colligitur.

[a] Exerc. 21. 23.
[b] Cap. 2. 2. 4.

LVII. PRIMATVS REMENSIS.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis, qui Primatum Remensem ex archiuis Ecclesiæ suæ primus eruit, illius originem Hormisdæ Symmachi Papæ successori acceptam refert, & controuersiam quæ de finibus cum primatu Arelatensi moueri posset, ita componit, vt Arelatensem Primatum septem prouinciis, quas singulis annis ab Idibus Augusti ad Idus Septembris Arelatem confluere solitas diximus, Remensem regno Clodouei circumscribat. In literis [c] enim ad Episcopos Diœcesis Remensis, postquam Arelatensi metropolitano Primatum *per septem prouincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem* (rectiùs Aquitanicam primam recensuisset,) *Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & Nouempopulanam, & secundam Aquitanicam* commissum dixit, hæc subiungit de Primatu Remensi. *Demùm in regno Chlodouei nuper cum integrâ gente ad fidem conuersi per sanctam prædicationem B. Remigij Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis B. Ormisda vices suas eidem S. Remigio Remorum Durocortorum antiquæ metropolis Episcopo per Belgicas & quasdam prouincias Gallicanas commisit, vt Dei Ecclesias, quas Franci adhuc pagani deuastauerunt & incenderunt, vniuersa prædantes, & quacumque perperàm gesta fuerant ad debitum statum reduceret, manente priuilegio Arelatensi Ecclesiæ in sibi antiquitus delegatis prouinciis.* Et in vitâ sancti Remigij literas Hormisdæ

[c] Ep. 6. capp. 17. 18.

Papæ

Papæ ad eundem Remigium recitat, quorum fragmentum sufficiet hîc descripsisse. *Vices itaque nostras*, inquit Hormisda, *per omne Regnum dilecti & spiritualis filij nostri Chludouici, quem nuper adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis, quæ metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus, augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, relenantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias.* ANNVS Christi, 508. CLODOVEI R. 27.

LVIII. At multa sunt in Hincmari narratione quæ corrigi debeant. Inprimis enim Chlodoueus obiit anno Christi quingentesimo vndecimo, Symmachus verò qui Hormisdam in Pontificatu præcessit, mortuus est anno Christi quingentesimo decimo-quarto, Marco Aurelio Cassiodoro Senatore Consule. Extant Symmachi Papæ literæ ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, datæ tertio Idus Iunias, Senatore viro clarissimo Consule. Marcellinus mortem Symmachi & subrogationem Hormisdæ reiicit in octauam Indictionem & in Consulatum Florentij & Anthemij, siue in annum Christi quingentesimum decimum quintum. Sed à quo potiùs standum quàm ab ipso Cassiodoro Senatore? qui suum Consulatum sermone ad Theodoricum Ostrogothorum Regem conuerso sic commendat, *Me quoque Consule, in vestrorum laude temporum adunato clero vel populo Romanæ Ecclesiæ rediit optata concordia.* Innuit se Consule post obitum Symmachi, qui semper aduersarios cùm ex clero tum ex Senatu passus fuerat, pacem Ecclesiæ Romanæ restitutam in electione noui Pontificis Hormisdæ. Cùm igitur Clodoueus ex hac vita priùs excesserit, quàm Hormisda promoueretur ad Pontificatum, Remigius Remensis Episcopus non potuit accipere literas ab ipso Hormisda, qui vices ei suas in Regno Clodouei committeret.

LIX. Deinde Symmachus, quem Hormisdæ loco restituas oportet, Vicariatum seu Primatum non per septem duntaxat prouincias quas Hincmarus enumerat, sed per vniuersam Galliam Cæsario Arelatensi Episcopo confirmauit, has enim illius ad Cæsarium literas ex Arelatensi Codice descripsit Baronius [a]. *Charitati tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi pallij concessimus facultatem. Exemplum libelli: Sicut à persona B. Apostoli Petri Episcopatus sumpsit initium, ita necesse est vt disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid obseruare debeant euidenter ostendat. In Gallia siquidem prouincia ab aliquibus personis Ecclesiastica prædia diuersis titulis alienantur*, &c. *Hæc omnia vltione districtionis vestræ fieri prohibete, quatenus & in Ecclesia vestra & in supradicta prouincia disciplina bonis actibus amica seruetur.* Longè ante Symmachi tempora Zosimus, cui Galliarum diuisio in Gallias & septem prouincias non erat incognita, Vicariatum per totam Galliam Patroclo Arelatensi Episcopo commiserat, *vniuersis* enim *Episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis* ita scribit apud Cardinalem Baronium anno Christi quadringentesimo decimo-septimo. *Placuit Apostolicæ Sedi, vt si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel aliò terrarum ire disponit, non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium suum vel locum Ecclesiasticum quem habet, scriptorum eius adstipulatione perdoceat, quod eâ gratiâ statuimus, quia plures Episcopi siue Presbyteri siue Ecclesiastici simulantes (quia nullum documentum formatarum extat per quod valeant confutari) in nomen venerationis irrepunt, & indebitam reuerentiam promerentur. Quisquis igitur, fratres charissimi, prætermissâ supradicti formatâ, siue Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus, aut deinceps in inferiori gradu sit, ad nos venerit, sciat se omninò suscipi non posse. Quam auctoritatem vbique nos misisse manifestum est, vt cunctis regionibus innotescat id quod statuimus omnimodis esse seruandum. Si quis autem hæc salubriter constituta temerare tentauerit, sponte suâ se à nostra nouerit communione discretum. Hoc autem priuilegium formatarum*

[a] Ad annum 502. n. 37.

ANNVS Christi 508. Clodovei R. 27.

sancto Patroclo fratri & coepiscopo nostro meritorum eius speciali contemplatione concessimus. Et ipsi Patroclo Arelatensi Episcopo apud eundem Baronium ita scribit. *Quicumque ex Gallicanis vndique regionibus veniunt sub quouis Ecclesiastico nomine vel gradu, formatas per te commoniti mittendas esse cognoscant, alioquin sibi imputabunt, si inefficaciter, hac solemnitate postpositâ, te inconsulto ad nos venire tentauerint*, &c. *Datum* III. *Kalend. Octobr. Honorio XI. & Constantio II. Coss.* siue anno Christi quadringentesimo decimo-septimo. Habet & similia in aliis literis ad eundem Patroclum datis III. *Non Mart. Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Coss.* anno Christi quadringentesimo decimo octauo.

LX. Ex illâ Pontificiorum diplomatum contemplatione maxima difficultas enascitur, nam si Symmachus Papa Zosimi aliorúmque Pontificum Romanorum exemplo commotus Cæsarium Episcopum Arelatensem per vniuersas Gallias Vicarium seu Primatem constituit, Primatui Remensi cuius author à nobis perhibetur quam Diœcesim in iisdem Galliis assignauit?

LXI. Si tempus ipsum attentè perpendamus, quo Symmachus (huius nomen apud Hincmarum Hormisdæ loco restituendum iam demonstrauimus) Remigio Remensi Episcopo de Vicariatu seu Primatu per regnum Clodouei scripsit, euanescet omnis difficultas. Hincmarus qui de Primatu Remensi primus verba fecit, in notandâ illius origine & epochâ non videtur sibi satis constare. In literis [a] ad Episcopos Remensis Diœceseos, vbi de Primatu illo agit, *Chlodouei nuper ad fidem conuersi* meminit, eóque loquendi modo insinuat metropolitanam Remorum Ecclesiam Primatus honore insignitam fuisse paulò post Clodouei Regis baptismum. Nec ab illâ sententiâ recedit, cùm Vicariatum illi Ecclesiæ subdit commissum *per Belgicas & quasdam prouincias Gallicanas*, nam Clodoueus cùm Christianam fidem susceperit, cis Rhenum nihil obtinebat præter prouincias Belgicas seu veteris Galliæ Belgicæ, & quasdam Gallicanas seu Celticas aut veteris Galliæ Celticæ. Prouinciarum enim Belgicarum nomine censendæ sunt duæ Germanicæ duæque Belgicæ, quia quatuor illæ prouinciæ quæ Clodoueo tunc integræ parebant si Coloniam, Morinos & Cameracum exceperis, constituebant antiquam Belgicam, qualis à Iulio & Augusto describitur. Per prouincias autem Gallicanas intelligendæ sunt prouinciæ Celticæ seu quinque Lugdunenses in quas antiqua Augusti Celtica secabatur. Harum quarta, cuius metropolis erant Senones, tota præter Niuernum *, & nonnullæ ciuitates secundæ ac tertiæ, quarum metropoles erant Rotomagum & Turones, in Clodouei Regis potestatem iam deuenerant. At idem Hincmarus in vitâ sancti Remigij, sermonem aggressus de Primatu Remensi, licet ibi mentionem æquè fecerit *Chlodouei nuper ad fidem conuersi*, tamen literas Pontificias, quibus Papa Remigio Remorum Antistiti vices suas per Regnum Clodouei contulit, non antè descripsit, quàm Clodouei reditum Turonos, Wisigothis deletis, eorumque Rege Alarico interempto, & legationem ab Anastasio Augusto missam enarrasset. Tunc autem Clodoueus potiebatur regno longè potentiori, nam si Coloniam, Niuernum, Cameracum, Morinos & Cenomanum demas, in Galliâ sibi vel hæreditario iure vel victoriis asseruerat decem prouincias integras, duas Germanicas, Belgicas duas, tres Lugdunenses, secundam, tertiam, & quartam, tres Aquitanicas, cum Tolosâ & Vcetiâ ciuitatibus non ignobilibus in primâ Narbonensi. Posteriorem sententiam ipsa ratio docet amplectendam, quia Symmachus Papa contra priuilegium Arelatensis Ecclesiæ, quam semper dilexerat foueratque, de Vicario per Clodouei Regnum creando cogitare non priùs debuit, quàm Francos tot auctos ditionibus accepisset hostibus orthodoxæ fidei profligatis, addequòd eius literæ quas citauimus, vt olim ab ipso Hincmaro & nuper à Iacobo Sirmondo editæ sunt, tres Aquitanicas Vicariatui Remensi non obscurè supponunt obnoxias, quia Primatum Arelatensem per Hispaniam prorogant. Rem paucis, vt gesta est, exponamus.

[a] Ep. 6. c. 18.

* *Neuers.*

Symmachus Papa Cæsario Arelatensi Episcopo Vicariatum per vniuersam Galliam confirmauit. Extant enim literæ ab eo ad Cæsarium scriptæ, quarum exordium tale est. *Charitati tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi pallij concessimus facultatem.* Integras ex Arelatensi Codice descripsit Cardinalis Baronius ad annum Christi quingentesimum secundum [a], non quòd eas illo anno datas ex aliquâ notâ deprehenderit, sed occasione aliarum, quas tomo primo epistolarum Romanorum Pontificum legerat à Symmacho pariter ad eundem Cæsarium directas sub Consulatu Probi, quem Auieni iunioris collegam putauit. Symmachus Cæsario facultatem vtendi pallij per omnes Gallicanas regiones concesserit, aut citiùs sub initium sui Pontificatus, aut seriùs paulò antequam Wisigothi Ariani à Francis debellarentur, id nostræ causæ non officit. Remigius Remensis Episcopus in Regno Clodouei per decem Galliæ prouincias Vicarius ab ipso Symmacho constitui cœpit post Clodouei reditum ex Aquitaniâ vel anno Christi quingentesimo-octauo vel sequenti vel etiam biennio seriùs penè sub obitum Clodouei. Quoniam autem creato Remensi Primatu Arelatensis plurimùm imminutus fuerat, idem Symmachus, vt illatum Arelatensi Ecclesiæ damnum aliunde repararet, quemadmodum Remigio Remensi Episcopo vices suas per vniuersum Clodouei Regnum commiserat, ita Cæsarium Arelatensem Episcopum anno Christi quingentesimo decimo-quarto Primatem constituit in omnibus prouinciis quas Theodoricus Ostrogothorum Rex in Galliâ & in Hispaniâ suo vel Amalarici nepotis nomine gubernabat. Hincmarus [b] in literis ad Episcopos Remensis Diœceseos iam citatis fragmentum epistolæ tertio Idus Iunias Senatore Consule, siue anno Christi supradicto ad Cæsarium Arelatensem à Symmacho scriptæ, quæ fidem huius rei facit, sic recitat. *Rationabile est vt sancta Arelatensis Ecclesia propriis priuilegiis perfruatur, & quod vetustas præstitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præsumptio; sic tamen vt ceterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent, quia non potest ex parte firmum esse quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus siquidem his quæ Patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus vt circa ea quæ tam in Galliæ quàm in Hispaniæ prouinciis de causâ religionis emerserint, sollertia tuæ fraternitatis inuigilet.* Illius epistolæ, quam Iacobus Sirmondus [c] integram edidit, postrema periodus hæc est. *Et in hac parte magnoperè te volumus esse sollicitum, vt si quis de Gallicanâ vel Hispanâ regionibus, Ecclesiastici ordinis atque officij, ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitiâ iter arripiat, vt nec honor eius per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulsâ à nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti. Deus te incolumem custodiat frater carissime. Data* III. *Idus Iunias Fl. Senatore V. C. Consule*, id est anno Christi quingentesimo decimo-quarto. Habes bis in his literis Galliam cum Hispaniâ coniunctam. Prouinciæ Gothorum cisalpinæ meliùs ac breuiùs indicari non possunt. Pari modo quandiu Narbo aliæque ciuitates in Narbonensi primâ Wisigothis paruerunt, Episcopi Hispaniæ & Galliæ leguntur Conciliis Toletanis interfuisse, Galliæque nomine nihil intelligi debet præter ditiones Wisigothorum cis Pirenæos montes sitas qualescumque essent. Mentem Symmachi capere non possunt, qui cum Cæsare Baronio [d] & Seuerino Binio [e] ex eius literis Hispaniæ vocabulum abradunt. Textus in editione Baronianâ primùm ita corrumpitur, *vt circa hæc quæ Galliæ prouinciis de causâ religionis emerserint*, sic corrigendus, *vt circa ea quæ tam in Galliæ quàm in Hispaniæ prouinciis de causâ religionis emerserint*; deinde iterùm ita deprauatur, *vt si quis de Gallicanâ regione*, sic emendandus, *vt si quis de Gallicanâ vel Hispanâ regionibus.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27. LXII.

[a] N. 37.

[b] Sp. 6. c. 11.

[c] Tom. 1. conc. Gall.

[d] Ad an. 514. n. 4.

[e] Tom. 1. conc.

Si quis autem obiiciat Zenonem Hispalensem Episcopum ante annos quadraginta Primatem à Simplicio Papa constitutum fuisse, id quidem non diffitebimur, sed obseruabimus ex Simplicij literis [f] colligi non posse, quibus finitibus Hispalensis Primatus circumscriberetur, & inter epistolas Hormis-

LXIII.

[f] Ep. 1.

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

dæ, qui Symmacho in Pontificatu succeſſit, viceſimam-ſextam reperiri, quæ Bœticam duntaxat ac Luſitaniam illi attribuat. *Vices itaque noſtras*, inquit Hormiſda Pontifex ad Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum, *per Bœticam Luſitaniámque prouincias, ſaluis priuilegiis, quæ metropolitanis Epiſcopis decreuit antiquitas præſenti tibi auctoritate committimus.* Atque hæc ſatis oſtendunt Hiſpalenſem Primatum haud impedimento fuiſſe, quominùs Arelatenſis, qualis à Symmacho delineatur, latiſſimè per Hiſpaniam prorogaretur, in qua Wiſigothi præcipuè dominabantur, Sueuorum tamen regno in Luſitania nondum extincto.

LXIV. Primatum prærogatiuæ omnes apud R. P. Ioannem Morinum in Eccleſiaſticis Exercitationibus [a] reuocantur ad quinque ſumma capita, quorum præcipua colligi poſſunt ex epiſtolis Romanorum Pontificum ad Epiſcopos Arelatenſes & Remigium Remenſem datis citatiſque ſuprà.

[a] Lib. 1. exerc. 24.

LXV. Primum ius ac priuilegium Primatum eſt Epiſcopos & Metropolitas canonicè electos, antequàm conſecrentur, approbare & confirmare.

LXVI. Secundum eſt de rebus in prouinciali Synodo iudicatis recognitio & iudicium.

LXVII. Tertium eſt Conciliorum diœceſanorum, hoc eſt, è multis prouinciis & metropolitis coactorum celebratio.

LXVIII. Tria illa priuilegia ſanctus Leo [b] in literis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ac Primatem ita complectitur. Primum capite ſexto. *De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de cleri plebiſque conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quódque in prouincia benè placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diu deſit cura Paſtorum. Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit ſubrogandus, prouinciales Epiſcopi ad ciuitatem metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate diſcuſſá, ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, vel Diaconibus optimis eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant Epiſcopi, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit, tibi quoque placuiſſe cognouerint. Sicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præſumi.* Secundum capite ſeptimo. *De Conciliis autem Epiſcopalibus non aliud indicemus, quàm ſancti Patres ſalubriter ordinarunt, vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines naſci adſolent, iudicetur. At ſi fortè inter ipſos, qui præſunt, de maioribus (quod abſit) peccatis cauſa naſcatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri, fraternitatem tuam de totius negoty qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, &, ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.* Tertium capite decimo. *In euocandis autem ad te Epiſcopis moderatiſſimum te eſſe volumus, ne per maioris diligentiæ ſpeciem fraternis videaris gloriari iniuriis. Vnde ſi cauſa maior extiterit, ob quam neceſſarium ſit fraternum aduocare conuentum, binos de ſingulis prouinciis Epiſcopos, quos Metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat, ita vt præſtituto tempore non vltra quindecim dies quò conuenerint retardentur.* Horum priuilegium poſtremum magis exprimunt literæ Pontificiæ ad Remigium Remenſem. *Quoties vniuerſale poſcit Religionis cauſa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant. Et, ſi quos eorum ſpecialis pulſat intentio, iurgia inter eos oborta compeſce, diſcuſſa ſacrâ lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate conſtitutum, vel pronidæ diſpenſatione præceptum, vel perſonæ noſtræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad ſcientiam noſtram inſtructâ relationis atteſtatione perueniat. Eo ſit, vt & noſter animus officij charitate dati, & tuus ſecuritate perfruatur accepti.*

[b] Epiſt. 84.

PRÆROGATIVÆ PRIMATVM.

LXIX. Quartum priuilegium eſt explorare, an Eccleſiaſtica diſciplina diligenter ab Epiſcopis & Metropolis obſeruetur. *In Galliæ prouincia*, inquit Sym-

machus [a] ad Cæsarium Arelatensem, *ab aliquibus personis Ecclesiastica prædia diuersis titulis alienantur, ita fit vt quis pro suo arbitrio deuotâ mente relinquentium & egentium necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus vt fieri prohibeat Apostolicæ Sedis auctoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu Monasteriis fuerit elargiendum. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, vt de laica conuersatione qui in singulis iudicum officiis meruerunt, aut certè rexerunt sub aliqua potestate prouincias, nisi multo tempore præmissâ conuersatione legitimâ & vitâ examinatâ, nullus aut Clericus aut Episcopus ordinetur. Viduas etiam iamdiù religioso habitu assumpto, & Sanctimoniales longo iam tempore in Monasteriis consistentes poscimus vt vnicuique coniugy causâ nec volentes sibi iungere, nec inuitas rapiendi libera sit voluntas. Illud etiam humili prece suggerimus, vt nulli per ambitum ad Episcopatum concedatur accedere, nec datâ pecuniâ sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et vt hæc facilius possint custodiri, Clerici vel ciues decretum facere, vel subscribere sine Metropolitani notitia vel consensu non præsumant penitùs. Hæc omnia vltione districtionis vestræ fieri prohibete, quatenus & in Ecclesiâ vestrâ & in supradictâ Prouinciâ disciplina bonis actibus amica seruetur.*

ANNVS Christi 508. CLODOVEI R. 27.

[a] Ap. Baron. an. 502. n. 7.

LXX. Quintum priuilegium est ius & auctoritas concedendi literas formatas vniuersis Clericis, Metropolitis etiam & Episcopis Romam vel extra Diœcesim seu Primatis vniuersalem districtionem proficiscentibus. Varia fragmenta epistolarum Zosimi & Symmachi Romanorum Pontificum suprà recitauimus quibus id abundè probatur.

LXXI. Romanus Pontifex Remigio Remensium Episcopo vices suas in regno Clodouei commisit, *saluis priuilegys quæ Metropolitanis decreuit antiquitas*, vt ipsæ literæ Pontificiæ loquuntur. Hinc attende iura Metropolitarum à Romanis Pontificibus Primates instituentibus inuiolata semper & illibata conseruari solita. Occurrent varia exempla suis locis. Quamuis autem ea doctrina nullâ authoritate niteretur, ex ipsâ tamen rei naturâ euidenter demonstraretur. Nam si Primas in Prouinciâ Metropolitæ sibi subditi, Metropolitæ proprio officio fungeretur, quid opus esset Metropolita? Similiter si Metropolita in Parœciâ Episcopi sui Episcopali officio fungeretur, quid opus esset Episcopo? Quemadmodum igitur Parœcia certo modo subdita est Episcopo, quo non est Metropolitæ subdita, si casus visitationis & appellationis alioſque à iure notatos excipias, alioquin nullus esset Episcopus, omnes Episcopi Metropolitarum essent Vicarii, sed, vt ait Sanctus Cyprianus, vnus est Episcopatus, cuius in solidum omnes sunt participes; ita Prouincia certo modo Metropolitæ subdita est, quo non est Primati, nisi in casibus similiter à iure expressis, hoc est, quæcumque Metropolita in Prouinciâ suâ iure agere potest, Primati non licet, alioquin Metropolitæ ampliùs nulli essent, omnes essent Primatum Vicarii. Idem dicendum est de Patriarchis respectu Primatum. Agit de his fusè R. P. Ioannes Morinus noster in Exercitationibus Ecclesiasticis [b].

[b] Lib. 1. exerc. 21.

LXXII. Hincmarus postquam de Primatu Remensi locutus est, hæc subdit de Clodoueo Rege. *Hormisdæ Pontificatus tempore* (hic quoque Symmachus, vt suprà, restituendus est) *Chludowichus Rex glorioſus coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet, Beato Petro, sancto Remigio suggerente, direxit.* Recentiores volunt eam Coronam fuisse, quam Clodouous ab Anastasio Augusto haud pridem acceperat. Cùm Hincmarus scribebat, Coronæ vocabantur Regna, non quidem omnes, sed quæ Regum erant ac gemmis ornabantur. Talis fuit Pontificia, quâ Romani Pontifices vsi sunt, postquàm amplissimis prouinciis ex dono & munificentia Francorum dominari cœperunt. *Romanus Pontifex*, inquit Innocentius tertius, *in signum Imperij vtitur Regno, & in signum Pontificij vtitur Mitrâ. Sed Mitrâ semper vtitur & vbique, Regno verò nec vbique nec semper.* Insigne pietatis exemplum fuit in Clodoueo, cùm quod vnicum totius Ecclesiæ visibile caput esse sciret, Regiâ Coronâ re-

CLODOVEVS CORONAM PAPÆ MITTIT.

ANNVS Christi. 508. CLODOVEI R. 27. LXXIII. GENEBALDVS LAVDVN. EPIS.

dimire voluit. A primo illo Francorum Rege Christiano non degenerarunt posteri.

Genebaldus Laudunensium primus Episcopus, *plusquàm necesse fuerat de anteactâ vitâ & gradus sublimitate confidens, cùm debuerit cogitare, quia nec Dauide sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt, incautè suam vxorem, quam relinquens mutauerat in sororem, quasi pro instructione salutari frequentiùs se visitare permisit, oblitus scripturæ dicentis* [*lapides excauant aquæ, & alluuione terra consumitur, & rupes transfertur de loco suo.*] *Vnde contigit vt crebræ visitationes & blanda ac frequentia mulieris colloquia durum contra luxuriæ mollitiem cor Episcopi emollirent, & quasi rupem saxeam de loco suæ sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint. Et item contra scripturam dicentem.* [*Quis alligabit ignem in sinu suo & vestimenta eius non comburentur.*] *Admotâ igni paleâ, id est muliebris carnis materiâ, libidinis ignem suasione diabolicâ, quasi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammas erupit, & concumbente eo cum eâdem, quondam vxore suâ, mulier concepit, & post partum mandauit Episcopo filium se peperisse. Genebaldus verò confusus & dolens nuncio dixit, quia latrocinio, vt lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso generatus est, rectè vocabitur Latro, sic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio inde procederet, si se à solitâ visitatione fœmina illa subtraheret, cœpit vt anteà domum frequentare Episcopi, sicque factum est vt tectâ hominibus culpâ & in cordibus tam Episcopi quàm fœminæ tectus luxuriæ ardor, quoniam vt notum est, quò magis tegitur tectus magis æstuat ignis, contra culpam compunctus Episcopus, post fletum ad culpam rediit, & oblitus est quod planxerat, cùm extinguere noluit quod per desiderium ardebat.* Hæc Hincmarus in vitâ sancti Remigij, quæ licet nullâ temporis notâ consignentur, non tamen videntur ab hoc anno procul remouenda, quo Genebaldus annum in Pontificatu vndecimum absoluit.

509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

ANNVS CHRISTI 509.

CLODOVEI IMP. I. REG. 28.

I. ANNVS Christi quingentesimus nonus apud Cassiodorum, Marium & Victorem notatur Importuno Consule, apud Marcellinum Opportuno. *Hoc Consule*, inquit Marius, *Mammo Dux Gothorum partem Galliæ deprædauit.* Si Cassiodoro [a] credimus, Theodorici Regis Ostrogothorum exercitus, quem anno priori contra Francos destinatum diximus, *Gallias Francorum depræda-tione confusas, victis hostibus ac fugatis suo adquisiuit imperio.* Si Iornandi [b] fides est, Theodoricus nobilissimum *trophæum de Francis per Hibbam suum Comitem in Galliis acquisiuit, plus* XXX. *millibus Francorum in prælio cæsis.* At sicut non inficias imus, bellum penè deploratum ab ipso Theodorico propè in integrum restitutum, ita minimè consenserimus tam immensâ Francos clade affectos fuisse, qui ciuitatem Arelatensem anno sequenti cum Burgundionibus obsederunt. Exercitus Theodorici Carcassonem * liberauit ab obsidione, quâ cingebatur à Francis, nihil prætereà molitus est hoc anno contra Francos, quia teste Isidoro [c] profectus est in Hispaniam, & Giselicum coegit relictâ Barcinone in Africam abire, auxiliumque Vandalorum implorare, quo posset in regnum restitui. De Carcassonensi obsidione Procopius [d] ita disserit. *Germani magnam Galliæ partem occupant, & summâ contentione Carcassonem obsident ferente famâ, gazam ibi Imperatoris asseruari, quam ætate superiori, Româ captâ, Alaricus senior abstulerat. In eâ visebatur Salomonis Hebræo-*

[a] In Chron.

[b] De reb. get.

* *Carcassonne.*

[c] In Chron. Goth.

[d] Lib. 1. de bell. Goth. c. 12.

CARCASSO OBSIDETVR A FRANCIS.

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

rum Regis ſupellex præclariſſima. Erant enim præſtis ornata lapidibus comp'ura vaſa, quæ quondam Romani Hieroſolymis exportauerant. Deinde Theodorico cum Gothorum copiis aduentante, correpti metu Germani obſidionem ſoluerunt. Germanorum nomine Francos intelligit, hos enim, quia originem è Germania trahebant Germani olim dictos ita teſtatur [a], οἱ δὴ Φράγγοι, Γερμανοὶ μὲν, τὸ παλαιὸν ὠνομασμένοι. Pari ratione, Angli & Saxones, qui Britanniam incolebant, ætate Bedæ à vicinâ Britonum gente Germani nuncupabantur. *Egbertus*, ait Beda [b], *propoſuit animo verbum Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus Euangelizando committere, quarum in Germaniâ plurimas nouerat eſſe nationes, à quibus Angli vel Saxones, qui Britanniam incolunt, genus & originem duxiſſe noſcuntur, vnde hactenus à vicinâ gente Britonum corruptè Germani nuncupantur.*

[a] Lib. 1. c. 11. de bell. Goth.
[b] Lib. 5. c. 10.

II.

Ad hunc annum videntur pertinere, quæ de Sigiberto qui Coloniæ regnabat, eiuſque filio Chloderico, Clodouei Regis conſanguineis, refert Gregorius Turonenſis [c]. *Cùm Chlodouechus Rex apud Pariſius moraretur, miſit clam ad filium Sigiberti dicens. Ecce pater tuus ſenuit, & pede debili clãudicat. Si ille, inquit, moreretur, rectè tibi cum amicitiâ noſtrâ Regnum illius redderetur. Quâ ille cupiditate ſeductus, patrem molitur occidere. Cumque ille egreſſus de Coloniâ ciuitate, tranſacto Rheno, per Buchoniam ſiluam ambulare diſponeret, meridie in tentorio ſuo obdormiens, immiſſis ſuper eum filius percuſſoribus, eum ibidem interfecit, tanquam Regnum illius poſſeſſurus. Sed iudicio Dei in foueam, quam patri hoſtiliter fodit, inceſſit. Miſit igitur nuncios ad Chlodouechum Regem, de patris obitu nunciantes, atque dicentes. Pater meus mortuus eſt, & ego theſauros cum Regno eius penes me habeo. Dirige tuos ad me, & ea quæ tibi de theſauris illius placent, bonâ voluntate tranſmittam. Et ille, gratias, inquit, tuæ voluntati ago, vt venientibus noſtris patefacias, cuncta ipſe poſſeſſurus. Quibus venientibus iſte patris theſauros pandit. Qui dum diuerſa reſpicerent, ait. In hanc arcellulam ſolitus erat pater meus numiſmata auri congerere. Immitte, inquiunt illi, manum tuam vſque ad fundum vt cuncta reperias. Quod cùm feciſſet & eſſet valde declinus, vnus eleuatâ manu bipennem cerebro eius inliſit. Et ſic quod in patrem egerat indignus incurrit. Quod audiens Chlodouechus, quòd ſcilicet interfectus eſſet Sigibertus vel filius eius, in eodem loco aduenies conuocat omnem populum illum dicens. Audite quid contigerit, dum ego, inquit, per Schaldem * fluuium nauigarem, Chlodericus filius parentis mei patrem ſuum inſequebatur, verbo ferens quòd ego eum interficere vellem. Cúmque ille per Buchoniam ſiluam fugeret, immiſſis ſuper eum latrunculis, morti tradidit & occidit. Ipſe quoque dum theſauros eius aperit, à neſcio quo percuſſus interiit. Sed in his ego nequaquam conſcius ſum. Nec enim poſſum ſanguinem parentum meorum effundere, quod fieri nefas eſt. Sed quia hæc euenerunt, conſilium vobis præbeo, ſi videtur acceptum, conuertimini ad me vt ſub meam ſitis defenſionem. At illi iſta audientes, plaudentes tam parmis quàm vocibus, eum clypeo euectum ſuper ſe Regem conſtituunt, Regnumque Sigiberti acceptum cum theſauris, ipſos quoque ſuæ ditioni adſciuit. Proſternebat enim quotidie Deus hoſtes eius ſub manu ipſius, & augebat regnum eius, eò quòd ambularet recto corde coram eo, & faceret quæ placita erant in oculis eius.* Colonia autem quæ ab obitu ſancti Euergiſli longo laborauerat interpontificio, ſtatim ac in poteſtatem Clodouei venit, Aquilinum, vel vt Democharis ex Irenico ſcribit, Solinum accepit Epiſcopum, ex conſilio enim beati Remigij Rex piiſſimus nihil omittebat, vt extructis Eccleſiis miſſiſque Pontificibus damna repararet, quæ pridem hæreſes & idolorum cultus in Gallias inuexerant.

[c] Lib. 2. c. 40.

CLODOVEVS POTITVR COLONIA.

* L'Eſcault

AQVILINVS EP. COLONIÆ CONSTITVITVR.

III.

Poſthæc, inquit idem Gregorius [d], *ad Chararicum Regem dirigit. Quando autem cum Siagrio pugnauit, hic Chararicus euocatus ad auxilium Chlodouechi eminus ſtetit, neutram adiuuans partem, ſed euentum rei expectans, vt cui euenret victoria, cum illo & hic amicitiam conligaret. Ob hanc cauſam Chlodouechus indignans contra eum abiit, quem circumuentum dolis cepit cum filio vinctoſque totondit, & Chararicum quidem Presbyterum, filium verò eius Diaconum ordinari*

[d] Lib. 2. c. 41.

CLODOVEVS POTITVR DITIONE CHARARICI.

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

iubet. Cùmque Chararicus de humilitate suâ conquereretur & fleret, filius eius dixisse fertur. In viridi, inquit, ligno hæ frondes succisæ sunt, nec omninò arescunt, sed velociter emergent, vt crescere queant. Vtinam tam velociter qui hæc fecit intereat! Quod verbum sonuit in aures Chlodouechi, quòd scilicet minarentur sibi cæsariem ad crescendum laxare, ipsúmque interficere. At ille iussit hos pariter capite plecti. Quibus mortuis regnum eorum cum thesauris & populis acquisiuit. Iacobus Malbrancus [a] Chararicum Regem agnoscit Morinorum.

[a] Lib. 2. c. 38.

IV. GERMERIVS EP. TOLOS.

Circa illa tempora, cùm Clodoueus Parisiis degeret, eò venit Germerius, quem Gregorius Episcopus Santonensis Diaconum ante triennium ordinarat. Tunc autem nuncium allatum est de morte Heracliani Episcopi Tolosani, quem Concilio Agathensi subscripsisse suprà notauimus, in eius locum subrogatus est Germerius * præsentibus multis Episcopis, inter hos vnus legitur Gregorius nomine, quem non alium putamus à Gregorio Santonensi iam laudato, cui paulò pòst mortuo successit Petrus inter Patres Concilij Aurelianensis primi recensitus. Cererùm Germerius Episcopus in aula Regia viginti dies moratus, tum amplissimis muneribus à Rege donatus dimissúsque Tolosam abiit, vt officio pastorali sedulò incumberet. Hæc ex eius vita refert Catellus [b] in historia Linguodochiana, quæ quidem gesta sunt inconsulto Narbonensi Metropolitano, quoniam Narbo non erat in potestate Francorum.

* *Germier.*

[b] Lib. 5.

V. FRIDOLINI ABBATIS PEREGRINATIONES.

Fridolinus Abbas Pictauiensis, cùm instaurandæ Ecclesiæ sancti Hilarij diligenter operam nauaret, aduentúque duorum Presbyterorum, quos Petrus Canisius filios fratris fuisse scribit, non parùm recrearetur, per noctem à beato Hilario monitus est, vt ad Alemaniæ insulam, quæ Rheno cingebatur, quantocyùs se conferret. Ab hac sacra visione stupefactus vix euigilarat, cùm nuncius retulit Episcopum paralysi percussum animam agere, illuc sumptis secum nepotibus citiùs aduenies infirmo sanitatem restituit, tum eidem Pontifici ac ciuibus Pictauiensibus valedicens in Germaniam perrexit. *Arrepto itinere*, inquit Baltherus, *portans secum reliquias sancti Hilarij, primùm aggressus Regem* Clodoueum, *omnia quæ diuinitùs sibi acciderant propalauit ei, ab eóque potestatem accepit quatenùs vbicumque prænominatam inueniret insulam adhuc tamen sibi prorsus insciam, cuncta quæ vellet in Dei nomine ille licenter ageret. Huiusmodi potestate acceptâ, nimiæque gratiâ consolationis impetratâ lætus à Rege discessit, indéque pergens venit ad quoddam flumen Mosella * nuncupatum, ibique in ipsius ripa fluuy quodam Monasterio sub honore sancti Hilary constructo, diutiùs quàm vt hoc Monasterium perficeretur, noluit morari. Indéque progrediens inter quædam concaua montium conuallia, in quodam monte Vosago * nuncupato construxit Ecclesiam similiter in eiusdem Sancti honore. Quâ verò illic perfectâ quandam adiit vrbem, quæ apud Latinos Argentina * vocitatur, in qua etiam sub eiusdem Sancti honore ædificauit Ecclesiam. Ab eadem autem dum pergeret ciuitate per Monasteria Regni Burgundionum, suum direxit iter in quandam regionem Rhetia vocatam.* Quæ sequuntur non pertinent ad nostrum institutum, quia gesta sunt extra Franciæ limites.

* *La Mosselle.*

* *Le Mont de Voge.*

* *Strasbourg*

VI.

In Monasterio Seckingensi, vbi sanctus Fridolinus quieuit, olim asseruabantur duo libri, prior vitam beati Hilarij Episcopi, posterior vitam beati Fridolini Abbatis amplectebatur, hunc Seckingenses lapsu temporis amiserunt, testis ea de re locuples est Baltherus Seckingensis Monachus, qui nono seculo cùm varias peregrinationes obiret, eáque potissimùm inuiseret loca, quæ sanctus Fridolinus aliàs incoluerat, ad Monasterium Hilariacum in ripa Mosellæ situm peruenit, ibique prout testatur in prologo quem vitæ sancti Fridolini præfixit, Codicem, qualem Seckingenses perdiderant, fortè reperit legitque, & quicquid ex illa lectione mandare potuit memoriæ, mox in literas retulit. Quapropter sancti Fridolini vita, cuius Auctor Baltherus apud Ioannem Colganum in Actis Sanctorum Hiberniæ pridie Nonas Martias inscribitur, ipsi Balthero, qui nono seculo vixit, haud attribui debet,

sed

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

sed potiùs Scriptori longè antiquiori quem Baltherus attentè perlegerat. Alij omnes qui de sancto Fridolino scripserunt, Balthero sunt recentiores. Opus Baltheri diuiditur in duos libros, quorum primus est de vita sancti Fridolini, secundus de miraculis.

VII.

In priori, quantùm ad tempus attinet, quo beatus Fridolinus floruit, nihil certum reperitur, nisi quòd antequàm sancti Hilarij translationem & restaurationem Ecclesiæ susciperet, cum Pictauiensium Episcopo Clodoueum Regem adiit, ager autem Pictauiensis in ditionem Clodouei transiit, cæso Alarico Wisigothorum Rege, id est, anno Christi quingentesimo septimo. Corrigendus igitur Franciscus Guillimannus libro tertio de rebus Heluetiorum, cùm Abbatis Fridolini profectionem in Heluetiam refert anno Christi quadringentesimo nonagesimo-primo, nec potiorem sibi conciliant auctoritatem Gasparus Bruschius in opere de Monasteriis Germaniæ, & Iudocus Coccius in libro de Dagoberto Rege, cùm Seckingiæ * Cœnobium à Fridolino conditum aiunt anno Christi quingentesimo nonagesimo-quinto. Ab Abbatis Fridolini discessu ex Monasterio Pictauiensi vsque ad obitum Clodouei Regis non interceſſerunt anni tres integri. Fridolinus Cœnobium construxit in ripa Mosellæ, deinde duas Ecclesias, vnam in Vosago monte, alteram Argentinæ, priusquàm per Burgundiæ regnum in Rhetiam proficisceretur, inde patet Monasterij Seckingensis, quod vltimum Fridolini opus fuit, post Clodouei Regis obitum iacta fundamenta, nec habendam fidem Bruschio & Coccio, quorum alter Monasterium illud *à Clodoueo Galliarum Rege confirmatum*, alter *Clodouei Regis beneficentiâ* erectum prodit. Ioannes Colganus [a] in appendice ad vitam sancti Fridolini, obseruat Fridolino propter varias eius peregrinationes inditum fuisse, quod in apparatu Posseuini legitur, Viatoris cognomen, deinde recensetur octo Monasteria vel Oratoria in diuersis locis ab eo extructa, primum Pictauij, secundum ad ripam Mosellæ, tertium in Vosagi iugis, quartum Argentinæ, quintum & sextum Curiæ * in Rhetia, septimum Claronæ *, octauum Seckingiæ in Rheni insula. De primo sermonem iam fecimus. De secundo quod in Diœcesi Metensi situm est, & hodie Sancti Naboris appellatur, ita disserit Bruschius. *Discedens posteà inde in Belgium, primùm ad Mosellam venit, à quo amne non procul rursùs in honore Sancti Hilarij aliud Monasterium inchoauit, quod hodie Helera vel Hilariacum vocatur, idque Sancti Naboris Cœnobium esse existimatur.* Assentitur Coccius. *Parte non modicâ*, inquit, *sanctissimi Antistitis*, nempe Hilarij, *exuuiarum secum asportatâ, in Belgium primùm, inde ad Mosellæ ripam, haud longè remotum eiusdem Sancti Hilary memoriæ alterum domicilium excitauit, quod Hilariacum antiquitùs dictum, hodie Sancti Naboris vocabulum vnà cum oppido retinet, posteaquàm eius Martyris pretiosa Lipsana ex Vrbe adlata, per Grodegangum sanctissimum Mediomatricorum * Antistitem eodem inuecta sunt.* De Ecclesiis in Vosago monte & apud Argentinam à Fridolino erectis nihil habent moderni Scriptores præter id quod à Balthero suprà recitato descripserunt. Fridolinus moram fecit apud Argentinam *. *Argentoratum * subiens.* inquit Coccius, *ibi quoque incolas, partim vanâ Deorum superstitione adhuc obtenebratos, partim Arianâ scabie infectos Christum seruatorem ac sanam fidem condocefecit.*

[a] Cap. 3.

MONASTERIA.

* Coire.
* Glaris.
* Mets.
* Strasbourg

VIII.

In posteriore Baltheri libro, qui de sancti Fridolini miraculis inscribitur, Fridolinus dicitur obdormiisse in Domino pridie Nonas Martias, cùm superstes aliquandiù Regi fuisset, cuius donatione possessionem insulæ Seckingensis acceperat. Ex illa Baltheri supputatione duo grauissimi deprehenduntur errores in Coccio, cui si fides est, Fridolinus *Sanctum Hilarium Pictauiensem Episcopum inuisit, & spiritum sanctissimè posuit Seckingæ, anno, vt non obscuri Scriptores subduxerunt, præter propter* DXIV. *eodem circiter, quo Rex Clodoueus, ætate prouectâ*, S. Hilarius, auctore Hieronymo [b], migrauit ad Deum anno Valentiniani & Valentis Augg. tertio, Christi trecentesimo sexagesimo

ÆTAS.

[b] In Chron.

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

septimo, demus ipsum aliquot annos posteà vixisse, vt quidam volunt, an ideò Fridolinum, qui teste Balthero, priusquàm in Galliam se traiiceret, Euangelium Christi diù in Hibernià prædicauit, quis opinari poterit à sancto Hilario in monasticis disciplinis eruditum fuisse, & ad vltima Clodouei Regis tempora peruenisse? Ætas sancti Hilarij, quam tot testimoniis confirmatam habemus, nos adigit vt Fridolini aduentum in Gallias ipsius sancti Hilarij morte longè posteriorem censeamus; res verò à Fridolino gestæ post eius discessum ex agro Pictauiensi nos eò trahunt, vt Clodoueum credamus ex hac vitâ discessisse, priusquàm Fridolinus Seckingiam obtineret, imò priusquam Argentinâ per Burgundiam in Rhetiam proficisceretur. Post Clodoueum Patrem in orientalibus partibus Franciæ per annos tres ac viginti regnauit Theodoricus, cui superstitem vixisse Fridolinum haud existimamus, quia, prout in eius vitâ Baltherus affirmat, soluit ex Hiberniâ siue ex maiori Scotiâ *desiderabili clericatus honore pro suo libitu sublimatus, & prædicationis officio in tantùm glorificatus, vt inter omnes Scotorum Principes non solummodò velut aliquis honorabilis Clericus & Sacerdos diligeretur, sed ceu Pontifex summo honore Episcopali haberetur;* Deinde *postquam Galliæ fines circumeundo lustrauerat, & sanctæ Catholicam fidem Trinitatis in credentium cordibus plantauerat, accidit eum in alia loca Pictauiensium vrbem aggressum esse, ibique per longum tempus in castris sancti Hilary demoratum fuisse*, itaut minimè dicendus sit vixisse post annum Christi quingentesimum tricesimum-quartum, quo Theodoricus Francorum Rex, Clodouei filius, vitam cum morte commutauit. Textus igitur Baltheri, qui multos hactenus decepit, explicandus videtur non de Francorum Rege sed de Burgundionum Monarchâ, cuius ditio ad insulam vsque Seckingiæ porrigebatur. Regnante in orientali Franciâ Theodorico, vitam clauserunt duo Burgundiæ Reges, Gundobadus eiusque filius Sigismundus, ille anno Christi quingentesimo decimo-sexto, hic anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto Kalendis Maiis. Gundobadus hæresim Arianam profiteri non destitit. Sigismundus orthodoxam fidem amplexus est, clericos ac monachos studiosissimè coluit, Agaunense monasterium construxit ac locupletissimè ditauit, vitam denique adeò piam ac sanctam duxit, vt multis post mortem miraculis coruscarit. Tanta morum inter vtrumque disparitas facilè suadet Regem, à quo Fridolinus multùm diligebatur, & à quo possessionem insulæ Seckingensis supra Basileam * accepit, non alium fuisse quam Sigismundum Burgundiæ Regem, cui Fridolinus ipse diù superstes non fuit.

* *Basil.*

IX. Miramur sanctum Fridolinum à Coccio, qui mortem illius anno Christi quingentesimo decimo-quarto consignat, inter monachos Benedictinos accenseri, nam institutum sancti Benedicti longè seriùs per Galliam & Germaniam propagari cœpit, vt ex vitâ sancti Mauri patebit inferiùs. Arnoldus Wion ne in eundem scopulum incideret, in notis ad sextam diem Martij finxit sanctum Fridolinum migrasse circa annum Domini quingentesimum sexagesimum. Hugo Menardus in suo martyrologio, quo Sanctos ordinis Benedictini complectitur, pridie Nonas Martias, quam apud Wionem legerat, depositionem sancti Fridolini Abbatis & Confessoris non expunxit, fortè ne dies ille absque vllius sancti commemoratione præteriret, ad eundem autem diem libro primo suarum obseruationum, postquàm minùs probauit eos qui sanctum Fridolinum sancti Hilarij discipulum putant, addit *posse etiam dubitari, an hic sanctus fuerit ordinis sancti Benedicti.* Ordo clarissimus, qui tot Sanctorum syderibus fulget, fucatis honorum auctionibus non indiget. Quæ de sancti Fridolini ætate iam narrauimus, quæque de sancti Mauri aduentu in Galliam suo loco dicemus, apertissimè demonstrant sanctum Fridolinum sub regulâ sancti Benedicti numquam vixisse. *Fridelinus Viator*, inquit Possevinus, *pias quasdam adhortationes fertur scripsisse.* Idem affirmat Vareus libro primo [a] de scriptoribus Hiberniæ. At hæc sufficiant de sancto Fridolino,

SCRIPTA.

[a] Cap. 1.

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

qui cùm recessit Pictauio, suos ibi reliquit nepotes, viros pietate conspicuos, quorum corpora Bouchetus, qui sub Henrico Secundo Francorum Rege scripsit, duodecimo circiter anno antequam suos Annales ederet, in Ecclesiâ beati Hilarij reperta testatur adeò integra, ac si quatuor tantùm dies fuissent sepulta.

X. GENEBALD. EP. LAVDVN. ITERVM PECCAT. RESIPISCIT.

Genebaldus Laudunensium Episcopus, de cuius crimine cum vxore quam reliquerat vt Pontifex fieret, anno priori iam locuti sumus, *iterauit peccatum quod egerat. Concepitque iterùm mulier, & misso nuncio mandauit Episcopo se fœminam peperisse quam iussit nominari Vulpeculam. Quod, cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes & significationes in scripturis ipsius animalis cognoscit, quas ad dolos ac versutias deceptoris Diaboli & ad carnis petulantis illecebras & anfractus retulit, facilè satis aduertit. Tandem Domino, qui beatum Petrum respexit, illum respiciente, Genebaldus in se reuersus ad sanctum Remigium misit, petens vt Laudunum veniret, quia tales causa ibi emerserant, quas per se diffinire non posset. Beatus autem Remigius, sicut Genebaldus petiit, Laudunum * peruenit, & susceptus cum debitâ reuerentiâ ac secreta cubiculi petens, Genebaldum interrogauit, pro quâ causâ illum vocauerit. Genebaldus verò cum maximo fletu & eiulatu volens tollere stolam de collo suo & procedere ad pedes sancti Remigij, cum magnâ virtute à beato Remigio est detentus ne stolam de collo suo tolleret. Et postquàm diutiùs ambo fleuerunt, (intellexit enim Beatus Remigius Genebaldum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere,) vix singultibus & lachrymis Genebaldus per ordinem omnia retulit quæ commiserat. Quem sanctus Remigius videns contritum & penè desperatum, blandè consolatus est dicens. Non tantùm doleo de admisso antè crimine, quantùm quòd sic male sentis de Domini bonitate, cui secundùm Euangelicam veritatem non est impossibile omne verbum. Ipse de nihilo cuncta fecit, primumque parentem, in quo omnes peccauerunt, gratiâ saluum fecit, nullumque peccantem ad se reuersum despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Quatriduanum etiam fœtentem Lazarum, lachrymis sororum, quæ significant sollicitas ac flebiles pœnitentium cogitationes, compatiendo fleuit, & à mortuis suscitauit, suscitatum conuictio suo admisit. Mulieris etiam ipsius, quæ fuerat in ciuitate peccatrix manibus iniquitate pollutis, sanctissimos pedes suos is, qui super Angelorum omnium verticem ad patris dexteram considet, attrectari non renuit. Numquam vlli quantiscumque vel qualibuscumque peccatis mortuo, seu mole ac scelerum enormitate sepulto, gratiam resuscitationis à peccato denegat. Digniè pœnitentem atque peccata sua deflentem per ianuam reconciliationis communioni altaris sacrosancti restituit. Et vt erat doctissimus ac orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctæ Scripturæ, & exempla pœnitentium in vnum colligens, ad animandum eum illi proposuit, & exhortato pœnitentiam indixit. Factáque mansiunculâ cum lecto in modum sepulchri, & paruissimis feneſtellis, ac oratorio, quæ hodiéque manent secus Ecclesiam sancti Iuliani, Genebaldum in eâ reclusit, & clerum ac parochiæ ipsius populum per septem annos vt & propriam parochiam gubernauit, & vnam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum celebrauit. In quâ reclusione pœnitentiæ, quantæ contritionis & continentiæ idem Genebaldus fuerit, diuina misericordia demonstrauit,* vt post septennium referemus ex Hincmaro, qui totum illud negotium fusè descripsit in vitâ sancti Remigij.

AGIT POENITENTIAM.

* *Laon.*

XI. GALLVS ADOLESCENS SECEDIT IN MONASTERIVM.

Hic annus Galli nobilis Aruerni vicesimus est, nec differre multùm potest à tempore, quo generosus ille iuuenis vxorem ducere recusauit, maluitque secedere in monasterium Cronomense, vt illic vitam à delitiis seculi remotam transigeret. De Galli ætate differemus alibi, ac potissimùm in eius obitu, qui anno Christi quingentesimo quinquagesimo quarto contigit, cùm annos sexaginta quinque nondum integros vixisset. Eius autem è paternâ domo fugam sic describit Gregorius Turonensis [a]. *Sanctus Gallus ab adolescentiâ suâ deuotus Deo esse cæpit, diligensque ex totâ animâ Dominum, & ea quæ Deo dilecta esse nouerat, diligebat. Pater eius Georgius nomine, mater verò Leocadia, ab stirpe Vecti Epagati descendens, quem Lugduni passum Eusebij testatur*

[a] De vit. Patr. cap. 6.

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. I. REG. 28.

historia libro videlicet quinto [a], anno Marci Antonini Augusti decimo-septimo, Christi centesimo octogesimo. *Qui ita de primoribus Senatoribus fuerunt, vt in Galliis nihil inueniatur generosius atque nobilius. Cúmque ei pater cuiusdam Senatoris filiam quærere vellet, ille assumpto secum vno puerulo Monasterium* * *Cronomense expetiit, sexto situm ab Aruerna vrbe milliario, suppliciter Abbatem exorans, vt sibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atque elegantiam pueri nomen inquirit, interrogat genus & patriam; ille verò, Gallum se vocitari pronunciat, ciuem Aruernum, Georgij filium Senatorus. Quem Abba vt cognouit de prima progenie esse progenitum, ait, bene, dilectissime fili, desideras, sed primùm oportet hac in patris tui referri notitiam, & si hæc ille voluerit, faciam quæ deposcis. Denique Abba pro hac causa nuntios misit ad patrem, interrogantes quid de puero obseruari iuberet. At ille parumper contristatus, primogenitus, inquit, erat mihi, & ideò eum volui coniugio sociare, sed si eum Dominus ad suum dignatur accire seruitium, illius magis quàm nostra voluntas fiat. Et adiecit. Quicquid vobis infans, Deo inspirante, suggesserit, adimplete. Tunc Abba, nuntiis ista referentibus, puerum Clericum fecit.* Illis enim temporibus Abbates suorum Cœnobiorum incolis non modò Regularem tradebant habitum, sed eosdem Ecclesiasticâ tonsurâ insigniebant, & ad Clericatum sic promouebant, vt docet Sausſaius in Panoplia [b] clericali.

[a] Cap. 1. * *Cornon.*

[b] P. 1 l. 4. c. 3.

XII. SOLENNII CARNOT. EPISCOPI MORS. SEPVLTVRA.

Solennius siue Solennis Carnotensis Episcopus, qui Clodoueum aduersus Gothos proficiscentem exceperat Carnoti, vt in vita sancti Deodati * Abbatis legitur, eidémque Regi, vt multi scribunt, victoriam prædixerat & gratulatus erat reduci, feliciter ad Deum transiuit hoc anno. Colitur in tabulis Ecclesiasticis octauo Kalendas Octobris. Apud Malliacense Monasterium, vt supremo voto concupierat, sepultus est, diúque delituit sacrarum eius exuuiarum thesaurus. At Deus tandem serui fidelis congruo tempore merita propalare voluit. Singulis enim noctibus lumen ingens è crypta, vbi iacebat occultus, refulgebat, quo condita illic gemma adeò pretiosa indicabatur. Verùm mirantibus qui spectabant, nec inquirentibus, supernâ dispositione factum est, vt duo energumeni tumulatum eò loci Solennij * sanctissimi Episcopi corpus repetitâ vociferatione inclamarent, cuius ope se solatium, atque quotquot piè orarent, suffragium percepturos contestabantur. Effossâ igitur humo quam illi vnguibus aperire nitebantur, inuentum est sacratissimum corpus magno in sepulchro antiquæ formæ quiescens, quo conspecto duo illi energumeni mox dæmoniacâ vexatione erepti sunt. Plerique verò infirmi ad nouum medicum delati, medelam desideratam, ope eius imploratâ, receperunt. Lege Gregorium Turonensem in libro [c] de gloria Confessorum, & Andream Sausſaium in Martyrologio Gallicano [d].

* *S. Die.*

* *S. Soulein.*

ELEVATIO.

MIRACVLA.

[c] Cap. 21.

[d] Die 14. Sept.

XIII. SVCCEDIT AVENTINVS.

Cùm de sancti Solennij promotione ad Episcopatum loqueremur, per antecessum obseruauimus illum sedisse *per tres Olympiadas*, id est, per annos duodecim, & Auentinum qui verè ordinatus fuerat Episcopus, eius successorem declaratum fuisse si superstes foret. Errant igitur qui locum inter Præsules Carnotenses Auentino negant. Solennius & Auentinus Diœcesim Carnotinam ab anno Christi quadringentesimo nonagesimo-septimo ad annum Christi quingentesimum vicesimum-octauum rexerunt annis vno ac triginta, Solennius duodecim, Auentinus vndeviginti. Quandiù Solennius vixit, Auentinus Episcopi munere functus est in oppido Dunensi, quod ad Diœcesim Carnotensem pertinebat atque etiamnum pertinet. Post obitum verò sancti Solennij Auentinus Episcopatum Carnotensem solus administrauit. Anno Christi quingentesimo vndecimo Synodum Aurelianensem primam suâ subscriptione corroborauit *Auentinus Episcopus Ecclesiæ Carnotenæ*, siue *Episcopus de Carnotas*, vel *ex ciuitate Carnotas*, vnde colligere est beatum Solennem priùs obiisse quàm Concilium illud Aurelianense cogeretur, Auentinus enim qui post sancti Solennij mortem promiscuè Dunensem & Carnotensem Episcopum se dixit, viuente Solennio Dunensis tantùm Epi-

ANNVS Christi 509. CLODOV. IMP. 1. REG. 28.

scopus est appellatus. Multi quibus Castrodunum * seu Dunum castrum ignotum erat, pro Dunensi Auentini Præsulatu Dinienſem, Diuienſem, Dienſem ac Dignenſem pessimè scripserunt. Vitam Auentinus duxit Episcopo dignissimam, ingentem paganorum numerum ad Christi fidem conuertit, doctrinam suam frequentibus probauit miraculis quæ narrantur ab authore vitæ [a], Castroduni pestem sedauit, tria in eâdem vrbe templa propriis sumptibus erexit, dicauitque vnum Christo Saluatori ac sancto Ioanni Baptistæ, alterum sancto Stephano protomartyri, tertium Dei genitrici Mariæ.

* *Chasteaudun.*

[a] Ap. Bolland. d. 4. Febr.

ANNVS CHRISTI 510. CLODOVEI IMP. 1. REG. 29.

ANNO 510. CLODOV. IMP. 2. REG. 29.

ANNO Christi quingentesimo decimo Boetius Consulatum [b] gessit absque collegâ. I.

[b] Cassiod. Marius, Marcell. Vict.

Franci & Burgundiones irrito conatu Arelatem obsederunt, vt in vitâ [c] sancti Cæsarij, qui tunc illius ciuitatis Episcopus erat, prolixè narratur. Eiusdem obsidionis meminit Cassiodorus [d] multis in locis, eamque hoc anno, Indictione tertiâ solutam fuisse non obscurè testatur in literis [e] Theodorici Regis, tributum per Indictionem quartam remittentis Arelatensibus ad tempus obsidionis penuriâ diminutis. *Gemello V. S. Theodoricus Rex. Constat apud nos fidelium non perire seruitia, sed in tristibus impensa recipere in meliore fortunâ. Arelatensibus itaque, qui nostris temporibus perdurantem glorioſæ obsidionis penuriam pertulerunt, per Indictionem quartam fiscalia tributa nostra relaxat humanitas, itaut futuro tempore ad solitam redeant functionem. Quatenus & nos bene meritis vicissitudinem reddidisse videamur, & ab illis cùm res popoſcerit, solita deuotio non negetur. Sacientur in libertate, qui pro nobis in angustiis esurire maluerunt. Sint læti qui tristitiam fideliter pertulerunt. Non decet statim de tributis esse sollicitum, qui pro nostrâ fidelitate casum vix potuit declinare postremum. A quietis ista non obsessis inquirimus. Quid enim à domino agri exigas, quem eum non coluisse cognoscas. Pretioſum vectigal iam nobis dederunt suæ fidei. Iniustum est vt viles pecunias exigamus ab iis qui glorioſas consicientias obtulerunt.*

II.

[c] Lib. 2. capp. 11. 12.
[d] Lib. 3. ep. 31. l. 8. ep. 10.
[e] Lib. 3. ep. 31.

OBSIDIO ARELAT.

Gesilicus ex Africâ reuersus, metu Theodorici Regis in Aquitaniâ delituit hoc anno, vt docet Isidorus in Chronico Gothorum. III.

Ad hunc annum arbitramur pertinere, quæ prolixiùs scribuntur à Gregorio Turonensi [f] de pugnâ quam Clodoueus cum Ragnachario qui Cameraci * regnabat, eiusque fratre Richario propinquis suis iniit, déque nece quam illis illorumque fratri Regnomeri apud Cenomannos * degenti nonnullisque aliis inferri iussit regno suo per vniuersam Franciam dilatato. Cenomannorum Episcopus erat Principius, de quo loquemur iterùm anno sequenti. Cameraci non erat Episcopus, neque enim Ragnacharius Christianam fidem amplexus fuerat, imò pleroſque qui baptismum cum Clodoueo Rege susciperе noluerant, in suum regnum receperat, de quorum conuersione post eius mortem sic loquitur Hincmarus [g]. *Multi necdum ad fidem conuersi cum Raganario vltra Sommam fluuium aliquandiu degerunt, donec Christi gratiâ cooperante glorioſis potitus victoriis, eundem Raganarium flagitiis turpitudinum seruientem, vinctum à Francis, sibi traditum Rex Ludouicus occidit, & omnem Francorum populum per B. Remigium ad fidem conuerti & baptizari obtinuit.* Falluntur plerique recentiores, dum volunt etiam [h] in potestate Ragnacharij fuisse Tornacum.

IV.

[f] Lib. 2. c. 42.
* *Cambray.*
* *Le Mans.*

CLODOVEVS MONARCHA TOTIVS FRANCIÆ.

[g] In vit. S. Remig.

[h] Hist. Tornac. lib. 1. c. 19.

ANNVS Christi 510. Clodov. Imp. 2. Reg. 29.

Postquàm Clodoueus Cameraco potitus est, ambæ ciuitates Atrebatum & Cameracum vni eidemque paruerunt Antistiti, beato videlicet Vedasto qui Pontificatum Atrebatensem ab annis iam duodecim obtinebat, idque non satis aduertit Hincmarus, cùm sanctum Remigium, cuius vitam scribebat, dixit Episcopum antiquæ fuisse metropolis, *quæ tunc temporis habebat sub se duodecim ciuitates & totidem Episcopos eisdem præsidentes*, sedes autem Episcopalis fuit Atrebati *, quam Vedulphus Vedasti post Dominicum successor Cameracum posteà transtulit.

V. Ecclesiæ Atrebat. et Camerac sub eodem Episcopo.

* *Arras.*

Ad postrema Clodouei Regis tempora referri debent, quæ de Nannetibus * obsessis à Chillone, diuinitusque liberatis scribit Gregorius Turonensis libro primo [a] de gloriâ Martyrum. *Apud vrbem Namneticam*, inquit, *duo sunt Martyres pro Christi nomine iugulati. Quorum vnus Rogatianus, alter Donatianus est vocitatus. Habetur ibi etiam & Similinus * magnus Confessor. Igitur cùm prædicta ciuitas tempore Chlodouechi Regis barbaricâ vallaretur obsidione, etiam sexaginta dies in hac ærumna effluxissent, mediâ ferè nocte apparuerunt populis viri cum albis vestibus, radiantibus cereis à Basilicâ beatorum Martyrum egredi, & ecce alius chorus huic simili de Basilicâ procedere Antistitis Similini. Cúmque coniungentes se, datâ salutatione, orationi incubuissent, recessérunt vnusquisque ad locum vnde progressus fuerat, ac protinus omnis phalanga hostilis immenso pauore exterrita, ita subito impetu à loco discessit, vt factâ luce nullus ex his reperiri posset. Apparuit antedicta virtus Chilloni cuidam, qui tunc huic exercitui præerat, qui necdum erat ex aquâ & Spiritu sancto renatus, qui statim compunctus corde, conuersus ad Dominum, iteratâ natiuitate progenitus, Christum esse filium Dei viui clarâ voce testificatus est.* Sanctorum Donatiani & Rogatiani Martyrum, & Similini seu Simuliani Episcopi nomina leguntur [b] in Martyrologio Romano.

VI. Nannetæ obsidentur. Divinitus liberantur.

* *Nantes.*

[a] Cap. 60.

* *S. Sambin.*

[b] D. 14. Maij. & d. 16. Iun.

---

511. Clodov. Imp. 3. Reg. 30.

ANNVS CHRISTI 511.

CLODOVEI Imp. 3. Reg. 30.

I. ANNVS Christi quingentesimus vndecimus notatur [c] Consulibus Secundino & Felice.

[c] Cassiod. Marius, Marcell.

II. Iacobus Sirmondus antiqua Galliæ Concilia tribus tomis euulgauit, & Aurelianensem Synodum primam hoc consignauit anno propter Felicis Consulatum, quem apud plerosque manuscriptos Codices reperit in subscriptionibus, qualis est hæc Cypriani Burdegalensis Episcopi. *Cyprianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Burdegalensis metropolis Canonum statuta nostrorum subscripsi, sub die* VI. *Idus Iulias, Felice V. C. Consule.*

III. An Franci tempora per Consules notarint.

Quæri potest hoc loco, vtrùm Franci mentionem Consulum Romanorum in publicis instrumentis facere consueuerint. Quamuis eruditi viri nostrâ ætate multùm studij collocarint in ordinandis Consulatibus, quos Synodis intra Franciæ fines coactis appositos inuenerunt, suppositititium semper existimauimus talem Characterem, quia Reges Francorum non erant obnoxij Romano Imperio, & inter tot authores Francos, qui de rebus gentis suæ scripserunt, vnus duntaxat occurrit Marius Auenticensis seu Lausannensis Episcopus, qui Chronicon suum per Consules ideò digessit, quòd illud Consularibus Fastis Prosperi subiecit. Ceteri scriptores hoc abstinuerunt Charactere. Gregorius Turonensis vix vnius aut alterius Consulatus sub Romanis Imperatoribus ante conditam Francorum in Galliâ monarchiam meminit. Sola penè Concilia præferunt aliquos Consulatus in suis subscriptioni-

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

bus. Prima Synodus Aurelianensis exhibet Consulatum Felicis sub Chlotouecho Rege: Synodus Aruernensis annum post Consulatum Paulini Iunioris sub Theodeberto Rege: tertia Synodus Aurelianensis annum quartum post Consulatum eiusdem Paulini sub Childeberto Rege: quarta Synodus Aurelianensis Consulatum Basilij. Ab illis Consulatibus non recedemus, Synodum enim Aurelianensem primam ponemus hoc anno Felice Consule, Synodum Aruernensem post Consulatum Paulini Iunioris anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, tertiam Synodum Aurelianensem quarto post Consulatum Paulini Iunioris anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, quartam Synodum Aurelianensem Basilio Consule anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo. Nostram tamen Chronologiam non intendimus huiusmodi Consulatibus fulcire, sed aliæ nos ad eundem calculum trahent aut rationes aut coniecturæ. Prima Synodus Aurelianensis ad hæc postrema Clodouei tempora proculdubiò pertinet, habita est enim *ex euocatione glorioſiſſimi Regis Chlotouechi* post bellum Gothicum, siue post annum Christi quingentesimum octauum, nam multi subscripserunt Aquitaniarum Episcopi, qui sub Alarico Wisigothorum Rege priùs interfuerant Agathensi Concilio, quin & aliquot annos inter Synodos Agathensem & Aurelianensem interceſſiſſe vel ex eo patet, quòd inter Episcopos, qui Synodum Aurelianensem suâ subscriptione corroborarunt, occurrunt nonnulli, quorum deceſſores Agathensi subscripserant. Synodus Aruernensis incidit in annum Christi DXXXV. congregata est enim *conſentiente glorioſiſſimo piiſſimoque Rege Theodeberto*, qui regnum anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto suscepit, munitáque reperitur subscriptione Honorati Bituricensis Episcopi, cuius obitus anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto illigatur. Annus, quo tertia Synodus Aurelianensis coacta est, in controuersiam vocari non potest, quia quicquid sit de nota Consulari, vicesimus-septimus Childeberti Regis numeratur in Codicibus Remensi ac Bellouacensi. Quarta Synodus Aurelianensis, vt ex eius Canone XXVII. constat, celebrata est anno post tertiam Synodum Aurelianensem tertio, nec opus est alio charactere, vt annus Christi quingentesimus quadragesimus-primus indicetur. Itaque frustrà viri docti tantopere desudarunt, vt ad rectam Chronologiam reuocarent Consulatus, quos à posteris additos inter subscriptiones Conciliorum intra Franciæ fines habitorum inuenerunt.

IV. Aurelianensis Synodi Canonibus præfigitur Episcoporum ad Clodoueum epistola, quæ glorioſiſſimum illum Regem ad Religionis Catholicæ cultum promouendum maximo studio exarsisse commonstrat. *Domino ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio, Chlotouecho glorioſiſſimo Regi, omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire iuſſiſtis. Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, vt ſacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſarys tractaturos in vnum colligi iuſſeritis, ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſa ſunt definitione reſpondimus, ita vt ſi ea quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur, tanti conſenſus Regis ac Domini maiori auctoritate ſeruandam tantorum firmet ſententiam Sacerdotum.*

V. CONCIL. AVRELIANENSE PRIMVM. Præfatio Concilii talis est. *Cùm auctore Deo, ex euocatione glorioſiſſimi Regis Chlotouechi, in Aurelianenſi vrbe fuiſſet Concilium ſummorum Antiſtitum congregatum, communi omnibus conlatione placuit, vt hoc quod verbis ſtatuerunt, etiam ſcripturæ teſtimonio roborarent.* Sequuntur Canones numero triginta & vnus, quos fermè omnes suo decreto inseruit Gratianus.

VI. Primo Canone [a] statuitur, quòd si homicida, adulter, fur confugerit ad Ecclesiam, secundùm leges & Canones non debet petenti restitui, nisi dato sacramento de indemnitate personæ; ita quòd postèà debitor ille satisfaciat ei cuius est debitor: si verò post datum sacramentum creditor debitorem in personâ offenderit, debet anathematizari. Si autem creditor petat & exigatà debitore vltrà quàm debeat, & propter hoc debitor ab Ecclesiâ profu-

[a] Ap. Gratian. p. 2. c. 17. q. 4. c. 36.

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

gerit, sibi imputet creditor, quoniam plus exigebat. Verba Canonis hæc sunt. *De homicidis, adulteris & furibus, si ad Ecclesiam confugerint, id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atrys, vel domo Episcopi, eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Euangelia datis sacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere sint securi, ita vt ei, cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conueniat. Quòd si sacramenta sua quis conuictus fuerit violasse, reus periury non solùm à communione Ecclesiæ, vel omnium Clericorum, verùm etiam & à Catholicorum conuiuio separetur. Quòd si is, cui reus est, noluerit sibi intentione faciente compoui, & ipse reus de Ecclesia actus timore discesserit, ab Ecclesiæ Clericis non quæratur.* Hic Canon iure dicitur innixus Ecclesiasticis sanctionibus & legibus Romanis; ex Concilio enim Carthaginiensi, quod Theodoro Consule, siue post Consulatum Honorij quartum, id est, anno Christi vndequadringentesimo celebratum fuit, hoc reperitur fragmentum. *Post Consulatum gloriosissimi Imperatoris Honory Augusti. IV. & Eutychiani V. C. quinto Kal. Maias Carthagine in Secretario Basilicæ Restitutæ. In hoc Concilio legationem susceperunt Epigonius & Vincentius Episcopi, vt pro confugientibus ad Ecclesiam quocumque reatu inuolutis legem de gloriosissimis Principibus mereantur, ne quis eos audeat abstrahere.* Auditâque illâ legatione Honorius ad Sapidianum Africæ Vicarium ita rescripsit [a]. *Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri (sicut etiam priùs constitutum est) condemnatione plectatur. Si quid igitur contra Ecclesias vel Clericos per obreptionem, vel ab hæreticis vel ab huiusmodi hominibus fuerit contra leges impetratum, huius sanctionis auctoritate vacuamus. Dat.* VII. *Kal. Iul. Brixiæ* *, *Theodoro V. C. Consule.* Et in Concilio Arausicano primo [b], quod habitum fuit anno Christi quadringentesimo quadragesimo-primo, Cyro Consule, decernitur, *eos qui ad Ecclesiam confugerint tradi non oportere, sed loci reuerentia & intercessione defendi.* Non tantùm autem Ecclesia seu domus Ecclesiæ, sed & ipsius Ecclesiæ atria, & domus Episcopi, siue cohæreat Ecclesiæ siue procul absit, eo donantur priuilegio. Quæ tria in Codicibus Lugdunensi *, Tilianо *, & Fossatensi * distinctè notantur his verbis, *ab Ecclesiæ atriis, vel domo Ecclesiæ, vel domo Episcopi*, licèt in editis exemplaribus quæ secuti sumus, hæ voces desiderentur, *vel domo Ecclesiæ.*

[a] Cod Theod. l. 14. de Episc. & Cler.

* Bresse.

[b] Can. 5.

* MSS. de Lyon, de du Tillet, & de S. Maur des Fossez.

VII. 11. Canon [c] talis est. *De raptoribus autem ad custodiendum esse censuimus, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipsam violenter pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, & raptor, mortis vel pœnarum impunitate concessâ, aut seruiendi conditioni subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella raptori aut rapiendæ aut raptæ consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor à patre superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.* Hic Canon distinguit inter puellam quæ patrem habet, & alteram orbatam patre, necnon inter puellam quæ raptori non consensit, & alteram quæ consensit raptori. Si puella patrem non habet, & raptori non consensit, debet statim auferri raptori, & reddi consanguineis, eóque in casu raptor propter fauorem & priuilegium Ecclesiæ non puniatur corporaliter, sed puellæ seruiat vel ab ea se redimat. Si verò puella patrem habet & raptori consensit, apud patrem excusetur, eique restituatur, & raptor patri teneatur satisfactione simili.

[c] Ap. Gratian. p. 2. c. 36. q. 1. c. 1.

VIII. 111. Canon. *Seruus qui ad Ecclesiam pro qualibet culpa confugerit, si à domino pro admissâ culpa sacramenta susceperit, statim ad seruitium domini sui redire cogatur, sed posteaquàm datis à domino sacramentis fuerit consignatus, si aliquid pœnæ pro eadem culpa quâ excusatur probatus fuerit pertulisse; pro contemptu Ecclesiæ & præuaricatione fidei, à communione & conuiuio Catholicorum, sicut superiùs comprehensum est, extraneus habeatur. Sin verò seruus pro culpa sua ab Ecclesia defensatus sacramenta domini, Clericis exigentibus, de impunitate perceperit,*

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

ceperit, exire nolentem à domino licet occupari. Hic Canon cum primo cohæret apud Gratianum [a], & Ecclesiarum immunitatem ita tuetur, vt dominis ius in seruos non adimat. Nam seruus recepto sacramento de impunitate, reddi domino debet, si tunc redire non vult, inuitus occupari potest à domino, sed ipse dominus si seruum postea contra sacramentum in personâ offenderit, excommunicari debet.

[a] P. 2. c. 17. q. 4. c. 16.

IV. Canon est de clericorum ordinatione, clericum vetat ex laico fieri sine Regis iussione seu literis, aut sine voluntate iudicis vices regias obeuntis, deinde filios eorum qui ad clericatus officium assumuntur in Episcopi vult esse potestate. *De ordinationibus*, inquit, *clericorum id obseruandum esse decreuimus, vt nullus sæcularium ad clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis iussione, aut cum iudicis voluntate; itaut filij clericorum, id est patrum, auorum ac proauorum, quos in supradicto ordine parentum constat obseruationi subiunctos, in Episcoporum potestate ac districtione consistant.* IX.

V. Canon declarat qualiter ab Episcopo facultates Ecclesiæ sunt dispensandæ. *De oblationibus & agris quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessâ id esse iustissimum definimus, vt in reparationibus Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & clerici ad adiutorium Ecclesiastici operis constringantur. Quòd si aliquis Sacerdotum ad hanc curam minùs sollicitus ac deuotus extiterit, publicè à comprouincialibus Episcopis confundatur. Quòd si nec sub tali se confusione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus.* X.

VI. Canon talis est. *Si quis ab Episcopo suo vel de Ecclesiâ vel de proprio iure crediderit aliquid repetendum, si nihil conuity aut criminationis obiecerit, eum pro solâ conuentione à communione Ecclesiæ non liceat submoueri.* Binius legit *contentione, conuentione* Gratianus [b] & Sirmondus [c], vtrisque idem est sensus, Episcopi enim conuentio fit contentionis ergò. XI.

[b] P. 2. c. 2. q. 7. c. 10.
[c] Tom. 1. conc Gall.

VII. Canon decernit, vt clerici & monachi beneficia petituri sine commendatitiis Episcopi sui literis ad Regem non accedant. *Abbatibus, Presbyteris, omnique clero, vel in religionis professione viuentibus, sine discussione vel commendatione Episcoporum, pro petendis beneficiis ad Domnos venire non liceat. Quòd si quisquam præsumpserit, tam diu loci sui honore & communione priuetur, donec per pœnitentiam plenam eius satisfactionem Sacerdos accipiat.* Hoc loco beneficium, vt in hodiernâ significatione sumitur, pro Sacerdotio ne accipias, sed pro quocumque dono quod è suis facultatibus Rex petenti clerico monachoue largiri poterat. XII.

VIII. [d] Canon. *Si seruus absente aut nesciente Domino, & Episcopo sciente quòd seruus sit, aut Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipso in clericatus officio permanente, Episcopus eum Domino duplici satisfactione compenset. Sin verò Episcopus eum seruum esse nescierit, qui testimonium perhibent, aut eum supplicauerint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxij.* In nonnullis codicibus non legitur *duplici* sed *dupli*, quod in eundem sensum recidit, vt satisfactio duplex seu dupli fiat datis duobus seruis loco vnius in clericorum numerum absente aut nesciente Domino adscripti. XIII.

[d] Gratian. p. 1. d. 54. c. 19.

IX. Canon. *Si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, simul & officio & communione pellatur.* In Canonibus Apostolorum sæpè statuitur vt Diaconus aut Presbyter qui crimen commiserit deponatur non tamen communione priuetur, quia dicit scriptura, [*non vindicabit Dominus bis in idipsum.*] Et sanctus Basilius [e] de pœnitentiâ clericorum ita disserit. *Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de gradu quidem deiiciuntur, à laicorum autem communione non arcentur, non enim bis vindicabis in idipsum.* Deinde quærenti cur laici, cùm fornicantur, pœnitentiæ colla submittunt, non autem clerici, respondet iniquum fore clericos cum laicis eodem pœnæ genere inuoluere, XIV.

[e] Ad Amphiloch.

ANNVS Christi §11. Clodov. Imp. 3. Reg. 30.

laici enim à loco fidelium electi & pœnitentiæ traditi rursus in eum, ex quo exciderunt, locum recipiuntur, clerici verò semel depositi omni spe restitutionis excidunt. Tamen clerici simul & officio suo & communione Christianorum aliquando pellebantur propter criminis admissi grauitatem, vt probari potest ex Canone vicesimo Concilij Eliberitani *, *si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstineri.* Si Canonem Aurelianensem aliquantò mitiùs explicare velis, communionem, quâ Presbyter aut Diaconus pellendus dicitur, Ecclesiasticam interpretare, vt pulso locus in communione laicorum supersit.

* *D Eluire.*

XV. x. Canon. *De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plenâ fide ac voluntate venerint, vel de Basilicis quas in peruersitate suâ Gothi hactenus habuerunt, id censuimus obseruari, vt si clerici fideliter conuertuntur, & fidem Catholicam integrè profitentur, vel ita dignam vitam morum & actuum probitate custodiunt, officium, quo eos Episcopus dignos esse censuerit, cum impositæ manus benedictione suscipiant, & Ecclesias simili, quo nostræ innouari solent, placuit ordine consecrari.* De reconciliatione Arianorum, quales Wisigothi tunc erant, déque impositione manuum cum benedictione iam disseruimus ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum.

XVI. [a] Ap. Gratian. de pœnit. d. 5. cap. 5.

XI. [a] Canon est aduersus eos qui religionem professi apostatant, ac deinde post pœnitentiam habitum secularem assumunt. *De his qui susceptâ pœnitentiâ religionem suæ professionis obliti ad sæcularia relabuntur, placuit eos & à communione suspendi, & ab omnium Catholicorum conuiuiis separari. Quòd si post interdictum cum eis quisquam præsumpserit manducare, & ipse communione priuetur.*

XVII. [b] P. 1. d. 81. cap. 14.

XII. Canon. *Si Diaconus aut Presbyter, pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentiæ professione submouerit, sic quoque, si aly defuerint, & causa rectæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.* Hic Canon à Gratiano [b] iungitur cum nono, & intelligendus est de baptismo cum solemnitate, aliàs enim nihil Diacono aut Presbytero pœnitenti concederetur hoc Canone, quod laicus etiam non posset. Obseruandum præterea in hoc Canone sermonem esse de voluntariâ pœnitentiâ, quam Diaconus aut Presbyter agat ob scelera, quorum nec conuictio est nec publica confessio, non autem de publicâ pœnitentiâ propter scelus publicum ac publicè conuictum.

XVIII. [c] Ap. Gratian. p. 1 d. 18. c. 11.

XIII. [c] Canon est de relictis clericorum si aliis nupserint. *Si se cuicunque mulier duplici coniugio, Presbyteri vel Diaconi relicta, coniunxerit, aut castigati separentur, aut certè si in criminum intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur.*

XIX. [d] Ap. Gratian. p. 1. c. 10. q. 1. c. 8.

XIV. [d] Canon spectat ad oblationes fidelium. *Antiquos Canones relegentes priora statuta credidimus renouanda, vt de his quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi Episcopus vindicet, & medietatem sibi dispensandam secundùm gradus clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus.* Hic Canon intelligendus est de matrice Ecclesiâ, vt distinguatur à sequenti, in quo statuitur aliter de his quæ in parochianis Ecclesiis offeruntur.

XX. [e] Ap. Gratian. p. 1. c. 10. q. 1. c. 7.

XV. [e] Canon. *De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta seruentur, vt omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia pars fidelis Episcopis deferatur.*

XXI. [f] Ap. Gratian. p. 1. d. 81. c. 1.

XVI. [f] Canon. *Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum & vestitum, in quantum possibilitas habuerit, largiatur.*

XXII. [g] Ap. Gratian. p. 1. c. 16. q. 7. c. 10.

XVII. [g] Canon. *Omnes Basilicæ, quæ per diuersa loca constructæ, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum Canonum regulam, vt in cuius territorio sitæ sunt, potestate consistant.*

XXIII. XVIII. Canon. *Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neue se*

quisquam amisse vxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, Ecclesiastica districtione feriantur. ANNVS Christi

XIX. [a] Canon. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur; qui semel in anno, in loco vbi Episcopus elegerit, acceptâ vocatione conueniant. Monachi autem Abbatibus omni se obedientiæ deuotione subiiciant. Quòd si quis per contumaciam extiterit indeuotus, aut per loca aliqua euagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur, secundum Regulam Monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia reuocentur. Et reum se ille Abba futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personas non regulari animadversione distrinxerit, vel qui Monachum susceperit alienum.* 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30. XXIV.

[a] Apud Gratian. p. 1. c. 18. q. 1. c. 16.

XX. Canon decernit, quòd Monachus in Monasterio carere debet omni ornamento superfluo. *Monacho vti orario in Monasterio, vel tzangis habere non liceat.* Orarium & tzangæ hic ponuntur pro quolibet ornamento non necessario. Orarium est propriè velum vel peplum quo mulieres caput velant. Tzangæ, aliis scribuntur zancæ, tzancæ, ciangæ, chiancæ, quibusdam zonæ. ζαγχη calceamentum est à constringendo pede κατὰ τῦ ἄγχω, quod est constringo, rectè igitur zancha vel zanga, nam χ Græcum in *g* mutant, at Græcis recentioribus ζαγχη & τζαγχια, sed additio literæ τ barbarica est, quam omnibus ferè vocabulis à ζ incipientibus præponunt recentiores Græci. Trebellius Pollio in Claudio meminit zancharum Parthicarum seu calceamentorum è pelle Parthica, *zanchas de nostris Parthicas paria tria.* XXV.

XXI. Canon. *Monachus si in Monasterio conuersus, vel pallium comprobatus fuerit accepisse, & postea vxori fuerit sociatus, tantæ prænaricationis reus numquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.* Hunc Canonem cum priori Gratianus [b] comprehendit vno capite. XXVI.

[b] P. 1. c. 27. q. 1. c. 13.

XXII. [c] Canon. *Nullus Monachus, congregatione Monasterij derelictâ, ambitionis & vanitatis impulsu, cellulam construere sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat.* XXVII.

[c] Apud Gratian p. 1. c. 18. q. 1. c. 14.

XXIII. Canon. *Si Episcopus humanitatis intuitu vincolas, vel terrulas, Clericis vel Monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesiæ præiudicium patiatur, nec seculari lege præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur.* Gratianus [d] post verbum *intuitu* addit *mancipiola*, post vocem *Monachis*, addit *vel quibuslibet*, ita vt hunc Canonem non ad Clericos tantùm & ad Monachos, sed etiam ad quosuis laïcos extendat, at nihil tale legitur in collectionibus Binij & Sirmondi. XXVIII.

[d] P. 2. c. 16. q. 3. cap. 11.

XXIV. [e] Canon. *Id à Sacerdotibus omnibus decretum est, vt ante Paschæ solemnitatem non Quinquagesima sed Quadragesima teneatur.* Vt autem sensus huius Canonis optimè capiatur, sciendum est diuersas consuetudines lapsu temporis receptas fuisse circa ieiunium, quod ante Paschæ solemnitatem à fidelibus obseruari debuit. Alij enim illius ieiunij principium ducebant à Quadragesima, alij à Quinquagesima, alij à Sexagesima, alij denique à Septuagesima. Qui sumebant initium ieiunij à Quadragesima, diebus omnibus vsque ad Pascha ieiunabant exceptis Dominicis; qui verò à Quinquagesima, illi ieiunium intermittebant Sabbato, ac similiter qui ieiunium à Sexagesima vel à Septuagesima inchoabant, illi singulis hebdomadis ieiunium pluribus diebus dissoluebant. Audiendus super ea re sanctus Ambrosius [f], qui rationem ieiunij ante Paschalem solemnitatem instituti sic reddit in sermone habito in Dominica Sexagesimæ. *Quia iam Septuagesimam celebrastis, & hodie Sexagesimam celebratis, ac deinde Quinquagesimam & Quadragesimam, Deo propitio, celebraturi estis, istorum nominum mysteria vobis manifestare debemus. Quadragesima enim sex septimanas habet, cui addidit Telephorus Pontifex septimam hebdomadam, & vocatum est hoc tempus Quinquagesima. Deinde* XXIX.

[e] Apud Gratian. p. 3. d. 3. c. 6.

[f] Serm. 13.

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

his addita est octaua septimana, & vocatum est ipsum tempus Sexagesima. Postmodùm verò addita est nona hebdomada, & dicta est Septuagesima. Quoniam sicut à quatuor Quadragesima, & à sex Sexagesima, ita à septem Septuagesima dicitur. Vnde si quis modò adderet decimam septimanam, non eam vocaremus Decagesimam sed Octogesimam, seruato numeri ordine, quia post septem, à quo Septuagesima, sunt octo. Quadragesima igitur seruatur, quia Moyses & Elias & Saluator quadraginta diebus & noctibus ieiunasse leguntur. Quinquagesima ideò à quibusdam seruatur, in qua sunt quinquaginta dies, quia si substraxeris ab his septem Dominicas, non amplius remanent in abstinentia nisi quadraginta & duo dies, & in ipsis duobus diebus alij ieiunant, alij non, vt in Cœna Domini, & in Sabbato Sancto. Sexagesima ideò celebratur, in qua sunt octo hebdomadæ, id est, dies quinquaginta sex, quia si substraxeris octo Dominicos dies, & octo quintas ferias, quadraginta dies solummodò remanent ieiuny. Septuagesima verò, à qua vsque ad Pascha sunt nouem septimanæ, id est, sexaginta tres dies, ideò ab aliquibus celebratur, quia si substraxeris nouem dies Dominicos, & nouem quintas ferias propter Dominicam Cœnam, & totidem Sabbata ne videamur sabbatizare cum Iudæis, non amplius quàm triginta sex dies remanent ad ieiunandum, quos omni deuotione ipse nos obseruare concedat Christus Dominus noster, &c. In hanc postremam consuetudinem recidit & prima, nam si caput ieiunij sumas à Quadragesima, demásque dies Dominicos, supererunt vsque ad Pascha, dies ieiunij sex duntaxat & triginta. Hunc dierum numerum, qui decimam partem anni conficit, egregiè commendat Gregorius Magnus Homiliâ decimâ-sextâ in Euangelia, cùm Christianos omnes, vt dent Deo decimas anni per ieiunium Quadragesimale, sic hortatur. *De Quadragesimali tempore est adhuc aliud, quod possit intelligi. A præsenti etenim die vsque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt. Quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plùs in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Dum verò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde, fratres charissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum.* Cùm autem Concilium Aurelianense, de quo nunc agimus, celebratum fuit, in Galliis res eò deuenerat, vt ieiunium auspicarentur alij à Quadragesima, alij à Quinquagesima, vtrique seruatis consuetudinibus expositis suprà. Patres non Quinquagesimam, sed Quadragesimam decernunt tenendam, eósque damnant qui Sabbato non ieiunabant, quoniam ieiunare cœperant à Quinquagesima. Sic Aurelianensis Concilij primi Canon XXIV. confirmat Agathensis Synodi Canonem duodecimum his verbis conceptum. *Placuit etiam vt omnes Ecclesiæ filij, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato, Sacerdotali ordinatione & districtionis comminatione ieiunent.* Nec est cur miremur duo illa Concilia cùm in hoc Canone de ieiunio Quadragesimæ, tum in multis aliis conuenire, plerique enim Episcoporum, qui Synodo Agathensi sub Alarico Rege Wisigothorum ante quinquennium subscripserant, Aurelianensi quoque interfuerunt hoc anno sub Clodoueo Rege Francorum.

XXX.

XXV.[a] Canon. *Vt nulli ciuium, Paschæ, Natalis Domini, & Quinquagesimæ*, id est, Pentecostes, *solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probatur tenuisse.* Eadem de re paulò seuerius Concilium Agathense[b] ante quinquennium ita statuerat. *Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est extraordinariúsque conuentus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, iustâ ordinatione permittimus. Pascha verò, Natale Domini, Epiphania, Ascensionem Domini, Pentecosten, & Natalem sancti Ioannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus aut in parochiis teneant. Clerici verò, si qui in festiuitatibus, quas suprà diximus, in Oratoriis, nisi iubente aut*

[a] Apud Gratian. p. 3. d. 3. c. 1.

[b] Cap. 21.

permittente Episcopo, Missas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

ANNVS Christi. 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30. XXXI.

XXVI. Canon. *Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, & vbi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.* Codicum omnium manuscriptorum consensu expuncta est negatio quæ in vulgatis erat, manetque nunc etiam apud Gratianum [a] & apud Binium [b], *si Episcopus non fuerit*, pro quo Burchardus [c] & Iuo [d] legunt, *si Episcopus defuerit*. Error inde natus, quia Sacerdotem hoc loco diuersum putarunt ab Episcopo, cùm idem sit, vt patet ex duobus Agathensis Synodi Canonibus, in quorum altero [e] *benedictionem super plebem in Ecclesiâ fundere Presbytero non licet*, in altero [f] *Missas die Dominico à secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipitur, itaut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Quis enim in illo posteriore Canone non intelligat Episcopum nomine Sacerdotis, cùm Sacerdos ibi dicatur acturus id quod Presbytero non licet ex decreto prioris Canonis? Agemus de illâ benedictione fusiùs ad annum Christi quingentesimum quadragesimum secundum in obseruationibus ad homilias quas beatus Cæsarius ad populum Arelatensem habuit.

[a] P. 1. d. 1. c. 65.
[b] Tom. 1. conc.
[c] Lib. 1. c. 29.
[d] P. 1. c. 34.
[e] Cap. 44.
[f] Cap. 47.

XXVII. & Canon. *Rogationes id est Litanias ante Ascensionem Domini, ab omnibus Ecclesiis placuit celebrari, itaut præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis festiuitate soluatur. Per quod triduum serui & ancillæ ab omni opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.*

XXXII. [g] Ap. Gratian. p. 3. d. 3. c. 3.

XXVIII. Canon. *Clerici verò qui ad hoc opus sanctum adesse contempserint, secundùm arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam.* Ita legitur apud Iacobum Sirmondum [h], meliùs quidem quàm apud alios [i], qui Canonem hunc de clericis ad officium venire contemnentibus interpretantur sublato prænomine *hoc*, per quod hic Canon cum priori connexionem habet, & refertur ad Rogationes siue ad Litanias de quibus proximè actum est. Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus qui tunc florebat, obseruantiam Rogationum per vniuersum orbem diffusam ita commendat [k], *in tribus istis diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conuentu subducat.* Et beatus Auitus Viennensis Episcopus, qui tunc quoque viuebat, eandem Rogationum obseruationem laudat in homiliâ iisdem Rogationum diebus habitâ, *currit quidem*, inquit, *tramite viali non per Gallias modò, sed per orbem totum Rogationis obseruantiæ flumen irriguum.* Apud sanctum Gregorium [l] Episcopum Turonensem, idem *Beatus Auitus refert in quâdam homiliâ quam de Rogationibus scripsit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipsius Viennensis vrbis Episcopo, cui & hic eo tempore præesset, institutas fuisse, dum vrbs illa multis terreretur prodigiis. Nam terræ motu frequenter quatiebatur, sed & ceruorum atque luporum feritas portas ingressa per totam (vt scripsit) vrbem nihil metuens oberrabat. Cùmque hæc per anni circulum gererentur, aduenientibus Paschalis solemnitatis diebus, expectabat misericordiam Dei plebs tota deuotè, vt vel hic magnæ solemnitatis dies huic terrori terminum daret. Sed in ipsâ glorioſæ noctis vigiliâ dum Missarum celebrarentur solemnia, subitò palatium regale intramuranenm diuino igne succenditur, panore omnibus perterritis, & Ecclesiam egressis, credentibus, ne aut hoc incendio vrbs totâ consumeretur, aut certè disruptâ tellure debisceret, sanctus Sacerdos prostratus ante altare cum gemitu & lachrymis Domini misericordiam imprecatur. Quid plura? penetrauit excelsa poli oratio Pontificis inclyti, restrinxitque domus incendium flumen profluentium lachrymarum. Cùmque hæc agerentur, adpropinquante Ascensione maiestatis Dominicæ indixit populis ieiunium, instituit orandi modum, edendi seriem, erogandi hilarem dispensationem. Cessantibus quoque exinde terroribus per cunctas prouincias dispersa facti fama cunctos Sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide. Quæ vsque nunc in Dei nomine, per omnes Ecclesias in compunctione cordis & contritione spiritus celebratur.* Hæc prolixè recitauimus ex

XXXIII. [h] Tom. 1. conc. Gall.
[i] Gratian. p. 1. d. vl. c. 5. Bin. tom. 2. conc.
[k] Homil. 37.
[l] Lib. 2. c. 34.

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

Gregorio, quia declarat distinctissimis verbis triduanum tempus ante Ascensionem à sancto Mamerto Rogationibus indictum, quod colligi nequit ex literis [a] à sancto Sidonio Aruernorum Episcopo ad ipsummet sanctum Mamertum scriptis, quas & integras legere pio viro non erit iniucundum. *Rumor est Gothos in Romanum solum castra mouisse, huic semper irruptioni nos miseri Aruerni ianua sumus. Namque odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia necdum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris aluco limitauerunt, solam sub ope Christi moram de nostro tantùm obice patiuntur. Circumiectarum verò spatia tractumque regionum iampridem regni minacis importuna deuorauit impressio. Sed animositati nostræ tam temerariæ tamque periculosæ non nos aut ambustam murorum faciem aut putrem sudium cratem aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura, solo tamen inuectarum te auctore Rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis instituendisque populus Aruernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hæc circumfusis nondum terga dat terroribus. Non enim latet nostram oscitationem, primis temporibus harumce supplicationum institutarum, cùm ciuitas cœlitus tibi credita per huiuscemodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur, non modò scenæ mœnium publicorum crebris terræ motibus concutiebantur, nunc ignes sæpè flammati caducas culminum cristas superiecto fauillarum monte tumulabant, nunc stupenda foro cubilia collocabat audacium pauenda mansuetudo ceruorum, cùm tu inter ista discessu primorum populariumque stratu vrbis exinanito, ad nonaceler veterum Niniuitarum exempla decurristi, ne diuinæ admonitioni tuæ quoque desperatio conuiciaretur, & vere iam de Deo tu minimè poteras absque peccato post virtutum experimenta diffidere. Nam cùm vice quadam ciuitas conflagrare cœpisset, fides tua in illo ardore plùs caluit, vt cùm in conspectu pauidæ plebis obiectu solo tui corporis ignis recussus in tergum fugitiuis flexibus sinuaretur, miraculo terribili, nouo, inusitato, assuit flammæ cedere per reuerentiam, cui sentiri debuit per naturam. Primùm igitur & iis paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdictis flagitia, supplicia prædictis, remedia promittis, exponis omnibus nec pœnam longinquam esse nec veniam, doces denuntiatæ solitudinis minas orationum frequentiâ molliendas, mones assiduitatem furentis incendy aquâ potiùs oculorum quàm fluminum posse restingui, mones minacem terræ motuum conflictationem fidei stabilitate firmandam. Cuius confestim sequax humilis turba consilij maioribus quoque suis fuit incitamento, quos cùm non piguisset fugere, redire non puduit. Quâ deuotione placatus inspector oculorum Deus fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, ceteris imitationi, vtrisque præsidio. Denique illis deinceps non fuere vel damna calamitati vel ostenta formidini. Quæ omnia sciens populus iste Viennensibus tuis & accidisse priùs, & non accessisse posteriùs, vestigia tam sacrosanctæ informationis amplectitur sedulò, petens vt conscientiæ tuæ beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmi-*

[a] Lib. 7. ep. 1.

sit. Idem sanctus Sidonius aliis literis [b] Aprum amicum suum ad Rogationum solemnitatem inuitat, & eiusmodi supplicationum cultum, qui priùs ceciderat, à sancto Mamerto plurimùm auctum ostendit. *Sidonius Apro suo salutem. Valentes & nunc Baiæ, te scabris caucrnatim ructata pumicibus aqua sulphuris, atque pecorosis ac phtisiscentibus languidis medicabilis piscina delectat. An fortasse montana sedes circum castella, & in eligendâ sede perfugy quandam pateris ex munitionum frequentiâ difficultatem? Quicquid illud est, quod vel otio vel negotio vacas, in vrbem tamen ni fallimur Rogationum contemplatione reuocabere, quarum nobis solennitatem primus Mamercus Pater & Pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem priùs, quod salua fidei pace sit dictum, vagæ, tepentes, infrequentesque, vtque sic dixerim oscitabundæ supplicationes, quæ sæpè interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres aut serenitatem deprecaturæ, ad quas, vt nihil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit conuenire. In his autem quas supradictus Summus Sacerdos & protulit pariter & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur. Ad hæc te festa cernicum humiliatarum, & consternatorum ciuium*

[b] Lib. 5. ep. 14.

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

suspiriosa contubernia peto, & si spiritalem animum tuum benè metior, modò citiùs venies, quòd non ad epulas, sed ad lachrymas inuitaris. His attentè consideratis, non videmus cur sanctus Mamertus Rogationum, de quibus agit Synodus Aurelianensis quam exponimus, Author iure non censeatur, indixit enim tempus ac modum quo fierent nullâ ratione habitâ veterum supplicationum, quas ab iis diuersissimas fuisse testantur Scriptores suprà laudati.

XXIX. Canon. *De familiaritate extranearum mulierum tam Episcopi quàm Presbyteri vel Diaconi, præteritorum Canonum statuta custodiant.* Porrò Concilium Eliberitanum Canone decimo-septimo super ea materia sic decernit. *Episcopus vel quilibet alius Clericus, aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo, tantùm secum habeat, extraneam nequaquam habere placuit.* Concilij Nicæni Canon tertius talis est. *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut eas tantùm quæ suspicionem effugiunt.* Concilium Arelatense secundum sub Valentiniano Tertio Augusto habitum ita statuit Canone tertio. *Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem, si se separare noluerit, pœna percellat.* Et Canone quarto. *Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus ad cellarij secretum intromittat puellam vel ingenuam vel ancillam.* Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo tertio, Opilione Consule, Concilium Andegauense Canone tertio vetuit Clericos ab aliis mulieribus quàm *à sororibus, aut amitis suis, aut à matribus* consolari; *quia sicut bonum non est homini solum esse, ita familiares esse Clericos feminis non oportet extraneis. Si quis autem post hoc edictum à prædictis familiaritatibus se reuocare noluerit, nequaquam gradu altiore donabitur, &, si iam donatus fuerit, non ministret.* Anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo, Seuerino Consule, Concilium Turonense primum Canone tertio sic decreuit. *Quia nullum Diabolo locum dare oportet, hoc præcipuè custodiendum decreuimus, vt nullam Clerici cum extraneis feminis habeant familiaritatem, ne vllum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit, vt Diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruina seruorum Dei insultet, si quis verò Clericus post interdictum Episcopi sui, illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus.* Denique anno Christi quingentesimo sexto, Messalâ Consule, Concilium Agathense Canone decimo. *Id enim ad custodiendam vitam & famam speciali ordinatione præcipimus, vt nullus Clericorum extranea mulieri quâlibet consolatione aut familiaritate iungatur. Et non solùm in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantùm, sorore, filiâ & nepte, si habuerit, aut voluerit, viuendi habeat potestatem. De quibus nominibus nefas est aliud quàm natura constituit, suspicari.* Et Canone sequenti. *Ancillas vel libertas à cellario, vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua Clericus manet, placuit remoueri.*

XXXIV.

XXX. [a] Canon. *Si quis Clericus, Monachus, secularis, diuinationem vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes quas mentiuntur esse Sanctorum, quibuscumque putauerint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.* Concilium * Veneticum [b] pridem statuerat, vt quicumque Clerici studerent auguriis, & sub nomine fictæ religionis, quas Sanctorum sortes vocabant, diuinationis sententiam profiterentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promitterent, aut quid simile vel consulerent vel docerent, ab Ecclesia haberentur extranei, & Concilium Agathense [c] postèa edixerat, vt laïci ab iisdem quoque rebus abstinerent, aut similiter ab Ecclesia separarentur.

XXXV.

[a] Apud Gratian. p. 2, c. 26, q. 5. c. 9.

* *de Venet.*

[b] Cap. 16.

[c] Cap. 42.

ANNVS Christi XXXI. [a] Canon. *Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ cui proximus fuerit, die Dominico deesse non liceat.*

§ II. Huic Synodo subscripserunt Episcopi triginta duo, è quorum numero fuerunt quinque Metropolitani, Gildaredus Rotomagensis, Licinius Turonensis, Tetradius Bituricensis, Cyprianus Burdegalensis & Leontius Elusanus.

CLODOV. IMP. 3. REG. 30. XXXVI. Ex prouincia Lugdunensi secunda præter Gildardum Episcopum Ecclesiæ Rotomagensis Metropolis, interfuerunt, Nepus Episcopus Ecclesiæ Abrincatinæ, Litharedus Episcopus Ecclesiæ Oxomensis siue Sagiensis, Maurusio Episcopus Ecclesiæ Ebroicinæ, & Leontianus Episcopus Ecclesiæ Constantinæ.

[a] Ap Gratian. p 3 d. 1. c 4.

XXXVII. XXXVIII. XXXIX. Ex prouincia Lugdunensi tertia, præter Licinium Episcopum Ecclesiæ Turonicæ Metropolis, interfuerunt, Principius Episcopus Ecclesiæ Cenomannicæ, Epiphanius Episcopus Ecclesiæ Namneticæ, Eustochius Episcopus Ecclesiæ Andegauinæ, Modestus Episcopus Ecclesiæ Veneticæ, Melanius Episcopus Ecclesiæ Redonicæ.

XL. Ex Aquitania prima, præter Tetradium Episcopum Ecclesiæ Bituricæ Metropolis, interfuerunt, Boëtius Episcopus Ecclesiæ Cadurcinæ, Quintianus Episcopus Ecclesiæ Rutenicæ, Eufrasius Episcopus Ecclesiæ Aruernicæ.

XLI. Ex Aquitania secunda, præter Cyprianum Episcopum Ecclesiæ Burdegalensis Metropolis, interfuerunt, Petrus Episcopus Ecclesiæ Santonicæ, Chronopius Episcopus Ecclesiæ Petrocoricæ, Lupicinus Episcopus Ecclesiæ Ecolesimensis, Adelfius Episcopus Ecclesiæ Pictauorum.

XLII. Ex Aquitania tertia, siue ex Nouempopulania, præter Leontium Episcopum Ecclesiæ Elusanæ Metropolis, qui Claro haud pridem successerat, interfuerunt, Sextilius Episcopus Ecclesiæ Vasaticæ, & Nicetius Episcopus Ecclesiæ Auscensis.

XLIII. Præterea ex prouincia Lugdunensi quarta interfuerunt, Heraclius Episcopus Ecclesiæ Parisiacæ, Camillianus Episcopus Ecclesiæ Tricassinæ, Eusebius Episcopus Ecclesiæ Aurelianensis, Theodosius Episcopus Ecclesiæ Autisiodorensis, Auentinus Episcopus Ecclesiæ Carnotinæ.

XLIV. Et ex Belgica secunda Lupus Episcopus Ecclesiæ Suessionicæ, Edibius Episcopus Ecclesiæ Ambianensis, Sophronius Episcopus Ecclesiæ Veromandensis, Liuanius Episcopus Ecclesiæ Siluanectensis.

XLV. EPISCOPI SANCTITATE CELEBRES. Ex illis Episcopis, qui sanctitate ceteris præluxerunt, relati sunt in tabulas Ecclesiasticas siue in Martyrologium Romanum, Melanius Episcopus Redonensis die sextâ Ianuarij, Gildaredus Episcopus Rotomagensis die octauâ Iunij, Quintianus Episcopus Rutenensis die decimâ-quartâ Iunii, & die decimâ-tertiâ Nouembris, Theodosius Episcopus Autisidorensis die decimâ-septimâ Iulii.

XLVI. * *Melaine.* [a] *Placz.* Melanius * de Parochia Venetensi ex nobilissimis parentibus oriundus, & in fundo qui Placio * vocatur nutritus, sancto Amando successit in Episcopatu Redonensi. Lege illius vitam apud Bollandum die sextâ Ianuarii, Eusebio Regi Venetensi ægroto sanitatem restituisse, eiúsque filiam Aspasiam à Dæmone vexatam liberasse dicitur, antequàm Clodoueus pagum Venetensem in suam potestatem redigeret. Qui Melanium à Remigio Remorum Episcopo scribunt euocatum in sancti moliminis subsidium, quo Clodoueum Regem Euangelicis informando præceptis, Christo tandem obsequentem præstitit, falluntur sanè, neque enim Clodoueus, cùm Christianam fidem amplexus est, dominabatur Redonensibus, apud quos Melanius Pontificatum gessit.

XLVII. Gildaredus seu Gildardus Episcopus Ecclesiæ Rotomagensis, Crescentii successor, fratrem habuit Medardum Episcopum posteà Viromandensem seu Nouiomensem ac Tornacensem.

XLVIII. Theodosius Episcopus Autisiodorensis sedit [b] annos octo & ampliùs, peruenitque ad annum Christi decimum-sextum supra quingentesimum.

[b] Democh. de sacr. Mist. c. 19.

De

De Quintiano Episcopo Rutenensi, qui posteà Episcopatum Aruernicum obtinuit, sæpiùs verba facturi sumus aliis in locis.

ANNVS Christi 511. Clodov. Imp. 3. Reg. 30. XLIX. L.

Pretereà in Concilio Aurelianensi sederunt sanctitate celebres Episcopi Auentinus Carnotensis, Principius Cenomannensis, Camillianus Trecensis, & Liuanius Syluanectensis, qui coluntur in diœcesibus quas rexerunt, Auentinus pridie Nonas Februarij, Principius decimo-sexto Kalendas Octobris, Camillianus quinto Kalendas Augusti, Liuanius septimo Idus Octobris, necnon Eufrasius Episcopus Aruernensis, quem Gregorius Turonensis Sanctum vocat [a].

[a] Lib. 1. c. 2.

LI. Dotatio Ecclesiæ S. Hilarii Pictauiens.

Annalibus Aquitanicis adiuncta fuit Ecclesiæ sancti Hilarij Pictauiensis dotatio, quæ Campaniacum in agro Pictauiensi & Longumrete in territorio Antissiodorensi complectitur, atque in Concilio Aurelianensi à Clodoueo Rege facta perhibetur, sed hoc præceptum inter recentiora commenta rejiciendum facilè cognoscet, qui postrema verba quibus clauditur & Characteres Chronologicos quibus consignatur attentè legerit. *Si quis autem*, inquit Clodoueus, *huius authoritatis nostræ firmamentum calumniando debilitare præsumpserit, iram Dei omnipotentis Sanctique Confessoris Hilary, omniumque simul Sanctorum incurrat, & huius sancti Concily authoritate atque præsentium Episcoporum omnium anathematis vinculo ligatum, ac nostræ Maiestatis reum se sentiat. Et vt hoc testamentum nostræ dignitatis inuiolabile perseueret, firmúmque credatur, creditum obseruetur, memori chartæ commendatum propriy sigilli impressione signamus, huiusque sancti Aurelianensis Concily authoritate firmari præcipimus. Signum Domini Clodouei glorioßissimi Regis, qui hoc testamentum fecit. Signum Gelasij Pictauensis Episcopi, cuius obtentu factum est, & in cuius parochiâ Campaniacum situm est. Signum Theodosij Antissiodorensis Episcopi, in cuius parochiâ Longumrete situm est, & cuius consensu datum est, qui & in prædicto Concilio tenuit principatum. Factum est autem hoc Aurelianis, anno ab Incarnatione Domini 524. Iustiniano Romæ imperante, Lampadio & Oreste Consulibus, Vigilio summo Pontifice, Gelasio Episcopo Pictauensi, & Theodosio Episcopo Antissiodorensi, Clodoueo regnante, & hoc fieri præcipiente.* Clodouei temporibus nec Maiestatis titulus Regibus attribui solebat, nec anni numerabantur ab Incarnatione Dominicâ, deinde anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto, nec Vigilius Romæ sedebat, nec Iustinianus Imperabat, nec Gelasius Pictauensium Episcopus erat, nec Theodosius Altissiodorensem Episcopatum regebat, nec Lampadius & Orestes gerebant Consulatum, quodque rei præcipium caput est nec Clodoueus in Francià regnabat. Iustinus Imperator teste Marcellino Iustinianum ex sorore suâ nepotem Regni successorem creauit Kalendis Aprilis, Indictione quintâ, Mabortio solo Consule, id est anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo. Ex historiis Romanorum Pontificum constat Felicem, Bonifacium, Ioannem, Agapetum & Siluerium sub eodem Imperatore Iustiniano floruisse, priusquàm Vigilius Pontificem se diceret. In catalogo Pictauiensium Antistitum inter Sanctos Hilarium & Gelasium duo tantùm Episcopi recensentur, itaut sanctus Gelasius ad annum Christi quingentesimum vicesimum-quartum minimè peruenerit. Theodosius Altissiodorensis Episcopus, vt supra diximus, annos duntaxat octo sedit, & anno Christi quingentesimo-vndecimo Pontificatum gessit, annum igitur Christi quingentesimum vicesimum-quartum non attigit. Lampadij & Orestis Consulatus à Mario & à Marcellino illigatur Indictioni octauæ siue anno Christi quingentesimo tricesimo. Clodoueus Rex Francorum obiit exeunte anno Christi quingentesimo-vndecimo, vt mox dicturi sumus, & Chronologiam nostram egregiè confirmabunt multa, quæ de filiis eius inferiùs enarrabuntur.

Examinatur et reiicitur.

Aurelianense Concilium operum omnium, quæ sub Clodoueo Rege gesta sunt, videtur fermè vltimum, obiit enim Clodoueus hoc eodem anno, quinto Kalendas Decembres, diem docent duo vetera Kalendaria in quibus no-

LII. Clodovei mors.

ANNVS Christi 511. CLODOV. IMP. 3. REG. 30.

tatur *V. Kal. Dec. depositio Magni Regis Chlodouei*, annus in Chronico sancti Vincentij Metensis designatur Felice Consule. *Eodem autem momento, quo mortuus est Chlodoueus Parisius, reuelante Spiritu sancto, Remigius cùm esset Rhemis, defunctum fuisse cognouit, & sibi assistentibus indicauit*, vt in eius vitâ tradit Hincmarus. Sauffaius in catalogo sanctorum, beatorum, & piorum, qui proprias historias vel natales non habent, sed in gestis Sanctorum in martyrologio Gallicano eiusque supplemento conscriptorum, diebusque eorum propriis cum laude pietatis commemorantur, sub literâ C, vbi Clodouei meminit, citat quamplures authores, qui eum *ad superna migrasse passim creditum* insinuant, aut *Sanctum* rotundè appellant, hactenus tamen cultum, qui Sanctis exhibetur, illi persolutum non legimus, quamuis cum Cæsare Baronio, qui de felicissimo illius transitu piè scribit [a], *ipsas Christianissimorum Regum Francorum primitias Deo oblatas, in cœlum receptas* fas sit opinari.

[a] Ad an. 514. n. 21.

LIII. SEPVLTVRA.

De morte Clodouei Regis in historiâ Gregorij Turonensis [b] hæc hodie leguntur.. *Apud Parisius obiit, sepultusque in Basilicâ Sanctorum Apostolorum, quam cum Chrothilde Reginâ ipse construxerat. Migrauit autem post Vogladense bellum anno quinto. Fuerunt que omnes dies regni eius triginta anni. A transitu ergo sancti Martini vsque ad transitum Chlodouechi Regis, qui fuit vndecimus annus Episcopatus Licinij Turonici Sacerdotis, supputantur anni centum duodecim.* Non inficias imus Clodoueum annis vixisse quadraginta quinque, regnasse triginta, natum enim diximus anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto, patrique Childerico successisse in regnum anno Christi quadringentesimo octogesimo-primo. De ceteris non conuenimus. Gregorius Turonensis quia Regem Alaricum viginti duobus duntaxat annis regnasse credidit [c], obitum Clodouei retulit anno post Vogladense bellum siue post ipsius Alarici mortem quinto, sed cùm tribuendos Alarico viginti tres annos regni suprà probauerimus, necesse est asseramus Clodoueum migrasse anno post Vogladense bellum quarto qui cum anno Christi quingentesimo vndecimo coincidit, nec est cur Gregorium de anno post Vogladense bellum quinto inchoato quis interpretari conetur, annorum enim incompletorum nulla vnquam mentio reperitur apud illum authorem. Corrigi quoque debent characteres Chronologici, qui sumuntur ab obitu sancti Martini & à Pontificatu Licinij, centum enim & quatuordecim anni numerantur ab Attici & Cæsarei Consulatu, quo transitus sancti Martini ab ipsomet Gregorio consignatur, ad Felicis Consulatum quo mors Clodouei contigit, & idem Felicis Consulatus illigari nequit anno vndecimo Licinij Turonensis Episcopi, quia Verus ipsius Licinij prædecessor in viuis adhuc superstes erat eo anno quo Messala Consulatum gessit, siue anno Christi quingentesimo sexto, idque patet ex subscriptionibus Agathensis Concilij quod illo anno celebratum fuit.

[b] Lib. 2. c. 43.

[c] Lib. 2. c. 37.

LIV. VXOR.

Chrotildis Regina post mortem viri sui Toronus venit, ibique ad Basilicam sancti Martini deseruiens cum summâ pudicitiâ atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ rarò Parisius visitans. Hæc Gregorius Turonensis [d].

[d] Lib. 2. c. 43.

LV. LIBERI.

Clodoueo ex duabus vxoribus fuerunt septem liberi, duo ex primâ cuius nomen ignoratur, quinque ex Chrotilde. Ex priori Theodoricus & Theudechildis; ex Chrotilde Ingomeres, Chlodomeres, Childebertus, Chlotarius, & Chrotildis. Cùm Clodoueus obiit, Theudechildis iam nupserat Radigeri Varnorum Regi Transrhenano, Theodoricus natu maior vxorem quoque duxerat, imò cùm viginti sex annorum posset esse, *habebat iam tunc filium nomine Theodobertum elegantem atque vtilem*, vt Gregorius Turonensis [e] testatur. Ingomeres obierat in albis anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quarto. Chlodomeres adolescens erat annorum sexdecim, eius enim ortum ex authoritate Gregorij Turonensis consignauimus anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quinto, Childebertus & Clotarius natu minores erant Chlodomere. Chrothildis Amalarico Wisigothorum Regi elocata fuit in vxorem.

[e] Lib. 3. c. 1.

ANNVS Christi, 511. CLODOVI IMP. 3. REG. 30. LVI.

Defuncto igitur Chlodouecho Rege, quatuor filij eius, id est, Theudericus, Chlodomeris, Childebertus, atque Chlotharius regnum eius accipiunt, & inter se aquâ lance diuidunt. Hæc Gregorius Turonensis [a]. Addit verò Fredegarius [b] super eiusmodi diuisione. *Sortitus est sedem Theudericus Meltis, Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisius, & Chlotharius Suessionis.* Quantùm ex antiquis Scriptoribus colligi potest, hæc paterni regni partitio fuit. Theodoricus præter prouincias transrhenanas & ciuitates inter Rhenum & Mosam sitas, obtinuit Remos, Catalaunum, Trecas, & in Aquitaniâ primâ vrbes Aruernorum, Ruthenorum, Cadurcorum & Albigensium, cum Vceria in Gallia Narbonensi. Chlodomeres Senonas, Autissiodorum, Aureliam, Turonos, Cenomannum, Andegauum & Nouempopulaniam. Childebertus Meldas, Parisios, Syluanectum, Bellouacum, quicquid inde patet ad Oceanum, prouinciam Lugdunensem secundam integram, ciuitates Redonum, Nannetum, Venetum, Britanniam, itémque aliquot vrbes Aquitaniæ. Clotarius Laudunum, Suessionem, Veromanduos, Ambianum, quicquid vltra Somonam est inter Mosam & Oceanum, itémque partem Aquitaniæ. Ratio cur fratres Aquitaniam in partes secari voluerint, hæc affertur, quòd inter Francos & Wisigothos pax nondum redintegrata fuerat, eámque ditionem patri suo nuper ablatam recuperare totis viribus nitebatur qui Gisselico fratri hoc anno successerat Amalaricus adolescens, vniuersæ penè Hispaniæ Galliæque Narbonensis dominus, Alarici Regis, quem Clodoueus occiderat, filius, & Theodorici Regis Ostrogothorum adhuc superstitis ex filia nepos.

[a] L. 2. c. 1.
[b] Hist. epit. c. 10.

FRANCIA QVADRIPERT.

LVII. VARIÆ AIMOINI INTERPOLATIONES REFELLVNTVR.

Apud Aimoinum, vt ex editione Ducheſniana patet, capitibus vicesimoquarto & vicesimo quinto libri primi multa sunt insititia. Primùm ea quæ de sancta Genouefa referuntur, deinde quæ narrantur de beato Germano Parisiensium Episcopo, tum Epitaphium Clodouei Regis, postremò anni quo idem Rex obiit Character ab Incarnatione Dominica desumptus. Agemus breuiter de singulis, & alibi rationem reddemus cur adeò studiosè immoremur in distinguendis Aimoini interpolationibus, quarum aliæ fidem promerentur, aliæ procul à veritate dissident.

LVIII. DE S. GENOVEFA.

In Elogio beatæ Genouefæ perperàm asseritur, quòd Parisiis *ad tempora vsque Hilarij & Childeberti* consenuit, obiit enim priusquàm Clodoueus Clotarij & Childeberti pater bellum aduersus Alaricum Wisigothorum Regem moueret, vt suo loco probauimus.

LIX. DE S. GERMANO.

Encomium sancti Germani sic inchoatur. *Tempore Clodouei nobilissimi Regis, vrbs Edua * huic mundo protulit florem lilij fragrantissimi*, id est, eodem tempore quo Clodoueus Francis imperabat, natus est Germanus apud Augustodunum. Hæc autem ciuitas regno Burgundiæ tunc accensebatur, nec adhuc in potestatem Francorum deuenerat. Cetera prætermittimus quæ de Germano Diacono, Presbytero & Abbate subiiciuntur, descripta sunt enim ex Fortunato, suisque locis à nobis exponentur.

* *Autun.*

LX.

Clodouei Regis Epitaphium, quod à beato Remigio conditum fertur, opus nobis videtur recentioris Auctoris, qui Clodoueum, quem Gregorius Turonensis Consulem aut Augustum appellarat, Patricium perperàm vocauit in suis versibus:

Diues opum, virtute potens, clarúsque triumpho,
Condidit hanc sedem Rex Clodoueus, & idem
Patricius magno sublimis fulsit honore, &c.

LXI. DE CLODOVEO REGE.

Denique hæc temporis nota, quâ mors Clodouei malè consignatur, *(obiit verò anno Dominicæ Incarnationis* D.*)* expungi debet ex Codicibus Aimoinianis, quia nec est Aimoini, nec ad veram Chronologiam accedit.

ANNVS Christi 512. THEOD. R. I. CLODOM. R. I. CHILD. R. I. CLOTAR. R. I.

ANNVS CHRISTI 512. THEODORICI R. I. CLODOMERIS R. I. CHILDEBERTI R. I. CLOTARII R. I.

I. ANNO Christi quingentesimo duodecimo Consules in fastis ponuntur Paulus & Muscianus seu Muschianus. Gothi post Clodouei mortem multa loca quæ nuper ille subegerat, peruaserunt, recuperatâque ciuitate Rutenicâ *, Quintianum Episcopum iam senem expulerunt in exilium. Rem ita describit Gregorius Turonensis capite quarto de vita Patrum. *Quintianus cùm in Dei semper operibus cresceret, auctâ beati Amantij Antistitis Basilicâ, sanctum corpus in anteâ transtulit, sed non fuit Sancto acceptabile hoc opus. Vnde factum est vt per visum apparens diceret ei. Quia ausu temerario artus in pace quiescentes visus es amouisse, ecce ego amoueam te ab hac vrbe, & eris exul in regione altera. Verumtamen non priuaberis ab honore, quo frueris. Non post multum verò tempus, orto inter ciues & Episcopum scandalo, Gothos, qui tunc in antedicta vrbe morabantur, suspicio attigit, quòd se vellet Episcopus Francorum ditionibus subdere, consilióque accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro sancto nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe illa egrediens, Aruernis aduenit, ibique à sancto Euphrasio Episcopo, qui Aprunculo quondam Antistiti successerat, receptus est, largitísque ei tam domibus quàm agris & vineis, vel ille, vel qui Lugdunensi vrbi præerat, summa cum diligentia eum excolebant. Erat enim iam senex & verus Dei cultor.* Vulgata Gregorij historia ordine præpostero id enarrat [b] in procinctu belli Wisigothici, quod annis Christi quingentesimo-septimo & quingentesimo-octauo gestum diximus.

a Cassiod. Marius, Marcell Victor. QVINTIANVS EPISC. RVTEN. SEDE PELLITVR A VISIGOTH. * Rhodez.

b Lib. 2. c. 36.

II. Remigius Remensis Episcopus hoc anno Pontificatus sui quinquagesimotertio literas ad Heraclium, Leonem & Theodosium Episcopos scripsit de Claudio Presbytero, in cuius causa spretum se ab illis fuisse ita questus est. *Dominis verè sanctis & meritò beatissimis in Christo fratribus, Heraclio, Leoni & Theodosio, Remigius Episcopus. Paulus Apostolus in epistola sua loquitur. Caritas nunquam excidit, quæ vt tales ad me literas mitteretis in vestris sensibus non resedit. Nam pro Claudio fudi simplicem precem, quem vos non Presbyterum scribitis, vt in me indignationem vestri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquisse, sed vos etati meæ, & si non meritis, decuerat detulisse. Quod propitiâ diuinitate sit dictum, quinquaginta & tribus annis Episcopali Sedi præsideo, & me appellauit tam procaciter nemo. Dicitis meliùs vos fuisse non natos. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audissem transgressoris opprobrium. Ego Claudium Presbyterum feci, non corruptus præmio, sed præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solùm prædicator fidei Catholicæ, sed defensor. Scribitis canonicum non fuisse quod iussit. Summo fungimini Sacerdotio. Regionum Præsul, custos patriæ, gentium triumphator iniunxit. Tanto in me prorupistis felle commoti, vt nec Episcopatus vestri detuleritis auctori. Rogani vt Claudius sacrilegij perpetrator pœnitentiæ seruaretur. Legimus namque, legimus quòd excidium cælesti denunciatione prædictum euaserunt per pœnitentiam Niniuitæ; quòd Ioannes præcursor Domini in*

LITERÆ REMIGII REMENSIS EPISC. IN CAVSA CLAVDII PRESBYTERI.

ANNVS Christi 512. THEOD. R. I. CLODOM. R. I. CHILD. R. I. CLOTAR. R. I.

Euangelio prædicauit vt regno appropinquante cœlorum eam populi agerent ne perirent. In Apocalypsi Angelis Ecclesiarum scribitur ex præcepto Domini Saluatoris, vt quæ dignè minùs egerant, pœnitentiæ satisfactione corrigerent. De iracundâ dictione Sanctitatis vestræ interrogo, quòd lapsum non miscreamini post ruinam. Sed magis velle vos video, ne conuertatur & viuat, cùm Dominus dixerit, [nolo mortem morientis, sed vt conuertatur & viuat.] Hoc nos expedit sequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere sed tenere, quia nos posuit non ad iracundiam sed ad hominum curam, & seruire pietati potiùs quam furori. Ponitis in epistolâ vestrâ, quòd Celsius quidam, qui Claudio credidit, quò abductus, & vtrùm viuat an sit mortuus ignoratis, atque huius inquisitorem me esse præcipitis, & nescitis si in sæculo, aut si apud inferos sit quærendus, & res suas à me vultis restitui, quas sublatas fuisse non noui. Impossibilia præcipitis vt impia peragatis. Annorum numero me esse scribitis Iubileum, irridentes potiùs quàm pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis irrupto insinceriter à vobis nec parcitur nec defertur. Hasce literas non ante hunc annum scriptas fuisse vel ex eo patet quòd Remigius in illis mentionem facit Clodouei Regis vt iam demortui, quem cùm viueret, non solùm prædicatorem fidei Catholicæ sed etiam defensorem, ac præterea regionum Præsulem, custodem patriæ, gentium triumphatorem fuisse commemorat. Nec eas multò seriùs datas opinati fas est, quoniam à Remigio directæ sunt anno Pontificatus quinquagesimo tertio vt ipsemet disertis verbis testatur: annum autem Remigij Pontificis quinquagesimum-tertium si quis à primo Theodorici Regis anno procul remouerit, aut annos Pontificatus septuaginta quatuor Remigio non assignabit, aut Aruernense Concilium, cui Flauius Remigij post Romanum successor interfuit, seriùs referet quàm oporteat. Remigius in literis suprà recitatis agit aduersus tres Episcopos, Heraclium, Leonem & Theodosium, dubium non est quin Episcopi fuerint Heraclius Parisiensium & Theodosius Autissiodorensium, tales enim in Concilio Aurelianensi primo nominati sunt anno superiore, cúmque ambo Pontificatum gesserint in prouinciâ Lugdunensi quartâ, tertius nobis videtur Leo Senonensis eiusdem prouinciæ metropolitanus, cuius vice Orbatus Presbyter Concilio Aurelianensi secundo subscripsit. Qualis sacrilegij reus fuerit Claudius, quem Remigius Presbyterum fecerat, literæ non exprimunt, Remigius sontem non negat, sed queritur preces suas ab Episcopis quos rogarat spretas fuisse, séque carptum ludibrio ac sale propter seniorem ætatem, quæ dilectioni potiùs ac venerationi iunioribus esse debuit: petierat Claudium pœnitentiæ seruari, nihil concessum postulationi, contumeliosè responderunt Episcopi, Remigium per contemptum ob numerum annorum vocarunt Iubileum, Claudium non Presbyterum scripserunt. Non ignorabat Remigius in Concilio Aurelianensi anno priori statutum fuisse, vt si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commisisset, simul & officio & communione pelleretur, sciebat antiquorum Canonum authoritate clericos, qui graue flagitium perpetrauerant, non tantùm ab officio suspendendos verùm etiam deponendos & ab omni restitutionis spe deiiciendos esse, sed optabat agi remissiùs cum Claudio, vt peractâ pœnitentiâ honori pristino redderetur. Exemplum similis indulgentiæ visuri sumus in Genebaldo Episcopo Laudunensi, quem idem Remigius post pœnitentiam Angelo monente sedi & officio Episcopali restituit.

III. PVNIVNTVR CELTENSES OB SPRETVM REMIGIVM.

Remigium propter senectutem per contemptum à multis solitum vocari Iubilæum testantur Hincmarus [a] & Flodoardus [b], vbi diuinam vltionem in Celtenses homines imptobos ita describunt. *Senescente sancto Remigio, & Dei Spiritu sibi reuelante, quoniam abundantiam ipsius anni secutura esset fames, secutus sancti Ioseph prudentiam, de annonâ, quæ in villis Episcopy nata fuerat, vel quam ab aliis comparauerat, acernos quos metas dicimus fecit, vt populo fame postmodum laboraturo inde subuenire valeret. Vnde & in villâ quæ Celtus dicitur, plures metas fieri iussit. Ipsi autem homines Celtenses semper rebelles & seditiosi fue-*

[a] In vit. S. Remigii.
[b] Lib. 1. c. 17.

ANNVS Christi 512. THEOD. R. I. CLODOM. R. I. CHILD. R. I. CLOTAR. R. I.

runt. Qui quadam die Dominicâ inebriati cæperunt inter se dicere. Quid ille Iubilæus (sic enim appellabatur propter ætatis prolixitatem sanctus Remigius) facere vellet de illis metis quas congregauerat? an ciuitatem inde facere vellet, quia sicut turres per muros ciuitatis, ita per circuitum cortis, metæ habebantur. Et suadente diabolo se mutuò adhortati sunt vt focum in eas mitterent. Quod cùm sancto Remigio in propinquâ villâ, quæ Basilicæ cortis dicitur, consistenti, celeri nuntio est delatum, ascendit equum, vt ad tantam præsumptionem compescendum ad Celtum veniret. Quò cùm peruenit, iam ipsæ metæ ardebant. Beatus autem Remigius & ætate & vespertino frigore, sicut in autumno solet fieri, frigidus de equo descendit, & à longè se calefacere cæpit, tranquillo corde & ore dicens, semper bonus est focus, si non super potest. Verumtamen omnes qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & fœminæ gutturnosæ sint. Quod ita completum est.

IV. EPISCOPI TRAIECT. * *De Mastrich.*

Enschenius in diatribâ de Traiectensi * Episcopatu scribit sanctum Falconem ad tempora Theodorici Regis peruenisse, & in Præsulatu successorem habuisse sanctum Eucharium circa annum Christi duodecimum supra quingentesimum. Ad Deum migrauit sanctus Falco mense Februario, alij diem notant vicesimam, alij vicesimam primam. Eucharius qui sancto Falconi successit, antecessit Domitianum, quem anno Christi quingentesimo tricesimo quinto constat Aruernensi Concilio interfuisse.

V. ELEVTHER. EP. TORNAC. REDIT ROMA.

Eleutherius Tornacensis Episcopus hoc anno, siue vt anonymus in auctore eius vitâ loquitur, *anno Pontificatus vicesimo quinto Româ regressus est.* Causa susceptæ profectionis ignoratur. Fallitur Guibertus, cùm annum vicesimum-quintum Eleutherij Antistitis refert ad Pontificatum Hormisdæ Papæ, nam Symmachi mors & Hormisdæ subrogatio cum anno vicesimo septimo Eleutherij Præsulis siue cum anno Christi quingentesimo decimo-quarto coincidunt, vt dicemus inferiùs.

VI. EPISCOPI BITVRIC. MARIANVS EREMITA.

Tetradius Episcopus Bituricensis, qui priori anno Concilio Aurelianensi subscripsit, ad hunc vsque annum peruenit. Eo mortuo Pontificatum adeptus est Roricius, tum Siagrius, de quibus præter nuda nomina nihil legitur. Marianus qui vitam eremiticam in agro Bituricensi per annos quatuor & quadraginta duxit, Episcopo Tetradio superstes fuit. Colitur in breuiario Bituricensi & in vetusto martyrologio cœnobij San-Laurentiani decimo tertio Kalendas Octobres, quo die solemnis eius memoria quot annis celebratur, apud Vsuardum tamen & in martyrologio Romano nomen inscriptum habetur decimo-quarto Kalendas Septembres. Gregorius Turonensis [a] multùm laudat abstinentiam beati Mariani, qui pomis tantùm agrestibus vescebatur ac melle quod in syluis reperire poterat. Reliquum eius panegyricum desumemus ex breuiario Bituricensi [b]. Basilicam quam in eremo construxerat, ab Episcopo Tetradio dedicari curauit, numquam tamen ab eo potuit induci, vt pecuniam quam offerebat in suos vsus acciperet, & ad honorem Presbyteratus se sineret promoueri. Sepultus fuit in vico Euaunensi siue Euaonensi, multis post mortem miraculis inclaruit. Ei nepos fuit beatus Animius de quo plura non legimus. Vtrique coætanea vixit Terentia Abbatissa, quæ partem barbæ quam sanctus Marianus paulò ante obitum radi fecerat, in nitidâ capsulâ pro singulari præsidio reposuit.

[a] De glor. Conf. c. 81.
[b] Ap. Phil. Labb. tom. 2. Biblioth.

VII. LEOBINVS FIT MONACHVS.

Leobinus Pictauiensis vrbis indigena, qui magno conatu literis addiscendis incumbebat, vt ante quadriennium iam obseruauimus, comâ capitis depositâ monasticam vitam iniit hoc anno, nam post annos octo, vt author vitæ testatur [c], adiit beatum Auitum qui tunc in eremo degebat, & beato Maximino in administrationem Mixiacensis monasterii nondum successerat.

[c] Ap. Phil. Labb. tom. 2. Biblioth.

VIII. EPISCOPI METENS.

Obiit septimo Kalendas Maias Grammatius Episcopus Metensis, hoc anno, Pontificatus sui decimo-quinto, successorémque habuit Agatimbrum, vt legitur in Codice sancti Symphoriani Metensis. Vtrumque in martyrologio Gallicano Sanctum appellat Saussaius [d], quem nonnulli cum Sausseyo

[d] D. 25. Apr. d. 11. Maii.

perperàm confundunt. Andreas *du Saussay*, quem Saussaium vocamus, hodie Tullensi Diœcesi præest Episcopus, Parisinus est patriâ, Martyrologium Gallicanum aliaque scripsit opera priusquàm promoueretur ad Pontificatum, cùm Ecclesiæ Sanctorum Lupi & Ægidij in ciuitate Parisiensi Pastor esset. Carolus *de la Saussaye*, qui Latino vocabulo se Saussæyum dixit, patriâ fuit Aurelianus, & Decanus Aurelianensis Ecclesiæ, cuius Annales libris sexdecim complexus est.

AN. CH. 512. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 1.

ANNVS CHRISTI 513. THEODORICI R. 2. CLODOMERIS R. 2. CHILDEBERTI R. 2. CLOTARII R. 2.

513. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 2.

ANno Christi quingentesimo decimo-tertio Consulatum [a] gesserunt Clemens seu Clementinus & Probus. I.

[a] Cassiod. Marius, Marcell.

Hoc anno migrauit è vitâ Principius Episcopus Cenomannensis, postquam sedisset annos viginti nouem, mensem vnum, dies viginti & vnum. Non desunt qui contendant sedem Episcopalem post eius mortem aliquandiu vacasse, sed hi scriptores perperàm volunt illum obiisse vel anno priori, vel ante biennium postquàm ex Aurelianensi Concilio reuersus esset. De die nulla est controuersia. Principius ex hac vitâ discessit decimo-sexto Kalendas Octobris, quo die festum eius celebratur à Cenomannensibus. Falluntur sanè, qui Principio Innocentium, Innocentio Domnolum subrogant, & Innocentio quadraginta sex annos Episcopatus tribuunt. Innocentius quidem medius inter Principium & Domnolum sedit, sed & præterea Victor inter Principium & Innocentium, ac biennale interpontificium inter Innocentium & Domnolum collocari debent. Ætatem Victoris qui Principio successit, ex vitâ sancti Melanij Redonensis Episcopi; ætatem Innocentij ex Conciliis Aurelianensibus secundo & quarto; interpontificium ex actis sancti Domnoli & ex vitâ sancti Mauri deprehendimus. Hoc igitur anno initium Victoris consignandum videtur. II. EPISCOPI CENOMAN.

A primâ Synodo Aurelianensi, cui Liuanius seu Leuangius Episcopus Siluanectensis * anno Christi DXI. subscripsit, ad Synodum vsque Aurelianensem quintam, cui Gonotigernus Episcopus Siluanectensis anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo interfuit, non occurrit in antiquis monumentis Character vllus Chronologicus, quo nomenclatura Siluanectensium Antistitum niti possit. In catalogis Siluanectensium Præsulum inter Leuangium & Gonotigernum medij collocantur Pasius & Nonnullus. Quot annis singuli sederint, referemus ex annalibus Siluanectensibus Caroli *Iaulnay*, qui quamuis in plerisque locis contra Chronologiam apertè peccet, annos prædictorum Pontificum sic assignat, vt nullatenus recedat à præcitatorum Conciliorum subscriptionibus, quæ solæ ad circumscribendos illos Pontificatus hodie supersunt æstimandæ temporum notæ. Inprimis mortuum hoc anno tradit Leuangium, deinde Pasio tribuit sex annos Pontificatus & Nonnullo duodetriginta, itaut eius calculo mors Pasij cum anno Christi quingentesimo quadragesimo septimo coincidat. Obseruat præterea sanctum Leuangium obiisse septimo Idus Octobris, & eius reliquias in Ecclesiâ sancti Reguli * prope maius altare custodiri. III. * *De Senlis.* EPISCOPI SILVANECT. * *S. Rieule.*

ANNVS Christi 514. THEOD. R. 3. CLODOM. R. 3. CHILD. R. 3. CLOTAR. R. 3.

ANNVS CHRISTI 514. THEODORICI R. 3. CLODOMERIS R. 3. CHILDEBERTI R. 3. CLOTARII R. 3.

I. [a] Cassiod Marius, Marcell. Victor.

ANNO Christi quingentesimo decimo-quarto Marcus Aurelius Cassiodorus Senator, cuius scriptis sæpiùs vsi sumus, Consulatum [a] iniit absque Collega. Eo Consule, Hormisda Symmacho Papæ mortuo successit. Id cùm illustrissimus Cardinalis Baronius animaduerteret, Clodoueum Francorum Regem ad hunc vsque annum superfuisse scripsit, quoniam apud Hincmarum in vita sancti Remigij legerat Clodoueum *Hormisdæ Pontificatus tempore*, Coronam auream cum gemmis beato Petro direxisse, vtque Hincmaro fidem conciliaret, obitum sancti Martini ex Seueri Sulpitii sententia distulit in annum Christi quadringentesimum secundum, deinde cum vulgato Gregorio Turonensi *à transitu sancti Martini vsque ad transitum Chlodouei Regis annos* CXII. supputauit. At beati Martini mortem anno Christi trecentesimo nonagesimo-septimo contigisse abundè probauimus variis characteribus Chronologicis, quibus vtitur Gregorius Turonensis Seuero Sulpicio ea in parte longè potior, & eundem Gregorium Turonensem, vbi sermonem habet de Clodouei morte, in numeris annorum cùm ab obitu sancti Martini tum ab ordinatione Licinij, mendosum superiùs ostendimus, quapropter ex ratiocinatione Baroniana nihil auctoritatis accedit Hincmaro, in cuius scriptis, vbi de Clodoueo Rege agitur, Hormisdæ Pontificis loco nomen Symmachi restitui debet. Neoterici penè omnes Cardinalis Baronij florentissimâ famâ commoti non audent ab eius opinione vel tantillùm recedere, ideóque per ducentos fermè annos à recta Chronologiâ plurimùm dissentiunt, quod hoc loco monemus obiter, ne quis à tanto viro, quem vbique celebramus, leui de causa dissidere nos existimet.

CHRONOLOGIA BARONII REPELLITVR.

ANNVS Christi 515. THEOD. R. 4. CLODOM. R. 4. CHILDEB. R. 4. CLOTAR. R. 4.

ANNVS CHRISTI 515. THEODORICI R. 4. CLODOMERIS R. 4. CHILDEBERTI R. 4. CLOTARII R. 4.

I. [b] Cassiod Marius, Marcell.

ANNO Christi quingentesimo decimo-quinto Consules [b] fuerunt Florentius & Anthemius.

II. Hoc anno Morguethenus Episcopus Corisopitensis siue Corentinopolitanus & Riocus

& Riocus Episcopus Lexobiensis obierunt. Successerunt Morguetheno Tremerinus, Rioco Riuallonus, vt obseruat Albertus de Monte * Relaxo.

AN. CH. 515. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 4.

Childebertus XIII. *Kal. Februarias, anno* IV. *regni*, vt à Iacobo Sirmondo, qui chartam ipsam viderat, Philippus Labbeus in Cancellariis eiusdem Regis accepisse se testatur, priuilegium emisit pro fundatione Monasterij ad Anisolam *, quod hodie sancti Carilesi * nuncupatur. At illud Cœnobium apud Nicolaum Papam [a], si vera sunt quæ *Galliarum vniuersis Episcopis & Principibus* scripsit, antiquiorem sortitur originem ab ætate Clodouei qui Childebertum præcessit repetitam, *à primo Rege Francorum Christiano, id est, Clodoueo filióque eius Childeberto, cùm habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus Regibus, semper manserit liberum, & in rerum suarum dispositionibus & in Abbatis electione.* Hæc leguntur in decretoria sententia, quam regnante Carolo Caluo Nicolaus tulit ad sopiendum dissidium, quod inter Episcopum Cenomannensem & Fratres Cœnobij sancti Carilesi enatum fuerat. Cùm autem duo certissima sint, vt inferiùs ostensuri sumus, Auitum nempe Cœnobij Miciacensis in Episcopatu Aurelianensi Abbatem adhuc fuisse anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto, quo Clodomeres Francorum Rex in prælio contra Godemarum Burgundionum Regem cæsus occubuit, & prima Monasterij ad Anisolam fundamenta non priùs fuisse iacta, quàm Auitus, relictâ Cœnobij Miciacensis curâ, cum Carilefo & aliquot aliis sodalibus in Diœcesim Cenomannensem abiisset, inde colligere est nullam fidem habendam chartis, quas Carilefiani pro fundatione & immunitate sui Monasterii ætate Caroli Calui protulerunt, hodiéque proferunt aut à Clodoueo datas, aut ab eius filio Childeberto, priusquàm is annum regni decimum quartum attigisset. Si feruente dissidio, quod inter Episcopos Cenomannenses & Fratres Carilefianos diuturnum fuit, in gratiam Monachorum producta sunt apocrypha Regum diplomata, eodem prorsus dolo noscuntur vsi, qui partes Episcoporum tuebantur, neque enim authenticè sunt admittenda duo Childeberti & Chilperici Regum præcepta quæ in Manuscripto Cenomannensium Antistitum Codice & inter Miscellanea curiosa Philippi Labbei reperiuntur. In primo Childebertus ita loquitur. *Inlustèr vir domnus Karilefus Sacerdos atque Monachus directâ petitione clementiam regni nostri adserens nobis intimauit, eò quòd ante hos dies in terra Sanctæ Mariæ vel Sanctorum Martyrum Gerualij & Protalij matris & Cenomannis ciuitatis senioris Ecclesiæ, vnà cum consensu Innocentis Cenomannicæ vrbis Episcopi, vel eius Congregationis Monasteriolum quoddam prædicto Episcopo consentiente seu adintorium non modicum præstante in honore Sancti Petri & Sancti Martini super fluuium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluuij nuncupatur Anisola, qui ab antiquis dicebatur Casa Caiani construxit vel ædificauit, & res atque municipia, quæ ad ipsum Monasteriolum, tam à nobis quàm & ab aliis bonis & Deum timentibus hominibus tradita sunt, tam in pago Cenomannico, quàm & in aliis pagis atque territoriis cum omnibus adiacentiis earum vel appendiciis cum omni re inexquisita ad prædictam matrem & ciuitatis Ecclesiam, quæ est in honore Sanctæ Mariæ vel Sanctorum Martyrum Gerualij & Protalij, vel domno Innocenti prædicto vrbis Episcopo, qui ibidem ad præsens curator & rector esse videtur, ipsas res nostro ex permissu, siue per nostram licentiam & auctoritatem, per sua strumenta tradidit atque delegauit. Ideóque petiit Celsitudini nostræ, vt hoc per nostram auctoritatem plenius confirmare feciſsemus. Quorum petitionibus gratanter assensum præstauimus, & in omnibus confirmauimus*, &c. *Datum die octauo mensis Iunij anno decimo-quinto regni nostri.* At anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto, cui decimus-quintus Childeberti Regis illigatur, Innocens siue Innocentius, qui post Victorem Episcopus Cenomannensium fuit, Sanctorum Gerualii & Protalii, quos posteà Cenomannensis Ecclesiæ patronos appellauit, reliquias à Mediolanensibus nondum acceperat, imò nondum ad Episcopatum fuerat assumptus. In altero Præcepto quod à Chilperico emanauit,

III.

* *Anille.*
* *S Calais.*
[a] Epist. 61.

CHARTA MONASTERII CARILEFIENS. EXPENDVNTVR ET REFELLVNTVR.

AN. CH. 515. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 4.

anni quo emissum fuit character desideratur, ibi mentio fit Galli, qui tunc Anisolæ Abbas erat, & Domnoli Episcopi, qui Cenomannensem Ecclesiam ab anno Christi quingentesimo quadragesimo-quinto ad annum Christi quingentesimum octogesimum-primum sapienter rexit, sed cùm in hisce literis, quæ deteximus in prioribus, commenta denuò repetantur, vtrisque sanè fides est abroganda. *Pater vir venerabilis Cenomanensis vrbis Episcopus Domnolus*, inquit Chilpericus, *vnà cum Abbate suo nomine Gallo nostram adiit præsentiam humiliter deprecans, vt ei propter multum amorem & vtilitatem ipsius Galli facere ei iussissemus Præceptum super chartam precariæ, quam ipse Episcopus iam dictus domnus Domnolus prædicto domno Gallo Abbati de Monasteriolo quod vocatur Anisola, vbi domnus Carilefus per consensum Childeberti Regis per strumenta chartarum vnà secum & cum Monachulis publicè tradidit, sicut in suis chartis, quas matri & ciuitatis clero Cenomanica Ecclesiæ S. D. G. Mariæ & SS. Martyrum Gerualij & Protasij legitimè fecit, & iamdicto domno Innocenti per scripturam tradidit, & postea per precariam iure beneficiario ab eo percepit, sicut in ipsis chartis & precariis continetur insertum, quas nobis ostendentes, & suas precarias, quas domnus Domnolus memorato Gallo fecit, & censum sibi & suis successoribus, sicut in eis continetur scriptum, soluere censuit. Ipsas enim ante nos relegentes petierunt Celsitudini nostræ, vt super precarias nostrum Præceptum facere iuberem, vt eorum precariæ firmiores futuris temporibus fierent. Quod & nos gratulanti animo pro eorum amore & D. N. I. C. reuerentiâ fieri iussimus*, &c. Pluris fieri debent literæ Dagoberti Tertij, de quibus agemus inferiùs.

IV.

EVFRASIVS ARVERN. EPISCOPVS MORITVR.

Hoc anno, qui quartus post mortem Clodouei Regis numeratur, obiit Eufrasius Aruernorum Episcopus, de cuius successoribus ita disserit Gregorius Turonensis [a]. *Sanctus Eufrasius duodecimus apud Aruernos Episcopus, quatuor annos post Clodouechi obitum vixit, vicesimo-quinto Episcopatus sui anno transiens. Cumque populus Sanctum Quintianum, qui de Ruteno eiectus fuerat, elegisset, Alchima & Placidina vxor sorórque Apollonaris, ad Sanctum Quintianum venientes, dicunt. Sufficiat Domine sancte, senectuti tuæ, quòd es Episcopus ordinatus. Permittat, inquiunt, pietas tua seruo tuo Apollonari, locum huius honoris adipisci. Ille verò cùm ad hunc apicem ascenderit, sicut tibi placitum fuerit, obsequetur, tu quoque imperabis, & ille tuæ parebit in omnibus iussioni. Tantùm vt humili suggestioni nostræ aurem benignitatis accommodes. Quibus ille, quid ego, inquit, præstabo, cuius potestati nihil est subditum? Sufficit enim vt orationi vacans, quotidianum mihi victum præstet Ecclesia. Illæ autem hæc audientes, Apollonarem ad Regem dirigunt. Qui abiens, oblatis multis muneribus in Episcopatu successit, quo quatuor abutens mensibus migrauit à sæculo. Cùm autem hoc Theodorico nunciatum fuisset, iussit ibi sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ, dicens, hic ob nostri amoris zelo ab vrbe sua eiectus est. Et statim directi nuncy, conuocatis Pontificibus & populo, cum in cathedra Aruernæ Ecclesiæ locauerunt. Qui quartus-decimus Ecclesiæ illi præpositus est.* Ex illa narratione colligimus Aruernos paruisse Theodorico, & Rutenos in Francorum potestatem nondum rediisse. Prædictæ mulieres Alchima & Placidina Basilicam in honorem Sancti Antoliani Martyris inchoarunt, de qua plura sub Auito Episcopo.

[a] Lib. 1. c. 1.

SVCCEDIT APOLLONARIS.

TVM QVINTIANVS.

V.

Cùm Quintianus Aruernensis Ecclesiæ curam susceperit, Gallus, qui posteà in Episcopatu successit, vitam in Monasterio Cronomensi degebat, eratque annorum sex ac viginti, quomodo in gratiam noui Pontificis, deinde Theodorici Regis venerit, hoc loco ex Gregorio Turonensi [b] describemus. *Erat egregiæ castitatis, & tanquam senior, nihil peruersè appetens, à iocis se etiam iuuenilibus cohibebat, habens mirè dulcedinis vocem cum modulatione suaui, lectioni incumbens assiduæ, delectans ieiuniis, & abstinens se multùm à cibis. Quem cùm beatus Quintianus Episcopus ad idem Monasterium veniens cantantem audisset, non eum permisit vltrà illic retineri, sed secum ad ciuitatem adduxit, & vt cælestis pater in dulcedine spiritali nutriuit. Cúmque defuncto patre, vox eius magis*

[b] De vit. patr. c. 6.

*ac magis in dies componeretur, atque idem in populis maximum haberet amorem, nunciauerunt hæc Theodorico Regi, quem dicto citiùs accersitum tantâ dilectione excoluit, vt cum proprio filio plùs amaret. A Reginâ autem eius vxore, simili amore diligebatur, non solùm pro honestate vocis, sed etiam pro castimoniâ corporis. Tunc verò Theodoricus Rex ex ciuibus Aruernis clericos multos abduxit, quos Treuericæ Ecclesiæ ad reddendum famulatum Domino iussit assistere, beatum verò Gallum à se nequaquam passus est separari. Vnde factum est vt eunte Rege in Agrippinam * vrbem, & ipse abiret simul: Erat autem ibi fanum quoddam diuersis ornamentis refertum, in quo barbaries opima libamina exhibens vsque ad vomitum cibo potuque replebatur. Ibi & simulachra vt Deum adorans, membra, secundum quod vnumquemque dolor attigisset, sculpebat in ligno. Quod vbi sanctus Gallus audiuit, statim illuc cum vno tantùm clerico properat, accensoque igne cùm nullus ex stultis paganis adesset, ad fanum applicat ac succendit. At illi videntes fumum delubri ad cælum vsque conscendere, authorem incendij quærunt, inuentum euaginatis gladiis persequuntur. Ille verò in fugam versus in aulâ se regiâ condidit. Verùm postquàm Rex quæ acta fuerant, paganis minantibus, recognouit, blandis eos sermonibus liniuit, & sic eorum furorem improbum mitigauit. Dehinc autem referre sæpè erat solitus vir beatus hæc cum lachrymis, & dicebat, væ mihi qui non perstiti vt in hac causâ finirer. Fungebatur eo tempore Diaconatus officio.* Quomodò posteà in Pontificem à Treuirensi Clero exoptatus fuerit, ac tandem Episcopatum Aruernensem obtinuerit, suo loco dicturi sumus [a].

AN. CH. 515. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 5.

GALLVS CLERICVS CHARVS REGI. Cologne.

FANVM COMBVRIT.

[a] Ad an. 517.

ANNVS CHRISTI 516. THEODORICI R. 5. CLODOMERIS R. 5. CHILDEBERTI R. 5. CLOTARII R. 5.

516. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 5.

I. ANNO Christi quingentesimo decimo-sexto Petrus Consulatum [b] solus gessit.

[b] Cassiod. Marius, Marcell. Victor.

II. Gregorius Turonensis, postquàm de Quintiano in Aruernensem Episcopum assumpto verba fecit, bellum Danicum ita describit. [c] *His gestis*, id est Quintiano Aruernorum Episcopo constituto, vt anno priori diximus, *Dani cum Rege suo nomine Chlochilaicho, cuctu nauali per mare Gallias appetunt. Egressique ad terras, pagum vnum de regno Theudorici deuastant atque captiuant, oneratisque nauibus tam de captiuis quàm de reliquis spoliis reuerti ad patriam cupiunt. Sed Rex eorum in littus residebat, donec naues altum mare comprehenderent, ipse deinceps secuturus. Quod cùm Theudorico nunciatum fuisset, quòd scilicet regio eius fuerit ab extraneis deuastata Theodobertum filium suum in illis partibus cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege, hostibus nauali prælio superatis, opprimit, omnemque rapinam terræ restituit.* Hæc victoria de Christiani nominis hostibus parta primum Theodoberti adhuc adolescentis tyrocinium fuit.

[c] Lib. 3. c. 3.

DANI VINCVNTVR.

III. Iisdem temporibus Theodoricus Francorum Rex bellum in Thuringiâ gessit, partemque regionis obtinuisset, si post mortem Baderici fratris, Herminefredus Rex pactis stetisset, sed vt Gregorius Turonensis [d] scribit, *oblitus fidei suæ, quod Theodorico indulgere pollicitus est, implere despexit, ortaque est in-*

[d] Lib. 3. c. 4.

BELLVM THVRING.

AN. CH. 516. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 6.

ter eos grandis inimicitia, de quâ iterum inferiùs.

IV. Gregorius Turonensis à rebus Thuringicis transit ad Burgundicas, & Sigismundum in Burgundiæ regnum Gundobado patri successisse tradit [a]. *Mortuo*, inquit, Gundobado, *regnum eius Sigismundus filius eius obtinuit.* Id autem hoc anno contigit Petro Consule, de quo sic Marius, *hoc Consule Rex Gundobagaudus obiit, & leuatus est filius eius Sigismundus Rex Burgundionum.*

V. Firminus ex Ferreolo & Industriâ seu Deutheriâ natus est hoc anno, vixit enim annos duntaxat triginta septem, & Ferreolus illius in Episcopatu Vceciensi successor, qui superstes ei fuit annis octo ac viginti, transiit ad Deum anno Christi quingentesimo octogesimo-primo.

[a] Lib. 1. c. 5.

S. FIRMIN NASCITVR.

VI. Theodosius Episcopus Autisiodorensis apud Democharem [b] sedet annos octo, dies duodetriginta; apud Saussaium [c] annos octo, menses totidem ac dies viginti. Vtraque sententia persuadet illius obitum hoc anno esse consignandum, colitur enim decimo-sexto Kalendas Augusti, decessor verò tertio easdem Kalendas. Sepultus fuit in Basilicâ sancti Germani. Vacauit Episcopatus vsque ad annum sequentem.

[b] De Sacr. Miss. c. 19.
[c] D. 17. Iul.

THEODOSIVS EP. AVTISS. MORITVR.

VII. Genebaldus Laudunensium Episcopus *septimo anno* pœnitentiæ quam pro delictis suis agebat, vt Hincmarus [d] scribit, *in vigiliâ cœnæ Domini cùm in oratione pernoctaret, & seipsum defleret, quoniam is qui ad hoc ordinatus fuerat, vt in illâ die pœnitentes Deo reconciliaret, ipse suis criminibus exigentibus nec inter pœnitentes in Ecclesiâ merebatur consistere, circa mediam noctem Angelus Domini cum magnâ venit luce ad eum in Oratorium, vbi pronus iacebat, & ait ad eum. Genebalde exaudite sunt pro te orationes patris tui Remigy, suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, & dimissum est peccatum tuum. Surge & hinc egredere, sacque ministery Episcopalis officium, & reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. Genebaldus autem nimio terrore perculsus respondere nil potuit. Tunc Angelus Domini confortans eum & ne timeret hortatus est, sed gauderet in misericordiâ Domini sibi collatâ. Qui animatus dixit ad Angelum. Non possum hinc egredi, quia Dominus & Pater meus Remigius clauem huius ostij secum habet, quod & sigillo suo signauit. Et Angelus ad eum. Vt non dubites, inquit, me à Domino missum, sicut patet tibi cœlum, sic & ostium istud patebit. Et statim saluo sigillo ac serâ ostium illud apertum est. Tunc Genebaldus in modum crucis se iactans in limine dixit. Etiamsi ipse Dominus Iesus Christus dignatus fuerit ad me venire peccatorem, hinc non egrediar, donec ille venerit, qui me in eius nomine in istâ reclusione constituit. Et statim Angelus Domini discessit ab eo. Beatus quoque Remigius in cryptâ, quæ retro sedem erat Ecclesiæ sanctæ Mariæ Rhemis, pernoctabat in oratione, & quasi dormiens in excessum est raptus, & vidit Angelum assistentem sibi, qui ei omnia sicut dicta & gesta fuerant narrauit, & iussit vt quantocyùs Laudunum * peteret, & Genebaldum sedi Episcopali restitueret, & coram se ministerium Episcopale agere persuaderet. Mox sanctus Remigius nihil dubitans, cum summâ celeritate Laudunum petiit, & in limine ostij saluo sigillo & serâ reserati Genebaldum iacentem reperit, quem extensis brachiis cum gaudio & lachrymis laudans Domini misericordiam eleuauit, eúmque sedi & officio Episcopali, veluti Angelus Domini præceperat, restituere maturauit, & Rhemos cum gaudio repedauit. Genebaldus itaque in sanctitate & iustitiâ posteà omnes dies vitæ suæ gratiâ Dei peregit, prædicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus.*

[d] In vit. S. Remig.

GENEBALDVS EP. LAVDVN. PERACTA POENITENTIA RECONCILIATVR.

* Laon.

ANNVS CHRISTI 517. THEODORICI R. 6. CLODOMERIS R. 6. CHILDEBERTI R. 6. CLOTARII R. 6.

AN. CH. 517. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 6.

I.

ANNO Christi quingentesimo decimo-septimo Consules ponuntur in Fastis [a] Anastasius & Agapitus.

[a] Cassiod Marius, Marcell.

II. SS. AGERICVS ET EBRVLFVS NASCVNTVR.

Hoc anno in lucem editi sunt Agericus & Ebrulfus, de quibus sæpiùs erit nobis differendum. Ille Virodunensem Episcopatum apud Austrasios gessit, hic primus Abbas Vticensis fuit in Neustrasiâ. Natus est Agericus * in ditione Theodorici Regis non procul Viroduno *. Illius ortum vt Angelus ante triennium prædixerat, ita comitatus est Aquilæ volatus insigni prodigio. Lege Wasburgium, apud quem obseruare est Agericum octo duntaxat annos vixisse sub sancti * Videni Pontificatu. Natus est Ebrulfus * Baiocis * in ditione Childeberti, parentes habuit claritate generis illustres. Præter eius discipulum, qui vitam scripsit à Surio redactam in epitomen, consulendi sunt Willelmus [b] Gemmeticensis & Ordericus Vitalis [c]. Apud Gemmeticensem * obit IV. *Kal. Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini* DXCVI. *ætatis suæ* LXXX. Author à Surio laudatus & Vitalis æquè asserunt eum mortuum, cùm annum ætatis octogesimum ageret, sed annum illum perperàm illigant anno duodecimo Regis Childeberti, cuius loco reponi debet nomen Clotarij, qui patri Chilperico in regnum successit anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto, itaut annus eius duodecimus cum anno Christi quingentesimo nonagesimo-sexto rectè comparetur. Hoc de calculo plura dicemus in obitu sancti Ebrulphi, cuius ortum hoc anno consignasse nunc sufficit.

[a] *Arry.*
* *Verdun.*
* *S. Venne.*
* *Euroul.*
* *Bayeux.*
[b] Lib. 7. c. 23.
[c] Lib. 6.
* *De Iumieges.*

III. GREGORIVS EP. AVTISS.

Sancto Theodosio Autisiodorensium Episcopo, qui priori anno ad Deum decimo-sexto Kalendas Augusti migrarat, subrogatus est mense Iunio Gregorius, sedit enim annos duodecim ac menses sex, obiitque decimo-quarto Kalendas Ianuarij.

IV. REMIGIVS EP. REM. INTERFEST SYNODO. ARRIANVM CONVERTIT.

Circa hæc tempora *Episcopi Galliæ ac Belgicæ prouinciarum*, vt Hincmarus refert [d], *causâ fidei ad Synodum conuenerunt, Beatum Remigium vndecunque doctissimum, & in scripturis sanctis eruditissimum, ac in Ecclesiasticis dogmatibus exercitatum ad idem Concilium venire petierunt. Cui Synodo Arrianus quidam hæreticus, acerrimus disputator, & dialecticis propositionibus ac conclusionibus confisus, & inde nimis elatus intererat. Ingrediente autem sancto Remigio Episcoporum Concilium, à multitudine fratrum expectantium, assurgentibus omnibus, reuerenter sicut Angelus Dei suscipitur, superbus autem hæreticus & malè de viro Dei sentiens dedignatus est et assurgere. Qui protinus cùm sanctus Remigius ante eum transiit, ita obmutuit, vt nec verbum quidem vllum effari potuerit. Expectantibus autem omnibus, vt post allocutionem sancti Remigij hæreticus ille aliquid diceret, nihil potuit loqui, sed ad vestigia sancti Remigij pronus cadens nutibus veniam petiit. Cui sanctus Remigius dixit. In nomine Domini nostri Iesu Christi, veri filij Dei viui, si ita de eo rectè sentis loquere, & de illo, sicut Catholica credit Ecclesia, crede & confitere. Ad cuius vocem antè superbus hæreticus, humilis iam & Catholicus, Catholicam fidem de sanctâ & inseparabili Trinitate, & de Christi incarna-*

[d] In vit. S. Remig.

AN. CH. 517. THEOD. CLODOM. CHILD. CLOTAR. RR. 6.

tione Catholicè confessus est, & in eâdem confessionis suæ fide se permansurum professus est. Sicque animâ per infidelitatem perdito, & corporali voce propter superbiam condemnato, virtute diuinâ sanctus Remigius & animæ & corporis reddidit sanitatem, cunctis qui aderant seu hæc audituri erant, Sacerdotibus patenter ostendens, de malè sentiendo peccante in Christum, qui per humanitatem proximus & frater nobis fieri dignatus est, quomodò erga peccantes in se vel in Ecclesiam, atque rebelles, & erga pòst recognoscentes & pœnitentes debeant agere. Quo loco hæc Synodus habita sit, haud scitur. Porrò per Episcopos *Galliæ ac Belgicæ*, intellige Episcopos Galliæ Belgicæ & Gallicæ Celticæ seu Lugdunensis. In Galliâ Belgicâ quatuor erant prouinciæ, duæ Germanicæ & duæ Belgicæ, omnes in potestate Francorum. In Galliâ Lugdunensi quinque erant prouinciæ, tres tantùm parebant Francis, secunda scilicet & tertia cùm quartâ si Niuernensem * ciuitatem excipias quæ Sigismundo Burgundiæ Regi subiacebat, vt patet ex subscriptionibus Episcoporum qui Concilio Epaonensi, hoc anno *die* XVII. *Calendas mensis octani*, id est Octobris, *Agapito Consule* interfuerunt, in eorum enim numero reperitur Tauricianus ciuitatis Niuernensium Episcopus.

* *Neuers.*

V.

LÆTVS FIT MONACHVS MICIAC.

* *Lié.*

Lætus * Diaconus, cùm monasticam vitam in agro Bituricensi per annos sexdecim exegisset, relicto Trietij Abbatis monasterio ad Maximinum Abbatem Miciacensem se contulit. Hæc profectionis causa describitur in eius vitâ quam Boscius[a] & Gononus[b] ediderunt. *Lætus insistebat ieiuniis & spiritualibus vigiliis, oratione assiduus, castitate perspicuus, sobrietate præcipuus, attentiùs super omnia humilitatem seruans. Si quando fratres vsque ad horam nonam ieiunarent, ille ieiunium vsque ad alterum protendebat diem. Cibum verò, quem accipiebat à monastico Præposito, latenter egentibus tribuere procurabat, sæpiùsque veste suâ exutus nuditatem eorum studebat operire. Quæ fratres videntes inuidiâ ducti, alij ex inani iactantiâ, alij ex stultitiâ asserebant ab eo hæc fieri. At verò spiritualis Abbas cæleste lumen conspicatus in eo nitescere, clam cœpit eum diligere, ac prouectum per singulos gradus, Diaconij sublimari fecit honore. Permansit autem in ipso monasterio cum fratribus annis sexdecim, seruiens Deo totâ puritate mentis, excrescebatque in eo virtutis supernæ gratia. Tum demum maioris inuidiæ aculeis stimulati nequam fratres, instigante Diabolo prorumpunt Abbati Trietio dicentes. Sciat Domine tua prudens Paternitas, quia quod videtur facere istius impostoris fatuitas, non agitur perfectæ operationis virtute sed potiùs simulatâ religione. Occultat enim prauitatem cordis sub habitu sanctitatis. Vtrùm verò ita vt dicimus verum sit, experimento tibi esse poterit obedientia ei pascendis iniunctu pecoribus, quam si renuerit, & infuscata eius apparebit simplicitas, & suspicioni quam de eo habemus satisfiet. Neque enim diutiùs decet nos nescire quid sibi velit propositum eius imperitiæ. Eiice igitur eum à monasterio & vadat in desertum tuo parens imperio. Quæ & alia huiusmodi coram Patre monasterij sæpiùs replicantes impetrauerunt, vt delegaretur pretiosus Lenita pascendo pecori in solitudine. Quod negotium ille gratanter suscipiens, petiit sibi dari ducem (quippe qui erat locorum ignarus) qui eum ad gregem perduceret. Factúmque est consilio diuinæ prouidentiæ, vt mitteret Pater quosdam cum illo qui eum accusauerant. Quatenus videntes virtutum miracula, quæ per seruum suum Dominus operari disposuerat, ab inuidiâ desisterent, aut certè videndo tabescerent. Pergentibus autem illis per desertum occurrit bestiarum multitudo.* Quas cùm vidissent socij, diffugerunt, ipse in eodem loco substitit nullâ turbatus formidine, fugitiuosque, quos feræ insequebantur, signo Crucis ac precibus ab imminenti periculo liberauit. Postèa cùm venissent ad quendam vicum, in quo cœci & claudi multi commorabantur, *completâ oratione singulis signum viuificæ Crucis apponens meruit, vt turba illa discederet incolumis.* Fratres verò visis his miraculis veniam petierunt, cúmque deinceps in magnâ habuerunt veneratione. Quæ res ei adeò displicuit, vt fratres & locum idcirco deserere statuerit. *Eo tempore beatus Pater Maximinus * Mixiacensi monasterio præerat, ad cuius sanctissimum magisterium multitudo*

[a] In Biblioth. Floriac.
[b] Lib. 2.

* *Mesmin Abbé de Mici.*

AN. CH. 517. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 6.

maxima religiosorum Monachorum confluxerat. Beatus igitur Lætus admodùm cupiens tantam effugere venerationem, auditâ famâ S. Maximini & discipulorum eius venit ad eos occultè, & procidens ad pedes sancti Maximini dixit. Domine pater, tuam clarissimam opinionem ac charitatem, quorumdam non incertâ relatione audiens, obsecro vt vobiscum merear habitare. Cui beatus Maximinus, comperto quis vel vnde esset, non nobiscum, ait, habitare poteris sine tui Abbatis licentia. Quod audiens respondit. Si iubes, vadam, Domine, ad Abbatem meum, & acceptâ licentiâ reuertar ad vos, obsecro ne nos asperneris. Quem tamen vir Domini Maximinus magno hospitalitatis studio duabus hebdomadis secum detinuit in Monasterio, & indubitanter aduertens simplicitatem eius, ait ei, Vade, frater, ad Abbatem tuum, & acceptâ licentiâ reuertere ad nos. Tunc beatus Lætus in Domino lætatus ad Monasterium reuertitur, ab Abbate Trietio facultatem impetrat pergendi ad Maximinum, qui redeuntem benignè susceptt, dilexitque familiariùs.

VI.

Inter Monachos, qui se tradiderant in Maximini disciplinam, præ ceteris enitebant, Auitus, Carilephus & Viator, qui Lætum toto mentis affectu deamarunt. Sancti Viatoris * meminit Saussleyus in Annalibus Aurelianensibus; vitas Sanctorum Auiti & Carilephi publicauit Surius ex manuscriptis Codicibus, qui pugnant inter se, corrigendique sunt ex aliorum collatione, quos Hugo Flauiniacensis in Chronico Virdunensi secutus est & Antonius Coruaisierus in Historia Cenomanensi non immeritò laudauit. *Auitus* *, si Surio [a] fides est, *apud Aurelianos plebeio ex sanguine ortus, parentes habuit humili loco natos. Matri eius patria fuit Virdunum, cui ingenuitatem virtus & meritum concilianit. Vt autem Aureliam proficisceretur, inopia & egestas eam compulit. Nupsit verò illic cuidam Belsicolæ* *, *cui peperit Auitum egregium filium, qui quandoque populo magnam esset salutem allaturus. Eo nascente ingens lumen in cubiculo apparuisse, certâ relatione compertum est, ita vt eo splendore obstetrices ab officio sint deterritæ, tantique miraculi perculsæ stupore non fuerint ausæ lumen illud cæleste intueri. Sed Dominus præscius futurorum non ignorans futurum illum fidelem seruum suum, in ipso ortu eum sanctificauit. Creuit inde puer, & cùm infantiæ rudimenta excessisset, ad Miciacense* (corruptè Mictianense) *Monasterium deuotus aduolauit, depositâque comâ Monachum professus est.* At idem Auctor in vita [b] Sancti Carilephi scribit aliter de sancto Auito, ambos enim Monachos in Aquitania fuisse testatur, priusquàm Maximinum adirent Abbatem Miciacensem, quem Aurelianensibus Episcopis perperàm sic accensct. *Vir vitæ venerabilis Carilephus* * *ex prouincia Aquitaniæ pago Aruernico ortus est, parentibus non improbis, sed credentibus in Christum, ibique in crepundiis lactantis infantiæ ablactatus est & nutritus. Qui cùm adolescere cœpisset, totum se in amore superni iudicii, quantùm fas videbatur, constringere, coætaneorum suorum insolentias & vaniloquia declinare, signo sanctæ Crucis se hinc inde communire, tum etiam ad cælos semper oculos reuerenter leuare, & soli Deo vacare sanctus puer studuit, scilicet vt illorum puerorum iungi mereretur consortiis, qui veniente Domino clamauerunt,* [*Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.*] *Porrò eius propinqui, vt viderunt eum ab omnibus mundanis desideriis alienum, nutu Dei religiosis Monachis eum nutriendum tradiderunt, & sacris mysteriis imbuendum. Vbi cùm per dies singulos ætate, sapientiâ & amore æternæ patriæ crescerct, cœpit iam talis existere, qualem possis sine bonorum oblocutione asserere. Erat enim subiectus maioribus, iis sancta iniungentibus obsecundans, blandus æqualibus, & communi charitate mirè officiosus erga inferiores, nulli se in religioso cursu præferens, cùm omnes in via Dei & cælesti tramite anteuerteret. Erat frequens in ieiuniis, in vigiliis pernox, in precibus perseuerans. Quid verò de eius pudicitia dicere nos attinet, cùm in eo domicilium sibi statuerit castitas, & altas fixerit charitas radices? Talis ad maturiores peruenit annos, & bonæ operationis viam vt aggressus est, ita etiam constanter prosecutus est. Cùm autem tantæ virtutes & charismata cunctis eum redderent amabilem, & in magno honore & reuerentia ab omnibus haberetur, metuens vir sanctus ne sagittâ Diaboli vulneratus in laqueum elationis incurreret,*

* *Viatre.*

* *Aug.*

[a] Die 17. Iun.

AVITVS, CARILEPHVS, VIATOR, MONACHI MICIAC.

* *Beaussetron.*

[b] Die 1. Iul.

* *Calais.*

AN. CH. 517. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 6.

peregrinam cogitabat viam arripere, vt sic ignotus despiceretur ab omnibus, & mereretur gloriam ciuium supernorum. Quodam igitur die, accersitis quibusdam e fratribus, quos in diuinitatis amore constantes agnouerat, ita eos cœpit compellare. Quamuis, fratres charissimi, mundi huius facultatibus abiectis & contemptis, videamur Religionis titulo insigniri, tamen, &c. Orationem quâ socios ad obeundas peregrinationes hortatur, vltrò prætermittimus, eâ verò finitâ, *illi ad eius vestigia prostrati, quasi ex vno ore dixerunt. Bonum te quidem in cunctis actibus semper perspeximus, frater, sed optimum nunc tua testantur eloquia. Parati sumus, Christo adiuuante, sequi vestigia tua, & pro illius amore famem, inopiam & nuditatem perpeti. Post hæc, factâ oratione cum fletu, instar Abrahæ Patriarchæ per iter incognitum gradientes, Christo duce, profecti sunt. Votis autem viri Dei beatus Auitus, qui erat vinum quoddam sapientiæ domicilium, se sociam adiunxit, & vt inchoata peruigili animo perficerent, eos animauit. Cœperunt igitur milites Christi singula Sanctorum loca sagaciter inuisere, vt certos quosdam de bonorum meritis flosculos legerent, & ad maturitatem, quasi grauida arbor poma, producerent, atque de fructibus bonorum operum donaria onusta plantarent. Post aliquot autem dies peruenerunt ad Ligerim* * *fluuium, eoque transmisso ad partes occiduas iter intenderunt, solerter inquirentes, si fortè inuenire possent patres, quorum exemplo per melioris vitæ tramitem ad terram viuentium, in quâ Propheta Dauid esse concupierat, pertingere valerent. Interim præcurrente famâ audiunt de beatissimi Maximini Aurelianensis Præsulis sanctitate & labore atque virtutibus, feruentique desiderio ad eius properant Monasterium, quod ipse sibi in suæ Ecclesiæ Parœciâ construxerat, vbi carnem macerans sedulus Domino seruiebat, & multis coruscabat miraculis.* Maximinus Abbas Miciacensis, de quo iam locuti sumus, distingui debet ab Eusebio, qui Pontificatum Aurelianensem tunc gerebat. Monasterium, ex quo profecti sunt Auitus & Carilephus, Menate dicitur in Cœnomanensi Codice quem Coruaisierius citat, & in Chronico Virdunensi cuius hæc sunt verba. *Tempore Clotharij & Childeberti sanctus Auitus & sanctus Carilephus ab Aruernis de Monasterio Menate egressi Miciacense Cœnobium expetierunt.* Menate * seu Menatum nunc etiam Monasterium est Diœcesis Claromontensis in finibus Boiorum *. Auitus & Carilephus ex hoc loco digressi, cùm profectionem Boream versùs Deo sic ordinante suscepissent, *Ligerim fluuium* & territorium Niuernense pertransierunt, penetraruntque in agrum * Altissiodorensem, sed auditâ famâ Miciacensis Monasterii, cui Maximinus Abbas in Episcopatu Aurelianensi tunc præerat, *ad partes occiduas iter intenderunt*, vt Aureliam atque inde Miciacum peruenirent. Auitus igitur priùs in cœnobio Menatensi quàm in Miciacensi vixit, tantique viri primordia retexenda sunt, non vt describuntur à Surio suprà citato, sed vt in Cenomanensi Codice commendantur. Natus est in Aquitaniâ, patrem habuit genere perillustrem, vtroque parente orbatus est cùm annum ætatis decimumsextum vix attigisset, paulò pòst scessit in Monasterium *quod Menate dicitur*, vnde posteà cum Carilepho se contulit Miciacum *, ibique *cùm nedum Abbati* Maximino, *sed etiam omnibus purâ animi simplicitate obediret*, vt Surius prosequitur, *Monachi quidam inuidiâ correpti, fatuum eum vel brutum appellabant, crebrò illi obtrectantes. Habebat verò pro more, partem ciborum suorum clàm egenis impartiri, sæpè etiam sibi detractis vestibus illorum tegere nuditatem. Abbas itaque cæleste in illo lumen considerans, tacitus illum amare cœpit, construxitque ei cellulam intra vestibulum Monasterij procul ab alijs, ne eius teiunandi & vigilandi assiduitas à fratribus ostentationi & arrogantiæ tribueretur. Vt verò omnes manifestis indicijs Dei hominem eum esse perspicuè cognouerunt, inuito Cellarij munus demandarunt. Non potuit ille recusare Abbatis imperium, sed cùm eam ministerij sarcinam in suos humeros recepisset, ab immiti familiâ crebris insidijs honesta eius simplicitas appetita & exagitata est*, quapropter in locum desertum secedere statuit, idque consilij cum Læto & Viatore Diaconis executus est, vt inferiùs dicemus. Idem Auctor in vita Sancti Carilephi, vult Carilephum & Auitum ordina-

* *La Loire.*

* *Menat.*

* *Le Bourbonnois.*

* *L'Auxerrois.*

* *Mici.*

ordinatos fuisse Presbyteros à Maximino, qui Miciacensis Abbas & Episcopus Aurelianensis esset. *Vt autem*, inquit, *beatissimus Maximinus eorum sapientiam & abstinentiam perspexit, diuinâ inspiratione permotus, hortabatur eos Presbytery dignitatem suscipere, vt per sancta prædicationis studium alios secum ad regna celorum perducerent, ne in illo diuino examine vacui à munere viderentur, sed cum duplicato talento ad creditorem suum reuertentes, in gaudium Domini feliciter intrarent. His auditis, beatissimi viri Carilephus & Auitus, vt erant ad omnem humilitatem paratissimi, sicut bona terra semen verbi libenter excipientes, vt centesimum fructum per patientiam redderent, iussis Pontificis obtemperarunt, atque ab eodem Sacerdotij onus sibi imponi sustinentes, mox inde digressi sunt, vt spiritale semen in corda credentium iactarent.* Non negamus Auitum & Carilephum, cùm in Monasterio Miciacensi sub Abbatis Maximini disciplina degerent, huius hortatu promotos ad Presbyteratum fuisse, sed alia duo sunt quibus assentiri non possumus, Auitus enim & Carilephus nec ordinati sunt à Maximino Presbyteri, nec è Monasterio Miciacensi post assumptum Presbyteratus ordinem statim discesserunt. Rogante Abbate Maximino in Collegium Presbyterorum adscripti sunt ab Eusebio Aurelianensi Episcopo, vt distinctis verbis docet Coruaisierius ex Codice Cenomanensi. Presbyteri iam erant cùm Auitus abiit in Secaloniam *, seriùs verò profecti sunt in agrum * Pertensem, vt suis locis ostensuri sumus.

AN. CH. 517. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 6.

* *La Sologne.*
* *Le Perche.*

ANNVS CHRISTI 518. THEODORICI R. 7. CLODOMERIS R. 7. CHILDEBERTI R. 7. CLOTARII R. 7.

518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

I. ANNO Christi quingentesimo decimo-octauo, Cassiodorus, Marius & Marcellinus Consulem ponunt Magnum, cui Victor Collegam tribuit Agapitum secundò.

II. Obiit hoc anno Riuallonus Episcopus Lexobiensis in Armoricâ, successit Ioannes. Vtriusque meminit Albertus de monte Relaxo.

III. Illis circiter temporibus, neque enim certus annus designatur, Ioannes Abbas Reomaensis Agrestium ciuem Magnimontensem ad se venientem die Dominico nec ad synaxim precum nec ad Eucharistiæ communionem admittere voluit. Rem author vitæ sic describit. *Agrestius quidam Magnimontensium partium ciuis, vir bonis moribus, cùm ad monasterium S. Ioannis flagitande benedictionis obtentu die Dominico aduenisset, expectans atque ambiens vt ab ore Ioannis corpus consecratum Christi mereretur accipere, & ille vt sibi morùs erat secretiùs Missarum voluisset solemnia celebrare. Egredere, inquit Ioannes, Agresti foras, dum modò secretiùs, vt monasterij vtilitas possit, sacra mysteria peragamus. Illo rogante ne respueretur quippe qui huius rei gratiâ maximè aduenisset. Non ideò, inquit Ioannes, hæc facimus quod execrari velimus tuæ charitatis præsentiam, sed ne videamur Sanctorum Patrum irrita præcepta facere, neue præsumamus regularem laxare censuram. Tandem egressus est victus, vel ratione, vel precibus. Tum indignatione commotus blasphemare ausus est, cur ei non licuerit interesse dum à sancto viro sunt sancta Mysteria celebrata. Insequntâ igitur nocte, cùm se sopori*

AGRESTIVS LAICVS A IOANNE ABB. REOM. NON ADMITTITVR AD SYNAXIM.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

dediſſet, ante locum ſtrati conſpicit per veſum ſtare Ioannem lætâ facie, vultu ſereno, & gemmam Euchariſtiæ dextrâ ferentem. Cerne, inquit Ioannes, Agreſti, quia ſi heſterno blaſphemare diſtuliſſes die, licet corporaliter non accepiſſes, tibi tamen ſpiritaliter largiretur. At verò nunc, quia blaſphemare præſumpſiſti, tibi denegabitur. Et viſio ab oculis eius elapſa eſt. Euigilans autem culpam reatus ſui cognoſcit, cúmque mundo fuiſſet redditus dies, regreſſus corde compuncto, conſternatuſque diuino metu veniam precabatur. Et ne quis hoc fabuloſum putet eſſe quod dicimus, referente viro venerabili Agrippino Diacono, ipſius Agreſty filio cognouimus. Ex illâ narratione diſcimus in more poſitum olim fuiſſe, vt monachi viros ſeculares ad ſynaxim precum non admitterent, & iidem viri ſeculares apud monachos Preſbyteros non communicarent. Petrus Rouerius [a] in notis quibus vitam ſancti Ioannis Reomaenſis illuſtrauit, addit vetitum quoque fuiſſe ne monachi ad ſeculares Preſbyteros communicaturi accederent.

[a] Not. 24.

IV. Pagus Magnimontenſis, quamuis in eodem Epiſcopatu Lingonenſi ſitus à Reomaenſi monaſterio non procul abeſſet, poteſtati Burgundionum adhuc ſubiacebat, & ante annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-quartum in ditionem Francorum cum reliquâ diœceſi Lingonenſi totâque Burgundiâ non venit, ideóque nullum hactenus ſermonem fecimus de ſancto Sequano, qui poſt Euſtadij Preſbyteri mortem circa hæc ipſa tempora relicto Magnimontenſi oppido Reomaenſe monaſterium adiit. Cur id conſilij ſuſceperit, hæ rationes afferuntur in illius vitâ quam Rouerius ex Codice Reomaenſi publicauit. *Geſſit Leuiticum officium annis quinque, deinde poſt actum quinquennium propter ſuæ humilitatis ac continentiæ fulgidum decus ad Presbyteri gratiam promouetur. Tunc quidam clericorum Magnimontenſis oppidi ætate primi, moribus tamen vltimi, videntes ſibi præponi ſecundi ſacerdotem honoris Sequanum, contra eum muſſitare cæperunt, & obliquis eum obtutibus intuentes quaſi Canonum tranſgreſſorem redarguere nitebantur. Sed ille vir bonus, atque ſinceræ caritatis doctrinâ cælitus eruditus, non ſolùm illis mala pro malis non reddidit, verùm etiam pro malis bona retribuit. Ferè in diebus illis, quibus hæc acta ſunt, beatus Euſtadius de terris migrauit ad cælum. Tunc Deo placitus Sequanus decreuit Eccleſiaſticum officium derelinquere, & monaſticam vitam ſilentio amicam arripere. Sed quoniam monachorum expers erat regularium, vota ipſius ſunt paululſper à diſpoſitione propriâ remorata. Per dies itaque ſingulos ſagaci indagatione Archimandritam quærebat, qui eum monaſticam vitam doceret, & ſanctiſſimorum Patrum collationibus atque inſtitutionibus magis ac magis erudiret. Erat autem in diebus illis in Tornodorenſi monaſterio, cognominato Reomaus, Abba Ioannes vocabulo, cuius ſingularis ſanctitas vniuerſas prouincias peragrarat. Ad eum illius opinionis compertâ famâ Sequanus ſanctiſſimus declinat. Quem cum ſummâ lætitiâ ſuſceptum, puro mentis affectu regulari ſolertiâ ita breui tempore imbuit, & in eius cordis intimo lumen veritatis infudit, vt ſpeculum eſſet bene viuentibus, qui ad eum totâ mentis deuotione tetendit Sequanus vir venerabilis.* Ionas in vita [b] ſancti Ioannis Abbatis Reomaenſis ita deſcribit eiuſdem Sequani aduentum in cœnobium Reomaenſe. *Vir quidam nobili intentione præuentus Sequanus * nomine, compertâ famuli Dei Ioannis famâ in obſeruatione inſtituti priorum Patrum, quam & ipſe flagranti ſitiebat amore, quadam nocte à partibus Magnimontenſium inter denſa tenebrarum adueniens Baſilicam latenter introiit communem Dominum orationibus pulſans. Quod diuinitus viro Dei reuelatum eſt. Citóque miniſtro imperat, vt concito gradu pergat, tactóque ſigno ſodales excitet, quia frater communis Sequanus abſconditè fores Eccleſiæ penetrans Dominum orationibus pulſat. Quod ita eſſe certiſſimâ eſt inuentione compertum, & venerando famulo Dei per plurimum ardentiſſima fratrum charitas officium debitum hoſpitalitatis perſoluit.* Petrus Rouerius, qui vtramque ſancti Ioannis & ſancti Sequani vitam in Hiſtoriâ Reomaenſi publicauit, ſtudioſiùs inquirit [c], cur Sequanus Reomaum *per denſa tenebrarum latenter* introierit, optiméque concludit diuino id permiſſu factum eſſe, vt ex primo Ioannis aditu Sequanus intelligeret rem ſibi eſſe cum viro, qui

SEQVANVS FIT MONACHVS REOMAENS.

[b] Lib. 2. c. 6.

* *Seine.*

[c] Not. 33.

ea quæ in tenebris fierent diuinitus præsentiret. In prædictâ narratione sunt & alia multa, quæ longè prolixioribus & exquisitioribus obseruationibus indigent. AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7. V.

Primo loco inuestiganda est ætas Sequani, quem annis minorem ceteri clerici ægrè tulerunt sibi anteponi, sacrorúmque Canonum transgressorem redarguere voluerunt. *Erat beatissimus Sequanus, quando Leuiticam adeptus est dignitatem, annos ferè quindecim natus, qui ita honoris sui dispensare cæpit sine offensione dignitatem, vt nullarum querimoniarum ætatis immaturæ occasionem quærentibus hominibus præstaret. Senioribus reuerenter obsequi, sui gradus sodalibus caritatis affectum, populis verò deuotissima humilitatis reddere non desinebat officium, ita omnibus se omnia exhibebat, vt & se sanctitatis respectu ornaret, & ad exemplum sui totius ordinis atque omnis ætatis pectora prouocaret. Gessit autem Leuiticum officium annis quinque, deinde post actum quinquennium propter sua humilitatis ac continentiæ fulgidum decus ad Presbyterij gratiam promouetur.* Ita Codex Reomaensis iam citatus, qui sibi satis constare non videtur, eodem enim teste Sequanus totum psalterium tenebat cùm Anachoresim suscepit, in eâ vixit integro fermè triennio, mansitque aliquandiu in Clericatu, antequàm Diaconus ordinaretur. Ipsa Codicis verba recitabimus. *Sequanus vir moribus probatissimus, Dei gratiâ priusquàm in materno vtero formaretur præuentus, ab ipsis autem cunabulis penè vniuersis populis fructuosis operibus cognitus, Magnimontensi oppido ortus, atque ibidem à Christianis est parentibus educatus. Diuinæ ergo prouidentiæ inflammatus ardore, infantili adhuc impeditus ætate, robustissimè, intra sui recessus pectoris, præcepta complebat Domini Saluatoris. Postquàm autem annos infantiles excedens ad puerilem gradum prouectus est, sic psalterium omne, obsequente ei memoriâ, tenacissimè adeptus est, vt similis ei in recitatione minimè posset quispiam reperiri, parentes verò eius, eò quòd vnicum habebant, tenerè diligebant eum, & sperantes per eum suæ stirpis mortalia germina pullulare, à Clericatus officio prohibebant. Verùm ille, per quem Deus splendidissimæ sobolis palmites propagaturus erat spirituales, videns suis votis vota parentum opposita secedens paululum à communi habitatione in villâ, cui nomen est Valeriaco, septa sibi vilissima, sanctitati tamen atque vtilitati congrua manu propriâ construxit, cæpitque intra ea continuatis momentis votiua orationum libamina Christo offerre, & abstinentiis impuberes artus ac molle adhuc corpusculum macerare. Neque enim priùs cibum sumebat, quàm psalterium totum in oratione perseuerans recitasset. Gerebat autem sub hispido habitu laici, mores lenissimi monachi, & sub intonsi capitis crine, tonsi pectoris frugem. Cùm se ergo saluberrimis ieiuniis, & fructuosis parcitatibus per tres ferè annos oblectaret, ad tantam corporis fœditate & macie perductus est necem, vt contracta atque arida cutis eius vix ossibus hæreret. Quodam igitur die, dum eum parentes viribus effætum, & mortali pallore aspicerent circumseptum, cum eiulatu nimio prorumpentes dixerunt. Si tonsuram desideras, & ob hanc causam tui vigorem corporis amisisti, ipsi te nunc horum crinium, vt putas, onere sublenamus. Tunc quidam è vicinis, qui eorum comitatui adhærebat procax, ac temerarius forcipem rapiens nitebatur cæsariem sacratissimi viri manibus resecare. Sed cùm vibratis forcipibus sua palma digitos super verticem antefati viri extenderet, illicò sinuosis anfractibus præcordij eius egelidus timor illapsus tremore quoque forcipes de manu eius excussit. Tunc verò parentes illius nouo stupore attoniti Sacerdotem denouerunt accersiri, qui præmissâ benedictione cæsariem reuerentissimi iuuenis incideret. Erat autem tunc temporis in Magnimontensi oppido Presbyter moribus & ætate, nomine Eustadius, vir Deo dignus atque sanctissimus, quem parentes beatissimi Sequani ad tondendum eum adduxerunt cum lætitiâ. Qui cùm veniisset, & preces Deo profudisset, eius capitis verticem diuino charactere signatum totondit, & post detonsionem casta oscula capiti atque labiis eius infigens benedixit eum dicens. Adsit tibi, fili, nostri potentia Creatoris, cuius te iam præuentum video ac munitum maiestate. Admoneo te, dilectissime, vt paululum abstinentiæ parcas, & obediens Apostolicis præceptis modico vino propter stomachum* SEQVANI TONSVRA.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

tuum & frequentes infirmitates vtaris. Cibis quoque, qui possint exile corpus tuum reparare, indulge. Ex eo igitur tempore cœpit religiosissimus Sequanus Eustadio Presbytero morigerari, & pedissequus eius in Dei gratiâ fieri. Insistentibus ergo illis frequentissimè in excubiis Domini & orationibus atque ieiuniis, reuelatum est sanctissimo Eustadio, quod pater futurus esset Sequanus populorum multorum ad requiem prædestinatorum. Denique conuocatis populis eiusdem Ecclesiæ, quoniam & ipsi experti fuerant tantæ sanctitatis atque abstinentiæ cultus in Sequano, Leuitico eum ministerio ante annos ætatis suæ consecrauerunt suis apud Episcopum testimoniis. Erat autem beatissimus Sequanus, quando Leuiticam adeptus est dignitatem, annos ferè quindecim natus. Certè vt non inficiamur Sequanum prouectum fuisse ad Diaconatum, antequàm legitimam attigisset ætatem quæ statutis Canonum præscribebatur, id est, antequàm annum quintum ac vicesimum impleuisset, ita nec fatemur illum annorum solummodò quindecim tunc extitisse. Author Codicis Reomaensis eo loco corrigendus videtur, emendationem æquo lectori relinquimus, & quicquid in Diaconatu & Presbyteratu Sequani contra Canonum formam processit, id, vt suo tempore in simili causâ beatus Bernardus pronunciauit super ordinatione sancti Malachiæ, qui infra annum vicesimum quintum Leuiticum ministerium, & infra tricesimum adeptus erat Sacerdotij dignitatem, donandum dicimus *tum zelo Ordinatoris, tum merito Ordinati*, zelo videlicet sancti Gregorij Lingonensis Antistitis, & meritis beati Sequani.

VI. Secundo loco quærendum nobis videtur, quis ille fuerit Eustadius, post cuius mortem Sequanus Presbyter *decreuit Ecclesiasticum officium derelinquere, & monasticam vitam silentio amicam arripere.* Iltis temporibus in Diœcesi Lingonensi duo floruerunt insignes Eustadij. Alter Diuione primus Abbas sancti Benigni fuit, vt probabimus ad annum Christi quingentesimum tricesimum quartum, quo Diuio * Francis primùm parere cœpit. Alter in oppido Magnimontensi Presbyter fuit, vt ex Codice Reomaensi proximè citato patet. Hic sanctum Sequanum, qui postea Segestrense monasterium quinque leucis à Diuione construxit, insigniuit Ecclesiasticâ tonsurâ, deinde Diaconum ac Presbyterum ordinari curauit. Tonsuram Ecclesiasticam seu Clericalem distinguimus ab Anachoreticâ. Sequanus comam capitis deponere voluit non Anachoretarum sed Clericorum more, quamuis integro ferè triennio anachoresim in vilissimis septis egisset. Anachoretis comas incidere quilibet poterat; omnibus licitum erat hoc opus, etiam seruis, vt legere est apud Theodorum Studitam in elogio sancti Platonis, qui *cùm se vitæ dederet Anachoreticæ, famulo vsus comite in densam quandam syluæ partem ingressus, eius manu qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & pullâ veste tanquam purpurâ quadam se induit.* Talem tonsuram si Sequanus sibi postulasset, homo ille qui procax & temerarius arguitur quòd eam aggressus sit, diuinam idcirco non prouocasset in se vindictam, nullum enim interdictum Ecclesiæ violasset. *Sequanum parentes*, vt Auctor vitæ citatus prodit, *à Clericatus officio prohibebant*, inde validum eruitur argumentum, vt quæ posteà de tonsurâ subiiciuntur, intelligantur de Clericali. Aliam rationem suggerit Eustadius Presbyter, qui cùm sciret laicum eò pœnas exoluisse, quòd profanis manibus comam Sequani tondere tentasset, simile quid non reformidauit, quia sciebat conferendæ Clericalis tonsuræ ius sibi competere, tunc enim primitias Clericatus non Episcopi modò sed etiam Abbates & Presbyteri per tonsuram impertiebant. Abbas Cronomensis Gallum puerum Clericum fecit teste Gregorio [a] Turonensi in ipsius sancti Galli vitâ. Canone vicesimo-primo Concilij Carthaginensis, quod Cæsario & Attico Consulibus, siue anno Christi trecentesimo nonagesimo-septimo celebratum est, *Clericorum nomen etiam lectores & Psalmistæ & Ostiarij retinent*, eóque sensu superiùs Patres Canone nono distinxerant omnem ordinem Ecclesiasticum in Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Clericos, *placuit*, inquiebant, *vt quisquis Episcoporum, Presbyterorum, &*

* *Dilen.*

CLERICATVS.

[a] De vit. Patr. cap. 6.

Diaconorum seu Clericorum, cùm in Ecclesiâ, &c. Canone autem decimo alterius Concilij Carthaginensis, quod Honorio Augusto quartùm & Eutychiano Consulibus habitum est siue anno Christi duodequadringentesimo, *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientiâ Episcopi, solâ iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod ore credis operibus comprobes*, & in illo Canone Synodus non tantùm actum cantandi, sed officium, cuius vocabuli vim plurimùm considerari voluit, de industriâ dixit, vt innueret ipsam huius Clericatus potestatem à Presbytero conferri posse, tonsuram verò quis illi suspicabitur interdictam, cui nobilior Clericatus erat permissus? Concilium Emeritense *, quod anno Recessuinthi Regis duodecimo, Erâ septingentesimâ quartâ, id est anno Christi sexcentesimo sexagesimo-sexto conuocatum legitur, Canone decimo-septimo gradus Ecclesiæ sic enumerat, Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Clericum, & Clerici nomine comprehendit gradus omnes qui sunt infra Subdiaconatum, deinde proximo Canone ius faciendi Clericos attribuit Parœcis. *Quicquid*, inquit, *vnanimiter dignè disponitur in sanctâ Dei Ecclesiâ, necessarium est vt à Parochitanis Presbyteris custoditum maneat. Sunt enim nonnulli, qui Ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, & solicitudo illis nulla est habendi Clericos, cum quibus omnipotenti Deo laudum debita persoluant officia. Proinde instituit hæc sancta Synodus vt omnes Parochitani Presbyteri, iuxta vt in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesia suæ familiâ Clericos sibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, vt & officium sanctum dignè peragant, & ad seruitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & Domino & Presbytero suo, atque vtilitati Ecclesiæ fideles esse debent.* An Eustadius Presbyter regimini Magnimontensis Ecclesiæ præfuerit, haud liquet, at seu Pastor illius loci seu tantùm Presbyter fuerit, nihil egit contra Canones & morem tunc receptum, cùm Sequanum per tonsuram Clericis accensuit. Post aliquod temporis interuallum Sequanus à Clericatu proximè ad Leuiticum Ordinem promotus est. In vsu nondum erat vt Clericalis tonsura separatim à minoribus omnibus gradibus conferretur, & omnes inferiores Ordines, qui sub vno Clericatus nomine comprehendebantur, sæpè in Ostiariatu, in Lectoratu, aut in alio ordine implicabantur, & Subdiaconatus in Diaconatu. Quo fiebat, vt à laicatu ad Clericatum, & plerúmque à Clericatu proximè transiliretur ad Diaconatum, aut à Lectoratu vel ad Subdiaconatum vel ad Diaconatum. Duo excogitari possunt modi implicandi plures Ordines in vno, seu transeundi ab ordine remoto ad remotum, vt Rouerius [a] iam laudatus obseruauit. Alter, itaut in vnius formâ & materiâ comprehendantur plurium formæ, materiæ atque officia, putà si Clericum tondens simul illi potestatem Lectoris, Ostiarij & aliorum vsque ad Subdiaconatum intendat attribuere verbis quibusdam vsus generalibus, quæ omnes potestates aut comprehendant, aut non excludant. Alter, itaut formæ ac materiæ singulorum distinguantur atque exprimantur, sed vnâ eâdemque consequentiâ sibi inuicem connectantur. Posteriori modo, qui nobis magis arridet & facilè vsurpari potuit, factum putamus, vt plures Ordines aut gradus, qui vnâ consequentiâ comprehensi fuerant, alicuius tantùm eorum nomen retinerent, & Historici, cùm quempiam primò Clericum seu Lectorem aut Ostiarium, deinde Diaconum dicerent factum, non duos gradus, sed duas plurium graduum consequentias nominarent. Hac eget interpretatione Codex Reomaensis in vitâ sancti Sequani quam explicamus. Præter præcitata Concilia Carthaginensia & Emeritense, quorum illa fortè antiquiora, hoc recentius, vtraque ab ætate Sequani remotiora videbuntur, secunda Synodus Toletana, quæ sub ipsa Sequani tempora regnante Amalarico * celebrata est, in ipso exordio primi capituli, quod totum est de gradibus Ecclesiasticis, sub vno Clericatus officio minores omnes Ecclesiasticos Ordines complectitur, & à mini-

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

* *De Merida.*

DIACONATVS.

[a] Not. 59.

* *Anaury.*

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

sterio Lectoris immediatè transit ad Subdiaconatum. *De his*, inquit, *quas voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio manciparit, statuimus obseruandum, vt mox cùm detonsi vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentiâ, à præposito sibi, debeant erudiri. At vbi octauum decimum ætatis suæ compleuerint annum, coram totius cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo coniugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, & professionem castimoniæ suæ absque coniugali necessitate se spoponderint seruaturos, hi tanquam appetitores artissimæ vitæ lenissimo Domini iugo subdantur, ac primùm Subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ, (clariùs alia editio probatione habitâ professionis suæ) à vicesimo anno suscipiant. Quòd si inculpabiliter ac inoffensè vicesimum & quintum annum ætatis suæ peregerint, ad Diaconatus officium, si scienter implere posse ab Episcopo comprobantur, promoueri debent.* Cùm Sequanus ex Clerico factus est Diaconus, Arelatensem Ecclesiam regebat Cæsarius Episcopus, qui pari modo ex Clerico Diaconus primùm, deinde Presbyter ordinatus est, vt docet in eius vitâ Cyprianus discipulus.

VII. MONACHATVS.

Tertio loco exponenda occurrit ratio, quæ Sequano votum suum adimplere cupienti moram iniecit. *Monachorum expers erat regularium*, inquit Author vitæ præcitatus, & *Archimandritam quærebat, qui eum monasticam vitam doceret, & sanctissimorum Patrum collationibus atque institutionibus magis ac magis erudiret.* Vitæ monasticæ triplex tunc ratio fuisse videtur. Vna eorum, qui suo sibi arbitrio leges dicerent, vt ferè Anachoretæ. Altera eorum, qui vnius Præpositi monita & iussa pro omni lege haberent, quales viuente sancto Martino fuerunt monachi Turonenses. Tertia eorum, qui communi cuidam ac perpetuæ regulæ sese addicerent, qualia Lerinensium & Grinincensium cœnobitarum statuta extiterunt. Postremum hoc genus per monachos regulares intelligendum esse voces ipsæ satis declarant, adeoquòd Sequano non opus sagaci fuisset indagatione, si monachos tantùm quæsisset, qui suo vel alterius hominis arbitrio vitam componerent. Reomaenses, quibus Ioannes Abbas Macarianam regulam tradiderat, in numero monachorum regularium erant, ad eos accessit Sequanus, nec à cœnobio Reomaensi recessit, donec Segestrense condidit, de quo fusiorem sermonem ad annum Christi quingentesimum tricesimum-quartum instituemus.

VIII. IONÆ CHRONOLOGIA REFELLITVR.

Quarto loco examinanda est Chronologia. Fateor equidem annum à me nesciri quo Sequanus Reomaum se contulit, sed quantùm coniecturis assequi possum, à vero non procul aberrabit, qui mecum censebit illam profectionem anno Christi circiter quingentesimo duodecimo contigisse, quamuis aduersari videatur Ionas in vitâ Ioannis Reomaensis, quia capite tertio libri secundi narrat res gestas eo tempore quo *Theodebertus filius Theodorici, Clodowei quondam filij, Italiæ claustris disruptis, bellum Ausoniis intulit*, deinde capite sexto eiusdem libri scribit Sequanum in hospitium & disciplinam Ioannis Abbatis admissum fuisse, Theodobertus autem Francorum Rex bellum Italicum anno Christi quingentesimo vndequadragesimo suscepit. Sanè Ionas, cùm egregia Ioannis facinora recensuit, ordinem temporum accuratè non obseruauit. Monachus Reomaensis Auctor synchronus, cuius exemplaria reperimus in Bibliothecis sancti Victoris, sancti Germani Pratensis ac Patrum Cœlestinorum, vitam sancti Ioannis conscripsit. Ionas eandem vitam multis pòst interpolationibus auxit regnante Clotario tertio, & opus suum adeò amplificatum duobus separauit libris; in priore, quem tredecim capitibus distinxit, egit Historicum; in posteriore, quem capitibus vndecim absoluit, vsus est Charactere dialogistico, & collocutorem introduxit Lætum Diaconum Reomaensem Ioanni coætaneum. In posteriore libro nihil omnino scripsit, quod in monacho Reomaensi legi possit, si quædam excipias fragmenta capitis octaui quæ de virtutibus sancti Ioannis agunt, & initium capitis noni quod est de sancti Ioannis obitu. In priore li-

bro lucubrationem monachi Reomaensis penè totam descripsit, sed res ipsas non eodem recitauit ordine. Longiori non opus est discussione vt intelligas ad stabiliendam vel euertendam Chronologiam imbecillia esse argumenta quæ sumuntur ex Ionâ. AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

IX.

Monachus Reomaensis, postquàm de Agrestio sermonem fecit, commendationem Ioannis Abbatis ita prosequitur. *Multigenâ itaque sanctitate hunc præditum virum sine diffidentiâ prædicamus, qui tantam apud Deum promeruit gratiam, vt suam contexteri exhiberet specialiter præsentiam. Quod nullo modo agere valuisset, nisi sacrificium laudis in arâ cordis Deo solemniter immolans sancta & individuæ Trinitati quotidie deuotam in mente suâ præparasset mansionem, vt mereretur cœlestem recipere benedictionem implente Domino iam suam dudum pollicitam promissionem. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Summi Sacerdotis Dei beati Ioannis Patris nostri miracula cudere optimum duximus, sed quia præ magnitudine sui humanam excedunt memoriam, singula tangere nequimus. Inter cetera virtutum insignia tantam Dominus gratiam contulit, vt vsque ad terminum vitæ in effugandis dæmonibus potentissimus appareret. Quapropter silentio non est tegendum de clarissimo viro Nicasio ferocis ingenij, cui etiam Eualensis * oppidi regenda reipublicæ fuerat cura commissa, cuius etiam seruus nomine Adam cùm à dæmone obsessus dolendo cruciaretur exitu, ad monasterium sancti Ioannis obtutibus præsentatus, deprecantibus cunctis, vt solitam erga insanum purgationis curam impenderet, sauire miser ac fremere dentibus cœpit, ac rabidiores insonare sermones. Flammarum quoque inuisibilium vndique incumbentibus globis exuritur, & huc illúcque rotari miserum cerneres, & cum ingenti vociferatione clamare, se diutius non posse tolerare si Ioannes propiùs accessisset. Intereà dæmoniacum ad se secretiùs iubet exhiberi, & celeri purgatione curatum secum paucis pòst diebus insit habitare. Quo facto & obsessus recipit sospitatem, & seruus Domino reformatur. Ceterùm quantis quibúsque conspicuus extiterit virtutibus transcendit possibilitatem nostram infinitus numerus. Nam illud in eo mirabile fuit, quòd nunquam obitu cuiusquam afflictus est nec funere lætatus. Nihil in eo malevolæ voluntatis fuit, nec benè posse defuit. Tranquilla potestas mens modulo contenta suo, nec vnquam turpi dedita lucro. Illecebras vicit corporeas, iocos, obscœnaque dicta vitauit. Inuidus cuiquam fuit nunquam. Non ignarus sed multis experimentis edoctus, quòd si sibi mores perpetuam spondent ventura in secula vitam.* Ionas hoc loco primum sui operis librum absoluit, in quo præter interpolationes quas suprà recensuimus, habentur duæ. Vna caput vndecimum, altera posteriorem partem capitis duodecimi complectitur. Hæc Ioannem commendat ob vsum linguæ puero muto redditum. Illa exhibet illustre exemplum diuinæ vltionis in Clarum, qui legere dedignatus est *excreationibúsque de sicco gutture sine vllâ flegmatis interpellatione pertractis* respersit epistolam Ioannis rogatoriam pro seruo, qui paucis antè diebus ad monasterium Reomaense culpâ compellente confugerat.

IOANNIS ABBATIS REOMAENS. MIRACVLA.

* Aualon.

X.

Prior medium locum obtinet inter ea quæ de blasphemo Agrestio déque dæmoniaco Nicasij Comitis Auallonensis famulo recitauimus, atque in hæc verba concipitur. *Alio quoque tempore Clari cuiusdam seruus ad monasterium sancti Ioannis culpâ compellente confugit, quam culpam minimè nobis iustum videtur euoluere, ne Tragœdiam magis quàm Historiam texere videamur. Ibique paucis diebus delitescens deprecatur, vt ad Clarum Sanctus epistolam Ioannes transmitteret, rogatoriam quatenus culpâ donatâ ad Domini seruitium reuerteretur seruus excusatus. Tum verò beatus Ioannes misericordiæ & pietatis intuitu epistolam scripsit, quæ cùm fuisset ad Clarum delata, rei ordinem, ob quam fuerat missa, à portitore perquirit. Agnoscit ob hoc esse transmissam, ne seruus suus à Dominica seruitutis officio diutiùs esse videretur exceptus. Quam epistolam manibus comprehensam non solùm relegere dedignatur, verùm etiam de sicco gutture excreationes sine vllâ flegmatis interpellatione pertracta supra ipsius epistolæ signacula iaciuntur. Huius ergo*

IONÆ INTERPOLATIONES.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

temeritatis ausum vltio diuina subsequitur. Nam ex eo die quo hæc sunt acta, annus integrus nouem, in os eius non solùm aliquid panis, sed nec ipsius quidem Eucharistiæ vsquam potuit sanctificatio intromitti, vix vt ita dicam aliquid tenuissimi liquoris potuit degustari. Habes legem in Aurelianensi Concilio suprà sanctam de seruis ad Ecclesiam confugientibus, hanc Clarus violare statuit, ideóque diuinam expertus est vltionem.

XI. Posterior interpolatio est de miraculo quod sanitati seruo Nicasij Comitis restitutæ subiicitur, nec minorem videtur fidem mereri. *Nec dissimile huic,* inquit Ionas, *fuit illud quod dicturus sum. Quidam igitur de rusticioribus personis paruulum secum filium exhibens rogaturus aduenit, vt per orationem sancti Ioannis paruulo sanitas redderetur, cui linguæ vsus labiorúmque officia negabantur, itaut etiam amentem eum diabolus effecisset. Tunc Ioannes reniti cœpit dicens, suæ non esse virtutis, per quem Deus signum sanitatis ostenderet. Interea flens & eiulans Pater tandem vt susciperetur emeruit. Transacto itaque aliquo temporis spatio, diuino purgatur auxilio. Tum puerulus quasi beneficium prosperitatis suæ retribuere cupiens, prouolutus pedibus sancti Ioannis, vt sanctorum fratrum aggregaretur numero, ipsis supplicantibus impetrauit. Ibi quoque Domino cupiens deseruire, vbi non modo corporis salutem sed etiam animæ incolumitatem fuerat consequutus.*

XII. IONÆ SECVNDVS LIBER QVALIS. Ionas vt primum sui operis librum, sic & secundum in personâ monachi Reomaensis Ioanni Abbati coætanei scribit, siquidem in posteriore libro collocutorem introducit Lætum Diaconum, qui capite tertio se Ioanni Abbati synchronum prodit, vbi de itinere quod aliquando, cùm Fidamiolus eius frater ægrotabat, ad Ioannem suscepit, ita loquitur. *Cùm mihi compertum esset eum absque vllâ spe vitæ iacere præmortuum, continuò ad notum recurrens præsidium, nec aliter ad Ioannem quàm ad cœlestia præsidia pro re peiturâ iamiamque festinaui deuotus.* Ionas autem, qui regnante Clotario Bathildis filio vitam Ioannis Abbatis interpolauit, ipsum Lætum inter viuos videre non potuit. In secundo Ionæ libro nouem sunt capita, septem priora de rebus agunt quarum nulla mentio fit apud monachum Reomaensem, verba faciemus de singulis vt se dabit occasio.

XIII. ELEVTHERIVS EP. TORNAC. ROMAM QVARTO PROFICISCITVR. Eleutherius Tornacensis Episcopus, qui Romam ter iam profectus fuerat, semel sub Anastasio Papâ, bis sub Symmacho, eandem peregrinationem quartò suscepit sub Hormisdâ. Causam profectionis, iter & reditum sic exponit anonymus [a] in auctiore illius vitâ. *Nouâ hæresi pullulante, sermonem de Incarnatione Christi aduersus hæreticos scripsit, in quo illos vicit, neminem tamen ad Christianitatis titulum conuertit. Igitur Romanum Papam Hormisdam expetiit, quem cum magno honore prædictus Papa erexit. A quo, dum beatus Eleutherius aliquid petisset, reliquias beatæ Mariæ Ægyptiacæ obtulit, & humerum beati Stephani protomartyris, & secum Tornacum deportauit. Igitur vir Dei à Româ regressus cum magnâ exultatione vniuersi populi suscipitur. Exultant Clerici, & Dalmaticis induti, beato Pastori suo obuiam procedunt. Sed ex improuiso gaudium omnium geminatur. Ipse enim Pontifex reliquias beatæ Mariæ, quæ tot & tanta pro Domino sustinuit, afferebat. Cùm autem Neruiam portam intraret, in eodem loco miraculum magnum à Deo manifestatum est. Occurrentibus enim populis gaudentibus, similiter Clericorum agminibus palliatis, beatus Antistes conscendens montem, qui dicebatur mons Thesauri absconditi, nunc autem dicitur mons sancti Andreæ, reliquias sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, & humerum sancti Stephani protomartyris omni populo ostendit. Subitò autem circa reliquias capitis sanctæ Mariæ quædam claritas de cœlo adueniens apparuit, quæ etiam ab omnibus visa est, donec intraret Ecclesiam Christi genitricis. Supra humerum autem beati Stephani lucidior claritas in modum circuli argentei visa est. Cùm verò Ecclesiam totius populi vallatus caterua intraret, quatuor viri, duæ mulieres magnâ infirmitate periclitabantur, quæ vocatur Ignis gehennæ. Tunc vir pietate motus est, caput ante mulieres, humerum autem ante viros posuit, dicens. Oremus omnes. Procumbentibus autem & orantibus illis,*

[a] Ap Bolland. d. 20. Febr.

ROMA TORNACVM DEFERT RELIQVIAS.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

illis ait. Sancte Stephane protomartyr succurre his hominibus. Sancta Maria succurre, & miserere huius fœminei sexus. Non enim profectò surgemus ab oratione, donec sani efficiantur. Ad hanc vocem omnes liberati sunt, caro autem, quam in ipsâ infirmitate perdiderant, restituta est in ipsâ horâ. Mutus quoque assistens locutus est dicens. Ecce reliquiæ beati Stephani & sanctæ Mariæ. Tunc omnes obstupefacti admirabantur. Illis temporibus reliquiæ Sanctorum, nec in auro nec in argento ponebantur. Hæc acta sunt Nonis Octobris. Prædictas reliquias, vt illustriori pompâ reciperentur, coniicimus in vrbem Tornacensem aduectas fuisse die Dominico, si valet autem hæc nostra coniectura, facili negotio deprehendi potest annus Christi quamuis sileatur, nam Nonæ Octobres toto Hormisdæ Pontificatu semel tantùm in diem Dominicum inciderunt, hoc nempe anno, Christi quingentesimo duodeuicesimo, qui literâ Dominicali G præditus fuit. Arnoldus Rayssius in hierogazophilacio Belgico asserit easdem reliquias hodie Tornaci in Ecclesiâ cathedrali sanctæ Mariæ custodiri, sed non leuiter hallucinatur cùm ait eas Româ delatas ab Eleutherio vicesimum Pontificatus annum agente, nam Hormisda, quem Eleutherius adierat, Symmacho non ante successit quàm Eleutherius annum Episcopatus vicesimum septimum attigisset, vt ex dictis constat. Alia difficultas oboritur circa reliquias beatæ Mariæ Ægyptiacæ, quia Baronius in Annalibus Ecclesiasticis [a] ex actis Mariæ Ægyptiacæ à Sophronio scriptis coniicit eam Hormisdæ Papæ superstitem vixisse, & in notis ad martyrologium Romanum [b] asserit sanctum Zosimum, qui beatæ Mariæ Ægyptiacæ funus ætate iam grandæuus curauit, sub Imperatoribus Iustino & Iustiniano claruisse, quorum posterior Imperium auspicatus est anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo. In actis Mariæ Ægyptiacæ, duo tantùm leguntur Characteres Chronologici. Alter, quem Baronius obseruauit, est de pace quâ gaudebat Ecclesia cùm Zosimus Mariam in eremo primùm vidit. Alter, de quo Baronius siluit, est de Mariæ transitu qui contigisse dicitur *quinto Idus Aprilis, nocte salutiferæ passionis.* Neuter apertè designat Iustinum & Iustinianum Augustos, quorum æuo Zosimum floruisse scribit Baronius. Pax Ecclesiæ sæpè ablata est ac sæpè restituta, cúmque pacem Ecclesiæ multi reddiderint Imperatores, ex pacis Charactere certus Imperator deprehendi nequit. Vix certior est Character qui desumitur à quinto Idus Aprilis & à nocte salutiferæ passionis. Nam cùm nox salutiferæ passionis partim ad feriam quintam partim ad feriam sextam pertineat, in dubio relinquitur, vtrùm illo anno, quo Maria Ægyptiaca obiit, Pascha pridie Idus Aprilis an tertio easdem Idus celebratum sit. Ab anno quidem quadringentesimo sexagesimo-quarto ad annum vsque quingentesimum tricesimum-septimum Pascha non est habitum pridie Idus Aprilis, sed illo temporis interuallo quater contigit tertio easdem Idus, annis scilicet vndequingentesimo, quingentesimo-decimo, quingentesimo vicesimo-primo, & quingentesimo tricesimo-secundo, è quibus annum potiùs quingentesimum vicesimum-primum quàm ceteros eligimus, à primo enim colloquio quod Zosimus florente Ecclesiæ pace cum Mariâ Ægyptiacâ iniit, ad eiusdem Mariæ mortem vnus duntaxat annus intercessit, & anno Christi quingentesimo-vicesimo tranquillus erat Orientalis Ecclesiæ status imperante Iustino, secùs autem sub Anastasio & Iustiniano Augustis, quorum ille annis Christi duodequingentesimo & quingentesimo-nono, hic anno quingentesimo tricesimo-primo imperium regebat. Baronius ex iis quæ Sophronius de pace Ecclesiæ in actis Mariæ Ægyptiacæ scripsit, nobiscum colligit primum Zosimi & Mariæ colloquium habitum fuisse temporibus Iustini Imperatoris, illud tamen in annum Christi quingentesimum vicesimum-quintum perperàm reiicit, quia Paschalis solemnitas anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto nec pridie Idus Aprilis nec tertio easdem Idus, sed decimo-tertio Kalendas Maij celebrata est. His ita obseruatis, suspicamur sanctam Mariam, cuius reliquias Eleutherius Episcopus Româ Tornacum detulit, ab Ægyptiacâ distinguen-

[a] Ad an. 525. n. 22.

[b] D. 4. Apr.

AN. CH. dam esse, & in acta sancti Eleutherij præcitata vocem *Ægyptiace* irrepsisse.
§ 18. Suspicionem nostram fouet tractatus manuscriptus de transitu sancti Eleutherij, quem Bollandus in notis ad vitam eiusdem Eleutherij citat hoc modo.
THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7. *Reliquias beatæ Mariæ illi obtulit, & ita occultè ab Ecclesiâ beati Petri Apostoli secum Tornacum deportauit.* Quod attinet ad ignem gehennæ, quo quatuor viri duæque mulieres torquebantur, cùm reliquiæ beati Stephani & sanctæ Mariæ Tornacum allatæ sunt, Tornacenses, aliique populi Galliarum, vt suis locis ostendemus, non semel laborarunt eo morbo, quem alij Arsuram, alij ignem sacrum & igniariam pestem vocant.

XIV. LAVRIANI HISPAL. EPISCOPI MARTYRIVM. Laurianus Hispalensis Episcopus martyrium, vt omnes consentiunt, in Galliâ consummauit, sed quo tempore, quo loco, & cuius insidiis neci traditus sit, variè disputatum est hactenus à multis. Diuersa eius acta perlegimus, quorum alia typis excusa sunt, alia nondum in lucem prodierunt. Ad nostras manus ex tot Codicibus nullus peruenit, qui non esset multùm deprauatus. Attentè perquisiuimus vnde tam copiosi dimanarint errores, ex duobus potissimùm ceteri videntur profluxisse. Theodorici Regis loco nomen irrepsit Totylæ, qui regnare cœpit apud Ostrogothos anno decimoquinto post Theodorici Regis obitum, eóque modo non parua rerum ac temporum introducta est confusio. Præterea pro Eusebio Episcopo Aurelianensi scriptus est Eusebius Episcopus Arelatensis, atque inde nata est non modica de locis controuersia. Fortasse qui pro Theodorico Totylam, pro Eusebio Episcopo Aurelianensi Eusebium Episcopum Arelatensem primus edidit, is in libro, quem præ manibus habebat, nomen cùm Regis qui Laurianum grauissimâ persecutione vexauit, tum sedis Episcopalis cui præfuit Eusebius, primâ duntaxat literâ designatum reperit, & vt per literam T quæ Theodoricum significabat, Totylam denotari putauit, ita per literam A quæ Aurelianensem indicabat, Arelatensem Episcopum credidit exhiberi; quin & amanuensis Aurelianensem in Arelatensem facilè deflectere potuit, vocabula enim quæ multò magis ab inuicem differunt, sæpe inueniuntur confusa. Quàm benè autem ea, quæ de Lauriano narrantur, cum rectâ Chronologiâ cohæreant, si Theodoricus Rex & Eusebius Aurelianensis Episcopus Totylâ Rege & Eusebio Arelatensi Episcopo expunctis restituantur, paucis accipe.

XV. Laurianus gente Pannonius, Mediolani * factus est clericus, & per gradus Ecclesiasticos promotus est ad Presbyteratum. Cùm autem Arianam hæresim magnâ dicendi libertate insectaretur, odium incurrit Totylæ, & vt necem iussu Regis paratam euaderet, fugâ se recepit in Hispaniam, vbi creatus Episcopus diœcesim Hispalensem annis septemdecim rexit, donec Totylæ diligentiâ rursus ad mortem postulatus est, tunc enim per quietem ab Angelo monitus in aliam regionem secessit, ac post annos exilij septem martyrium in Galliâ feliciter expleuit quarto Nonas Iulij. Caput delatum est Hispalim *, corpus verò sepultum ab Eusebio Arelatensi Episcopo, qui super tumulo Ecclesiam in honorem Principis Apostolorum ædificauit dedicauitque decimo-quarto Kalendas Decembris. En epitome totius historiæ, quæ cum regno Totylæ stare non potest, Totylas enim in Hispaniâ numquam regnauit, & Ostrogothis in Italiâ præfuit per annos tantùm vndecim, ab anno videlicet Christi quingentesimo quadragesimo primo vsque ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum secundum. Philippus Labbeus, qui vitam sancti Lauriani ex Codice manuscripto Ecclesiæ de Castro Bituricensi publicauit [a], suspicatur Totylæ loco legendum Agilam, sed Agila, qui mortuo Theudisclo regnum Wisigothorum in Hispaniâ suscepit, regnauit annis duntaxat quinque, vt Isidorus & author Chronici Mossiacensis attestantur, Rex verò qui Lauriano mortem inferre sæpiùs tentauit, Principatum longè diuturniorem gessit. Totylâ ex actis Lauriani deleto si non Agilam sed Theodoricum reposueris, omnia quadrabunt optimè, quia Theodoricus in Italiâ regnauit annis duodeuiginti, deinde in Italiâ simul & in Hispaniâ regnauit annis quinde-

* *Milan.*

* *Seville.*

[a] Tom. 2. Biblioth.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

cim. *Theodericus iunior*, inquit Isidorus in Chronico Gothorum, *cùm decem & octo annis in Italiâ victor regnasset, rursus extincto Gesalico Rege Gothorum, Hispaniæ regnum quindecim annis obtinuit, quod superstiti Amalarico nepoti suo reliquit.* Annorum octodecim, quos Theodoricus regnauit in Italiâ priusquàm in Hispaniâ regnaret, initium petitur ab anno Christi quadringentesimo nonagesimo-tertio quo regnum Erulorum in Italiâ penitùs defecit, annorum verò quindecim quos in Italiâ simul atque in Hispaniâ regnauit, exordium ducitur ab anno Christi quingentesimo vndecimo quo Gesselicus Wisigothorum in Hispaniâ Rex occubuit, quia ipsemet Theodoricus anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto vitam clausit. Iam verò Lauriani secessus ex Italiâ, Pontificatus Hispalensis annorum septemdecim, exilium septennale, martyriúmque regno Theodorici sic illigari possunt. Anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quarto, (qui primus Theodorici Regis in Italiâ numeratur stylo Gregorij Turonensis aliorúmque perantiquorum scriptorum, apud quos anni cuiuslibet Regis non à die quo suffectus est in regnum, sed ab initio sequentis anni colliguntur) Laurianus ex Italiâ fugit in Hispaniam, & Episcopatum Hispalensem, cuius administrationem eodem anno suscepit, felicissimè gubernauit sub Alarico & Gesselico Regibus vsque ad annum Christi quingentesimum vndecimum, quo ne caderet in manus Theodorici, qui tutorio nomine, donec Amalaricus eius è filiâ nepos adoleuisset, Wisigothicarum in Hispaniâ ditionum regimen vsurpabat, à Deo per Angelum admonitus Hispali secessit, cúmque varias peregrinationes per annos septem obiisset, hoc anno, Christi quingentesimo duodeuicesimo, martyrium in Galliâ subiit, Theodorico Gothorum Rege adhuc superstite, sepultúsque fuit ab Eusebio Aurelianensi Episcopo, qui vicesimum annum in Pontificatu tunc explebat. Res penè omnes, quas Laurianus Mediolani & Hispali præclarè gessit, obliuioni datæ sunt, nec ad nostrum pertinent institutum. Postquàm autem Hispalensem Ecclesiam rexisset annis septemdecim, has peregrinationes suscepit, si fides est anonymo quem Labbeus vulgauit. Hispali Romam Dei monitu profectus est, Massiliæ * in itinere iuuenem filium vnicum viri prædiuitis à morte suscitauit, Papâ imperante Missarum sacramenta publicè in Ecclesiâ beati Petri peregit decimoquinto Kalendas Februarias in solemnitate Cathedræ, Româ Turonos ad sancti Martini tumulum Angelo iterùm monente venit, atque in reditu post annos exilij septem in vico Vastino agri Bituricensis occisus est. Marianâ [b] de mortuo ad vitam reuocato silet, & oculis cæci lumen insinuatum tradit. Vtrique miraculo fides haberi potest. Tunc vrbes clarissimæ Roma & Massilia Theodorico Gothorum Regi parebant. Roma non tantùm Theodorico quandiu vixit, sed & eius successoribus Athalarico & Theodato Regibus Ostrogothorum obtemperauit, nec ad partes Cæsareas rediit ante annum Christi quingentesimum tricesimum sextum, cùm Witiges post Theodatum apud Ostrogothos iam regnaret. Massilia post Theodorici Regis obitum ex pacto quod Athalaricus Ostrogothorum Rex & Amalaricus Rex Wisigothorum inierunt, cessit Ostrogothis, fuítque sub potestate Athalarici, Theodati & Witigis Regum, donec anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto Witiges, vt Francos amicitiâ sibi deuinciret, eis ciuitates omnes tradidit quas inter Alpes ac Rhodanum in Galliâ possidebat. Mariana qui Lauriani secessum ex Hispaniâ martyriúmque seriùs refert, cùm Totylas & Theudis Gothis, ille Ostrogothis, hic Wisigothis imperabant, ait Massiliam illâ tempestate ad Romanam rempublicam pertinuisse, sed ea nobilissima ciuitas ab anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto, quo feliciter ab Ostrogothis Arianis ad Francos Catholicos transiit, sub horum imperio per annos trecentos quadraginta tres continuò permansit, vsquedum anno Christi octingentesimo septuagesimo-nono Boso Comes Arelatense regnum constituit aduersus Ludouicum & Carolomannum Francorum Reges, Ludouici Balbi filios, motâ rebellione. Habitâ autem odij ratione, quo Theodoricus Lauria-

* *Marseille.*

[b] Lib. 5. c. 8.

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

num prosequebatur, ipsi Lauriano iter Hispali nec Massiliam nec Romam fuisse arbitramur. Irridendus apud Labbeum anonymus, qui vt Laurianum Romam profectum esse facilius persuadeat, Missam illic ab eo celebratam in festo Cathedræ sancti Petri decimoquinto Kalendas Februarij sic asserit. *Papa imperat ei Missarum solemnia peragere. Erat enim solemnitas Cathedræ quinto-decimo Kalendas Februarij.* Seculis quinto & sexto, quibus floruit Laurianus, solemnitas Cathedræ Beati Petri nondum celebrabatur decimo-quinto Kalendas Februarias, hoc enim die illius solemnitatis mentio nec in Gregorij Magni Sacramentali Pameliano Medardinóve reperitur, nec in Kalendario Romano, quod conditum est intra tempora Gregorij secundi & Gregorij tertij Romanorum Pontificum, & Parisiis ex Bibliotheca S. Genouefæ prodiit in lucem anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo; frustráque obiicies sermonem Augustini xv. de Sanctis, & vetus Martyrologium Romanum Heriberti Roswcydi, nam sermonem x v. de Sanctis, qui de Cathedra Petri inscribitur, & Augustino tribui solet, non esse opus Augustini suâ censurâ iam docuerunt Doctores Louanienses, & Martyrologium, quod Roswcydus publicauit, nec vetus est nec Romanum, sed Epitome tantùm Martyrologij quod ab Adone compositum fuerat, vt pererudité iam probarunt Ioannes Fronto, & Henricus Valesius, ille in notis ad prædictum Kalendarium Romanum, hic in dissertatiuncula quam notis ad Eusebium subiecit. Laurianum igitur existimamus Hispali secessisse in Franciam, vbi miracula perpetrarit quæ suprà commemorauimus. Exitu vitæ imminente, Turonos ad sepulchrum sancti Martini venit, ac paulò pòst in vico * Vastino agri Bituricensis interemptus est. Non desunt qui Laurianum Massiliæ necatum tradant. *Româ*, inquit Mariana, *magnis à Pontifice summo honoribus cohonestatus cùm Massiliam rediisset, quæ ad Romanorum potestatem redierat, Arianorum insidiis periit. Arelatensis Episcopus defuncti corpus Beterri * in Gallia tumulandum curauit, caput Hispalim relatum. Theudis mors breui consecuta est salutis anno quingentesimo quadragesimo octauo.* Theudis Wisigothorum regnum, quo post Amalaricum anno Christi quingentesimo tricesimo primo potiri cœpit, rexit *per annos sexdecim, menses quinque*, vt Isidorus affirmat, obiitque ineunte anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo. *Dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ Dei, vt licentiam Catholicis Episcopis daret in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcumque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria existerent, dicere, licentérque disponere.* Cùm Theudis erga Catholicos ita affectus esset, induci non possumus vt molestiam ab eo creatam Lauriano vel cuilibet Episcopo suspicemur. Deinde postremis illius Regis temporibus Massilia, vt suprà ostensum est, non erat in potestate Romanorum, & quandiu Wisigothi Theudem Regem habuerunt, aut Ostrogothis paruit aut Francis. Prætereà nomen Arelatensis Episcopi reticuit auctor præcitatus, quia satis aduertit illâ ætate Arelatensi Ecclesiæ non præfuisse Antistitem qui vocaretur Eusebius. Verùm cùm addidit Lauriani Martyris corpus *Beterri* ab Episcopo Arelatensi sepultum fuisse, subindicauit lectos à se quosdam Codices qui beatum Laurianum non apud Biterras, sed apud Bituricas * conditum testabantur, quis enim vnquam putabit funus Biterris siue in primaria vrbe Episcopatus, qui Metropolitano Narbonensi subeiat, ab Episcopo Arelatensi Metropolitano curatum fuisse, maximè si tunc Arelate Rex Francorum Catholicus, Biterris & Narbone Rex Wisigothorum Arianus imperabant? Præter varios Authores, qui sanctum Laurianum in vico Vastino agri Bituricensis, vbi nunc etiam tanquam patronus colitur, interfectum asserunt, eandem sententiam quarto Nonas Iulij confirmant Martyrologia Bedæ, Vsuardi, Adonis, ac Romanum. Beda enim sic habet, *In Biturica ciuitate natale S. Lauriani Martyris.* Vsuardus sic, *In territorio Biturice ciuitatis, sancti Lauriani Episcopi, cuius caput Hispalim ad Hispanius deportatum est.* Ado sic, *In territorio Biturica ciuitatis, vico Vastino,*

* *Vatan.*

* *Beziers.*

* *Le Berry.*

AN. CH. 518. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

corruptè *Iuſtino*, in nonnullis exemplaribus, *Natalis ſancti Laurlani Martyris, cuius caput Hiſpalim ad Hiſpanias deportatum eſt*, citatúrque [a] in præfatione ad vitam ſancti Laurlani ab anonymo, qui ſe dicit æqualem Poëtæ, à quo Martyrologium per totum annum heroico carmine deſcriptum eſt, id eſt, Wandelberto qui decimo ſeculo floruit. Martyrologium Romanum ſic, *In territorio Bituricenſi, ſancti Lauriani Epiſcopi Hiſpalenſis & Martyris, cuius caput Hiſpalim in Hiſpania delatum eſt.* Lauriano necem intulerunt homines Ariani. Vicus Vaſtinus, vbi facinus adeò deteſtabile commiſſum fuit, pars erat agri Bituricenſis, pertinebátque ad primam Aquitaniam, quam Clodoueus Francorum Rex Catholicus Wiſigothis Arianis poſt pugnam Vocladenſem eripuerat. Ab illa Wiſigothorum clade vix effluxerant vndecim anni, perque vniuerſam Aquitaniam magno numero ſupererant Ariani, quos ſecretis artibus magnoperè fouebat Theodoricus Gothorum Rex, cùm ſpem recuperandæ nobiliſſimæ prouinciæ poſt Clodouei Regis obitum animo ſtatim concepiſſet. Quapropter in dubium vocari poteſt, vtrùm Laurianus interfectus ſit ab incolis Aquitaniæ, qui cùm ſectam Arij profiterentur, Orthodoxos Epiſcopos odiſſent, an à Gothis æquè Arianis, quos Theodoricus Rex è Gothicis ditionibus ad id flagitij miſiſſet in Aquitaniam. Suſpicio tamen in Gothos potiùs cadit, eóque inclinant omnes fermè Scriptores. Anonymus apud Labbeum ait caput B. Lauriani delatum eſſe Hiſpalim, atque honorificè receptum à Totyla Rege, qui pœnitentiâ ſceleris admiſſi ducebatur. Auctor Martyrologij Gallicani, ſuppreſſo Regis nomine, qui adeò crudeliter atque obſtinatè in Laurianum ſæuit, eiuſdem Lauriani Martyrium pœnitentiámque cùm ſatellitum à quibus necatus eſt, tum Regis qui ſatellites ad patrandum hoc crimen direxit, ita deſcribit. *In Galliam profectus eſt, atque in Aquitaniam venit, vbi à ſummiſſis ab impio Rege (qui virum Dei, donec ad extrema perduceret, inſectatus eſt) in agro Bituricenſi interceptus, capite obtruncatur. At ſacrum verticem deciſum ſuis manibus Chriſti pugil accepit. Quod cùm emiſſarij iniquitatis vidiſſent, metu perterriti, ad fidem pœnitentiámque conuerſi, & baptiſmatis vndâ expiati, caput ipſum Martyris colligentes Hiſpalim magno honore detulerunt, Regíque quæ facta fuerant referarunt, qui ſceleris admiſſi compunctus, atque ad pietatis ſtudia conuerſus, beatum athletam præcipuo affectu deuotionis coluit, memoriámque eius excitato inſigni templo clarificans, ſe regnúmque ſuum in ipſius peculiarem commiſit clientelam.* Nec conuerſionem ſatellitum, qui Lauriano caput amputarunt, nec miraculum impugnamus, cuius intuitu reſipuerunt, quanquam eos cùm ab Ariana hæreſi venirent, non baptiſmatis vndâ expiatos, ſed tantùm chriſmatos fuiſſe pro more illorum temporum arbitramur, itémque negamus Regem pœnituiſſe flagitij, Theodoricus enim quo iubente Laurianum interfectum contendimus, Theudis quo regnante ſcelus hoc commiſſum ait Mariana, Totylas à cuius ſatellitibus nex illata vulgò creditur, & Agila cuius nomen reponendum ſuſpicatur Labbeus, ab erroribus Arianis nunquam receſſerunt, imò in eadem hæreſi miſerè obierunt omnes Oſtrogothorum Reges qui dominati ſunt in Italia, & è Wiſigothorum Regibus qui regnarunt in Hiſpania, primus Orthodoxam fidem ſuſcepit Reccaredus, qui mortuo Lewigildo patre, regnum iniit anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſeptimo. Longè igitur probabilius eſt caput Lauriani martyris à ſicariis delatum fuiſſe Hiſpalim, atque honorificè receptum ab Hiſpalenſi clero plebéque Catholicâ, cùm Theodoricus Gothorum Rex in Italia degeret, & Hiſpaniam adminiſtraret per Præfectos, qui ſe contra Religionem Orthodoxam minùs infenſos præbuerunt. Corpus verò beati Martyris in vico Vaſtino ſepultum fuit ab Euſebio Epiſcopo. Falluntur qui Euſebium illum Antiſtitem dicunt Arelatenſem, Epiſcopatus enim Arelatenſis à vico Vaſtino longè abeſt, & in Arelatenſium Præſulum catalogo nullus Euſebius inuenitur. Euſebius, qui funus Lauriani Martyris curauit, Epiſcopus fuit Aurelianenſis, ad Epiſcopalem dignitatem promotus eſt anno

[a] Tom. 1. Biblioth. Labb.

AN. CH. 118. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 7.

Christi duodequingentesimo, Concilio Aurelianensi primo subscripsit anno Christi quingentesimo vndecimo, sanctum Maximinum Abbatem Miciacensem anno Christi quingentesimo vicesimo sepeliuit, habuitque successorem Leontium, qui Concilium Aurelianense secundum anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio suâ subscriptione communiuit. Eusebius peractis exequiis Oratorium super tumulo Martyris construxit dicauitque decimo-quarto Kalendas Decembris. Hæc autem diei nota non mediocriter nos impulit, vt sancti Lauriani martyrium hoc anno Christi quingentesimo duodevicesimo consignaremus. Ecclesiarum enim dedicationes die Dominico ex antiquo more fieri solent, vt ex Concilio Cæsaraugustano constat, & toto quindecim annorum spatio quo Theodoricus Gothorum Rex Hispaniam gubernauit, dies decimus-quartus ante Kalendas Decembris bis tantùm cum die Dominico coincidit, anno videlicet Christi quingentesimo duodecimo, qui bissextilis fuit, prædituſque literis Dominicalibus A & G, & anno Christi quingentesimo duodevicesimo, cui littera Dominicalis fuit G. Quia verò Laurianus, postquàm Theodoricus administrationem Hispaniæ suscepit, ab Hispalensi Diœcesi per annos septem exulauit, anno Christi quingentesimo duodecimo annum quingentesimum duodevicesimum necessariò præferendum duximus. Vicus Vaitinus est in Episcopatu Bituricensi. Eusebius Aurelianensis Episcopus, vt Laurianum sepeliret, illuc perrexit, quamuis Episcopo Senonensi Metropolitano subesset. Similia frequenter occurrent exempla. Episcopi Turonenses cùm prouinciæ Lugdunensis terræ metropolitani essent, Episcopis Pictauiensibus, qui Burdigalensi secundæ Aquitaniæ Metropolitano subiacent, aut absentibus aut impeditis sæpè vocati sunt Pictauium, vt id exequerentur quod illius loci præstitissent Episcopi si præsentes adfuissent. Cùm Laurianus martyrio coronatus est, fortè Bituricensis Episcopus procul aberat, aut sedes Bituricensis post Roricij mortem carebat Pastore. In vetere catalogo Bituricensium Antistitum, quem plerique Neotericorum secuti sunt, tribuuntur anni duodecim Roricio Præsuli, vndeviginti Siagrio eius successori, sed illa sententia stare non potest, quia Roricius Episcopatum non iniit ante annum Christi quingentesimum duodecimum, cùm Tetradius eius decessor Concilio Aurelianensi primo subscripserit, & post Siagrium quadriennio sedit Humatus antecessor Honorati, qui Concilium Aurelianense secundum anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio suâ subscriptione roborauit. Monachus Sansulpitianus Chronologiæ satis consultum duxit, si auctoritate quorumdam Chronologorum innixus Clodouei Regis obitum in annum Christi quingentesimum decimum-quartum tardiùs reiiceret, & ex opinione Iacobi Bergomensis * quem citat, primam Synodum Aurelianensem annis tribus ac viginti citiùs quàm par erat, anno Christi quadringentesimo duodenonagesimo collocaret. Postquàm attentè cogitaueris quid correctionis adhibendum sit, fortasse nihil verisimilius aut commodius occurret, quàm si annos vndecim, qui numerantur ab anno Christi quingentesimo duodecimo quo Roricius Pontificatum auspicatus est, ad annum Christi quingentesimum vicesimum-tertium quo Siagrius obiit, in partes æquales diuidas, idque si præstiteris, mors Roricij non incongruè cadet in hunc annum, & obitus Siagrij in annum Christi quingentesimum vicesimum tertium quo subrogatus est Humatus.

* *De Bergame.*

ANNVS CHRISTI 519. THEODORICI R. 8. CLODOMERIS R. 8. CHILDEBERTI R. 8. CLOTARII R. 8.

AN. CH. 519. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 8.

I. CHRONICON CASSIODORI DESINIT.

ANNO Christi quingentesimo decimo-nono clauditur Cassiodori Chronicon Consulibus Iustino Augusto & Eutharico Theodorici Regis Ostrogothorum genero, quem Marius & Marcellinus Eutherium vocant. Cassiodorus in fine sui operis, annorum summam ab Vrbe conditâ sic colligit. A Romulo vsque ad Brutum & Tarquinium primos Consules annos supputat ducentos & quadraginta, deinde à Bruto & Tarquinio vsque ad Consulatum Eutharici numerat annos triginta & vnum supra mille, id est à Romulo annos mille ducentos septuaginta & vnum, eóque calculo non dissentit à nobis in sententiâ eorum, qui prout in Martyrologio Romano legitur [a], Christum natum affirmant *ab vrbe Româ conditâ anno septingentesimo quinquagesimo secundo*; nam si subducas annos septingentos quinquaginta duos ab annis mille ducentis septuaginta & vno, remanebunt nouemdecim duntaxat supra quingentos.

[a] D. 25. Dec.

II. * Le Quercy. * Teroüenne.

Treuerius *ex genere Romanorum in Caturcensi* * *territorio* natus atque educatus *monasterium quod in suburbano Tarouannicæ* * *vrbis situm erat iuxta fluuium Vlte & prope pelagus expetiit*, Iustino Augusto Consule, & *dum iam ætatis suæ tempora octo lustra haberent, clericatus suscepit dignitatem*, vt perantiquus vitæ scriptor à Ioanne Bollando publici iuris factus testatur. Post luctuosissimam Galliarum cladem, quam sanctus Hieronymus defleuit, nihil præter rudera superfuit è monasteriis, quæ sanctus Victricius aliàs in Morinorum tractu construxerat, vt ex sancti Paulini [b] literis ad illum datis constat. Monasterium igitur, quod Treuerius * adiit, opus censeri debet Antimundi, quem Remigius Metropolitanus Remensis ab anachoreticâ vitâ auulsum ad Morinos Episcopum ante octodecim annos transmiserat. Iacobus Malbrancus [c] de loco ac nomine Monasterij prolixam init disputationem, quam paucis contrahemus. Antiqua Taruanna inter duos fluuios sita erat, flumen Renticense * dicebatur à Romanis Vlterius respectu Legiæ * Citerioris, Vlterius in Vlter postea desiit, nec mirum cùm sinus Itius in Sitius & Sitiu iisdem temporibus abierit, Gesoriacum in Soriacum, atque vti Gesoriacum prioribus literis, ita Vlterius posterioribus decurtatum fuit. Ad hunc igitur fluuium consedit sancti Treuerij Monasterium, & ita prope pelagus, vt eò vsque marinus æstus penetrauerit, atque ab illo vlteriori flumine vocatum est Monasterium Vlterense & à sinu Itio seu Sitio & Sitiu Monasterium Sitiuense.

[b] Ep. 11.

* Trinier.

[c] Lib. 2. capp. 43. 44.

* Ranty. * Le Lys.

MONASTERIVM SITIVENSE.

III. EPISCOPI SILVANECT.

Pasius Siluanectensis Episcopus obiit, cùm Episcopatum rexisset annis sex, vt Carolus Iaulnæus in Annalibus Siluanectensibus * scribit. Successit Nonnulus qui sedit annis duodetriginta.

* De Senlis.

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

ANNVS CHRISTI 520. THEODORICI R. 9. CLODOMERIS R. 9. CHILDEBERTI R. 9. CLOTARII R. 9.

I. [a] Marius, Marcell.

ANNO Christi quingentesimo vicesimo Consules in Fastis [a] ponuntur Vitalianus & Rusticus seu Rusticius, Victori Rustitio.

II. EPISCOPI TVRON. * Lesin.

Obiit hoc anno Licinius * Episcopus Turonensis, *sedit* enim *annos duodecim, menses duos, dies* XXV. *Sepultus est in Basilicâ sancti Martini. Theodorus & Proculus, iubente beatâ Chrodielde Reginâ subrogantur, eò quòd de Burgundiâ iam Episcopi ordinati ipsam secuti fuissent, & ab hostilitate de vrbibus suis expulsi fuerant. Erant autem ambo senes valdè.* Hæc Gregorius Turonensis [b] in catalogo Turonensium Antistitum, ideóque corrigendus alio in loco [c], vbi Licinio Dinifium sufficit.

[b] Lib 10. c. 31.

[c] Lib. 3. c. 2.

III. ANTIMVND. EP. MORIN. OBIT.

Antimundus Morinorum Episcopus obiit hoc anno, nam ante excidium Taruanense & parietinas non obscuræ antiquitatis tabula in Parthenio templo extabat nouemdecim annos Pontificatus ei tribuens, inerátque tumuli ratio & situs quem in Sitiu fuisset consecutus, id est in Monasterio Vlterensi, quod construxerat anachoreticæ vitæ, quam olim duxerat, admodum studiosus. Reliquit & alterum sui monimentum Taruannæ, nam cùm Martinense templum ingentis multitudinis ad Christiana sacra iam conuersæ capax non esset, aliud edidit in colle Clarquensi. Ferunt indigenæ eam esse antiquissimam Christianæ Taruannæ structuram, vnde, cùm nouus inauguraretur Episcopus, Pontificiis illic ornatus indumentis, ab omni clero excipiebatur, & ad Marianam seu cathedralem Basilicam deducebatur, & id ad subuersam vsque Taruannam in more positum rigidissimè seruabatur.

IV. ATHALBERT. SVCCEDIT.

Mortuo Antimundo, Athalbertus Archidiaconus magni nominis, augustæque famæ, quem cura peruigil animarum, acris in dicendo facundia, laudabilium facinorum multitudo plurimùm ornabant, sublectus est in Episcopum. Res inter Remigium Metropolitanum & Præsules transacta non modò Taruannensium sed & vicinarum prouinciarum applausu. Rex Clotarius maximam inde lætitiam percepit. Hæc copiosè Malbrancus [d].

[d] Lib. 2. capp. 39. 44.

V. ARNVLPHI PEREGRINATIONES ET MIRACVLA. * Du Boys.

Arnulphus, qui Comes Remensium quondam fuerat, cùm varias peregrinationes per annos septemdecim obiisset, Remos tandem rediit. In illo itinere *Rauennæ vnum, in Galliis alterum mortuum suscitauit*, verba sunt Breuiarij Parisiensis ad diem decimam-octauam Iulij; mortuum Rauennæ suscitatum confirmat quoque vetus Author apud Ioannem à Bosco * in Bibliothecâ Floriacensi. Ceterùm vt ibidem narratur, Remigius Episcopus Remensis Arnulphum in officio Clericali statuit, & ad ordines Ecclesiasticos vsque ad Exorcistam promouit. *Primâ egressionis suæ die ab ordinatione obuiam fuere illi duo energumeni masculus & fœmina, quos à masculo tribus eiectis demonibus, à fœminâ duobus per inuocationem sacri ordinis ipsâ die suscepti sanauit. Dispositis verò omnibus denuò perrexit ad peregrina loca in ipso ordinationis suæ exorcismi* [e] S. Sernin. *gradu. Et progrediens Tolosam adiit, diúque ad sancti * Saturnini sepulchrum in orationibus vacauit.*

Hoc

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

Hoc anno Gildas Sapiens in Armoricam venit, & in insulâ Horatâ vitam solitariam agere cœpit. Id constat ex hac ratiocinatione Chronologicâ. Beda Historiam Ecclesiasticam gentis Anglorum absoluit *anno*, vt ipsemet testatur [a], *aduentus Anglorum in Britanniam circiter ducentesimo octogesimo-quinto, Dominicæ autem Incarnationis anno septingentesimo tricesimo-primo.* Anno igitur Christi circiter quadringentesimo quadragesimo-sexto Angli è Germaniâ in Britanniam transfretarunt. Obsessio Badonici montis contigit quadragesimo quarto pòst anno id est anno Christi quadringentesimo nonagesimo. Sic enim loquitur idem author [b], *ex eo tempore nunc ciues nunc hostes vincebant vsque ad annum obsessionis Badonici montis, quando non minimas eisdem hostibus strages dabant quadragesimo circiter & quarto anno aduentus eorum in Britanniam.* Gildas autem in libello de excidio Britanniæ natum se ait illo anno, qui quadragesimus-quartus ab aduentu Anglorum numeratur, & obsessione Badonici montis nobilitatus fuit. *Ex eo tempore*, inquit, *nunc ciues nunc hostes vincebant, vt in istâ gente experiretur Dominus solito more præsentem Israëlem, vtrùm diligat an non, vsque annum obsessionis Badonici montis, nouissimaque fermè de furciferis non minima stragis, quique quadragesimus-quartus, vt noui, orditur annus, mense iam vno emenso, qui & meæ natiuitatis est.* Venit autem in Armoricam post annos triginta, siue anno Christi quingentesimo-vicesimo. *Cùm Dei iussu*, inquit Author [c] vitæ, *peruenisset in Armoricam quondam Galliæ regionem, tunc autem à Britannis, à quibus possidebatur, Letauia* id est littoralis *dicebatur, ab eis honorificè & cum gaudio magno susceptus est. Ipse autem seculares fugitiuosque deuitans honores theoricam magis desiderabat ducere vitam. Sanctus igitur Gildas triginta habens annos, venit ad quandam insulam, quæ in Reum-Visij pagi prospectu sita est, ibique aliquamdiu solitariam duxit vitam. Non post longum tempus cùm iam non posset accensa lucerna sub modio manere, sed super candelabrum, vt vicini quique ac noti eius tam propè quàm longè claritatis illius lumine fruerentur, cœperunt hinc & inde venire ad eum & eius magisterio & doctrinæ commendare filios suos erudiendos. Quos omnes libenter suscipiens spirituali eos eruditione erudiebat. Veniens itaque ad quoddam castrum in monte Reum-Visij in prospectu maris situm, ibi potioris fabricæ construxit monasterium, atque in eo claustra cœnobitali ritu perfecit. Vbi tantùm eius emicuit vita, vt plurimi infirmi ac debiles & leprosi, qui circumquaque erant, ad eum venientes sanitati, eius orationibus, & meritis reddebantur. Tum deinde construxit paruum Oratorium super ripam fluminis Blaueti *, sub quadam eminenti rupe, ab occidente in orientem ipsam concauans rupem, & ad latus eius dextrum, erigens parietem, congruum fecit Oratorium, sub quo de rupe emanare fecit fontem perlucidum.*

VI. GILDAS IN ARMORICA.

[a] Lib. 1. c. 14.
[b] Lib. 1. c 16.
[c] In Biblioth. Floriac.

CONDIT MONASTERIVM.

* Blauet.

De Gildæ patriâ, parentibus, pueritiâ, adolescentiâ, moribus, sacerdotio fusè disseritur in eius vitâ. *Arctutâ fertilissimâ regione oriundus, Patre Cauno nobilissimo & Catholico viro genitus, ab ipso puerili æuo, toto mentis affectu Christum studuit sequi, à suis parentibus Beato Hilduto traditur imbuendus. Habitabat Hilautus cum discipulis suis in quadam arctâ & angustâ insulâ atque arenti solo squallidâ. In eius schola erudiebantur plurimi nobilium filij, inter quos præclariores erant tam generis nobilitate quàm morum probitate Samson videlicet atque Paulus*, ex quibus Samson Episcopus Dolensis fuit in Armoricâ, & Paulus Leonensem Episcopatum in eâdem prouinciâ rexit. Albertus à Monte Relaxo in opere quod de sanctis Britanniæ Armoricanæ composuit, obseruat natos Samsonem anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quinto, Paulum anno Christi quadringentesimo nonagesimo-secundo, itaut in dubium vocari non possit quin eiusdem cum Gildâ ætatis extiterint. Bollandus [d] in notis ad vitam sancti Gildæ testatur multa esse in rebus gestis sanctorum Britannicorum *obscura, nec idoneâ Chronologiâ connexa & fidem supra.* In primis quod in vitâ sancti Samsonis legitur, veritati vix congruum videtur, vt Hildutus sancti Germani discipulus habeatur, & ab eodem sancto Germano Presbyter existimetur ordinatus. Nam Germanus Episcopus Altissiodorensis * bis tan-

VII.

[d] D. 29. Ian.

* d' Auxerre.

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

tùm in Britanniam profectus est, primùm Florentio & Dionysio Consulibus, vt Prosper scribit, id est anno Christi quadringentesimo vicesimo-nono, deinde post annos duodecim, vt Sigebertus asserit, id est anno Christi quadringentesimo quadragesimo primo. Quis autem eum, qui tunc Presbyteratus ordinem susceperit, arbitretur in Scripturis tam secularibus quàm diuinis præceptorem adolescentium fuisse, quos post annos quinquaginta & amplius in lucem editos esse constat? Qui recurrunt ad Germanum Episcopum Parisiensem, in grauiorem errorem incidunt, quia Samson ipsius Hilduti discipulus citiùs Episcopatum quàm Germanus Parisiensis obtinuit. *Sanctus Gildas cùm per aliquot annos in doctrina Beati Hilduti commoratus fuisset, & tam secularibus, prout res suppetebat, quàm diuinis Scripturis ab eo optimè, quicquid sibi à diuina bonitate creditum fuerat, edoctus esset, valedicens pio Magistro, venerandisque condiscipulis Iren perrexit,* Hiberniam intellige, quæ Ierne & Iris dicta reperitur. *Cùm ad sacros ordines promotus esset, & Presbyteri fungeretur officio, multos gentiles & hæreticos conuertit, varios agris sanitatem restituit, idola multis in locis destruxit, Britanniam insulam Hiberniámque peragrauit, priusquàm in Armoricam transfretaret.* Corrige Auctorem vitæ, qui hunc Gildæ in Armoricam aduentum sub Childerico Rege Merouei filio perperàm collocat, loco Childerici restituendus est Childebertus filius Clodouei.

VIII. E BRITANNIA IN ARMORICAM MIGRANT VARII MONACHI.

Temporibus eiusdem Childeberti Regis, cùm magna pars Britanniæ sub Anglorum & Saxonum Regibus adhuc ethnicis miserrimè gemeret, ex illa insula in Armoricam quamplures Monachi, Abbates, Presbyteri, & Episcopi transierunt. Præcipui celebrantur Tugdwalus, Rwellinus, Weurocus, Gonerius, Loeuanus, Briacus, Leonorius, Briocus, Armelus siue Arzelus, Paulus, Iaoua siue Iehonius, Samson, Maglorius & Machutes. Iudualus Comes, vt Albertus de Monte relaxo in vita sancti Tanguidi notauit [a], in aula Childeberti Regis versabatur anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, cùm post patris obitum sibi timeret à Commoro tyranno, vnde colligimus in Armoricam aliquot antè annis delatos esse Leonorium, Briocum & Armelum, quos Rigualdo Iuduali patri charissimos fuisse constat. In eandem quoque regionem temporibus Deroci Comitis, quem Annales Armoricorum paulo antiquiorem Rigualdo tradunt, prius peruenerat Tugdwalus cum suis discipulis Rwelino, Weuroco, Gonerio, Loeuano, & Briaco, de quibus hic quoque nonnulla prælibabimus. Ceteros, quorum aduentus aut Episcopatus certâ consignatur epochâ, suis locis non omittemus.

[a] Die 18. Nou.

IX. TVGDVALVS.

Tugdwalus, seu Tudualus aut Tugalus, nobilissimis parentibus natus est in maiori Britannia, vbi Monachus primùm, deinde Abbas fuit, postea iussus ab Angelo transfretauit in Britanniam minorem. Comites itineris fuerunt mater Pompæa, quæ post mariti funus Deo se vouerat, & sancta Copaia vulgò nuncupatur, atque instar patronæ colitur ab incolis *Landt-Coat*; soror Sæua, quæ virgo permanserat; Mahelewa vidua, quæ piis rebus iampridem vacabat; Monachi septuaginta duo, quorum in numero extiterunt Rwellinus *, Weurocus, Gonerius, Loeuanus * & Briacus, miraculis ac morum sanctitate conspicui. Nauis quâ vehebatur ad territorium Leonense feliciter appulit, in ea regione præpotens erat Derochus affinis, vt creditur, ipsius Tugdwali, qui eo permittente, duo Monasteria condidit, vnum in Mogoera *, alterum Trecoriæ *, præterea vniuersam fermè prouinciam peragrauit, multis in locis reliquit è suis discipulis, qui piâ conuersatione populum erudirent. Lege illius vitam [b] in Armorica sancta.

* *Ruelin.*
* *Loenan.*
* *Plon-Mogner.*
* *Treguer.*
[b] Die 10. Nou.

X. RVELINVS.

Rwellinus in Monasterio Trecorensi sanctissimam vitam duxit. Agemus de illius Episcopatu suo loco.

XI.

Weurocus, alio nomine Kirecus, cùm per aliquot annos in Monasterio Trecorensi pissimè vixisset, à Tugdwalo Abbate directus est cum quatuordecim Monachis, vt prope oppidum Kerfeunteum, vulgò *Landt-meur*, fundamenta noui Cœnobij iaceret. Huius Monasterij, cui nomen fuit locus

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

Kireci *, & Cœnobium Weuroci, prima exordia rectissimè referes ad annum Christi quingentesimum vicesimum-secundum, quia Weurocus cùm ibi sexennio præfuisset, alterum Abbatem sibi subrogari curauit, abiitque ad paræciam * Danielis, & iuxta syluam in valle consedit, quæ Weuroci * vallis posteà cœpit appellari, vbi biennio tantùm delituit vsque ad Pauli Leonensis Episcopi aduentum, qui proculdubiò sub initium Pontificatus contigit, siue anno Christi quingentesimo tricesimo. Vitam sancti Weuroci * recitat Auctor [a] Armoricæ sanctæ.

* *Loc-kirecq*
* *Land-gueurok.*

De sancto Loeuano hoc vnum legimus in vita sancti Tugdwali, quòd ipsi Tugdwalo Abbati omnem Armoricam lustranti comes assiduus adhæsit.

VVEVROCVS.

Briacus natione Hibernus, in Britannia primùm, deinde in Armorica sub Abbatis Tugdwali disciplina vixit, Tugdwalo Armoricam peragrante, mansit apud Derocum Comitem, à quo locum obtinuit, vt Monasterium conderet in paræcia cui nomen hodie *Boulbriac*. Romam iuisse fertur. Obiit in suo Monasterio decimo-sexto Kalendas Ianuarias, quo die celebris habetur eius memoria, & vita legitur in Armorica sancta. Obserua in illa vita præcipuos Tugdwali socios nominari tantùm quatuor, sanctos videlicet Rwelinum, Loeuanum, Weurocum ac Briacum, & in vita [b] sancti Tugdwali quintum addi Gonerium, quem tamen ex eorum numero fuisse non arbitramur, quia nauigio ex Britannia non in agrum Leonensem * vt ceteri, sed in territorium Veneticum * delatus perhibetur, vbi vitam solitariam diu duxit, posteà se contulit in Diœcesim Lexobiensem, obiitque in pago cui nomen *Plongrescant*. Sanctus Gonerius colitur in Episcopatu Trecoriensi pridie Nonas Apriles, in Venetico decimo-quinto Kalendas Augustas, vixit synchronus sancto Tugdwaldo, quo anno vitam clauserit, nullibi reperimus. Albertus scribit sanctum Briacum obiisse anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, sed ille calculus longissimè abest ab idonea Chronologia, quia venit in Armoricam temporibus Deroci Comitis, & antequàm è Britannia cum Tugdwalo Abbate solueret, Presbyterali dignitate præfulgebat. Lege in Armorica Sancta vitas sanctorum Gonerij * & Briaci *, illam pridie Nonas Apriles, hanc decimo-sexto Kalendas Ianuarias.

[a] Armoricæ sanctæ.
[b] Die 17. Feb.

XII. LOEVANVS.

XIII. BRIACVS.

[b] Die 10. Nou.
* *De Leon.*
* *De Vanes.*
GONERIVS.
* *Goneri.*
* *Briac.*

Leonorius * nobilissimis parentibus Hoeloco & Almapompa in Britannia natus operam disciplinis nauauit sub Heltuto viro sapientissimo, diuinâ dispositione factus Episcopus cum magno discipulorum numero in Armoricam transiuit & in Dynastia Rigualdi Comitis Britannorum consedit, apud Childebertum Regem & Vltrogodem Reginam, quos rogatus adiit, in maxima existimatione fuit, Iudualum Rigualdi Ducis filium, Commori priuignum ad necem ab ipso Commoro quæsitum imposuit naui, ac periculo subduxit. Hæc leguntur in vitæ fragmentis quæ publici iuris facta sunt ab Andrea Ducheſnio [c], vitam integram Bollandus in notis ad vitam Sancti Gildæ [d] per anteceſſum pollicitus eſt ſe daturum Kalendis Iuliis, quo die ſolemnis eius memoria quot annis recolitur.

XIV. LEONORIVS.
* *Eleonor.*
[c] Tom. 1. collect. hist Fran.
[d] Die 19. Ian.

Briocus * in Britannia natus, poſtquàm in Armoricam venit, Monaſterium condidit in eo loco, vbi ciuitas Briocenſis hodie conſpicitur, poſteà creatus eſt Epiſcopus, quo anno incertum. Albertus [e] obſeruat id contigiſſe ſuperſtite Rigualdo Comite, atque inde conſtat Briocum Leonorio Epiſcopo & Gildæ Abbati in Armorica coæuum fuiſſe. Hæc origo fuit Epiſcopatus * Briocenſis. Quæ dicturi ſumus inferiùs de ſancti Germani aſſumptione in Epiſcopum Pariſienſem poſt Euſebium, qui ſedere cœpit anno circiter quingenteſimo quinquageſimo primo, palàm oſtendent de Sanctis Brioco & Germano in vita ſancti Brioci multa legi quæ rectâ Chronologiâ non connectuntur, neque enim Briocum Germanus Preſbyterum ordinauit anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo nono, ſi nondum ipſe ad Pontificatum promotus fuerat, multò minùs Briocum adhuc puerum Pariſiis erudire potuit.

XV. BRIOCVS.
* *Brieu.*
[e] Die 1. Maij.
* *L'Eueſchè de Saint-Brieu.*

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

XVI. ARMELVS. [a] Die 16. Aug

Armelus siue Arzelus in Britannia circa annum quadringentesimum octogesimum-secundum natus per Ecclesiasticos gradus euectus est ad honorem Presbyteratus, deinde monasticæ vitæ studio incensus iter in Armoricam suscepit, & Oratorium in agro Leonensi construxit, vbi hodie est parœcia Sancti Arzeli, vulgò *Plou-Arzel*. Ibi permansit vsque ad obitum Rigualdi Comitis, sed postèa Commori tyrannidem veritus adiit Childebertum Regem & Iudualum Comitem, à quibus honorificè susceptus est propter famam virtutum, quas Deus per eum operari dignabatur. Consule illius vitam [a] in Armorica Sancta.

XVII. AVITVS ET LÆTVS IN SEGALONIA. * *Sologne.*

Circa hunc annum cùm Auitus Presbyter cellario Monasterij Mixiacensis, & Lætus Diaconus ianuis præessent, apud se statuerunt eremum simul petere. *Accensi igitur diuinitùs feruore tantæ deuotionis & desiderio diuinæ contemplationis discedentes à Monasterio nocte, contulerunt se abditissimis Segaloniæ * locis. Itaque diebus multis nulli hominum cogniti manserunt, deuotissimè superno inspectori famulantes.* Hæc vetus Auctor apud Boscium in vita sancti Læti, is verò qui vitam sancti Auiti scripsit, testatur cellulam quam Auitus è vilibus virgultis texuit, *decem plùs minùs milliaribus* procul à Monasterio Mixiacensi abfuisse, deinde Maximini Abbatis obitum proximè subiungit his verbis, *Non multùm interceſſit temporis, cùm vir sanctissimus Maximinus, qui per id tempus Abbatis ministerio perfunctus erat, migrauit ad cælos.* Maximini nomen relatum fuit in tabulas Ecclesiasticas die decimo-octauo Kalendas Ianuarij. Agemus de illius successore anno sequenti. Sancti Maximini funus curauit Eusebius Aurelianensis Episcopus, vt in eiusdem Maximini vita manuscripta legimus.

MAXIMINI ABBATIS MICIAC. FVNVS.

XVIII. LEOBINVS ADIT AVITVM. * *Lubin.*

Cùm Auitus in Segalonia morabatur, ad eum ex agro Pictauiensi perrexit Leobinus * Monachus. Huius consilium vt cognouit Nileffus illustris Diaconus, qui Monasticam vitam in eodem Cœnobio ducebat, de profectione cogitantem sic est allocutus. *Agnosco, frater, de minimis ad maiora te velle conscendere, sed quæ tibi in incæpto scientiæ institutionis proposito proficiant, tribus verbis te instruere curabo; id est. Nulli Episcoporum te obsequiis obliges, quia inter bonos bonus multos inuenies detractores. Aliud moneo, ne quorumcumque hominum Basilicam regere aut petitor ambias, aut expetitus acquiescas, ne inter diuersos mores aut rigorem Monachi perdas, aut si blandimentis non consentias, detrahentes tamen vix sufferas. Tertium præmoneo, ne paruæ te socies cellulæ, quia dum singuli præponere sibi cupiunt, nulli obedientia ministratur.* Philippus Labbeus, qui vitam hanc sancti Leobini ex multis Legendariis Carnotenæ * vicinarúmque Diœceseon edidit, Nileffi Diaconi loco Carilephum reponendum suspicatur, sed aduersantur acta sancti Carilephi, qui simul cum beato Auito secessit in Cœnobium Mixiacense, cùm Monachorum præfecturam administrabat Maximinus Abbas, hoc est, multis annis antequàm Auitus solitariæ vitæ studio è Monasterio Mixiacensi fugeret in Segaloniam, quò statim se contulit Leobinus ex agro Pictauiensi, vbi per octennium inter Monachos delituerat, sic enim legitur in eius vita. *Post octo itaque annos in illa cella Monasticè conuersatus, beatissimi Auiti præsentiæ se obtulit expetendum, qui cùm ab eo responsum accepisset, vt post eruditionem quam in congregatione Monachorum percepturus erat, ad ipsum reuerteretur, inde recedens cum quodam Diacono, qui in Monasterio aliquandiu conuersatus fuerat, Ligeris littora cæpit peragrare.* Varias peregrinationes, quibus obitis, Leobinus apud Lugdunum in insula * Barbara subsitit, describemus anno sequenti. Interim actis sanctorum Auiti & Læti necnon antiquis monumentis Franciæ & Hispaniæ simul collatis quam examinamus vitam beati Leobini corrige. Auitus è Monasterio Mixiacensi bis fugit, primò in Segaloniam cùm nondum Abbas esset, secundò in Perticum postquàm Cœnobium Mixiacense per aliquot annos strenuè gubernasset. Bis quoque Leobinum ad se venientem excepit; vtrâque vice in Segalonia, si vera sunt acta sancti Leobini; semel au-

* *De Chartres.*

* *L'Isle-Barbe.*

tem in Segalonia, iterùm in Pertico, si bene opinamur. Inter vtramque Leobini profectionem ad Auitum sex interceſſerunt anni, quorum poſtremos quinque Leobinus in insula Barbara transegit, iisdemque temporibus bellum Francos inter & Burgundiones exarsit. Hæc constant ex vita Sancti Leobini. At quomodo stare possunt cum historia Ecclesiasticâ Gregorij, cum Chronicis Marij & Isidori & cum Actis sancti Auiti? Hic anno Christi quingenteſimo viceſimo-quarto, seu Iustino Augusto iterùm & Opilione Consulibus, Indictione secundâ, vt Marius obseruat, cùm Clodomeres Francorum Rex aduersus Godemarum Burgundiæ Regem infeliciter dimicauit, Mixiacense Monasterium adhuc regebat, teste [a] Gregorio, vitámque clausit ante annum Christi quingenteſimum triceſimum primum, nam illo anno seu quinto Amalarici Regis, vt Isidorus supputat, Childebertus Francorum Rex de ipso Amalarico Wisigothorum Rege triumphauit, cùm priùs in procinctu belli, vt Acta sancti Auiti confirmant, vouisset ampliſſimam se Basilicam super eiusdem Auiti demortui tumulo conditurum si vinceret. Auitus igitur nec in pago Perticensi * seu Pectensi per sexennium vixit, nec in illa posteriore eremo bis à Leobino Monacho consultus fuit.

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9.

[a] Lib. 3. c. 6.

* *Le Perche.*

XIX. POSSESSOR CONSTANTIENS. EP.

Hiſce temporibus florebat Possessor Constantiensis Episcopus in prouincia Lugdunensi secunda. Nam regnante Childeberto Vltrogodis marito, Presbyterum ordinauit Marculfum, cuius exequiis Lauto Constantiensis Antiſtes posteà sub eodem Childeberto interfuit, vt ex vita Sancti Marculfi, quam citaturi sumus, liquidò constat. Childebertus, cui nupsit Vltrogodis, non alius est à Childeberto primo, qui regnum tenuit ab anno Christi DXI. ad annum vsque quingenteſimum quinquageſimum octauum. Lauto Constantiensis Pontifex Concilio Aurelianensi secundo subscripsit anno Christi quingenteſimo triceſimo-tertio, imò Pontificatum anno Christi quingenteſimo viceſimo-nono iam obtinebat, vt ad illum annum probaturi sumus. Inter Leontianum igitur & Lautonem Episcopos, quorum ille viuebat adhuc anno Christi quingenteſimo vndecimo, hic Episcopali dignitate præfulgebat anno Christi quingenteſimo viceſimo-nono, medius in Cathedra Constantiensi sedit Possessor, qui, si fides est vitæ Sancti Gildardi, quam in Bibliotheca RR. PP. Cæleſtinorum manuscriptam legimus, *triceſimo-quinto Episcopatus sui anno mortem subiit temporalem.* At ex prædictis liquet multò breuiorem fuisse Possessoris Pontificatum, cùm ab anno Christi quingenteſimo vndecimo, quo Leontianus Constantiensis Episcopus viuebat, ad annum Christi quingenteſimum vndetriceſimum quo Lauto Constantiensem Episcopatum iam obtinebat, interceſſerint anni duntaxat duodeviginti. Certè cùm in eadem Sancti Gildardi vita ipsemet Gildardus annis tantùm quindecim Ecclesiæ Rotomagensi præfuisse perhibeatur, existimamus transmutatos fuisse Characteres Chronologicos atque ita reponendos, vt anni triginta quinque Gildardo Episcopo Rotomagensi, quindecim Possessori Episcopo Constantiensi attribuantur.

XX.

Laudatur præcipuè Possessor Episcopus, quòd beatum Marculfum ad Presbyteratum promouerit. Huius vitam ab anonymo scriptam legit publicauitque Surius [b] mutato stylo, sensúque nonnumquam deprauato. Nacti sumus ex Bibliotheca Thuanea manuscriptum Codicem, cuius auxilio primigeniam Auctoris phrasim dabimus, vt eam cum Suriana conferat qui velit. Marculfus Baiocassinis * parentibus natus, Possessorem Constantiensem Episcopum Laudi seu Lautonis * præceſſorem adiit, ab eóque tonsus primò, deinde per Ordines Ecclesiasticos dignâ promotione subleuatus ac Presbyter factus strenui concionatoris munus obiit. *Eo tempore*, inquit anonymus initio vitæ, *quo glorioſus & Deo amabilis Rex Childebertus Francorum sceptra strenuè honeſtéque regebat, beatiſſimus vir Marculfus magnus & præclarus enituit moribus & actibus. Qui cùm ex nobiliſſimis & ditiſſimis atque Chriſtianiſſimis Baiocaſſinis ciuibus exortus eſſet, ab ipſis puerilibus annis toto niſu totóque deſi-*

[b] Die 1. Maii.

* *De Bayeux*

* *Lô.*

MARCVLFVS.

AN. CH. 520. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 9. PRESBYTER.

derio ad ſupernam cœpit anhelare patriam. Et inferiùs. *Quoniam iamdudum famam ſanctitatis beati Poſſeſſoris Conſtantiæ ciuitatis Epiſcopi acceperat, eum recto tramite expetiit, cupiens ipſius doctrinis & exemplis inſtitui. A quo benignè ſuſceptus, apud eum per non modicum tempus manſit, atque ab eo tonſoratus, cùm eſſet annorum triginta, clericalem habitum recepit. Poſtmodum verò per reliquos Eccleſiaſticos Ordines dignâ promotione ſublimatus, tandem diuinâ procurante gratiâ Presbyteratus gradum conſcendit. Cœpit denique iubente ſupradicto Pontifice pagum* * *Conſtantinum peragrans indeſinenter populum admonere, vt quod ſemel ſacro fonte baptiſmatis profeſſi eſſent, moribus tenerent & operibus exercerent, viaſque rectè viuendi ſemper ſequerentur, vanámque mundi gloriam paruipenderent, & ad cœleſtem beatitudinem, quam diligentibus ſe Deus repromittit, totâ mentis intentione tendere ſatagerent.*

* *Le Coutantin.*

INSIGNIS CONCIONATOR.

521. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 10.

ANNVS CHRISTI 521. THEODORICI R. 10. CLODOMERIS R. 10. CHILDEBERTI R. 10. CLOTARII R. 10.

I. [a] Marius, Marcell. Victor. AVITVS FIT ABBAS MICIAC.

ANno Chriſti quingenteſimo viceſimo-primo Conſulatum [a] geſſerunt Iuſtinianus & Valerius. *Beato Maximino* Abbate Mixiacenſi, *iam ex rebus humanis egreſſo, turba Monachorum quibus præfuerat, ſanctum quærere Auitum & beatum Lætum diuino nutu iter accelerant. Quibus tandem ex voluntate Dei repertis, glorioſus Confeſſor Auitus contra voluntatem ſuam ad Monaſterium reducitur, & iubente Aurelianenſi Pontifice Abbas efficitur. Beatus autem Lætus ab eis fugâ elapſus, ſancto Spiritu ſibi ducatum præbente, Ligeris alueum tranſit, & ad locum qui antiquitùs eſt Inatoria appellatus, peruenit. Qui locus longè à ciuitate remotus, omni erat hominum habitatione deſtitutus. Sed à ſylua quam Logium* * *incolæ vocant, hinc & inde tunc temporis circumfuſa, nulla admittebat viatorum veſtigia. Vnde potiùs exilium quàm eremi videbatur præſtitiſſe latibulum. Vbi exiguæ quantitatis extruens tugurium vero ac viuo Deo propenſius exhibere curauit deuotæ ſeruitutis obſequium, ſolitariam agens vitam in eodem loco non exiguo ſpacio temporis. Qui deinceps reliquâ ætate ſuâ nihil aliud in cibo nouit, præter id quod ſponte profert humus. Præterea ipſam aquam quam nulli mortalium naturæ ratio vetat, ſtatutis diebus cum menſurâ etiam accipiebat.* Lege vitam Læti apud Boſcium in Bibliothecâ Floriacenſi. Carolus Sauſſeyus [b] addit Viatorem Diaconum Auito Preſbytero & Læto Diacono, vt in monaſterio Mixiacenſi ſub Abbate Maximino, ſic in eremo, ſocium fuiſſe. Certum eſt Viatorem in pago Tremuliuico * in partibus Segaloniæ obiiſſe, vbi nunc corpus eius quieſcit. *Sancti Viatoris memoriæ*, vt idem Author ſubiungit, *apud Tremuliuicum elegantem Eccleſiam excitauerunt coniuges duo ciues Bituricenſes non minùs py quàm diuites, inter quos maritus ab annis decem paralyſi, mulier cæcitate annis quindecim, percuſſi ad ſepulchrum Confeſſoris remedium valetudini deſperatæ repererant.*

[b] Lib. 3. in Euſeb.

* *Tremblevic.*

II. LEOBINVS IN INSVLA BARBARA.

Leobinus Monachus, qui anno priori ex agro Pictauienſi in Segaloniam ad Auitum tunc eremitam perrexerat, poſt varias peregrinationes in Monaſterio Inſulæ barbaræ prope Lugdunum in regno Burgundiæ ſubſtitit. Ab Aui-

to dimissus *Ligeris littora cœpit peragrare, peruenientsque ad quandam cellam, vt in eâ habitaret, sibi oblatam, memor monitorum*, quæ quondam à Nileffo Diacono acceperat, ne videlicet paruæ se cellulæ sociaret, *se in eo loco alligare noluit; sed volens Lirinum * peruenire, inuenit quendam fratrem Lirinensem dicentem se non posse illius temperiei incommoditatem vix ferre; quo dicto ab itinere quod cœperat, reuocatur. Deinde Gaualensem expetens vrbem, tùm à beatissimo Hilario eiusdem vrbis Antistite sacerdotaliter fuisset susceptus, & aliquantisper cum eo commoratus, cœpit conqueri frater non aptum sibi locum ad habitandum. Vnde cùm inter se eosdem fratres altercantes beatus Hilarius animaduertisset, cœpit hortari illum vagum fratrem, ne à comitatu beati Leobini discederet, ne fortè obedientiæ gratiam recedendo perderet, quam hactenus illum sequendo adeptus fuisset. Inde verò recedentes, audientésque beati Lupi famam longè latéque crebrescere, ad eum se humiliter contulerunt, cúmque modico tempore cum eo morati fuissent, hortatur prædictus frater, vtpote instabilis & vagus, inde Leobinum discedere. Nolens itaque vir Sanctus huiusmodi persuasionibus acquiescere, fortitérque resistens, & tam vagum fratrem in suo comitatu habere contemnens, continuato quinquennio in eodem commoratus est Cœnobio. Interea dum Francorum dura ferocitas contra Burgundiones bella concitaret, & eiusdem cellæ Monachi eorum metu huc illúcque diffugerent, prædictus sanctus cum altero sene illic remansit intrepidus.* Beatus Lupus, cuius disciplinæ Leobinus se tradidit, erat anachoreta seu monachus Barbarensis aut potiùs anachoretarum seu monachorum Barbarensium princeps siue Abbas prope muros Lugdunenses in regno Burgundiæ, & post aliquot annos obtinuit Episcopatum Lugdunensem, quem regebat anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto, cùm Lugdunum, Insula barbara, ceteræque Burgundionum ditiones in potestatem Francorum deuenerunt. Scio equidem inter Abbates Insulæ * barbaræ Lupo locum in nomenclaturis hactenus editis nondum datum fuisse, sed ex vitâ [a] sancti Leobini superiùs citatâ iure tribuendum puto, nec aduersantur vulgati catalogi, ad illam enim ætatem manci videntur, quia Martino Martini Turonensis Episcopi discipulo tres tantum sufficiunt Aigobertum, Maximum, & Asterium, tum Ambrosium quem affirmant anachoretis Barbarensibus præfuisse cùm Lupus diœcesim Lugdunensem administrabat. Alumni autem monasterij Barbarensis dici potuerunt anachoretæ tum propter loci barbaram & incultam solitudinem, tum quia per cellas à se inuicem diuisi & segregati sub vno Abbate vitam potiùs anachoreticam agebant quam cœnobiticam. Illic Leobinus vixit integro quinquennio. Quo temporis spatio Franci ter aggressi sunt Burgundias, anno videlicet quingentesimo vicesimo-tertio duobúsque sequentibus. Clodomeres Francorum Rex anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto prope Viennam cum Burgundionibus dimicauit. Eo anno monachos Barbarenses existimamus fugâ sibi consuluisse, relicto tantùm in insulâ quodam sene cum Leobino.

AN. CH. 521. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 10.

* *Lerins.*

SVB LVPO ABBATE.

* *L'Isle Barbe.*

[a] Ap. Labb. Tom. 2. Biblioth.

Hoc anno ex Ansberto & Blitilde natus est Ferreolus, illius enim annus septimus cum duodecimo Firmini patrui coniungitur in vitâ eiusdem sancti Firmini, vt ostensuri sumus ad annum Christi quingentesimum duodetricesimum. III. FERREOLVS NASCITVR.

AN. CH. 522.
THEOD.
CLODOM.
CHILDEB.
CLOTAR.
RR. II.

ANNVS CHRISTI 522.
THEODORICI R. II.
CLODOMERIS R. II.
CHILDEBERTI R. II.
CLOTARII R. II.

I. ANNO Christi quingentesimo vicesimo-secundo Consulatum [a] inierunt Symmachus & Boetius. *His Consulibus*, inquit Marius, *Segericus filius Sigismundi Regis, iussu patris sui iniustè occisus est.* Gregorius Turonensis [b] postquam crimen commemorauit à Sigismundo Burgundionum Rege perpetratum, instigante alterâ vxore, Sigerici nouercâ, quam mortuâ priori coniuge, Theodorici Regis Ostrogothorum filiâ, duxerat, eiusdem Sigismundi pœnitentiam & Theodorici Francorum Regis alteras nuptias cum eiusdem Sigismundi filiâ perstringit, deinde stylum conuertit ad bellum Burgundicum, quod non à tribus tantùm Francorum Regibus Clotildis Reginæ filiis, sed etiam à Theodorico Rege Ostrogothorum susceptum est, vt ex Procopio [c] probabimus ad annum sequentem quo gestum constat.

[a] Marius, Marcell Victor.
[b] Lib. 3. capp. 5. 6.
RES BVRGVND.
[c] Lib. 1. de Bell. Goth.

II. Circa illa tempora, cùm Clotarius Rex ex Ingunde vxore quatuor filios Gunthariũm, Childericum, Charibertum, Guntchramnum iam suscepisset, & eam, vt Gregorius Turonensis [d] testatur *vnico amore diligeret, suggestionem ab eâ accepit dicens* *, *fecit Dominus meus de ancillâ suâ quod libuit, & suo me strato adsciuit. Nunc ad complendam mercedem, quid famula tua suggerat, audiat Dominus meus Rex. Precor vt sorori meæ seruæ vestræ vtilem atque habentem virum ordinare dignemini, vnde non humilier sed potiùs exaltata seruire fideliùs possim. Quod ille audiens, cùm esset nimiùm luxuriosus in amore Aregundis incenditur, & ad villam, in quâ ipsa residebat, dirigit, eámque sibi in matrimonio sociauit. Quâ acceptâ ad Ingundem rediens ait. Tractaui mercedem illam implere, quam me tua dulcedo expetiit. Et requirens virum diuitem atque sapientem, quem tuæ sorori deberem adiungere, nihil melius quàm meipsum inueni. Itaque noueris, quia eam coniugem accepi, quod tibi displicere non credo. At illa, quod bonum, inquit, videtur in oculis Domini mei, faciat, tantùm ancilla tua cum gratiâ Regis viuat.*

[d] Lib. 4. c. 1.
* *Dicens* pro *dicente* i nominatiuus pro ablatiuo.
CLOTARIVS.
DVCIT AREGVNDEM.

III. Clotarius Aregunde sibi sociatâ, duplex scelus commisit, vxorem enim priore adhuc superstite superinduxit, & vxoris suæ sororem accepit. Vtrumque sacris Canonibus prohibebatur.

IV. Ingundis, ex quâ Clotarius plures iam susceperat liberos, erat adhuc in viuis, anno enim Christi quingentesimo tricesimo-quinto peperit ei Sigibertum, qui mortuus est anno Christi quingentesimo septuagesimo-quinto, ætate quadragenariâ, vt ex Gregorio Turonensi probabimus suo loco. Eiusmodi autem homines, qui dimittunt vxores suas & alias ducunt, *à communione fidelium abstinendos* docet Innocentius Papa in literis ad Exuperium Episcopum Tolosanum datis decimo Kalendas Martias, Stilicone iterum & Anthemio Consulibus siue anno Christi quadringentesimo-quinto. Et Concilium Ancyranum, quod magnam Synodum Nicænam præcessit, eos qui adulterium commiserint, vult septem annos in pœnitentiâ complere, priusquàm perfectioni reddantur seu reconcilientur sacramentis.

V. Matrimonium, quod quis contraheret cum vxoris suæ sorore, Concilium

cilium Epaonense declarauerat incestum ante quinquennium anno scilicet Christi quingentesimo decimo-septimo sub Consulatu Agapiti. *Incestos*, inquiunt Patres [a], *nec vllo coniugij nomine præuelandos, præter illos quos vel nominare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali coniunctione violauerit, Si quis germanam vxoris suæ accipiat, &c.* Et aduersus eiusmodi coniunctiones ita pronuntiant. *Incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint.* Paulò antè sub Clodoueo Rege ipsius Clotarij patre primum Concilium Aurelianense hunc ediderat Canonem [b]. *Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neue se quisquam amissæ vxoris sorori audeat sociare. Quod si fecerint, Ecclesiasticâ districtione feriantur.* Multò magis si quisquam vxoris adhuc superstitis audeat sorori se coniungere.

AN. CH. 522. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. II.

[a] Cap. 30.
[b] Cap 18.

Clotarius ex Aregunde nihil prolis suscepit præter Chilpericum, quem antequàm Clodomeres interficeretur, & Gundeuca eius relicta sociaretur Clotario, in lucem editum putamus eo potissimùm moti argumento, quod anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo cum patre Clotario, patruo Childeberto, & duobus fratribus ex Ingunde natis profectus est in Hispaniam contra Wisigothos dimicaturus, vt probabimus suo loco.

VI. GIGNIT CHILPERICVM.

Arnulfus Exorcista, qui Tolosam ante biennium adierat, & orationibus ad sepulchrum sancti Saturnini vacabat, *præmonitus ab Angelo Pictauis ad sanctum Hilarium orandi gratiâ perrexit. Tandem verò Angelico ductu Turonis vsque properans venit, vbi Episcopus fuit ordinatus*, vt legitur in eius vitâ quam Ioannes à Bosco edidit ex veteri Codice Floriacensi. Suffectus est Theodoro & Proculo, qui teste Gregorio [c] *rexerunt Ecclesiam Turonicam simul annis duobus & sepulti sunt in Basilicâ sancti Martini.* De Arnulphi Episcopatu hæc subdit Author iam laudatus. *Inuitus trahitur, eligitur, & ordinatur ab exorcistâ in omnibus gradibus vsque ad Episcopatum. In Episcopatu verò non perstitit nisi tantummodò decem & septem diebus, iterùm peregrinando & prædicando per vndecim annos penè vniuersalitatem regnorum perlustrauit.* A Gregorio Turonensi in catalogo Turonensium Antistitum omissus fuit, quia diebus duntaxat septemdecim functus est Episcopali munere. Post eius fugam in Episcopum ordinatus est Dinisius, de quo sic idem Gregorius [d]. *Dinisius Episcopus & ipse ex Burgundiâ veniens, qui per electionem præfati Regis* Clodomeris *ad Episcopatum accessit, cui aliquid de fisci ditionibus est largitus, dedítque ei potestatem faciendi de his rebus quæ voluisset. Qui maximè Ecclesiæ suæ quod fuit melius dereliquit. Largitus est etiam quiddam & benè meritis.*

VII. EPISCOPI TVRON.

[c] Lib. 10. c. 31.

[d] Lib. 10. c. 31.

Venit & de superioribus Burgundiæ partibus Lupus Episcopus, qui Clotildis Reginæ iussu Oratorium, vbi sanctus Germanus Autisiodorensis quondam Antistes quiescebat, in Ecclesiam ingentis fabricæ mutauit, & paulò pòst in eâdem Basilicâ sepultus est, vt Hericus monachus in miraculis beati Germani scribit [e].

VIII. LVPVS EP. BVRGVND.

[e] Lib. 1. c. 16. lib. 2. c. 15.

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

ANNVS CHRISTI 523. THEODORICI R. 12. CLODOMERIS R. 12. CHILDEBERTI R. 12. CLOTARII R. 12. INDICTIO 1.

I. ANNVS Christi quingentesimus vicesimus-tertius in fastis consignatur Maximo solo Consule, apud Marium præterea notatur Indictione primâ, quæ Chronologiæ nostræ rectissimè conuenit. Cur Marius, qui solis Consulibus annos hactenus distinxit, inposterum præter Consules Indictionem singulis annis præfigat, nemo facilè diuinabit, maximè cùm alius è veteribus rerum Francicarum Scriptoribus haud occurrat, qui suis lucubrationibus talem temporis notam apposuerit.

II. INDICTIONIS ANTIQVITAS. Nullus Author, qui primis à Christo nato seculis tribus extiterit, Christianus vel ethnicus, Indictionis vsquam meminit, atque in annum Christi trecentesimum duodecimum primam Indictionem Constantini imperantis incurrisse mense Septembri facilè quiuis intelliget, si quinta decima spatia Indictionum retrò repetere numerando voluerit ab anno Christi currente millesimo sexcentesimo sexagesimo-quarto, quo secunda Indictio absoluitur. Triplex distingui vulgò solet Indictio. Constantinopolitana, quæ à Kalendis Septembribus incipit; Cæsarea quæ ab octauo Kalendas Octobres; Pontificia seu Romana quæ à Kalendis Ianuariis sequentibus progreditur. Harum secundam Constantinianam etiam appellant, sed vtrùm Constantini seculo à die vicesimâ quartâ Septembris inchoata sit Indictio non liquet. Ambrosius anno Christi trecentesimo octogesimo sexto exeunte scribens ad Episcopos Æmiliæ de mense Paschali ita loquitur. *Hic autem mensis & primus est secundùm Ægyptiorum prouentus, & primus est secundùm legem, & octauus est secundùm consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit.* Manet tamen incompertum quonam tempore putari cœpta sit Indictio à Kalendis Setembribus, & vtrùm priùs ab octauo Kalendas Octobres quàm à Kalendis Septembribus, an potiùs ab ipsis Kalendis Septembribus antè cœperit, tum apud nonnullos populos in octauum Kalendas Octobres coniectum sit illius initium. Reges Francorum in distinguendis annis non vsi sunt Indictionibus, ante Carolum Magnum, qui, postquàm Imperator & Augustus fuit acclamatus, Orientalium Imperatorum exemplo publicis instrumentis Indictiones apposuit, eiusdémque Characteris vsum posteris transmisit.

III. VTILITAS. Beda [a] Romanorum industriâ censet institutas Indictiones ad cauendum errorem, qui de temporibus fortè poterat oboriri, dum enim Imperator medio anni tempore decederet, inde plerúmque nascebatur inter scriptores dissensio, an hunc annum temporibus ascriberent illius Dynastæ qui hominem exuerat & per alteram anni partem imperarat, an illius qui successerat in Imperium & alteram eiusdem anni partem æquè in Imperio transegerat. Error autem eiusmodi facilè tollitur per Indictiones, quæ non inchoantur à Kalendis Ianuariis, cùm enim vnius anni diuersæ partes distinctis Indictioni-

[a] L. de argum. Lun. & l. de rat. temp. c. 46.

bus consignantur, peruium est cuique colligere ex Indictione in quam anni partem id, de quo quæstio est, inciderit. Adde quòd ex Indictionibus nonnunquam corrigi possunt Consules aut anni reparatæ salutis perperàm inscripti. AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

Indictiones quindecim annorum circuitu in sua semper vestigia reuertuntur, & cùm à prima Indictione per annos quindecim processum est ad decimam quintam, non fit progressus ad decimam-sextam, sed ad primam continuò datur reditus. Id patet ex Theodosiano Codice, vbi Theodosius Iunior, Constantio & Constante Consulibus, sic edicit quinto Idus Apriles, *per omnes prouincias Orientis ex Indictione vndecima Valentiaca in quintam vsque nuper transactam Indictionem annorum scilicet quadraginta, id est, à Consulatu dinorum Valentiniani & Valentis iterùm Augustorum vsque ad Consulatum inuictissimi Honorij patrui mei septies & meum iterùm*, &c. Valentiniani & Valentis Augustorum secundus Consulatus illigatur apud Idatium Eræ quadringentesimæ sextæ, éstque annus Christi trecentesimus sexagesimus-octauus, quo re verâ per mensem Aprilem in cursu fuit vndecima Indictio inchoata antecedente Septembri anni trecentesimi sexagesimi septimi, ab eodem verò quadragesimus annus est Christi quadringentesimus septimus, Honorio septimùm & Theodosio iterùm Consulibus, Erâ, vt Idatius notat, quadringentesimâ quadragesimâ quintâ, cui rectè quoque tribuitur quinta Indictio. IV. PERIODVS.

De nomine & periodo Indictionis fusè disputant Onuphrius Panuinius in Fastis, Iosephus Scaliger libro sexto de emendatione temporum, Cæsar Baronius tomo tertio [a] Annalium, Dionysius Petauius libro vndecimo [b] de doctrina temporum, Ioannes Morinus noster in suo Constantino parte [c] secundâ. Satis est ad nostrum institutum, epocham Indictionis fixisse, quia per annos vndesexaginta, donec Chronicon Marij deficiat, Indictiones cum annis Incarnationis Dominicæ comparabimus. V.

[a] An. 112.
[b] Capp. 19. 40.
[c] Cap. 19.

Maximo Consule, Indictione primâ, Sigismundus Rex Burgundionum, à Burgundionibus, Francis traditus est, & in Francia in habitu Monachali perductus. Hæc breuiter Marius in suo Chronico. Gregorius Turonensis [d] belli causam sic aperit. *Chrodechildis Regina Chlodomerem vel reliquos filios suos adloquitur, dicens, Non me pœniteat, vos, charissimi, dulciter enutrisse; indignate, quæso, iniuriam meam, & patris matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate. Hæc illi audientes Burgundias petunt, & contra Sigimondum & fratrem eius Godomarum dirigunt. Deictúmque exercitum * eorum, Godomarus terga vertit. Sigimondus verò dum ad Sanctos Agaunos fugere nititur, à Chlodomere captus cum vxore & filiis captiuus abducitur, atque infra terminum Aurelianensem vrbem in custodia positus detinetur.* Theodoricus Francorum Rex, qui Metis sedem regni constituerat, fratribus suis auxilio non fuit in eo bello, quoniam anno superiore filiam Sigismundi Regis vxorem duxerat. Alius autem Theodoricus, qui Gothis imperabat, & auditâ Sigirici nepotis morte plurimùm excanduerat, acerrimum Sigismundi Regis hostem se præbuit inito cum Francis fœdere. *Inter Francos & Gothos*, inquit Procopius [e], *coitur societas in Burgundionum perniciem, pactóque conuenit, vt gentem debellent, & ditionis illius terras obtineant: qui vicerint, à sociis non adiuti, vbi mulcta nomine certam auri summam ab illis acceperint, participes eos faciant bello captæ regionis. Igitur ex constituto Germani cum magno exercitu Burgundiones petunt; dum Theodericus, qui se in speciem ad expeditionem parauerat, copiarum profectionem differt, consultò procrastinans exitumque expectans. Vix tandem emisso exercitu, Ducibus mandat, vti lentiùs iter habeant, ac, si Francos victos audierint, ne porrò ire pergant; sin fortè victoriam cessisse illis acceperint, deinceps properent. Hæc Theoderici mandata accurantibus Ducibus, Germani soli cum Burgundionibus manus conserunt. Inito acerrimè prælio, cecidêrunt vtrinque plurimi. Etenim diu dubio Marte pugnatum est. At dein Franci, verso in fugam hoste, & ad vltimas regionis quam incolebat propulso oras, vbi multas habebat munitiones, reliqua occuparunt. Accepto rei nuntio, affuere confestim* VI. BELLVM BVRGVND.

[d] Lib. 3. c. 6.
* Accusatium absolutus.
[e] Lib. 1. de bello Goth. cap. 12.

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

Gothi, intrepidique à sociis, viæ difficultatem causati sunt. Tum multâ repræsentatâ, regionem, vti conuenerant, cum victoribus diuiserunt. Atque ita magis eluxit prudentia Theoderici, qui subditorum amisso nomine dimidiam terræ hostilis partem auro modico sibi parauit. Sic demùm pars Galliæ à Gothis & Germanis haberi cœpta est. Extra controuersiam est Procopium Gothis magis quàm Germanis seu Francis fauisse, & ordine præpostero bellum Burgundicum, quod hoc anno gestum est, priùs narrasse quàm Wisigothicum quod Clodoueus Rex aduersus Alaricum ante annos sexdecim susceperat. Errat idem Auctor[a] cùm post Theodorici Regis Ostrogothorum mortem, quam sub Olybrij Consulatu anno Christi quingentesimo vicesimo-sexto contigisse liquidò constat, hæc subiungit de Burgundionibus iterùm debellatis à Francis quos adhuc Germanos vocat. *Germani cum Burgundionibus, qui supererant, armis congressi, adeptique victoriam, eorum Regem, in castellum quoddam regionis illius coniectum, asseruarunt custodiis, ipsos verò ad obsequium redactos, secum in posterum militare coegerunt, vt bello captorum conditio postulabat, & locis omnibus, quæ Burgundiones antè coluerant, vectigal imposuerunt.* Hâc postremâ narratione cladem Sigismundi Regis innuere voluit, sed ea Theodorici Ostrogothi Regis obitum triennio antecessit, Maximo scilicet Consule, nec in aliud tempus reiicienda est quarumdam Burgundicarum ciuitatum ad Gothorum imperium accessio, si subscriptiones Episcoporum qui Conciliis Epaonensi & Arelatensi quarto interfuerunt, accuratè perpendantur. In illa re diligentiùs enucleanda lubenter immorabimur, vt circa fines Regni Burgundici cùm anno pòst vndecimo à Francis penitùs extinguetur, nulla oriri possit disceptatio.

[a] Lib. 1. de bello Goth. cap. 13.

VII. Ex catalogo Episcoporum, qui Concilio Epaonensi, *die* XVII. *Calendas mensis Octaui*, id est, Octobris, *Agapito Consule*, siue anno Christi quingentesimo decimo-septimo sub Sigismundo Rege subscripserunt, patet in Regno Burgundiæ sitas tunc fuisse quatuor prouincias Galliarum fermè integras, Alpes scilicet Graias, Viennensem primam, Lugdunensem primam, exceptis aliquot pagis, & Lugdunensem quintam, & pleraque ciuitates in finitimis prouinciis, Niuernum in Lugdunensi quarta; Ebredunum in Alpibus maritimis; Secusteronem *, Aptam * Iuliam, & Vapingum * in Narbonensi secunda; Cabellionem, Auenionem, Vasionem, Carpentoractem, Arausionem, Diam, Tricastrum, & Viuarium * in Viennensi secundâ siue Arelatensi; ita vt amnis Druentia, qui ab Alpibus maritimis excurrens in sinistram Rhodani ripam infra Auenionem egeritur, Burgundiam à ditionibus Gothorum disterminaret. Bello autem, quod aduersus eundem Sigismundum Burgundiæ Regem à Francis & Gothis initum est anno Christi quingentesimo vicesimo tertio Gothorum potestas multis ciuitatibus cis Druentiam * aucta est, vt patet ex subscriptionibus Episcoporum, qui Synodum Arelatensem quartam in Regno Gothico sub Opilionis Consulatu, siue anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto celebrarunt, in eorum enim numero leguntur Philagrius Cabellicus, Prætextatus Aptensis, Iulianus Carpentoractensis, Florentius Tricastinus & Maximus Genauensis, qui Concilio Epaonensi in Regno Burgundiæ ante septennium sub Sigismundo Rege subscripserant. Gothis igitur in præmium victoriæ cesserunt ciuitates omnes quas anteà Burgundi possidebant in Alpibus Graiis & Maritimis, & in prouincia Narbonensi secunda, itémque Cabellio *, Auenio *, Vasio *, Carpentoracte *, Arausio * & Tricastrum * in Viennensi secunda, siue Arelatensi, & Geneua in Viennensi prima. Non aliam calamitatem Arausicensium vicinorúmque incolarum qui cis Druentiam degebant, innuit Cyprianus in vita sancti Cæsarij Arelatensis Episcopi, vbi profectionem quam beatissimus Pontifex Rauennam ad Theodoricum Ostrogothorum Regem susceperit, ita commendat. *Captinos omnes vltra Druentiam, maximéque Arausicenses, qui omnes capti erant, quorum etiam plerosque Arelate liberauerat, in Italia viuen-*

* *Sisteron.*
* *Apt.*
* *Gap.*
* *Viuiers.*

* *La Durance.*

* *Cauaillon.*
* *Auignon.*
* *Vaison.*
* *Carpentras.*
* *Orange.*
* *Trois-Chasteaux.*

tes, vinctos vt potuit redemit, & vt pleniori gauderent libertate, exhaustos curauit iumentis & plaustris impositos non sine suorum solatio ad propria redire.

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

Ad idem bellum Burgundicum pertinent ea quæ narrantur in vita sancti Treuerij Monachi[a]. *Tunc fortè Francorum populis regiones Burgundionum hostiliter debellantibus, puerilésque indoles captiuas secum reducentibus duo pueruli nomine Radigniselus & Salsufur de pago * Dombensi, vbi Briscia dicitur, iuxta fluuium Araris siue Sagonnæ de Villa * sine Vtinga quæ sex millibus à Prisciaco * vico distat, vbi & riuulus praterfluit, qui dicitur Monienta *, ab hostibus rapti in regionem Neustrasiorum, iuxta Taroannam ciuitatem abducti fuerunt. Cùm verò Abbas Monasterij* Vlterensis *ab iis inquireret, qui ipsos pueros detinebant, si pretium pro ipsis acciperent, & ei in potestatem traderent, illis gauisis complacuit pretium accipere, & Abbati per B. Treuerium miserunt.* Auctor fallitur, cùm illa contigisse tradit postquàm Rex Theodobertus ex Italia reuersus est relictis Ducibus Mummoleno & Buccileno qui bellum Transalpinum gererent. Theodoberti Regis in Italiam profectio & reditus in Galliam coincidunt cum anno belli Gothici in Italia quinto seu Christi quingentesimo quadragesimo, nihil tunc armorum sonuit in Burgundia, quam Reges Francorum ante sexennium subegerant atque inter se diuiserant Paulino iuniore Consule. Præterea si Radigniselus & Salsufur ad Monasterium Vlterense venerunt anno Christi quingentesimo quadragesimo, ac post triennium in patriam à Beato Treuerio reducti sunt, quomodo eiusdem S. Treuerij reliquiæ *completis quatuordecim lustris* ab illius obitu, translatæ sunt sedente Lugduni Secundino Episcopo, qui Pontificatum obtinuit anno septimo Theodorici Regis, siue anno Christi sexcentesimo secundo, & in Episcopatu vix annum exegit? Aridius enim eius successor Episcopus erat anno octauo eiusdem Theodorici Regis, siue anno Christi sexcentesimo tertio, vt ex Fredegario [b] & Aimoino [c] constat.

[a] Die 16. Ian. apud Bolland.
* *Pays de Dombes.*
* *Vallains.*
* *Persieu.*
* *Monian.*
RADIGNISELVS, SALSVFVR, MONACHI VLTERENSES.

[b] In Chron. capp. 21. 24.
[c] Lib. 3. c. 90.

IX.

Procopius, postquàm Regis Burgundionum capti à Francis meminit, hæc de nuptiis Amalarici Regis Wisigothorum proximè subiungit [d]. *Rex autem Wisigotherum Amalaricus, adultâ iam ætate, Germanorum potentiam reformidans, eorum Regis Theodeberti sororem in matrimonium duxit.* In quo textu loco Theodeberti Childebertum restitue Germanorum seu Francorum Regem, qui Regiam sedem Parisiis habebat. Regiæ verò puellæ, quam Amalaricus in vxorem sibi sociauit, nomen fuit Clotildis, vt Gregorius Turonensis [e] testatur. His nuptiis pax firmata, cuius beneficio penes Francos in perpetuum manserunt illustres Narbonensis Galliæ ciuitates Tolosa & Vcetia, cum Metropoli prouinciæ Lugdunensis tertiæ, & tribus Aquitaniis, si partem excipias Episcopatus Rutenensis, quæ Wisigothis per aliquot annos adhuc paruit, vt inferiùs ostendemus.

[d] Lib. 1. de bello Gothic. c. 13.

PAX INTER FRANC. ET VVISIGOT.

[e] Lib. 3. c. 10.

X.

Igitur cùm pax inter Francos & Wisigothos coaluit, Ruteni, qui duas hodie Diœceses, Rutenensem & Vabrensem complectuntur, partim Francis, partim Wisigothis obtemperabant. Potior pars erat in potestate Wisigothorum. Sub Francorum enim imperio remanserunt tantùm quindecim circiter parœciæ, quæ finitimæ erant Diœcesi Vcetiensi, posteriséque temporibus attributæ sunt Vabrensi, quam Ioannes vicesimus-secundus Papa distraxit à Rutenica. Quemadmodùm autem Clodoueus haud passus fuerat, vt Tolosa & Vcetia, quas Wisigothis post pugnam Vocladensem eripuerat, ampliùs subessent Metropoli Narbonensi, quæ dominationi Wisigothorum adhuc subiiciebatur, ita Theodoricus Clodouei filius, ad quem imperium in Rutenos hæreditario iure transierat, non tulit, vt parœciæ, quas in pago Rutenico pace cum Wisigothis initâ retinebat, Episcopatui Rutenico deinceps accenserentur. Atque hæc occasio fuit erigendæ Sedis Episcopalis apud Arisidium in ea pagi Rutenici parte, quæ Theodorico Francorum Regi parebat.

ERIGITVR EPISCOPATVS ARISIDIENSIS.

XI.

Floruit Episcopatus Arisidiensis non tantùm quandiu vrbs primaria Rute-

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

norum penes Wisigothos fuit, sed etiam integro pòst seculo & ampliùs, quamuis Episcopi Rutenici parœcias, quæ Diœcesim Arisidiensem componebant, sibi restitui sæpè postularint. Primus Arisidiensis Episcopus extitit Deotarius, cuius ætate pagus Rutenorum in Francorum potestatem totus rediit. Gessit Episcopatum, regnantibus in Austrasia, Theodorico, Theodoberto, Theodobaldo, Clotario & Sigiberto. Superstes erat in viuis anno Christi quingentesimo vndeseptuagesimo. Fuit Ferreoli & Deutheriæ filius secundo genitus. Ex hac obseruatione patet Ansbertum & Deotarium Ferreolo natos esse labente quinto seculo, cùm Clodoueus Francorum Rex de bello Wisigothis inferendo nondum cogitaret. In Codice Conquensi, quem Dubouchetus citat in verâ Origine [a] Domûs Francicæ, commendatur *alodus in pago Rutenico, in vicariâ Arisidense, in villâ quæ dicitur Briasca.* Idem Auctor situm Diœceseos Arisidiensis describit, obseruátque illam intersecari mediâ viâ militari, per quam olim iter Nemausum * Legionibus Romanis erat è ciuitate * Rutenorum. Illa regio vernaculâ linguâ nunc etiam appellatur *l'Arsat* voce ex antiquo Arisidio deductâ, nec plures paucioresve parœcias hodie circumambit quàm Episcopatus Arisidiensis aliàs amplectebatur.

PRIMVS EPISCOPVS FIT DEOTARIVS, FILIVS, FERREOLI.

[a] Part. 1. c. 3.

* *Nismes.*
* *Rodez.*

XII. FRATER ANSBERTI.

Vt filiorum, quos Ferreolus ex Deutheriâ suscepit, natu maximus fuit Ansbertus; ita fratrum, quos Ansbertus habuit, natu maximus fuit Deotarius. In Codice enim sancti Vincentij Metensis hæc leguntur. *Ansbertus erat vir spectandæ nobilitatis, multis præpollens opibus, quinque fratrum honore ac duarum sororum decore splendidus. Primus fratrum Deotharius est dictus*, &c. Adstipulatur Anonymus qui Pippini Regis, sub quo viuebat, genealogiam ab Ansberto sic exorsus est. *Ansbertus, qui fuit ex genere Senatorum vir nobilis & multis diuitiis pollens habuit fratres, Deotarium*, &c. Suffragatur & Anonymus, qui genealogiam ab Ansberto ad Lotharium Augustum Pippini Regis pronepotem perduxit. *Ansbertus, qui fuit ex genere Senatorum, habuit fratres, Deotarium*, &c.

XIII. Deotarium Arisidiensem Episcopum sic agnoscit Anonymus in Metensi Codice sancti Vincentij. *Primus fratrum* Ansberti *Deotharius est dictus, qui suarum hæredem Christum faciens opum, Arisidium construxit locum, vbi Pontificali sublimatus infulâ, pace quieuit æternâ.* In vitâ sancti Clodulfi Metensis Antistitis idem Deotarius *Arisidi Pontifex* appellatur. Arisidium ad Deotarium hæreditario iure pertinuisse non leuis est coniectura, quia non procul ab eo erat Treuidon antiqua Ferreolorum sedes. Quot annis sederit Deotarius, manet incompertum. Vetera enim monumenta nec annum produnt quo Pontificatum suscepit, nec annum notant quo vitam clausit. Adeptus est Episcopatum, priusquàm Franci Wisigothos iterum ex pago Rutenico pellerent, id est, ante annum Christi quingentesimum tricesimum-primum quo bellum aduersùs Amalaricum Wisigothorum Regem feliciter gesserunt. In viuis superstes erat anno Christi quingentesimo sexagesimo-nono, cùm Mondericus eius è fratre nepos Lugduno fugâ lapsus Arisidium peruenit. Aduersatur huic opinioni Codex sancti Vincentij Metensis, in quo de Aigulfo Metensi Episcopo & Deotario Arisidiensi Antistite hæc leguntur. *Aigulfus prædictum Arisidy vicum B. protomartyris Stephani partibus per Theodeberti Regis præceptum mancipauit, fratremque suum Deotharium inibi constituit Episcopum, eo pacto vt deinceps Metensis Præsul illic Episcopos per successionem statueret & consecraret.* Sed ea, quæ de Deotario narrantur in hoc textu, quia Chronologiæ repugnant, inter commentitia reiicimus. Cur ita sentiamus, exponemus infrà, cùm peruenerimus ad Pontificatum Aigulfi, qui Metensem Diœcesim administrare cœpit anno Christi quingentesimo septuagesimo-octauo.

XIV. Præter Ansbertum & Deotarium ex Ferreoli & Deutheriæ coniugio nati sunt alij sex liberi; quatuor mares, Gamardus, Raginfridus, Aigulfus & Firminus; fœminæ duæ, Goda & Maria. Inter tot Ferreoli liberos vnus duntaxat reperitur Firminus, cuius ortus ad annum Christi quingentesimum de-

FIRMINI.

cimum-sextum figi potest. Hunc omnium minimum remur, quia cùm in lucem editus est, Ferreolus eius pater sexagenario maior erat. Firmino grandiorem vno duntaxat anno Aigulfum arbitramur, qui Pontificatum Metensem anno Christi quingentesimo sexagesimo-octauo susceperit natus annos sexaginta tres, obieritque anno post vicesimo, ætatis suæ octogesimo-tertio. De ceteris nihil adeò accuratè obseruandum occurrit. *Goda & Maria in virginitate perseuerantes migrauerunt ad Dominum.* Id testantur prælaudati Anonymi, qui genealogias Pippini Regis & Lotharij Augusti ab Ansberto deduxerunt. Gamardus auus extitit sancti Goerrici, qui sancto Arnulfo agnato suo in Episcopatu Metensi successit. Hæc enim inueniuntur in Metensi Codice sancti Vincentij. *Gamardus, qui cognominatus est Babo, genuit Godinum patrem sanctæ Segolenæ Virginis & Dodanæ seu Dodolinanæ & sancti Goerici, qui primus in Aquitaniâ Regiam obtinuit dignitatem, & post in Metensi vrbe Pontificatum.* Et ista in genealogiâ Pippini Regis. *Gamardus, qui cognominatus est Babo, genuit Godinum, & Godinus genuit Goerricum, qui cognominatus est Abbo, & Ratbertum, & filias tres, Dodanem, Dodalinanem & Segolenam.* Raginfridus pater fuit Mummoli, qui sub Guntchramno Rege floruit. Vocatur etiam promiscuè Raginfridus & Reinfredus. In Codice sancti Vincentij Metensis ita commendatur. *Ragnifridus Nummoly progenitor Patricy & Senatoris, qui Longobardos Franciam irrumpentes protrinit atque fugauit.*

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12. AIGVLFI. GODÆ, MARIÆ. GAMARDI. RAGINFRIDI.

Obiit hoc anno Dinisius Episcopus Turonensis, sedit enim *menses decem. Sepultus est in Basilicâ sancti Martini.* Successit *Ommatius de Senatoribus ciuibusque Aruernis, valdè dines in prædiis, qui condito testamento per Ecclesias vrbium, in quibus possidebat, facultates suas distribuit. Ipse exaltauit Ecclesiam infra muros vrbis Turonicæ, sanctorum Gerualsij & Protasij reliquiis consecratam, quæ muro coniuncta est. Hic cæpit ædificare Basilicam sanctæ Mariæ infra muros vrbis, quam imperfectam reliquit,* vt scribit Gregorius Turonensis in catalogo Turonensium Antistitum.

XV. OMMATIVS EP. TVRON.

Ex Antistitum Bituricensium Chronologiâ, quam superiùs iniuimus, hoc etiam anno collocari debet mors Siagrij Bituricensis Episcopi. In illius locum subrogatus est Humatus, cuius temporibus patratum est miraculum in puero Iudæo, vbi posteà condita est Ecclesia sanctæ Mariæ de furno calido. *Cùm omnis populus Bituricensis,* inquit Chenutius [a], *ad Ecclesiam conueniret in die festo Paschæ, vt Eucharistiæ sacramentum reciperet, inuento in viâ adolescentulo Iudæo ad sacramenti huius receptionem inuitauit, qui iuit libenter & recepit. Sciens pater vitrarius hoc factum, filium apprehendit, eúmque in fornacem ignis ardentis coniecit, adiectísque lignis quò vehementiùs vreretur institit. Quod cùm ad aures ciuium matris clamore perueniisset, multi accessere, qui detractis ignibus fornacis ore puerum illæsum & ridentem viderunt. Interrogatus respondit. Imago quam in templo vidi depictam & gremio tenentem paruulum sub pallio flammas ignis ventilans ne voraret operuit. Statim populus eundem patrem in fornacem detrusit, atque illic subitò igne correptus interiit, in cuius miraculi memoriam eodem in loco templum constructum est & in honorem beatæ Virginis Mariæ dicatum. Agnitâ infans fide Catholicâ credidit, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti salutaribus aquis ablutus vnà cum genitrice suâ denuò sunt renati, multi Iudæorum exemplo hoc in vrbe saluati sunt.* Eandem historiam refert monachus San-Sulpitianus [b] ex veteribus Annalibus & ex Petro Rossetо. Similem habent in Oriente Gregorius Turonensis [c], Euagrius [d] & Nicephorus [e].

XVI. HVMATVS EP. BITVR. ECCLESIA S. MARIÆ DE FVRNO.

[a] In Humat. Ep. Bitur.

[b] Cap. 19. [c] Lib. 1. mirac. cap. 10. [d] Lib. 4. c. 35. [e] Lib 17. c. 25.

Hisce temporibus, cùm multi gentiles in Galliis adhuc erant, Abtincensem Diœcesim regebat Seuerus Episcopus, cuius vitam à Bollando [f] publicatam redigemus hîc in epitomen. Seuerus in pago Constantino natus est tenuibus parentibus sed piis ac liberalibus in pauperes. Nomen dedit inter famulos Corbeceni viri prædiuitis atque idololatræ, qui villam in decliuo montis prope fluuium Beuroniam * habebat, & circumiacentes regiones Constantiensem ac Baiocensem cum valle amnis Viriæ * gubernabat.

XVII. SEVERVS EPISC. ABRINC.

[f] D. 1. Febr.

* *Benron.* * *Vire.*

AN. CH. 523. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 12.

Equarum custodiæ deputatus est, in eóque officio quantumuis vili nullam diligentiam omisit. Quærendæ fertilioris herbæ prætextu gregem suum frequenter ducebat ad duo milliaria circa Christianorum Ecclesiolas in honorem Sanctorum Martini & Quintini constructas, fusisque ibi precibus Deo præcipuè famulari satagebat. Valdè misericors ac liberalis erat erga pauperes, quibus vestes etiam suas donare consueuerat, ideóque domo herili exclusus est summo frigore, sed auditâ miraculorum famâ perhonorificè quamprimùm reuocatus est, ac deinceps non pastoris sed patris loco à Corbeceno haberi cœpit. Solitariæ vitæ studio flagrabat, profectionem tamen in eremum distulit, vt ipsum Corbecenum, qui religionis Christianæ mysteriis initiari cupiebat, erudiret in fide. Rem tanti momenti Deo benè iuuante feliciter confecit. Euocato Presbytero Corbecenum de sacro fonte suscepit, baptizatúmque verbis & exemplis instruxit. Postèà statuit in solitudinem proficisci, rogatus à Corbeceno ne longiùs abiret, locum elegit vno tantùm milliario ab eius castro distantem, vbi Ecclesiam in honorem beatissimæ Virginis erexit. Copiosam turbam discipulorum, inter quos Ægidius præcipuè nituit, breuissimo temporis spatio congregauit. Illis res humanæ vitæ necessarias curantibus, infra Ecclesiæ suæ ambitum se continebat, nec vspiam nisi visendorum infirmorum gratiâ progrediebatur. Fratrum totiusque populi rogatu factus est sacerdos. Magnæ vicinis populis erat venerationi. Abrincensem Pontificatum suscipere coactus, Episcopale munus admirabili zelo atque humilitate gessit, idola diruit in multis locis, doctrinam suam miraculis frequenter confirmauit, complures ethnicos ad Christianam fidem perduxit. Tot successibus adeò prosperis non efferebatur, imò singulis diebus protestabatur eremum sibi gratiorem esse quam Pontificatum. Clero ac plebi, vt nouum Præsulem eligerent, author fuit, dimissóque tandem Episcopatu rediit ad suum monasterium, vbi contemplationi vacans obdormiuit in Domino, sepultúsque est in æde beatæ Virginis quam condiderat. Quo die quoue anno mortalem vitam clauserit, scriptores latet. Ex Bollandi calculo in Abrincensium * Episcoporum catalogo ponendus videtur inter Nepum & Perpetuum, quorum ille anno Christi quingentesimo vndecimo, hic sedebat anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio, vt ex subscriptionibus Aurelianensium Conciliorum, primi ac secundi, patet. Propter varias translationes ac susceptiones reliquiarum colitur diuersis diebus, Kalendis Februariis, quarto Nonas Februarias, pridie Nonas Iulias & Nonis Iuliis.

* *D'Auranches.*

524. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 13.

ANNVS

CHRISTI 524.

THEODORICI R. 13.

CLODOMERIS R. 13.

CHILDEBERTI R. 13.

CLOTARII R. 13.

INDICTIO 2.

I. ANNVS Christi quingentesimus vicesimus-quartus notatur apud Marium & apud Marcellinum, Iustino Augusto iterùm & Opilione Consulibus, & Indictione secundâ. *His Consulibus*, inquit Marius, *Godemarus frater Sigismundi,*

Sigiſmundi, Rex Burgundionum ordinatus eſt. Eo anno contra Chlodomerem Regem Francorum Viſerontiâ præliauit, ibique interfectus eſt Chlodomeres. Gregorius Turonenſis [a] rem fuſiori ſtylo proſequitur. *Diſcedentibus Regibus* Francorum, *Godomarus reſumptis viribus Burgundiones colligit, Regnumque recipit. Contra quem Chlodomeris iterùm ire diſponens, Sigimundum interficere deſtinauit. Cui à beato Auito Abbate, magno tunc temporis Sacerdote, dictum eſt. Si, inquit, reſpiciens Deum, emendaueris conſilium tuum, vt hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, & abiens victoriam obtinebis. Si verò eos occideris, tu ipſe in manus inimicorum traditus, ſimili ſorte peribis, fiétque tibi vxorique & filiis tuis quod feceris Sigimundo & coniugi ac liberis eius. Quod ille auſcultare deſpiciens conſilium eius ait, ſtultum enim conſilium eſſe puto, vt inimicos domui relictos *, contra reliquos eam, eóſque à tergo, hunc à fronte ſurgentem, inter duos hoſtium cuneos ruam. Satiùs enim & facilius victoria patrabitur, ſi vnus ab alio ſeparetur, quo interfecto facilè & alius morti poterit deſtinari. Statimque interfecto Sigimundo cum vxore & filiis apud * Columnam Aurelianenſis vrbis vicum, in puteum iactari præcipiens, Burgundias petiit, vocans in ſolatium Theudericum Regem.* Theodoricus adfuit, fortè quia cùm Sigiſmundi gener eſſet, eo cum filiis mortuo, ius in Burgundiæ regnum ſibi deuolutum arbitrabatur. Prælium initum eſt *apud Viſorontiam * locum vrbis Viennenſis.* Campum illum geographicè deſcribit Nicolaus *Chorier* in hiſtoria [b] Delphinatus. Porrò *cùm Godomarus*, vt Gregorius Turonenſis ſubiungit, *cum exercitu terga vertiſſet, & Chlodomeris inſequeretur, ac de ſuis non modico ſpatio elongatus eſſet, adſimilantes illi ſignum eius, dant ad eum voces dicentes, huc huc conuertere, tui enim ſumus. At ille credens, abiit, inruítque in medio inimicorum ſuorum. Cuius amputatum caput, & conto defixum, eleuant in ſublimi. Quod Franci cernentes atque cognoſcentes Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriámque in ſuam redigunt poteſtatem. Nec mora, Chlothacharius vxorem germani ſui Guntheugam nomine, ſibi in matrimonio ſociauit. Filios quoque eius Chrodechildis Regina exactis diebus luctus ſecum recepit ac tenuit. Quorum vnus Theudoualdus, alter Guntharius, tertius Chlodoualdus vocabatur. Godomarus iterùm regnum recepit.* Hucuſque Gregorius, qui ſic explicari debet, vt Godomarus cenſeatur eas tantùm ciuitates recepiſſe quas Franci peruaſerant, nullam enim è Gothorum poteſtate recuperauit, vt teſtes ſunt ſubſcriptiones Epiſcoporum, qui Concilio Arelatenſi quarto interfuerunt hoc anno, recenſitique ſunt à nobis anno ſuperiori, cùm de Gothicæ dominationis incremento verba faceremus. Ceterùm Clodomeres vixit annos vndetriginta, pectus telo tranſuerberatus interiit, ſi fides eſt [a] Agathiæ [c].

Clotarius Aregunde dmiſſâ, Guntheugâque aſſumptâ, manſit adhuc reus duplicis criminis, quia Ingunde legitimâ vxore ſuperſtite aliam ſuperinduxit, & fratris ſui relictam accepit. Lege quæ ſuperiùs ad annum Chriſti quingenteſimum vicesimum-ſecundum citauimus ex Conciliis Aurelianenſi primo & Epaonenſi, cùm de coniunctionibus illicitis ageremus in cauſa Aregundis.

*Quis ſit * vicus Columnæ*, apud quem Sigiſmundus Burgundionum Rex in puteum proiectus fuit, *non eſt ambiguum*, inquit Carolus Sauſſeyus [d], *cùm adhuc puteus remanſerit, habeátque Capellam nomine * Columelam, parochiam in confinio vnam vocatam * Columieram, & alteram cui nomen ſancti Petri * de vico Columbæ, quod eſt loco Columnæ, vſu*, vt exiſtimat, *mutatâ literâ, cùm adhuc etiam vulgari linguâ fabri lignarij Columnas vocent Columbas, hócque loco edificata eſt Eccleſia, quæ ſancti Sigiſmundi vocitatur, Prioratum habens Ordinis ſancti Benedicti, cuius collatio pertinet ad Abbatem Miciacenſem. Memoria ſancti Sigiſmundi * agitur Calendis Maij ab incolis loci in Capella quæ Campus * Roſeus dicitur, vbi primùm captiuus detentus eſt.* Aiunt febricitantes ad eum puteum in quem proiectus eſt, accedentes, ſumptâ aquâ conualeſcere, idque

AN. CH. 524. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 13.

[a] Lib. 3. c. 6.

BELLVM BVRGVND. * *arcuſatiuus abſolutus.*

MORS SIGISMVNDI REGIS. * *Coulmiers.*

* *La plaine de Veſeronce à deux lieües de Vienne.*

[b] Lib. 9. c. 14.

ET CHLODOMERIS REG.

[c] Lib. 1.

II. CLOTARIVS DVCIT GVNTHEVGAM AREGVNDI DIMISSA.

III.

[d] Lib. 3. in Leont.

VICVS COLVMNÆ. * *Columelle.* * *Coulmiers.* * *S. Pere Auxy la Colombe.* * *S. Sigiſmond. S. Siſmond. S. Simon.* * *Champroſier.*

AN. CH. 524. THEOD. CLODOM. CHILDEB. CLOTAR. RR. 13.

anno Christi MDCXI. expertus est qui retulit in literas Carolus Sausseyus. Dubium non est quin Auitus Abbas fuerit Miciacensis, corruptè Nutiacensis in vulgatis exemplaribus Gregorij, vbi delendum epitheton, quod abest à manuscriptis Codicibus, Bellouacensi, Corbeiensi, ac Metensi.

IV. DALMATIVS FIT EPISC. RVT.

In Codice Mossiacensi à nobis iam laudato, vetus Auctor, qui vitam sancti Dalmatij Rutenensis Episcopi scripsit, testatur illum hoc anno à Metropolitano Narbonensi Pontificem ordinatum fuisse, tribuit enim annos Pontificatus quinquaginta sex, aliunde verò constat eiusdem Antistitis mortem in annum Christi octogesimum supra quingentesimum incidisse. Ex illa obseruatione constat primariam vrbem Rutenorum adhuc in potestate Gothorum fuisse, nam si Francis paruisset, Dalmatius non à Narbonensi Metropolitano sed à Bituricensi consecrationem accepisset. Audiendus Auctor vitæ. *Beatissimum*, inquit, *Dalmatium Rutena * vrbs ciuem habuit, locique illius indigena fuit, nunc apud Deum meretur habere patronum. Ipse autem cùm Gothorum seritas territorio in quo altus est dominaretur, Narbonensium vbem adiuit. Nam cùm Arianæ tunc temporis populus ipse detineretur errore, ibi tamen Episcopus præerat Christianus, qui metropolitano iure cunctis illius prouinciæ eminebat, beatus itaque Dalmatius, licèt adhuc sub tenera corporis pubertate, iam tamen Christi athleta maturus, cui nunc vrbi patronus est, tunc ab eodem Papa Episcopus ordinatur.*

* Rhodez.

ORDINATVR A METROP. NARBON.

Eadem ciuitas Rutenorum Amalarico, qui post biennium apud Wisigothos regnare cœpit, morem etiam gessit, vt ex Dalmatij congressu cum illo Rege apud Narbonam constat ex eodem Scriptore hoc subiiciente. *Alio tempore ad Gothorum Amalarici Regis Narbonam venit occursum, qui dum veterano errore sui populi patrúmque suorum longæuo ritu infelix esset hæreticus, & vniuersos Christicolas despiceret, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos execraretur, illi tamen instinctu diuini numinis mirum in modum insolitos honores ac nouas veneraciones exhibuit, itaut nec suis vnquam tantùm pro ritu Sacerdotibus, nec Christianis pro veneratione debita detulisset, statuitque mens cæca iustum instigante Domino venerari, vt cunctis credentibus spem futuræ conuersionis ostenderet.* Mansit tamen Amalaricus * in hæresi, vt docebimus ad annum Christi quingentesimum tricesimum primum quo vitam clausit.

* Amaulry.

V. CIVITATES PROVINCIÆ NARBONENS. PRIMÆ.

Gothi ciuitatem Rutenorum, & si quid aliud in Aquitania prima post Clodouei Regis obitum recuperarunt, haud passi sunt ampliùs subiacere Metropoli Bituricensi, sed Narbonensi Metropoli subiecerunt in locum Tolosæ & Vceticæ, quas Clodoueus ex eadem prouincia Narbonensi priùs auulserat. In vetere notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ, quam Iacobus Sirmondus [a] publicauit, Metropoli Narbonensium subsunt quatuor tantùm ciuitates, *Tolosatium* *, *Beterrensium* *, *Nemausentium* *, *Lutenensium* *, *& Castrum Vcecienſe* *. Notitiæ paulò recentiores, quas Andreas Ducheſnius [b] edidit, duas addunt ciuitates, *Agathensium* *, & *Magalonensium* *, itaut prouincia Narbonensis prima sex ciuitates præter Metropolim & Castrum Vceciense complectatur. At postquàm Tolosa & Vcetia ditionibus Francorum accesserunt, eadem prouincia tribus aucta fuit ciuitatibus, *Carcassonensium* *, *Elenensium* * *& Illiberitanorum* *. Id constat ex Concilio Toletano tertio, cui regnante Reccaredo subscripserunt, *Migetius in Christi nomine Narbonensis Metropolitanus Episcopus Galliæ prouinciæ, Sedatus in Christi nomine Beterrensis Ecclesiæ Episcopus, Sergius Carcassonensis Ecclesiæ Episcopus, Ioannes Elnensis Ecclesiæ Episcopus, Petrus Illiberitanæ Ecclesiæ Episcopus, Higridius Agathensis Ecclesiæ Episcopus, Agrippinus ciuitatis Lutubensis prouinciæ Galliæ Episcopus, Genesius Archidiaconus Ecclesiæ Magalonensis agens vicem Domini Boety Episcopi, Valerianus Archidiaconus Ecclesiæ Nemausensis agens vicem Domini Pelagy Episcopi.* Ista breuiter hoc loco notamus, vt scias quinam fuerint limites prouinciæ Narbonensis, quæ multis seculis paruit Wisigothis, & omnium Gallicanarum postrema seriùs in Francorum potestatem deuenit. Agemus aliâ occasione de nomine Septimaniæ, quod eidem prouinciæ inditum reperitur.

[a] Tom. 1. Concil Gall.
* Tolose.
* Besiers.
* Nismes.
* Lodeue.
* Vsez.
[b] Tom. 1. Collect. hist. Frãc.
* Agde.
* Maguelone.
* Carcassonne.
* Elne.
* Colioure.

AN. CH. 525.
THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14.
THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

ANNVS	
CHRISTI	525.
THEODORICI	R. 14.
CHILDEBERTI	R. 14.
CLOTARII	R. 14.
THEODOBALDI	R. 1.
GVNTHARII	R. 1.
CLODOALDI	R. 1.
INDICTIO	3.

L

ANNO Christi quingentesimo vicesimo-quinto, Indictione tertiâ, Marius & Marcellinus Consules ponunt Philoxenum & Probum, hunc Marius Iuniorem vocat vt distinguatur à Probo Seniore qui Consulatum ante annos duodecim cum Clementino gessit.

II.
VITONVS EP. VIRODVN. OBIT. * S. Venne. SVCCEDIT DESIDERATVS.

Videnus seu Vitonus * Episcopus Virodunensis, cùm sedisset annos viginti septem migrauit in cœlum. Colitur à Virodunensibus quinto Idus Nouembres. Subrogatus est Desideratus. Hic vxore priùs ductâ Siagrium filium iam susceperat, in Episcopatu multas à Theodorico Rege passus est iniurias fraudulentis accusationibus atque artibus Siriualdi. Lege Gregorium Turonensem [a] libro tertio Historiæ Ecclesiasticæ. Obiit & quarto Idus Maias Agatimber, cùm annos duodecim & menses sex in Episcopatu Metensi exegisset. Successit Hesperius, qui Sperius dicitur apud Paulum Diaconum in libello de Episcopis Metensibus, & Sperus in Codice sancti Symphoriani Metensis.

[a] Capp. 14. 15.

HESPERIVS EP. METENS.

III.

Gregorius Turonensis, postquàm bellum à Childeberto Francorum Rege aduersùs Amalaricum Wisigothorum Regem in Hispaniâ, id est, in Septimaniâ, gestum descripsit, agit de duobus aliis, quorum alterum à Childeberto & Clotario in Burgundiâ initum est, alterum à Theodorico in Aruerniâ, sed ordinem temporis haud obseruat, nam Childebertus cum Clotario in Burgundiam, & Theodoricus in Aruerniam priùs mouit quam Childebertus in Hispaniam seu Septimaniam. Id autem liquidò constat, quia Childeberti Regis in Hispaniam seu Septimaniam aduentu vix audito extinctus est Amalaricus anno Christi quingentesimo tricesimo-primo, idem verò Childebertus & Clotarius in Burgundiam & Theodoricus in Aruerniam cum exercitu profecti sunt superstite adhuc in viuis Quintiano Aruernorum Episcopo, quem Idibus Nouembris anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo ex hac vitâ migrasse probabimus. Ceterùm habitâ ratione cùm illius anni quo sanctus Quintianus obiit, tum rerum in Burgundiâ gestarum priori biennio, non alio videntur anno quàm quingentesimo vicesimo-quinto consignanda, quæ narraturi sumus aduersus Godomarum Burgundionum Regem à Childeberto & Clotario, & aduersus Aruernos à Theodorico susceptа bella.

IV.
[b] Lib. 3. c. 11.
BELLVM BVRGVND.

Chlothacharius & Childebertus, inquit Gregorius [b] *Burgundias petere destinant, conuocatúsque Theodoricus in solatio eorum ire noluit. Franci verò qui ad eum aspiciebant, dixerunt. Si cum fratribus tuis in Burgundiam ire despexeris, te re-*

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

linquimus, & illos ſequi ſatius præoptamus. At ille infideles ſibi exiſtimans; Aruernus, ait, me ſequimini, & ego vos inducam in patriam, vbi aurum & argentum accipiatis, quantùm veſtra poteſt deſiderare cupiditas, de quâ pecora, de quâ mancipia, de quâ veſtimenta in abundantiam adſumatis, tantùm hos ne ſequamini. His promiſſionibus hi inlecti, ſuam voluntatem facere promittunt. Ille verò illuc tranſire diſponit, promittens iterùm atque iterùm exercitui cunctam regionis prædam cum hominibus in ſuis regionibus transferre permittere. Chlothacharius verò & Childebertus in Burgundiam dirigunt, Auguſtidunúmque obſidentes, cunctam fugato Godomaro Burgundiam occupauerunt. Hæc ille, nihil tamen apparet è regno Burgundiæ poſt iſtud bellum in poteſtate Francorum manſiſſe præter Auguſtodunum *, cuius ciuitatis Epiſcopus nomine Agrippinus Concilio Aurelianenſi ſecundo ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-tertio. Incertum, an illis temporibus adhuc ſuperſtes eſſet ſanctus Eptadius Preſbyter, qui vixit in territorio Auguſtodunenſi.

* *Autun.*

V.

BELLVM ARVERNIC.

Quod attinet ad bellum Aruernicum, *Theodoricus*, vt Gregorius [a] ſubdit, *cum exercitu Aruernus veniens, totam regionem deuaſtat, ac proterit. Interea Arcadius ſceleris illius auctor, cuius ignauiâ regio deuaſtata eſt, Bituricas vrbem petiit. Erat autem tunc temporis vrbs illa in regno Childeberti Regis. Placidina verò mater eius, & Alchima ſoror patris eius, comprehenſæ apud Cadurcum * vrbem rebus ablatis exilio condemnatæ ſunt. Rex igitur Theodoricus ad vrbem Aruernam vſque accedens, in vici illius ſuburbana caſtra fixit. Beatus verò Quintianus his diebus erat Epiſcopus. Interea exercitus cunctam circuit regionem illam, cuncta delet, vniuerſa debellat, de quibus nonnulli ad Baſilicam S. Iuliani perueniunt, confringunt oſtia, ſerras remouent, réſque pauperum, quæ ibidem fuerant adgregatæ, diripiunt, & multa in hoc loco perpetrant mala. Verumtamen auctores ſcelerum à ſpiritu immundo correpti, infeſtis dentibus propriis ſe morſibus lacerant, clamantes atque dicentes, cur nos Martyr ſancte ſic crucias?* Hæc autem libro ſecundo [b] de gloriâ Martyrum copioſiùs ab eodem auctore ſic deſcribuntur. *Cùm ob direptionem Aruernorum Rex antedictus* Theodoricus *feſtinaret, & ingrediens terminum vaſtationi cuncta ſubigeret, pars aliqua ab exercitu ſeparata ad Brinatenſem * vicum infeſta prorupit famâ vulgante quòd in Baſilicâ eſſent incolæ cum multis theſauris adunati. Cúmque peruenìſſent ad locum, inueniunt multitudinem promiſcui ſexus, obſeratis oſtiis in templo ipſo cum propriis facultatibus reſidere. Cúmque intrare non poſſent, vnus effractam ceu fur, in altari ſancto feneſtram vitream ingreditur, quia qui non intrat per ianuam, hic latro eſt, dehinc reſeratis ædis illius valuis, exercitum intromittit. At illi direpta cuncta pauperum ſupellectilia cum miniſtris ipſius Baſilicæ, reliquúmque populum qui infrà erat, eductum, foris diniſerunt haud procul à vico. Quæ cùm ad Regem delata fuiſſent, comprehenſos ex his aliquos diuerſis mortibus condemnauit. Fugiens verò ille qui inruptâ æde caput fuit huius ſceleris, igne de cælo dilapſo conſumptus interiit, ſuper quem cùm multi acernum lapidum congregaſſent, à tonitruis & coruſcationibus detectus, terrenâ carnit ſepulturâ. Qui verò de conſentaneis latentes Regi in patriam ſunt regreſſi, correpti à dæmone diuerſis exitibus hanc vitam crudeliter finierunt. Hæc audiens Rex, omnia quæ exinde ſunt ablata, reddidit. Præceperat enim ne in ſeptimo à Baſilicâ miliario quis vim inferret.*

[a] Lib. 3. c. 11.

* *Cahors.*

* *Brioude.*

[b] Cap. 12.

VI.

Præter ſanctum Iulianum quanto præſidio Aruernis fuerit Quintianus Epiſcopus, in eius vitâ ſic exponit Gregorius [c]. *Erat in tantùm amator populi ſui, vt aduenìente Theoderico Rege, ac vallante cum exercitu vrbem, muros per noctem pſallendo circuiret, & vt regioni vel populo Dominus velociter ſuccurrere dignaretur, afflictus in ieiuniis atque vigiliis inſtanter oraret. Porrò Theodericus Rex, cùm cogitaret etiam muros vrbis euertere, mollìuit eum miſericordia Domini, & oratio Sacerdotis ſui, quem in exilium retrudere cogitabat. Nam nocte pauore perterritus de ſtratu ſuo exilit, ac ſolus per viam publicam fugere nititur, perdiderat enim ſenſum, neſciens quid ageret. Quod animaduertentes ſui, eúmque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes vt ſe ſigno ſalutari muniret. Tunc Hilpingus Dux*

[c] De vit. patr. cap 4.

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

accedens propiùs ad Regem, ait. Audi, glorioſiſſime Rex, conſilium paruitatis meæ. Ecce muri ciuitatis iſtius fortiſſimi ſunt, eámque propugnacula ingentia vallant. Quod vt plenius magnificentia veſtra cognoſcat, de ſanctis, quorum Baſilicæ muros vrbis ambiunt, hæc loquor, ſed & Antiſtes loci illius magnus apud Deum habetur. Noli facere quod cogitas, noli Epiſcopo iniuriam inferre aut vrbem euertere. Cuius conſilium Rex clementer accipiens præceptum poſuit, ne vllus ab octauo vrbis milliario læderetur. Quod obtentu Sacerdotis præſtitum nullus ambigat.

Theodoricus recuperauit caſtra Louolautrum & Meroliacenſe, vt Gregorius [a] pluribus refert, hoc naturâ prævalidum erat, illud proditum fuerat à ſeruo Proculi Preſbyteri, iſque Proculus, qui Quintiano Epiſcopo moleſtus fuerat, à militibus ad altare Eccleſiæ interfectus eſt. *Cùm ſanctus Quintianus*, inquit Gregorius [b], *in Aruerna vrbe potiretur Epiſcopatu, Proculus quidam ex ærario Presbyter ordinatus multas ei iniurias intulit, omnémque poteſtatem illi de rebus Eccleſiæ auferens, vix ei cotidianum & ſatis tenuem victum miniſtrari præcepit, ſed per eius orationem à ciuibus correptus prudentioribus, reſtitutâ omni poteſtate, ſe ab eius remouit inſidiis. Antedictus tamen Sacerdos non immemor iniuriæ, ſicut quondam Paulus Apoſtolus de Alexandro, ita & hic de Proculo decantabat, dicens, Proculus ærarius multa mala mihi fecit, reddet illi Dominus ſecundùm opera ſua. Quod inpoſterum ei euenisſe manifeſtum eſt*, nempe cùm Louolautrum ab eius ſeruo traditum eſt in manus obſidentium; nam teſte eodem Gregorio, *tunc Proculus Presbyter vi ruptis Louolautrenſis caſtri muris, ab ingredientibus hoſtibus ante ipſum Eccleſiæ altare gladiorum ictibus in fruſta diſcerptus eſt, redditque illi Dominus, ſicut Sacerdos cantare conſueuerat, ſecundùm opera ſua.*

VII.

[a] Lib. 3. c. 13.
[b] De vita patr. cap. 4.

Poſt peractam ſtragem cladis Aruernæ, Hortenſius vnus ex Senatoribus Comitatum vrbis illius agens, quemdam de parentibus ſancti, Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri iuſſit. Quod celeriter beato viro nunciatum eſt. At ille per amicos ſuos cœpit rogare, vt eum datâ audientiâ abſolui iuberet. Quod ille nullatenùs præſtitit. Tunc beatus ſenex deferri ſe in plateam, quâ ille tenebatur, iubet. Allatus autem rogabat milites, vt eum dimitterent. Illi verò timentes, obedire auſi non ſunt Pontifici. Et Sacerdos, ad domum, inquit, Hortenſii me velociter deportate. Erat enim ſenex valde & propriis pedibus abire non poterat. Deferentibus autem eum in domum Hortenſii miniſtris eius, excutiens in eam pulueres calceamenti ſui, ait. Maledicta ſit domus hæc, & maledicti habitatores eius in ſempiternum, fiátque deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea. Et dixit omnis populus, Amen. Et adiecit. Quæſo, Domine, nunquam de iſtius generatione pronebatur quiſquam ad Epiſcopale Sacerdotium, qui Epiſcopum non obaudit. Egreſſo autem ex ea Sacerdote, protinùs omnes familiæ quæ in domo illa erant, à febre corripiuntur, & paruper ingemiſcentes ſpiritum exhalabant. Quod cùm iam tertiâ die ageretur, videns Hortenſius ſibi nihil de ſuis ſeruientibus reſeruari, timens ne etiam & ipſe pariter interiret, ad Sanctum virum mœſtus ingreditur, proiectúſque ad pedes eius, cum lachrymis veniam rogat. Quam ille benigniſſimè indulgens, benedictam aquam domui tranſmiſit, illáque per parietes reſperſa omnis ægritudo protinùs eſt depulſa, ac magis ibi virtus apparuit. Nam & qui morbum incurrerant, ſanati ſunt, & qui ſanati erant, vltrà non incurrerunt. Hæc idem Gregorius in vita ſancti Quintiani iam laudata.

VIII.

Theodoricus & Childebertus fœdus inierunt [c], *& dato ſibi ſacramento, vt nullus contra alium moueretur, obſides ab inuicem acceperunt, quo facilius firmarentur quæ fuerant dicta. Multi tunc filij Senatorum in hac obſidione dati ſunt. Sed orto iterùm inter Reges ſcandalo, ad ſeruitium publicum ſunt addicti. Et quicumque eos ad cuſtodiendum accepit. Multi tamen ex eis per fugam elapſi in patriam redierunt, nonnulli in ſeruitio ſunt retenti. Inter quos Attalus nepos beati Gregorij Lingonici Epiſcopi ad publicum ſeruitium mancipatus eſt, cuſtóſque equorum deſtinatus. Erat enim in Treuerico territorio cuidam barbaro ſeruiens*, & ingenio Leonis cuiuſdam ex cocis ipſius Gregorij Epiſcopi liberatus eſt ac reductus

IX.

[c] Greg. Tur. lib. 5. c. 15.

In illorum captiuorum numero fuit Fidolus Aruernus adoleſcens Clericus, X.

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

quem prope Trecas Auentinus Abbas numeratâ pecuniâ redemit, secúmque in Monasterio Insulæ retinuit. Rem, quomodo gesta est sic exponit sermo de vita & miraculis Sancti Fidoli Abbatis à Camuzato inter Miscellanea historica ex Codice Claræuallensi publicatus. Sanctissimus Pater Fidolus *fuit Aruernis vrbis incola nobilique genere, qui quondam à Theodorico Rege sceptra Francorum dispensante iuuenis adhuc captiuus ductus fuit ad priuatam sedem alieno imperio seruire coactus. Tamen patriæ præceptum à Deo, ad seruiendum ei in Trecassinam vrbem prædestinatione Domini manifestum est peruenisse, iámque in adolescentia constitutus & clericatus officio suscepto, lacrymabiliter coactus, parentes dereliquit inuitus. Ibi eum diuina pietas præmissâ redemptione consistere voluit, vbi se confitendo Dominum admirandis virtutibus prædicaret. Eodem itaque tempore memorabilis vir Auentinus Abbas in eo loco cum suis fratribus in congregatione sancta diuinis cultibus in Monasterio assiduè assistebat. Denique spiritualis in visu ei ammonitio prænuntiabat, vt captiuulum * Fidolum à regione exulem ad se venientem redimendum exciperet, & in communi consortio pari collegio retineret. Vir autem ille dum sæpiùs de visione pertractaret, cernit post paululum ante ostium captiuulos præterire. Interrogat si haberent captiuum qui vocabatur Fidolus. Illi aiunt, Domine Abba, non renuimus si vis redimere sortitum Ecclesiæ. Qui misericordiâ motus, duodecim tribuens aureos, & cupiditati satisfecit prædonum, & captiuato succurrit solatio, quem in sinu gratiæ vir egregius amantissimè connexum æternæ vinculo charitatis suscipiens, spiritualem filium effecit de captiuulo, & non vt seruum, sed iam veraciter diligebat vt dominum.*

FIDOLVS ABDVCITVR CAPTIVVS.

* *Fale.*

REDIMITVR AB ABB AVENTINO.

A Bollando & à Labbeo ex aliis Codicibus eruta est Sancti Fidoli vita, quæ docet ista contigisse sub Episcopo Camelliano & Theodorico Rege, *qui tunc cum fratre Theodeberto, simúlque auiâ Brunechilde regnum Francorum strenuè gubernabat.* Auctor illius operis Theodoricum Clodouei filium cum alio Theodorico eiusdem Clodouei abnepote perperàm confudit, errórque duobus argumentis apertissimè conuincitur, nam Theodoricus Brunichildis nepos, quandiu Theodobertus eius frater in viuis fuit, non obtinuit Austrasiam in quam Fidolus abducebatur, & Camilianus qui Trecensem Pontificatum anno Christi quadringentesimo septuagesimonono suscepit, peruenire non potuit ad annum Christi quingentesimum nonagesimum sextum, quo Theodobertus & Theodoricus fratres Childeberto patri successerunt. Hâc obseruatione præmissâ, quæ Theodorico Brunechildis nepote expuncto, Theodoricum Clodouei filium reponendum docet, narrationem de captiuitate ac redemptione Sancti Fidoli describemus ex eius vita. *Contigit venerabilem quoque Fidolum capi cum ceteris, atque in modum alterius Ioseph duris irretitum ligaminibus, abstractum patriâ duci à barbaris. Necesse verò erat eos, in quorum sorte vir Domini præda factus deuenerat, per Trecorum confinia iter habere, vbi post B. Lupum vicem Apostolicam eo tempore administrabat Camelianus, omnimodâ bonorum actuum claritate conspicuus, nonus ab Amatore, qui primus illius ordinatus est Pontifex ciuitatis. In huius autem vrbis territorio quidam Dei seruus, Auentinus nomine, super subditum sibi Monachorum gregem pij Patris sollicitudinem impendebat, multis miraculis amicus Dei olim declaratus, sicut est in promptu cuique volenti cognoscere, si quis eius gesta, quæ hactenus habentur, attentiùs velit euoluere. Is verò reuelatione admonitus, iubetur redeuntibus barbaris ire obuiam, ac pro redimendo viro Dei, quam poscerent, dare pecuniam. Famulus itaque Christi Auentinus visionem secum retractans crebriùs, ac diuinis iussis obsecundare satagens, ocyùs obuiam processit illis aduenientibus. Qui cùm longè adhuc positi essent, venerabilem Fidolum inter ceteros recognouit, tam ex diuina reuelatione, quàm ex speciali quadam gratia quæ illius refulgebat in facie. Quos sic intrepidus collaudat vir venerandus. Ad vos non vsibus hominum necessaria mercimonia quæsiturus aduenio, sed vnius tantùm redemptione captiui vt desiderio satisfiat cordis mei. Cúmque eis, quis ille esset, designasset, tantam gratiam ipsius sermonibus conferri placuit diuinæ pietati, vt absque vlla refragatione quod petebatur deuotissimè annuerent, perceptísque à viro Dei duodecim*

tantùm aureis, philochristum Fidolum nexibus absoluerunt captiuitatis. Quem agnum Christi mansuetissimum vir eximiæ sanctitatis Auentinus, de raptorum manibus exemptum, secum ducens, sancto illi gregi, quem regebat, sine morâ inseruit. At non multo post hæc dierum labente curriculo, clericatus ei impositio onere, diuinis officiis arctiùs mancipare curauit. Hæc ibi. At potiorem fidem mereri videtur apud Camuzatum Codex Clarævallensis, qui Fidolum priusquam ab Auentino redimeretur, Clero ascriptum testatur. AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14.

Desguerroisius existimat Fidolum abductum ex Aruerniâ fuisse post cladem Vocladensem exeunte anno Christi quingentesimo-septimo, cùm Theodoricus Clodouei patris auspiciis Aruernos è potestate Gothorum eripuit, sed qui Gregorium Turonensem legerit, fatebitur id potiùs contigisse anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, cùm Arcadij Senatoris Aruerni rebellione irritatus Rex Theodoricus grauiter Aruernos afflixit. De priori Theodorici expeditione sub Clodoueo Rege sic loquitur Gregorius [a]. *Chlodouechus filium suum Theodoricum per Albigensem * ac Rutenam * ciuitatem ad Aruernus dirigit. Qui abiens, vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subiugauit.* Nullum ibi de captiuis verbum habet. Post cladem verò quam Theodoricus Rex Aruernis rebellantibus inflixit, multos affirmat addictos fuisse seruituti, & in eorum numero ponit Attalum Gregorij Lingonensis Episcopi nepotem, quem equorum custodiæ destinatum ac cuidam barbaro in territorio Treuirensi famulatum scribit [b], vt supra iam narrauimus. Negabis fortè Fidolum ad Auentini monasterium peruenisse anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, quia ex ipsius Fidoli vitâ diximus Camelianum Episcopum in viuis tunc superstitem fuisse, Camelianus autem, si Camuzato & Desguerroisio Camuzatum secuto fides est, obiit eodem anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, colitúrque quinto Kalendas Augustas. Vt tibi faciamus satis, obseruabimus eos, qui de obitu sancti Cameliani scripserunt, in duas diuidi sententias, Camuzatus mortuum tradit anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, Pithæus anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto, astipulatur Camuzato Desguerroisius, nihil autem impedit quominus Pithæo suffragemur.

[a] Lib. 2. c. 37. * *Alby.* * *Rodez.*

[b] Lib. 3. c. 15.

XII.

Idem Desguerroisius suspicatur duos Auentinos in territorio Tricassino vixisse, alterum facit discipulum sancti Lupi, alterum magistrum sancti Fidoli, illum Anachoretam, hunc Abbatem. Sententiam suam valdè corroboratam opinatur, si neget Fidolum monasticen amplexum fuisse apud Insulam * vbi Auentinus beati Lupi discipulus diu degit, asserátque Maurelium * Abbatem illius loci tunc extitisse. At ex vitis Sanctorum Auentini & Fidoli simul collatis vnum duntaxat agnoscimus Auentinum, qui sub beatissimis Trecensibus Episcopis Lupo & Cameliano floruit, vitam anachoreticam duxit in multis locis, discipulorum curam cum Abbatis titulo gessit in monasterio Insulæ, vbi Fidolum erudiuit, quipostea ei suffectus est in regimen eiusdem cœnobij, successorémque nactus est beatum Maurelium sancto Leoni Menturiacensi Abbati coætaneum, vt suis locis probabimus.

* *Isle.* * *Maurele.*

XIII.

Inter Auentini discipulos Vrsionem accensent Menardus [c] & Saussaius [d]. Res gestas Sanctorum Vrsionis & Maurelij simul iunxit sub vno titulo Desguerroisius, quia eorum reliquiæ in eâdem thecâ repositæ custodiuntur, fassúsque est vtrumque necnon Auentinum Abbatem ac Fidolum Auentini successorem apud Insulam septimo milliario ab vrbe Tricassinâ vixisse, quamuis in vitâ sancti Fidoli postea negarit Auentinum Abbatem ac Fidolum eius discipulum monasterio Insulæ præfuisse. Molanus in additionibus ad Vsuardum meminit *Sancti Vrsionis Monachi* tertio Kalendas Octobres. Sepultus fuit beatus Vrsio in ipsâ Insulâ, vbi segregatus à seculo purum Deo famulatum exhibuerat, & tantis post obitum resplenduit sanctitatis testimoniis, vt ibidem paulò pòst in eius honorem erecta fuerit Basilica, cuius mentio fit in sancti Leonis * Mentuniacensis Abbatis vitâ quam Camuzatus inter miscel-

[c] Lib. 1. obsec.
[d] 19. Sept.
[d] D. 29. Sept.

VRSIO AVENTINI DISCIPVLVS.

* *Lyé Abbé de Montenay.*

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

lanea historica publicauit. Sanctus Vrsio familiæ Benedictinæ ascribitur à Menardo, sed mortuus videtur antequàm beatus Maurus in Galliam venerit. Redeamus in Aruerniam, vnde digressi sumus occasione sancti Fidoli, quem captiuum in territorium vsque Tricassinum secuti sumus.

XIV. SIGIVALDVS COMES ARVERN.

Theodoricus autem ab Aruerno discedens Sygualdum parentem suum in eâ quasi pro custodiâ dereliquit. Erat ibi tunc temporis quidam Lytigius ex monitoribus, qui magnas sancto Quintiano parabat insidias, & cùm se sanctus Episcopus pedibus eius prosterneret, nunquam vt se ei subderet mouebatur, itáque vt quadam vice vxori quæ sanctus fecerat pro ridiculo indicaret. Quæ meliorîs intelligentiæ modo commota ait. Si ita es hodie pessundatus, nunquam erigêris. Die autem tertiâ, aduenientes nuncy de præsentiâ Regis vinctum cum vxore ac liberis pariter abduxerunt. Qui abiens nunquam Aruernum regressus est. Hæc Gregorius Turonensis. [a], qui & quomodo Sygualdus in administratione Aruerniæ se gesserit, ita describit [b]. *Sygualdus cum in Aruerno habitaret, multa mala in eâ faciebat. Nam & res diuersorum peruadebat, & serui eius non desistebant à furtis, homicidiis, ac superuentis diuersis sceleribus, nec vllus mutire ausus erat cum iis. Vnde factum est vt ipse villam Bulgiatensem, quam quondam benedictus Tetradius Episcopus Basilicæ sancti Iuliani reliquerat, temerario ausu peruaderet. Sed cùm ingressus domo illâ fuisset, statim amens effectus lecto decubuit. Tunc mulier admonita per Sacerdotem, eleuatum in basternâ, vt in aliam villam transtulit, sanum recipit. Et accedens exposuit ei omnia quæ pertulerat. Quod ille audiens, vota beato Martyri vouens, quæ simplum abstulerat duplicata restituit.* Tetradius, cuius Gregorius Turonensis hic meminit, olim Episcopus fuerat Bituricensis, vt constat ex eodem Gregorio libro secundo [c] de gloriâ Martyrum, vbi idem miraculum prolixiùs enarratur.

[a] Lib. 3. c. 13.
[b] Lib. 3. c. 16.
[c] Cap. 14.

XV. PORTIANVS ABBAS.

Florebat in Aruernià Portianus * Abbas, qui Theodorici Regis iram, quâ sæuiebat in Aruernos, compescuit insigni miraculo, vt in eius vitâ Gregorius Turonensis [d] fusè scribit. *Theodoricus ingressus Aruernum terminum omnia exterminabat, cuncta deuastans, cúmque in Arthonensis vici pratis castra metasset, antedictus senex ad occursum eius properat quasi pro populo rogaturus, ingressúsque castra mane Rege adhuc in tentorio dormiente Sigualdi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggressus est, & dum de hac captiuitate conqueritur, Sigualdus vt ablutis aquâ manibus merum dignaretur accipere deprecatur, allatúmque vasculum quo potio tenebatur rogat vt sanctus impositâ priùs manu sanctificaret, qui eleuatâ dexterâ cùm signum Crucis imposuisset, vasculum scinditur medium, ac vinum quod intrà tenebatur cum immenso serpente terræ diffunditur. Quod cernentes qui aderant metu exterriti ad pedes beati viri decidunt, lambunt vestigia, osculantur & plantas, mirantur omnes virtutem senis, mirantur & se ab iniqui anguis viru diuinitus fuisse saluatos. Ad istud miraculum concurrit omnis exercitus, & Rex exilit de stratu suo accurrítque ad beati Confessoris aduentum, illóque tacente cunctos quos repetebat captiuos absoluit, & reliquos deinceps vt voluit; sic recepit duplex ibi beneficium Domino cooperante & illos à morte eruit, & hos à iugo captiuitatis exemit.* Nec silentio prætermittendum videtur, quòd cùm Diabolus visibilibus illum præliis esset aggressus, id dissitus loco cognouit sanctus Protasius apud Candidobrense monasterium reclusus, qui statim per monachum hortatus est, vt intrepidus fortísque in pugnâ persisteret, de quâ victor excessurus esset oratione assiduâ & triumphali Crucis signo, præmiúmque secum reuecturus quod seruis strenuè certantibus Dominus præparauit.

* Porçain.
[d] De vit Patr. cap. 5.
PROTASIVS RECLVSVS.

XVI. ÆMILIAN. EREMITA.

Florebat & in Aruernià *intra secreta syluarum Ponticiacensium* Æmilianus eremita, natus annos circiter octoginta, hic Brachioni venatori studium clericatus sub idem tempus inspirauit. *Erat*, inquit Gregorius Turonensis in vitis [e] patrum, *apud Aruernam vrbem Sigualdus magnâ potentiâ præditus, in cuius seruitio erat adolescens quidam nomine Brachio, quod in eorum linguâ interpretatur vrsi catulus. Hunc antedictus vir ad capessendam pecorum syluestrium venationem*

[e] Cap. 12.

nationem delegerat, ibátque cum ingente molossorum turbâ circumiens syluas, & si quid cæpisset, domino deferebat. Quadam verò die dum suem immensi corporis canum allatrantium turba prosequeretur, sus intra septa quæ circa cellulam erant sancti ingreditur, prosequens verò canum turba cum latratu vsque ad aditum accessit vestibuli, móxque in suis hæsit vestigiis, nec ingredi est permissa post suem, quod cernens Brachio & cælitus hæc euenisse admirans ad cellulam sancti se confert, vidítque suem ante ostium stantem nihil penitus formidantem, consalutatus autem ac osculatus à sene inuitatur ad residendum, Æmiliano autem super humanarum rerum vanitate longum colloquium quod omittimus habente, *sus illæsus syluas petiit, puerque discessit ab eo, non sine grandi admiratione quòd aprum, quem inchoauerat sequi ferum, in conspectu senis mansuetum adstare videbat vt agnum. Plurima igitur animo tractans ac multa secum reuoluens quid ageret quidve faceret, vtrùm sæculum relinqueret, an sæculo deseruiret, tandem compunctus à diuinâ pietate & sancti Æmiliani oratione, aditum quærere cæpit occultè qualiter clericus esse posset, quia publicè propter terrenum dominum non audebat.* Quid consilij post Sigiualdi mortem ceperit, suo loco dicemus, interim literis ediscendis operam egregiè nauauit.

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

XVII. MARTIVS ABBAS.

Ad hæc quoque tempora superstes fuit beatus Martius, Aruernæ ciuitatis Abbas, obiit enim *ætate iam nonagenarius*, & morti proximus Florentium, Gregorij Turonensis pòst Episcopi patrem, tunc puerum *quasi annorum vndecim*, tertianarum febrium morbo laborantem sanitati reddidit teste ipsomet [a] Gregorio in eius vitâ. Colitur Idibus Aprilis in martyrologio Gallicano. Quieuit in Ecclesiâ sui nominis, quam Sauaro sitam ait inter Rubiacense monasterium & Ecclesiam sancti Victoris in radicibus Waiferi castri, & anonymus in libello de Ecclesiis & altaribus in Claromonte consistentibus ita laudat [b]. *In Ecclesiâ sancti Martij, altare sanctæ Felicitatis, ibi requiescit sanctus Martius.* Est hodie * Prioratus, & pertinet ad iura domus Illidianæ, iam questus est Sauaro frequentem octauo Kalendas Maias illuc fieri concursum à populo, qui Martium Abbatem à Marco Euangelistâ non distinguit.

[a] De vit. Patr. cap. 14.

[b] lib. 1. n. 16.

* *Le Prieuré de S. Mart.*

XVIII. LEOPARDINVS ANACHORETA MARTYR.

Non adeo liquet vtrùm hæc attigerit tempora Leopardinus prædicti Portiani Abbatis frater, qui priusquàm Aquitania potestati Francorum cederet, ex licentiâ Simplicij Bituricensis Episcopi monasticam vel potiùs anachoreticam vitam in finibus Diœceseos Bituricæ nec procul à fratris cœnobio ducere cœperat. Martyrium passus est hac occasione, quam acta tomo secundo Bibliothecæ Labbeanæ publicata fusiùs describunt. Ab Ardeo clarissimo viro fundum obtinuerat cui nomen Viuaris vbi Oratorium erat beati Symphoriani; campum in Albiniacensi * parochiâ positum, qui iampridem in proprios vsus eiusdem Oratorij deuenerat, excolebat maximo cultu, nec passus est illum vsurpari à Blitilde Ardei coniuge, quam sæpè monuit, vt à prauo consilio desisteret, & Sanctum Symphorianum ad iniuriarum suarum vltionem non prouocaret. Hæc irarum & odiorum origo. Blitildis Placidum monachum ipsius Leopardini nutritium variis artibus decepit, impulítque vt occultas insidias seruo Dei moliretur. Leopardinus quadam die cùm Missarum solennia celebrasset, itineri se dedit vt Coloberonense monasterium inuiseret, in reditu prope lacum Salgorum incidit in quatuor sicarios, à quibus de equo præceps in terram actus lorísque grauiter cæsus, ac demum impactâ in caput securi non mediocriter vulneratus est, sed diuinâ illicò sanatus ope cœptam viam prosequi cœpit. Illi cùm Sacerdotem Dei rursum aggredi vellent, subito metu percussi fugam inierunt. Placidus qui collocandis insidiis locum opportunum & tempus indicarat, & Blitildis quæ nefarios impietatis suæ ministros ocyùs direxerat, ægro prorsus animo tulerunt rem ex voto sibi non cessisse. Hæc seruos qui cæde infectâ redierant, flagellis torqueri præcepit, donec in tormentis pollicerentur aliâ vice iussa se generosiùs executuros. Paulò pòst Leopardinus per nuncium rogatus

* *Aubigny.*

AN. CH. 525. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 14. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 1.

à viduâ paralytica, vt sanitatis ei conferendæ gratiâ Niuernense territorium aditet, peracto Missæ sacrificio se citissimè profecturum dixit, stetit promissis, curatâque muliere, cùm iam reuerteretur, prope Elauerem * siue Alerem amnem reperit insidiatores, qui facto impetu diuersâ eum membrorum laceratione vexarunt, nullâque tormentorum asperitate contenti, capite tandem truncarunt Nonis Octobris, quo die in antiquo martyrologio Abbatiæ sancti Laurentii Bituricensis hæc leguntur. *In territorio Bituricensi, monasterio Viuariensi, natalis sancti Leopardini sacerdotis & martyris.* Sacras reliquias quæ primùm in densissimo nemore & in profundâ fossâ sepultæ iacuerunt, deinde iussu Blitildis in lacum Hiauram ac postremò in Alarem fluuium proiectæ sunt, diuina vbique reuelatio detexit. Ipsa verò Blitildis sceleri suo diu superstes haud extitit, turpissimóque genere mortis instar Arij extincta est.

* *Alier.*

XIX.

AVITVS MICIANO DISCEDIT.

Illis temporibus Auitus Abbas, vt author vitæ scribit [a], relicto iterum Miciacensi cœnobio in eremum Pictiacæ syluæ secessit, vbi homini muto vsum linguæ reddidit, varios morbos curauit, monasterium construxit, signo Crucis visum restituit cæco nato, monachum vitâ fun ctum excitauit, qui multis pòst annis superuixit. *Fuit hoc miraculum à sancto Leobino Carnotensi Episcopo diuulgatum, qui se ab ipso ad vitam reuocato fratre id didicisse testabatur.*

[a] Ap. Sur. d. 17. Iun.

XX.

CVM CARILEPHO ET ALIIS.

Obseruat ex veteri manuscripto Codice Coruaisierus Auitum, priusquàm in agrum * Dunensem Diœceseos Carnotinæ se conferret, apud vicum * Brigiæ in Episcopatu Cenomanenti cum sociis aliquot, inter quos Carilephus eminebat, modico temporis interuallo mansisse, constructo in honorem sancti Petri Oratorio, quod nunc etiam pendet ab Abbatiâ sancti Auiti, quæ hodie monialium est in pago Dunensi. Sedebat tunc Cenomanorum Episcopus Victor Innocentij decessor, cuius nomen aut ignorarunt, aut suo loco non reposuerunt qui Cenomanensium Antistitum catalogos hactenus texuere. Carnotensem verò Diœcesim regebat Auentinus decessor Ætherij cui Leobinus anno Christi quingentesimo quadragesimo-quarto successit, atque ex eo calculo liquet Coruaisierum errasse, cùm beatum Auitum, cuius mors ante annum Christi quingentesimum tricesimum-primum contigit, à sancto Leobino tunc Episcopo in Diœcesim Carnotinam ex Cenomanicâ vocatum affirmauit. In vitâ sancti Carilephi [b] Surius Auito è Miciacensi cœnobio abeunti præter Carilephum socios tribuit Daumerum & Gallum *, è quibus Daumerum Carilephi fratrem, Gallum Carilephi commilitonem appellat.

* *Le Dunois.*

* *Vibraye.*

[b] D. 1. Iul.

* *Gault.*

ANNVS CHRISTI 526.

THEODORICI R. 15.
CHILDEBERTI R. 15.
CLOTARII R. 15.
THEODOBALDI R. 2.
GVNTHARII R. 2.
CLODOALDI R. 2.
INDICTIO 4.

AN. CH. 526.
THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 15.
THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 2.

ANNO Christi quingentesimo vicesimo-sexto, Indictione quartâ, Olybrius absque Collegâ Consul in Fastis legitur [a]. *Hoc Consule*, inquit Marius, *defunctus est Theudoricus Rex Gothorum in vrbe Rauennâ, & leuatus est Rex Atalaricus nepos eius* ex Amalasunthâ scilicet filiâ, quam ex Audefledâ Clodouei Francorum Regis sorore susceperat. Theodorici mortem mense Septembri refert vetus Chronicon ab Onuphrio editum à cæde Valentiniani Tertij Augusti vsque ad hunc annum, eo sæpius vsi sumus, cùm nemo per illa tempora tam accuratè non dicam annorum, sed ipsorum dierum rationem in suis scriptis obseruarit. I. [a] Marius, Marcell. THEODORIC. R. GOTHOR. MORITVR.

Mortuo Theodorico Ostrogothorum Rege, qui Amalarici Wisigothorum Regis, sui ex Teudetusâ filiâ nepotis, ditiones in Hispaniâ & in Galliâ per Præfectos hactenus administrarat, mox inter consobrinos Athalaricum & Amalaricum pars illa Galliarum, quæ vtrique Gothorum genti parebat, ita diuisa fuit, vt inter Alpes & Rhodanum Ostrogothi, vltra fluuium regnarent Wisigothi, conuentúmque vt vectigal Wisigothis imperatum haudquaquam de cetero penderetur Ostrogothis, & res omnes, quæ per Theodoricum auum ex vrbe Carcassonensi direptæ fuerant, Amalarico restituerentur. Consulendus de his Procopius libro primo [b] de bello Gothico. II. RHODANVS LIMES INTER OSTROGOTHOS ET VVISIGOTHOS. [b] Cap. 13.

Andreas Brunnerus [c], quia dissidet ab Auentino, & Boios in prælio Tulbiacensi contra Clodoueum Francorum Regem pugnasse vel in eius potestatem vnquam venisse constanter negat, ait eos *victricium Franciæ armorum admiratione, vel eorumdem, cùm iam proximus arderet paries, prudenti metu, post Theodorici Gothi mortem, rebus suis voluntariâ deditione consultum iuisse, cúmque in Theodorici successoribus nihil spei esset, maluisse orientem fortunæ Francicæ Solem, quàm Gothicum iam in occasum vergentem adorare, cùm præsertim haudquaquam conquieturi Franci viderentur, quamdiu supercesset quod vincerent, facilè inuentâ causâ, quæ bellum amantibus semper obuia.* Ex prologo legum à Dagoberto Rege publicatarum constat leges Boiis conditas à Theodorico Francorum Rege, Clodouei Magni filio, qui Theodorico Gothorum Regi superstes aliquot annis vixit, id fatetur Brunnerus. *Tum demum*, inquit, *Theodoricus Francus cùm Catalaunis * esset, viros ætate graues, multo rerum vsu inríque peritiâ inclytos conuocauit, qui Francis, Boiis Alemanniique leges, receptis singularum gentium moribus attemperatas conderent, illúdque cauit inprimis, vt æterna diuináque lex, & Christiana disciplina, publici priuatique iuris fons &* III. [c] L. 4. LEGES BOIIS CONDITÆ A THEODORICO FRANC. REG. * Chalons sur Marne.

AN. CH. 526. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 15. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 2.

vnica norma esset, ad quam minima maxima exigerentur, quidquid ab eâ latum vnguem discederet, nefas haberetur, eâ regulâ auitarum consuetudinum barbaries fœdíque ritus ad humanitatem modestiámque reducerentur. Viri illi collato studio, quantùm humanis ingeniis prouideri poterat, munere suo gnauè functi, tabulas confecerunt, summísque & infimis æquatum ius in iis descripserunt, eas Theodoricus Rex probatas, Boiis, quod bonum felix fausti úmque ipsis eorumque liberis esset, vtendas seruandásque publicauit, visúsque est eâ re facem Iustiniano Imperatori prælucere, qui paucis annis pòst, ius Romanum informe antehac disiectúmque & suâ mole laborans collegit.

IV. DVO FILII CLODOMERIS NECANTVR A PATRVIS.

Circa illa tempora Parisiis Theodobaldum & Gunthárium, Clodomeris quondam Regis filios à Childeberto & Chlotario patruis suis occisos ætas eorum docet, *vnus* enim *decem annorum erat, alius verò septennis*, Clotildis *Regina compositis corpusculis feretro, cum magno psallentio, immensóque luctu, vsque ad Basilicam sancti Petri prosecuta vtrúmque pariter tumulauit. Tertium verò Chlodoaldum * comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est.* Luctuosam hanc historiam fusè describit Gregorius Turonensis [a], apud quem Childebertus & Clotarius post Theodobaldi & Guntharij mortem leguntur regnum, quod Clodomeris fratris fuerat, *inter se æquâ lance* diuisisse. Aurelia Childeberto, Turones Clotario cessérunt, vt inferiùs patebit, Theodoricum autem fratrem natu maximum, qui Metis regiam sedem constituerat, in partem eiusdem regni venisse vel ex eo constat, quòd vt in vitâ sancti Mauri scribitur, Theodoberto Theodorici filio, deinde Theodobaldo eiusdem Theodorici ex filio Theodoberto nepoti paruit Andegauensis prouincia, quam Clodomeres paterni regni diuisione factâ quondam obtinuerat. Chlodoaldus autem, vt Gregorius subdit, *postpositum * regnum terrenum ad Dominum transiit, & sibi manu propriâ capillos incidens, Clericus factus est, boníque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migrauit.* Sed quæ Sacerdotium præcesserunt, accipe fusiùs in Breuiario Parisiensi descripta septimo Idus Septembres, quo die festum eius celebratur. *Exhæres factus in terris hæreditatem quæ de cœlo est toto animo concupiuit, neque tam abiectus à mundo quàm mundum ipse despiciens, sibi propriâ manu capillos in signum contempti regni incidit, & Clericus factus diuinæ seruituti se subdidit. Ideóque sacrorum librorum lectioni, humi substrato cilicio incumbens, sub Christi disciplinâ tenerum corpus exercuit, & quod reliquum erat substantiæ, Ecclesiis & pauperibus dispertiuit. Quo tempore Sanctum Seuerinum monachum adiit, vt ab eo sanctæ religionis habitum perciperet, qui intra Lutetiam in cellâ reclusus, contemplationi diuinæ pro viribus totus addictus esse plurimorum voce ferebatur.* Seuerini nomen legitur in tabulis Ecclesiasticis die vicesimo septimo Nouembris, colitur tamen à Parisiensibus die vicesimo-quarto illius mensis, vt patet ex Breuiario Parisiensi vbi illo die hæc leguntur. *Seuerinus apud Lutetiam Parisiorum monasticam vitam amplexus, vt multò faciliùs & liberiùs diuinis vacaret obsequiis, & rerum cœlestium contemplationi, cellâ ita se concluſit, vt omnem hominum conuictum & conspectum, quantùm fieri poterat, vitaret, à quo beatus Clodoaldus, Clodouei primi ex Clodomiro nepos, & religionis habitum & sanctissimè in illo proposito viuendi rationem regulámque accepit. Tandem sanctitatis famâ & vitæ planè Angelicæ commendatione celebris ex hac vitâ decessit, cuius corpus in Ecclesia Parisiensi quieſcit. Vixit autem sub Clodouei Magni filiis Regibus.* Eo loco vbi primùm conditus fuerat, erecta est Parisiis in eius honorem insignis Basilica quæ parœciali titulo & Archipresbyterali honore iamdudum præeminet. Ceterùm mortuo sancto Seuerino Clodoaldus in Prouinciam secessit, deinde Lutetiam reuersus in ordinem Presbyterorum adscriptus est, vt dicturi sumus ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum primum.

CLODOALDVS EVADIT.

* Nominatiuus absolutus.

FIT CLERICVS.

ERVDITVR A S. SEVERINO MONACHO.

[a] Lib. 3. c. 18.

V. EPISCOPI TVRON.

Ommatius Episcopus Turonensis obiit hoc anno, *tribus* enim *annis præfuit* teste Gregorio [b], sepultus est in Basilicâ sancti Martini. In eius locum Leo ex Abbate eiusdem Basilicæ sancti Martini ordinatus est Episcopus.

[b] Lib. 4. c. 17.

AN. CH. 526. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 15. THEOD. GVNTH. CLODOA. RR. 2.

VI.

Radigniſelus & Salſufur nobiles pueri Burgundi, cùm triennium in monaſterio Vlterenſi ad Taruannam exegiſſent, reducti ſunt in patriam à Treuerio monacho. Iter eorum ſic deſcribitur in vitâ ſancti Treuerij [a]. *S. Treuerius ipſos pueros ſciſcitari cœpit, ſi ad patriam reuerti cuperent. At illi cum magno gemitu & lachrymis deſiderij ſui optionem indicantes reuerti ſe velle dixerunt, & de propriis hæreditatibus parentum ſuorum tertiam partem ei qui eos reduceret, cùm omni cordis affectu ſe daturos ſpoponderunt. Cùm autem homo Dei Treuerius Abbati ſuo omnia expoſuiſſet, poſt tres annos cum alimento, victu & veſtitu munerati ab ipſo abſolutè dimiſſi, & comite eis B. Treuerio dato cum anxietate cordis iter capere cœperunt. Cúmque introîſſent in vaſtitatem eremi, atque in opacis ſyluæ, cui nomen erat Memſicus iam triduo aberrarent, territus vir Dei Treuerius ne à beſtiis deuorarentur, flexis genibus orationi incubuit, vt miſericordiam Chriſtus cum ipſis faceret, & Angelam ducem haberent, qui recto itinere viam pacis, gradiendi proſperitatem tribueret. Hac igitur oratione expletâ, ecce beſtiæ, videlicet duo lupi, manſueto aſpectu leniter venientes, flexo capite, auriculis demiſſis, adulantibúſque caudis innuebant iter eorum per ſemitam antecedentes ad viam publicam, eóſque ad errorem ſolitudinis dirigentes quo ipſi recognoſcere potuerunt cœptum opus itineris, gradientes ad patriam in Diœceſim Lugdunenſis vrbis in Briſciâ * ad locum iam dictum* (Vtingam * ſcilicet) *deuenerunt. At illi qui de captiuitate adducti fuerant, de omni ſubſtantiâ parentum ſuorum homini Dei attulerunt. Igitur vir Dei Treuerius piè in corde ſuo conferens, ne terrena donaria eum à deuotione Chriſti ſepararent, eis fertur dixiſſe. Hæreditas patrum veſtrorum vobis ſufficiat, verumtamen beneficium neceſſitati meæ indulgete hoc, vt iuxta habitaculum veſtrum cellulam puſillam & hortulum paruulum habeam. Quod illi ſine morâ gaudentes facere, impleuerunt. Poſthæc autem præfatus Dei cultor oniculas eorum multo tempore paſcens ibidem habitauit, hæc ſecum meditatione peruigili indeſinenter conſiderans. Si ad loca vnde huc acceſſi reuerſus fuero, ne fortè prolixitas interualli defatigatum me redire impediat, atque terrarum quarumlibet periculum incurram pertimeſco; quòd ſi me caſus euadendi diuinâ ſubueniente cuſtodiâ illuc vſque perduxerit, ſuſcipiendi honoris ne immerito grauer pondere vereor, ac per hoc propoſitæ ſeruituti diuinæ religionis inobediens cultor exiſtam.* Reliquam igitur vitam ſub Godomaro Rege Burgundionum traduxit, eámque ſexto pòſt anno clauſit *ſeptimo decimo Kalendas Februarij*, anno Chriſti quingenteſimo triceſimo ſecundo, nam ab illius obitu vſque ad Secundini Lugdunenſis Epiſcopi Pontificatum, ſiue ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſecundum *quatuordecim luſtra*, vt author vitæ teſtatur, id eſt anni ſeptuaginta effluxerunt. Non igitur prætergreſſus eſt annum ætatis quinquageſimum-tertium, licet *longæuus* dicatur in veteribus membranis Prioratus ſui nominis in Principatu Dombenſi, quas Petrus Franciſcus Chiffletius Ioanni Bollando communicauit.

[a] Ap. Bolland d. 16. Ian.

RADIGNISELVS ET SALSVFVR REDEVNT IN PATRIAM CVM TREVERIO.

* *La Breſſe.*

* *Vallains.*

VI.

Hoc anno Leobinus [b] monachus, cùm inter anachoretas Barbarenſes per quinquennium vixiſſet, in pagum Pectenſem ſe contulit ad Auitum cum duobus ſodalibus Eufronio & Ruſtico, ibique manſit comes indiuiduus Auiti, quandiu hic in viuis ſuperſtes fuit.

[b] Vit. S Leob. ap. Labb. to. 1. Biblioth.

LEOBINVS IN PAGO PECTENSI.

AN. CH. 527. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 16.

ANNVS CHRISTI 527. THEODORICI R. 16. CHILDEBERTI R. 16. CLOTARII R. 16. INDICTIO 5.

I. ANNO Christi quingentesimo vicesimo-septimo, Indictione quintâ, Consul apud Marium ponitur Maturius, Marcellino & aliis Marbotius, Mauortius & Mabortius. *Hoc Consule, anno Regiæ vrbis* CXCVII. *Iustinus Imperator Iustinianum ex sorore sua nepotem iamdudum à se Nobilissimum designatum Regni quoque sui successorem creauit Kal. Aprilis, ipse verò quarto ab hoc mense vitâ discessit.* Hæc ideò notamus ex Marcellino, quia necesse nobis posthac erit in multis Cæsarum vti Chronologiâ.

II. EPISCOPI TVRON. Hoc anno migrauit è vita Leo Episcopus Turonensis, sedit tantùm menses sex aut septem, vtrumque legitur apud Gregorium Turonensem[a], *Sepultus est in Basilica sancti Martini. Fuit faber lignarius, faciens turres holochryso tectas, in aliis etiam operibus elegans fuit.* Eo mortuo, *Francilio ex Senatoribus ordinatur Episcopus* mense Iunio, *cuius Pictauus, habens coniugem Claram nomine, sed filios non habens. Fuerúntque ambo diuites valdè in agris, quos maximè sancti Martini Basilicæ contulerunt, reliquerunt quædam & proximis suis.*

[a] Lib. 3. c. 17. l. 10. c. 31.

III. QVINTIANVS EP. ARVERN. MORITVR. Sanctus Quintianus ad Deum migrauit hoc anno, die decimâ-tertiâ Nouembris. Episcopus Rutenensium primò, deinde Aruernorum fuit. A Ruthenis colitur decimo octauo Kalendas Iulij, ab Aruernis Idibus Nouembris, vt illis diebus Ecclesiasticæ tabulæ testantur. *Senuit autem Sacerdos Dei, & in tantùm ætate prouectus est, vt sputum oris in terram proiicere non valeret, sed adhibito labiis linteolo, in illud saliuas oris exponeret. Obiit perfectus in sanctitate, & sepultus est in Basilicâ Sancti Stephani ad læuam altaris, ad cuius nunc tumulum plerumque quartanæ febres melancholia compressa restinguitur.* Hæc Gregorius [b] Turonensis. Agemus suo loco de Translatione reliquiarum in Ecclesiam Sancti Genesij. Vixit Beatus Quintianus in Pontificatu Aruernensi annos circiter duodecim, plures in Rutenico. *Erat Apher natione, & (vt quidam volunt) nepos Fausti Episcopi, qui genitricem suam suscitasse perhibetur; sanctitate præditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo feruidus, castitatis flore præcipuus* multas res præclarè gessit in administratione suarum Ecclesiarum ac præsertim Aruernensis, quas Gregorius Turonensis iam laudatus in literas retulit. *In territorio Aruernensi, cùm Rogationes illas quæ ante Ascensionem Dominicam aguntur deuotissimè celebraret, tertiâ die* pluuiam summè necessariam impetrauit. *In Monasterium Candidobrense veniens, cùm energumenum reperisset atrociùs debacchantem, misit Presbyteros, vt ei manus imponerent, sed cùm eorum exorcizatione larua non fuisset expulsa, cominùs appropinquans immissis in os eius digitis personam reddidit absolutam.*

[b] De vit. patr. c. 4.

IV. SVCCEDIT GALLVS. Sancto Quintiano in Episcopatu Aruernensi successit Gallus Diaconus, de cuius Pontificatu sic disserit Gregorius Turonensis [c]. *Cùm beatus Quintianus ab hoc sæculo, iubente Domino, transisset, Sanctus Gallus apud vrbem Aruernam eo tempore morabatur. Ciues autem Aruerni ad domum Impetrati Presbyteri eiusdem anunculi conuenerunt, conquerentes de obitu Sacerdotis, & quis in eius locum*

[c] De vit. patr. c. 6.

deberet ſubſtitui requirentes. Quod diutiſſimè pertractantes, regreſſus eſt vnuſquiſque ad domum ſuam. Poſt quorum diſceſſum Sanctus Gallus vocat vnum è Clericis, & irruente in ſe Spiritu ſancto, ait. Quid hi muſitant? quid curſitant? quid tractant? Vacuum eſt, inquit, opus eorum. Ego ero Epiſcopus. Mihi Dominus hunc honorem largiri dignabitur. Tu verò cùm me redire de præſentia Regis audieris, accipe equum decessoris mei ſtratum, & egrediens in obuiam exhibe mihi. Quod ſi audire deſpexeris, cauenc te inpoſterùm pœniteat. Cúmque hæc loqueretur, ſuper lectulum decumbebat. Tunc iratus contra eum Clericus, cùm multa exprobraret, eliſum ſuper ſpondam lecti latus eius læſit, turbatúſque diſceſſit. Quo diſcedente, ait Impetratus Presbyter ad Sanctum Gallum. Audi, fili, conſilium meum, noli penitùs retardare, ſed vade ad Regem, & nuntia ei quæ hic contigerint, & ſi ei inſpirat Dominus vt tibi hoc Sacerdotium largiatur, magnas Deo referimus gratias, ſin aliud, vel ei, qui ordinatus fuerit, commendaberis. Ille verò abiens quæ de beato Quintiano contigerant, Regi nuntiauit. Tunc etiam & Aprunculus Treuirorum Epiſcopus tranſiit. Congregatíque Clerici ciuitatis illius ad Theodoricum Regem, Sanctum Gallum petebant Epiſcopum. Quibus ille ait. Abſcedite, & alium requirite, Gallum enim Diœcesum alibi habeo deſtinatum. Tunc eligentes Sanctum Nicetium, Epiſcopum acceperunt. Aruerni verò Clerici conſenſu inſipientium facto multa munera ad Regem ferentes venerunt. Iam tunc germen illud iniquum cœperat fructificare, vt Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis. Tunc y audiunt à Rege, quòd Sanctum Gallum habituri eſſent Epiſcopum. Quo Presbytero ordinato, iuſſit Rex, vt datis de publico expenſis cives inuitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli futuri Epiſcopi. Quod ita factum eſt. Nam referre erat ſolitus, non amplius donaſſe pro Epiſcopatu, quàm vnum trientem coco, qui ſeruiuit ad prandium. Poſt hæc Rex, datis ad ſolatium eius duobus Epiſcopis, Aruernis direxit. Cetera proſequemur anno ſequenti. Sanctus Aprunculus Epiſcopus Treuirenſis ad Deum migrarat decimo Kalendas Maias, quo die celebratur eius memoria, teſte Meriſæo. Vt autem hoc anno tranſitum Sancti Quintiani referremus, ſuaſit Gregorius Turonenſis. Etenim in vita Patrum [a] teſtatur Sanctum Gallum beati Quintiani ſucceſſorem obiiſſe *Epiſcopatus ſui ſeptimo & vigeſimo anno*, & ſuo loco probaturi ſumus mortem Sancti Galli contigiſſe anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo quarto, ſub Theodobaldo Rege, cùm litera Dominicalis eſſet D.

AN. CH. 527. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 16.

[a] Cap. 5.

V.

Vitam ſancti Nicetij, quem eodem anno, quo Sanctus Quintianus tranſiit, Aprunculo in Epiſcopatu Treuirenſi ſucceſſiſſe diximus, ab ipſo ortu vſque ad primordia Pontificatus ita perſtringit Gregorius Turonenſis [b]. *Sanctus Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore Clericus deſignatus eſt. Nam cùm partu fuiſſet effuſus, omne caput eius, vt eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam. Exinde ſtudioſiſſimis enutritus parentibus, literíſque inſtitutus, Abbati cuidam in Monaſterio commendatur, in quo loco ita ſe deuotum Deo exhibuit, vt migrante Abbate ſuccederet. Iam verò aſſumpto Abbatis officio tantùm ſe talémque ad inſtructionem atque diſtrictionem fratrum exhibuit, vt non modò agere, verùm etiam nulli liceret aliquid vel loqui peruersè. Venerabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eò quòd ſæpiùs vitia eius nudaret & crimina, & caſtigatus emendatior redderetur, & ob hanc gratiam decedente Treuericæ vrbis Sacerdote eum ad Epiſcopatum iuſſit accerſiri. Dato autem conſenſu populi ac decreto Regis ad ordinandum à viris ſummo honore præditis adducebatur. Verumtamen cùm propinqui ad vrbem, cadente ſole, fixis tentoriis manſionem pararent, illi confeſtim laxatis equis, per ſegetes pauperum dimiſerunt. Quod cernens beatus Nicetius miſericordiâ motus ait. Expellite quantocyùs equos veſtros à ſegete pauperis, alioquin remouecam vos à communione mea. At illi indignantes dixerunt. Quænam eſt hæc cauſa quam loqueris? adhuc enim Epiſcopalem apicem non es adeptus, & iam excommunicationem minaris? Et ille. Verè, inquit, dico vobis, quia deliberauit Rex, vt me anulſum à Monaſterio, huic oneri conſe-*

[b] De vita patr. cap 17.

PRIMORDIA NICETII TREV. EPISC.

AN. CH. 527. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 16.

crari iuberet. Fiet, inquit, voluntas Dei, nam Regis voluntas in omnibus malis, me obsistente, non adimplebitur. Tunc cursu rabido abiens, eiecit equos è segete, & sic cum admiratione hominum illorum ad vrbem deductus est. Non enim honorabat personam potentis, sed Deum tantùm & in corde & in operibus metuebat. Impositus itaque in cathedrâ, dum lectionum seriem auscultaret, sensit nescio quid graue super cernicem suam, cúmque bis aut ter manum clam ad tentandum iniecisset, nullius rei causam inuenire potuit, quæ hoc pondus inferret, diuertensque caput ad dexteram & læuam, odoratus est odorem suauitatis. Intellexítque hoc onus esse Sacerdotij ipsius dignitatem. Assumpto vero Episcopatu tam terribilem se præbuit omnibus si Dei mandata non seruarent, vt imminere mortem proximam voce præconiâ testaretur.

VI. EPISCOPI LEXOBIEN. Obiit hoc anno Ioannes Episcopus Lexobiensis, cùm sedisset annos nouem, habuitque successorem Guennaelum, vt scribit Albertus de Monte Relaxo.

VII. BITVRIC. Obiit & hoc anno Humatus Bituricensis Episcopus, cùm diœcesim rexisset quadriennio, vt vetus catalogus, Monachus Sansulpitianus, Democharesaliique testantur. Successit Honoratus, qui Concilio Aurelianensi secundo subscripsit.

VIII. Eleutherius Episcopus hoc anno, ætatis suæ septuagesimo primo, Pontificatus sui quadragesimo Synodum conuocauit, & insignem habuit de Trinitate sermonem, quo nefarios errores hæreticorum egregiè confutauit. *Beatus Eleutherius*, inquit Auctor [a] auctioris vitæ, *iam Tornacensem Ecclesiam triginta annis & vno rexerat, Blandiniensem verò nouem. Qui audiens filios Ecclesiæ perturbatos, indoluit. Deinde auctoritate Romani Papæ decreuit, quatenus omnes hæretici ab ipsa ciuitate eiicerentur, vel Christum Dei Patris filium vnanimiter confiterentur. Igitur à Præsule coacti, diem competentem elegerunt, in qua Synodum suam Antistes Christi Eleutherius conuocaret. Aduenit dies, in quo Synodus conuocata erat. Aduenerunt etiam filij Catholici hæreticorum sectam confundentes; adfuerunt nonnulli hæreticorum illis contradicentes. Exurgens autem vir Dei Eleutherius & manu faciens silentium* de Trinitate disseruit. Integrum eius sermonem, quem consulere poteris, excusum habes in Bibliotheca Patrum. Absolutâ concione *beatus Pontifex Eleutherius sedit. Catholici autem viri, qui ad dictam Synodum conuocati erant, vocem cum gaudio leuantes, glorificabant Deum dicentes, Trinitatem in vnitate veneramur & colimus, vnitatem in substantiâ profitemur, & deuotè adoramus. Econtrà confunduntur hæretici, deinde à sancta Synodo recedunt confusi. Synodo autem ad propria reuertente, Sanctus Eleutherius similiter ad aulam suam, quæ in oppidano loco continebatur, cum Catholicis viris, iam septuaginta & vno existens anno regressus est. Intereà per quinque annos Tornacensis Ecclesia, quibus Sacerdos superuixit, inuictissimè à Catholicis viris sublimatur.* En varij characteres Chronologici, qui Synodum ab Eleutherio coactam indicant anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo, natus est enim Eleutherius anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-sexto, Pontificatum iniit anno Christi quadringentesimo octogesimo-septimo, obiitque anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo, cùm vixisset annos septuaginta sex, sedisset quadraginta quinque.

[a] Apud Bol-land d.10.Feb.

SYNODVS TORNAC. CONTRA HÆRETICOS.

AN. CH. 528. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 17.

ANNVS CHRISTI 528. THEODORICI R. 17. CHILDEBERTI R. 17. CLOTARII R. 17. INDICTIO 6.

I. ANno Christi quingentesimo duodetricesimo Iustinianus Augustus [a] secundum Consulatum gessit absque collegâ.

[a] Marius, Marcell. Victor.

II. Hoc anno ex aulâ Theodorici Regis Aruernum rediit Gallus * electus Episcopus. *Clericus ille qui super spondam lecti latus eius illiserat*, vt anno superiori diximus, *Viuentius nomine, ad occursum Pontificis secundùm verbum illius properat non sine magno pudore, & se simúlque equum, quem iusserat, repræsentat. Ingressíque vtríque in balneo, dolorem lateris quem ab impulsu superbiæ eius incurrerat, clementer improperat, magnam ex hoc ei ingerens verecundiam non cum irâ, sed tantùm ioco spiritali delectatus. Igitur exinde cum multo psallentio in ciuitatem suscipitur, & in suâ Ecclesiâ Episcopus ordinatur. Iam verò assumpto Episcopatu, tantâ humilitate tantâque charitate cum omnibus vsus est, vt ab vniuersis diligeretur. Patientiam verò vltra hominum mores habebat, ita vt si dici fas est, Moysi compareretur ad diuersas iniurias sustinendas.* Hæc in eius vitâ leguntur apud Gregorium Turonensem [b], & ibidem singularis illa patientia confirmatur duobus nobilissimis exemplis, altero cùm à Presbytero suo in conuiuio percussus in capite ita se quietum reddidit, vt nec sermonem quidem asperum responderet, altero cùm in conuiuio Ecclesiæ multis calumniis atque conuiciis ab Ennodio ex familiâ Senatoriâ Presbytero lacessitus surrexit vt loca Basilicarum Sanctarum circuiret.

[b] De vit. Patr. cap. 6.

* *Gal.* GALLVS ORDINATVR EP. ARVERN.

III. Procopius [c] bellum Thuringicum, quod à Theodorico & Clotario Francorum Regibus & à Theodoberto Theodorici filio gestum est, post Theodorici Ostrogothorum Regis mortem susceptum tradit. Quæ dicturi sumus annis sequentibus, hoc anno inchoatum non obscurè prodent. Durauit aliquot annis, copiosè describitur à Gregorio [d] Turonensi, ab Authore de [e] gestis Regum Francorum & ab Aimoino [f].

[c] L. 1. de bell. Goth. cap 13.
[d] Lib. 3. capp. 7. 8.
[e] Cap. 22.
[f] Lib. 2. c. 9.

BELLVM THVRING.

IV. Hoc anno Firminus adolescens annorum duodecim relictâ Narbonensi ciuitate, in quâ parentes illius Ferreolus & Deutheria morabantur, Vceciam ad Roricium Episcopum patruum suum perrexit cum Ferreolo Ansberti fratris sui & Blitildis filio puero septenni. *Erat Firminus*, inquit Author vitæ, *annorum circiter duodecim, literis benè eruditus, Ferreolus verò septem annorum.* Roricius Firmini patruus, Ferreoli propatruus, *Firminum*, vt in vitâ sancti Ferreoli legitur, *in officio clericali ordinauit, Ferreolum verò adstudium liberalium artium tradidit.* De Roricio agemus adhuc inferiùs. De Ferreolo & eius vxore Deutheriâ nihil ampliùs recurret.

FIRMINVS ET FERREOLVS VCECIAM PROFICISCVNTVR.

V. Auentinus Carnotensis Episcopus obiit pridie Nonas Februarias, hoc anno, qui tricesimus-primus ab obitu Flauij numeratur. Sepultus fuit in suburbano Castrodunensi. De illius morte ac sepulturâ sic Author vitæ differit. *Tandem septuaginta quinque natus annos, febri exhaustus, animam Deo reddidit* IV. *Februarij, Childeberto regnante, anno Christi* DXLIX. *Videre qui adstabant candidam columbam ab eius ore sursum euolare. Sepultus est, vti mandarat, ipso*

AVENTINVS EP. CARNOT. OBIT.

AN. CH. 528. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 17. [a] D. 4. Febr.

quo decessit loco, extra vrbem, in Oratorio quod sibi ædificarat, vbi nunc parochialis est Ecclesia sancti Medardi, peregrinorum ad opem sancti Auentini implorandam, votáque persoluenda, confluentium frequentiâ celebris, eorum præcipuè qui capitis doloribus remedium postulant, vt Bollandus [a] obseruat in præuio commentario, in quo etiam de Auentini ætate & Pontificatu multùm disputat. Rhythmus Gallicus, ex quo vitam sancti Auentini succinctè concinnauit, quamuis longè post eiusdem Pontificis obitum compositus sit, veteribus monumentis inniti potest, nam si annum Christi expunxeris quia ætate sancti Auentini nondum notari consueuerat, ceteri Characteres præcitati Chronologiæ non repugnabunt. Childebertus Clodouei filius integros annos quadraginta septem regnauit, dubium non est quin sub illo Principe vitam clauserit Auentinus, qui postremo Clodouei Regis anno Concilio Aurelianensi primo subscripserat. Vixit beatus Solennius annos quadraginta sex, ante Pontificatum quatuor & triginta, in Episcopatu duodecim, beato Solennio superstes Auentinus fuit annis vndeuiginti, si sancti Solennij frater extitit Auentinus natu minor, vt quidam suspicati sunt, certè Auentinus annum vitæ sexagesimo-quartum non excessit, sed Solennius Auentinum fratrem non habuit, & alienum à vero neutiquam videtur ad Deum anno ætatis suæ septuagesimo-quinto migrasse sanctum Auentinum, qui Pontificali munere functus est per annos vnum ac triginta. De die quo sanctus Auentinus obiit nulla est controuersia, colitur pridie Nonas Februarias, vnde factum putamus vt Auentinus Abbas, cuius festiuitas eodem die Trecis * celebratur, à nonnullis perperam habitus sit Episcopus.

* *Troyes.*

VI. SVCCEDIT ÆTHERIVS.

Sancto Auentino in Carnotensem Episcopatum successit Ætherius. Huius nomen anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio inter subscriptiones Synodi Aurelianensis secundæ, anno Christi quingentesimo tricesimo-octauo inter subscriptiones Synodi Aurelianensis tertiæ, anno Christi quingentesimo quadragesimo primo inter subscriptiones Synodi Aurelianensis quartæ reperitur, nec opus est alio argumento, vt probè intelligas Auentinum Ætherij decessorem ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-nonum haud peruenisse. Ætherio annos in Pontificatu tribuunt alij decem, alij sexdecim, alij viginti. Nos cum Rolliardo & Chenutio sexdecim assignabimus, quia Leobinus Ætherij successor, cuius obitus in annum Christi quingentesimum quinquagesimum-sextum incidit, sedit annos duodecim vt Democharес & Rolliardus attestantur.

VII. CARILEPHVS AB AVITO DISCEDIT.

Hisce temporibus in agro Dunensi, qui Diœceseos est Carnotinæ, degebant Auitus & Carilephus, *in loco qui Pitiacus antè dicebatur, nunc autem cella sancti Auiti vocatur. Porrò sanctus Carilephus, quemadmodum olim Moyses, post oblatas Domino preces, aquam viuam illic inuenit, vt daretur intelligi, flumina de ventre eius, id est, sancti Spiritus doctrinam iuxta veritatis vocem proditurum, & corda audientium irrigaturam. Super eum autem fontem sanctus vir ad laudem Dei summi Oratorium extruxit, & vsque in præsens fons sancti Carilephi vocatur. In quo loco dum morarentur, & in Dei famulatu strenuè exercerentur, meritorum eorum fama vsque adeò longè latéque diffundi cæpit, vt ab omnibus inuiserentur. Id vbi animaduertit Sacerdos Domini Carilephus, instar Iohannis Baptistæ solitariam vitam appetens, valedixit sancto Auito, & cum germano suo Daumero, Gallóque commilitone, ad partes Cenomanorum perrexit, singuláque solitaria loca perlustrans, vbi secretiùs degere posset, explorabat.* Hæc Anonymus [b] in vitâ sancti Carilephi, cuius discessum ex agro Dunensi, rectè consignabis Ætherij Carnotensis Episcopi Pontificatu ineunte, cùm Victor Innocentij decessor Episcopatum Cenomanensem adhuc administrabat. Interim ex variis Monasteriis ac præsertim è Cœnobio Miciacensi complures ad Auitum perrexerunt Monachi, quorum nonnulli post Victoris Antistitis obitum anachoreticam vitam in Cenomaniâ sub Innocentio duxerunt, vt post quadriennium ex beati Almiri * vitâ probabimus.

[b] Ap. Su. d. 1. Iul.

* *Almer.*

ANNVS CHRISTI 529. THEODORICI R. 18. CHILDEBERTI R. 18. CLOTARII R. 18. INDICTIO 7.

AN. CH. 529. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 18.

ANNO Christi quingentesimo vicesimo-nono, Indictione septimâ, Decius Iunior Consulatum iniit [a]. In Andegauensium Episcoporum catalogo post Eustochium, qui Concilio Aurelianensi primo suscripsit, recensentur Adulphus, Albinus, Eutropius. Adulphi mors contigit hoc anno, nam qui successit Albinus obiit Kalendis Martiis anno Christi quingentesimo quinquagesimo, cùm sedisset annos viginti, menses sex, vt ad illum annum probabimus. Fortunatus Albini vitam scripsit, obseruauitque illum ordinatum Episcopum, cùm priùs in Abbatis officio per viginti & quinque annos congregationem sibi commissam feliciter gubernasset.

I. EPISCOPI ANDEG.

[a] Marius, Marcell. Victor.

Hoc anno, die octauâ Iunij migrauit ad Deum Sanctus Gildardus Episcopus Rotomagensis, cùm sedisset annos XXXV. Lege quæ de Rotomagensium Episcoporum Chronologiâ diximus ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum quartum in obitu Crescentij. Certè Gildardum ad hæc tempora peruenisse vel ex eo probari potest quòd Lautonem qui Concilio Aurelianensi secundo post quadriennium subscripsit, Episcopum Constantiensem Orderico teste [b] consecrauit, inter Leontianum autem & Lautonem, quorum ille primo Aurelianensi Concilio, hic secundo interfuit, in Cathedra Constantinâ sedit Possessor, cuius mentio fit in vitâ [c] S. Marculfi. Ceterùm Sancto Gildardo in Episcopatu Rotomagensi successit Flauius insignis sanctitate.

II. GILDAR. EP. ROTOMAG MORITVR.

[b] Lib. 5.

[c] Apud Sur. d. 1. Mart.

Clotarius bello Thuringico nondum confecto Suessionem rediens Radegundem Bertharij quondam Regis, quem Hermenfredus frater interemerat, filiam adhuc paruulam secum captiuam abduxit, eámque in agro Viromandensi apud * Atheias villam educari iussit, vbi facta est literata ex barbara, desiderióque martyrij succensa est, & graues persecutiones à domesticis passa singularem patientiam exercuit, vt Fortunatus in eius vita scribit. Tunc Clotarius vi Somenâ * superato, vastam calamitatem Ecclesiæ Viromandensi intulit, & prædam sacrilegâ deprædatione collectam secum trahens, inter Nouiomum * & Isaram * miraculo subsistere coactus est, Cleróque Ecclesiasticam substantiam restituere, cùm ad Medardi Presbyteri preces dexteram vindicantem Deus abiecto flagello continuisset, vt in ipsius Medardi [d] vita legitur.

III. RADEGVNDIS CAPTIVA.

* *Athiées.*

* *La Somme.*

* *Noyon.*

* *L'Oyse.*

[d] Apud Sur. d 8. Iun.

Albertus de monte Relaxo in catalogo Leonensium Antistitum affirmat Paulum hoc anno, cùm Parisiis esset, ordinatum fuisse Pontificem iussu Childeberti Regis. Hæc origo fuit Episcopatus Leonensis in Armorica. Paulus in Britannia natus, Gildæ & Samsonis sub Hilduto præceptore condiscipulus fuit, vt in vita S. Gildæ legitur. Quomodo venerit in Galliam, & Episcopatum in Armorica gesserit, narrat Auctor vitæ in Bibliotheca Floriacensi. Withurus Comes cùm Batham * insulam in qua degebat mortifero serpente precibus Pauli liberatam videret, ipsam insulam & oppidum quod in ea erat haud procul ab Armoricæ continenti, censúmque sibi illic debitum, beato viro delega-

IV. PAVLVS FIT PRIMVS EPISCOPVS LEONENSIS.

* *Baaz.*

AN. CH. 529. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 18.

uit, deinde Paulum, vt Episcopus agente Rege ordinaretur, specie legationis obeundæ Parisios ad Childebertum misit. Rex Withuri votis annuit, Paulum curauit in Episcopum consecrari, *cui benedicto statim Agnensem* * *Leonensémque pagos cum sibi debito redditu, Regiæ auctoritatis præcepto tradidit. Singulis verò diebus eum honorificè mandauit suscipere per Regias sedes, quousque suam Diœcesim intraret. Sícque acceptâ reuertendi licentiâ, Regi gratias agens valedixit. Ingrediens Diœcesim sui Episcopatus, cum multa exultatione totius populi susceptus, & in sua sede locatus est. Destructa sunt templa idolorum, quia per totam Britanniam, Paulo Doctore, effulsit claritas operum bonorum. Nam quique insignes certabant creatori Deo deuotis animis Ecclesias fabricare, Monasteria construere, in quibus se suósque diuinæ manciparent militiæ. Confundebatur si quis paganus inueniebatur, Pauli sanctissimi signis admirabilibus ac stupendis virtutibus. Molliebat perfidorum corda prædicatio sancta, cui consonabat prædicantis vita, demulcet enim hominis mentem, videre quod audit in prædicante.*

* *Territoires d'Ackh & de Leon.*

V. IAOVAS PAVLI DISCIPVLVS.

A Paulo separari non debet Iaouas * siue Iehonius patriâ Hybernus, quem Boscius eiusdem Pauli discipulum, Albertus nepotem ex sorore constituunt. Hic statim ac Paulum ex Britannia in Armoricam transfretasse resciuit, illuc quoque statuit proficisci, nauigio delatus est ad littus Corioso-pitum, vbi Iudulum reperit Abbatem Ecclesiæ * Teuenecensis, à quo Monachalem habitum insigni pietate suscepit. Vixit aliquandiù in eo Monasterio, deinde Paulum adiit, cuius ministerio per Ecclesiasticos gradus ad Presbyteratum euectus rediit ad Iudulum Abbatem, ac vicinas gentes, quarum pleræque idolis adhuc seruiebant, salutaribus Christianæ fidei documentis erudiuit. Lege illius vitam in Armorica Sancta sexto Nonas Martij.

* *Iaona ou Ionin.*

* *Landt-Teuennec.*

VI.

A Paulo & Iaoua Pauli discipulo non diuellemus Samsonem & Maglorium eiusdem Pauli sub Hilduto magistro in Britannia condiscipulos, quos circa hæc tempora, cùm Iudualus Comes in aula Childeberti Regis adhuc morabatur, in Armoricam reuersos colligimus ex eorum vitis in eadem Armorica Sancta.

VII. CONDISCIPVLI SAMSON ET MAGLORIVS.

Samson propinquos & affines in vtraque Britannia cismarina & transmarina nactus est, atque inde orta controuersia, vtram patriam habuerit, stamus pro Armorica cum Alberto de Monte Relaxo. Samsoni parentes fuerunt Amon & Anna: Amoni frater Vmbrafel, soror Derwela; Annæ soror Afrela. Vmbrafel ex Afrela Maglorium in Armorica suscepit, Derwela Wento Machutem in Britannia peperit. Super hisce affinitatibus lege vitas sanctorum Samsonis & Machutis apud Boscium, & sancti Maglorij apud Surium. Tres illi consobrini literas humanas ac diuinas in Britannia didicerunt, Samson & Maglorius *ab Heltuto siue Hilduto, Machutes * à Brendano. Non possumus assentiri Alberto, qui Maglorium ait natum anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, eóque calculo illum Samsone iuniorem constituit annis quadraginta, Machute triginta tribus. Neque etiam fidem habemus membranis Floriacensibus, quæ in lucem editos volunt, Samsonem, cùm mater Anna prouectioris esset ætatis, Machutem cùm Derwela mater annum vitæ sexagesimum sextum attigisset, innuúntque tres filios, in quorum numero Maglorius proculdubio censeri debet, Vmbrafeli natos ex Afrela, priusquàm Anna soror Afrelæ natu minor Samsonem ex Amone concepisset. Ætas Gildæ, quam ex ipsius scriptis probauimus, facilè nos trahit in sententiam Alberti, qui Samsonis ortum anno Christi quadringentesimo nonagesimo quinto, natalitia Machutis anno Christi quingentesimo secundo consignat, Maglorium autem, quem ille longè iuniorem facit, aliquot duntaxat annis minorem putamus Samsone, cui comes indiuiduus à pueritia in Britannia & in Galliis adhæsit.

* *Magloire.*

* *Malo.*

VIII. SAMSON CONDIT VARIA CŒNOBIA.

Samson in Britanniâ vitam Monasticam professus est, ibique Monasterij curam aliquandiu cum Abbatis titulo gessit. Baldricus Dolensis Episcopus negat illum in Britanniâ Episcopum fuisse. Quo anno in Armoricam redierit,

incertum; Presbyteratus honore præfulgebat teste Baldrico. Felici nauigio ad Gubioli amnis ostium appellenti occurrit Priuatus tristi vultu, & interrogatus quid illic ageret quâve de causâ tristaretur, respondit virum ex partibus transmarinis, qui dolorem leuaret, à se misero expectari, cui coniux erat leprosa, filia dæmoniaca. Samson consolatoriis verbis primùm vsus, deinde domum illius ingressus vxorem curauit à lepra, filiam à dæmone liberauit, in memoriam tanti beneficij donatus est prædio vbi Monasterium conderet, atque *à prædicto Priuati dolore*, inquit Baldricus, *locum illum dolorem (quod lingua modernior Dolum * dicit) appellauit.* Crescente Monachorum numero alterum Cœnobium erexit, quod Dolensi subiacere voluit, ac Penetale * nuncupauit, quia solebat illuc agendæ pœnitentiæ causâ secedere. Childebertus Rex Dolensi Monasterio multas insulas tradidit; Rimam, Lesiam, Angiam, Sargiam & Besargiam recenset Baldricus. Agente eodem Childeberto Rege Samson ordinatus est Episcopus in Armoricâ, vt ex vitâ sancti Maglorij colligitur, atque hæc Dolensis * Episcopatus origo fuit, quæ annum Christi quingentesimum quadragesimum-primum anteceſſit, vt ad illum annum probabimus ex scriptis Boscij & Alberti simul collatis. Samson postquàm in Episcopum assumptus fuit, Monasterium construxit haud procul Dolo in loco cui nomen tunc erat *Kerfeunteum*, eò Monachos ablegauit, vt tranquilliorem vitam agerent, & Maglorio Abbati parere iussit. Vera credimus quæ leguntur Samsonis miracula de cæco illuminato & fugato serpente, sed in eodem numero poni non debent prolixæ narrationes, quæ de Iuduali secessu in aulam Childeberti Regis, de Reginæ Francorum impudicâ libidine & horrendo interitu, necnon de bello Armoricano inter Iudualum & Commorum acri ac diuturno circumferuntur ex membranis Floriacensibus & ex Alberto. Vetus author qui sancti Leonorij Episcopi vitam in Britanniâ maiori scripsit, de aduentu eiusdem Pontificis in Armoricam atque inde ad palatium Childeberti Regis ita differit. *Diuinâ dispositione factus Episcopus cum* LXXII. *discipulis, exceptis aliis seruicio fratrum deputatis nauim ascendit, & in Galliam transiuit, vbi cum fratribus suis siluam complanauit. Illo autem tempore Childebertus Rex Franciæ imperabat Britanniæque transmarinæ* (nobis in Galliâ scribentibus est cismarina.) *Auditâ itaque sanctitatis eius famâ orauit eum ad se venire. Qui Regis parens voluntati, assumptis fratribus aliquantis cœpit ire. Childebertus autem Rex, coniuxque eius nomine Vltrogodis & Optimates regni obuiauerunt festinè sancto Antistiti, & petitâ eius Episcopali benedictione, gaudentes eum deducunt ad regiam.* Posteà de Rigualdo, Commoro & Iudualo Ducibus seu Comitibus Britannorum hanc narrationem instituit. *Extitit quidam Dux Brittanus Rigualdus nomine, vxorem habens & filium. Qui præuentus morte reliquit vtrúmque. Nefandissimus autem vir vocabulo Commorus inuasit Ducatum & vxorem illius violenter duxit, priuato dignitate & honore filio Rigualdi nominato Iudualo. Interim mater pueri videt in somnis, quia filius eius in vertice sederet montis porrecti. Ad quem proceres Brittonum venientes, virgas quas ferre manibus videbantur, procliui vultu Iudualo offerebant. Ille autem eis susceptis ocissimè surgens, antecedebat omnes, qui prosequebantur posteriori ordine dignanter ouantes. Mater euigilans, ignara quid portenderet somnium, sigillatim aperit viro suo Commoro. Continuò felle commotus, indignans grauiter ait. Numquid tuus filius in istâ regnabit super me patriâ? Pro certo scito, repertus summo mane plectetur capite, amodóque carebit Ducatu ostenso tibi. Illa hoc audito, nimiùm dolore filij perterrita, occasione repertâ surgit è stratu, vocatâque puellâ prinigno Commori, filio videlicet suo, imperat ocissimè tutelam fugiendo arripiat. Ille audito matris iussu quantocyùs surgit, & cum omni velocitate fugam iniit, ignorans cuius conamine posset tueri, cùm repentè, Deo inspirante, memor famæ beati Leonorij, quæ longè latéque respersa, præcipuè in parte quæ sub axe ponitur Occidentis, peruolasset, sub eius tutelâ, Christo Duce, peruenit.* Et post pauca, *Nocte autem instante, paratâ iam naui, Iudualum cum sociis suis in eam imposuit. In crastino adest festinus Com-*

AN. CH. 529. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 18.

* *Dol.*

* *Penetr.*

* *L'Eueſché de Dol.*

LEONORIVS IN ARMORICA.

LIBERAT COMMORVM.

AN. CH. 529. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 18.

morus, grandi pompâ militum circumuallatus, requirit ostendi sibi inimicum. Cui sanctus Leonorius ait. Respice illam nauim, & vide qui in medio stat iuuenem, hic est quem tu quæris. Commorus illum videns furiâ inuectus, palmam in faciem sancto Pontifici dedit, & habenas equi spumantis reflexit. Statim diuinitas vltrix affuit. Calcaribus itaque tundens caballi latera, dum agit celerem cursum, subitò elabitur cornipes, elisóque collo enecatus iacet. Commori denique coxa confringitur in partibus tribus. Sic Commorus ad domum euehitur propriam, diutinóque & insanabili vexatus dolore, diutiùs excruciatus expirauit. Auditâ itaque morte Iudualus ad proprias Britanniæ reuertitur sedes. Orationibus denique sancti Leonorij adiutus, honorem paternum sine effusione sanguinis recipere meruit integrum. Ex illo textu liquet Vltrogodem nupsisse Childeberto, priusquàm Iudualus ad necem à Commoro quæsitus è paternâ domo profugeret, præterea ex Gregorio Turonensi [a] constat Vltrogodem Childeberto superstitem vixisse. Childebertus igitur vxorem non amisit eo tempore quo Iudualus è conspectu Commori se proripuit ne morti traderetur, & falsa sunt quæ de Reginâ Francorum in vitâ sancti Samsonis apud Boscium reperiuntur, nempe quod coniux Childeberti Iudualum in aulâ regiâ commorantem deamarit, & Samsonem, qui Iudualum in Armoricam cum exercitu reduci postulabat, implacabili odio insectata fuerit, ad Regis mensam sedenti venenum curarit per ministrum porrigi, iter suscepturo equum furiosum & indomitum adduci præceperit, inscio ac nihil tale suspicanti ferocissimum leonem iusserit opponi, ac tandem diuinam vltionem in se experta inter Missarum solemnia, priusquàm vir Dei vltimam collectam compleret, miserrimâ morte perierit, oculis è capite priùs euulsis & super pauimentum ante pedes collatis ac toto sanguine per locum oculorum foras emisso. Ex textu suprà recitato patet etiam Iudualum pacificè in patriam rediisse nullo stipatum comite, vnde concludas Albertum à vero procul abesse in vitâ sancti Samsonis, vbi Commorum à Iudualo acie victum atque interemptum scribit.

[a] Lib. 4. c. 20.

IX. Maglorius Samsoni comes peregrinationum fuit, à quo Diaconus, deinde Presbyter consecratus est, & Abbas apud Kerfeunteum prope Dolum constitutus. Lege illius vitam [b] apud Surium & apud Albertum.

[b] D. 24. Oct.

X. FRANCILIO EP. TVRON. OBIT. *Francilio Turonensis Episcopus, hoc anno, tertio Episcopatus sui, cùm Dominici Natalis nox alma populis effulsisset, priusquàm ad vigilias descenderet, insit sibi poculum ministrari. Aduenions autem puer sine morâ porrexit. Quo hausto mox spiritum fudit, vnde indubitatum est veneno eum fuisse necatum.* Hæc Gregorius Turonensis libro tertio [c] suæ Historiæ. At libro decimo [d] distinctiùs notat eum sedisse *annos duos, menses sex*, quapropter illius electionem ante biennium retulimus mense Iunio, *sepultus est in Basilicâ sancti Martini.* Succ. INIVRIOSVS EP. TVRON. *cessit Iniuriosus ciuis Turonicus, de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen. Hic peræedificauit Ecclesiam sanctæ Mariæ infra muros vrbis Turonicæ. Huius tempore & Basilica sancti Germani ædificata est. Vici etiam, Nouiliacus, & Luciliacus fundati sunt. Hic instituit Tertiam & Sextam in Ecclesiâ dici, quod modo in Dei nomine perseuerat.* Verba sunt Gregorij Turonensis, qui præterea libro primo [e] de gloriâ Martyrum obseruat diuinam vltionem in illâ sanctæ Mariæ Virginis Basilicâ, quam Iniuriosus ab Ommatio inchoatam perfecit, sæpiùs apparuisse contra reos periurij.

[c] Cap. 17.
[d] Cap. 31.
[e] Cap. 10.

XI. Obiit & eodem mense Decembri sanctus Gregorius Autissiodorensis Episcopus, postquàm sedisset [f] annis duodecim, mensibus sex. Sepultus fuit in Basilicâ sancti Germani, colitur in tabulis Ecclesiasticis decimo-quarto Kalendas Ianuarias. In defuncti locum subrogatus est sanctus Optatus qui Pontificatum tenuit anno vno, mensibus octo, diebus quinque. Hic construxit Basilicam in honorem sancti Christophori Martyris iuxta Basilicam sancti Germani ab Orientali parte cooperantibus duobus Presbyteris Sanctino & Memorio, vt habet Historia Episcoporum Autissiodorensium à Philippo Labbeo [g] publicata.

[f] Democh. de Sacr. Miss. cap. 19. EPISCOPI AVTISSIOD.
[g] Tom. 1. Bibloth.

ANNVS CHRISTI 530. THEODORICI R. 19. CHILDEBERTI R. 19. CLOTARII R. 19. INDICTIO 8.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

ANNO Christi quingentesimo-tricesimo, Indictione octauâ, Consules in Fastis [a] ponuntur Lampadius & Orestes. Hoc anno, *cùm Theodoricus in Thoringiam esset*, vt Gregorius Turonensis [b] notat, *Aruernus somnit eum interfectum fuisse, Archadius quoque vnus ex Senatoribus, Aruernus Childebertum inuitat, vt regionem illam deberet accipere. Ille quoque nec moratus, Aruernum vadit. Tantáque in illâ die condensa fuit nebula, vt nihil supra duabus iugeri partibus discerni posset. Dicere enim erat solitus Rex. Velim vnquam Aruernau* Lemanem, quæ tantæ iocunditatis gratiâ refulgere dicitur, oculis cernere, sed non ei à Deo concessum est. Cúmque porta ciuitatis obserata essent, & vnde ingrederetur, penitùs patulum non haberet, incisam * Archadius ferram vnius porta, eum ciuitati intromisit.* Arcadium illum Gregorius Turonensis [c] eundem facit cum eo, cuius operâ Childebertus & Clotarius Reges vsi sunt, vt Clodomeris filios è Clotildis auiæ potestate dolo subducerent.

I.

[a] Marius, Matcell. Victor.
[b] Lib. 3. c. 9.
[*] *La Limagne d'Auuergne.*
MOTVS ARVERNI.
* Id est, *incisâ ferrâ.*
[c] Lib. 3. c. 18.

Haud diuturna Childeberto quies fuit in Aruerniâ, mox enim auditus est Theodorici Regis è Thuringiâ reditus, & Chrotildis soror ab Amalarico dirè vexata fratris opem implorauit. *Dum hæc agerentur*, subdit Gregorius Turonensis [d], *nunciatur Theodoricum viuum de Thoringiâ fuisse regressum. Quod certissimè Childebertus cognoscens ab Aruerno redit, & in Hispaniam propter sororem suam Chlotchildem dirigit. Hæc verò multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem Catholicam patiebatur. Nam plerúmque procedente illâ ad sanctam Ecclesiam, stercora & diuersos fœtores super eam proiici imperabat. Extremùm autem tantâ eam crudelitate dicitur cecidisse, vt infectum de proprio sanguine sudarium fratri transmitteret.* Quo viso Childebertus, licet iure metuendum sibi videret à Theodorico quem recèns offenderat, *nec expectato fratris Chlotarij solatio*, vt Aimoinus [e] loquitur, *compositis ordinibus castra mouit, atque improuisum armatas acies Hispaniis infudit.*

II.

[d] Lib. 3. capp. 9. 10.
[e] Lib. 2. c. 8.

De bello aduersùs Amalaricum agemus anno sequenti quo gestum est. Childebertus Rex cùm illi se accingeret, voto nuncupato promisit se Basilicam amplissimam ædificaturum in memoriam sancti Auiti Abbatis nuperrimè mortui, cuius sepulchrum exigui parietes ex vilissimi ligni materiâ vallabant. Quæ præcesserunt ac subsecuta sunt obitum sancti Auiti, sic in eius vitâ [f] narrantur. *Quidam ex Dunensi castello, pro eius plebeculæ salute deprecaturus, ablegatus est ad sanctum Auitum. Accedit deuotus ad virum Dei, obsecrat vt corpus suum pro castelli eius munimine apud ipsos patiatur post obitum suum humari, pollicetur eorum verbis egregiam fabricam ipsius nomini se dedicaturos. At vir Sanctus, indignum est, inquit, hominem peccatorem & multis criminibus inuolutum, intra templum tumulari, campis patentibus ad futuram examinationem ossa humiliata in fossâ humo decet recondi. Sed tamen vt vestro satisfiat desiderio, si in proposito permanetis, templum in Dei nomine vt constituatur non recuso. Meum verò corpus ad Aurelianorum vrbem ex Dei voluntate condetur. Siquid*

III.

[f] Ap Sur. d. 17. Iunij.

AN. CH. 503. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

IVRGIVM AVRELIAN. ET DVNEN. PRO RELIQVIIS SANCTI AVITI.

tamen opportunum vestro loco existimatis, inter futura mox iurgia, ex abeunte indignas meas, si poscitis, reliquias accipietis. Nec multò pòst vir beatus certaminis sui finem obtinuit, sanctúmque cœlis spiritum reddidit. Vbi verò Aurelianenses & Dunenses de eius obitu certiores facti sunt, propter sacrum corpus sibi vindicandum vtrinque arma capessunt. Cùm autem Monasterium, in quo vir Dei decesserat, Dunensibus esset propinquius, celeriter omnes eò aduolant, defuncti corpus tanquam instructâ acie rapiunt, sublatúmque ad extructam Basilicam asportare nituntur. Sed non segnes Aureliani, licèt aliquantò posteriùs armis instructi occurrunt, fores Basilicæ occupant, clypeis tecti parant se ad confligendum cum Dunensibus sacrum corpus asportantibus. Id vbi è sylua progressi hactenus securi Dunenses conspiciunt, animis perturbati desperant se posse voto potiri suo. Itaque submotis illis, in media ade onus sacrum inuiti deponunt, castris castra opponunt, inter media vtrorumque tela thesaurus constituitur, sed cœlitùs adest præsidium, ne eius causâ, qui multis sæpè vitam attulerat, in mutuæ cædis discrimen illi coniicerentur. Adest, Deo volente, Leusus vir insignis ac summâ potestate præditus, iurgantium lites dirimit, armatorum sæua consilia dissipat, corpusque salutiferum per publicum aggerem Aurelias deportari iubet. Tum verò Dunenses magno dolore correpti, lamentabiles dant voces in cœlum, & quia non possent sacros artus, vt impediti, apud se retinere, orant beati viri aliquas reliquias sibi permitti. Non potuit hoc negari petentibus, maximè quòd æquissimis precibus etiam lachrymas adiungerent. Accedunt ad funus summi Sacerdotes, & cum tremore corpus sacrum attrectantes, magnum reliquiarum munus conferunt postulantibus. Deinde proficiscentes sacrum corpus perferunt ad sepulchrum, atque in loco sancto centum ab vrbe passibus religiosè & cum summa reuerentia tumulant defensorem. Titulus quidem ex vilissimi ligni materia illi positus est, sed membra interim totus venerabatur orbis. Eâ tempestate Rex Childebertus, inclytus Francorum Princeps, comparato exercitu Hispanias suo addere Imperio volebat. Auditâ verò tanti viri famâ, & quòd sepulchrum eius exigui parietes vallarent, cœlesti Regi votum integrâ deuotione nuncupauit, si incolumis in regnum suum Sancti Aviti intercessione reuerteretur, ampliss imam se super eius monumentum Basilicam conditurum. Sancti Auiti nomen legitur in tabulis Ecclesiasticis decimo-quinto Kalendas Iulias. Abbas primùm fuit Miciacensis in agro Aurelianensi, deinde Monasterium construxit in agro Dunensi siue in Carnoteno pago quem Pectensem appellant, ibique vitam clausit Abbatis officio etiam defungens, atque inde nata inter Aurelianenses & Dunenses iurgiorum & contentionum occasio. Id cùm non satis aduerteret Baronius, in notis ad Martyrologium Romanum, duos Auitos finxit, quorum alterum Abbatem Miciacensem à Gregorio Turonensi in Historia Francorum [a], alterum Abbatem in Carnoteno pago quem Pectensem vocant ab eodem Gregorio in libro [b] de gloria Confessorum laudari putauit. Post obitum Sancti Auiti, Leobinus, qui comes ei assiduus ab aliquot annis adhæserat, in locum, cui nomen Carbonaria, secessit cum duobus sodalibus Eufronio & Rustico, quos aliàs in Perticum ex Insula Barbara secum adduxerat, constructisque tribus cellulis ibi per quinquennium degit aquæ poculo & sobrio cibo contentus, donec tempestatibus, quæ messium stragem minabantur, orationis vi sedatis, vicinos quoque rapuit in admirationem, & ab Ætherio Antistite Carnotensi vocatus est vt Braiacensi Monasterio præficeretur [c].

[a] Lib. 5. c. 6.

[b] Cap. 99.

LEOBINVS CVM EVFRONIO ET RVSTICO.

[c] Vita S. Leobini tom. 2. Bibliot. Labb.

IV. THORINGIA SVBACTA.

*Theodoricus regressus ad propria, Hermenefredum ad se datâ fide securum venire præcepit, quem & honorificis ditauit muneribus. Factum est autem dum quadam die per murum ciuitatis Tulbiacensis * confabularentur, à nescio quo impulsus de altitudine muri ad terram corruit, ibique spiritum exhalauit. Sed qui eum inde deiecerit, ignoramus. Multi tamen adserunt Theodorici in hoc dolum manifestissimè paruisse.* Hæc Gregorius Turonensis [d]. Sanè suspicionem admissi sceleris incurrit Theodoricus maximè quia liberos Herminefredi necari iussit, vt testatur Aimoinus [e] his verbis. *Ex Hermenfredo quoque genitis minimè*

* *Zulch.*

[d] Lib. 3. c. 8.

[e] Lib. 2. c. 9.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

minimè pepercit, sed eos strangulari præcipiens vniuersas Thoringorum ciuitates Francis subiuganit, pristináque eos iussit incolere domicilia. Almaberga Hermenfredi vxor, Theodorici Ostrogothorum quondam Regis ex Amalafridâ sorore neptis in Italiam profugit ad Theodatum fratrem, quem Procopius [a] malè Gothorum tunc Principem vocat, nam Athalarico Amalasunthæ filio in viuis superstite Ostrogothorum Principatum non obtinuit.

[a] Lib. 1. de bell. Goth. c. 13.

Hoc anno quatuor Episcopi, Melanius Redonensis, Victor Cenomanensis, Launus * Constantiensis, & Marsus Namnetensis Albinum Episcopum Andegauensem inuiserunt. In reditu insigne prodigium contigit, quod in vitâ sancti Melanij sic describitur [b]. *Conuenerunt simul vir Dei Melanius, & electus Dei Albinus, sanctusque Victor, atque Launus & sanctus Marsus in Andegauâ * ciuitate intra Basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ibique beatus Melanius ex communi consensu aliorum Missam celebrauit in capite ieiunij Quadragesimæ. Post cuius celebrationem antequàm recessissent ab inuicem, dedit eis beatus Pontifex Eulogias in caritate cum Dei gratiâ. Beatus verò Marsus præferens ieiunium diei caritati, & eulogiam quâ communicare debuit, vilipendens, particulam quam acceperat à S. Melanio, in sinu suo cadere permisit. Acceptâ ergo vnusquisque ab altero licentiâ redeundi ad propriam sedem, osculati sunt se inuicem, & cum Dei gratia iter suum cæperunt peragere. Necdum verò amplius quàm decem millia ab vrbe discessérant, cùm sensit sanctus Marsus * se ab eulogia in serpentem versa circumcingi. Vt ergo cognouit pœnâ suâ cogente se pro inobedientia sua & pro caritate contempta, horribili vindictâ multatum, prouolutus ad pedes beati Melanij *, quid ei & qualiter euenisset indicauit. Recipiens autem sanctus Pontifex eius satisfactionem, ait illi, perge frater velociter ad Dominum Albinum fratrem nostrum, & confitere ei quod egisti, & quid mali pro hoc ipso tibi accidit. Qui consurgens accelerato itinere venit ad Sanctum Albinum *, & enarrauit ei delictum suum. Sanctus verò Episcopus audiens negligentiam eius, dixit ei. Me quidem pro te deprecaturum Dominum scias, sed vade ad fratrem nostrum Victorem Episcopum, & enarra ei omnia quæ fecisti, & vt pro te misericordiam Domini deprecetur, exora. Qui iterùm consurgens, sicut iusserat vir Dei, venit Cenomannis ad beatum Victorem, & retulit ei omnia quæ gesta fuerant ab eo. Recordans verò beatus Victor, quòd in ore duorum vel trium stet omne verbum, dixit ei. Reuertere frater ad sanctissimum Antistitem fratrem nostrum Dominum Melanium, credo enim quòd eius meritis & intercessionibus liberaberis. Arreptâ itaque reuertendi licentiâ venit semtuinus ad beatum Melanium, & inueniens eum in Placio * in sua Basilica orantem narrauit ei omnem laborem sui itineris, & quomodo S. Victor sibi dixerat quòd à nemine alio liberandus esset nisi ab eo, per cuius meritum ligatus fuerat, videlicet à Sancto Melanio. Quod audiens beatus Melanius per totam noctem illam sese pro eo vigilando & orando afflixit. In crastinum verò absolutionem & benedictionem super eum fudit. Post cuius absolutionem, mox versus est serpens in pristinam eulogiam, quam assumens beatus Marsus gaudens communicauit se de ea, quod priùs malo suo facere neglexerat.* Hæc si Ioannes Bondonnetus legisset, Victori locum dedisset inter Episcopos Cenomanenses, nec illum Melanio in Episcopatu Redonensi successorem pro suo arbitrio finxisset in obseruationibus ad vitam sancti Victurij.

V.

* Lô.

[b] Apud Boll. die 6. Ian.

* Andegau.

MARSVS EP. PVNITVR OB SPRETAM EVLOGIAM.

* Mars.

* Melaine.

* Aubin.

* Plets.

Genus quoddam erat Communionis apud antiquos, quod Eulogiis celebrabatur, quódque ideò institutum est vt absentibus pars aliqua & societas esset cum Episcopo & ceteris fidelibus, qui in matrice Ecclesia, vt vocant, morarentur. Nam cùm per vicos & pagos sparsi & diffusi ex eadem non possent sumere Communione, cuperéntque semper vnionis Christianæ & Christi corporis speciem quam possent maximam retinere, solemnissimis diebus & festiuis ex matrice per parochias benedictus mittebatur panis, ex cuius perceptione communitas, quæ inter omnes fideles eiusdem Diœcesis intercedere debet intelligebatur & repræsentabatur. Tanta enim apud eos huiusce communionis & societatis erat religio, vti si vna

VI.

EVLOGIA QVID.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

Eucharistia, id est, ab vno Episcopo consecrata, toti orbi sufficere, & ex eâ vniuersa Ecclesia communicare potuisset, non aliâ neque alio Sacerdote vsi fuissent, quin etiam hac religione ducti nonnulli ipsa sacra ipsámque Eucharistiam ex vrbe per pagos mandabant, vt colligitur ex decimo-quarto Canone Concilij Laodiceni decernente, *quòd sancta nullomodò causâ eulogiarum, tempore Paschalis festi, ad alias parochias debeant destinari.* Eulogias, quas Melanius Episcopus Redonensis Marso Episcopo Namnetensi dedit, Robinius Annales Andegauenses, vt ait, secutus, sacram Eucharistiam interpretatur, additque cùm occultæ indignationis reum sese Marsus agnosceret, nec voluisse nec ausum fuisse sacram hostiam sumere. Verùm id nobis non probatur, nec enim sacram Eucharistiam tam irreuerenter vir sanctus tractasset, nec eius sumptione solui Ecclesiasticum ieiunium existimasset, probabilius est eum noluisse ieiunium infringere, & fortasse collegas qui id facerent iudicasse.

VII. MELANII REDON EP. OBITVS.

Dies, quo Melanius Episcopus Redonensis * ad Deum transiit, apud eruditos Authores controuertitur, alij enim illius depositioni diem sextum Ianuarij, alij diem sextum Nouembris assignant, atque inde fit vt nec de anno conueniant, mortuus est enim aut hoc anno si mense Nouembri decessit, aut anno sequenti si vitam clausit mense Ianuario. Huius Chronologiæ fundamentum tale est. Marsus Namnetensis Episcopus exequiis Melanij cum aliis Pontificibus adfuit, obiitque die vndecimâ Nouembris, Eumerius Marsi successor Troianum Episcopum Sanctonensem * per literas consuluit, Troianus hominem exuit die tricesimâ Nouembris, Eusebius qui Troianum in Episcopatu excepit, Concilio Aurelianensi secundo cum Eumerio Episcopo Namnetensi * subscripsit nono Kalendas Iulias anno quingentesimo tricesimo-tertio. Hæc autem omnia constare non possunt nisi mors Troiani ponatur anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo die tricesimâ Nouembris, & obitus Marsi referatur anno Christi quingentesimo tricesimo-primo die vndecimâ Nouembris, & depositio Melanij, quæ præcessit, aut mense Ianuario sub initium eiusdem anni consignetur, aut mense Nouembri sub exitum anni quingentesimi-tricesimi.

* *De Rennes.*

* *De Xaintes.*

* *De Nantes.*

VIII.

Qui Melanium ineunte Ianuario mortuum tradunt, innituntur auctoritate Martyrologij Romani, in quo hæc leguntur octauo Idus Ianuarias. *Rhedonis in Galliâ sancti Melanij Episcopi & Confessoris, qui post innumerabilium signa virtutum, iugiter cælo intentus, glorioſius migrauit à seculo.* Et quia norunt eum in Redonensi Diœcesi die sextâ Nouembris coli, contendunt translationem illo die factam fuisse, translationis tamen, in officio istius diei, nulla fit mentio, & in appendice Adonis à Rosweydo editâ hæc habentur octauo Idus Nouembris. *In ciuitate Regidonas * depositio sancti Melanij Episcopi & Confessoris.* Consentiunt manuscripta Martyrologia Monasterij sancti Martini Tornaci, Monasterij sancti Laurentij Leodij, Ecclesiæ sancti Lamberti ibidem, Lætiense *, Ecclesiæ sanctæ Gudilæ Bruxellis, Florarium, sed pro *Regidonas* habent *Redonas* aut *Redonis*. Bellinus de Paduâ & Vsuardi Martyrologium Lubecæ * editum nullâ depositionis aut translationis factâ mentione sic loquuntur illo die. *Redonis sancti Melanij Confessoris.* Apud auctorem vitæ, quem Ducheſnius coætaneum fuisse scribit, *colitur dies depositionis* VIII. *Idus Nouembris.* Tot authoritatibus subscribimus, Melanij vel ordinationem vel translationem octauo Idus Ianuarias in Martyrologio Romano, depositionem octauo Idus Nouembres in Redonensi Diœcesi putamus celebrari.

* *Rennes.*

* *De Liessies.*

* *Lubec.*

IX. EXEQVIÆ.

Sanctissimus Confessor Christi Melanius, Domino reuelante, obitum suum præscens, vt Author vitæ scribit, *discipulis suis diem obitus sui prænuntiauit, deinde tempore congruo absolutionem eis more Episcoporum faciens, & eos suâ benedictione confirmans, verbisque diuinis instruens, qualiter se agere deberent in seruitio Domini, edocuit. Post hæc sese Dominici Corporis & Sanguinis perceptione mu-*

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

*vinit, atque vitæ ſuæ fideliter peracto curſu, feliciter in quâ die prædixerat migrauit ad Chriſtum in loco qui vocatur Placio, vbi ipſe propriis manibus Eccleſiam conſtruxerat, & Monachos ad ſeruitium Dei faciendum congregauerat. Per viſionem autem Angelicam conuenerunt ad obſequium corporis illius faciendum Sanctiſſimi Pontifices ſuperiùs nominati, videlicet S. Albinus, & S. Victor, S. Launus, necnon & S. Marſus qui per eius virtutem à ſerpentis cingulo, ſicut ſuperiùs narratum eſt, fuerat liberatus. Hi Sanctiſſimi Pontifices, & aly quamplurimi fideles viri per Dei prouidentiam ad eius exequias conuenientes, primitus Eccleſiaſtico more animam eius commendauerunt Deo, deinde nocte ſequenti in orationibus & vigiliis expensâ primo mane Miſſam pariter audierunt. Exin communi conſilio, Deo, ſicut poſtea patuit, ordinante, collocauerunt corpus Sancti viri in naui quæ fortè aderat in alueo fluminis Vicenoniæ *. Qui fluuius ſuſcipiens Sanctum corpus eius cum Pontificibus & Clericis atque Monachis Litanias canentibus, & cum populo qui eum ſequebatur, Deo gratias pro eius gloriâ, de quâ certi erant, referendo, conuerſo impetu, qui deorſum, ſicut & ceteri, fluere ferríque ſolebat, ſurſum versùs perduxit vſque ad ciuitatem Rhedonenſem, quæ triginta vel eo amplius millibus ab eodem loco diſtat, quam ipſe ſanctus feliciter gubernauerat. Cumque prope muros ciuitatis iam aduenisſet, Clerici & omnis populus, qui in eâdem vrbe conſiſtebant, proceſſerunt ei obuiam cum crucibus & cereis & vexillis, canentes & laudantes Deum in ſublimi, non ideo quia defunctus erat eorum piiſſimus Paſtor, ſed quia meruerant ſaltem corpus defuncti patroni ſui recipere. Audientes autem voces pſallentium duodecim latrones, qui tenebantur vincti in vnâ turri, quæ erat contra meridiem iuxta murum ciuitatis oppoſita, flebilibus vocibus cæperunt eius miſericordiam implorare, cúmque vt eis miſereretur clamarent, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Sanctúmque Melanium deprecarentur, ſciſſa eſt turris quæ erat ex lapidibus à ſummo vſque deorſum, & ſoluti ſunt à vinculis & liberati qui tenebantur in carcere. Erat quoque in proximo vltra fluuium Vicenoniæ quædam materfamiliàs, quæ per multos annos amiſſo oculorum lumine permanebat cæca. Hæc autem hoc miraculo, quod Dominus pro meritis Sanctiſſimi Pontificis Melany declarandis in præſentiâ eius exanimis corporis operatus fuerat, cum parentibus & amicis ſuis feſtinanter venit ad ſanctum corpus defuncti Pontificis. Et cùm terræ proſtrata pedes eius oſculata fuiſſet, ſtatim & ipſa deſideratum recepit lumen, quo recepto, multo repleta gaudio, Domino egit gratias & ſancto Melanio, terrámque, quam tenebat hereditario iure vltra fluuium Vicenoniæ, vbi & ipſa eatenus habitauerat, tradidit eidem ſancto Melanio æternaliter habendam. Beati autem Pontifices ſuperiùs nominati accipientes propriis manibus ſancti viri corpus, portauerunt illud vſque ad locum à Deo ſibi prouiſum, in quo ab eiſdem venerabiliter, ſicut pro hoc ipſo diuinitus fuerant miſſi, collocatum eſt, vbi eius meritis & interceſſionibus multa præſtantur beneficia indigentibus & cum fide poſtulantibus vſque in hodiernum diem. Colitur autem dies depoſitionis illius* VIII. *Idus Nouembris.* Gregorius Turonenſis [a] fusè deſcribit inſigne miraculum, cùm illius ſepulchrum, quod ligno tegebatur, incendio manſit illæſum.

* *La Vilaine.*

MIRACVLA.

[a] De glor. Conf. c. 55.

X.

Ad hunc annum, qui Pauli Leonenſis Epiſcopi primus numeratur, proculdubiò pertinet eiuſdem Pontificis congreſſus cum Weuroco, qui vallem à biennio prope ſyluam in paræciâ Danielis *, vt vocant, incolebat. Huc cùm Paulus Diœceſim ſuam luſtrando peruenisſet, Weurocum ex eremo ſecum abduxit, eiuſque conſilio & operâ in adminiſtrando Epiſcopatu deinceps vſus eſt plurimùm, vt in ipſius Weuroci vitâ narrat Albertus decimotertio Kalendas Martij. Sanctus Weurocus * inprimis laudatur, quòd in Diœceſi Leonenſi diem dominicum obſeruari ſtudioſiſſimè curarit.

* *Plou-Daniel.*

VVEVROCVS.

* *Gueurok.*

XI.

Gildas Abbas * Ruyenſis in Armorica, *rogatus à fratribus religioſis, qui ad eum è Britanniâ venerant, poſt decem annos ex quo inde receſſerat, ſcripſit epiſtolarem libellum, in quo quinque Reges ipſius inſula redarguit diuerſis ſceleribus atque criminibus irretitos.* Hæc Auctor vitæ. Quàm eleganter autem Gildas Reges illos reprehenderit, accipe ex ipſiuſmet libro qui de excidio Britanniæ

* *Abbé de Rhuys.*

GILDÆ EPISTOLA.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

inscribitur. *Reges habet Britannia, sed tyrannos; Iudices habet, sed impios; sæpè prædantes & concutientes, sed innocentes; vindicantes & protegentes, sed reos & latrones; quamplurimas coniuges habentes, sed scorta & adulteras; crebrò iurantes & periurantes; vouentes, & continuò propemodùm mentientes; belligerantes, sed ciuilia & iniusta bella agentes; per patriam quidem fures magnoperè infectantes, & eos qui secum ad mensam sedent non solùm amantes, sed & munerantes; eleemosynas largiter dantes, sed è regione immensum montem scelerum exaggerantes; in sede arbitri sedentes, sed rarò recti iudicij rectam regulam quærentes; innoxios humilesque despicientes; sanguinarios; superbos; parricidas; Dei inimicos, si fors, vt dicitur, tulerit, qui cum ipso nomine certatim delendi erant, ad sydera prout possunt efferentes; vinctos plures in carceribus habentes, quos dolosè potius quàm meritò proterunt catenis onerantes; inter altaria iurando demorantes, & hæc eadem paulo post ac si lutulenta saxa despicientes.* Deinde singulos insectatur; Constantinum, quem immundæ leænæ tyrannicum catulum appellat; Aurelium Conanum, quem catulum leoninum æquè nuncupat; Vortiporium, quem pardo similem ait; Cuneglasum, quem lanionem fuluum nominat; & Magloamum, quem vocat draconem insularem.

XII. TRANSLATIO SANCTI FRONTONIS.

Chronopius Petracoricensis Episcopus, cùm Basilicam Sancti Frontonis absoluisset, eiusdem patroni corpus ex vetere ædiculâ transtulit in ornatiorem locum. Hæc translatio celebratur pridie Nonas Octobres, si facta fuit die Dominicâ, vt admodum probabile est, anno contigit vel decimo tertio, vel vndecimo, vel vicesimo quarto, vel tricesimo post quingentesimum, opus videtur vltimorum fermè temporum quibus Chronopius Episcopatum rexit, ideóque à nobis hoc potiùs anno quàm aliis consignatur.

XIII. AVITVS ANACHORETA PETRACOR. * *Le Perigord.*

Sedente Chronopio floruit Auitus Anachoreta, cuius vitam Ioannes Puteanus in historiâ Petracoricensis Ecclesiæ scripsit, hanc redigemus in epitomen. Auitus nobili familiâ natus est in agro * Petracoricensi, operam Philosophiæ dedit, adhuc adolescens partes Clodouei Francorum Regis orthodoxi secutus est aduersus Alaricum Wisigothorum Regem Arrianum. Post aliquot annos nuncium secularibus negotiis remisit, ab aulâ regiâ iter in patriam suscepit Angeli monitu, Aureliæ sanauit Benedictum hominem surdum ac mutum à natiuitate grauique præterea morbo laborantem. Ab hinc Auito Benedictus comes adhæsit indiuiduus. Ambo peruenerunt in pagum Pictauiensem, vbi præsentissimam ægris opem præstiterunt, mòxque, ne fallacibus vanæ gloriæ laqueis irretirentur, secessserunt in monasterium, quo postmodùm electi ab Abbate, qui fictæ & obumbratæ pietatis reos putabat, iterùm se viæ commiserunt Petrachorios versùs. Obiit in itinere Benedictus, super cuius tumulo Ecclesia conspicitur in ipsius & Sancti Auiti honorem erecta. Benedicti locum accepit Secundinus, quocum Auitus perrexit, & in eremo Petracoricensi oratorium beatissimæ Virgini construxit, ibique post mortem variis miraculis refulsit.

BENEDICTVS. SECVNDINVS.

XIV. MEDARDVS FIT EPISC. VIROMAND.

Obiit hoc anno Alomerus Viromandensis Episcopus. Successit Medardus, de quo sic Fortunatus Presbyter in eius vitâ. *Cùm iam multimodis virtutum fulgeret studiis, famáque eius per diuersa orbis spatia, gratiâ crescente præcelleret, defuncto Viromendensium vrbis Pontifice, in eius loco consecratur Episcopus. Vbi conuersatione cælesti ter quinis annorum circulis in sanctimonia ipsius officij Sacerdos extitit pretiosus.* Chronologiam nostram quoad Episcopatum beati Medardi egregiè admodum confirmabunt ea, quæ suis locis de translatione Sedis Viromandensis, de obitu Sancti Eleutherij Tornacensis Episcopi, de morte Sancti Remigij Remensis Antistitis, de nuptiis beatæ Radegundis déque illius secessu ex aula regia, & de morte ipsiusmet Sancti Medardi narrabimus. Hoc loco nihil occurrit obseruandum, nisi quòd Medardus traditur *sanctificationis oleo perunctus, & super gregem Christi Pastor institutus à sancto Remigio*, de cuius obitu post triennium verba faciemus.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

Per illud tempus in prouincia Lugdunensi secunda sub Childeberto Rege florebat Vigor Episcopus Baiocensis, cuius nomen in tabulis Ecclesiasticis legitur Kalendis Nouembribus. Eo die vitam illius recitat Surius, quam paucis in epitomen redigemus. Beatus Vigor in Atrebatensi * territorio parentes habuit generis nobilitate & fide conspicuos, à S. Vedasto primùm inter Monachos eruditus est, posteà diuino instinctu permotus instar Patriarchæ Abrahami constituit exire è terra & cognatione suâ, assumptóque itineris socio puero Theddemiro peruenit in Baiocensem regionem ad vicum cui nomen Redeuerus *, ibi multos ethnicos ad fidem Christianam perduxit variis editis miraculis, à Volusiano viro prædiuite inuitatus immanem serpentem ex illius terris profligauit, & ab eo in gratiam tanti beneficij accepit locum, qui Cerisiacus * dicebatur, & in circuitu fermè quinque & viginti viculos habebat. Creatus Episcopus Baiocensis nulli labori pepercit, vt idololatriam penitùs extirparet. Venit aliquando ad montem, qui tum Phœnus vocabatur, milliario vno ab vrbe, vbi erat saxea mulieris effigies, quam incolæ tanquam sacrum quiddam colebant, verbum Dei rusticis illis prædicare cœpit, sed ab eis contemptus atque electus recessit inde, nec tamen animo cessit, profectus est enim ad Childebertum Regem, narrauit ei cunctam regionem Baiocensem ad fidem traductam esse, demptis illius montis incolis, qui etiamnum profanâ superstitione diabolicis erroribus implicati tenerentur. Rex sanctitatem ac zelum admiratus, montem prædictum, qui regiæ ditionis erat, beatissimo Episcopo tradidit perpetuò possidendum, vt omnem illic idololatriam destrueret, & in Christi nomine Ecclesiam ædificaret. Hæc peracta sunt summâ cum diligentiâ, mons Chrismati nomen accepit, decretumque est vt ab illo die Episcopus Baiocensis in solennitate Paschali tres ibi infantes baptizaret, atque ita cum reliquijs, cum Presbyteris & Diaconis, sacris vestibus indutis, cum choro psallentium domum reuerteretur. Tria igitur Monasteria in Diœcesi Baiocassinâ, Redeueriacum, Cerasiense & Chrisinatum, constructa sunt à sancto Vigore; primum à vico Radeuero seu Redeuero, secundum à Cerasio seu Cerisecio quod erat loci nomen, tertium à monte Chrismato cognominatum est. Redeueriacum & Cerasiense condita sunt à Vigore nondum Episcopo, Chrismatum seriùs ab eodem Episcopatum iam adepto. Quos rectores habuerit post ipsum Vigorem, & quando adæquatum solo sit Monasterium Redeueriacum, omninò ignoramus, suspicamur tamen cladem illam contigisse, cùm Nortmanni nondum Christiani Neustriam infestarent. Eandem calamitatem passum est Cerasiense, sed vndecimo seculo à Roberto eiusque filio Guillelmo Normanniæ Ducibus instauratum hodiéque supersest, & vt à loco Monasterium Cerasiense, sic à primo conditore Monasterium sancti Vigoris nuncupatur. Cœnobium Chrismatum, in quo beatus Vigor sepeliri voluit, expertum est etiam varias fortunæ vices, & hactenùs vt infelicius Cerasiensi, sic Redeueriaco felicius euasit, gaudet enim adhuc titulo Prioratus, & in conditoris sui memoriam appellatur Prioratus sancti Vigoris.

XV. VIGOR BAIOCENS. EP.

* *D'Arras.*
* *Reuers.*
* *Cerisy.*

EXTIRPAT IDOLOLATRIAM.

CONDIT TRIA MONASTERIA.

REDEVERIACVM.

CERASIENSE.

CHRISMATVM.

Quem viuendi morem in consortio Monachorum apud Atrebatum ab Episcopo Vedasto didicerat Vigor, hunc suis discipulis præscripsit in Diœcesi Baiocassina. Sententiam illam valdè probabilem censet Auctor [a] Neustriæ piæ, sed culpandus in eo videtur, quòd in gratiam Monachorum Benedictinorum subiungit nec veritati nec Chronologiæ refragaturum apertè, qui Vigorem Regulæ Sancti Benedicti ad amussim seruandæ tunc addictum censuerit, Sancto Mauro, ipsius Patriarchæ discipulo, Gallias vndequaque illuminante, vtque aliquam coniecturæ suæ auctoritatem conciliet, initia Monasterij Redeueriaci collocat [b] *circa ann. Christi* 545. & Vigorem *circa annum* 560. *quo florebat*, in Cœnobio Cerasiensi egisse scribit [c]. Apud Trithemium [d] beatus Vigor locum obtinet inter viros illustres Ordinis Benedictini, dicitúrque claruisse *temporibus Sancti Benedicti circa annum Domini* 550. Hæc au-

XVI. SVB QVA REGVLA.

[a] In Radeuero.
[b] In Radeuero n. 2.
[c] In Cerasio cap. 1. n. 1.
[d] Lib. 4. c. 131.

AN. CH. 530. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 19.

tem à rectâ Chronologiâ plurimùm discrepant, vt mox patebit.

XVII. Apud Democharem [a], apud Chenutium, apud Robertum & apud Sammarthanos, beatus Vigor inter Episcopos Baiocenses octauum locum occupat, nonum verò apud Auctorem [b] Neustriæ Piæ, vt Episcopatum teneat post Leucadium, cuius nomen in subscriptionibus trium Conciliorum Aurelianensium, tertij, quarti & quinti reperitur, ad annos Christi quingentesimum duodequadragesimum, quingentesimum quadragesimum-primum & quingentesimum vndequinquagesimum. In vitâ sancti Vigoris nullus occurrit Character Chronologicus præter nomen Childeberti, qui regnum ab anno Christi quingentesimo vndecimo vsque ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum octauum per annos septem & quadraginta gubernauit. Ex isto Charactere deprehendi certò non potest, vtrùm Vigor ante vel post Leucadium in Episcopali Cathedrâ sederit, quia Childebertus regnare cœpit Leucadio Pontificatum nondum adepto, nec probabile videtur Leucadium Childeberto Regi superstitem vixisse. Baronius [c] in notis ad tabulas Ecclesiasticas, Episcopatum Vigoris seriùs in annum Christi circiter quingentesimum octogesimum reiicit, supponitque post Leucadium sedisse quempiam, cui posteà Vigor successerit, huic enim inter Baiocenses Episcopos decimum locum attribuit. Sammarthani, qui catalogum eorumdem Antistitum locupletiorem, quàm ceteri nomenclatores, ediderunt, Leucadium Vigori proximè subrogarunt. Vigoris verò decessorem Democharem, Chenutius ac Robertus constituerunt Patricium *, de quo mentionem fecimus regnante Clodoueo Childeberti patre. Tot Auctoribus innixi locum Vigori Episcopo dedimus inter Patricium & Leucadium; Patricium Episcopum agnouimus, cùm Baiocæ * venerunt in potestatem Clodouei Regis; Patricio Vigorem sub Childeberto Rege suffecimus; asseruimúsque Leucadium ipsi Vigori sub eodem Childeberto subrogandum esse. Sammarthani super Vigore & Leucadio nobiscum consentiunt, Leucadium immediatè subiiciunt Vigori, Vigorem fatentur octauum Episcopum Baiocensem fuisse, nonum Leucadium, sed Patricium Vigoris decessorem inficiantur, allegatóque Codice Thuanco, in quo Patricius successor Lupi dicitur, proximos ipsius Patricij successores recensent, Manueum, Contestum, Vigorem & Leucadium. At iste Codex tantæ non est auctoritatis, vt ceteris omnibus anteponi debeat, qui sancto * Lupo Sanctum Manueum, Sancto * Manueo Sanctum Contestum, Sancto * Contesto Sanctum Patricium, Sancto Patricio Sanctum Vigorem constantissimè sufficiunt.

[a] De Diu. Miss. Sacrif. c. 21.
[b] In Cerasio c. 1. n. 1. CHRONOLOGIA EP. BAIOC.
[c] D. 1. Nou.
* S. Patrice.
* Bayeux.
* S. Loup.
* S. Manuen.
* S. Contest.

XVIII. Post Sanctum Vigorem Ecclesiæ Baiocensi præfuit Leucadius, quot autem annis Pontificatum tenuerit, manet incompertum. In veteribus enim monumentis nec annus notatur quo Præsulatum suscepit, nec consignatur annus quo vitam clausit. Adeptus erat Episcopatum anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, cùm celebrata est Synodus Aurelianensis tertia. Superstes erat in viuis anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo, cùm habitum est Concilium Aurelianense quintum. Ei successit Lasciuus, qui regnante adhuc Childeberto Concilium Parisiense suâ subscriptione communiuit anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo, nec alius videtur à Lauscio qui Sanctum Scubilionem anno Christi quingentesimo sexagesimo-tertio sepeliuit.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

ANNVS CHRISTI 531. THEODORICI R. 20. CHILDEBERTI R. 20. CLOTARII R. 20. INDICTIO 9.

I.

ANNVS Christi quingentesimus tricesimus-primus notatur in Fastis [a] post Consulatum Lampridij & Orestis, Indictione nonâ. Obiit hoc anno Amalaricus Rex Wisigothorum, apud Isidorum enim & in Chronologiâ Regum Gothorum ex veteri Codice cœnobij Mossiacensis post Theodoricum auum regnasse legitur *annis quinque*. Quo exitu vitam clauserit, scribit Gregorius Turonensis [b]. *Hispanias Childebertus appetiit, Amalaricus verò hæc audiens, naues ad fugiendum parat. Porrò imminente Childeberto, cùm Amalaricus nauem deberet ascendere, ei in mentem venit, multitudinem se preciosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cúmque ad eosdem petendos in ciuitatem regrederetur, ab exercitu à portu exclusus est. Videns autem se non posse euadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cæpit. Sed prinsquàm limina sancta contingeret, unus emissâ manu lanceâ eum mortali ictu sociauit, ibique decedens reddidit spiritum.* Notabis obiter Catholicorum siue de Christianâ religione benè sentientium Ecclesiam per excellentiam dici Christianorum, eóque nomine hæreticos omnes indignos censeri. Sed pergit Gregorius. *Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat. Quæ nescio quo casu in viâ mortua est, & postea Parisius adlata, iuxta patrem Chlodoueum sepulta est. Childebertus verò inter reliquos thesauros ministeria Ecclesiarum preciosissima detulit. Nam sexaginta calices* (Aimoinus [c] habet nouem, error manare potuit à librariis propter affinitatem numerorum LX. & IX.) *quindecim patenas, viginti euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro ac gemmis preciosis ornata, sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesiis & Basilicis Sanctorum dispensauit ac tradidit.*

[a] Marius, Marcell. Victor.

[b] Lib. 3. c 10.

CHILDEBERTVS MOVET IN VVISIGOTH.

[c] Lib. 1. c. 8.

II.

In territorio Bituricensi tunc florebat Eusychius vir multarum virtutum, qui tanquam eremita inter spinarum condensitatem ab hominum familiaritate se remouerat, & aurum ac diuitias huius mundi tanquam stercora contemnebat. *Ad hunc senem*, de quo plura Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum [d] scribit, *Childebertus in Hispaniam abiens venit. Cúmque ei quinquaginta aureos obtulisset, ait senex, quid mihi ista profers? illis qui ea pauperibus largiantur adtribue, mihi autem hæc necessaria non sunt. Sufficit mihi vt pro meis peccatis Dominum merear deprecari, & adiecit. Vade & victoriam obtinebis, & quod volueris ages. Tunc Rex aurum pauperibus erogans, venit vt si eum Dominus cum suâ gratiâ de itinere illo reduceret, in honore Dei Basilicam in eo loco ædificaret in quo senis membra quiescerent; quod postea adimpleuit.*

ADIT EVSYCHIVM EREMITAM.

[d] Cap. 82.

III.

Eusychij siue Eusitij vitam ex veteribus membranis Labbeus [e] publicauit, Ducheſnius prolixiorem viderat, cuius fragmentum [f] curauit typis mandari. In vtraque reperiuntur nonnulla quæ discrepant à Gregorio. Apud Labbeum enim nomen Eusitij manet penitùs incognitum Childeberto Regi, donec hic profligatis Gothis in Franciam reuersus fines Biturigensium iam attingat, in editione verò Ducheſniana *dum transiret cum exercitu suo Rex sapiens*

[e] Tom. 2. Biblioth.

[f] Tom. 1. collect. Franc.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

Childebertus, à beato Deodato ceteriſque Dei cultoribus Euſicium in Bituricenſi pago habitare didicit. *De eius quoque actibus diligenter edoctus, iter ſuum reuertendo decreuit dirigi ad virum Dei, ſi ſibi reditum conferret proſperum virtus Dei. Et vt pro ſe ſuiſque ad omnipotentem Deum interueniret, inclitus Rex delegauit ei, ſi quid etiam de euentu eius ſentiret, per internuntios ſuos mandare ſibimet dignaretur. Euſicius ergo mandatum regale ſuſcipiens, vt verus Propheta, Regis conflictus cum Almarico proſperos vaticinauit futuros. Audiens igitur Rex viri Dei ſalubre reſponſum, quemadmodùm decreuerat, in breui pergit iter ſuum.* At fides potiùs eſt habenda Gregorio Turonenſi, qui prout ſuprà retulimus, Childebertum, cùm in Hiſpaniam abiret, ad Euſicium veniſſe ſcribit. Supererat adhuc in viuis, vt ex textu proximè citato patet, Monaſterióque præerat ad ſiniſtram Ligeris ripam in Diœceſi Carnotina Deodatus Abbas, cuius mentionem ſub Clodoueo Rege iam fecimus. Diaconus conſenuit, Preſbyterorum numero noluit accenſeri, tanta quippe eum ſui deprimendi cupido inceſſerat. Deo reuelante diem proximæ mortis agnouit, viaticóque percepto placidè defunctus eſt octauo Kalendas Maij, quo die celebris eſt eius memoria. Poſt mortem crebris coruſcare cœpit miraculis, quibus permoti regionis accolæ ſuper tumulo Baſilicam ingentem exſtruxerunt, lapſúque temporis locus excreuit in oppidulum quod Balgentiacum inter & Bleſas à S. Deodato * nomen etiamnum ſeruat. In vrbe Biturica prima cæleſtis vitæ rudimenta poſuit, deinde in Ixio Cœnobio Monaſticam vitam ſub Abbatis Faretri regimine per aliquot annos duxit, donec à Baudouino Sacerdote Carnotenſi ad illud Monaſterium profecto didicit in Bleſenſi territorio non procul ripâ Ligeris locum eſſe vitâ frui ſolitariâ cupientibus peropportunum, niſi crudeliſſimi draconis afflatu fœdaretur, illuc enim impetratâ mox ab Abbate licentiâ properauit anachoreticam acturus vitam cum Baudouino, fugato dracone cellam parauit, & vicinam circumquaque regionem fragrantiſſimo virtutum diuinarum odore reſperſit. Poſteà nobile Monaſterium erexit ex munificentia Clodouei Regis, & Monachos qui Deo famularentur ad quadragenarium vſque numerum congregauit. Bello Gothico, quod à Childeberto geſtum eſt, quot annis ſuperſtes fuerit, haud ſcitur. Epitomen vitæ conſule apud Labbeum [a] in collectione rerum Aquitanicarum.

DEODATVS ABBAS.

* *S. Dié ſur Loire entre Baugency & Blois.*

[a] Tom. 1. Biblioth.

IV. In Codice Ducheſniano *Rex piiſſimus Gallia* Childebertus *hoſte deuicto Regnum volens reuiſere, dum redit ad propria, per hominem Dei* Euſicium *venire feſtinat. Cùm autem deueniſſet Rex ad Sanctum Dei, pacis oſculum dare non diſtulit, & cum gratiarum actione de ſua partem ſubſtantia ſcilicet nummorum libras circiter* XV. *ſponteuà voluntate largiri præcepit, quibus cellulæ ſuæ dignas aptaret officinas, & quidquid plus peteret, libentiùs ſibi dari iuberet. Quod cùm audiſſet fidelis ſeruus & prudens, circumquaque reſpiciens, cernit ligatos quos regalis exercitus ducebat captiuos, horum miſeriei compaſſionem intra ſe ſuſcipiens, ſupplici prece petit à Rege quos Dei voluntas illi permiſerat triumphali palmâ ſuperare, captiuos ſcilicet quos victos minabant ſatellites. Cuius petitioni benigno fauore Rex aſſentiens iubet captiuos perquiri & ſine contradictione reddi.* Membranæ Labbeanæ non habent *nummorum libras circiter* XV. ſed *trecentos ſolidos*, quos etiam in captiuorum redemptionem Euſicius erogauit. Hæc autem cum narratione Gregoriana non pugnant, quem enim Childebertus in Hiſpaniam pergens adierat, hunc ex Hiſpania rediens iterùm inuiſere potuit.

V. Maior oboritur difficultas circa Baſilicam quam ſuper beati viri tumulo Gregorius à Childeberto Rege, Codex Labbeanus à Wlfino regiæ ſtirpis Optimate conſtructam tradit, verùm Anonymus à Ducheſnio publicatus, cui propter antiquitatem ſtyli longè potior quàm exemplari Labbeano fides haberi debet, omnem controuerſiam facilè dirimit, teſtatur enim operam à Wlfino collocatam eſſe non in erigenda Baſilica ſuper Euſicij ſepulchro, ſed in condendo locupletandóque Monaſterio, vbi multi monaſticen ſub ipſomet Euſicio Abbate profiterentur. *His*, inquit, *diebus Childebertus Rex Francorum*

moto

moto exercitu ſuo ad debellandam Hiſpaniæ terram, propter Almaricum, qui ſororem Regis ſibi coniugem impiè tractabat, de Franciæ finibus eſt egreſſus. Erat cum Rege nobiliſſimus vir quidam ex eius genere Wlfinus nomine, moribus honeſtus, fide præclarus, qui vita ſanctitate atque iuſtitiâ omnes alios præcellebat. Et inferiùs. *Reuerſo Rege cum exercitu ſuo in Galliarum partibus vnicuique decreuit ſecundum acceptationem perſonæ ſeruitium quod fecerat remunerare. Igitur Wlfinus eiuſdem generis vir nobiliſſimus, inter ceteros moribus ac honeſtate præcipuus, remunerationis ſuæ præmium, ſicut & ceteri, præſtolabatur. Sed quia celebre beati viri cognouerat nomen, nihil petit ſibi dari niſi ſuper Chari * fluuium quem Rex habebat honorem. Tunc quoque mente purâ Rex illi conceſſit totum, quicquid ab eo poſtulabat. Mox inde reuerſus, ad virum Dei venit feſtinus, ac eius ſe condonans voluntati, plura de his quæ à Rege beneficiis impetrauerat, eidem venerabili viro, vt inde viuere poſſent qui Dei ſeruitium inibi peragerent, largiri corde tenus ordinauit. Ipſi verò viro Dei Euſicio Monaſterium, in quo primùm ſe fecit Monachum, ſubingauit, quia regalis auctoritatis teſte priuilegio commendabat. Atque de membro facto capite, obtinuit cuncta geminis Eccleſiis pertinentia principalibus, quæ nominatur Patriciacus vna, altera modicùm diſtans ab ea, quæ Monaſterium nuncupatur. Necnon & aliæ villulæ multæ, quæ ſub iure capitalis Eccleſiæ manebant, ſub nomine beati viri præfatæ cellulæ obedientiam præferentes, vſibus ſuis computantur. Vnde fratres qui in ſuo regimine ſiti fuerunt, pront facultas competebat, neceſſaria capiebant.* Atque hæc initia fuerunt inſignis Monaſterij, cui primùm Cellula *, deinde Cella Sancti Euſitij nomen fuit in Diœceſi Bituricenſi ad Carum amnem. Caue autem ne quod Labbeus in elogio hiſtorico S. Euſitij perperàm fecit, Wlfinum ſub Abbate Euſitio Monachum fingas ex his verbis ſuprà recitatis (*in quo primùm ſe fecit Monachum*) quæ non ad Wlfinum referri debent, ſed ad Monaſterium Patriciacum vbi Euſitius Monaſticam vitam per plures annos duxit, antequàm in eremum ad ripam Cari ſecederet, vt pridem ſub Clodoueo Rege narrauimus.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

* Le Cher.

CELLA S. EVSICII.

* Selles en Berry.

Gregorius Turonenſis loco iam citato teſtatur Euſitium ſenem fuiſſe, cùm Childebertus bellum aduerſus Amalaricum ſuſcepit. Paucis igitur pòſt annis ſuperſtes vixit. Quartanariis aquâ benedictâ; infantibus, quibus fauces intumuerant, ſolo tactu; aliiſque infirmis frequenter curatis, tandem præuiſo mortis die deceſſit è viuis quinto Kalendas Decembres, eique in Abbatis officio ſucceſſit Leonardus, pauperum cultor, ſui contemptor, & ardentiſſimus Sanctorum imitator. Lege prædictum elogium hiſtoricum ſancti Euſitij, eiuſque vitam è Labbeanis ſchedis erutam. Childebertus Rex, vt vouerat, ſuper beati viri tumulo Baſilicam erexit, teſte Gregorio Turonenſi. In Martyrologio Gallicano & in antiquis Bituricenſis Eccleſiæ Breuiariis memoria Sancti Euſitij celebris eſt quinto Kalendas Decembres.

VI.

LEONARDVS ABBAS.

Vt annum ignoramus quo ſanctus Euſitius obiit, ita nec annum deprehendere potuimus, quo Childebertus Rex ſuper eius ſepulchro Baſilicam inchoauit. At ſecùs ſentiendum de altera, quam in Sancti Auiti memoriam, vt voto faceret ſatis, ſtatim ac ex Hiſpania reuerſus eſt, extruendam ſuſcepit, operis ſtrenuè promouendi curâ Waddoni vni ex proceribus demandatâ. In ea Baſilica Deus ſanctum Auitum multis ornauit miraculis. *Illic*, inquit Auctor vitæ [a], *aſſiduis miraculis virtutum geſta clareſcunt. Clauſi pateſcunt oculi, debilium membra ſubitò conualeſcunt, mutus vocem recipit, ſurdus auditum. Datur regioni ſalus integra, & per omnium infirmitates velox medicina percurrit. Vir ſanctus coniungitur Auiano, & vrbs Aurelianorum illorum circumſepta virtutibus, ſeruatur in medio.* Prætermittere non debemus hoc loco diuinam vltionem, quam expertus eſt quiſpiam, quòd in feſto Sancti Auiti feriari nollet. *Cùm anniuerſarius aſſumptionis eius dies cum ſummo coleretur honore*, ait Gregorius Turonenſis [b], *vnus è ciuibus, aliò ad Miſſarum ſpectanda ſolemnia euntibus, accepto raſtro vineam paſtinare direxit, increpitúſque à multis, cur huic feſtiuitati deeſſet, redire nolnit dicens, & hic quem colitis operatus fuit. Verùm*

VII.

CHILDEBERTVS VICTOR CONSTRVIT ECCLESIAM S. AVITI.

[a] Apud Sur. die 17. Iun.

[b] De glor. Conf. c. 93.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

vbi ingressus vineam, primo ictu terram aperuit, protinus retortâ cervice facies ad tergum conuersa est. Tunc tremens spectantibus populis cum fletu magno Basilicam Sancti ingreditur. Post paucos verò dies orans in eodem loco assiduè directâ cervice conualuit. Hæc Basilica, vt Carolus Sausseyus [a] obseruat, habet hodie Decanum, Capicerium, Canonicos numero decem, & Capellanos quatuor.

[a] Lib. 1. n. 10.

VIII. VBINAM VICTVS AMALARICVS.

Gregorius Turonensis, ceterique scriptores, quos hactenus citauimus, Amalaricum in Hispaniâ profligatum atque interemptum tradunt. Multi refragantur in duas distributi classes, alij enim Amalaricum debellatum atque occisum volunt non in Hispaniâ sed in Galliâ siue in eâ Galliarum parte quæ nomen Septimaniæ tunc obtinebat, alij victum quidem in Galliâ siue in Septimaniâ sed in Hispaniâ necatum affirmant. Tanta est Auctorum super bello Gothico discordia. Procopius qui tum viuebat, & libros quatuor de bello Gothorum post aliquot annos scripsit, rem totam sic exposuit [b]. *Amalaricus, vt qui vxoris esset germano infensior redditus, ingenti ex eo calamitate afficitur, vxorem siquidem cùm integræ erga Deum fidei suscepisset, & aliàs ipse Ariana hæreseos esset, haudquaquam sinebat legitimis hanc & veris ritibus vti, nec pro patriæ & optimâ suâ consuetudine Deum sibi propitiando vt coleret. Vnde cùm integerrima fœmina in viri mores concedere nollet, & contemptui haberi apud hunc cœpta, atque adeò vt ferendus de cetero non videretur, Theodeberto fratri vti se habuissent omnia, nuntiauit. Quâ de causâ Germanica gentes Visigothique inimicitias inter se contraxere, acríque ac diutino bello inter hos decertatum. Sed victus demum Amalaricus cum magnâ suorum iacturâ occubuit. Theodebertus verò suis cum rebus omnibus sorore redemptâ Galliæ partem, quantamcúmque sortiti Visigothi fuerant, recepit. Qui itaque Visigothorum ex gente bello deuictâ reliqui ex eâ clade fuere, ex Galliis cum vxoribus liberísque suis iam sedibus egressi ad Theudem in Hispaniis tyrannidem iam palam exercentem se contulere. Hoc pacto Gothi Germanique potiti Galliâ sunt.* Hic Auctor in duos lapsus est errores. Theodebertum enim loco Childeberti perperam nominauit, & eam Galliæ partem, quæ Wisigothis ex pactione cum Ostrogothis post Theodorici mortem initâ cesserat, in potestatem Francorum post Amalarici necem venisse falsò dixit. Quod autem attinet ad negotium, de quo nunc inquirimus, intra Galliarum septa concluſit regionem, in quâ Rex Amalaricus pugnauit occubuítque. Procopio suffragatur in Codice Mossiacensi vetusta series Regum Gothorum, qui tam in Gothiâ Gallicâ quàm in Hispaniis regnarunt. Ibi enim hæc de Amalarico leguntur. *Amalaricus regnauit annis* v. *Iste à Childeberto Francorum Rege superatus, Narbonæ interiit sub Imp. Iustiniano.* Auctor appendicis ad marginem Victoris Tununensis adiectæ, seu, si mauis, interpolator Victoris Amalaricum in Gallia Narbonensi victum & Barcinone in Hispaniâ trucidatum ita scribit. *Amalaricus Rex cum Zidiberto*, id est Hildiberto seu Childeberto, *Francorum Rege in Galliâ superatus Narbonensi in prælio, Barcinonem fugiens venit, ibique à Franco angone* (lanceam siue hastam Franci sic vocabant) *percussus interiit.* De loco non dissentit Isidorus in Chronico Gothorum, sed ipsos Wisigothos auctores necis illatæ constituit. Antiqua lectio sic habet. *Defuncto Theuderico Amalaricus nepos eius quinque annis regnauit. Qui cùm ab Childeberto Francorum Rege Narbona prælio superatus fuisset, Barcinonam * fugiens venit, omniúmque contra se odio excitato apud Narbonam *** (lege Barcinonam) *in foro ab exercitu iugulatus interiit.* Labbeana [c] sic. *Amalaricus nepos eius annis quinque regnauit; qui cùm ab Ildeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, Barcinonam trepidus fugit, effectúsque omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus interiit.* Theudis, qui post Amalaricum Wisigothis imperauit, occubuit in palatio vulneratus à sicario, qui dementem se simulabat. *Fertur autem*, teste eodem Isidoro, *inter effusionem sanguinis coniurasse homines suos, ne quis interficeret percussorem suum, dicens recepisse se dignam vicissitudinem, quòd & ipse priuatim Ducem suum solicitatum occiderat*, vel, vt in editione Labbeanâ legitur, *dicens dignam meritis* (malè *mili-*

[b] Lib. 1. de bello Goth.

* *Barcelonæ.*
** *Narbonnæ.*
[c] Tom. 1. Biblioth.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

tis in exemplari) *recepisse vicissitudinem, quòd & ipse priuatus Ducem suum sollicitatum occiderat.* Totum igitur scelus in vnum Theudem cadit, qui *priuatus*, id est priuatam vitam agens, Amalaricum Ducem seu Regem suum ad colloquium sollicitauit, aut eundem Regem *priuatim*, id est, ad priuatum colloquium, sollicitauit interemítque vel curauit interimi. Fredegarius Amalaricum apud Barcinonem à Francis interfectum tradit, sed bellum quod Childebertus contra Wisigothos hoc anno gessit, non distinguit ab altero quod Childebertus & Clotarius post annos vndecim contra eosdem hostes susceperunt, réque valde disiunctas, quas Gregorius Turonensis capitibus libri tertij decimo & vndetricesimo complexus est, simul permiscet capite quadragesimo secundo epitomes Gregorianæ. *Post hæc*, inquit, *Childebertus & Chlotarius Spanias adpetunt, eásque parte maximâ depopulati sunt. Amalricum Regem Barcennona interficiunt. Cæsaraugusta * ciuitas orationibus & ieiuniis liberatur.* Gregorium Turonensem melius expressit Aimoinus [a], tamen in eo corrigi debet, quòd Francos Amalarico deuicto Toletum vsque profectos ait, ratus sanè Toletum * regiam tum sedem fuisse. *Ipse*, inquit, *Amalricus fugere conatus, Ecclesiam Catholicorum cursu petebat. Tunc vnus è turmâ Francorum citato equo eum insecutus, hastâ cominus percussum terra deiecit exanimatum. Cuius comperto interitu, Childebertus post tergum iter dirigens Gothorum, Toletum vrbem, ipso terrore belli ciuibus consternatis, sine morâ oppugnauit & cepit, multísque ablatis thesauris & sorore assumptâ repedare festinabat ad propria. Sed antequàm capitas peruenirent ad sedes, soror Regis, nescio quo depressa incommodo, vitâ decessit. Cuius corpus in loculo positum Parisius est delatum, ac in Basilicâ sancti Petri iuxta patrem humatum.*

* Saragosse.

[a] Lib. 2. c. 8.

* Tolede.

Ex tot Auctorum sententiis adeò diuersis hæc præcipuè nobis arridet, quæ cladem ac necem Amalarici collocat in Septimaniâ siue in prouinciâ Narbonensi primâ. Nititur Procopio & Appendice ad marginem Victoris Tununensis adiectâ, nec differt à Gregorio Turonensi, quamuis hic Hispanias nominet, nam pars illa Galliarum, quæ Wisigothis diu paruit, Hispania quoque vocata est à multis. In diuisione Diœceseon Hispanienſium, quam Ioannes Garsias Loaisa ex manuscriptis Codicibus Ecclesiarum Toletanæ & Ouetensis * publicauit, mentio fit duarum Hispaniarum. Auctor enim, postquàm recensuit sedes omnes tam Archiepiscopales quàm Episcopales, quæ dominio Wisigothorum subsunt, eas esse octoginta numero sic colligit. *Hæ sunt sedes duarum Hispaniarum octoginta sub dominio Gothorum tam Archiepiscopales quàm Episcopales, per quas nobis ministratur verbum Dei.* Idem Auctor Hipanias duas ita distinguit, vt alteram, quam vocat *citeriorem*, intra Galliam ponat. Inter multiplices enim laudes quas attribuit Wambæ Gothorum Regi, qui prædictam Episcopatuum diuisionem in Concilio Toletano legit, hanc plurimùm extollit, quòd *prouinciam quoque Galliæ, quæ Hispania citerior dicitur, sibi rebellantem, multis Francorum agminibus interceptis, subiugauit, & Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit.* Prouinciam Narbonensem primam, quæ intra Galliarum fines erat & Septimania passim nuncupabatur, scriptores etiam Galli, putà Fredegarius & Aimoinus Hispaniam vocarunt. Illam regionem Guntchramnus anno sui Principatus iuxta Gregorij calculum vicesimo-octauo, iuxta Fredegarij & Aimoini supputationem vicesimo-nono, id est, anno Christi quingentesimo vndenonagesimo, lacessiuit exitu haud prospero. Bellum hoc Gregorius in Septimaniâ, Fredegarius in Spaniâ, Aimoinus in Hispaniâ gestum affirmant. Gregorius [b] ita loquitur. *Guntchramnus Rex exercitum commouit in Septimaniam, Austronaldus autem Dux priùs Carcassonam accedens sacramenta susceperat, ipsosque populos ditioni subegerat regiæ. Rex autem ad reliquas ciuitates capiendas Bosonem cum Antestio destinat. Qui accedens cum superbiâ, despecto Austronaldo Duce atque condemnato, cur absque eo Carcassonam ingredi præsumpsisset, ipse cum Sanctonicis, Petragoricis, Burdegalensibúsque, Agennensibus etiam ac Tholosanis illuc direxit. Cúmque in hac iactantiâ fer-*

* D'Ouiedo.

[b] Lib. 9. c. 31.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

retur, & hæc Gothis nuntiata fuissent, parauerunt se in insidiis. Hic verò super fluuium paruulum propinquum vrbi castra ponit, epulis insedit, ebrietatibus incumbit, conuiciis & blasphemiis Gothos exaggerans. Illique inruentes super eos, reperiunt epulantes inopinantésque. Tunc hi dantes voces exurgunt contra eos. At illi paululum resistentes, fugam simulant. Prosequentibúsque istis, consurgunt qui parati erant, concludentésque eos in medio, vsque ad internecionem ceciderunt. Qui autem euadere potuerunt, vix equo ascenso per fugam dilapsi sunt, omnem supellectilem relinquentes in campi planitie, nihilque secum de rebus propriis auferentes, hoc pro magno ducentes si vel vita donarentur. Insequentes autem Gothi res eorum omnes reperiunt diripiuntque, pedestres omnes captiuos abducentes. Ceciderúntque ibi quasi quinque millia virorum. Captiui autem ampliùs quàm duo millia abierunt.

[a] Cap. 10. Fredegarius multò breuiùs in suo Chronico [a]. *Anno* XXIX. *Guntramni, exercitus in Spaniam eiusdem iussu dirigitur, sed negligentiâ Bosonis, qui caput exercitus fuit, grauiter à Gothorum exercitu illi trucidantur.* Et Aimoinus libro

[b] Cap. 77. tertio [b]. *Anno* XXIX. *regni Guntranni, iteratò exercitus Burgundionum Hispaniam ingreditur, sed negligentiâ Bosonis militiæ Principis, grauiter Gothorum gladiis obtruncatis quibusdam è suis, vix ad patriam est regressus.* Hæc ex pluribus sufficiant, quæ facilè congeri possent ex variis Auctoribus, vt scias apud

[c] Lib. 3. c. 10. Gregorium Turonensem [c], vbi bellum à Childeberto Francorum Rege contra Gothos hoc anno susceptum describit, Hispaniarum nomine Septimaniam seu prouinciam Narbonensem primam intelligi, & Amalaricum *Wisigothorum Regem nec Barcinone nec Toleti sed Narbone à milite Franco peremptum occubuisse.

* *Amalry.*

X. Cæterùm Amalaricum haud alium existimamus ab illo Gothorum Rege, in cuius conspectum venit Ægidius, qui solitariam vitam ad Rhodanum in Septimaniâ tunc agebat, vbi hodie conspicitur oppidum non ignobile quod

* *S. Gilles.* posterioribus seculis ab eodem sancto Ægidio * nomen accepit. Floruit beatus Ægidius, cùm Cæsarius Arelatensem Præsulatum gerebat, & Veredemius eremum incolebat ad Gardonem * fluuium in Episcopatu Vcecienſi,

* *Le Gard.* vicináque Septimania penes imperium Wisigothorum erat. Tres hi Characteres Chronologici constant ex eius vitâ manuscriptâ, cuius Auctor peruetustus ita scribit. *Sanctus Ægidius natione Græcus à præclaris parentibus originem duxit. Extitit enim Athenis oriundus, patre videlicet Theodoro, Pelagia verò matre. Atque licet inter totius orbis primores præclari Christianissimam duxerunt vitam.* Ægidius, patriâ relictâ cùm quæreret latebras vbi deliteſceret, in quandam primùm insulam, vbi *tribus diebus* moratus est, deinde Massiliam venit. *Tunc temporis Pontifex bonæ memoriæ Cæsarius Arelatensem Ecclesiam gubernabat. Cuius sanctitatis audito præconio Ægidius Arelatem citiùs properauit, tanti Præsulis colloquio atque ædificatione cupiens instrui. Hunc autem Arelate quædam vidua diuitiis locuples Teocrita nomine officiosissimè suscepit hospitio. Dum verò cœna pararetur, audiens Sanctus planctus infirmantis in secretioris parte domus, quid hoc esset interrogauit. Domine, inquit Teocrita, filia mea est triennio iam febricitans, pro cuius salute plurimas opes frustrà medicis distraxi, tu verò si quid medicinæ scires, vellem vt ei grandia recepturus præmia subuenires. At ille nihil terrena sese scire medicina professus, solito precum antidoto, optata illam restituit sanitati. Istius autem miraculi fama diuulgata ad Cæsarij Præsulis aures peruenit. Is quoque per spiritum iam & aduentum illius & vitam cognouerat. Mox igitur per Archidiaconem suum nomine Aureum ad Præsulem accersitus Ægidius cum magnâ veneratione suscipitur, atque biennio ibidem multis obsecrationibus detinetur. Vir autem Domini transacto biennio, soli Deo vacare cupiens solitarius latenter inde discessit, transitóque Rhodano secus ripam Gardonis fluuij aliquod latibulum aptum suo proposito quærens diuino directu inuenit quemdam eremitam, Veredemium nomine, sanctitate & miraculis insignem. Is in cuiusdam rupis concauo merabatur, quò saxorum asperis anfractibus difficilis erat accessus. Cuius vitam sanctus Ægidius videns esse diuinam aliquandiu temporis cum eo ædificationis causâ est conuersatus.* Deinde

VARIÆ ÆGIDII ATHENIENSIS MANSIONES IN GALLIA.

interiorem eremum relicto Veredemio latenter penetrauit. Peruenit itaque Dei nutu ad quendam locum non longè à Rhodani fluuij decursu in mare, cui Septimania vocabulum est, fruticetis & arboribus obsitum, solisque ferarum lustris frequentatum, ibique quoddam reperiens antrum, cuius in introitu fonticulus vndâ purâ scatebat, ita lætus Deo gratias reddidit, ac si regij apparatus aulam reperisset. Triennio igitur pro salute populi ibidem orando manens solis herbis vixit & aquâ, excepto quòd ei Dominus quandam præparauerat ceruam satis abundè certis horis reficiendi lactis alimoniam sibi præbentem. Contigit ergo familiam Flauij Regis, qui tunc temporis Gothorum Monarchiam tenebat, prædicti loci viciniam venandi gratiâ intrare, &c.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

Qui volunt Ægidium seriùs in Galliam venisse, duos statuunt Cæsarios Arelatenses Episcopos, quorum posteriorem exeunte septimo seculo sedisse tradunt, & vt opinioni suæ fidem concilient, Veredemium eremitam, quocum Ægidius in territorio Vcetiensi vixit, confundunt cum altero eiusdem nominis eremita, qui Pontificatum Auenionensem ineunte octauo seculo gessit. Vnum duntaxat agnoscimus Cæsarium, duos autem Veredemios, quorum alter Cæsario æqualis fuit, alter post annos ab obitu Cæsarij centum ac sexaginta Diœcesim Auenionensem gubernauit. Veredemius eremita, quem Ægidius adiit, natione Græcus fuit, relictâ patriâ in Galliam venit, solitariam vitam in pago Vcetiensi duxit. Migrauit ad Deum decimo-tertio Kalendas Septembres, quo die colitur ab Vcetiensibus sub titulo Confessoris non Pontificis, eiúsque reliquiæ custodiuntur Vcetiæ *. Hæc obseruantur à Gonono libro tertio de vitis Patrum Occidentis in Notis ad vitam Sancti Veredemi seu Veredemij Episcopi, longéque diuersa sunt ab actis istius Veredemij, qui solitudinem Auenione vnà tantùm leucâ distantem incoluit, ex eremita creatus est Auenionensis Episcopus, annuâ festiuitate celebratur decimo-quinto Kalendas Iulias, & in argentea capsa super maius altare primariæ Auenionensis Ecclesiæ requiescit.

XI. DVO DISTINGVVNTVR VEREDEMII.

* *Vsser.*

Cæsarius, de quo plura dicturi sumus ad annum Christi quingentesimum tricesimum sextum, quo ciuitas Arelatensis in Francorum potestatem primùm venit, Episcopatum per annos quadraginta tenuit, sub Wisigothis, tum sub Ostrogothis, postremò sub Francis, nam sedere cœpit anno secundo sexti seculi, vitámque anno eiusdem seculi secundo supra quadragesimum clausit. Ægidius, si sub Amalarico Rege, vt coniicimus, in Septimania vixit, Arelate degit sub Ostrogothis, versatúsque est intra Franciæ limites eo tantùm tempore, quo vir ipse Græcus cum Veredemio Græco in eremo ad Gardonem fluuium mansit. Vitam illic duxit sanctitate celebrem. *Transacto Rhodano, ad Guardani fluminis ripam, vbi solitarius degebat Veredemus, se contulit, cuius magisterio, virtutum suarum planè immemor, veráque sui aspernator sese summisit. Ibi arctissimâ spelunca locique horrore mirificè delectatus totum se dedit diuinæ contemplationi. Nec defuere frequentes raptus in Deum, quem ex intimis præcordijs erans, mirâ suauitate complectebatur. Humi iacens, herbis sponte nascentibus victitabat, potum ex vicini fluminis laticibus hauriens: quem vitæ tenorem, quandiù hominibus ignotus latere potuit, vir, quem Angeli sibi proximum stupebant, obseruauit. Mirabatur Veredemus in alumno suo tanta Spiritus charismata, sed id maximè quòd cùm ad eius merita crebra miracula accederent, ipse Ægidius suâ sese humilitate inuoluens hanc ipsam gratiam Veredemi meritis acceptam ferebat. Sed cùm regionem longa sterilitas occupasset, illo orante pulsa est dira fames, terráque multiplicatum reddidit fœnus. Hæc beneficio moti incolæ certatim ad Ægidium confluere cœperunt. A quo varij languores curati, serpentum fugatum virus, subacta dæmonia, innumereque virtutes patratæ. At frequenti hominum concursu tandem granatus vir Dei, vlteriorem secessum meditabatur.* Hæc Andreas Sausseyus [a], qui loco Veredemi Veredemium iuxta fidem manuscriptorum exemplarium rectiùs scripsisset.

XII. ÆGIDIVS EREMITA AD GARDONEM.

[a] Die 1. Sept.

XIII. AD RHODANVM IN SEPTIMANIA.

Posterior eremus, quam Ægidius ad Rhodanum in Diœcesi Nemausensi delegit, Septimania vocatur in Codice suprà citato, necnon in alio quem

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

Guillelmus *Catel* vidit allegauitque libro primo hiſtoriæ Occitanæ *. Verùm Septimania non loci priuati ſed prouinciæ nomen videtur fuiſſe. Inter opulentiſſimas vrbes, quas Gallia Braccata ſeu Narbonenſis olim amplectebatur, ab antiquis Auctoribus celebrantur quinque, Narbo * Martius, Arelatum *, Forum * Iulij, Arauſio * & Biterræ *, quibus cognomina indita ſunt à militibus legionum totidem, ſecundæ videlicet Arauſione, ſextæ Arelate, ſeptimæ Biterris, octauæ apud Forum Iulij, & decimæ Narbone, ſtationes agere ſolitarum. Vnde apud Melam [a], *Secundanorum Arauſio, Sextanorum Arelate, Septimanorúmque Biterra. Sed anteſtat omnes Atacinorum Decumanorúmque colonia, vnde olim iis terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus eſt Martius Narbo.* Et paulò pòſt, *Forum Iuly Octauanorum colonia.* Et apud Plinium [b], *Narbo Martius Decumanorum colonia*, &c. *Forum Iuly Octauianorum colonia*, &c. *In mediterraneo, coloniæ Arelate Sextanorum, Blitera Septumanorum, Arauſio Secundanorum.* Non deſunt [c] qui Septimaniam ita dictam putent à ſeptima legione, quæ Biterris ſeu Bliteris aut Bliteræ cognomen Septumanorum dedit. Alij [d] Septimaniam ita vocatam ſcribunt à ſeptem prouinciis, quarum Iudices & Epiſcopi, ſtante Romanorum Imperio, ad Concilium forenſe & Eccleſiaſticum in ciuitate Arelatenſi conueniebant, vt notauimus ad annum Chriſti quingenteſimum octauum, cùm varias Galliarum diuiſiones exponeremus, obſeruaremúſque Galliam vniuerſam aliquando in Gallias & ſeptem prouincias diſtinctam fuiſſe. Meliùs apud Bernardum Guidonis, in Galliarum diuiſione, cuius Codex manuſcriptus penes Catellum fuit, Septimania breuioribus circumſcribitur finibus, & pars eſſe dicitur prouinciæ Narbonenſis, ſed perperàm aſſeritur mutuata nomen à priſca Ciuitate cognomine, quæ ſita eſſet in monte * Setio. *Hæc eſt*, inquit ille, *prouincia Narbonenſis, cuius pars Septimania dicitur à quodam forſitan monte, iuxta maris ſtagnum ſito, vbi quondam Ciuitas fuiſſe fertur Septimania dicta, quæ ab incolis podium Ceſæ prope Ciuitatem Agathenſem vulgariter appellatur.* A Ptolemæo [e], qui meridianum Galliæ Narbonenſis latus diſtinctiſſimè deſcribit, mons ille Setius, quem Strabo [f] montem Sigium, ὄρος Σίγιον, vocat, alij alio modo pronuntiant, medius inter Agatham & Foſſas Marianas ita collocatur, Ἀγάθη πόλις, Σήτιον ὄρος, Φόσσαι Μαριαναί, *Agatha Ciuitas, Setius mons, Foſſa Marianæ.* Romanis Scriptoribus notiſſimus fuit mons Setius, id in dubium non vocamus, at vetus non occurrit Auctor, qui teſtetur vrbem, nomine Septimaniam, in eius cacumine olim ſtetiſſe. Certè nulla Septimaniæ mentio fit ante aduentum Gothorum in Galliam Narbonenſem, & poſt longam diuturnámque inueſtigationem Catellus Scriptorem non innenit Sidonio vetuſtiorem qui Septimaniæ meminiſſet. Septimania, quia Gothis ceſſit, à Gothorum nomine Gothia quoque nuncupata eſt, ideóque Septimania & Gothia in teſtamento Caroli Magni vocabula ſunt ſynonyma, hoc modo. *Partem Burgundiæ cum Prouincia & Septimania ſiue Gothia, vſque ad Hiſpaniam Pipinus accipiet.* Literæ, quas Ludouicus Pius direxit *omnibus fidelibus, in partibus Aquitaniæ, Septimaniæ, Prouinciæ & Hiſpaniæ, conſiſtentibus*, ob oculos exhibent ſitum Septimaniæ, quam ab Ortu Prouincia, à Septemtrione & ab Occaſu Aquitania, à Meridie Hiſpania claudebat. Gregorius Turonenſis, qui Francorum hiſtoriam Eccleſiaſticam texuit, cùm Gothi cis Pyrenæos montes in Septimania dominabantur, Septimaniam in Gallia collocauit, ac limitibus ſuprà poſitis circumſcripſit. Primò Septimaniam ad Galliam pertinere & Hiſpaniæ finitimam eſſe ſic docuit [g]. *Commotus Guntchramnus Rex exercitum in Hiſpanias deſtinat, ſcilicet vt priùs Septimaniam, quæ adhuc infra Galliarum terminum habetur, eius dominationi ſubderent, & ſic inantea proficiſcerentur.* Deinde eandem Septimaniam Prouinciæ conterminam eſſe ſic oſtendit [h]. *Gothi propter ſuperioris anni deuaſtationem quam in Septimania Regis Guntchramni exercitus fecit, in Arelatenſem Prouinciam proruperunt, egerúntque prædas.* Septimaniam igitur extra prouinciam Narbonenſem primam fruſtrà perquiras. Atque inde conclu-

* *De Languedoc.*
* *Narbonne.*
* *Arles.*
* *Frejus.*
* *Oranges.*
* *Beziers.*

[a] Lib. 2. c. 5.
[b] Lib. 3. c. 4.

[c] Zurita in Annal. Arrag. Sirmond. in not. ad Sidon.
[d] Scalig in not. ad Auſon.

QVID SIT SEPTIMANIA.

* *Cap de Sette.*

[e] Lib. 2. c. 10.

[f] Lib. 4.

[g] Lib. 8. c. 28.

[h] Lib. 9. c. 7.

dimus Septimaniam à septem ciuitatibus nomen sortitam esse. Nam iuxta veterem prouinciarum ac ciuitatum Gallicanarum notitiam, quam Iacobus Sirmondus [a] conditam ait, *cùm Gallias & septem prouincias distingui mos erat*, quo tempore gens Gothorum in Galliam nondum penetrarat, sunt quidem in prouincia Narbonensi prima ciuitates duntaxat quinque, *Metropolis ciuitas Narbonensium, ciuitas Tolosatium, ciuitas * Beterrensium, ciuitas * Nemausensium, ciuitas Lutenensium.* Sed iuxta notitias paulò recentiores, quæ videntur editæ sub aduentum Gothorum in Galliam, & ab Andrea Duchesnio [b] publicatæ sunt ex Bibliotheca Thuanea, prædictis quinque ciuitatibus, adduntur duæ, Agathensium videlicet & Magalonensium, ita vt prouiciam Narbonensem primam deinceps constituant septem hæ ciuitates, quæ nomen Septimaniæ proculdubio fecerunt, *Metropolis ciuitas Narbonensium, ciuitas Tolosatium, ciuitas Beterrensium, ciuitas * Agathensium, ciuitas Nemausensium, ciuitas * Magalonensium, ciuitas * Lucteuensium.* Septimaniæ ratio par est ac Nouempopulaniæ. Vt prouincia Aquitanica tertia, cuius caput erat Elusa *, dicta est Nouempopulania seu prouincia Nouempopulana, quòd nouem populis constaret; ita prouincia Narbonensis prima, cuius Metropolis erat Narbo, Septimaniæ nomen posteà tulit, quòd septem ciuitates amplecteretur. Præterea, vt Nouempopulania, quæ coaluerat ex nouem populis, nec plures ciuitates quàm populos tunc habebat, aucto pòst ciuitatum numero, quas notitia prouinciarum ac ciuitatum Gallicanarum inferiùs repræsentabit, facta est prouincia duodecim ciuitatum, nec amisit Nouempopulaniæ nomen quod pridem acceperat: ita Septimania seruauit nomen suum, quod inditum erat à septem ciuitatibus, quamuis lapsu temporis ob multiplices rerum bellorúmque vicissitudines, non septem duntaxat sed nouem ciuitates obtineret, quarum hæc erant nomina. *Ciuitas Metropolis Narbonensium, ciuitas Beterrensium, ciuitas Nemausensium, ciuitas Luteuensium, ciuitas Agathensium, ciuitas Magalonensium, ciuitas * Carcassonensium, ciuitas * Elenensium, ciuitas * Illiberitanorum.* Nomina septem ciuitatum, quæ Septimaniam primùm constituerunt, retulimus suprà, quomodo septenarius ille numerus ad senarium redactus sit amissâ Tolosâ, deinde ad nouenarium excreuerit auctione trium nouarum ciuitatum, exposuimus aliâ occasione ad annum Christi quingentesimum vicesimum quartum [c]. Consule & varias Galliarum diuisiones, quas ad annum Christi quingentesimum octauum explicuimus. Prouincia Nouempopulana sic describitur in notitia prouinciarum ciuitatúmque Gallicanarum à Sirmondo publicata. *Prouincia Nouempopulana, numero* XII. *Metropolis ciuitas Elusatium. Ciuitas Aquensium. Ciuitas Lactoratium. Ciuitas Connenarum. Ciuitas Consorannorum. Ciuitas Boatium. Ciuitas Benarnensium. Ciuitas Aturensium. Ciuitas Vasatica. Ciuitas Turba, vbi Castrum Bigorra. Ciuitas Elloronensium. Ciuitas Ausciorum.* Eruditissimus Petrus *de Marca*, qui ex Tolosano Metropolita, quo nomine citatum hactenus à nobis legisti, factus Parisiensis Archiepiscopus obiit anno superiore, Benarnensem historiam accuratè conscripsit, cùm adhuc laicus in supremo Nauarræ Senatu Præses esset. Libro primo delineauit Nouempopulaniam, & duodecim Ciuitates illius prouinciæ reuocauit ad nouem hosce populos, ad Elusates, Tarbellos, Lactoratates, Conuenas, Benarnenses, Atures, Vasates, Bigerriones, & Auscios, ita vt singulas ciuitates haberent singuli populi, si Tarbellos, Conuenas & Benarnenses excipias, quorum populorum vnusquisque duas ciuitates obtinebat, Tarbelli ciuitatem Aquensium & ciuitatem Boatium, Conuenæ ciuitatem Conuenarum & ciuitatem Consorannorum, Benarnenses ciuitatem Benarnensium & ciuitatem Elloronensium. De Nouempopulaniæ ciuitatibus & Episcopatibus iam disseruimus ad annum Christi DVIII. quo Clodoueus Rex Parisios rediit Regno per tres Aquitanias post Alarici necem dilatato.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

[a] Tom. 1. Conc. Gall.

* Beziers.
* Nismes.

[b] Tom. 1. collect. hist. Franc.

* Agde.
* Maguelone.
* Lodeue.
* Eause.

QVID NOVEMPOPVLANIA.

* Carcassonne.
* Elne.
* Colioure.

[c] Num. 5.

XIV. MONASTERIVM S. ÆGIDII.

Eremus, quam Ægidius ad Rhodanum incoluit, celeberrima fuit apud posteros. Illic erectum est insigne cœnobium, quod sancti Ægidij nomen

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

gessit, & *monasterium sancti Ægidij in valle Flauianâ* vocatum repetitur in antiquo Codice [a], qui scriptus est regnante in Aquitaniâ & in Septimaniâ Ludouico Caroli Magni tum superstitis filio. Illic ob frequentem peregrinorum multitudinem constructæ sunt etiam domus non paucæ, lapsuque temporis creuit vrbs haud ignobilis, cui tantùm decoris ob Sanctissimi Patroni tumulum accessit, vt Metropolis prouinciæ Narbonensis à clarissimo scriptore nuncupetur. *Athaulfus*, qui post Alarici mortem reliquias Wisigothorum collegit, *amore vxoris suæ Placidiæ*, inquit Otto [b] Frisingensis *, *à finibus Romanorum cedit, ac in Galliis iuxta prouinciam Narbonensem, quam postmodum vir Dei Egidius inhabitans, Metropoli, ex nomine suo vt villa sancti Egidij dicatur, dedit, in loco, qui vsque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit.* Hic Auctor Chronicon suum absoluit anno Christi millesimo centesimo quadragesimo-sexto, vitámque clausit post annos duodecim. Vrbem, cui nomen erat à sancto Ægidio, Metropolim dixit, quia prouincia Narbonensis, quæ cognomen à Narbone Martio ciuitate primariâ diu tulerat, tunc terra seu prouincia * sancti Ægidij vulgò vocabatur. Guillelmus *Catel* in Historia Comitum [c] Tolosanorum, testes posterioris huiusce denominationis allegat Fulcherium Carnotensem Presbyterum & Robertum Abbatem de Monte, qui duodecimo etiam seculo vixerunt, ille paulò antiquior Ottone, hic verò recentior. Peregrinationem in Palæstinam Fulcherius, vt ipsemet testatur, anno Christi millesimo nonagesimo-sexto cum Roberto Normannorum Duce ac Stephano Blesensium Comite suscepit, & ad annum ab Incarnatione Dominicâ millesimum centesimum-nonum, ab Hierusalem captâ vndecimum, ita scripsit iuxta vulgatas editiones quæ Ducheſnianam præcesserunt. *Venit Bertrannus Raimondi Comitis filius de prouincia quæ dicitur sancti Egidy, adhibitis sibi Ianuensibus * cum classe suâ, scilicet nauibus rostratis septuaginta, exceptis aliis ferè viginti, & applicuerunt vrbi, quæ Tripolis dicitur.* Robertus Abbas sancti Michaelis * de Monte, Chronico Sigeberti subiecit Appendicem, & ad annum Christi millesimum centesimum-duodeuicesimum, iuxta editiones vetustiores Dacherianâ sic locutus est de Gelasio Papâ, qui post Paschalem tunc sedere cœpit. *Gelasius Papa indicto Remis Concilio transgrediens Alpes in Gallias venit, & per Burgundiam & Gothiam, quæ prouincia sancti Egydy dicitur, agit Synodales causas.* Illorum Auctorum editiones, quas Catellus præ manibus habuit, à Ducheſnianâ Dacherianâque consultò distinximus, quia nec in Fulcherio, quem Franciscus *du Chesne* Geographus Regius, tomo quarto Scriptorum Historiæ Francicæ Parisiis anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, ex Codice monasterij sancti Quintini * de Monte prope Peronam, in lucem emisit, nec in Roberto, quem Domnus Lucas *d'Achery* Monachus Benedictinus anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-primo Parisiis ex Codice monasterij sancti Michaelis de Monte publicauit, vllum inuenies verbum, quo prouinciam Narbonensem ostendas prouinciam sancti Ægidij aliquando dictam fuisse. Fulcherius editus à Ducheſnio sic habet. *Bertraudus Raimundi Comitis filius venit Tripolim, adhibitis Ianuensibus secum cum classe nauium rostratarum ferè* LXX. *quæ omnes ibi applicuerunt.* Et Robertus, quem Dacherius typis mandandum curauit, de itinere Gelasij Papæ per Galliam Narbonensem silet. Huius enim Pontificis creationem tantùm notat ac mortem. Creationem anno Christi millesimo centesimo duodeuicesimo sic. *Mortuus est etiam eodem anno Paschalis Papa mense Ianuarij, cui successit Gelasius* CLXV. Mortem anno sequenti sic. *Eodem anno Papa Gelasius obiit, & sepultus est apud Cluniacum* *. Catellus autem, licet Fulcherij Robertique textibus innitatur, qui desiderantur in exemplaribus Ducheſniano & Dacheriano, carere debet omni vituperatione, quia priusquàm hæc prælo premerentur, è viuis discessit. Non desunt aliæ probationes, quæ prouinciam Narbonensem declarent olim vocatam fuisse terram seu prouinciam sancti Ægidij. Vates illorum temporum in versibus * de laude ciuitatis

[a] Catell. lib. 1. hist occitan.

VILLA S. ÆGIDII.

[b] Lib. 4. c. 31.

* *De Frisingen.*

CVR DICTA METROPOLIS.

* *La Province de S. Gilles.*

[c] Lib. 1. c. 1.

* *Les Genois.*

* *Le Mont S. Michel.*

* *Le Mont S. Quentin.*

* *Clugny.*

* *Cette Cité dont ie vous chante Noſmes, Eſt en la terre de Monſeigneur Sainct Gilles.*

ciuitatis Nemauſenſis, quos vernaculâ linguâ conditos Catellus non ſemel [a] deſcripſit, haud aliò reſpexit, cùm Nemauſum in terra ſancti Ægidij ſitam affirmauit. Prouincia Narbonenſis ſeu Septimania nouum nomen accepit à ſancto Ægidio, cùm Comites Toloſani, quorum Dynaſtia per illam prouinciam latè protendebatur, ab eodem ſancto Ægidio cognomen mutuati ſunt, atque Comites ſancti Ægidij ſimpliciter, aut promiſcuè Comites ſancti Ægidij & Comites Toloſæ dici voluerunt. Raimundus Quartus in chartis, quas Catellus [b] ex variis tabulariis eruit, modò *tam Toloſanorum quam Ruthenenſium Comes*, aliquando *Comes Ruthenenſis, Agatenſis, Biterrenſis, & Narbonenſis*, ſæpè *Comes Toloſæ, Dux Narbonæ, Marchio Prouinciæ nuncupatur.* Aliâ titulorum enumeratione non opus eſt vt intelligas quàm potens eſſet in prouincia Narbonenſi. Miſſis tamen tot illuſtribus nominibus, ob ſingularem cultum quo ſanctum Ægidium proſequebatur, ſolitus erat ſe ſcribere *Raimundum de ſancto Ægidio*, vel *Raimundum Comitem ſancti Ægidij*, vnde contigit, vt *Comes ſancti Ægidij, Comes de ſancto Ægidio, Comes ſancti-Egidianus, Comes ſancti-Egidienſis* paſſim, eiuſque tota ditio non rarò *terra ſancti Ægidij* vocaretur à Scriptoribus Orientalium expeditionum ſeu geſtorum Dei per Francos, vt habet titulus collectioni tot Auctorum præfixus. *Comes ſancti Ægidij* dictus eſt ab Anonymo *in geſtis Francorum & aliorum Hieroſolymitanorum*, à Roberto Monacho Remigiano Diœceſeos Remenſis *in Hiſtoriâ Hieroſolymitanâ*, à Badrico Dolenſi * Antiſtite *in Hiſtoriâ Hieroſolymitanâ*, à Raimundo *de Agiles* Canonico Podienſi * in præfatione præmiſsâ *Hiſtoriæ Francorum qui ceperunt Iheruſalem*, ab Alberto Canonico & Cuſtode Eccleſiæ Aquenſis in *Hiſtoriâ Hieroſolymitanâ*, à Fulcherio Carnotenſi * Preſbytero *in geſtis peregrinantium Francorum cum armis Hieruſalem pergentium*, & à Guiberto Abbate Nouigenti * ſub Caſtro Cociaco *in geſtis Dei per Francos.* Item *Comes de ſancto Ægidio* à prædictis Anonymo & Alberto, necnon *ſancti-Egidianus Comes* & *ſancti-Egidienſis Comes* à Guiberto iam laudato. Appellatus eſt & *Comes Prouincialis* à Fulcherio prænominato & ab incerto Auctore *in geſtis Francorum expugnantium Hieruſalem*, necnon ab Alberto iam citato *Comes de regione Prouinciæ* & *Comes de Prouinciâ*. Non inficiamur ſub Raimundi poteſtate, qui ſe Comitem Arelatenſem & Marchionem Prouinciæ dixit, quædam fuiſſe loca in eâ Galliæ Braccatæ ſeu Galliæ Narbonenſis aut Prouinciæ Romanorum parte, quæ ſita erat inter Alpes ac Rhodanum, & Prouinciæ nomen ad hodiernam vſque diem retinuit. Illorum locorum alteram partem hæreditario iure accepit ab Emâ auia paternâ, quam Antonius [c] *de Ruffi* filiam Rotboldi Comitis * Forcalquerienſis appellat. Alteram partem in agro Arelatenſi per vim occupauit, reddíque tandem præcepit ſcripto ſub vitæ finem teſtamento, quod apud Catellum in Hiſtoria [d] Comitum Toloſanorum conſuli poteſt. *Comes* igitur *Prouincialis* apud Scriptores Orientalium expeditionum, qui de Raimundo loquuntur, idem eſt ac *Comes ſancti Ægidij*, & *Prouincia*, quæ idem ſonat ac *terra ſancti Ægidij*, non differt à prouincia Narbonenſi prima, quæ à ſeptem ciuitatibus Septimania, tum à Gothis Gothia, poſtremò à linguâ * Occitanâ dicta eſt Occitania *. Hæc ſententia nititur Alberto, Fulcherio, Guiberto, & incerto Auctore. Albertus terram ſancti Ægidij vocat Prouinciam, & incolas illius terræ Prouinciales nuncupat. Nam de Raimundo Comite hæc habet libro ſecundo [e]. *Nondum verò Raymundus præfatus Comes, de terrâ ſancti Ægidij, quæ dicitur Prouincia, vires & opem contulerat.* Et libro ſexto [f] ſic diſſerit de claſſe quæ collecta eſt ex diuerſis regionibus, & ad terram ſancti Ægidij applicuit, vt alteri ſe ſociaret, quam Raimundus Comes inſtruendam curarat. *Hi collectione nauium è diuerſis terris & regnis contractâ, ſcilicet ab Antwerpia, Tylâ, Friſiâ, Flandriâ, per mare Prouincialibus in terrâ ſancti Ægidij de poteſtate Comitis Reymundi aſſociati, nauigio in circuitu orbis terræ vſque ad ipſam vrbem Laodiceæ appulſi ſunt.* Denique libro octauo [g], nomine Prouincialium, milites eiuſdem Raimundi non

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

[a] Hiſt. Com. Toloſ. l. 1. c. 1. Hiſt. Occitan. lib. 1.
[b] Hiſt Com. Toloſ. l. 1. c. 1.
* De Dol.
* Du Puy.
* De Chartres.
* Nogent ſeou Concy.
[c] Hiſt Comit. Prouinc. l. 1. capp. 2. 3.
* De Forcalquier.
[d] Lib. 2. c. 1.
* La langue d'Oc.
* Le Languedoc.
[e] Cap. 24.
[f] Cap 55.
[g] Cap. 11.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

semel designat. *Si qui verò*, inquit, *de Prouincialibus præcurrebant*, &c. *Hæc enim Prouincialium gens*, &c. Postremum hoc exequitur etiam Guibertus libro tertio [a]. *Comes sancti Ægidij Raimundus Prouincialium suorum manipulis succenturiatus erupit.* Et libro septimo [b] sic. *Ingressis igitur Prouincialibus, sancti-Egidiani scilicet Comitis exercitu.* Quos autem Prouinciales à prouinciâ Narbonensi primâ sic dictos Albertus & Guibertus in terrâ sancti Ægidij collocant, hos Fulcherius & incertus Auctor Gothos nominant à Gothis qui diu in eadem prouincia consederunt. *Raimundus verò Comes Prouincialis*, inquit Fulcherius [c], *cum Gothis & Gasconibus, Episcopus quoque Podiensis per Sclauoniam transierunt.* Et Auctor incertus [d]. *Raymundus verò Comes Prouincialis cum Gothis & Gasconibus iter arripuit.* Obiit autem Raimundus pridie Kalendas Martias anno Christi millesimo centesimo-quinto, vt Fulcherius libro secundo [e], Anonymus secunda parte Historiæ Hierosolymitanæ & Willelmus Tyrensis * Archiepiscopus libro vndecimo [f] attestantur. Hinc constat Ottonem Episcopum Frisingensem seriùs scripsisse, cùm *Comes sancti Ægidy* pro Comite Tolosano & *terra sancti Ægidy* pro ditione Tolosani Comitis vsurpari iampridem consueuissent, nec aliam quæras rationem, cur villæ sancti Ægidij titulum Metropoleos attribuerit, Metropolim enim seu matricem vrbem vocauit eam, à quâ nomen toti regioni & cognomen Dynastæ totius regionis inditum sciebat.

[a] Cap. 9.
[b] Cap. 8.
[c] Lib. 1. c. 2.
[d] Cap. 3.
[e] Cap. 29.
[*] *De Tyr.*
[f] Cap. 2.

XV.

AN IBI PALATIVM GOTHORVM.

Catellus eremum, quam Ægidius ad Rhodanum in Septimaniâ delegit, commendat etiam ab augusto Gothorum Palatio, cuius mentionem faciunt Otto Frisingensis Episcopus & Gotfridus Viterbiensis Presbyter, vbi agunt de Athaulfo Gotho, qui post Alarici mortem reliquias Wisigothorum collegit, & in Gallias cum vxore sua Placidia, Honorij Augusti sorore, concessit. Ambos hos Auctores citat cùm in historia [g] Comitum Tolosanorum, tum in historia [h] Occitaniæ. In priore opere Ottonem sic. *Sed Athaulfus amore vxoris Placidiæ à finibus Romanorum secedit, ac in Gallias iuxta Prouinciam Narbonensem*, (mendum hoc loco irrepsisse suspicatur, explosâque vulgatâ lectione *iuxta Ciuitatem Narbonensem* reponit) *quam postmodum vir Dei Ægidius inhabitans, Metropoli ex nomine suo vt villa sancti Ægidy dicatur dedit, in loco, qui vsque hodie Palatium Gothorum vocatur, consedit.* In posteriore sic, vocabulo *prouinciam* retento. *Sed Ataulphus amore vxoris Placidiæ à finibus Romanorum cedit, & in Gallias prope prouinciam Narbonensem quam postmodum vir Dei Ægidius inhabitans Metropolim ex nomine suo, vt villa Sancti Ægidy dicatur, dedit, in loco, qui vsque hodie Palatium Gothorum vocitatur, consedit.* In priore Gotfridum sic. *Athaulphus verò Rex Gothorum amore vxoris suæ Placidiæ, quæ erat soror Honorij Imperatoris, à finibus Romanorum discedit, & in Gallia prope ciuitatem Narbonensem, vbi hodie villa sancti Ægidy dicitur, in loco, qui vsque hodie Palatium Gothorum vocatur, consedit, supra Rhodanum flumium.* In posteriore breuiùs. *Ataulphus autem Rex Gothorum amore vxoris suæ Placidiæ, quæ erat soror Honorij Imperatoris, à finibus Romanorum discedit, vbi hodie villa sancti Ægidy dicitur in loco, qui vsque hodie Palatium Gothorum vocatur.* At neuter illorum Auctorum villam Sancti Ægidij non distinxit à loco, cui nomen Palatium Gothorum. Sic enim scripsit Otto [i]. *Sed Athaulfus amore vxoris suæ Placidiæ à finibus Romanorum cedit, ac in Galliis iuxta prouinciam Narbonensem, quam postmodum vir Dei Egidius inhabitans, Metropoli, ex nomine suo vt villa sancti Egidy dicatur, dedit, in loco, qui vsque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit.* Atque ita construi debet. *Sed Athaulfus amore vxoris suæ Placidiæ cedit à finibus Romanorum, ac consedit in Galliis in loco, qui vsque hodie vocatur palatium Gothorum, iuxta prouinciam Narbonensem, quam postmodum Egidius vir Dei inhabitans dedit Metropoli, vt dicatur villa sancti Egidy ex suo nomine.* Ex illâ verborum constructione locum, cui nomen palatium Gothorum, à villâ sancti Ægidij nemo non separabit. Locus enim, vbi palatium Gothorum, non collocatur in prouincia Narbonensi sed iuxta prouin-

[g] Lib. 1. c. 1.
[h] Lib. 3.
[i] Lib. 4. c. 21.

ciam Narbonenſem, & villa ſancti Ægidij ponitur in prouincia Narbonenſi, imò Metropolis prouinciæ Narbonenſis conſtituitur. Aduerte præterea nomine Prouinciæ Narbonenſis non intelligi Galliam Braccatam ſeu veterem Prouinciam Romanorum, ſed partem duntaxat Galliæ Braccatæ, id eſt Prouinciam Narbonenſem primam ſeu Septimaniam. Athaulfus enim conſidet *in Galliis* id eſt in Gallià Braccatâ, conſidétque *iuxta prouinciam Narbonenſem*, id eſt iuxta Septimaniam, quam poſtmodum inhabitat Ægidius vir tantæ exiſtimationis, vt locus, in quo vitam ſolitariam agit, creſcat in villam, quæ ex eius nomine dicitur villa ſancti Ægidij, fitque Metropolis id eſt vrbs primaria Prouinciæ Narbonenſis ſeu Septimaniæ. Malè Catellus in Ottonis textu legendum ait *iuxta ciuitatem Narbonenſem*. Ægidius enim, qui vixit ad Rhodanum in Septimaniâ, *Prouinciam* incoluit *Narbonenſem*, de quâ genuinus Otto loquitur, *ciuitatem* verò *Narbonenſem*, quam Catellus perperam repoſuit, nunquam inhabitauit. Adde quòd villa ſancti Ægidij, quæ ſtat etiamnum ad Rhodanum in eodem prorſus loco, vbi Egidius eremiticam vitam duxit, auctáque eſt titulo Metropoleos, ab Atace * fluuio cui Narbo imminet non parum diſtat, haberíque Metropolis non poteſt ciuitatis ſed Prouinciæ cuius cenſeatur vrbs primaria. Catellum in errorem traxit Gotfridus; apud quem legimus Ataulphum Gothorum Regem *in Galliâ prope ciuitatem Narbonenſem* conſediſſe. Gotfridus Pantheon ſuum ad annum Chriſti milleſimum centeſimum octogeſimum-ſextum perduxit, atque in viginti partes diſtributum Vrbano Tertio Papæ dicauit. Habuit ob oculos Ottonem, à quo recedere non debuit, aut corrigendus eſt ſi receſſit. Sic autem ſcripſit [a] de Ataulpho. *Ataulphus verò Rex Gothorum, amore vxoris ſuæ Placidiæ, quæ erat ſoror Honorij Imperatoris, à finibus Romanorum diſcedit, & in Galliâ prope ciuitatem Narbonenſem, vbi hodie villa ſancti Ægidy dicitur, in loco, qui vſque hodie palatium Gothorum vocatur, conſedit, ſupra Rhodanum fluuium.* Hunc Gotfridi textum Catellus in Hiſtoriâ Comitum Toloſanorum ne vno quidem apice prætermiſſo fideliſſimè deſcripſit, ſed in Hiſtoriâ Occitaniæ decurtatum ad ſuam ſententiam ingeniosâ calliditate detorſit. Gotfridus duas res, quas Otto ſuprà citatus prætériit, accuratè notauit. Obſeruauit Placidiam Imperatoris Honorij ſororem fuiſſe. Locum, in quo Rex Gothorum Ataulphus conſedit, ad Rhodanum fluuium conſtituit. Honorio Auguſto ſororem extitiſſe, nomine Placidiam, quæ Regi Wiſigothorum Athaulpho nupſerit, non inficias imus. Id Gotfridus ediſcere potuit ab ipſomet Ottone [b], qui paulò ſuperiùs, cùm Romam ab Alarico captam deflereret, tantam cladem hoc clauſit exitu. *Soror Honorij Placidia inter aliam prædam capitur, quam poſtmodum Athaulfus in matrimonium ſortitur.* Athaulfum *ſupra Rhodanum fluuium* conſediſſe non ita fatemur, quamuis eum aut ſupra Rhodanum aut non procul à Rhodano ſediſſe cenſeamus. Gotfridus auctoritatem omnem ab Ottone mutuatur. Otto docet Athaulfum *in Galliis iuxta prouinciam Narbonenſem* conſediſſe. Prouincia Narbonenſis, de quâ loquitur, à reliquâ Galliâ verſus ortum dirimebatur Rhodano fluuio. Athaulfus igitur ſedem vel ad ripam Rhodani vel non procul ab illo amne fixit, ſed determinatè *ſupra Rhodanum* conſediſſe non dicendus eſt ex aſſertione Gotfridi qui ſibi non conſtat, neque enim quis *in Galliâ prope ciuitatem Narbonenſem ſupra Rhodanum fluuium* conſidere poteſt, nam ciuitas Narbonenſis à Rhodano multùm diſtat. Vt genuinus Ottonis & Gotfridi ſenſus capiatur, non ſecundum Catelli opinionem Otto, apud quem Athaulfus *in Galliis iuxta prouinciam Narbonenſem* conſidet, ſed Gotfridus emendari debet, apud quem Ataulphus *in Galliâ prope ciuitatem Narbonenſem* conſidet *ſupra Rhodanum fluuium*. Si reſtituas apud Gotfridum ex Ottonis ſententiâ *prope prouinciam Narbonenſem*, nulla difficultas ſupereſt, ſeu deleas ſeu ſerues hæc verba, *ſupra Rhodanum fluuium*, quorum auctoritas vacillat, quia nihil ſimile in Ottonis Chronico reperitur. Gotfrido autem ita correcto hic eſt ſenſus. *Athaulphus verò Rex Gothorum diſce-*

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

* *L'Aude.*

[a] Part. 16.

[b] Lib. 4. c. 21.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

dit à finibus Romanorum, amore Placidiæ vxoris suæ, quæ fuit soror Honorij Imperatoris, & consedit in Galliâ supra Rhodanum fluuium in loco qui vsque hodie vocatur palatium Gothorum, prope prouinciam Narbonensem, vbi hodie villa sancti Ægidij dicitur. Habes Ataulphi sedem valdè distinctam à villa sancti Ægidij. Sedes Ataulphi Regis est prope prouinciam Narbonensem, villa verò sancti Ægidij est in eâdem prouinciâ Narbonensi. Hæc locorum differentia manifestiùs adhuc apparet apud Ottonem, qui non tantùm collocat in prouinciâ Narbonensi villam sancti Ægidij, sed & eam appellat Metropolim eiusdem prouinciæ Narbonensis, in quâ præterea Ægidium versatum esse testatur. *In Galliis*, inquit, *iuxta prouinciam Narbonensem, quam postmodum vir Dei Egidius inhabitans, Metropoli, ex nomine suo vt villa sancti Egidy dicatur, dedit, in loco, qui vsque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit.* Erat igitur palatium Gothorum extra prouinciam Narbonensem, de quâ Otto & Gotfridus verba faciunt, distabátque ab eremo, quam Ægidius ad Rhodanum in eâdem prouinciâ Narbonensi siue in Septimaniâ incoluit.

XVI. VALLIS FLAVIANA.

Quamuis locum, vbi erectum est Palatium Gothorum, distinguamus ab eremo Sancti Ægidij ad Rhodanum, non diffitemur Reges Gothorum delectatos esse plurimùm amœnitate regionis, in qua beatus Ægidius solitariam vitam duxit In veteribus chartis, quas Catellus [a] laudat, Monasterium Sancti Ægidij ponitur *in Septimania in valle Flauiana*, & vicina sylua, quæ hodie dicitur Ægidiana *, cognominatur *Gotesca* *. Palàm est nemus *Gotescum* seu Gothicum à Gothis dictum fuisse, vallis *Flauiana* nomen similiter accepit à Gothorum Regibus, quorum prænomen erat *Flauius*. Habitâ ratione huiusce prænominis, antiquus Auctor, qui vitam S. Ægidij superiùs à nobis citatam scripsit, Regem Wisigothorum, in cuius conspectum beatus Ægidius venit, Flauium appellauit. *Contigit ergo*, inquit, *familiam Flauij Regis, qui tunc temporis Gothorum Monarchiam tenebat, prædicti loci viciniam venandi gratiâ intrare.* Idem prænomen passim occurrit in legibus Wisigothorum & in Conciliis Hispaniæ. Prodierunt in lucem duodecim libri legum Wisigothicarum, & Petrus Pithœus in literis ad Franciscum Roaldesum ait *hunc esse legum Codicem ab Eurico ceptum, à Lewigildo dein, post à Chindasuindo & Recessuindo filio recognitum, demum à Domno Eruigio Spaniarum Rege perfectum.* Chindasuindi nomen occurrit libris secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, nono, decimo & duodecimo, frequentissimè designatur his literis CHDS, nonnunquam istis CIND. aut illis CHINDS. nec omittitur prænomen *Flauius* hisce literis FLS. Vnde hi tituli, FLS. GLS. CHDS. REX. FLS. GLS. CIND. REX. FLS. GLS. CHINDS. REX. id est, Flauius glorioſus Chindasuindus Rex. Par est ratio de prænomine ac nomine Recessuindi, libris secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, decimo & duodecimo. FLS GLS. RCDS. REX. id est, Flauius glorioſus Recessuindus Rex. Eruigij prænomen ac nomen libris secundo, nono ac duodecimo sic exprimuntur. FLS. GLS. ERVIGIVS. REX. In fine libri duodecimi, qui penè totus est de Iudæorum erroribus amputandis, hæc reperiuntur. *Lectæ sunt Leges suprascriptæ omnibus Iudeis in Ecclesia Sanctæ Mariæ Toleto, sub die* VI. *Kalend. Februar. anno feliciter primo regni glorioſissimi Domini nostri Eruigij Regis.* Hinc fortè Pithœus existimauit Codicem Legum Wisigothicarum ab Eruigio Rege perfectum fuisse, sed libris secundo, tertio, quinto & nono, multæ præferunt nomen Egigæ siue Egicæ, qui post Eruigium socerum regnauit, & libro sexto [b] vnà insignitur nominibus Egigæ & Witizæ Regum, quorum posterior prioris filius fuit. Vterque verò Flauius est prænomine sic. FLS. GLS. EGIGA. REX. & IN NOMINE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI FLAVIVS GLORIOSVS EGIGA REX TOLETI NOVITER EMENDATA. FLS. GLS. VVITIZA. REX. Præter hos Reges laudantur & alij tres, Gundemarus & Wamba libro quarto & Sisebutus libro 12. qui & Flauij quoque dicuntur. FLAVIVS [c]. GVNDEMARVS. REX. FLS. [d] GLS. VVAMBA. REX.

REGES VVISIGOTH. DICTI FLAVII.

[a] Lib 1. hist. Occitan.

* *Le Bois de Saint-Gilles.*

* *La Selua Goteſca.*

SYLVA GOTHICA.

[b] Tit. 1. c. 3.

[c] Lib. 4. tit. 2. cap. 19.

[d] Lib. 4. tit. 5. cap. 6.

FLS. [a] SISEBVTVS. REX. FL. [b] SISIBVTVS. REX. Hæc obſeruatio, quæ tota ſpectat ad prænomen, confirmatur ex Conciliis Hiſpaniæ. Concilio Toletano tertio ſubſcribit *Flauius Reccaredus Rex*. Poſt Synodum Toletanam cuidam Decreto ſubſcribit *Flauius Gundemarus Rex*. Poſt Concilium Toletanum quintum Cinthila Rex præceptum emittit cum hoc exordio. *In nomine Domini, Flauius Cinthila Rex*. Concilio Toletano octauo inſertæ ſunt literæ Receſuinthi ſeu Receſſuindi Regis cum hac inſcriptione. *In nomine Domini Flauius Receceſuinthus Rex Reuerendiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus*. Necnon lex in eodem Concilio ab eodem Rege promulgata cum hoc initio. *In nomine Domini, Flauius Receceſuinthus Rex*. Literis ad Concilium Toletanum duodecimum directis & legi poſt idem Concilium latæ ſubſcribit, *In nomine Domini, Flauius Eruigius Rex*. Idem Eruigius alias literas ad Patres Concilij Toletani decimi-tertij, necnon edictum regium finito Concilio ſic orditur. *In nomine Domini, Flauius Eruigius Rex*. Denique Rex Egica modò Flauium Egicam, modò Flauium ſimpliciter ſe ſcribit. Epiſtolas enim ad Concilia Toletana decimum-ſextum & decimum-ſeptimum ſic auſpicatur. *In nomine Domini, Flauius Egica Rex ſanctiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus*. Aliam verò ſic ad Concilium Toletanum decimum-quintum, anno primo ſui Principatus. *In nomine Domini, Flauius Rex reuerendiſſimis Patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus*. Ita conſtanter habent omnes editiones. Ideóque nemini mirum eſſe debet, ſi Principem, *qui Gothorum Monarchiam tenebat* cùm Ægidius eremiticam vitam ad Rhodanum ageret, & in eiuſdem Ægidij vita *Flauius Rex* appellatur, Amalaricum Wiſigothorum Regem interpretemur. Faceſſant igitur, qui Regem illum, quoniam *Galliæ Regem* in Romano [c] Breuiario vocatum ſciunt, aut Clodoueum Regem affirmant qui Francis imperauit in magna Galliarum parte, aut Carolum Martellum qui regias vices geſſit in Regno Francorum quod per vniuerſam fermè Galliam tunc dilatabatur. Ceterùm ea quæ de S. Ægidio hactenus à nobis ex Codice manuſcripto recitata ſunt, excuſa quoque *Abbauilla ex Typographia L. Maurry, anno* MDCLIX. in Officio eiuſdem Sancti Ægidij leguntur.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

[a] Lib. 12. tit. 2. cap. 13.

[b] Lib. 12. tit. 2. cap. 14.

[c] Die 1. Sept.

XVII. LAVS LEONTII.

In caſtris Childeberti Regis, à quo Wiſigothos hoc anno debellatos diximus in Septimania, quam Ægidius eremita incolebat, meruit Leontius adoleſcens antiquiſſimæ nobilitatis, quem poſteà ordinatum Epiſcopum Burdigalenſem ſic allocutus eſt Fortunatus [d]:

Qui, cùm ſe primo veſtiuit flore iuuentus,
Paruus eras annis, & grauitate ſenex.
Verſus ad Hiſpanas acies cum Rege ſereno
Militiæ creuit palma ſecunda tuæ.

[d] Lib. 1. c. 15.

XVIII. ET PLACIDINÆ VXORIS.

Huic Leontio nupſit Placidina, quæ patrem habuit Arcadium, qui tumultus Aruernicos anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quinto conciuit; auum Apollinarem, qui bello Vocladenſi pro Gothis anno quingenteſimo-ſeptimo interfuit, & anno quingenteſimo decimo-quinto Epiſcopatum Aruernorum per quatuor tantùm menſes adminiſtrauit; proauum æquè dictum Apollinarem & inter Sanctos relatum, qui Papianillam Auiti quondam Imperatoris filiam duxit, & poſteà Epiſcopatum Aruernorum obtinuit. Poſtquàm autem Leontius, mortuo alio Leontio, in Epiſcopum Burdigalenſem aſſumptus eſt, ei deinceps Placidina non vxoris ſed ſororis loco fuit, & piis rebus intenta maximam ſibi laudem promeruit. Fortunatus variis Carminibus laudes vtriuſque cecinit, hìc tantùm recitabimus illuſtre Encomium quo Placidinæ genus Auguſtum & egregios mores celebrauit in Carmine ad Leontium tunc Epiſcopum [e].

Cogor amore etiam Placidinæ pauca referre,
Quæ tibi tunc coniux, eſt modò chara ſoror.
Lumen ab Arcadio veniens genitore refulget,
Quà manet Auguſtum germen, Auite, tuum.

[e] Lib. 1. c. 15.

Imperij fasces toto qui rexit in orbe,
Cuius adhuc pollens iura Senatus habet.
Humani generis si culmina prima requiras,
Semine Cæsareo nil superesse potest.
Sed genus ipsa suum sensus moderamine vicit,
Cuius ab eloquio dulcia mella fluunt.
Chara, serena, decens, solers, pia, mitis, opima,
Quæ bona cuncta gerit, quicquid honore placet.
Moribus, ingenio, meritorum luce coruscans,
Ornauit sexum mens pretiosa suum.
Plurima quid referam? quantis sit prædita rebus,
Quæ potuit votis nupta placere tuis.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. R. R. 20.

XIX. Sanctus Optatus Autissiodorensis Episcopus obiit hoc anno, pridie Kalendas Septembres, quo die colitur in tabulis Ecclesiasticis, Diœcesim rexerat [a] anno vno, mensibus octo, diebus quinque, successit Droctoaldus siue Procthoaldus, cuius Pontificatus diuturnior esse non potuit, quia Eleutherius eius successor Concilio Aurelianensi secundo post biennium subscripsit. Ceterùm Sanctus Optatus cum Presbyteris suis Sanctino & Memorio sepultus est in Ecclesiâ sancti Christophori quam construxerat, posteà translata sunt eorum corpora in Ecclesiam beati Germani, vbi in vno eodémque sarcophago pariter requiescunt, & dies Translationis in vetustis Martyrologiis habetur insertus sexto Nonas Maij. Lege Historiam Episcoporum Autissiodorensium [b].

[a] Democh de Sacr. Miss. cap. 9. EPISCOPI AUTISSIOD.

[b] Tom. 2. Biblioth. Labb.

XX. Obiit etiam hoc anno, tertio Idus Nouembres beatus Marsus Episcopus Namnetensis, diem obseruat in notis ad vitam sancti Melanij Bollandus, eiusque vitam se daturum illâ die pollicetur, de anno non potest esse controuersia, decessit enim anno sequenti Troianus Episcopus Sanctonensis, quem Eumerius sancti Marsi successor per literas consuluit. Qui beatum Marsum non Episcopum Namnetensem sed Abbatem in territorio Rhedonensi fuisse volunt, quæ de illo in vitâ sancti Melanij recitantur, non satis attentè considerant. Marsi successor Euemerus est Fortunato, qui testatur [c] illum ex Iudice creatum Episcopum,

NAMNETENSES.

[c] Lib. 4. c. 1.

Emicuit populis geminum memorabile donum,
Inde gradu Iudex, hinc pietate Pater.

XXI. Obiit & Guennaelus Episcopus Lexobiensis in eâdem Armoricâ, successit Tirizianus teste Alberto de Monte Relaxo.

LEXOBIENSES.

XXII. Hoc etiam anno rectè consignabis obitum Victoris Episcopi Cenomanensis, exeunte enim anno superiori funus beati Melanij curauit, habuitque in Pontificatu successorem Innocentium, qui Synodo Aurelianensi secundæ subscripsit anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio.

CENOMANENS.

XXIII. Hoc anno sedes Episcopalis Viromanduorum translata est Nouiomum. Hæc enim translatio, vt in vitâ sancti Medardi scriptor editus à Surio [d] testatur, facta est ab eodem Medardo Viromanduorum Episcopo priusquàm Eleutherio in Episcopatum Tornacensem succederet. Medardus autem anno Christi quingentesimo-tricesimo Pontificatum Viromandensem suscepit, & Eleutherius Tornacensis Episcopus obiit anno Christi quingentesimo tricesimo secundo. Prælaudatus author apud Surium docet Nouiomum,* antequam Episcopali sede nobilitaretur, ad Diœcesim Viromandensem pertinuisse, causamque transferendæ sedis hanc affert, quòd ciuitate Viromandensi pridem euersâ Medardus Episcopus, cùm *iterandam paganorum irruptionem* vereretur, tutiorem ac munitiorem vbi degeret eligendum locum putarit. *Beatissimus*, inquit, *Medardus, egregiæ vir sanctitatis, patre Nectardo, matre verò Protagiâ genitus, apud Salentiacum, hæreditariam prædecessorum suorum possessionem, natus atque altus est. Est autem prædium illud Salentiacus* * *in Episcopatu situm Viromandensi, in regione autem Nouiomensi. Qui Noniomus cùm*

[d] D. 8. Iuin. SEDES EPISCOPALIS NOVIOMVM TRANSLATA.

* *Noyon.*

* *Salency.*

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

tunc temporis castrum seu munitio haberetur, postmodùm ipsius eiusdem glorioſi Pontificis Medardi ordinatione, Pontificalis cathedræ honore, vt postmodùm dicendum reseruamus, sublimatus est. Et inferiùs. *Prinsquàm beatissimus Pontifex Episcopali sublimatus fuisset Cathedrâ, crebris & intolerabilibus Vvandalorum, Hunnorum, Hungarorum & aliarum gentium irruptionibus, vniuersalis deuastata erat Gallia. Dolens itaque vir beatus ciuitatis illius Viromandensis, quam regendam susceperat, iam factam destructionem, veritúsque iterandam paganorum irruptionem, Nouiomum, quam munitionem prænominauimus, sano satis consilio sedem constituit Episcopalem. Est enim regio illa fertilis & amœna, vineis & hortis abundans, multâque annona culturâ, bellicosos generans homines, & in Ecclesiasticis officiis vtriusque sexus personas Deo generosè seruientes. Est & regio ipsa syluis circumdata, & paludibus, & suâ ipsius habilitate contra hostiles non parum munita excursus. Ipse quoque inter geminos riuulos constitutus est Nouiomus, ab Oriente Galliolâ *, ab Occidente Margaretâ * circumfluitur, quos ambos tertius quidam suscipit, qui Versa * nominatur, & sic pariter confluentes non longè à mœnibus illis in Isaram *, qui magni est nominis, dilabuntur. Circunquaque ibi virent pomœria, grata ibi planities & amœnissima, pratísque & pascuis virentibus suis non modicùm arridet habitatoribus. Est etiam locus ipse ab Oriente & Occidente rupibus adeò vallatus & riuulis, montibus quoque & vallium cuniculis, quò contra plurimam hostium incursionem à paucis commodissimè possit defendi.* Vandali Gallias anno Christi quadringentesimo septimo duce Gunderico, Hunni anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-primo duce Attilâ vastarunt, vt suis locis probauimus. Claudius Hemeræus in Augustâ Veromanduorum vindicatâ [a] primariam Veromanduorum ciuitatem sæpiùs euersam sæpiúsque reparatam scribit, contenditque florentissimam fuisse cùm Medardus Episcopatum iniit, ideóque causam omnem sedis ex eo loco translatæ reiicit in amorem quo Medardus prosequebatur patriam suam, prædium videlicet Salentiacum situm in regione Nouiomensi seu Nouiodunensi quam priùs ad Diœcesim Suessionensem pertinuisse tradit. *In alienâ*, inquit, *Diœcesi* Medardus, *quod mirere, vel coemit à Banderedo vicino Episcopo, vel emendicauit locum, vel Clotharij Regis fauore beneuolentiáque, vel quouis alio modo sibi fecit proprium, in quem Viromandensem Cathedram traduceret, nempe in Suessionensi Nouiodunum.* Nouiomum autem seu Nouiodunum ante translationem sedis Episcopalis ad Suessionensem parœciam pertinuisse non aliunde probat quàm ex Chronico Canonici Laudunensis, quod *exscriptum in eruditorum bibliothecis* asseruari dicit, citátque hoc modo, *anno Iustiniani Imperatoris* XXVIII. *obiit Medardus Nouiomensis Episcopus. Hic sedem Episcopalem ab vrbe Verimandorum ad castrum Nouiomum transtulit. Fuerat autem castrum Suessionense. Fuerunt autem ante Medardum apud Vermandum Episcopi* XIII. Deinde sic exclamat, *ô Salentiacum! ô patria amor!* At authorem à Surio publicatum, qui prædium Salentiacum in regione Nouiomensi & regionem Nouiomensem in Episcopatu Viromandensi collocat, prædicto Canonico Laudunensi & antiquiorem & fide præstantiorem arbitramur. A rectâ Chronologiâ procul aberrat ille Canonicus in obitu sancti Medardi, qui Pontificatum annis duntaxat quindecim gessit, & ad annum Iustiniani Imperatoris duodetricesimum minimè peruenit. Hemeræus etiam malè coniicit sedem Episcopalem Viromanduorum à Medardo Pontifice translatam fuisse Nouiomum annuente Banderedo seu Bandarico Antistite Suessionensi, cùm enim facta est ista translatio, Diœcesim Suessionensem adhuc administrabat Lupus, cui Banderedus posteà successit.

[a] Cap. 9.

XXIV. QVO EX LOCO.

Alia controuertitur quæstio super loco, vbi sita fuit Augusta Viromanduorum, quæ per multos annos Episcopis Viromandensibus nomen dedit. Sunt qui collocant ad Somenam * fluuium, vbi hodie oppidum * est sancti Quintini. Sunt qui ponunt ad Dalmanionem * riuum, vbi hodie visitur Veromandia seu Vermandum *, Monasterium non ignobile Præmonstratensis

* La Golle.
* La Marguerite.
* La Verſette.
* L'Oyſe.
* La Somme.
* La ville de S. Quentin.
* L'Aumignon.
* Vermand Abbaye de l'Ordre de Premonſtré.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

Ordinis. Vermandum seu Virmandum ab oppido sancti Quintini distat *sexti millaribus Gallicanis*, vt loquitur Claudius Hemeræus in Augustâ Viromanduorum [a] vindicatâ, siue leucis duabus cum dimidiâ vt Iacobus Vassorius testatur in veteris Vermandi descriptione Nouiomensibus Annalibus præfixâ [b], positúmque est ad viam publicam, quâ itur ab oppido sancti Quintini Ambianum *. Vassorius Decanus & Canonicus Ecclesiæ Nouiomensis stat pro Vermando, Hemeræus Canonicus Ecclesiæ sancti Quintini stat pro oppido sancti Quintini. Collegerunt hi duo scriptores argumenta, quæ possunt in vtramque partem afferri, sed ob dissidium, quod inter Capitula Nouiomense & San-Quintinense intercedit, vtérque patriæ vel Ecclesiæ suæ causam creditur egisse. Prior scripsit Vassorius anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-tertio, & Auctores suæ sententiæ protulit Robertum Cœnalem, Philippum Ferrariensem, Paschalem Robinum, & Guillelmum Gazetum cum Breuiariis quibusdam ac Martyrologiis. Hemeræus decennio seriùs lucubrationes suas edidit, Auctores reprobauit laudatos à Vassorio, quos autem alteri opinioni fauere censuit, eos approbauit, & vt fidem aduersariorum magis eleuaret, non obscurè dixit [c] aliquam ab illis in hac controuersia vtilitatem quæri, *vt cùm suaserint non esse San-Quintinum Augustam illam antiquam, primámque sedem Viromandensium Episcoporum, eò facilius euertant Episcopalia iura, & honorum prærogatiuas, quibus se aduersus querimonias quotidianas & immortales lites Clerus San-Quintinensis tutari solet, conseruatas eo inprimis titulo, quòd ante annum Medardi fuisset illic sedes Episcopalis, & hoc dissipato fundamento, veteres immunitates illustris Ecclesiæ emendicatæ ambitiosè, & præter fas impetratæ potiùs, quàm iustâ ratione retentæ, & eò istinc æquiora vicinorum postulata aduersus eiusdem Ecclesiæ Clerum esse videantur.* Litem illam, quia longè posteriùs exorta est, intactam nunc relinquemus, nec diuagabimur extra controuersiam motam de loco, vbi olim sedes Episcopalis Veromanduorum fuit, priusquàm Nouiomum ab Antistite Medardo transferretur.

[a] Cap. 1.
[b] Cap. 7. n. 3.
* *Ambiens.*
[c] Cap. 2.

XXV. ARGVMENTA PRO VERMANDO.

Pro Virmando proferuntur hæc argumenta. Illic adhuc visitur ager fossis circumdatus, vestigium stantis antiquitus, nunc verò deletæ ac funditus excisæ ciuitatis, è quo numismata antiqua quotidie effodiuntur, & locus retinet veterem etiamnum appellationem. Huic vico alter adiacet, à Martyrio Beati Quintini Marteuillæ * nomine ad hunc vsque diem appellatus, & in eiusdem vici castro fluit subterraneus fons limpidissimis aquis, qui sitientis Martyris oratione primò scaturiit eo in carcere, quo inclusus supremum colluctationis suæ actum expectabat. Prætereà Cathedræ Episcopalis, & auitæ pietatis, & Canonicæ Cleri veterúmque Pontificum disciplinæ quasi reliquiæ remanent in sanctâ societate virorum monasticam illic vitam profitentium, inque Cœnobio, quod titulo Beatæ Mariæ Virmandensis, illo loco fundatum est. Nec ita procul à Monasterio remouetur villa * Episcopi, in quam olim Pontifices secedebant, vt grauissimas regiminis Episcopalis curas secretâ rusticatione permulcerent. Denique Viromandem ciuitatem ab Augustâ Viromandorum distinguunt antiquæ membranæ, in quibus de primâ sancti Quintini inuentione hæc in laudem Eusebiæ matronæ commemorantur. *Tunc fidelissima mulier acceptum venerabile corpus & inuolutum in linteamine mundo voluit Viromandis ciuitate sepelire illud. Cúmque in itinere proficiscerentur, venerunt in municipio Augusta Viromandorum deponentes illud, quia præpondere ambulare non poterant. Videns igitur hæc præfata matrona illud ibidem sepeliuit, & super sepulchrum eius cellulam pro beneficio sepultura ædificauit.*

* *Marteville.*
* *Ville l'Eueſque.*

XXVI. DILVVNTVR.

Leuia sunt admodum, nec vllâ probatione nituntur argumenta, quæ desumuntur ab etymo Marteuillæ & à fonte qui in eiusdem vici castro scaturit. Haud validius est illud, quod ducitur à villâ Episcopi, nam quis probare possit villam illam stetisse ante dirutam Augustam Viromanduorum? addequòd, si tunc stetit, eóque secedere consueuerant Episcopi, vt animum

à gra-

à grauioribus curis relaxarent, id æquè præstare potuerunt ex loco vbi nunc est Quintinopolis, ac ex eo vbi hodiernum est Vermandum, nam si rebus ætatis nostræ licet antiquas metiri, non paucæ cernuntur Episcopales villæ, quæ longiùs distant à sedibus Episcopalibus, quàm Quintinopolis à prædicta villâ. Monasterium Vermandense non facit ad causam, quis enim credat Episcopalis Cathedræ & auitæ pietatis ac Canonicæ Cleri antiquorúmque Præsulum disciplinæ reliquias in eo loco remanere, vbi exiguum primò sacellum ædificatum est sedente Nouiomi Ratbodo Episcopo, qui Præsulatum iniit anno Christi millesimo duodeseptuagesimo? Illi sacello impositus est à Ratbodo Presbyter, tum adiuncti quatuor alij, dein illic instituta est societas Monachorum Augustinianorum, quibus Præmonstratenses successere, cùm Diœcesim Nouiomensem gubernaret Stephanus, cuius obitus in annum Christi millesimum ducentesimum-vicesimum post annos triginta duos susceptí Pontificatus incidit. Liber de inuentione sancti Quintini non potioris est auctoritatis, Augustam enim Viromandorum ad ripam Sommæ collocat, & in ceteris facilè potest sententiæ Quintinopolitanorum accommodari. Martyrium passus est Beatus Quintinus pridie Kalendas Nouembres. Summa Imperij Romani penes Diocletianum & Maximianum Augustos tunc erat, & Præfectura Galliarum penes Rictiouarum. Corpus Martyris, secreto noctis silentio, Sommæ fluentis immersum est, & post annos fermè sexaginta repertum ab Eusebiâ matronâ Romanâ, quæ Romæ per Angelum monita fuerat, vt in Gallias proficisceretur, locúmque requireret, cui nomen Augusta Viromandorum iuxta Sommam iterque publicum, quod venit de Ambianensium ciuitate & pergit contra Lugdunum * Clauatum. Hæc Auctor, qui præsens inuentioni sancti Martyris interfuit, in præcitato libro sic enarrauit. *Corpus eius*, Beati nempe Quintini, *Rictiouarus Præfectus diligenter custodiri iussit, & secreto noctis silentio Somma fluentis immergi, & adiectionem terræ, plumbi cœnique subplumbari, cauens ne fortè à religiosis Christicolarum viris honore debito veneraretur, aut cum veneratione summâ, vt tanto Martyri dignum erat, sepulturæ traderetur. Compleuit autem fœlicissimi laboris sui cursum & glorioſissimi triumphi certamen pridie Kalendas Nouembris. Cuius anima in æthera euecta & inter sacra beatorum Martyrum consortia susceptа, corpus verò per annos fermè sexaginta in aquæ fundo tumulatum extitit. Expletis autem his diebus voluit Dominus, vt ostenderetur plebi, quo loco occultatus esset thesaurus. Resuscitauit autem Dominus Deus quandam matronam vrbis Romæ, nomine Eusebiam, opibus magnus diuitem & nobilem natalibus, cuius erat locupletatio magna & infinitus familiæ numerus & ministerium copiosum, & obcæcata effecta erat per annos octo. Cúmque promptissimè Deum deprecaretur, apparuit ei Angelus Domini in visione dicens. Eusebia, exaudita est deprecatio tua, surge & vade in Gallias, require locum, qui dicitur Augusta Virmandorum iuxta fluuium, qui vocatur Somma, ibi transit iter publicum, quod venit de Ambianensium ciuitate, & pergit contra Lugdunum Clauatum. In ipso igitur loco require, & inuenies sub aquâ corpus Beati Quintini. At vbi reuelata latentia per te in populo fuerint demonstrata, statim oculorum tuorum recipies lumen, & sano corpore & firmâ mente ad tuum redies tugurium.* Et paulò pòst. *Vt autem* Eusebia *adimpleuit orationem suam* in loco prædicto, ad quem Româ quantocyùs se contulerat, *statim commotus est locus, vbi sanctum corpus sub aquâ iacebat, & quasi crispantia vndæ dorsa submittebat. Venerabile ergo corpus sub aquâ natare cœpit. Caput autem eius per alium meatum exiliuit. Tunc fidelissima mulier cum gaudio & tremore suscipiens glorioſum corpus, non illud tumor aut liuor inuaserat, sed erat candidum tanquam nix, & velut rosarum aut liliorum odor agri pleni, quem benedixit Dominus, sicut alabastrum vnguenti. Sic omnes, qui aderamus, odor suauitatis adimpleuit, ita vt omnia delectamenta mundi nobis in obliuione esse viderentur.* Augusta Viromanduorum cum reliqua Gallia, quæ partem Occidentalis Imperij constituebat, Constanti Imperatori Christiano atque Catholico, Con-

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

* *Laon.*

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

ſtantini Magni filio, tunc ſubiiciebatur, ciuitas erat illuſtris inter Belgicas, abundabátque ciuibus, quorum plerique Chriſtianam religionem ſuſceperant. Euſebia reliquias à ſe repertas illuc transferre voluit, occurrit in itinere vicus, ad quem vbi peruentum eſt, corpus Martyris præ pondere loco moueri non potuit, ideóque tumulatum fuit in eodem vico qui proximus erat Auguſtæ Viromanduorum. Hic eſt ſenſus Auctoris, ſi manuſcriptus Codex cum editione [a] Suriana conferatur. In Codice manuſcripto ſic legimus. *Tunc fideliſſima mulier acceptum venerabile corpus & inuolutum in linteamine mundo voluit Viromandis ciuitate ſepelire illud.* Surius, qui ſtylum expoliuit, non verba tantùm ſed & ſenſum mutauit. Locum enim, ad quem Euſebia contendebat, non *Viromandis ciuitatem*, ſed *Veromandenſium caſtrum* dixit. Deinde, cùm nullum verbum apud Auctorem eſſet de diſtantia locorum, ipſe temerè de ſuo quinque fermè milliaria collocauit inter locum vbi reliquiæ repertæ ſunt & locum ad quem deferebantur. *Porrò*, inquit, *venerabilis matrona Euſebia acceptum beatiſſimum corpus linteaminibus inuoluit, & ad Veromandenſium caſtrum, quod ab eo loco quinque ferè millibus diſtat, reuerenter tumulandum aduchere diſpoſuit.* Multi textu illo decepti falsò crediderunt Euſebiam à Somona ad Dalmanionem iter ſuſcepiſſe, vt beatum Martyrem in eo loco ſepeliret, vbi hodie Vermandum conſpicitur. Pergit Auctor in Codice manuſcripto. *Cúmque in itinere proficiſcerentur, venerunt in municipio Auguſta Viromandorum, deponentes illud, quia præ pondere ambulare non poterant.* Textus eſt proculdubio corruptus, indigetque correctione, cui diphthongus faciet ſatis, ſi loco *Auguſta* reponatur *Auguſte*, ſenſus enim hic erit. Euſebia transferre ſtatuit reliquias ad *Viromandis ciuitatem*, id eſt, Auguſtam Viromandorum, ſed eæ moueri non potuerunt, vbi peruentum eſt *ad municipium Auguſta Viromandorum*, id eſt, ad vicum Auguſtæ Viromandorum in colliculo Auguſtæ Viromandorum proximo ſitum, Auctor enim municipij nomine locum intelligit ignobiliorem minorémque ciuitate, quales ſunt vici. Surius verò longiſſimè recedit ab Auctore, nam nec *municipij* nec *Auguſtæ Viromandorum* meminit, & periodum ſuprà recitatam elegantiore ſuo ſtylo ſic reddit. *Sed beatiſſimus Martyr locum ſanguine ſuo conſecratum relinquere nolens, mox vt ab aqua montis ſummum aſcendit, ſui ponderis grauitate longiùs ſe proficiſci nolle manifeſtiſſimè docuit. Portantium enim iam defecerant greſſus, & vires laſſitudine preſſæ, Martyris veneranda ceſſerunt voluntati.* Sequitur in Codice manuſcripto tumulatio Martyris. *Videns igitur hæc præfata matrona illud* corpus *ibidem ſepeliuit, & ſuper ſepulchrum eius cellulam pro beneficio ſepulturæ ædificauit.* Qua de tumulatione ſic Surius phraſi cùm politiore tum prolixiore. *Beata verò Euſebia talibus geſtis voluntatem Sancti intelligens Martyris, ibi eum deponi fecit, & reuerenter ſecundùm loci & temporis conceſſum ſepeliuit, cellulámque quibus tunc poterat niſibus gratanter ædificauit.* Auctor igitur, qui primæ Sancti Quintini inuentioni cum Euſebia præſens adfuit, in libello quem paulò pòſt exarauit, Auguſtam Virmandorum poſuit ad ripam Somonæ, nec mentionem fecit alterius loci, qui nomine conformis eſſet, ita vt cenſeri debeat locutus tantùm de loco, vbi hodierna Quintinopolis, non autem de illo vbi hodiernum Vermandum, de cuius nomine ac numiſmatibus reſtat vt agamus. Si veteres effodiuntur apud Vermandum nummi, effodiuntur & apud Quintinopolim, de qua ſic Himeræus in opere [b] iam laudato. *Vrbs bellica, poſita ad Somenæ fluentum, qui hoſtiles in interiora Galliarum incurſus vnus præſertim ſæpè cohibuit, eámque ob cauſam propugnaculis & vallis nouis in dies communienda, cùm anno* 1634. *ſecundis foſſis muriſque ſepiretur, eâ parte quâ latus hoſti obiicit, quæ non apparuere ex ipſo terræ ſinu, per ſpatia ducentarum & amplius perticarum, veſtigia antiquæ Ciuitatis? Sepulchra, vrnæ, nummi, & figlina varij generis. Fuere quidem ſepulchra pauciora, è præduro ea lapide. Vrnæ infinitæ, & harum aliæ è denſo, nitido tamen pellucidóque vitro, capacitate heminarum trium, in queis obolus & cineres, more profano; aliæ eâdem materiâ & formâ, canatis lapidibus in-*

[a] Die 31. Oct.

[b] Cap. 11.

ſerta ſic aptatis, vix vt iunctura videretur; aliæ denique fictiles. Nummi veteres argentei & enei tantâ copiâ, duos vt modios implere potuiſſent; vetuſtiſſimi fuere Cæſaris & Auguſti imaginibus cuſi, ſed ij pauci, Neronis multò plures, alij ſequentium Imperatorum. Figlina operis elegantis, diſci, pocula, cymbia, vaſculáque generis differentis. Et lineis aliquot interiectis. *Probant autem iſta Ciuitatem illic poſitam, quocumque vocabulo nominaretur, & antiquam eſſe vt dictum eſt, & amplam populoſámque ante Quintinum extitiſſe. Antiquam quidem, quia ſepulchra & vrna falsâ aliquando religione deceptos oſtendunt eos fuiſſe qui illic habitarent, tandiúque profanis erroribus inuolutos, quoad veritatis Euangelicæ radios aſpexerunt, quod beneficium præſertim fuit Quintini Martyris, & cùm eſſet vrbs in longum exporrecta ab ortu in occidentem, in parte meridionalis collis deſcendentis, eſſéntque ideò exquiliæ iſtæ & puticuli extra vrbem, legibus Romanis vixiſſe incolas, quæ in vrbe ſepeliri cremaríque corpora prohiberent. Infinitus autem vrnarum effoſſarum numerus magnitudinem vrbis demonſtrat.* Iam verò florente hâc ciuitate quis exiſtimet alteram *in vicinia ſenum milliarium Gallicorum* ſtetiſſe? Hodierna Quintinopolis olim dicebatur Auguſta, vnde pars illius vrbis *diſtrictus Auguſtæ* in antiquis chartis, & vernaculâ linguâ *le deſtroit d'Aouſt* etiamnum vocatur. Vermandum autem ad Dalmanionem nunquam ciuitas fuit, ſed arx tantùm ſeu caſtrum aut ſtatio militum, vt ipſemet locus ſatis indicat, ſpatium enim habet quatuor circiter iugerum, nec vllas oſtentat murorum ſubſtructiones præter fundamenta vetuſtioris Cœnobij, quod erat in altiori loco, priuſquàm Monachi Præmonſtratenſes ad ripam riui deſcenderent, vbi hodiéque degunt. Nomen igitur Vermandi nummíque apud Vermandum effoſſi non efficiunt, vt Vermandenſes Quintinopolitanis causâ ſuperiores haberi dicíque poſſint.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

Argumentis, quæ pro Virmando ſeu Vermando proponi ſolent, ſic examinatis, alia proferemus pro Quintinopoli, id eſt, pro vrbe ad Somonam ſita, cui nomen hodie à S. Quintino Martyre ac Patrono. Auguſta Viromanduorum, vt ipſum Auguſtæ nomen declarat, ciuitas fuit ac primarius regionis locus, & ob illam prærogatiuam Epiſcopali Sede nobilitari meruit, neque enim in minoribus oppidis Epiſcopi conſtituebantur. Temporibus Diocletiani & Maximiani Auguſtorum, cùm B. Quintinus martyrio coronatus eſt, nullus adhuc Veromanduorum erat Epiſcopus, ſanè recentior eſt Veromandenſis Epiſcopatus erectio, ſub Imperatore Chriſtiano. Nam primi Veromandenſis Eccleſiæ Præſules Martyribus haud accenſentur, & Sophronius, qui duodecimum locum in eorum catalogo tenet, anno Chriſti vndecimo ſupra quingenteſimum Concilio Aurelienenſi primo ſubſcripſit. Auctor libelli de prima inuentione Sancti Quintini, quæ per Euſebiam Romanam matronam facta eſt, vixit proculdubio ſub antiquiſſimis Epiſcopis Veromanduorum. Auguſtam autem Veromanduorum, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, ad ripam Somonæ collocauit in eodem prorſus loco vbi pars adhuc conſpicitur hodiernæ Quintinopoleos. Aſſeruit enim reliquias Martyris, cùm è fluuio receptæ fuiſſent & Auguſtam transferrentur, ſubſtitiſſe in vico Auguſtæ, ibíque reconditas ab Euſebia fuiſſe. Erat ille vicus in colle, proximúſque ciuitati Auguſtæ, quæ ad eiuſdem collis radices ſita, & ab Oriente verſus Occidentem longiùs excurrens, meridiem penè tota tunc aſpiciebat. Lapſu temporis dictus eſt vicus S. Quintini, fuítque contiguæ ciuitati ſuburbanus, quia non tantùm ſacellum, dein Baſilica tumulo Martyris impoſita eſt, ſed erecta ſunt etiam circumquaque domicilia propter multitudinem aduentantium peregrinorum, quos magnitudo frequentiáque miraculorum ex diuerſis orbis Chriſtiani partibus aduocabant. Secuta eſt vaſtitas cùm vici tum vrbis per Attilam, qui traiecto Rheno Gallias ingreſſus eſt anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo primo. Quia tam acerbæ cladis memoria poſt annos octoginta nondum perierat, vrbſque tam longo temporis interuallo priſtinum ſplendorem viréſque nondum recuperarat, Medardus, ne ciuitas Epiſcopalis iterùm ta-

XXVII. POTIORA PRO QVINTINOPOLI.

AN. CH. 531. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 20.

lem calamitatem pateretur, in munitiorem locum, nempe Nouiomum, cum Clero se recepit. Post eum in Cathedra Nouiomensi sederunt, Faustinus, Gundulfus, Chrasmarus, Ebrulfus, Acharius, Eligius. Hic ordinatus est Episcopus anno Christi sexcentesimo quadragesimo, suique Pontificatus initio reliquias Sancti Quintini, quæ diù latuerant, è terra leuauit. Audoenus * Rothomagensis Episcopus, cui singularis amicitia cum Eligio * intercessit, in eiusdem Eligij vita secundam illam Quintini Martyris inuentionem descripsit. De loco, vbi facta est, ita locutus est apud Bollandum [a], qui quatuor manuscriptos Codices Rubeæ * Vallis, Louanienſem, Balthasaris Moreti, & Sanctæ Mariæ Bonifontis * consuluit. *Eligius ergo curâ Pastorali susceptâ statim in exordio suæ ordinationis cœpit assiduare erga locum illum. Est enim haud procul ab vrbe Viromandensi, in eo scilicet loco, vbi quondam Martyr ex fluuio eleuatus ab Eusebia in monte fuerat tumulatus.* Dacherius [b] allegatis Codicibus Corbeiensi & Conchensi similia prorsus edidit, excepto quòd pro *Viromandensi* posuit *Vermandensi*, sed illa differentia nullius est momenti. Surius [c] hæc verba, *assiduare erga locum illum*, in ista mutauit *assiduus esse in loco illo*, cetera retinuit. Codex noster locum eundem *prope vrbem Vermandensem* sic collocauit. *Sanctus verò locum illum prope vrbem Vermandensem, vbi quondam per martyrium coronatus, ab Eusebia de fluuio eleuatus & in monte tumulatus fuerat*, &c. Habes Audoenum conformem Anonymo, qui primæ Sancti Quintini inuentioni cum Eusebia interfuit. Hi duo Scriptores, qui ceteris plurimùm præstant, de loco conueniunt, vbi Augusta Viromanduorum olim stetit, & hodiernam Quintinopolim manifestissimè designant ad ripam Somonæ. Non desunt etiam recentiores, qui veterem Augustam Viromanduorum modernam Quintinopolim interpretentur. Scaligerum, Marchantium, Ortelium, Thuanum, Locrium, Saussaium allegat Himeræus [d], sed eos missos facimus, quia controuersiam non examinarunt ex professo. Qui queruntur sedem Episcopalem Augustâ Nouiomum ab Episcopo Medardo translatam fuisse, cùm nihil à barbaris timendum videretur Regno Francorum apud Viromanduos egregiè stabilito, non satis norunt sapientiam prudentissimi Præsulis, qui nec exterarum tantùm gentium irruptiones, sed & ciuilium bellorum discordias metuendas docuit, nec suis tantùm temporibus, sed & futuris prouidendum duxit. Agrum Viromandensem à Clotario Rege haud pridem deuastatum meminerat, cúmque Augustam minùs tutam conspiceret, munitiorem elegit locum, qui securior esset flagrante bello, siue illud domesticum esset siue externum.

* *Onyn.*
* *Eloy.*
[a] Die 5. Ianu.
* *Rancloistre.*
* *Bonnefontaine.*
[b] Spicileg. 5.
[c] Die 31. Oct. & d. 1. Dec.
[d] Cap. 12.

532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

ANNVS CHRISTI 532.

THEODORICI R. 21.

CHILDEBERTI R. 21.

CLOTARII R. 21.

INDICTIO 10.

I. [a] Marius, Marcell.

ANNVS Christi quingentesimus tricesimus-secundus in Fastis [a] notatur iterum post Consulatum Lampridij & Orestis, Indictione decimâ. Obiit hoc anno Tirizianus, cùm annum integrum in Pontificatu Lexobiensi nondum impleuisset. Tugdwalus seu Tudualus aut Tugalus, qui tunc in cœno-

bio Trecorensi * versabatur, à Clero & plebe Lexobiensi electus est, vt in Episcopatum succederet. Quâ re compertâ propere fugit cum duodecim monachis Andegauum *, vbi honorificè ab Albino Episcopo exceptus est, atque inde Parisios abiit cum eodem Albino, in ipso ciuitatis aditu mortuum suscitauit, ac paralytico sanitatem postmodum reddidit. Statuerat ibi degere, donec Lexobienses alium Antistitem elegissent, at precibus Britannorum reuocatus, cùm Lexobienses à proposito non dimouerentur, timere cœpit ne reus apud Deum fieret, si petentium votis diutiùs obluctaretur, annuit itaque, & factus Episcopus munera vigilantissimi Pastoris impleuit austeritate monasticæ vitæ, quam semper dilexit, nullatenus remissâ. Lege illius vitam in Armoricâ sanctâ pridie Kalendas Decembris, sed aduerte ibi mentionem Deroci perperam fieri sub Tugdwali Pontificatu, nam Derocus iampridem obierat, vt pote qui Rigualdo & Iudualo antiquior in Annalibus Britannorum exhibetur.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

* *Tregner.*
* *Angers.*

TVGDVALVS FIT EP. LEXOB.

II. Apud Britannos Armoricos nunc etiam fama est Tugdwalum, cùm Romam profectus esset, vniuersalis Ecclesiæ creatum fuisse Pontificem, vocatúmque Leonem illius nominis Quintum, vnde illud distichon Antiphonæ loco ad *Magnificat* in primis Vesperis.

O quem Tugalum Trecoria, Roma Leonem
Inuocat, in Christi virtute repelle Draconem.

VARIÆ DE EO FABVLÆ.

Et septimum Responsorium ad matutinum,

In Papam eligitur nutu deitatis
Tugalus, & efficitur rector Petri ratis,
Claues cæli baiulat, portis reseratis
Hic facit vt pateant cælestia regna beatis.

Atque in Hymno ad Vesperas hi rithmi,

Idem mutato nomine
Dictus Leo Britigena,
Sedit in Petri culmine
Clarus & charus aduena.

III. Non diffitemur Tugdwalum, cùm plurimùm molestiarum à suis Diœcesanis pateretur, Romam abiisse vbi per biennium manserit, sed toto sexto seculo, quo ille floruit, nullus Leo legitur Romæ sedisse, & Leo Quintus decimo seculo Pontificatum gessit.

IV. Tugdwali temporibus, Episcopi nominabantur Papæ, vt ex multis exemplis superiùs allatis patet, dicebantur quoque venerabiles, eo enim titulo Vigilius Romanus Pontifex Ibam Episcopum Edessæ & Theodoretum Episcopum Cyri non semel exornat in suo Constituto. Inde autem factum vt Tugdwalus *Pap.* v. legeretur, id est, Papa venerabilis, non autem Papa Quintus vt ineptè complures, aut sanctus *Papa* vt ineptissimè interpretatur vulgus, cui familiaria sunt ista vocabula *Landt Papa*, *Tre-Papa*, *Loc-Papa*, *Ker-Papa*, *Mouster-Papa*. Ne verò credas à nobis quidquam effingi quod extra communem plebis opinionem sit, obserua Monasterium in Magoerâ quod olim *Landt-Papa* vocabatur, hodie cùm parœcia sit, *Tre-Papa* appellari, deinde lege primam Officij lectionem ad Matutinum, vbi hæc habentur. *Tugdwalus Romam venit, ad B. Petri memoriam sacris insistens laudibus pernoctauit, mane autem facto ad Romani Pontificis exequias, qui eâ nocte obierat, cum populo laborauit, quibus solemniter peractis Clerus & populus pari affectu diuinam implorant clementiam, quatenus vniuersali Ecclesiæ vtilem dignaretur monstrare Rectorem. Cumque ad orationem genua flecterent, per columbam diuinitùs lapsam Tugdwalus declaratur tanto Præsulatu dignus. Viso igitur cælesti indicio, Deum laudantium clamor extollitur, iniectisque manibus adhuc orationi incumbens arripitur, & non sine iniuriâ ductus sacro altari sistitur. Quid plura? licet multùm renitens suámque barbariem excusans, inthronizatus Apostolicâ sede sublimatur, Leoque Britigena nominatur, quod celebri memoriâ Britanni recolunt, beatum virum sanctum*

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

Papu barbaricè vocantes, corruptâ scilicet posteriori syllabâ Papam dicere volentes, biennio itaque sedens quibus clarnerit signis, quibus Catholicam fidem firmauerit præceptis non est nostræ facultatis, &c.

Obiit etiam hoc anno Droctoaldus Autissiodorensis Episcopus, qui Diœcesim anno priori regendam susceperat. Martyrologio Gallicano ascribitur sexto Idus Nouembres. Successit Eleutherius de quo sæpius acturi sumus.

V. EPISCOPI AVTISSIOD.

Eumerius Episcopus Namnetensis per literas Troianum Episcopum Sanctonensem consuluit super puero qui an baptizatus esset nesciebat. Tale responsum dedit Troianus. *Domno semper suo Eumerio Episcopo Troianus Episcopus. Deferentibus Diaconibus, quos ad humilitatem meam misistis, literas vestræ sanctitatis accepi, in quibus consulitis de quodam puero qui nescire se dicit si fuerit baptizatus, nisi hoc tantùm recolit, quòd de linteo caput habuit inuolutum, quod frequenter infirmantibus post dolorem fieri solet, ne caput algeat, & recidiuam incurrat. His itaque reddo in Domino debitæ salutationis officium, & quod à maioribus nostris statutum est indubitanter indicare præsumo. Statutum noueris, vt quicumque se baptizatum fuisse non recolit, nec ab aliâ personâ id factum fuisse probatur, baptismum absque vllâ dilatione percipiat, ne à nobis illius anima si à baptizatis separata fuerit requiratur. Ora pro nobis Domne meritò in Christo beatissime.*

VI. TROIANVS EP. SANCTON. CONSVLITVR AB EVMERIO EP. NAMNET.

[a] Ep. 92. c. 15.

Iampridem sanctus Leo Romanus Pontifex idem docuerat [a] in literis ad Rusticum Episcopum Narbonensem. *Si nulla existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur, ne manifestè pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit vt videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse, quòd ad Ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoriâ alienum est, conferendum eis videtur, quia non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.*

VII. MORITVR.

[b] Cap. 59.

De Troiano Episcopo Sanctonensi multa scribit Gregorius Turonensis in libro de gloriâ Confessorum [b]. Refert mirandam prorsus visionem & apparitionem sancti Martini, cuius testis fuit Subdiaconus qui Troianum comitabatur, additque Troianum apud omnem populum in tantâ existimatione sanctitatis fuisse, vt si nouum amphibolum induisset, cum quo processurus Diœcesim circumiret, fimbriæ huius vestimenti à diuersis diriperentur, quia salubre computabant, quicquid ab eo rapere potuissent. Obiit Troianus hoc anno, pridie Kalendas Decembris, dies notatur in tabulis Ecclesiasticis, annus ex eo certus colligitur quòd Eusebius sancti Troiani successor Concilio Aurelianensi secundo subscripsit anno sequenti, nono Kalendas Iulij.

VIII. ELEVTHERIVS EP TORNAC.

[c] Ap. Bolland. d. 20. Feb.

Obiit & hoc anno pridie Kalendas Iulias Eleutherius Episcopus Tornacensis, cùm vixisset annis septuaginta sex, & Pontificatum annis quadraginta quinque gessisset, nouem videlicet Blandinij, sex ac triginta Tornaci. Chronologiæ nostræ partes omnes egregiè confirmat auctior Eleutherij vita [c], quam sæpiùs citauimus. Primò ætas septuaginta sex annorum colligitur ex hoc textu. *Synodo ad propria reuertente, sanctus Eleutherius similiter ad aulam suam, quæ in oppidano loco continebatur, cum Catholicis viris iam septuaginta & vno existens anno regressus est. Interea per quinque annos Tornacensis Ecclesia, quibus Sacerdos superuixit, inuictissimè à Catholicis viris sublimatur.* Nam si beatus Eleutherius annos natus erat vnum & septuaginta cùm Synodum habuit, eidémque Synodo quinque duntaxat annos superstes extitit, annos proculdubiò nec plures nec pauciores vixit quàm sex & septuaginta. Secundò, Pontificatus anni quadraginta quinque sic ibidem declarantur. *Eleutherius*, cùm prædictam Synodum conuocauit, *iam Tornacensem Ecclesiam triginta annis & vno rexerat, Blandinien sem verò nouem*, & post celebratam Synodum *superuixit per quinque annos*, tenuit igitur Episcopatum annis quadraginta quinque, quorum priores nouem Blandinij, posteriores sex & triginta

Tornaci sedit. Tertiò, dies obitus distinctè sic exprimitur. *In pace obiit pric Kal. Iuly*. Quartò, annus, quo beatus Eleutherius ad Deum migrauit, indicatur appositio nomine Bonifacij Papæ, cui librum à se compositum morti proximus transmisit, vitam enim decimo sexto Kal. Nouembres hoc anno clausit Bonifacius, postquàm Ecclesiæ, teste Anastasio, præfuisset annos duos, ita vt necessariò dies vltimus Iunij, quo mors Eleutherij sub Bonifacio Papâ contigit, ad hunc annum vel ad præcedentem pertineat; cur autem hoc potiùs anno quàm superiori mortuum Eleutherium putemus, exposuimus ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum septimum, cui decimus Eleutherij Pontificis annus illigatur. Guibertus Eleutherio pariter tribuit annos sedis quadraginta quinque, vitæ sex & septuaginta. Cùm enim loquitur de vulneribus, quibus acceptis Eleutherius post hebdomadas quinque interiit, ætatem ipsius Eleutherij declarat hâc parentesi. *Agebat septuagesimum sextum annum*. Et inferiùs Eleutherij Præsulatum spatio annorum quadraginta quinque sic circumscribit. *Regimini Tornacensis Ecclesiæ venerabilis Christi Confessor & Pontifex Eleutherius annis quadraginta quinque legitur præfuisse*. Plures auctoritates non congeremus pro confirmandis characteribus Chronologicis, qui pertinent ad numerum cùm annorum quibus Eleutherius vixit, tum annorum quibus Præsulatum gessit. Longè maior est apud Scriptores controuersia de die quo decessit ex hac vita; nam nomen eius decimo Kalendas Martias adscribitur Martyrologiis Galesinij, Canisij, Ghinij, Saussaij, manuscripto Monasterij Sancti Martini in vrbe Tornacensi, & Romano hodierno, item fastis Belgicis Miræi, Auctario Vsuardi apud Molanum, & Canonici Tornacenses eo die Natalem illius celebrant, vt ex Officiis propriis Ecclesiæ Cathedralis constat; Auctor autem auctioris vitæ cuius verba iam citauimus, aliique quorum testimoniis mox vtemur, mortuum tradunt pridie Kalendas Iulij. Posteriorem hanc sententiam lubenter amplectimur, quam multis argumentis à Bollando confirmatam in commentario præuio vitæ Sancti Eleurij reperies. Inprimis hæc distinctissimè leguntur in auctiore vita, *Obiit pridie Kal. Iuly*. Nec alio denatus die publicatur in Bibliotheca Patrum, vbi post egregium eius de Trinitate sermonem adduntur ista de die quo dirè fustibus ab hæreticis cæsus est. *Hæc acta sunt ab hæreticis* VII. *Kalendarum Iunij, & in ipso anno beatus Eleutherius obdormiuit in pace*. Nam teste Scriptore præcitatæ vitæ, postquàm ab hæreticis adeò crudeliter habitus est, vixit tantùm *quinque per hebdomadas*, id est à die vicesima sexta Maij quæ hoc anno consignata fuit feriâ quartâ, vsque ad diem tricesimam Iunij quæ quintâ post hebdomadâ in feriam quoque quartam incidit. Deinde in antiquo Codice, quem Bollandus laudat, vitæ Sancti Eleutherij præfigitur hic titulus. *Incipit vita Sancti Eleutherij, cuius festum est* II. *Kalendas Iulij*. Et post actorum finem hæc annectuntur verba veluti Henrico Canonico à sancto Eleutherio indicata. *Ego frater Eleutherius, seruus seruorum Dei, in sarcophago in Ecclesia beati Petri Blandinij depositus sum pridie Kalendas Iulij*. Ac posteà, *festum*, inquit, *depositionis meæ commemorate pridie Kalendas Iuly*. Astipulatur manuscriptum Florarium Sanctorum pridie Kalendas Iulias his verbis. *Ciuitate Tornaco Natale Sancti Eleuthery Episcopi & Confessoris. Hic gratiâ sanitatis effulgens, plures cæcos illuminauit, ac alia miracula multa perpetrauit*. Restat, vt Bonifacium Papam, sub cuius Pontificatu beatus Eleutherius occubuit, ad hunc annum peruenisse comprobemus aduersus Baronium, Malbrancum, Bollandum & alios Baronij asseclas, qui eiusdem Bonifacij mortem anno superiori collocant. Post Symmachum Papam, cuius obitum anno Christi quingentesimo decimo-quarto contigisse suprà diximus, Ecclesiæ Catholicæ præfuerunt Hormisda, Ioannes primus, Felix Quartus, Bonifacius secundus, Ioannes secundus. Ex ipsiusmet Baronij calculo Felix obiit anno Christi quingentesimo tricesimo, Lampadio & Oreste Consulibus, *sepultus est*, ait Anastasius, *in Basilica sancti Petri Apostoli quarto Idus Octobris, &*

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

cessauit Episcopatus dies tres. Felici successit Bonifacius. Hic, teste eodem Anastasio, *sedit annos 2. dies 26.* sed dierum 26. loco restituendi sunt dies 2. nam *Bonifacius*, inquit idem Auctor, *sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli sub die 17. mensis Octobr.* hoc videlicet anno, Christi quingentesimo tricesimo-secundo. Baronius Bonifacio vnum duntaxat annum in Pontificatu cum duobus diebus attribuit, suamque sententiam duplici conatur argumento stabilire. Primùm desumit à prælaudato Anastasio, qui Bonifacium in Basilica B. Petri Apostoli sepultum tradit *sub die 17. mensis Octobr. post Consulatum Lampadij*. Alterum mutuatur à vetere inscriptione quâ contendit Ioannem Bonifacio subrogatum fuisse post Consulatum Lampadij & Orestis, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo primo, qui, quoniam Consulibus ordinariis caruit, post Consulatum præcedentium Consulum Lampadij & Orestis in fastis inscribitur. At auctoritas Anastasij hoc loco nulla est, quia in illo Scriptore notæ Consulum sunt plurimùm deprauatæ, & ne longè petamus exemplum, præstò est Pontificatus Ioannis secundi, nam si fides est vulgatis exemplaribus Anastasij, *Ioannes qui & Mercurius*, Bonifacij successor, præter minutias mensium ac dierum, *sedit annos duos*, obiitque *post Consulatum iterùm Lampadij*, quis autem credat Anastasium adeò negligenter aut imperitè scripsisse, vt Ioannem Bonifacio *post Consulatum Lampadij*, siue anno proximo post Lampadij Consulatum, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo primo successerit, deinde eundem Ioannem post annos duos pluresque menses demortuum affirmarit *post Consulatum iterùm Lampadij*, siue anno secundo post Lampadij Consulatum, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo? Vetus inscriptio, quam Baronius ex æde Sancti Petri ad Vincula descripsit, talis est, SALBO PAPA NOSTRO IOANNE COGNOMENTO MERCVRIO EX SANCTÆ ECCLES. ROM. PRESBYTERIS ORDINATO. EX TIT. S. CLEMENTIS AD GLORIAM PONTIFICALEM PROMOTO. BEATO PETRO AP. PATRONO SVO A VINCVLIS EIVS SEVERVS PRESB. OFFERT ET IT. P. C. LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. VRBICVLVS CEDRINVS EST. Tantùm abest vt Baronio faueat, quin potiùs sententiæ nostræ suffragatur, & hæ voces, IT. P. C. LAMPADII ORESTIS, id est, iterùm seu secundò post Consulatum Lampadij & Orestis, non annum proximum, vt Baronius arbitratur, sed annum secundum post Consulatum Lampadij & Orestis, siue non annum Christi quingentesimum tricesimum primum qui post Lampadij & Orestis Consulatum proximus fuit, sed annum indicant Christi quingentesimum tricesimum secundum qui post Lampadij & Orestis Consulatum secundus numeratur. Mortuus est igitur Bonifacius decimo-sexto Kalendas Nouembris, hoc anno, Christi quingentesimo tricesimo secundo. Ei sub finem eiusdem anni subrogatus est Ioannes secundus, cui Baronius præter appendicias mensium ac dierum non annos duos vt Anastasius, sed annos tres assignat, atque ita, postquàm Bonifacij Præsulatum vno anno perperàm imminuit, subsequentem Ioannis secundi Pontificatum vno anno similiter auctiorem reddit, vt cum Anastasio redeat in gratiam ad annum Christi quingentesimum tricesimum quintum, quo Ioannem Papam è viuis sublatum fuisse constat. Anastasianum calculum in designandis annis Romanorum Pontificum, Bonifacij secundi qui regimen Ecclesiæ suscepit anno Christi quingentesimo tricesimo, & Ioannis secundi qui vitam clausit anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, Baronianæ supputationi præferet, quisquis ipsum Baronium ad annum Christi quingentesimum tricesimum secundum legerit. Illo anno, qui totus ad Ioannis Pontificatum ex Baronij computo pertinet, nihil à Ioanne gestum memoratur in Annalibus Baronianis. An credibile est Papam temporibus adeò difficilibus sub initium sui Præsulatus otiosum quieuisse? num multò probabilius Ioannem exeunte anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo creatum fuisse Pontificem? cui Iustinianus Imperator sub anni sequentis initium legationem miserit, quam & Baronius fatetur obitam anno Christi quingentesimo tricesi-

mo

mo tertio, & Liberatus Diaconus[a], qui præsens aderat, ineunte Ioannis Pontificatu directam subindicat his verbis, *Defuncto Bonifacio Papâ, Ioannes cognomento Mercurius sedis Apostolicæ suscepit Præsulatum, ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus & Demetrius à Philippis*, &c. Denique, vt Bonifacium Papam secundum anno Christi quingentesimo tricesimo secundo mortuum asseramus, ipsa, quæ modò examinamus, Eleutherij Episcopi Tornacensis acta non leuiter impellunt. Etenim Eleutherius *decimo ordinationis anno, præsidente Papâ Anastasio, Tornacenses omnibus Christianis rebelles ad fidem reduxit, & in eadem hebdomada plusquàm vndecim millia baptizauit*, idque, siue vt arbitramur in festo Paschæ vel Pentecostes, siue vt quidam contendunt mense Septembri gestum est, ante annum Christi quadringentesimum nonagesimum septimum peragi non potuit, Anastasius enim Papa decimo-tertio Kalendas Decembris obiit anno Christi quadringentesimo nonagesimo-octauo, cùm biennium in Pontificatu nondum expleuisset. Annus autem Eleutherij Tornacensis Episcopi decimus anno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo illigari nequit, quin annus Christi quingentesimus tricesimus-secundus coincidat cum anno eiusdem Antistitis Eleutherij quadragesimo quinto, ad quem proculdubiò peruenit Bonifacius Papa, nam Eleutherius Episcopatum rexit annis quadraginta quinque, & Bonifacius Papa ipsi Eleutherio superstes vixit. Ambo eodem anno ex hâc vitâ discesserunt, Eleutherius pridie Kalendas Iulij, Bonifacius decimo-sexto Kalendas Nouembris. Hæc de die, mense & anno, quo beatus Eleutherius ad Deum migrauit, dicta sunto. Iam verò quid eius obitum antecesserit quidve subsecutum sit inquiramus ex actis iam laudatis.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

[a] Cap. 10.

IX. VULNERATVR AB HÆRETICIS.

Hæreticorum pars confunditur, ait Author auctioris vitæ, *quid facerent, consilium inierunt, & quid de illo fieret exquisierunt, & dicebant. Si ita prænaluerit apud nos, vita nostra contemnetur, si autem prænaluerimus, victoriam laudis adepti erimus. Sic illis in vno dierum*, (nempe septimo Kalendas Iunij) *colloquentibus, ecce beatus Pontifex cum Athanasio Diacono & Andoneo fideli discipulo ab Ecclesia beatæ Mariæ Tornacensi egrediebatur. Quem videntes hæretici post angulum occultati (multis enim modis insidiabantur ei) dicebant. Ecce destructor legis nostræ, venite occidamus eum. Igitur fustibus arreptis duriter ceciderunt eum, & relicto seminuino ante Ecclesiam plagis impositis occultè abierunt. Discipuli similiter, relicto Pastore suo, aufugerunt. Quod audiens Censorinus Cæsar, omnes patibulo crucis affixisset, nisi oratio viri Dei præualuisset. Fit per vrbem tumultus populi, clamant iuuenes, lugent matronæ & virgines, cinere aspergunturs enes, Præsulem seminiuum videre certantes, ipse autem exanimis iacebat. Tunc à ciuibus vrbis parato, vt ipse rogauerat, stratu cilicino intra domum suam delatus est, qui quinque posteà viuens per hebdomadas in ipsâ infirmitate cæcum illuminauit, & nonnullos infirmos curauit.* Hæc obitum Eleutherij præcesserunt, mors & sepultura in antiquioribus actis ita describuntur. *Finis dierum beatissimi Eleutherij appropiauit, qui fratres suos & veræ religionis cultores aduocans, coram eis Corpus & Sanguinem Christi percepit, se eâdem hebdomadâ à carcere corporeo transmigraturum prædixit.* Omittimus prolixum sermonem, quo suos adhortatus est ad virtutem, Deúmque orauit pro ciuitate Tornacensi, & pro inimicis à quibus cæsus fuerat. Eâdem horâ, quâ feliciter ad Deum migrauit, *tanta claritas oppidanum locum, in quo natus erat, affulsit, vt omnes, qui ad exequias tanti Patris venerant, facti quasi in excessu mentis spiritum eius ab Angelo eleuari in nube viderent, & cum claritate nubis in cælos penetrare, & claritatem cum ipso volantem nullatenùs apparere. Igitur sanctus Medardus aduenit, & sanctum corpus mortuum inuenit, & plorans præ gaudio super illud Missarum solennia celebrauit, & in Ecclesiâ beatæ Mariæ sepulchrum nouum parari præcepit. Communi autem consilio decretum est, quatinus eum in Ecclesiâ beati Petri Blandinieusis sepelirent, nimirùm quia ibidem ab vrbe cum omni cognatione suâ fugatus Præsulatum tenuerat, & super his præclari nominis miracula patrauerat.* Auctor auctioris vitæ nonnullas

MORITVR.

SEPELITVR.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

addit circumstantias; duas præterire non possumus, quæ pertinent ad Chronologiam palámque ostendunt sub quo Papâ quove die beatus Eleutherius spiritum exhalauit. *Videns venas corporis sui relaxari, & se magnâ infirmitate nimis aggrauari, dixit. Deus meus, te videre desidero, & in manus tuas commendo spiritum meum. Andoneumque aduocans ait illi. Fili, ne recuses obedire patri tuo. Rogo itaque, vt Romam quantocyùs eas, & thesaurum Christi à me compositum Bonifacio Pontifici Romano transmittas, vt caput hæreticorum in puteum abyssi demergatur, & Ecclesia Christi per vniuersa orbis spatia crescat & defendatur.* Et paucis interiectis.. *Sic vndâ sacri sanguinis profusâ verus Martyr & Confessor in pace obiit pridie Kal. Iuly.* Andoneus vltimis Eleutherij mandatis obtemperauit, iter in Italiam quamprimùm suscepit ferens libellum, quem Eleutherius aduersus hæreticos sui temporis composuerat, morbo correptus Rauennæ substitit, ibique vitam cum morte commutauit. Secutum est ingens miraculum quod præcitatæ auctiori vitæ in Codice Tornacensi subiicitur his verbis. *Obediens igitur discipulus magistro, contigit, dum iret, & Papam Bonifacium expeteret, Rauennam venit, ibique sepultus in vico, qui vocabatur vicus leprosorum, in pace obdormiuit. Sequenti verò nocte Iudæus, apud quem discipulus morabatur, post corporis sepulturam inuenit libellum, inuenienſque scriptum, qualiter Virgo Maria Dei filium genuit, & post partum Virgo permansit, iracundiæ zelo accensus gladium latenter accepit, ferróque omnia disrupit, deinde in ignem indignatus proiecit. Eâdem verò nocte gloriosa Virgo Iudæum volens ad fidem conuertere, & suaui iugo filij sui mancipare, veste candidissimâ indutâ, facie autem velut discissâ, comaque sanctissimi capitis tamquam laceratâ, eidem dormienti dignata est apparere, mirantíque Iudæo dicere. O infidelis & iniuste, quid hesternâ die feciſti? Ecce, tollere voluit animam tuam abs te. Igitur quis erit refugium tuum & spes tua? Numquid ego? Ego flos campi, lilium candens, & rosa florens, quæ filium Dei gestare merui, quæ Virgo post partum remansi. Vade ideo fili, & quod egisti confitere, vt merearis baptismum fidei accipere, & expoliato veteri homine valeas nouum Adam induere. His dictis beata mater disparuit. Ille autem quod viderat admirans in eâdem horâ Ecclesiam petiit, confessus est quod perpetrauit, deinde Christianus fieri promeruit, collaudánsque Dei genitricem, omni vitâ suâ illi honestè ministrauit.* Eleutherio eiúsque discipulo Andoneo diu superstes esse non potuit Censorinus Tribunus, qui Præfecturam Tornacensem iam obtinebat anno Christi quadringentesimo octogesimo-sexto, cùm parentes Eleutherij ipsúmque Eleutherium ac ceteros Christianos Tornaco pepulit. Quiescit Tornaci in æde beatissimæ Virginis, vt Guibertus in vitâ sancti Eleutherij docet.

X. MEDARDVS EP. NOVIOM. FIT ETIAM EP. TORNAC.

Beato Eleutherio in Episcopatu Tornacensi successit Medardus Nouiomensis Episcopus, de quo sic author editus à Surio [a]. *Cùm Ecclesiam, quam Nouiomi construxerat, felicissimè gubernaret, & suos quosque ad æternam remunerationem confortaret, sanctum Eleutherium Tornacensis Ecclesiæ Pontificem, quem ipse, vt prælibauimus, in infantiâ suâ futurum esse prædixerat Episcopum, hominem contigit exuere, ac post felicem Pontificij sui administrationem, de terrenus ad cælestia coronandum transmigrare. Post cuius lugubres exequias, cùm de Pontificis electione inuicem differerent, peracto triduano ieiunio, & solennibus hostiarum victimis Deo deuotè oblatis, subitâ sancti Spiritus inspiratione inflammati, vnanimiter sanctum hunc Pontificem Medardum elegerunt, eius se orationibus confidentes contra impetus muniendos malignorum spirituum. Id populus acclamabat, in hoc Rex ipse Procereſque Palatij, præcipuè comprouinciales Episcopi, consentiebant. Legerunt siquidem vocem populi vocem ipsam esse Dominicam, & quod tam vnanimiter populus expetierat, omni remotâ excusatione fieri adiudicabant. Recusabat humillimè insignis Dei Præsul, quod plebs tam vnanimiter acclamabat; obstinato eis animo, impotentem se & indignum vociferans, magnanimiter resistebat. Pontificali demum, Metropolitani scilicet & comprouincialium suorum cuictus authoritate, Regisque ac Procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, vix consensit, & vna-*

[a] D. 8. Iun.

nimi, Pontificali videlicet ac Regali, authoritate duas illas Ecclesias vnam fecit. Vtrunque ouile pastor egregius consilio & authoritate comprouincialium Episcoporum tempore Hormisdæ Papæ sub sancto Remigio, tunc temporis Rhemorum Archiepiscopo, assensu Regis & curialium ac vtriusque plebis acclamatione tandem suscepit, & vt vtrique Ecclesiæ Cathedralis semper honor maneret, benignè concessit. Quot & quanta in regione illâ opprobria, quot & quantas perpessus sit iniurias, quoties comminationibus iniuriatus fuerit Tornacensium, quoties pro incessabili prædicatione adindicatus fuerit ad supplicium, licet nos lateat, Deo tamen soli manifestum esse, nulli est ambiguum. Erat enim gens ipsa fera & indomabilis, duræ ceruicis populus & implacabilis, prauis admodum subditus obsequiis idolorum, & cum multâ obstinatione suorum defendens culturam deorum. His ipse se viriliter iniiciens sanctus Episcopus, Euangelicas & Apostolicas institutiones imperterritè prædicabat, falsis eorum obiectionibus magnanimiter respondebat, & imaginarias eorum opiniones veridicâ Prophetarum prænunciatione viriliter expugnabat. Aderat siquidem ei diuina semper gratia, quæ illum & ab infidelium protegebat incursu, & eorum quoque infidelium ad dulcisonam spiritualis doctrinæ institutionem emolliebat auditus. Sicque factum est, vt paruo in tempore innumerabilis eorum multitudo ad fidem Catholicam conuerterentur, & Deo præordinante per inæstimabilem sancti huius Pontificis instantiam, sacrosancti baptismatis vndâ, maximâ ex parte sanctificarentur. Author ille, vt alibi monuimus, post annum Christi millesimum scripsit, & in obseruando temporum calculo parum versatus videtur. Bollandus [a] in commentario prævio vitæ sancti Eleutherij putat ex prædicto textu expungenda esse hæc verba, *tempore Hormisdæ Papæ sub sancto Remigio tunc temporis Rhemorum Archiepiscopo*, quia Hormisdam anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio, Remigium anno Christi quingentesimo-tricesimo, mortuos affirmat, nos verò, cùm beati Remigij vitam ad annum vsque Christi quingentesimum tricesimum-tertium prorogemus, satis esse iudicamus, si sola hæc verba, *tempore Hormisdæ Papæ*, abradantur. *Medardum Nouiomensem Episcopum*, si Guiberto fides est, Eleutherius Antistes Tornacensis, *dum adhuc viueret debilitate confractus & senio, pro consecrandis Ecclesiis & Ordinibus celebrandis habuerat adiutorem.* Eadem ex Chronico manuscripto Tornacensi refert Buzelinus, silent vetustiores scriptores. Ceterùm ab hoc anno, quo Medardus electus est Episcopus Tornacensis, vsque ad annum Christi millesimum centesimum quadragesimum-sextum, *annis amplius quàm sexcentis* vt Guibertus in vitâ sancti Eleutherij tradit, siue annis quatuordecim supra sexcentos iidem Nouiomenses Episcopi fuerunt qui & Tornacenses, ita tamen vt vtrique Ecclesiæ Cathedralis honor seruaretur, & Pontifices dicerentur Nouiomenses ac Tornacenses aut vice versâ Tornacenses ac Nouiomenses, vt multis exemplis inferiùs patebit, quorum nonnulla in vnum collegit Author Historiæ Tornacensis libro primo, capite quinquagesimo-septimo.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

[a] D. 10. Febr.

XI.

Hisce temporibus Almirus, Boamirus, Vlfacius, aliique Monachi, qui diu cum beato Auito in Monasteriis Miciacensi & Pitiacensi vixerant, relictâ Diœcesi Carnotinâ Cenomanicam adierunt, in quâ degebat cum sociis aliquot Carilephus *, cui flagrantissima semper amicitia cum eodem Auito interceserat. Sancti Almiri vitam ex veteribus membranis Monasterij Spallensis * descriptam legimus cum insigni prologo, qui scriptorem sub Domnolo Cenomanensium Episcopo floruisse testatur his verbis. *Compulsi à fratribus, imperante etiam Pontifice nostro beato Domnolo, scribere sancti Almiri vitam, ne inobedientes appareamus, adiuuante Spiritu sancto, qui in prædicto requienit sancto, stylo tenui aggredimur.* Initio istius vitæ multa præmittuntur, quæ sanctis Auito & Carilepho eorúmque sociis ac discipulis communia sunt. Inprimis author obseruat, imperantibus apud Francos Childeberto & Clotario fratribus, in Cenomaniam venisse sanctos Auitum & Carilephum cum sociis quibusdam, quos alij posteà secuti sunt aliquo spatio temporis interiecto. *Regnantibus*, inquit, *atque gubernantibus Childeberto atque Clothario fratre eius*

* *Calais.*

* *L'Espau.*

ANNVENTE INNOCENTIO EP. CENOMAN. CELLVLAS ET MONASTERIA CONSTRVVNT.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

Monarchiam regni Francorum, & feruente Christianitatis cultus augmento, quidam sanctæ vitæ desiderio diuino accensi, relinquentes patriam suam, parentes, prædia, & omnia, atque propria monasteria deserentes, arctioremque quarentes vitam veniunt in pagum Cenomanicum. Inter quos primi fuerunt sanctus Auitus & sanctus Carilephus; hi vero calore fidei inflammati & diuino amore accensi peregrinando venerunt. Quidam enim eos posteà secuti sunt, quidam autem & eis coniuncti venerunt in prædictum pagum * *Cenomanicum.* Deinde subiungit eos ex Aquitaniâ & ex pago potissimùm Aruernico venisse, ac, priusquàm in Cenomaniam penetrarent, substitisse prope Aureliam in Monasterio, cui beatus Maximinus præerat. *Præfati sancti viri ab Aquitaniâ exeuntes & maximè de pago Aruernico pro Christo exules facti Aurelianis veniunt, ibique cum sancto Maximino haud longè ab vrbe prædictâ eo tempore sub sanctâ regulâ orantes, quidam Sacerdotes ad pagum Cenomanicum properant & iuxta eremum quæ Particus dicitur in abditis locis latitant, & opere manuum suarum viuere satagunt, orantes ac deprecantes die noctúque obnixis precibus flexísque poplitibus Deum cæli, vt alia loca & benè apta inuenire valerent, in quibus singuli singulas cellulas ædificantes animas diabolicâ fraude deceptas in eis Domino fauente sub sanctâ regulâ lucrari mererentur. Quorum preces & lachrymabiles orationes Dominus exaudiens eis petita clementer concessit, atque desideria eorum suâ gratissimâ clementiâ adimplenit.* Licet in Franciâ, præter Clodomeris filios, imperarent tres Reges, Theodoricus, Childebertus & Clotarius, cùm Auitus & Carilephus è Miciacensi Monasterio discessserunt, duos tantùm nominauit Childebertum & Clotarium, quia post Clotarij Regis obitum, cùm omnis ditio Francorum penes eiusdem Clotarij filios esset, calamo manum admouit, satisque esse duxit si beatissimorum virorum aduentum in Cenomaniam nominibus duorum Regum consignaret, Childeberti videlicet qui Cenomaniæ tunc dominabatur, & Clotarij fratris qui posteà vniuersam Francorum Monarchiam solus obtinuit ac filiis diuidendam transmisit. Egimus suis locis de Auiti & Carilephi sociorúmque profectione ex Aruernià in Diœcesim Aurelianensem, & ex Miciacensi cœnobio in pagum Cenomanicum; atque inde in agrum Dunensem Carnotinæ Diœceseos vbi Auitus nobile Monasterium extruxit. Obseruauimus etiam Monachos non paucos ex aliis Monasteriis ad Auitum profectos esse, ab eóque recessisse Carilephum cum Daumero & Gallo, nec omisimus Auitum paulò pòst ex hac vitâ migrasse. Mortuo Auito, cuius obitum ante biennium retulimus, plerique Carilephum adire statuerunt, relictóque Auiti monasterio, quod in agro Dunensi Episcopatúque Carnotino situm erat, in Diœcesim * Cenomanicam perrexerunt incunte Pontificatu Innocentij, cuius decessor Victor beato Auito paucos duntaxat menses superuixerat. Quid secutum sit, Anonymus in vitâ sancti Almiri prælaudatâ sic exponit. *Sanctus Innocens, qui eodem tempore in prædicto pago Cenomanico Episcopus erat, misit ad eos suam consolatoriam epistolam & suum Sacerdotem nomine Benedictum, vt interrogans eos diligenter inquireret, cuius conuersationis essent, aut vnde venirent, vel quid agere proponerent; intimans etiam eis quòd si in eâdem parochiâ morari vel cellulas construere, vt ei dictum erat, vellent, ipse eis loca daret, in quibus secundùm professionem eorum hæc eadem perficere Domino auxiliante possent. Mox autem vt prædicti sancti viri talem nuntium viderunt, cognouerunt à Domino Deo eorum preces esse exauditas, & prædicto Episcopo hoc ad eorum consolationem esse inspiratum, immensas Deo gratias & flexis genibus & extensis manibus ad cælum referunt qui exaudire eos & consolari dignatus est. Per ipsum autem præfatum Sacerdotem dicto Episcopo etiam gratias referunt, mandántque quòd quicquid ipse inberet in quantum Deus dederit voluntariè adimplerent; intimant etiam auditâ eius sanctitatis famâ se illuc aduentasse, & vt serui Domino in omnibus sibi obedire velle. Quorum voluntatem vt memoratus sanctus Innocens audiuit, qui, antequam eorum obedientiam audiret, grauiter hoc ferebat, & admodum eos redarguebat, quare absque eius licentiâ & consilio suâ in parochiâ quidam eorum iam Ora-*

* *Le Maine.*

* *Le Diocese du Mans.*

*toria ædificare incæperant, ſicut alibi de ſancto Carilepho legitur. Poſtquàm, vt prædictum eſt, ſupradictus Epiſcopus eorum obedientiam atque ſtudium audiuit, & non eos ſtolidos & inobedientes eſſe velle ſed religioſos & obedientes eſſe per omnia cognouit, Conedratio * vico Cenomanico quoſdam eorum obuiam ſibi venire præcepit, & eos gaudenter ſuſcipiens atque ſuper colla eorum irruens deoſculatus eſt, omnémque humanitatem vt Epiſcopum decet eis oſtendit, poſteà verò cantauit Miſſam, benedixítque eos, atque ſanctâ Euchariſtiâ eos ad extremum confirmauit. Denique autem vnà ſoluerunt ieiunium, atque cibis ſimul confortati ſunt. Tunc itaque dedit eis poteſtatem in ſuâ parochiâ prædicandi & homines ad ſanctam atque communem ſiue regularem vitam conuertendi, & vbicunque vellent in ſuâ parochiâ & in quocunque territorio ſuæ ſedis Eccleſiæ cellulas ædificarent, voluit enim eis ſtatim loca dare ad memorata Dei ſeruitia peragenda; ſed ipſi petierunt ſpatium vſquedum cum ſancto Carilepho* (Carilephum hoc loco reponimus expuncto Auito qui priùs obierat) *eorum magiſtro & cum aliis ſociis hoc diligenter conſiderarent, & demum libenter eius iuſſa & voluntatem explerent, vnde poſteà ſimul conuenientes omnes per triduum interueniente ieiunio & oratione hac conſiderantes conſilium ceperunt, vt licentiâ & auctoritate præfati Epiſcopi quærerent loca vbi ſinguli ſingulas ædificarent Eccleſias, vnde factum eſt Domino opem ferente vt ſanctus Carilephus Dei Sacerdos locum ad cellulam ſibi ædificandam vnà cum ſibi ſubditis dum quæreret inueniret locum amœnum ſuper fluuium Aniſola * in territorio Sanctæ Cenomanicæ matris Eccleſiæ, vbi Domino auxiliante ſibi cœpit cellulam ædificare quâ ipſe modò corpore quieſcit, qui locus à nomine eiuſdem fluminis Aniſola nominatur.* Hic locus, vt in vitâ ſancti Carilephi [a] ſcriptum habetur, Caſa Iagani priſcis dicebatur temporibus ſuper fluuium Aniſolam, vbi multi fontes frigidas fundunt aquas, à quarum frigiditate fluuium volunt ſumpſiſſe vocabulum, tanquam ab anio, id eſt tremo, & inſulâ dictus ſit Aniſola, hoc eſt tremoris ac frigoris inſula, atque hinc etiam anates volucres dictas putant, quòd ſemper in aquis verſari eas delectet. Illic Carilephus adnitentibus ſociis intra menſes aliquot ex vilibus virgultis tugurium conſtruxit, poſteà verò ampliſſimum ædificauit Monaſterium ex munificentiâ Childeberti Regis, qui Madoalenſis fiſci partem vltrò conceſſit.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

* Connaray.

CARILEPHVS.

* Aniſle.

[a] Ap. Sur. d. 1. Iul.

Tres è Carilephi diſcipulis, Almirus, Boamirus & Vlfacius, non longè receſſerunt à magiſtro, ſibíque ſedes ad Brigiam * riuum elegerunt. XII.

* La Braye.

Almirus *, natione Aruernus, ad Brigiam conſedit in radice montis quem ſylua vndequaque cingebat. Ibi Oratorium, deinde Eccleſiam in montis vertice conſtruxit. Auctor vitæ, poſt longam præfationem quam ſuprà laudauimus, tandem res ab eo geſtas ſic aggreditur. *Sanctus Almirus locum, qui hodie Greſſus * nominatur, oratione inuenit, & largitione prædicti Epiſcopi adeptus eſt. Qui locus à quadam petra, quæ ibi inuenta eſt ad eorum acuenda ferramenta, ita nomen accepit & retinet vſque in hodiernum diem; quem largitate memorati Epiſcopi, vt dictum eſt, accepit, atque eius adiutorio ibidem Monaſterium in honore Sanctæ Mariæ & Sancti Petri fecit, & Monachos ſub ſancta Regula degentes quadraginta ibi exceptis reliquis diſcipulis & famulis congreganit.* XIII.

* S. Almer.

ALMIRVS.

* Grées.

Sanctus Boamirus *, cuius vitam quoque manuſcriptam legimus, *ſuis precibus in vaſta eremo ſolitudinem, in loco videlicet, vbi Brigia riuulus ſurgit, inuenit, quam largitione Sancti Innocentis Epiſcopi Cenomannenſis adipiſci meruit. Cuius fultus auxilio, in eodem loco aliquos Monachos ſub ſancta regula degentes congregare ſtuduit, atque cellulam inibi conſtruere in honore Sancti Petri cœpit, & Monaſterium ædificare ibidem inchoauit, ſed antequam illud pleniter perficeret, defunctus eſt, & ipſum locum ſuis diſcipulis & præfato ſancto Innocenti Epiſcopo conſtruendum dimiſit. Obiit tertio Nonas Nouembris.* Aliquando pro rebus maximi momenti, quæ Chriſtianæ Religionis augmento & Cenomanicæ Diœceſeos vtilitati plurimùm conducebant, ab Innocentio Epiſcopo ad Childebertum directus fuit, Regem ipſum reperit graui morbo laborantem, ac precibus ad Deum fuſis incolumem reddidit; peractis ex voto negotiis & ampliſ- XIV.

* S. Bomer.

BOAMIRVS.

AN. CH. 532. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 21.

simis muneribus cùm à Rege tum à Regina donatus ad Innocentium rediit, eóque annuente regias opes, quas è Palatio attulerat, insumpsit in ædificanda præleganti Ecclesia, loco prioris Oratorij quod angustius videbatur, deinceps in eradicanda penitùs idololatria diligenter operam nauauit, precibus suis obtinuit à Deo, vt templum Veneris in excelso rupis vertice constructum ictu fulminis deiiceretur. Honoratur titulo Confessoris in Breuiario Cenomanensi Nonis Augusti. Sepultus fuit in Ecclesia quam erexerat, vocant hodie parœciam Sancti Boamiri. Lege historiam Cenomanensem. Saussaius tertio Nonas Nouembris in elogio Sancti Boamiri frustrà Clotarium Regem reponit, nam Childeberto, quandiu vixit, Cenomania paruit.

XV. VLFACIVS.

Vlfacius inter Almirum & Boamirum medius ad ripam Brigiæ consedit, ibíque Oratorium condidit in honorem Sancti Petri.

XVI. GALLVS. * *Lanal.* FRONTO. * *Domfront.* FRAMBALDVS. * *La Mayne.* * *S. Frambaud de prieres.* * *Ceaulcé.* ALNEVS. ERNEVS. * *La Sarte.* * *Iauron.* BOAMALDVS. CONSTANTIANVS.

Alij discipuli longiùs à Carilepho recesserunt. Gallus in syluam secessit territorij Valensis *. Fronto, quem antiqui Codices socium Galli vocant, procul ab ipso Gallo in aliam abiit syluam, quæ tunc pertingebat vsque ad oppidum cui nomen hodie domus * Frontonis. Frambaldus Aruernus prope Meduanam * amnem supráque oppidum eiusdem nominis in nemore tugurium sibi extruxit, cui nomen ad hodiernam vsque diem mansit Sancti Frambaldi * de precibus, quia precibus ibi vacare consueuerat. Alneus & Erneus Aquitani in parœcia * Ceaulcensi consenuerunt mediâ fermè viâ inter domum Frontonis & vicum Sancti Frambaldi de precibus. Constantianus Aruernus cellulam inter Meduanam & Sartam * fluuios in Gabronensi * territorio sibi composuit. Boamaldus nobilissimis parentibus in Aquitania natus perhibetur; quam eremum incoluerit, haud probè scitur. Hæc omnia fusiùs refert in historia Cenomanensi Coruaisierius. Vitam Sancti Constantiani manuscriptam legimus. Auctor coætaneum se prodit, ait enim se collocutum esse cum Monacho, quem morti proximum Constantianus insigni miraculo sanarat. *Peracto*, inquit, *officio sacri Corporis & Sanguinis Domini Communione eum confirmauit, & iam mutum ac singultientem reuocauit à funere, & pristinæ sanitati & obedientiæ restituit. Qui multo pòst viuens tempore hæc eadem nobis retulit.* Obseruat Constantianum genere nobilem extitisse, & ad sacerdotalem dignitatem promotum fuisse ab Innocentio Episcopo. Cetera prosequemur suis locis.

533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

ANNVS CHRISTI 533. THEODORICI R. 22. CHILDEBERTI R. 22. CLOTARII R. 22. INDICTIO 11.

I. * Marius, Marcell.

ANNO Christi quingentesimo tricesimo-tertio, Indictione vndecimâ, Iustinianus Augustus tertium * Consulatum iniit absque Collega.

II. * *Rhodez.* b Lib. 3. capp. 21. 22.

*Gothi cùm post Chlodonei mortem multa de his quæ ille acquisierat, peruasissent, Theodoricus Theodobertum, Chlothecharius verò Guntharium seniorem filium suum ad hæc requirenda transmittunt. Sed Guntharius vsque Rotinas * accedens, nescio quâ faciente causâ regressus est*, inquit Gregorius b Turonensis, *Theodobertus verò vsque Biterrensem ciuitatem abiens, Deas castrum obtinuit, atque in prædam*

diripuit. Deinde ad alium castrum nomine Caprariam * *legatos mittit dicens, nisi se illi subdant, omne locum illud incendio concremandum, eósque qui ibidem residunt, captiuandos. Erat autem ibidem tunc matrona Deoteria nomine, vtilis valdè atque sapiens, cuius vir apud Biterras vrbem concesserat. Quæ misit nuntios ad Regem dicens. Nullus tibi, Domine pissime, resistere potest, cognoscimus Dominum nostrum, veni & quod beneplacitum fuerit oculis tuis facito. Theodobertus autem ad castrum veniens cum pace ingressus est, subditúmque sibi cernens populum, nihil ibi malè gessit. Deoteria verò ad occursum eius venit. At ille speciosam eam cernens amore eius capitur, suóque eam copulauit stratu.* Quàm graue Theodoberti crimen fuerit, tres potissimùm circumstantiæ declarant apud Gregorium Turonensem [a], *Theodoricus filio suo Theodoberto* W *isigardem cuiusdam Regis filiam desponsauerat.* Deoteriæ vir *apud Biterras* * *vrbem* adhuc superstes erat. Theodobertus Deoteriam *suo copulauit stratu*, de contrahendo tamen matrimonio ne verbum quidem fecit, quandiu Theodoricus pater in viuis fuit. Ex alia femina Ragintrudem iam susceperat, si bene scripsit Auentinus [b] eam Theodoni Boiorum Duci nupsisse, ac liberos peperisse, Theodoberto patre adhuc superstite, sed super huius Authoris Chronologia quid sentiamus, exponemus infrà.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

* *Caprieres.*

BELLVM GOTHICVM.

[a] Lib. 3. capp. 20. 22. 23.

* *Beziers.*

[b] Lib. 3.

III. RVTENI ITERVM PARENT FRANCIS.

Eo bello, quod aduersus Wisigothos à Francorum Regibus Theodorico & Clotario susceptum diximus, Ruteni redierunt in potestatem Francorum, ac deinceps Theodorico eiúsque filio Theodoberto paruerunt. Quapropter Dalmatius Rutenorum Pontifex inter Episcopos ex ditionibus Theodoberti congregatos Aruernensi Concilio post biennium subscribet, atque in posterum Rutenensis Episcopus Metropolitano Bituricensi subiacebit. Ruteni in notitia Imperij Romani sunt extremi populi primæ Aquitaniæ quà respicit prouinciam Narbonensem. Post Alarici Regis mortem, quam anno Christi quingentesimo septimo illigauimus, per annos sex & viginti crebrò disceptatum est vtrùm cessuri essent Gothis qui Narbone potiebantur, an Francis qui Biturigibus præerant, atque inde factum vt Rutenorum Ecclesia Metropolitanæ sedi modò Narbonensi, modò Bituricensi subesset. Sanctus Quintianus quandiu Rutenicum Episcopatum rexit cùm sub Alarico Wisigothorum Rege Ariano, tum sub Clodoueo Francorum Rege Orthodoxo, Bituricensem Metropolitam agnouit, quoniam Alaricus eóque cæso Clodoueus toti Aquitaniæ primæ dominabatur. Mortuo Clodoueo Gothi Rutenos in ditionem receperunt, statim Narbonensis Pontifex ius metropoliticum in Ecclesiam Rutenorum exercuit, eique Dalmatium Antistitem præfecit anno Christi quingentesimo vicesimo quarto, Rutenis autem sub Francorum potestatem iterùm missis idem Dalmatius Bituricensi Metropolitano se subdidit. Ceterùm in ipsius Dalmatij vita quam sæpiùs ex Codice Mossiacensi iam citauimus, posterior hæc Rutenorum ad Franciam accessio non omittitur, ibi enim leguntur ista verba. *Posteaquàm pia atque inclyta & Christiana Religionis cultrix Francorum ditio Rutenam vrbem coniurante sibi populi eius fauore subiecit, desiderio refertus Pontifex*, nempè Dalmatius, *Christiani Regis Theudoberti tendebat videre præsentiam, cúmque ad illum deuotissimus arduè festinaret, in vltraligeritanis partibus, quodam loco*, &c. Eodem quoque bello Luteuenses in potestatem Francorum deuenerunt. Floruerunt enim sub Regibus Francorum Luteuenses * Episcopi, Deuterius & Edibius, quorum alter anno Christi quingentesimo tricesimo quinto Concilium Aruernense, alter anno Christi quingentesimo quinquagesimo septimo Concilium Parisiense tertium suâ subscriptione communiuit.

CVM LVTEVENSIB.

* *de Lodéue.*

IV. SYGIVALDVS NECATVR.

In illis diebus, vt Gregorius [c] Turonensis scribit, *Theodoricus parentem suum Sygualdum occidit gladio, mittens occultè ad Theodobertum, vt & ille Sygualdi filium neci daret quem tunc secum habebat, sed quia eum de sacro fonte exceperat, perdere noluit. Literas verò quas ei pater transmiserat, ipsi ad legendum dedit, dicens, fuge hinc, quia patris mei præceptum accepi, vt te in-*

[c] Lib. 3. c. 23.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

terficiam, si verò ille defunctus fuerit, & me regnare audierit, tunc securus ad me reuerterit. Quod audiens, gratias agens, & valedicens abscessit. Arelatensem enim vrbem tunc Gothi pernaserant, de qua Theodobertus obsides retinebat, ad eam Sygualdus confugit. Sed parùm se ibidem cernens esse munitum, Latium petiit, ibíque & latuit. Dum hæc agerentur, nunciatur Theodoberto patrem suum grauiter ægrotare, de cuius obitu agemus anno sequenti.

FILIVS IN ITALIAM FVGIT.

V.

Mortuo Sygualdo, vt idem Gregorius in libro [a] de vitis Patrum testatur, Brachio ad Æmilianum eremitam, *qui se intra secreta syluarum Ponticiacensium Aruerni territorij abdiderat* denuo properauit, & *cum eodem duos vel tres annos faciens psalterium memoriæ commendauit, quem eius germanus plerumque interficere voluit, cur nollet matrimonio copulari.*

[a] Cap. 12.

BRACHIO ADIT ÆMILIANVM EREMITAM.

VI.

Hoc anno, siue *anno* XXII. *Domni Childeberti Regis*, vt Honorati Bituricensis Episcopi subscriptio confirmat, celebratum fuit Concilium Aurelianense secundum, conuocatis Episcopis ex ditionibus trium Regum, Theodorici, Childeberti & Clotarij, non tamen ex vniuersa Francia, sed ex Gallia Lugdunensi tantùm & ex Aquitania, vt ex ipsis Episcoporum subscriptionibus elicitur.

SYNODVS AVRELIANENS. II.

VII.

Præfatio Concilij talis est. *Cùm ex præceptione glorioßißimorum Regum in Aurelianensem vrbem, de obseruatione legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante, conueniſſemus, ibi quid de antiquis regulis, quid de nouis ambiguitatibus, pro captu intelligentiæ, illuminante Domino senserimus, expreßimus ſingulatim, deſcriptiſque conſtitutionibus, quæ Deo propitio in posterum sint obseruanda, ex veterum Canonum auctoritate conscripsimus.*

VIII. Sequuntur Canones viginti & vnus.

IX. *I. Id ergo est constitutum, vt nullus Episcoporum admonente Metropolitano Episcopo, niſi certâ tædij causâ detentus, ad Concilium vel ordinationem consacerdotis venire penitùs vllâ excusatione detrectet.*

X. *II. Vt Metropolitani ſingulis annis comprouinciales ſuos ad Concilium euocent.*

XI. *III. Ne quis Episcopus de quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus, ceterorúmque clericorum, aliquid præsumat accipere, quia Sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi.*

XII. *IV. Si quis Sacerdotium per pecunia nundinum execrabili ambitione quæsierit, abiciatur vt reprobus, quia Apostolica sententia donum Dei esse præcipit pecunia trutinâ minimè comparandum.*

XIII. *V. Nullus Episcopus ad sepeliendum Episcopum venire conflictâ occasione dißimulet, ne cuiuslibet corpusculum diutiùs inhumatum negligentiâ interueniente ſoluatur. Is verò Episcopus qui defunctum aduenerit sepelire, præter expensam necessariam nihil pretij pro fatigatione deposcat.*

XIV. *VI. Vt Episcopus qui ad sepeliendum Episcopum venerit, euocatis Presbyteris in vnum, domum Ecclesiæ adeat, deſcriptámque idoneis personis custodiendam sub integra diligentiâ derelinquat, vt res Ecclesiæ illorum improbitate non pereant.*

XV. *VII. In ordinandis Metropolitanis Episcopis antiquam institutionis formulam renouamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque Metropolitanus Episcopus à comprouincialibus Episcopis, clericis vel populis electus, congregatis in vnum omnibus comprouincialibus Episcopis ordinetur, vt talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat, per quem Regula Ecclesia in melius aucta plus floreat.* Lege super ea materia Leonem Magnum epistolâ octogesimâ quartâ, quæ Anastasio Episcopo Thessalonicensi inscribitur.

XVI. *VIII. Si quis Diaconus in captiuitate redactus vxori fuerit copulatus, reuersus ab officij ministerio remouendus est. Cui sufficere debet pro actus sui leuitate ſupletâ pœnitentiâ pro satisfactione communio.*

XVII. *IX. Nullus Presbyterorum sine permißione Episcopi sui cum secularibus habitare præsumat. Quòd si fecerit, ab officij communione pellatur.*

XVIII. *X. Nullus nouerca ſua, id est, vxori patris sui, vllâ copulatione iungatur. Quòd si quis præsumpserit, nouerit se anathematis supplicio feriendum.*

XI.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

XI. Contracta matrimonia accedente infirmitate, nullâ voluntatis contrarietate XIX.
soluantur. Quòd si qui ex coniugibus fecerint, nouerint se communione priuandos.

XII. Ne quis in Ecclesiâ votum suum cantando, bibendo, vel lasciuiendo dis- XX.
soluat, quia Deus talibus votis irritatur potiùs quàm placetur.

XIII. Abbates, Martyrarij, recluſi, vel Presbyteri, apostolia dare non præsu- XXI.
mant. Martyrarij nomen sortiebantur à Martyribus, & Martyrarius dicebatur, qui Martyris Oratorio seu Capellæ præficiebatur. Per apostolia dimissorias literas intellige.

XIV. Clerici qui officium suum implere despiciunt, aut vice suâ ad Ecclesiam XXII.
venire detrectant, loci sui dignitate priuentur.

XV. Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi XXIII.
debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.

XVI. Presbyter vel Diaconus sine literis, vel si baptizandi ordinem nesciat, XXIV.
nullatenus ordinetur.

XVII. Fœminæ quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta Ca- XXV.
nonum acceperunt, si ad coniugium probantur iterum deolutæ, à communione pel-
lantur. Quòd si huiusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dis-
soluerint, in communionis gratiam actâ pœnitentiâ reuertantur.

XVIII. Placuit etiam vt nulli postmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro con- XXVI.
ditionis huius fragilitate credatur. Hic Canon obscurior videtur, quia longè post ista tempora frequentes in Galliis extiterunt Diaconissæ. Ioannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter in commentario [a] de sacris Ecclesiæ ordinationibus intelligendum ait ex antiquorum Canonum præscripto, vt nulli postmodum fœminæ Diaconalis benedictio credatur ante annum ætatis quadragesimum, vel vt antiquissimi Canones iubent ante sexagesimum. Vberem alibi sermonem instituemus de Diaconissis, cùm agemus de sanctâ Radegunde.

[a] Part. 1. exercit. 10. c. 3.

XIX. Placuit vt nullus Christianus Iudæam, neque Iudæus Christianam in ma- XXVII.
trimonio ducat vxorem, quia inter huiusmodi personas illicitas nuptias esse censemus. Qui si commoniti à consortio hoc se separare distulerint, à communionis gra-
tiâ sunt sine dubio submouendi.

XX. Catholici qui ad idolorum cultum non custoditâ ad integrum accepti ba- XXVIII.
ptismi gratiâ reuertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumptionis vtuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui bestiarum morsibus extincta, vel quolibet morbo aut casu suffocata vescuntur.

XXI. Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad comunionem nec peni- XXIX.
tus admittantur, nisi contumaciam susceptâ humilitate deponant.

Sanè si qui post hanc diligentissimam sanctionem non obseruauerint quæ sunt su- XXX.
periùs comprehensa, reos se diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futuros esse cognoscant.

Huic Concilio subscripserunt Episcopi viginti sex & quinque Presbyteri à totidem Episcopis missi. XXXI.

Ex prouinciâ Lugdunensi primâ, Agrippinus Episcopus Æduorum. XXXII.

Ex prouinciâ Lugdunensi secundâ, Flauius Episcopus Rotomagensis Metropolitanus, Perpetuus Episcopus Abrincatensis, Passiuus Episcopus Sagiensis, Lauto Episcopus Constantiensis. XXXIII.

Ex prouinciâ Lugdunensi tertiâ, Iniuriosus Episcopus Turonensis Metropolitanus, Eumerius Episcopus Namnetensis, Innocentius Cenomannensis. XXXIV.

Ex prouinciâ Lugdunensi quartâ, Leontius Episcopus Aurelianensis, Eleutherius Episcopus Autisiodorensis, Ætherius Episcopus Carnotensis, Amelius Episcopus Parisiensis & Orbatus Presbyter à Leone Episcopo Senonensi Metropolitano deputatus. XXXV.

Ex Aquitaniâ primâ, Honoratus Episcopus Bituricensis Metropolitanus, Sustrasius Episcopus Cadurcensis & Laurentius Presbyter missus à Gallo Episcopo Aruernensi. XXXVI.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

Ex Aquitaniâ secundâ, Chronopius Episcopus Petracoricensis, Lupicinus Episcopus Ecolismensis, Eusebius Episcopus Santonensis, & Asclepius pro Adelphio Episcopo Pictauensi.

Ex Aquitaniâ tertiâ, Aspasius Episcopus Elosensis * Metropolitanus, Præsidius Episcopus Conuenarum, Proculeianus Episcopus Auscensis, Marcellus Episcopus Aturensis.

* d'Eause.

Adfuerunt etiam Iulianus, Importunus, Callistus, Marcus & Clarentius Episcopi; Eledius & Præsidonius Presbyteri à suis Episcopis missi, ille à Sebastio, hic ab Artemio. Iulianus Episcopus erat Viennensis Metropolitanus à Burgundis expulsus; quarum sedium alij fuerint Episcopi nondum scire potuimùs, suspicio est eos à Burgundiâ vel à Gothiâ exulasse, aut sedisse in Nouempopulaniâ, Episcoporum enim huius prouinciæ catalogi penè omnes perierunt.

XL. In subscriptionibus prædicti Concilij desiderantur nomina sedium quibus Episcopi præfuerunt, Innocentius, Eusebius & Marcellus. Innocentio Cenomanensem sedem tribuimus, quia nullum Episcopum huius nominis eâ tempestate reperimus præter Cenomanensem, qui Concilio Aurelianensi quarto subscripsit, anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo. Eusebium eundem putauimus cum Eusebio Episcopo Sanctonensi qui subscripsit Concilio Aurelianensi quinto, Childeberti Regis anno tricesimo-octauo, Christi quingentesimo quadragesimo-nono. Marcellum eundem fecimus cum Marcello Episcopo Aturensi *, cuius nomine Petrus Presbyter subscripsit Concilio Agathensi *, Messalâ Consule, siue anno Christi quingentesimo sexto, nec ratio temporis repugnat, nam Chronopius Episcopus Petracorensis qui Conciliis Aurelianensibus primo & secundo subscripsit, eidem Concilio Agathensi iam interfuerat.

* d'Aire.
* d'Agde.

XLI. Apud Seuerinum Binium [a] Episcopus Rauracensis dicitur Adelphius, qui Concilio primo Aurelianensi subscripsit, & ad secundum hoc anno direxit Asclepium Presbyterum, nos Rauracensis loco Pictauensem vtrobique reponendum duximus, quia Episcopi Pictauenses dicti sunt aliquando Ratiatenses *, & Adelfius Ratiatensis facilè murari potuit ab ignaris in Rauracensem. Post Adelfium in Episcopatu Pictauensi sedit Elaphius, deindè Danihel qui Concilio Aurelianensi quarto interfuit.

[a] Tom. 1. Conc.

* De Rets.

XLII. Inter illos Episcopos, insignes sanctitate floruerunt Leo Metropolitanus Senonensis, Eleutherius Episcopus Autisiodorensis, Gallus Episcopus Aruernorum, & Lauto Episcopus Constantiensis, quorum nomina relata sunt in tabulas Ecclesiasticas, Leonis scilicet die Aprilis vicesimâ secundâ, Eleutherij die Augusti decimâ quintâ, Galli Kalendis Iuliis, & Lautonis die vicesimâ secundâ Septembris. Prætereà colitur à Cenomanensibus Innocentius die decimâ nonâ Iunij, itemque à Viennensibus Iulianus die vicesimâ secundâ Aprilis, & in Martyrologio Gallicano locum habet Agrippinus Augustodunensis die septimâ Martij. Celebris etiam est in antiquis tabularis memoria Flauij * Rotomagensis.

* Corruptè S. Filleul.

XLIII. Chronopius Episcopus Petracoricensis, qui Conciliis Agathensi, & Aurelianensibus primo ac secundo interfuit, vixit annos octoginta, vt in eius epitaphio testatur [b] Fortunatus hoc versu.

[b] Lib. 4. c. 8.

Ipse bis octono vixisti in corpore lustro.

XLIV. In catalogo Episcoporum Parisiensium, Amelius qui Concilio Aurelianensi secundo interfuit, legitur sedisse post Probatium Heraclij, qui Concilio Aurelianensi primo subscripsit, successorem.

XLV. Flauius Episcopus Rotomagensis, qui Quæstor palatij regalis priùs fuerat, Conciliis Aurelianensibus interfuit, secundo, tertio & quarto, Monasteriúmque Sanctorum Petri & Pauli, quod hodie sancti Audoeni nomen obtinet, ædificauit hoc anno Pontificatus sui quarto, vt Tallepedius [c] obseruat, aut potiùs ædificari curauit à Clotario Rege, cui Fridegodus laudem

[c] Cap. 19.

illam in vitâ ſancti Audoeni tribuit, non quidem determinatè hoc anno, ſed indeterminatè, quod in idem fermè recidit, *anno plùs minùs quarto & viceſimo regni eius.* AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

In Auſcienſium Epiſcoporum catalogis, quos Robertus, Oihenartus & Sammarthani ediderunt, vnus reperitur Nicetius, quem Mineruius ſeu Minerinus vel Mineruinus, Alecius ſiue Alerius, Amelius, Saluius vel Sorbinus, Porcarius, Proculeianus primus, Priſcus ſeu Pricius, & Proculeianus ſecundus, qui Concilio Aurelianenſi ſecundo ſubſcripſit, ordine ſucceſſiuo ſubſequuntur. De tempore quo ſedit, non vna eſt omnium opinio. Apud Robertum claret anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, apud Oihenartum intereſt Conciliis Agathenſi & Aurelianenſi primo. Cur Oihenarto potiùs adhæſerint quàm Roberto Sammarthani, non videmus, neque enim facilè quis ſibi perſuaſerit à Concilio Aurelianenſi primo vſque ad ſecundum, ſiue ab anno Chriſti quingenteſimo vndecimo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum tertium intra breue duorum ac viginti annorum ſpatium octo Antiſtites Auſciis præfuiſſe. Robertus locum ait eſſe cocedendum alteri Nicetio, qui ſucceſſerit Proculeiano primo, & Agathenſi Concilio interfuerit. In hanc ſententiam imus, & Nicetio ſecundo, qui Concilio Aurelianenſi primo ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo vndecimo, ex Roberti catalogo ſubiicimus Priſcum ſeu Pricium, tum Marcellum, deinde Proculeianum ſecundum, qui Conciliis Aurelianenſibus ſecundo, quarto & quinto præſens adfuit. XLVI. EPISCOPI AVSCIENS.

Tunc Auguſtoduni degebat Germanus, qui poſteà fuit Epiſcopus Pariſienſis. Natus erat annos circiter triginta ſex, obiit enim ferè octogenarius anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Ab Agrippino Auguſtodunenſi Pontifice inſtitutus eſt Diaconus ac poſt triennium Preſbyter. Illius vitam à Fortunato ſcriptam multùm laudat Gregorius [a] Turonenſis. Initium recitabimus, vt ſcias quàm illuſtria beati viri primordia fuerint, quámque turpiter hallucinentur recentiores, qui putant eum ab auiâ potum veneno, & ab Agrippino Diaconum ordinatum anno ætatis decimo-quinto, ac Preſbyterum anno duodeuiceſimo. XLVII. ÆTAS S. GERMANI. [a] Lib. 5. c. 8.

*Beatus Germanus Pariſiorum Pontifex, territorij Auguſtudunenſis indigena, patre Eleutherio, matre quoque Euſebiâ, honeſtis honoratiſque parentibus procreatus eſt. Cuius genitrix pro eo, quòd hunc poſt alterum intra breue ſpatium concepiſſet in vtero, pudore mota muliebri, cupiebat ante partum infantem extinguere. Et acceptâ potione, vt abortiuum proiiceret, dum nocere non poſſet, incubabat in ventrem, vt vel pondere præfocaret quem venena ledere non valerent. Certabat mater cum paruulo, renitebatur infans ab vtero. Erat ergo pugna inter mulierem & viſcera. Ledebatur matrona, nec nocebatur infanti. Obluctabatur ſarcina ne mater fieret parricida. Vnde id actum eſt, vt ſeruatus incolumis ipſe illæſus procederet, & matrem redderet innocentem. Erat ſanè hinc futura præноſcere, antè illum feciſſe virtutem quàm naſci contingeret. Deinde dum Anallone * caſtro ſimul cum Stratidio propinquo puer adhuc ſcholis excurreret, mater parentis, vt illius hæreditatem ſibi acquireret, de adoleſcentis fallituræ nece tractauit. Quæ temperatam potionem in ampullam condidit, vinum quoque in alteram poſuit, præcipiens puellæ, vt venientibus ambobus, illi porrigeret de vino, iſti de maleficio. Sed ignorans miniſtra ampullam pariter mutat & pocula; vinúmque ſancto Germano, venenum verò dat Stratidio, & dum inſonti præparatur interitus, author cadit in laqueum. Quo mater eius cognito, puellam increpat cum fletu, ſibi eam extinxiſſe filium. Cui Stratidio ſollicitè impenſo ſtudio, facto de ipſis maleficiis vario, etſi mors vitam non abſtulit, tamen ſignum mortis infixit. Hinc ad parentem ſuum ſanctum Scopilionem Lauſiam ſe conferens, moribus honeſtis apud illum alitus & inſtitutus eſt. Qui cùm ferè mille paſſus longè ab eodem vico conſiſterent, iugiter ad matutinos curreбant, ductu calore fidei, per tempeſtatem, per hyemem. At Dominus Germanus intra terni luſtri ſpatium à B. Agrippino Diaconus inſtituitur, & ſequenti triennio Presbyter ordinatur. Dehinc à venerabili Pontifice Ne-* Analon.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

ctario Abbas ad sanctum Symphorianum meritò dignus adsciscitur. In illo textu parens non patrem vel matrem, sed consanguineum significat, & hæ voces *(mater parentis)* non auiam Germani sed matrem consanguinei designant, matrem videlicet Stratidij, qui consanguinitate adeò propinquus erat Germano, vt eius hæres futurus crederetur. Quod attinet ad annos Germani, *terni lustri spatium* intra quod ab Agrippino Diaconus ordinatus fuit, non indicat determinatè annum decimum-quintum, sed amplectitur integrum quinquennium ab anno decimo ad decimum-quintum, & Fortunatus eo loco non agit de ætate Germani, sed de tempore quo Germanus apud Scopilionem propinquum suum mansit, adolescebat autem Germanus cùm Lausiam ad Scopilionem se contulit, ita vt in eius ordinatione nihil ab Agrippino factum videatur contra canones Ecclesiasticos, qui Diaconos ante annum ætatis vicesimum quintum, & Presbyteros ante annum tricesimum ordinari vetabant. Certè Germanus anno ætatis suæ XV. non ordinatus fuit Diaconus ab Agrippino, natus est enim ante annum Christi quingentesimum, vt pote qui discesserit ex hac vita ferè octogenarius anno Christi quingentesimo septuagesimo-sexto, Agrippinus autem Augustodunensem Episcopatum nondum obtinebat anno Christi quingentesimo decimo-septimo, quo celebratum fuit Epaonense Concilium, cui Pragmatius Augustodunensis Pontifex subscripsit. Interfuit Agrippinus Conciliis Aurelianensibus, secundo, quod anno Christi quingentesimo tricesimo tertio celebratum fuit, & tertio, quod coactum est anno Christi quingentesimo duodequadragesimo. Germanus ab Agrippino Diaconus ac Presbyter, Abbas verò constitutus est à Nectario successore Agrippini, ac demùm ex Abbate Sancti Symphoriani creatus est Episcopus Parisiensis, vt suo loco dicturi sumus.

XLVIII. * *Remy-*

Hoc anno, sicut ex Chronologia sæpè stabilita constat, Idibus Ianuariis migrauit ad Deum Remigius * Episcopus Remensis, Franciæ Primas, & ob Clodouei Regis conuersionem iure dictus Francorum Apostolus. *Sanctus hic vir Dei*, inquit post Hincmarum Flodoardus[a], *condito testamento, & suis omnibus ritè dispositis, quia verus agricola omnem vitis veræ palmitem fructum ferentem purgat, vt fructum plùs afferat, oculorum corporalium lumine priuatus est aliquandiu, quò superna mentis oculis, ad quæ toto anhelabat desiderio, contemplari valeret attentiùs. Ipse verò studebat in sua probationis tentatione semper gratias agere, laudibus hymnisque Deo diebus ac noctibus vacare, fideli mente pertractans, quoniam qui patienter humilitérque flagella suscipiunt, post flagella sublimiter ad requiem suscipiuntur. Cuius æternæ gloriæ pignus in eo Dominus volens ostendere, priusquàm decederet, ei visum restituit. Vnde sicut & de amissione, nomen Domini benedixit. Et non post longum spatium sciens adesse sui transitus diem, per Missarum celebrationem & sacra communionis participationem, valedicens & dans pacem filiis suis, postquàm septuaginta quatuor annos in Episcopatu religiosissimè fidelis seruus & prudens Domino ministrauerat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno, Idibus Ianuarij, cursu sancti certaminis consummato, fide seruatâ, cum multiplici bonorum operum fructu & animarum lucro, vt diu desiderauit, animâ cælos penetrans terræ corpus reliquit, &c. Cùm autem funus ipsius sanctissimum deferretur ad sepulturam Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris in Ecclesia præparatam, ita feretrum in medio vico est aggrauatum, vt nullo modo posset, hominibus quantumlibet annitentibus, amoueri. Stupefactis omnibus, Deique misericordiam postulantibus, vt dignaretur ostendere quo in loco Sancti sui vellet recondi corpus, designant ad Basilicam præfatorum Martyrum, nec feretrum mouere possunt. Proponunt ad Ecclesiam Sancti Nicasij, nec capulum valet attolli. Decernunt ad eadem Sanctorum Sixti & Sinicij, nec sic potest moueri. Tandem coacti, quoniam parua supererat Ecclesia in honore B. Christophori Martyris, & nullius propalati corpus seruabatur in ea Sancti, circumiacentibus tamen atriis, Ecclesia cœmeterium ferebatur ex antiquo Remensis, petierunt vt Dominus declararet, vtrumne in eadem Ecclesiola pignus illud sacratissimum reponi decerneret. Ad quæ vota tan-*

[a] Hist. Rem. l. 1. c. 17.

REMIGII EP. REM. MORS.

tâ facilitate loculum leuant, vt nullum portantes onus sentirent. Recondita sunt autem reuerendissimi patris huius membra in hac Ecclesiola, moderante dispositione, in loco, vbi nunc habetur altare beatæ Virginis Genouefæ. Vbi verò feretrum conflat ipsius aggrauatum, multa feruntur ostensa miracula postmodum. Hic etiam crux extat abinde posita, columnæ versibus, quos Flodoardus recitat, *insignitæ prafixa.*

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22. XLIX. SCRIPTA.

Scripsit Beatus Remigius nonnullas Epistolas quas citauimus, sed ei falsò asscribuntur Commentarij in Sanctum Paulum, quos Ioannes Baptista Villalpandus Societatis IESV Presbyter Cordubensis, anno Christi millesimo sexcentesimo decimo-quarto Moguntiæ primùm publicauit, factâ priùs collatione multorum exemplarium, quæ legerat in Monasterio Cassinensi & Romæ cùm in Bibliotheca Vaticana tùm in Cœnobio Sanctæ Cæciliæ trans Tyberim. Ipsemet Villalpandus in præfatione quam operi præfixit, optimè iudicauit non defuturos quibus placeret sententia quam amplectimur, licèt exemplar quod in asceterio Sanctæ Ceciliæ repertum fuit, hisce decoretur apicibus, *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo septimo, Indictione* V. *scriptus est liber iste. Deo gratias. Remigius Episcopus Remis, exposuit epistolas Sancti Pauli Apostoli lutulento sermone. Quicumque istum librum rapuerit, aut furatus fuerit, vel aliquo malo ingenio abstulerit ab Ecclesia Sanctæ Cæciliæ, sit perpetuâ damnatione damnatus, & maledictus, nisi reddiderit, vel emendauerit. Fiat, fiat. Amen, amen.* Conatus est occurrere quibusdam obiectionibus, quæ peti possunt à scriptis Sanctorum Benedicti, Gregorij & Bedæ. Beatum Benedictum dixit Beato Remigio synchronum; Beatum Gregorium interpretatus est Thaumaturgum, vel Nyssenum aut Nazianzenum; Beati Bedæ loco reponendum asserit Beatum Benedictum. Diluenda sunt argumenta, quibus suas responsiones corroborare studuit. In primis solâ Sigeberti auctoritate fretus existimauit Sanctum Remigium ex hac vita discessisse anno Christi quingentesimo quadragesimo quinto, id est, biennio post obitum Sancti Benedicti, eóque calculo mox concluſit mirum non esse si Beatus Benedictus à Beato Remigio citetur ad caput quintum epistolæ ad Ephesios, quo loco hæc leguntur. *Illi cantant in corde, quorum mens concordat voci iuxta illud Beati Benedicti; sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.* Non inficiamur Sanctos Remigium & Benedictum contemporaneos extitisse, sed cùm Beatus Benedictus, vt Yepesius probat, Regulam suam in Monasterio Cassinensi condiderit, nec ex Sublacensium montium angustiis Cassinum migrarit ante annum Christi quingentesimum vndetricesimum, vt ex Chronico Cassinensi & ex Leone Ostiensi Episcopo firmatum habetur, Sanctus Remigius vel scripsit priùs Beato Benedicto quem allegare non potuit, vel scripsit longè maior octogenario quod parùm probabile videtur. Addit Villalpandus Sanctum Remigium literas accepisse à Beato Benedicto ex Italia, & arreptitiæ puellæ, quam Sanctus Benedictus curare non potuerat, sanitatem, imò defunctæ vitam reddidisse, sed ista, licèt apud Hincmarum in vita Sancti Remigij, & apud Petrum Diaconum in libro de viris illustribus Cœnobij Cassinensis legantur, inter fabellas sunt reponenda, vt Cæsar Baronius ad annum septimum supra quingentesimum optimè obseruauit. Interpolator testamenti Remigiani, Benedictum illum, qui Sancto Remigio notus fuit, nec Italum facit, nec Monachum, sed Gallum & vxoratum in Regno Alarici Wisigothorum Regis, quem postèà Clodoueus Francorum Rex interemit. *Ea res* (verba sunt Sancti Remigij in testamento suo interpolato Ecclesiam Remensem alloquentis) *quas in Prouincia largitus est Benedictus quidam (cuius filiam mihi ab Alarico missam gratia sancti Spiritus per impositionem manus meæ peccatricis non solùm à Diabolicæ fraudis vinculo, sed ab inferis reuocauit) ad vsum luminis tui, & loci, vbi corpus meum iacuerit, continuatim deseruire cupio.* Haud feliciùs expedit se Villalpandus à Gregorio passim citato, frustrà contendit Nazianzenum vel Nyssenum aut Thaumaturgum intelligi quia non appellatur

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

Pontifex Apostolicus, vocatur enim *Papa* in expositione horum verborum, *Seminatur corpus animale; surget corpus spiritale*, ad Caput decimum-quintum primæ ad Corinthios. *Sicut animale corpus*, inquit Commentator, *non est anima, sed corpus, ita & spirituale corpus non spiritum debemus putare, sed corpus. Nam electorum corpora, vt ait Gregorius Papa, in illa resurrectione erunt palpabilia per veritatem naturæ, sicut Dominicum corpus fuit post resurrectionem, quia veram carnem habebat, sed subtilia erunt per effectum diuinæ potentiæ.* Nec est cur fortè quis hoc loco Papam interpretetur Episcopum, quoniam Sancti Remigij temporibus quilibet Episcopus Papa nuncupabatur, nam Commentator ceteris Episcopis, quos in testes produxit, Cypriano Episcopo Carthaginensi, Ambrosio Episcopo Mediolanensi, Augustino Episcopo Hipponensi, Fulgentio Episcopo Ruspensi titulum Papæ non attribuit, sed vni Gregorio quem dubio procul Romanum Pontificem agnoscebat. At quantum attinet ad Beatos Benedictum & Gregorium, quos Auctor Commentariorum protulit, vltrò assentiamur Villalpando; quid ad obiectionem à Beda petitam responderi potest? Beda bis allegatur, semel ad caput vndecimum secundæ ad Corinthios, & iterùm ad caput tertium epistolæ ad Philippenses. Villalpandus de primo Bedæ loco ne verbum quidem fecit, satisque esse duxit, si ex altero expungeret Bedam, cui nomen Beati Benedicti sufficeret. Commentator ad Caput tertium epistolæ ad Philippenses ita disserit. *Beatus Beda loquens quodam loco de dictis Apostoli*, &c. Sic autem Villalpandus in sua Præfatione. *Fateamur necesse est à Remigio non Bedam eo loco, sed B. Benedictum esse nominatum, & fortasse compendiariâ notâ cuiusmodi B. Bened. vt quùm ex eius fortè exemplari aut vetustate aut casu aliquo duæ litteræ mediæ syllabæ intercidissent, Librarius additâ de suo primâ Alphabeti litterâ, Beda descripserit.* Quanti tam en facienda sit hæc correctio, Lector iudicabit, procedamus ad alteram auctoritatem Bedæ. *Refert B. Beda*, inquit Commentator ad Caput vndecimum secundæ ad Corinthios, *librum datum esse Romæ per Chuldonium Orientalium Anglorum Antistitem, in quo erant omnes labores, passiones & pœnæ Apostoli depictæ.* In illo textu, abraso Bedæ vocabulo, potestne poni legitimè nomen Benedicti? florente vel nondum nato in Italia Beato Benedicto habuitne in Britannia suos Episcopos Anglia, cuius conuersioni ex idololatria primus incubuit Gregorius Magnus Romanus Pontifex Abbate Sancto Benedicto longè recentior? Hæc clariora sunt quàm vt probationibus egeant. Totum opus, quod Beato Remigio Villalpandus adscripsit, accuratè legimus. Animaduertimus in illo bis mentionem Saracenorum fieri; primò sic ad caput 2. epistolæ ad Romanos, *Saraceni, qui neque legem Moysi neque legem Euangelij habent, dum naturaliter seruant, ne homicidium faciant, neque adulterium perpetrent, ceteráque, quæ lex scripta in se continet, ipsi sibi sunt lex, quoniam opera quæ faciunt scriptam legem in cordibus suis ostendunt*; deinde sic ad Caput quartum primæ ad Thessalonicenses, *Gentes quæ Deum ignorant fornicatrices sunt, & nimium libidini deditæ, vt pote non habentes cognitionem Dei. Sicut sunt maximè Saraceni in tantùm vt plurimi illorum sexaginta & eo amplius vxores habeant.* Vtrobique Saracenos interpretamur Mahumetanos, quorum Auctor Mahumetes errores suos vno fermè seculo post obitum sancti Remigij promulgare cœpit. Erant quidem Saraceni in Asia, beati Remigij ætate, quorum Philarchus nomine Alamundarus, vt Cedrenus scribit, Christianam Religionem amplexus est anno Anastasij Augusti vicesimo secundo, id est anno Christi quingentesimo decimo tertio, qui cum sancti Remigij septuagesimo sexto, & sancti Benedicti tricesimo-secundo coincidit. Tunc autem minoris erant nominis quàm vt præ ceteris gentibus in exemplum ad confirmandam Euangelij veritatem proponerentur, ideóque Auctor Commentariorum in Sanctum Paulum meritò dicendus est ad Mahumetanos respexisse, cùm ex Arabia effusi per amplissimas Asiæ prouincias & per Africam latissimè iam dominarentur. Præterea Commentator vitam sancti Cæsa-

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

rij Arelatensis Episcopi in notis ad caput decimum-quartum epistolæ primæ ad Corinthios sic allegat. *In vitâ sancti Cæsarij Arelatensis Episcopi legitur, quòd Spiritus sanctus ita sermonem eius disponebat, vt omnium conscientias verbis suis percuteret, quasi sibi eos omnes eius auditores indicassent, aut præ manibus haberet scriptas.* Superstes autem sancto Remigio vixit sanctus Cæsarius, & sanctus Remigius sancti Cæsarij vitam ab eius discipulis scriptam nunquam legit. Supersedemus aliis argumentis. Hæc sufficient ad refellendam Villalpandi sententiam, qui libros illos Remigio Remensi Episcopo pertinaciùs affingit. Scriptor, vt variis locis sancto Remigio Pontifice Remensi se longè recentiorem, ita & Francum se prodit multis loquendi formulis, eóque potissimùm quòd ad caput quartum epistolæ ad Galatas ait tutores eligendos esse *cum consilio Scabiniorum in generali mallo.*

L. TESTAMENTVM.

Remigius sanctam & venerabilem Ecclesiam Catholicam vrbis Remorum, Lupum Episcopum Suessionensem fratris sui filium, quem præcipuo semper amore dilexerat, & Agricolam Presbyterum æquè nepotem suum, qui semper ei obsequio suo à pueritiâ placuerat, hæredes hoc testamento constituit. *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, gloria Domino. †. Amen. Ego Remigius Episcopus ciuitatis Remorum, Sacerdotij compos, testamentum meum condidi iure Prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si ei iuris aliquid videbitur defuisse. Quandocumque ego Remigius Episcopus de hac luce transiero, tu mihi hæres esto, sancta & venerabilis Ecclesia Catholica vrbis Remorum. Et tu fili fratris mei, Lupe Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi. Et tu nepos meus Agricola Presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritiâ placuisti. In omni substantiâ meâ, quæ meâ sorte obuenit antequàm moriar, præter id quod vnicuique donauero, legauero, dariue iussero, vel vnumquemque vestrum voluero habere præcipuum. Tu sancta hæres mea Remensis Ecclesia colonos, quos in Portensi habeo territorio, vel de paternâ maternáque substantiâ, vel quos cum fratre meo sanctæ memoriæ Principio Episcopo commutaui, vel donatos habeo, possidebis, Dagaredum, Profuturum, Prudentium, Tenuaicum, Maurilionem, Baudoleifum, Proiunciolum; Niuiatenam, Lautam, Suffroniam, colonas; Amorinum quoque seruum tuo dominio vindicabis; necnon agros quos possideo in solo Portensi cum pratis, pascuis, siluis, ad te testamenti huius authoritate reuocabis. Futuro Episcopo successori meo Amphibalum album Paschalem relinquo, stragula columbina duo, vel tria, quæ sunt ad ostia diebus festis tricliny, cellæ & culinæ. Vas argenteum decem & octo librarum inter te, hæres mea, & Diœcesim tuam Ecclesiam * Lugdunensem, factis patenis atque calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Domino annuente distribui. Aliud argenteum vas, quod mihi Dominus illustris memoriæ Hlodowicus Rex, quem de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, vt de eo facerem quod ipse voluissem, tibi hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ iubeo turriculum & imaginatum calicem fabricari, quod faciam per me; si habuero spatium vitæ, si antè clausero vltimum diem, tu fili fratris mei, Lupe Episcope, species antedictas tui Ordinis memor efficies. Compresbyteris meis & Diaconibus, qui sunt Remis, viginti & quinque solidos æqualiter diuidendos in commune dimitto. Vitis plantam super vineam meam ad suburbanum positam, simili modo communiter possidebunt cum Melanio vinitore, quem do in loco Ecclesiastici hominis Albouichy, vt Albouichius libertate plenissimâ perfruatur. Subdiaconibus solidos duos, Lectoribus solidos duos, Ostiariis & Iunioribus solidos duos iubeo dari. Pauperibus in matriculâ positis ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem duo solidi, vnde se reficiant, inferentur. De Vaculiaco Frunimium, Degaleifum, Dagaredum, Ductionem, Baudouicum, Vddulfum, Vinoseifam, liberos esse præcipio. Tennaredus, qui de ingenuâ nascitur matre, statu libertatis vtatur. Tu verò fili fratris mei, Lupe Episcope, tuo dominio vindicabis Nifastem & matrem suam Nuciam, vineam quoque quam Enius vinitor colit. Eniam & Monulfum eius filium inniorem iubeo libertate perfungi. Mellouicum porcarium & Paschasiolam coniugem suam, Verniuianum cum filiis suis, excepto Widragasio cui tribuo libertatem, tuo iuri deputabis. Seruum meum de Cessurnico tuum*

* *L'Eglise de Laon.*

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

esse præcipio. Agrorum partem ad te, quam frater meus Principius Episcopus tenuit, cum siluis, pratis, pascuis reuocabis. Seruum meum, quem Mellouicus tenuit, Viteredum tibi derelinquo. Teneurfolum, Capalinum & vxorem suam Teudorosenam tuo iuri dominióque transcribo. Teudoniuia quoque ex meâ præceptione sit libera. Edouciſam, quæ homini tuo sociata fuit, & eius cognationem retinebis. Vxorem Aregildi & cognationem suam ingenuos esse iubeo. Partem meam de prato, quod Lugduni iuxta vos habeo, ad imitatem montium posito, & quæ Iouia sunt pratella, quæ tenui, ad te reuocabis. Tibi autem nepos meus Agricola Presbyter, qui intra domesticos meos parietes exegisti pueritiam tuam, trado atque transcribo Merumuastem seruum, & vxorem suam Menatenam, & eorum filium nomine Marcouicum. Eius fratrem Medouicum iubeo esse liberum. Amantium & vxorem suam Daero tibimet derelinquo, eorum filiam esse præcipio liberam Dasouindam. Alaricum seruum tuæ deputo portioni. Cuius vxorem, quam redemi & manumisi, commendo ingenuam defendendam. Bebrimodum & vxorem suam Moram tuo dominio vindicabis. Eorum filius Monacharius gratulabitur beneficio libertatis. Mellauricum & vxorem suam Placidiam ad tuum dominium reuocabis. Medaridus eorum filius sit libertus. Vineam, quam Mellaricus Lugduni facit, tibi dono, Brittobaudem seruum meum necnon etiam Gibericum. Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi eatenus derelinquo, vt diebus festis & omnibus Dominicis sacris altaribus mea offeratur oblatio, atque annua conuiuia Remensibus Presbyteris & Diaconibus præbeantur. Delegoque nepoti meo Prætextato Moderatum, Tottionem, Marcouicum, Innocentium seruum, quem accepi à Profuturo originario meo; Cochlearia quatuor de maioribus, acetabulum, lacernam, quam mihi Tribunus Fiaredus dedit, & argenteam tabulam figuratam. Filiolo illius Parouio acetabulum, & tria cochlearia & casulam cuius fimbrias commutaui. Remigiæ cochlearia tria, quæ meo sunt nomine titulata, mantile ipsius quod habeo feriale transcribo, hichinaculum quoque dono illi, de quo Gundobado dixi. Delegoque benedictæ filiæ meæ Helariæ Diaconæ ancillam nomine Noram, & vitium pedaturam, quæ suæ iungitur vineæ, quam Cattusio facit, dono, & partem meam de Talpusciaco transcribo. Pro obsequiis, quæ mihi indesinenter impendit, Aetio nepoti meo partem de Cessurnico, quæ mihi sorte diuisionis obuenit, cum omni iure quod tenui atque possedi; Ambrosium quoque puerum ad ius illius dominiúmque transmitto. Vitalem colonum liberum esse iubeo, & familiam suam ad nepotem meum Agathimerum pertinere, cui vineam dono, quam posui Vindouissæ, & meo labore constitui, sub eâ conditione, vt à patribus suis omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione meâ sacris altaribus offeratur oblatio, & Lugdunensibus Presbyteris atque Diaconibus annua conuiuia, concedente Domino, præbeantur. Dono Ecclesiæ Lugdunensi solidos decem & octo, quos Presbyteri & Diaconi inter se æqualt diuisione distribuant. Partem meam de Seciâ ex integro ad se renocet Ecclesia Lugdunensis. Commendo sanctitati tuæ, fili fratris mei, Lupe Episcope, quos libertos esse præcipio, Cattusionem & Auliateuam coniugem suam: Nonnionem, qui meam vineam facit; Sumoueiſam, quam captiuam redemi, bonis parentibus natam, & eius filium Leuberedum; Mellaridum & Mellateuam; Vasantam coquum, Cesariam, Dagarasenam, & Baudorosenam Leonis neptem, & Marcolcisum filium Tottionis, hos totos, fili fratris mei, Lupe Episcope, Sacerdotali authoritate liberos defensabis. Tibi autem hæredi meæ Ecclesiæ Flauianum & vxorem suam Sparagildem dono, eorum filiolam paruulam Flauarasenam liberam esse constitui. Fedamiam vxorem Melany & eorum paruulam Remenses Presbyteri & Diaconi possidebunt. Cispiciolum colonum liberum esse præcipio, & ad nepotem meum Aetium eius familiam pertinere, ad vtrumque, id est, ad Aetium & Agathimerum peruenire colonicam Passiacum. Pronepti meæ Prætextatæ dono Modorosenam, Profuturo Leudocharium puerum trado. Profuturæ dari iubeo Leudoueram. Lugdunensibus Subdiaconibus, Lectoribus, Ostiariis & Iunioribus quatuor solidos derelinquo. Pauperibus in matriculâ positis solidus dabitur ad eorum refectionem. Delegóque octo solidos Ecclesiæ Suessionum pro commemoratione nominis mei, Catalaunensi Ecclesiæ solidos sex, Mosomagensi solidos quinque, Vongensi agrum apud officinam molinarum quæ ibi est constituta,

constituta, Catarigensi Ecclesiæ solidos quatuor, totidémque Portensi pro commemoratione mei nominis inferentur. Vrsi Archidiaconi familiaribus vsus obsequijs, dono ei domi textilis casulam subtilem & aliam pleniorem, tapete quod habeo in lecto, & tunicam quam tempore transitus mei reliquero meliorem. Hæredes mei, Lupe Episcope & Agricola Presbyter, porcos meos inter vos æqualiter diuidetis. Friaredus, quem ne occideretur quatuordecim solidis comparaui, duos concessos habeat, duodecim det ad Basilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris cameram faciendam. Hæc ita do, ita lego, ita testor. Cæteri omnes, exhæredes estote, sunto-te. Huic autem testamento meo dolus malus abest, aberitque. In quo, si qua litura, vel charaxatura fuerit inuenta, facta est me præsente, dum à me relegitur & emendatur. Actum Remis die & Consule suprascripto, intercedentibus & mediis signatoribus. †. Remigius Episcopus testamentum meum relegi, signaui, subscripsi, & in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Domino adiuuante, complesi. V. C. Pappolus interfui & subscripsi. V. C. Rusticolus interfui & signaui. V. C. Eulodius interfui & signaui. V. C. Eutropius interfui & signaui. V. C. Eusebius interfui & signaui. V. C. Dauuenus interfui & signaui. Post conditum testamentum, imò signatum, occurrit sensibus meis, vt Basilicæ Domnorum Martyrum Timothei & Apollinaris missorium argenteum sex librarum ibi deputem, vt ex eo sedes futura meorum ossium componatur. Nostrâ ætate prodiit hoc testamentum in nouâ disquisitione de ampullâ Remensi, necnon tomo primo Bibliothecæ Labbeanæ. Extabat quidem priùs in historiâ Flodoardi [a], sed tot auctum interpolationibus, quæ nec tempora nec genium Remigij sapiunt, vt plerisque suppositicium videretur.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

[a] Lib. 1. c. 18.

LI. In multis exemplaribus prædicti testamenti leguntur *Lugdunum & Lugdunenses*, in aliis *Laudunum & Laudunenses*, retinuimus quidem *Lugdunum & Lugdunenses*, sed monitum te volumus Lugdunum * Clauatum intelligi quod subest metropoli Remensi, non autem Lugdunum * Segusianorum quod est caput Galliæ Celticæ.

* *Laon.*
* *Lion.*

LII. In eodem testamento Amphibalus indumentum aliquod designat à Græco ἀμφιβάλλω, circumpono, operio, induo, vt obseruat Coluenerius in scholijs ad primum librum Flodoardi. Octauius Ferrarius libro secundo [b] de re vestiariâ scribit fuisse genus aliquod vestimenti adinstar lænæ non multùm chlamydi absimilis, quod veteres amphimallum appellabant. *Antiqui, inquit, amphimallum lænam appellabant, id est vtrimque villolam, quod idem atque ἀμφίβαλος siue ἀμφίβολον docti fecerunt, quod vtrinque indueret siue hominem circumuolueret.* Planetam interpretatur Andreas Saussaius in panoplia clericali [c]. Nam olim planeta tota rotunda erat totum Mystam ambiens, adeò vt cùm sacris operaretur, necesse esset limbum vtrumque ad dextram & lævam super celebrantis brachia complicare, vnde mos ille ortus videtur, quo etiamnum solemus Sacerdotis hostiam diuinam ac salutis perpetuæ calicem attollentis, oram casulæ seu planetæ aut penulæ eleuare ne celebranti incommodum afferat onere suo, quamuis vix iam opus sit id facere, planetâ vtrimque dissectâ à dextro & sinistro latere, adeò vt qui tremenda agit mysteria, expeditè lacertos manúsque moueat, exerátque sine vllo obice.

[b] Cap. 11.

[c] P. 1. l. 5. c. 5.

LIII. Maior difficultas oboritur circa turriculum & imaginatum calicem. Nam turriculi loco thuribulum quidam reponunt, alij turriculam contra fidem veterum exemplarium, quibus standum putamus cum Colueneriо, cui calix turriculus idem est ac turritus seu turriculatus, atque ita dictus à figurâ, vt & imaginatus quia sculptis sacris imaginibus est insignitus. Quod hodie ciborium vocamus, antiqui turrim dixerunt. Testis Gregorius Turonensis, apud quem libro primo [d] de gloriâ Martyrum hæc leguntur. *Acceptam turrem Diaconus, in quâ mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium.* Testis & ipsemet Flodoardus [e], à quo laudatur Lando Remensis Episcopus, quòd *turrim auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit S. Mariæ Remensis Ecclesiæ.*

[d] Cap. 86.

[e] Lib. 2. c. 6.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

LIV. TRANSLATIO.

Sepulto, vt dictum est, *beatissimi Remigij corpore, cùm multa stupendáque* in Basilica in qua quiescebat, *per Domini gratiam fierent miracula, dilatata & exaltata est ipsa Ecclesia, factáque crypta post altare in qua transferretur pignus venerabile. Detegunt humo loculum, quo præparatum deponant in antrum, sed ipsum penitùs mouere non possunt. Superueniente verò nocte multis accensis luminaribus, circa noctis medium sopor excubantes occupat omnes. Quibus euigilantibus, inuenitur transuectus sacro cum thesauro sarcophagus, in præparatum (nonnisi manibus Angelicus) habitaculum deportatus. Tantaque cuncti replentur odoris suauitate, quantam lingua non valet humana propalare. Quæ delectationis amœnitas in eâdem, per totam diem illam sed & in crastina, perseuerauit Ecclesiâ. Hâc igitur die translationis eius, scilicet Calendis Octobris, cum diuinis laudibus sumptæ sunt reliquiæ de capillis eius, & casula, tunicáque ipsius, & integrum, licèt exsiccatum, corpus eiusdem rubeo constat brandeo inuolutum.* Hæc ex Hincmaro [a] Flodoardus [b] Presbyter & Canonicus Remensis. Præter hos Auctores vitam Sancti Remigij scripserunt Fortunatus & Audoenus; Fortunatum legit Hincmarus, publicauitque Surius ad Kalendas Octobres: Audoenus apud Heluetios in Bibliotheca Sancti Galli manuscriptus adhuc delituit, vt ex Ecclesiastica Miræi Bibliotheca didicimus.

[a] In vita S. Remig.
[b] Lib. 1. c. 10.

LV. PROPINQVI ET AMICI.

Flodoardus [c] de propinquis & amicis Sancti Remigij copiosè disserit. *Fuerunt*, inquit, *huius beatissimi Patris nostri temporibus, in hac vrbe viri clarissimi, Deóque virtutibus accepti, tam ex Clero quàm ex ordine laicali, vt pote qui tali tam venerando támque sanctissimo famulabantur Patri. Quorum videtur eximius, Agricola nepos ipsius, Presbyter venerandus, & eidem obsequiis, vt ipse testatur, à pueritia placitus, quam domesticos eius exegit intra parietes, quem etiam cum Ecclesia Remensi beatóque Lupo Episcopo fratris sui filio, in omni substantia sua præter id quod specialiter vnicuique donauerat darive iusserat, hæredem constituit. Ei quoque mancipia nonnulla cum vineis peculiariter deputans tradidit, hoc illi feliciter iniungens, vt diebus festis & omnibus Dominicis, sacris altaribus eius offerretur oblatio, annuáque conuiuia Rhemensibus Presbyteris & Diaconibus præberentur. Erat & alius nepos eius Aetius nomine, cui partem de Cesurnico, quæ sibi sorte diuisionis obuenerat, cum omni iure quod ibi tenuerat atque possederat, Ambrosium quoque puerum, cum familiis quibusdam designans, ad ius illius dominiúmque transmittit. Aderat & Agathimerus, aquè nepos ipsius, cui familias quasdam delegans, vineam quoque, quam Pater idem beatissimus Vindonissæ possuerat, & suo labore constituerat, sub eadem conditione donauit, vt omnibus diebus festis ac Dominicis pro commemoratione sua sacris altaribus offerretur oblatio, & Laudunensibus Presbyteris atque Diaconibus annua conuiuia pararentur. Archidiaconi sui Vrsi se familiaribus asserens obsequiis vsum donat ei casulam quandam subtilem & aliam pleniorem, duo saga delicata, tapete quoque quod habebat in lecto, & tunicam quam tempore transitus sui relinqueret meliorem. Erant & alij probati viri tunc Remis ex Clero tam Presbyteri quàm Diaconi, quos munere suo dignos ostendit, quibusque dona largitus, & vineam delegat communiter possidendam cum vinitore, addens eis alia quædam quoque mancipia. Aderat Hilaria Diacona, quam benedicens idem Pater sanctissimus filiam vocat, cui ancillam quandam deputat, & vitium pedaturam, quæ suæ iungebatur vineæ, donat, partémque suam de Talpusciaco pro obsequiis quæ sibi indesinenter ab ea impensa testatur, ei transcribit. Erat & Remigia cui dat coclearia tria, quæ ipsius beatissimi Patris fuerant nomine titulata, delegans illi alia quædam quoque munuscula. Sed & laici clarissimi nonnulli renitebant viri, quorum Pappolus, Enlodius, Eusebius, Rusticolus, Eutropius & Dauueus priuatis beati viri rebus interfuerunt, & ipsius testamento subscribentes nomina propria subdiderunt. Enituit etiam vir præclarus Attolus, qui sicut in eius epitaphio* apud eundem Flodoardum *legitur, amore studioque Sancti Remigij xenodochia duodecim rebus è propriis struxit, sepultúsque est cum filio & filia in Ecclesia beati Iuliani Martyris*, quam in suburbio Remensis vrbis

[c] Lib. 1. c. 23.

constructam testatur Gregorius Turonensis libro secundo [d] de gloria Marty-

[d] Cap. 32.

rum, vbi & hominem quemdam in Campaniâ Remensi, cùm sancti Iuliani reliquiæ Remos in illam Ecclesiam deferrentur, à peruasione dæmonis liberatum tradit sancti Martyris pignoribus sibi applicitis. Si Catello fides est in historiâ Occitanâ [a], Remigius singulari quoque beneuolentiâ prosequebatur Germerium Episcopum Tolosanum, eique licet procul posito mytram, chirothecas & annulum testamento reliquit. Postea verò Germerius Ecclesiam in honorem sancti Remigij Tolosæ condidit, quæ nunc etiam nomen gerit sancti Remigij, corruptè *Remesi*. At cùm res illæ quæ Germerio traditæ dicuntur, apud Flodoardum in testamento Remigiano non recensentur, existimamus ei potiùs cùm Episcopus ordinatus est, à Remigio collatas fuisse.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

[a] Lib. 5.

LVI.

Sancto Remigio charissimus quoque fuit Theodoricus Presbyter & Abbas, cuius vitam Flodoardus [b] Historiæ Remensi inseruit. Theodoricus in pago Rhemensi natus, in villâ (vt traditur) Alamannorum corte, patre latrone, velut rosa exiit ex spinarum horrore. Amore cælestium latenter inflammatus, fieri studuit Dei cultor occultus, habuit in proximo, à quo iuuaretur & erudiretur, Remigium Pontificem, allocutus Sponsam vt perpetuam Deo virginitatem simul vouerent, agnouit id illi plurimùm displicere, neque tamen animo cecidit, Susannam Abbatissam, quæ sub Episcopi pattocinio in ciuitate Remensi puellari congregationi præerat, properè adiit, consultus ab vtroque Remigius de castitate sic disseruit, vt quæ priùs renitebatur incorruptam saluâ pudicitiâ se permansuram promiserit. Theodoricus in monte qui tribus ab vrbe millibus distat, cœnobium construxit, quod per plures annos summâ cum laude rexit. Inter miracula quibus inclaruit, duo præcipuè narrantur, Theodorici Regis, qui Clodouei Magni filius fuit, oculum sacro oleo & Crucis signo curauit, deinde precibus & sancto oleo excitauit eiusdem Theodorici Regis filiam vitâ functam. In tanti beneficij memoriam Theodoricus Rex Venderam villam ad Matronam amnem Remigio Episcopo, Gaugiacum in pago Rhemensi Præceptò suæ auctoritatis Theodorico Abbati contulit. Obiit pius Abbas Kalendis Iuliis, quo die nomen eius legitur in tabulis Ecclesiasticis. Theodoricus Rex ad Monasterium cum magnâ venit multitudine, & propriis humeris sanctum corpus ad sepulchrum deportauit. Inde coniicimus sanctum Remigium Theodorico Abbati superstitem aliquot annos vixisse. Tertius post beatum Theodoricum rector eiusdem Monasterij fuit sanctus Theodulfus, qui nonaginta vitæ annos impleuit, & priusquàm administrandi cœnobij curam susciperet, amicitiam sancti Remigij sibi conciliauit, itaut illius æquè ac Theodorici vitam Flodoardus [c] in Historiâ Remensi descripserit, colitur autem Kalendis Maiis in Martyrologio Sanctorum Ordinis sancti Benedicti, licet omnino desint argumenta quibus Benedictini discipulum Sanctorum Remigij & Theodorici iure possint sibi vendicare.

[b] Lib. 1. c. 24.

[c] Lib. 1. c. 25.

LVII.

Beato Remigio, vt Flodoardus [d] testatur, *successisse traditur Romanus*. Hic antequàm in Remensem Pontificem assumeretur, Abbas erat Monasterij, quod in vico Mentuniaco * prope Sequanam in honorem Sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij duabus leucis infra Trecas erexerat, factus autem Episcopus administrationem Cœnobij tradidit Leoni * discipulo, cuius vitam ex Ecclesiæ Trecensis Breuiario & ex fusiori historiâ collegit Nicolaus Camuzatius in promptuario sacrarum antiquitatum Diœceseos Tricassinæ.

[d] Lib. 2. c. 1.

* *Mantenay.*

* *Lié.*

LVIII.

Quæres an Primatus beato Remigio à Symmacho Papâ collatus, penes Episcopos Remenses permanserit, an verò priuilegium personale fuerit in gratiam sancti Remigij concessum? Eâ de re disputat in vtramque partem R. P. Ioannes Morinus Exercitationum libro primo [e].

[e] Exercit. 15.

LIX. PRIMATVS

Existimamus illud Priuilegium soli Remigio datum. Anno enim post Remigij mortem duodecimo Vigilius Papa Primatum Auxanio Episcopo Arelatensi contulit per ditiones Childeberti Regis, qui Clodoueani regni, quà

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

Remigianus Primatus extendebatur, partem non mediocrem obtinebat. Deinde si Primatus seu Pontificiæ auctoritatis Vicariatus ad sancti Remigij successores transmissus fuisset, hanc sedis suæ prærogatiuam Hincmarus Archiepiscopus Remensis non omisisset vir dignitatis Ecclesiæ suæ propugnator tenacissimus. In opusculo autem quinquaginta quinque capitulorum, vt ostendat se Primatem esse & Primatis officio fungi, duo Primatum genera distinguit, quorum alij variis prouinciis præsunt, alij suæ tantùm prouinciæ αὐτονόμως & supremam sub Pontifice auctoritatem conseruant, & in posteriorum numero se locat quos ita describit [a]. *Quidam Archiepiscopi vel Metropolitani Primates prouinciarum multotiens in sacris Canonibus inueniuntur, illi videlicet qui in loco defunctorum Archiepiscoporum vel Metropolitanorum ab Episcopis vniuscuiusque prouinciæ sine interrogatione alterius Primatis præualent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege à sede Apostolicâ pallij solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum sine consultu vel licentiâ Primatis alterius in suâ prouinciâ possunt Episcopos ordinare.* Et inferiùs ait *eosdem Metropolitanos Primates esse singulos singularum prouinciarum, qui & conuocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à prouincialibus Episcopis sine cuiusquam alterius Primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas prouincias queunt*, &c. *Illi autem Archiepiscopi vel Metropolitani, qui hæc sine consultu Primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantùm vel Metropolitani habentur.* Prætereà quæcumque manumissionis Remensium Metropolitanorum è potestate Primatum chartæ & tabulæ citantur, Remigio longè sunt posteriores. Statim igitur à sancti Remigij morte Remenses Episcopi Primates esse desierunt. Qui contrariam opinionem tuentur, vulgatum testamentum sancti Remigij proferunt, quo successoribus suis Episcopos Treuirensis Ecclesiæ necnon tres aut quatuor Archiepiscopos Galliarum ad Synodum aliquando conuocare consulit, sed hæc à neotericis superaddita fuisse iam notauimus. Quomodo autem Remenses Episcopi, postea Primates secundi generis facti fuerint, siue vt Græci loquuntur αὐτοκέφαλοι, ac prouinciæ suæ capita crediti, solique Pontifici Romano subiecti, dicemus suo loco.

[a] Cap. 17.

LX. S. LÆTVS MORITVR.

Lætus * Diaconus, qui vitam solitariam apud Laogium syluam in partibus Belsiæ ducebat, ad Deum migrauit octauo Idus Nouembres, die Dominico, vt in eius vitâ legitur apud Boscium, sepultúsque fuit ab Abbate Triecio, qui virtutum famâ permotus ad eum nuperrimè venerat cum magnâ monachorum multitudine. Ætas Triecij qui Lætum duodecim annorum puerum in monasterio quondam susceperat, & dies Dominicus octauo Idus Nouembres coincidens, annum declarant quingentesimum tricesimum-tertium, quo Triecius iam grandæuus erat, currebátque litera Dominicalis B. Sancti Læti nomine est insignis vicus in veteri itinere Aurelianensi ad Lutetiam Parisiorum, in quo est sacellum quod incolebat, eius fons, ac sepulchrum, intra quod ipsius corpus longo tempore iacuit, antequam Pithuerim * transferretur. Festum celebratur Nonis Nouembribus, quo die nomen eius reperitur in tabulis Ecclesiasticis.

* S. Lié.

* Pituers.

LXI. CONFVNDITVR CVM S. DVLCARDO.

Philippus Labbeus [b] ex Breuiario Bituricensi, quod anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo septimo excusum est, & ex manuscriptis Codicibus Monasterij San-Sulpitiani publicauit elogium historicum sancti Dulcardi Monachi & Confessoris, sed hoc opus nullam omnino fidem meretur, quia nihil aliud videtur esse quàm epitome membranarum Floriacensium, è quibus vitam beati Læti Ioannes Boscius [c] & Benedictus Gononus [d] ediderunt, vt ex vtriusque scripti collatione lector facilè iudicabit.

[b] Tom. 2. Biblioth.

[c] In Biblioth. Floriac.

[d] Lib. 2.

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

ELOGIVM HISTORICVM SANCTI DVLCARDI.

Ex Breuiario Bituricensi anni 1587. & ex Codicibus San-Sulpitianis.

CAPVT PRIMVM.

TEMPORE *Clotharij Francorum Regis (quem plerique falsò atque imperitè II. seu Iuniorem interpretantur) effulsit Confessor memorabilis Dulcardus, qui Anarici Biturigum ex religiosis parentibus ortus, cùm annorum esset 12. & oues patris sui pasceret, solo quorumdam transeuntium Monachorum intuitu, relicto grege oblitâque parentum cognatione, vt Monachus fieret apud Aurelianum ad Monasterium Miciacense (cui tum præfuisse volunt Abbatem Maximinum virum sanctitate conspicuum, ibíque floruisse Auitum Monasterij œconomum, Carilefum, Launomarum, Leobinum posteà Carnotensem Præsulem, Lifardum, Leonardum, Viatorem, Latum, Frambaldum, Eusitium, aliósque) properauit, vbi susceptâ Monasticâ professione tonsuram adeptus, psalterij scientiâ, & eius quod Ecclesiasticus ordo exposcit, exteros præcelluit. Itaque oratione assiduus, castitate perspicuus, sobrietate & ieiunio præcipuus, humilitatem seruabat attentius.*

Sapiùs veste exutus pauperum nuditatem operiebat, atque contra malignos spiritus luctamen sumens, nulli carnis delectationi succubuit, cuius perspectâ sanctitate, post sexdecim annos ipse ianitor Monasterij, licèt inuitus, effectus est.

VITA SANCTI LÆTI.

Ex Membranis Floriacensibus apud Ioannem Boscium.

CAPVT PRIMVM.

IN tempore Clotarij Francorum Imperij arcem tenentis mundo effulsit Lætus Confessor & venerabilis, &c.

Cùm ergo esset annorum duodecim, & pasceret oues patris sui, videns haud procul habitationem Monachorum, relicto grege, oblitâque cognatione parentum, festinus tetendit ad Monasterium, &c.

CAPVT II.

POST *hæc autem attonsus in Clerum, susceptâ etiam Monasticâ professione, in breui psalterium & quicquid Ecclesiasticus deposcebat ordo, ita didicit, vt videretur præcellere, quos autè multis annis ingens studium exercuerat disciplinæ*, &c. *In hoc itaque degens Monasterio, insistebat ieiuniis & spiritualibus vigiliis; oratione assiduus, castitate perspicuus, sobrietate præcipuus, attentiùs super omnia humilitatem seruans*, &c.

Cibum verò, quem accipiebat à monastico Præposito, latenter egentibus tribuere procurabat, sapiúsque veste suâ exutus, nuditatem eorum studebat operire. Et ad instar beatissimi Martini, illos vestiendo, & semetipsum expoliando seminudus non erubescebat incedere. Imò luctamen contra malignos spiritus sumens, nulli rerum labentium delectationi se dedit, superans in virtute Spiritus sancti, quicquid nefandæ voluptatis, malignus spiritus eius animo administrauit, &c. *Permansit autem in ipso Mona-*

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

CAPVT II.

QVI cùm ob huius susceptam obedientiæ curam, multorum insidiis ac cachinnationi pateret, & omnia æquo animo verâ simplicitate sustineret, statuit cum tribus aliis Monasterij sanctissimis viris (Auito, Viatore & Eusitio) Cœnobium deserere, & eremum appellere.

Paucis itaque diebus in abditis Secaloniæ locis, supremo inspectori devotissimè famulatus, tandem (postquàm Auitus ad Miciacensis Monasterij Præfecturam abductus est, & Viator ad Tremuleuicum, Eusitius ad Cari fluminis crepidinem recessit) ad locum, qui Victoria olim appellatus est, non longè ab Anarico remotum, omnique hominum habitatione destitutum, ac opacissimo nemore circumfultum peruenit, vbi exiguo tugurio constructo, solitariam agens vitam, nihil aliud in cibo & potu præter illud quod humus spontè proferebat, agnoscens, vero numini devotæ seruitutis reliquâ ætate exhibuit obsequium.

CAPVT III.

IN quo cùm insigni conuersatione fulgens totâ mentis auiditate ad videndum Deum anhelaret, ipse ex humilitatis consuetudine, quantò plùs deiiciebat se, tantò magis virtute conscientiæ ad ampliorem sublimabatur.

Quod in quodam energumeno propriâ oratione liberato, qui ad hospitij eius ianuam accedens, eúmque velut agnitum proprio nomine, vt ei misero parceret, inuocans, contigit.

sterio cum fratribus annis sexdecim, &c.

Ex Capite quinto.

Postquàm ergo hunc omnes verum Dei seruum esse manifestis ex indiciis cognouerunt, ei ianuam Monasterij licèt inuito commiserunt.

CAPVT VI.

SVSCEPTA igitur humiliter huius obedientia curâ ab Ecclesiastica improbè sibi incumbente familiâ multis insidiis & subsannatione agitabatur continuâ, &c. Erat autem in Monasterio Auitus Presbyter sanctitate insignis, qui cellario, sicut & ipse præerat Ecclesiæ ianuis, &c. Hi ambo fœderati erant indissolubili vinculo charitatis, &c. Statuerunt apud se Monasterium deserere & heremum petere, &c.

Discedentes à Monasterio nocte, contulerunt se in abditissimis Segaloniæ locis, &c.

CAPVT VII.

POST multùm verò temporis, &c. ad locum qui antiquitùs est Isatoria appellatus, peruenit, &c.

Vbi exiguæ quantitatis exstruens tugurium, vero ac viuo Deo propensiùs exhibere curauit deotæ seruitutis obsequium, solitariam agens vitam in eodem loco non exiguo spatio temporis. Qui deinceps reliquâ ætate suâ, nihil aliud in cibo nouit, præter id quod sponte profert humus. Præterea ipsam aquam quam nulli mortalium naturæ ratio vetat, statutis diebus cum mensura etiam accipiebat, &c.

CAPVT VIII.

CVM igitur ad videndam faciem Creatoris eius animus inardesceret, sua sacratissima conuersationis insigne, tantò studiosiùs laborauit occulere, quantò festinabat ad altiora virtutum prouehi, &c. Quantò plùs deiiciebat se, tantò magis eum virtus sublimabat conscientia, fugiens quippe gloriam, merebatur ampliorem, &c.

Salus extitit cuidam demoniaco per eum concessa, &c. Placuit Diuinitati superna, vt errabundus deueniret, vbi vir Dei demorabatur in solitudine. Qui assistens ostio cellulæ inclamare cœpit eum

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

(quasi notum haberet) ex nomine. Leuita Christi, Late, aperi ianuam vt ad te valeam ingredi, &c. Leuita Christi, Late, parce mihi misero, &c. Tunc Sanctus Letus intelligens hominem à damone vexari, ait. Præcipio tibi, repertor omnis malitiæ, vt exiens, imaginem Dei non præsumas captiuare. At ille continuò cum vlulatu ingenti ab eo exiuit, &c. Quâ famâ acciti, cœperunt ad eum vndique confluere. Qui etiam illorum compatiens miseriis, orationem ad Dominum fundens pro illis, per manus impositionem sanos reddebat. Nulla autem infirmitas ibi locum habuit, vbi beatus Letus vim orationis adhibuit, &c.

Nam diuulgato miraculo cœperunt vndique ad eum quique infirmi confluere, quos per manus impositionem oratione sanos reddebat; nulla etenim infirmitas ibi locum habebat, vbi beatus Confessor vim orationis adhibebat.

CAPVT IX.

Tantis igitur virtutibus clarus, eius appropinquante exitu, à sancto Auito Abbate visitatur, quem obnixè precatur, vt in sepulchro quod sibi parauerat, proximè moriturum sepeliret.

AVDIENS itaque Abbas Triecius tantis eum fulgere virtutibus, venit ad eum cum grandi Monachorum multitudine. Quibus susceptis cum gratiarum actione iam edoctus à Domino instare diem suæ vocationis, ait Abbati hilari voce. Bene venisti, &c. Obsecro meis petitionibus obaudias, & terra terram in sepulchro quod mihi præparaui, sepeliendo committas.

Quo annuente, Dominici Corporis & Sanguinis communione munitus, dum letabundo animo hunc Psalmum [Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus] occineret, erectis in cælum manibus, inter orationis verba, octauo (in quibusdam MSS. sexto) Kalendas Nouembris migrauit à seculo.

Quo senex audito fleuit amarè, & benedicens Dominum, qui eum discipuli non priuauerat visione, affuturum se spopondit, &c. Exitum ergo suum gloriosus Leuita, Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniens, totísque ex præcordiis Dominum fontem aquæ viuæ desiderans, illud Dauidicum letabundus animo decantabat. [Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.] & residuâ parte corporis iam penè exanimatâ, illos fabatur versiculos. [Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea, in atria Domini!] Erectis autem in cælum manibus, stetit, & inter verba orationis spiritum cælo, corpus terræ humandum tradidit. Excedens igitur à sæculo beatus Letus octauo Idus Nouembris, mœstos homines, lætos reddidit Angelicos cives. Quem vir Domini Triecius, in præparato sarcophago, expletis omnibus quæ debentur funeri, collocans, ad propria pro morte tanti filij mœrens est reuersus.

CAPVT X.

Longo verò pòst tempore, vbi sepultum

IACVIT autem sacratissimum cor-

AN. CH. 533. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 22.

est corpus eius, fabricata est condigna eius meritis à Præsule Bituricensi Ecclesia, in qua, Dei operante gratiâ, plurima fiunt miracula.

pus eius in eodem loco multis annis, pio Domino publicante dignitatem eius sanctitatis. Verùm posteà beatæ memoriæ Hermetem Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus, diuino admonitus oraculo, transtulit iam dicti Sancti glebam cum summo honore ad Pithueris castrum, conuenientibus etiam vicinis Episcopis & fideli populo. Vbi fabricatâ condignâ meritis eius Basilicâ, fiunt & facta sunt operante Christi gratiâ, multa virtutum miracula.

534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

ANNVS CHRISTI 534. THEODORICI R. 23. CHILDEBERTI R. 23. CLOTARII R. 23. INDICTIO 12.

I. ANNO Christi quingentesimo tricesimo-quarto, Indictione duodecimâ, Marius Consulem habet Paulinum Iuniorem, cui Marcellinus collegam tribuit Iustinianum Augustum, illóque quarto Iustiniani Consulatu Chronicon suum absoluit quod ab aliis deinceps auctum reperitur.

II. THEODORICI REGIS MORS. [a] Lib. 3. c. 23. Hic annus Theodorici Francorum Regis vicesimus-tertius siue vltimus numeratur. Theodorico mortuo successit Theodobertus filius. Quomodò hæc se habuerint, ita describit Gregorius Turonensis [a]. *Nunciatur Theodoberto patrem suum grauiter ægrotare, & ad quem nisi velociter properaret, vt eum inueniret viuum, à patruis suis excluderetur, & vltrà illuc non rediret. At ille hæc audiens, cuncta postposita, illuc dirigit, Deuteriâ cum filiâ suâ Aruerno relictâ. Cúmque abiisset, Theodoricus non post multos dies obiit vicesimo-tertio Regni sui anno.*

III. VXORES, LIBERI. [b] Lib. 2. c. 1. Theodoricus Clodoueo patre adhuc superstite vxorem duxit, è quâ Theodobertum suscepit regni hæredem. Eâ mortuâ sibi sociauit Sigismundi Burgundionum Regis filiam, quæ marito Teudechildem filiam peperit & Suauegotta nuncupatur apud Flodoardum [b] in Historiâ Remensi sub Mapinio Antistite.

IV. BELLVM CIVILE. [c] Lib. 3. capp. 23. 24. Post mortem Theodorici Regis *consurgentes Childebertus & Chlothacharius contra Theodobertum, regnum eius auferre voluerunt. Sed ille, muneribus placatis, à leudibus suis defensatus est, & in regnum stabilitus. Videns autem Childebertus quòd ei prævalere non potuisset, legationem ad eum misit & ad se venire præcepit dicens. Filios non habeo, te tanquam filium habere desidero. Quo veniente tantis eum muneribus ditauit, vt ab omnibus miraretur. Nam de rebus bonis tam de armis quàm de vestibus, vel reliquis ornamentis, quod Regem habere decet, terna ei paria condonauit, similiter & de equitibus atque catinis.* Hæc Gregorius Turonensis [c], equites pro equis frequenter vsurpare solitus.

V. BVRGVNDIA SVBIGITVR A FRANCIS. Clotarius in amicitiam æquè rediit cum Theodoberto, hoc enim anno vt Marius testatur, *Paulino Iuniore Consule, Indictione duodecimâ, Reges Francorum*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

rum, Childebertus, Chlotarius & Theudebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege regnum ipsius diuiserunt. Hoc bello penitus extinctum est regnum Burgundicum, quod per quinque prouincias Galliarum dilatabatur, nam si Geneuam, quæ parebat Ostrogothis in Viennensi primâ, & Augustodunum quod in potestatem Childeberti Regis iam venerat, exceperis in Lugdunensi primâ, tres prouincias integras, Viennensem scilicet primam, Lugdunenses primam & quintam amplectebatur, ac præterea Niuernum in Lugdunensi quartâ, Diam & Viuarium in Viennensi secundâ. Hæc vt tibi clariora fiant, consule quæ de finibus regni Burgundici retulimus ad annum Christi quingentesimum vicesimum-tertium, simúlque confer subscriptiones Episcoporum qui Conciliis, Epaonensi, Arelatensi quarto & Arausicano secundo interfuerunt, neque enim tantùm ediscres complures Episcopatus, quos intra limites regni Burgundici fuisse constat anno Christi quingentesimo decimo-septimo, cùm Epaonense Concilium sub Sigismundo Rege celebrabatur, ad imperium Gothorum pertinuisse anno Christi quadringentesimo vicesimo-quarto, cùm Arelatense Concilium quartum sub Theodorico Rege conuocatum est vt diximus, sed & eosdem intelliges in Athalarici Ostrogothi regno fuisse anno Christi quingentesimo vicesimo-nono, cùm Synodum Arausicanam secundam Decio Iuniore Consule habuerunt Episcopi conuenientes ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus Præfectus Prætorij Galliarum & Patricius Liberius in eâdem ciuitate construxerat. Inter Episcopos enim, qui Concilio Arausicano secundo affuerunt, numerantur Philagrius Cabellicus, Prætextatus Aptensis, Maximus Genauensis, Iulianus Carpentoractensis, & Constantius Vappincensis, qui Conciliis Epaonensi & Arelatensi quarto subscripserant, necnon Vindemialis Arausicanus in locum subrogatus Florentij, qui supradictis Conciliis Epaonensi & Arelatensi quarto æquè legitur interfuisse.

VI. EPISCOPATVS BVRGVNDIÆ. XIV.

Episcopatus igitur in vniuerso Burgundiæ regno, cùm Franciæ accessit, erant numero quatuordecim. In prouinciâ Viennensi primâ tres, Viennensis Metropolitanus, Gratianopolitanus * & Valentinus. In Viennensi secundâ duo, Deensis & Albensis seu Viuariensis. In Lugdunensi primâ quatuor, Lugdunensis Metropolitanus, Matisconensis, Lingonensis & Cabilonensis. In Lugdunensi quartâ solus Niuernensis. In Lugdunensi quintâ quatuor, Vesontionensis Metropolitanus, Auenticensis *, Vindonissensis * & Bellicensis *.

* *De Grenoble.*
* *D'Anan-ches.*
* *De Vin-disch.*
* *De Bellay.*

VII. EPISCOPI VIENNENS.

Ex Concilio Aurelianensi secundo, cui Iulianus Viennensis Episcopus anno priori subscripsit, & ex Adonis Chronico, vbi Pantagathus Domni successor annis quinque sedisse & sub Consulatu Basilij obiisse dicitur, coniicere possumus Domnum Iuliano in Episcopatu Viennensi suffectum fuisse eodem fermè tempore quo Vienna Francis deditionem fecit. Ado sub Iustiniano Imperatore encomium Domni Episcopi, quem Dominum vocat, paucis ita complectitur. *Hic tam in diuinis quàm in secularibus artibus claruit, amator pauperum, redemptor captiuorum, vitâque probatissimus.*

VIII. GRATIANOP.

Gratianopoli sedebat Vrsulus, qui Concilio Aurelianensi tertio post quadriennium subscripsit.

IX. DEENSES VALENTINI.

Tunc in viuis adhuc esse potuerunt Sæculatius Episcopus Deensis & Apollinaris Episcopus Valentinus, qui Concilio Epaonensi sub Sigismundo Burgundiæ Rege interfuerant. Apollinaris mentio fit in tabulis Ecclesiasticis tertio Nonas Octobris, vbi & eius vita prædicatur virtutibus illustris, & mors signis ac prodigiis decorata. Successit ei Gallus, Sæculatio verò Lucretius.

X. VIVARIENS.

Albensium seu Viuariensium Episcopus erat Venantius. Episcopatus Albensis ab Albâ * Eluiorum sic nuncupatur. Auxonius Episcopus sedem Episcopalem ab illâ ciuitate Viuarium * transtulit. Abhinc successores promiscuè dicti sunt Albenses & Viuarienses. Ne longè petamus exempla, præsto est Venantius; sub Regibus Burgundiæ Sigismundo & Godomaro, deinde sub

* *Alb.*
* *Viuiers.*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

Theodoberto Francorum Rege floruit, anno autem quingentesimo decimo-septimo siue Agapito Consule, die decimo-septimo Kalendas Octobris, sub Sigismundo Rege Concilio Epaonensi sic subscripsit. *Venantius in Christi nomine Episcopus ciuitatis Albensium relegi & subscripsi, die & Consule suprascripto.* Et anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, die sexto Idus Nouembris, sub Theodoberto Francorum Rege Concilio Aruernensi sic, *Venantius in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Viuarensis consensi & subscripsi.*

XI. LVGDVN.

Ecclesiam Lugdunensem regebat Lupus, qui priùs Anachorita fuerat, vt Martyrologium Romanum testatur die vicesimâ-quintâ Septembris, aut potiùs Monachorum siue Anachoritarum in diuersis Insulæ Barbaræ cellis degentium pater, vt alio loco iam probauimus.

XII. MATISCON. * *Mascon.*

Circa illa tempora erectus est Episcopatus in castro Matiscone *, vbi primus omnium sedit Placidus, qui subscripsit Concilio Aurelianensi tertio, vt dicturi sumus ad annum Christi quingentesimum tricesimum-octauum.

XIII. CABILLON.

In Episcopatu Cabillonensi secundum annum agebat Agricola siue Agrœcula, obiit enim anno Pontificatus quadragesimo-octauo, Christi DLXXX.

XIV. NIVERN.

Sedem Niuernensem obtinebat Rusticus, qui Conciliis Aurelianensibus tertio & quarto subscripsit.

XV. LINGON.

In Episcopatu Lingonensi vicesimum-octauum annum agebat Gregorius, obiit enim mense Ianuario, anno Pontificatus tricesimo-tertio, Christi quingentesimo tricesimo-nono, vt ad illum annum probaturi sumus.

XVI. VESVNTIENS.

Ecclesiam Vesuntiensem Metropolitanam administrabat aut Claudius qui Concilio Epaonensi subscripsit, aut Claudij successor Vrbicus qui Concilio Aurelianensi quinto interfuit.

XVII. VINDONISS.

Ecclesiæ Vindonissæ Episcopus erat Gramatius, qui Concilio Aruernensi subscripsit anno sequenti.

XVIII. AVENTIC. [a] P. I.

Apud Henricum Pantaleonem de viris illustribus [a] Germaniæ, ponitur hoc anno mors Chilmegesili Episcopi Auenticensis, & subrogatio Superij. Corpus sancti Chilmegisili seu Chilmegesili, vt Sammarthani ex manuscripto Codice referunt, honorificè iacet in Ecclesiâ, quæ tunc sancti Thyrsi, hodie sancti Marij nomine decoratur.

XIX. BELLICENS.

Concilio Aurelianensi quarto post septennium subscripsit Vincentius Episcopus Bellicensis.

XX. EPISCOPI SANCTITATE CONSPICVI.

Ex illis Episcopis multi propter vitæ sanctitatem quâ præfulserunt relati sunt in tabulas Ecclesiasticas, putà Domnus Viennensis, Apollinaris Valentinus, Lupus Lugdunensis, Agricola Cabillonensis, & Gregorius Lingonensis. Prætereà Venantius colitur à Viuarensibus.

XXI. EPISCOPI PROVINCIÆ VIENNENS. I.

[b] Adan. 508. n. 14. [c] Ep. 109.

Prouinciâ Viennensi, in duas, vt antè monuimus [b], separatâ, Vienna Metropolis fuit primæ Viennensis, Arelatum secundæ, & iuxta illam diuisionem, quam literæ Leonis [c] Magni commendant, Arelatensi Metropolitæ subiacuerunt Episcopi Deensis seu Diensis & Albensis seu Viuariensis. Nono seculo prima Viennensis aucta fuit duobus iisdem Episcopatibus Deensi & Viuariensi. Seriùs ad eandem Prouinciam accessit Episcopus Mauriennensis è Prouincia Tarantasiensi detractus.

XXII. MONASTERIA BVRGVNDIÆ. [d] Ad an. 509. num 7 8

In regno Burgundiæ, cùm venit in potestatem Francorum, varia florebant vtriusque sexus Monasteria, Barbarense, Athanacense, Iurensia, Viennensia, Grinincensia, Balmense, Bisontina, Diuionense sancti Benigni, Segestrense, Gurthonense & Seckingense ad Rhenum, de cuius conditu ac primo Abbate Sancto Fridolino iam disseruimus [d].

XXIII. BARBARENSE. * *l'Isle Barbe.* [e] Tom 4. Gall. Christ.

Monasterium Barbarense, siue Insulæ * Barbaræ in Arari fluuio prope muros Lugduni, conditum fuit in honorem Sancti Andreæ reliquorúmque Apostolorum eodem fermè tempore quo pax Ecclesiæ parta est sub Christianis Imperatoribus, nam Martinus, qui sextus [e] Abbas illius loci numeratur, & ex Abbate factus fuit Episcopus Lugdunensis, Sancti Martini Turonensis Episcopi discipulus traditur. Cùm autem Burgundiæ Regnum à Francis extin-

ctum est, Abbas erat Ambrosius sub Episcopo Lupo, eiusdem insulæ priùs, vt iam diximus, Abbate. Cœnobium Athanacense * siue Athanatense vel Atheneum adconfluentes Araris & Rhodani constructum fuit florente Romanorum Imperio, cúmque iam corrueret, initio septimi seculi liberaliter ac munificè reparatum est à Brunichilde Francorum Regina, vt & iterùm decimo seculo instauratum est ab Amblardo Lugdunensi Archiepiscopo. Ante Brunichildis ætatem in Gallia Christiana nullus recensetur Abbas Athanatensis, tamen inter Abbates quinti seculi collocandus est Sabinus, quem imitandum sibi proposuit Romanus, cùm de Cœnobio in Iurensibus syluis erigendo cogitauit, vt in ipsius Romani vita Monachus Condatescensis[a] docet his verbis. *Viderat namque, priusquàm Religionis professionem arriperet, quemdam venerabilem virum, Sabinum nomine, Lugdunensis Interamnis Abbatem, eiúsque strenua instituta, & Monachorum illius vitam, & quasi quædam florigera apis, decerptis ab vnoquoque perfectionum flosculis, repedarat ad pristina.*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23. ATHANACENSE. * *Ainay.*

[a] Apud Bolland d.28.Feb

XXIV.

In eodem Episcopatu Lugdunensi condita sunt quinto seculo Iurensia Monasteria, duo virorum, vnum puellarum, quorum origines in vitis sanctissimorum Abbatum, Romani & Lupicini fratrum, referuntur. Vitas Iurensium Abbatum, Romani, Lupicini & Eugendi scripsit Monachus Condatescensis, ipsius Eugendi discipulus, qui se beato Marino Lirinensi Abbati coætaneum in vita sancti Eugendi testatur. Multò seriùs Gregorius Turonensis in literas retulit eorumdem Romani & Lupicini vitas, à quibus libellum suum de vitis Patrum est auspicatus. Non semel inter se discrepant hi Scriptores. Anonymo potiorem quàm Gregorio fidem vt habeamus, tres hæ potissimùm rationes impellunt. Antiquior est Gregorio, vixit in Cœnobio Condatescensi, publicauit plurima quæ sancto Eugendo sanctorum Romani & Lupicini discipulo narrante didicerat. Sic autem in vita sancti Romani[b] de prædictorum Cœnobiorum conditu loquitur. *Romanus Abbas, non adeò exiguæ familiæ, quantùm testatur parentalis derivata posteritas, intra Galliam Sequanorum oriundus fuisse monstratur. Ante quem nullus omninò Monachorum intra ipsam prouinciam Religionis obtentu, aut solitariam, aut consortialis obseruantiæ sectatus est vitam. Nam cùm esset, non quidem apprimè litteris institutus, sed, quod est præstantius, synceritatis dote & caritatis virtute præcipuus, ita vt nec in pueritia infantum lasciuiis, nec in iuuentutis robore humanis cupiditatibus aut vxoris vinculo vinciretur, tricesimo & quinto fermè ætatis anno secretis eremi delectatur. Relictâ quoque matre, sorore vel fratre, vicinas villæ Iurensium syluas intrauit, quasque hucque professioni congruas aptásque circumiens, reperit tandem vlteriùs inter saxosa connallia culturæ patulum locum, qui altrinsecùs triiugi montium paullulùm arduâ secedente naturâ, in planiciem aliquantulùm relaxatur. Illic namque bifidâ in solidum concurrente naturâ, mox etiam ab vnitate elementi iam conditi, Condatiscone loco vulgus indidit nomen, &c. Cæpit illic vir beatissimus Romanus, inter orandi legendique frequentiam, necessitatem victus exigui, institutione Monachali, labore manuum sustentare; affatim abundans, quia nihil indigens; satis erogans, quia minimè pauperibus eroganda præsumens, non scilicet vltrà promouens gressum, non citrà referens pedem, vt Eremita indesinenter orabat, & vt verè Monachus, sustentandus alimento proprio, laborabat. Viderat namque, priusquàm Religionis professionem arriperet, quemdam venerabilem virum, Sabinum nomine, Lugdunensis Interamnis Abbatem, eiúsque strenua instituta, & Monachorum illius vitam, & quasi quædam florigera apis, decerptis ab vnoquoque perfectionum flosculis, repedarat ad pristina. Ex quo etiam Monasterio, nihil de ambitione sanctissima manifestans, librum Vitæ sanctorum Patrum, eximiásque institutiones Abbatum omni elegantiâ ac nisu, aut supplicando elicuit, aut potitus est comparando.* En Monasterij Condatescensis seu Condadisconensis vel Condadicensis primordia, quæ Lupicini secessum in eremum antecesserunt, & annum Christi quadringentesimum quadragesimum quartum quo Romanus Presbyter est ordinatus. Sic enim idem Anonymus prosequitur. *Cùm ergo in supradicto loco*, nempe

[b] Apud Boll. d.28. Feb.

CONDATESC.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

Condadiſcone, *multo iam tempore priſci imitator Antonij, Romanus vitâ fruebatur Angelicâ, ac præter cœleſtem intuitum nullo niſi ferarum, ac raro venantium, fruebatur aſpectu, venerabilis germanus ipſius Lupicinus, cùm eſſet eâdem germanitate minor, ſed non impar poſtmodùm ſanctitate, per viſionem nocte à fratre commonitus, relictis ob amorem Chriſti, quas iam beatiſſimus Romanus deſeruerat, ſorore vel matre, tugurium fraternum profeſſionémque ardenter expetiit; futurum proculdubiò, quod rei poſteà probauit euentus, vt in nidulo illo, hoc eſt, ſecreto eremi, tanquam par turturum, vel duo pulli columbarum, ſpiritalem ſobolem, diuini ſcilicet verbi inſpiratione conceptam, Monaſteriis Eccleſiiſque Chriſti caſtâ parturitione diffunderent.* Deinde periodis aliquot, quibus copioſam hominum multitudinem, vt Monaſticæ diſciplinæ ſe ſubderent, ad Romanum & Lupicinum acceſſiſſe teſtatur, interiectis, ſermonem de Sacerdotio Romani ſic init. *Auditâ memoratorum famâ ſanctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, miſſis in cauſſa Clericis, beatiſſimum Romanum haud longè ſibi à Veſontionenſi vrbe fecit occurrere, cuius incitamentum vitámque digniſſimâ prædicatione ſuſtollens, impoſito honore Presbytery ad Monaſterium honorificè repedare permiſit. Siquidem antedictus Hilarius venerabilem Celedonium, ſupradictæ Metropolis Patriarcham, patricio præfectorióque fultus fauore, indebitam ſibi per Gallias vindicans Monarchiam, à ſede Epiſcopali memoratum Celedonium nullâ exiſtente ratione deiecerat. Ob quod in audientiam beatiſſimi Papæ Leonis Romæ malè geſtiſſe conuictus, reſtituto quoque in Epiſcopatu Celedonio, Apoſtolicâ auctoritate ob vſurpationem inlicitam eſt increpatus. Extat denique exinde antedicti ac venerabilis Papæ ad Gallia Epiſcopos, cum examinatione geſtorum inſerta Canonibus epiſtola regularis, in qua priſcum per Gallias Metropolitanorum priuilegium, calcatâ Hilary ſuperfluitate reſtituit.* Celidonius Veſontionenſis Epiſcopus ab Hilario damnatus eſt anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo quarto, ſtatim enim, vt in antiqua ſancti Hilarij [a] vita & in Arelatenſi Pontificio [b] legitur, *Vrbem credidit expetendam, ibíque ſe iniuſto adſtruit rigore condemnatum. Quod vbi comperit vir beatus* Hilarius *quanto ſtudy ardore, zelo ſuperno fuerit inflammatus, vt non hyemis aſperitatem, non Alpium ſtridores attenderet vel fragores, non vitrea glacialis cruſta ſpicula protinùs reſoluenda, nec deſuper glady acuti ſimiles expauerit aculeos dependentes vi frigoris terrorem mortiferum gelu concreto velut vibratam dexteram imitantes. Verùm ille inconcuſſâ fidei radice conſtanter animatus, præſertim qui ad tantam voluntarius veneras paupertatem, vt pedibus iter aggrediens, conficere non timeret, intrepidus vrbem Romam ſine ſagmario vel ſago, omni difficultate ſuperatâ, feſtinus intrauit limina Apoſtolorum ac Martyrum, occurſu peracto, beato Leoni Papæ illicò ſe præſentat cum reuerentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, vt Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret, adſtruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepiſſe ſententiam, & in Vrbe ſacris altaribus intereſſe, rogat atque conſtringit, vt ſi ſuggeſtionem ſuam libenter exceperit, ſecretè iubeat emendare, & ſe ad officia non ad cauſſam veniſſe: porrò autem ſi aliud velit, ſe non fore moleſtum. Subodoratâ demùm ab Hilario Leonis mente, qui ex præſcripto Niceni Concilij ſententiam ferre paratus erat, haud expectatâ ſententiâ vel obtentâ licentiâ ab Vrbe recedens Arelatem rediit.* Ea de re quamprimùm ſcripſit Romanus Pontifex [c] ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis, & Valentinianus Imperator Nouellam miſit ad Aetium magiſtrum militum in Galliis datam Romæ octauo Kal. Iunias ipſomet Valentiniano Auguſto ſextùm Conſule, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo-quinto. En certus Character ex hiſtoriæ viſceribus erutus, quo conſtat Romanum ordinatum fuiſſe Preſbyterum anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo-quarto. Affluente poſteà vtriuſque ſexus copioſâ multitudine beatiſſimi fratres alia duo Monaſteria non procul à Condadicenſi erexerunt Lauconnum & Balmam, illud virorum, hoc monialium. Audi ſuper vtroque prædictum Anonymum. *Condadicenſis Cœnobij locus miro inauditóque Monachorum numero refertus, non ſolùm aduenientibus turbis ſed etiam fratribus penè iam difficulter alimenta præſtabat. Siquidem cultura*

[a] Apud Sur. d. 1. Mai.
[b] Num. 14.
[c] Epiſt. 89.

loci ipſius pendula collibus vel acclivis, inter eminentes ſcopulos vel acernos crebro ſalebrarum labefactata conluvio, non ſolùm in ſpatiis parua ac difficilis, ſed etiam in ipſis frugibus reditu nutante torpuerat. Nam vt hyemali aſperitate loca ipſa non ſolùm ſunt nivibus obruta ſed ſepulta, ita vernò aſtinóque vel autumnali tempore, aut æſtuantia alterno vicinóque ſaxorum vapore conflagrant, aut intolerabiles imbres non ſolùm cuentilatam culturis aſportant in torrentibus terram, ſed ipſa etiam inculta ac rigida ſæpè cum herbis & arboribus ac frutetis, cum gleba quoque ipſa nudatis, quibus inſederat ſaxis, auferitur Monachis, aquis infertur. Hoc igitur ſanctiſſimi Patres aliquatenùs vitare cupientes, in vicinis exinde ſyluis, qua & planicie & fœcunditate minimè fallebantur, exectis exciſiſque abietibus, aut falce in prata, aut vomere in aquora complanarunt, vt loca opportuna culturis Condadiſcenſium inopiam ſublenarent. In vtroque tamen Monaſterio ambo Præſules erant. Pater tamen Lupicinus in Lauconno, ſic namque loci fertur nomen, peculiariùs ac liberiùs verſabatur, adeò vt poſt beatiſſimi Romani obitum vſque CL. illic propriâ diſciplinâ imbutos reliquerit fratres. Nam & prater locum ipſum in rupe valdè editâ qua ſuperiacet naturali ſaxo, prominente quoque cingulo, quod cauernas ſpecioſiſſimas intus addebat de affectu parentali inſtituentes Virginum Matrem, centum quinque illic religionis gubernaculo rexiſſe Monachos tradunt. Huic Monaſterio puellarum regendo præfecerunt ſororem ſuam, ibique ſepeliri voluit Romanus, cui frater ſorórque ſuperſtites vixerunt. Anonymus enim præcitatus, poſtquam locum deſcripſit in quo conditum fuit hoc Cœnobium, *illic*, inquit, *beatiſſimi patres Baſilicam fabricarunt, qua non ſolum Virginum recepit exuuias, ſed & ipſum Heroa Chriſti Romanum ambire meruit ſepulturâ.* Deinde vitam eiuſdem Romani ſic abſoluit. *Cùm Heroa Chriſti imminente tranſitu longæuitate prolatâ corporea vrgeret infirmitas, germanam quoque ſuam, quam in cingulo illo vel Balmâ, Monaſterio præfecerat puellari, de tranſitu reuelante Domino iam ſecurus, ad valedicendum expetiit. Illic quoque vehementi inæqualitate pulſatus, vocatis ad ſe fratribus pacem Chriſti, quam puro ac manſueto ſemper ſeruauit affectu, cunctis oſculo impertito, in magnâ hæreditate diſtribuit. Vltimùm quoque germanum ſuum Lupicinum datâ oratione deoſculans, fraternitatem cunctam, paſtorali amore regendam, commendauit attentiùs, & purus à noxâ, ſicut liber à crimine, mortem lætus aſpiciens exhalauit. Cuius ſublato corpuſculo, illic in Baſilicâ ſupra collis verticem, vt narratione præcurrente digeſſimus, filioli ex vtroque Monaſterio condiderunt.* Quot annis poſt condita tria hæc Monaſteria vixerit Romanus, itémque quot annis Romano Lupicinus frater ſuperfuerit, nec ex anonymo Condateſcenſi nec ex Gregorio Turonenſi liquet. Abbatum Iurenſium catalogum ex opere longè locupletiore, quod Petrus Franciſcus Chiffletius à multis annis meditatur, ediderunt Sammarthani tomo quarto Galliæ Chriſtianæ. Quatuor primos Abbates hoc recenſent ordine, Sanctum Romanum, Sanctum Lupicinum, Minauſium & Sanctum Eugendum. Aiunt Sanctum Romanum obiiſſe pridie Kalendas Martias anno circiter quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, ſepultúmque in Monaſterio quod hodie ſancti Romani de Rupe nuncupatur, vbi tum ſoror eius centum ampliùs Monialibus præerat, ad duas ferè leucas horarias à Condateſcenſi. Aſſerunt Sanctum Lupicinum à Sancto Romano fratre natu grandiore per viſum admonitum, ad eum in Iurenſi eremo iamdiu latitantem acceſſiſſe, eique ſuperuixiſſe annis viginti, & conditum fuiſſe in Cœnobio Lauconnenſi quod hodie ab illo nomen habet. Addunt Minauſium Condateſcenſi Monaſterio poſt Sanctum Romanum annis quinquaginta, poſt Sanctum Lupicinum annis triginta præfuiſſe & è vitâ diſceſſiſſe anno Chriſti quingenteſimo-ſeptimo. Deinde volunt ineunte anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-primo ipſis Kalendis Ianuariis ad Deum migraſſe Sanctum Eugendum, poſtquàm monaſterium annis tredecim menſibus ſex adminiſtraſſet. Huic calculo Monachus Condateſcenſis apertiſſimè refragatur, cùm de Sancto Eugendo in eius vitâ hæc ſcribit. *Sanctus famulus Chriſti Eugendus *, ſicut beatorum Patrum Romani & Lupicini in religione diſcipulus, ita*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

LAVCONN.

BALMENS.

* S. Oyen.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. R R. 23.

etiam natalibus ac prouinciâ extitit indigena atque conciuis, &c. *Sancto Romano oblatus est Patri*, &c. *A septimo vsque ad sexagesimum vitæ, quo transiit, annum nusquam exinde post ingressum extulit pedem.* Nam si beatus Eugendus viuente Sancto Romano Condatescense monasterium adiit anno ætatis septimo, vixitque annos duntaxat sexaginta, certè post Sanctum Romanum annis tribus ac sexaginta superstes esse non potuit. Ea nos ratio mouet vt beato Lupicino Sanctum Eugendum, huic Minausium successorem tribuamus. Annus quo Sanctus Eugendus obiit, ex eius vitâ certò colligi nequit. Quominùs eum censeamus anno Christi quingentesimo-decimo superstitem fuisse, nihil vetat, offerri enim Sancto Romano potuit post annum Christi quadringentesimum quinquagesimum-sextum. Coluntur in tabulis Ecclesiasticis Sanctus Romanus pridie Kalendas Martias, Sanctus Lupicinus duodecimo Kalendas Apriles, Sanctus Eugendus Kalendis Ianuariis. De Sancti Eugendi nomine Cœnobium Condatescense dictum fuit monasterium Sancti Eugendi donec à Sancto Claudio Bisontino Antistite nomen accepit Sancti Claudij, quod in hodiernum vsque diem retinet. Post Sanctum Eugendum præfecturam Monasterij suscepit Minausius, tum Antidiolus. Sub Minausio scripsit Monachus Condatescensis, in vitâ enim Sancti Eugendi, cum narraret incendium quo Cœnobium conflagrauit, Antidiolum sanctum Presbyterum vocauit, quem proculdubio Abbatem posteà fuisse subindicasset si eo Abbate lucubrationes suas ediditset. Vitas Abbatum, Romani, Lupicini & Eugendi totidem composuit libellis, exarauit & quartum de institutis Agaunensis monasterij. Tres priores in præfatione ad Ioannem & Armentarium Monachos Agaunenses ita designauit. *Inerudito cordis verecundiam rumpens, trium vobis Abbatum Iurensium vitam, id est, Sanctorum Patrum, Romani, Lupicini, Augendi, trinifer relator apponam.* Et in vitâ sancti Romani tres eosdem libellos ita distinxit, vt expleto primo opusculo quod de vitâ sancti Romani erat, in secundo vitam sancti Lupicini, & in tertio vitam sancti Augendi siue Eugendi se scripturum promiserit. *Illud*, inquit, *præmoneo, vt quia eorumdem* Sanctorum Patrum *regulam digesturum me pariter repromisi, tertio me hoc libello reseruasse noscatis, quia rectiùs hoc in vitâ beatissimi Augendi depromitur, à quo constituta ipsa, inspirante Domino, sunt comptiùs exornata. Nunc verò exacto hoc primo opusculo, ad Sanctum Patrem Lupicinum secundi opusculi tendit oratio.* Quartum verò libellum quo instituta monasterij Agaunensis complexus est, in vitâ sancti Eugendi sic denotauit. *Instituta quoque, quæ de formatione Monasterij nostri* (reponendum est *vestri*) *Agaunensis cœnobij, sancto Marino Presbytero, insulæ Lirinensis Abbate, compellente digessimus, desideria vestra luculenter explebunt.* Ætas scriptoris ex hoc postremo textu confirmatur, nam Marinus Lirinense monasterium rexit post Honoratum, cuius mentionem ad annum Christi quingentesimum-sextum fecimus. Ab hac Chronologiâ procul dissident [a] qui familiæ Benedictinæ Sanctos Abbates, Romanum, Lupicinum & Eugendum accensent. Eorum error inde profectus videtur, quòd Chilpericum Burgundiæ Regem, quem Geneuæ regnantem, vt Gregorius Turonensis testatur [b], Lupicinus Abbas adiit, confundunt cum Chilperico Francorum Rege, qui regnum anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo suscepit, & numquam Geneuæ dominatus est aut in vllâ Burgundiæ ciuitate Principatum tenuit. In vitâ sancti Romani, vt suprà retulimus, Monachus Condatescensis pollicitus est verba se facturum de instituto sui Cœnobij in vitâ sancti Eugendi. Vtrùm sancti Benedicti meminerit, inspiciamus. *Quia*, inquit, *sermo attulit, vt de institutione Patrum per imitationem beati Eugendi aliqua tangeremus iuxta promissum, quod memet prædixi tertio opusculo seruaturum, prout memoriæ, Christo inspirante, suggeritur, abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic námque quòd non omnino illa, quæ quondam sanctus ac præcipuus Basilius, Cappadociæ vrbis Antistes, vel ea, quæ sanctorum Lirinensium Patres, sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abba; siue illa quæ recentior ve-*

[a] Menard. d. 1. Ian. d. 28. Feb. d. 21. Mart.

[b] De vit. Patr. cap. 1.

nerabilis edidit Cassianus, fastidiosâ præsumptione calcemus : sed ea quotidie lectitantes, ista pro qualitate loci & instantiâ laboris inuictâ potiùs quàm Orientalium perficere affectamus, quia proculdubio efficaciùs hæc faciliúsque natura vel infirmitas exequitur Gallicana. Author potioris fidei non potest in testem produci, hic enim vixit in Monasterio Condatescensi sub Eugendo Abbate, cuius etiam morti præsens interfuit ac præ dolore illachrymatus est, vt ipsemet his vocibus declarat, *cùm verba inter lamenta nostra complesset, spiritum exhalauit.* Cetersùm cùm ex hoc loco aliisque multis constet Anonymum qui vitas Abbatum, Romani, Lupicini & Eugendi scripsit, Condatescensis asceterij Monachum extitisse, rectè censemus in eâdem sancti Eugendi vitâ, vbi de institutis Monasterij Agaunensis à se digestis ita loquitur, *instituta quoque qua de formatione Monasterij nostri Agaunensis*, &c. pro *nostri* legendum esse *vestri*, vitam enim illam vt & duas alias Sanctorum Romani & Lupicini Monachis Agaunensibus Ioanni & Armentario inscripsit, vt ex ipsâ præfatione patet in quâ hæc leguntur, *vnde vos ô piissimi fratres Ioannes atque Armentari*, & nonnullis interiectis, *quamuis ergo Agaunus vester*, &c. Minausio Abbati, sub quo Monachus præcitatus vitas antecessorum in literas retulit, successit Antidiolus, quem idem author in vitâ sancti Eugendi testatur Presbyterum iam fuisse cùm Monasterium Condatescense sub ipso Eugendo Abbate conflagrauit. Huius Antidioli temporibus Burgundiam in Francorum potestatem venisse arbitramur.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

Sancto Eugendo Cœnobij Condatescensis tertio Abbati coæuus fuit sanctus Leonianus seu Leunianus, qui Viennæ duo Monasteria, vnum virorum in honorem Sancti Petri, alterum feminarum in honorem Sancti Andreæ construxit, & in vita sancti Eugendi ab Anonymo Condatescensi, sic commendatur. *Sanctus famulus Christi Eugendus æstiuis temporibus caracallâ, vel scapulari cilicino vtebatur, quod ei quoque vir sanctitate conspicuus Leunianus Viennensis vrbis Abbas, pignore transmiserat caritatis. Fuit namque Sanctus iste de Pannoniis quondam, & sparsente barbarie in Galliis, vinculo captiuitatis abductus, & non solùm in Viennensi, sed etiam in Augustudunensium vrbe, multo tempore claustro peculiaris cellæ conclusus, ita vt amplius quadraginta annis in vtraque ciuitate coercitus, nulli hominum ex prima retrusione vultu aut corpore, præter solâ sermonis notitiâ, nosceretur. Monachos iuxta cellulam haud plurimos regens; Monachas verò procul intra vrbem Monasterióque conseptas vltra sexagenarium numerum admirabili ordinatione rexit & aluit; præmisitque maximas, magnas interim succiduásque in spiritu non dimisit.* Abbas Sancti Petri vocatur. Romeliam sororem suam Monasterio Sancti Andreæ præfecit. Monachi post aliquot secula in Sancti Petri Cœnobio regulam Sancti Benedicti cœperunt profiteri, nec ita pridem habitum Benedictinum deposuerunt auctoritate Summi Pontificis, vt Robertus obseruauit in Gallia Christiana. Conradus Burgundiæ Rex Monachos loco Monialium in Cœnobio Sancti Andreæ collocauit, ibique sepultus fuit anno Christi nongentesimo nonagesimo quarto.

XXV. VIENNENSIA S. PETRI & S. ANDREÆ.

Cœnobiorum Grinincensium celebris mentio fit apud Sidonium in literis [a] ad Volusianum. Rogauit Volusianus Sidonium, vt sancto Abrahæ, qui sancti Cyrici in suburbano Aruernorum Monasterio Abbas fuerat, luctuosis carminibus næniam sepulchralem inscriberet. Postulatis acquieuit Sidonius, & Volusianum vicissim deprecatus est, vt Monasterium Sancti Cyrici regendum susciperet, illiúsque loci Monachos Abbate destitutos eruditet *secundum statuta Lirinensium Patrum vel Grinincensium.* Ætate Sidonij florentissimum erat Lirinense Monasterium, nec semel ab eodem Sidonio nobilissimis insignitum est encomiis, vnde constat Cœnobiorum Grinincensium laudem hanc esse maximam, quòd statuta Grinincensia Lirinensibus æquiparentur. De situ Monasteriorum Grinincensium loquitur Nicolaus *Chorier* in Historia [b] Delphinatus. Spatio terrarum, quod in conspectu Viennæ, dexteræ Rhodani ripæ adiacet à tertia leuca infra Lug-

XXVI. GRININCENSIA.

[a] Lib. 7. ep. 17.

[b] Lib 9. n. 18.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

dunum vsque ad semimilliare infra vicum Sanctæ Columbæ, nomen antiquitùs fuit Grenniacus, corruptè Brenniacus in vita sancti Theuderi. Inde cognominata sunt Monasteria, quæ Sidonio Grinincensia, aliis Grinianensia, Griniacensia, Grinicensia, Grennicensia, & Grimacensia. Degebant in illis locis Monachi quadringenti, & in Cœnobio Sanctæ Columbæ Moniales triginta. Sic enim vetus Auctor [a] in vita sancti Clari. *Grinianensium Cœnobia à sanctis Pontificibus vrbis*, nempe Viennæ, *fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatæ Virginis Columbæ, triginta Monachas habens. Nam Grinianensium loca quadringentos Monachos alebant.*

[a] Ap. Bolland. d. 1. Ian.

XXVII. Exeunte Dagoberti Regis Principatu, post annos circiter centum, ex quo subacta fuerat à Francis Burgundia, promotus est ad Episcopatum Viennensem sanctus Caldeoldus. Sub illo Pontifice, præter Viennensia sancti Petri & sancti Andreæ & Grinincensia, non pauca erant intra & extra ciuitatem Viennensem Monasteria, quorum origines vtrùm antiquiores an recentiores aduentu Francorum in Burgundiam fuerint, non facile est diiudicare. Certè si non omnes, saltem pleræque vetustiores habendæ sunt. Quapropter quis singulorum status esset sub prælaudato Caldeoldo Episcopo, placet hîc ex eâdem sancti Clari vitâ iam citatâ referre. *Sancti Petri Monasterium*, de cuius primordiis suprà disseruimus, *ad Australem partem vrbis situm, quingentos penè Monachos continebat. Sanctorum Gerualsij & Protasij memoria, quinquaginta. Similiter sancti Ioannis Baptistæ Monasterium, quinquaginta. Similiter sancti Vincenty Martyris, quinquaginta. Sancti quoque Marcelli Martyris Cœnobium, triginta. Sanctæ Blandinæ viduarum sanctimonialium locus, viginti quinque.* Subsequuntur duo Monasteria sancti Andreæ, quorum alterum, vt ex vitâ sancti Eugendi constat, sexaginta Moniales amplectebatur, priusquàm Franci Burgundiam sub iugum mitterent. *Sancti Andreæ infra mœnia vrbis, centum. Iterum aliud sancti Andreæ, centum. Sancti Nicetij, eius vrbis glorioſi Episcopi, quadraginta. Sancti Martini Cœnobium, centum quinquaginta Monachos, sub districtione regulari viuentes, adunatos tenebat.* Denique vt integram tibi Viennensis Ecclesiæ commendationem demus, Clericorum Viennensium simul viuentium laudabilem morem, quem vtinam omnium Ecclesiarum Clerici nostris temporibus æmulentur, ex eodem Auctore paucis accipe. *Porrò in domo maiori Sanctorum Martyrum Apostolicam vitam tenentes, in vnumque viuentes, plurimi Clerici erant, itant turmis dispositis mysteria peragerent. Apud Sanctum Seuerum quoque cœtus Clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in vnum conuersantium habitacula ad sexaginta, sub curâ Pontificis degentia, in Viennensi Diœcesi satis ordinabiliter sita erant.* Ea fuit Cleri Viennensis gloria Caldeoldo Præsulatum gerente, quam vt priusquàm Franci regnum Burgundionum extinguerent, illustrem iam fuisse non negamus, sic plurimùm auctam sub Francorum Regibus non est cur audeat quis inficiari.

ALIA VIENNENSIA.

XXVIII. In Diœcesi Bisuntinâ florebat Monasterium Balmense * seu Palmense dictum. A sancto Desiderato Episcopo Vesontionensi fuit inchoatum, absolutúmque ab eius successore sancto Germano, qui Martyrium ab Arianis passus est apud Grandifontem * quinto Idus Octobres, anno, vt Petro Francisco Chiffletio videtur, septimo supra quadringentesimum. Sed dirutum posteà fuit à Vandalis seu barbaris transrhenanis, redintegrarique cœpit ineunte sexto seculo, ac tandem perfectum fuit anno Christi quingentesimo vicesimo-primo, vt in catalogo Antistitum Auenticensium seu Lausanensium scribunt Sammarthani sub sanctis Episcopis Protasio & Chilmegesilo. Ceterùm Balma Monasterium est virginum ad Dubim * flumen Vesontionem inter & montem * Belicardum. Est & Balma Monasterium virorum in eâdem Diœcesi longè recentius, vt nono seculo dicturi sumus. Præterea Petrus Franciscus Chiffletius ex probâ ac peruetustâ sancti Lautheni Historiâ obseruat in Diœcesi Bisontinâ duo insignia fuisse Monasteria, quorum Abbas Lauthe-

* *Baulme les Nonnains.*

* *Grand-Fontaine.*

PALMENSE.

* *Le Doux.*
* *Montbeliard.*

BISONTIN.

nus

nus in Presbyterum ordinatus est ab Amantio Episcopo circa annum Christi quadringentesimum nonagesimum tertium. Habes Elogium sancti Lautheni quarto Nonas Nouembris in Martyrologio Gallicano. AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23. XXIX. DIVION. S BENIGNI.

Iisdem temporibus, quibus Balmense Monasterium in Diœcesi Bisontina reparabatur, Diuione * in Episcopatu Lingonensi Cœnobium sancti Benigni erectum est à Gregorio Episcopo. *Anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo octuagesimo quinto, Indictione octauâ*, inquiunt illius Cœnobij Chronica, *præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ Symmacho Papâ, Zenone verò Cæsare imperante in Republica, Clodoueo quoque primo regnante in Francia, & Gundebaudo in Burgundia, inuentum est atque translatum octauo Kalendas Decembris, corpus almifici Martyris Benigni à beato Gregorio Lingonicæ vrbis Episcopo, diuinâ reuelante prouidentiâ, vt refert Gregorius in libro miraculorum, qui fuit Antistes Turonorum. Quod cùm dignè fuisset transpositum cum adiutorio supernæ virtutis, ne deinceps testis Christi debitis priuaretur officiis, idem venerabilis Præsul ædificato ei templo, ex diuersis partibus ibidem adunauit multos Deo seruire paratos.* In dubium vocari non debet quin corpus sancti Benigni repertum sit à Gregorio Lingonensium Antistite, id enim prolixâ narratione docet Gregorius Turonensis libro primo miraculorum, capite quinquagesimo-primo, sed Characteres Chronologici, quos Auctor prædictorum Chronicorum exhibet, inter se non consentiunt, etenim anno Christi quadringentesimo octogesimo quinto nondum sedebat Romæ Symmachus, & Gregorius Episcopatum Lingonensem nondum obtinebat. Quapropter arbitramur Monasterium sancti Benigni conditum fuisse post annum Christi quingentesimum sextum, cùm insulæ Romanæ Symmachum, Gregorium Lingonenses ornabant, & in Francia regnabat Clodoueus, Gundebaldus in Burgundia. De duobus primis Abbatibus, Eustadio & Tranquillo, quorum priorem obiisse credimus eo circiter tempore quo Franci de Burgundis triumpharunt, hæc leguntur in Chronicis ipsius Monasterij iam citatis. *Fulgebant tunc per Galliam plurimi sanctitate vitæ conspicui, inter quos erant sanctus Ioannes Abbas Monasterij, quod Reomans dicitur, necnon Eustadius ac sanctus Sequanus, huius prouinciæ*, nempe Lingonensis, *alumni, è quibus Eustadium huic loco præfuisse per aliquot annos, & subiectos sibi religiosè educando vixisse, certum tenemus. Vnde & moriens condignam meruit sepulturam iuxta corpus sancti Benigni Martyris. Cui successit Tranquillus, qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmis ex eius tumulo præstitæ testantur, vt refert Gregorius Turonensis in seipso expertus. Sepultus verò est ad dexteram partem sepulchri sancti Martyris Benigni, iuxta sanctam Paschasiam, iuxtáque eum posita fuit sancta Florida. Ex altera verò parte, iuxta sanctum Eustadium, sepulchrum fuit sancti Hilarij Confessoris, coniugísque eius sanctæ Quittæ. Hi fuerunt progenitores suprà memorati Ioannis. Et quia præfatus Gregorius Turonorum in libro de illustribus viris, huius Hilarij, quis & qualis fuerit, pleniter meminit, hæc tantùm dixisse sufficiat.* Liber ille Gregorij de viris illustribus non est alius à libro de gloria Confessorum, cuius caput quadragesimum-secundum totum est de Hilario eiúsque vxore, posterum de sanctis Florida & Paschasia, & subsequens de beato Tranquillo. Tria illa capita consule. Ex postremo disces quale beneficium de sancti Tranquilli sepulchro petentibus præstari consueuisset. *De mussulis supernatis medicamina populi* promebantur, *vnde* Gregorius Turonensis *experimentum* tulit, *nam cùm manus minutis efferbuissent pusulis, & dolores pessimos ob hoc grauiter* sustineret, *de hac mussula tactas quiescente humore protinùs* retulit *sanas.* Primum autem, in quo coniux sancti Hilarij post mariti mortem vno duntaxat anno superstes statuitur, si conferas cum vita Ioannis Abbatis Reomaensis, facilè deprehendes quæ de Hilario eiúsque vxore referuntur à Gregorio Turonensi, ad parentes supradicti Ioannis minimè pertinere, eóque loci corrigendum esse sancti Benigni Diuionensis Chronicon, cuius Auctor vndecimo seculo vixit. *Postquàm sanctus Gregorius ædificato templo ad honorem Dei & sancti Martyris eius*

* *Dion.*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

Benigni, congregationem hîc adunauit Monachorum, vt eis non deessent temporalia subsidia, studuit ditare hunc locum, terrarum possessionúmque largâ munificentiâ. Dedit ergo de rebus propriis & de rebus Episcopi plurima; inter quæ dedit potestatem, quæ dicitur Saciacus, cum Ecclesia & omnibus appendiciis, scilicet villas numero tredecim, quæ sunt Corlenis, Isiadus, Rumiliacus, Frascinus, Camberia, Linerolus, Brucialis, Bruciacus, Cernadus, Vallis, Bonacurtis, Iuuenadus, Longus Campus; istas villas cum omnibus adiacentiis, seu & omni re superpositâ, campis, pratis, syluis, pomiferis, pascuis, accessis, aquis, aquarúmque decursibus, & omnes redditus, totum ad integrum, vnà cum mancipiis, libertis, cum omni peculio eorum, vnà cum accolabus dedit ad seruitium Monachorum iure perpetuo ad possidendum. Sequebantur nonnulla de Hilario Comite, quæ cùm in autographo legi nequirent, prætermissa sunt à Luca Dacherio è Congregatione Sancti Mauri Monacho Benedictino, cuius operâ vetus illud Chronicon in lucem prodiit. At omitti nusquam debent quæ leguntur ibidem de cœmeterio quod Gregorius Episcopus ad ius noui Monasterij pertinere voluit. *Sepultura omnium in Diuione castro intra extráque commorantium fuit antiquitùs ab aluco torrentis, qui per medium influit Burgum, vsque ad locum quo nunc est Monasterium, quod testatur multitudo vasorum per illam planitiem longè latéque creberrimè positorum. Sanctus Gregorius, postquàm sibi diuinitùs reuelatum transtulit Sancti Martyris corpus, condignámque illi eleganti opere iussit aedificari Basilicam, omnem hanc terram dedit Sancto Benigno, constituítque vt hoc solum esset generale cimiterium, pertinens ad ius istius Monastery deinceps & in futurum. Quam constitutionem confirmauit Apostolicâ auctoritate Hormisda, deinde Ioannes qui post sanctum Gregorium nonus-decimus præfuit Romanæ Ecclesiæ, scripto roborauit. Sergius quoque post hunc tertius, qui præsumpsisset hanc transgredi, sub anathematis vinculo interdixit. Sed & aly Pontifices successores eorum, necnon & Lingonici Præsules, huius institutionis transgressores, & omnes, qui aliquam vim vel calumniam intulerint infra præscriptam terram vel claustrum quod coniacet in circuitu huius loci, vel familiam Sancti & seruos afflixerint, excommunicationis vinculo adstrinxerunt, inter quos præcipuè Isaac & Geilo Episcopi, terribili imprecatione percusserunt omnes malefactores istius loci, vt Deum, & omnes Sanctos eius, Sanctúmque Benignum, in cuius rebus malè agunt, habeant infensos & contrarios, nisi resipuerint & ad emendationem venerint.* Res Sancti Benigni adeò sollicitè curabant Episcopi Lingonenses, quia Monasterium ab antecessore Gregorio conditum fuerat, & teste Auctore Chronici iam citati *claruit per multos annos ille locus, ita vt esset nobilis Abbatia, nullius subiacens dominatui, nisi solummodò Lingonum Pontifici.* Ceterùm sanctus Eustadius, qui primus Abbas Sancti Benigni fuit, in supplemento Martyrologij Gallicani colitur tertio Nonas Ianuarias, sancti Gregorij Lingonensis Episcopi filius à multis perhibetur, sed antiqua desunt argumenta, quibus id probari possit, distingui debet ab Eustadio Magnimontensi Presbytero, post cuius obitum Sequanus Presbyter adiit Ioannem Abbatem Reomaensem, vt ab eo religiosæ vitæ leges addisceret. Tranquillus sancti Eustadij successor numero Sanctorum ascribitur Idibus Martiis in eodem Martyrologio.

XXX. SEGESTRENSE.

Ad Gregorij Lingonensis Episcopi Pontificatum referri quoque debent exordia Monasterij Segestrensis, quod Sequanus Presbyter Ioannis Abbatis Reomaensis discipulus iam laudatus in Diœcesi Lingonicâ quinque leucis à Diuione construxit, vt Author vitæ in Historiâ Reomaensi à Rouerio publicatus prodit. *Erat*, inquit, *in diebus illis in Tornodorensi Monasterio, cognominato Reomaus, Abba Ioannes vocabulo, cuius singularis sanctitas vniuersas prouincias peragrarat. Ad eum illius opinionis compertâ famâ Sequanus sanctissimus declinat. Quem cum summâ letitiâ susceptum, puro mentis affectu regulari solertiâ ita breui tempore imbuit, & in eius cordis intimo lumen veritatis infudit, vt speculum esset bene viuentibus, qui ad eum totâ mentis deuotione tetendit Sequanus vir venerabilis. Postquàm igitur se vidit omninò diuinarum scripturarum dogmati-*

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

bus instructum, & Monasterij laudabili diligentiâ eruditum, locum fabricando Monasterio aptum frequentissimè scrutabatur, cúmque per momenta singula circumiret confinia loca, & ad amicos suos voluntatis suæ notitiam perduceret, quidam propinquorum suorum Thiolaiphus nomine, dixit ei. Quia sciscitatus es de me, & consilia tua sunt mihi sinceriter depalata, pandam sanctissimè tibi locum, atque ostendam in quo poteris consistere, si Dei ardore inita sunt quæ præparas adimplere. Est denique locus hæreditario tibi, ni fallor, iure perdebitus. Sed loci illius finitimi bestiarum more cædibus humanis ac cruoribus pascuntur, itaut nulli sit facilis trames per eos, nisi multitudine stipatus fuerit armatorum. Ad quem beatus Sequanus. Tu tantùm cognitum locum demonstra, & si diuinitatis instinctu mea sint vota concepta, omnis ferocitas eorum in columbæ simplicitatem conuertetur. Assumptis ergo secum comitibus profecti peruenerunt ad locum, de quo conloquuti fuerant. Erat autem sylua longum nunquam violata per ævum, cuius arborum summitas penè nubes pulsabat. Tunc requirentibus illis aditus, quibus possent sylvæ penetrare secretum, callis quidam arctus eorum refulsit obtutibus tam angustus ac sentosus, vt difficilè possent plantæ vniuscuiusque per eum æquiparo gradu incedere, sed prolatum vix pedem exequebatur impediens densitas ramorum. Et licet non sine labore, neque sine vestimentorum discerptione, in asperrimæ tamen sylvæ penetralia peruenerunt. Tunc curuantes se solo tenus perspicuo visu tenebrosa latibula inuestigare cœperunt, & in vno obtutu diutiùs inhærentes aspexerunt specus cuiusdam angustissimas fauces labruscis & silicibus obumbratas, desuper autem ita implicitas inter se ramorum frondes vt rami tenebrosam redderent specum, & illius formidarent accessum. Erat quippe spelunca latronum, & latibulum spirituum immundorum. Cúmque ad eam adpropiarent, Sequanus vir Deo amabilis, in eius ingressu curuatis poplitibus, & toto corpore vepribus superiacens, lacrimabiles preces Deo effudit dicens. Domine qui fecisti cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui das votum optandi, & benedicis annos iusti, à quo est omne bonum principium, & sine quo vacua sunt, ad quæ humana temeritas nititur, si iubes me in eremo hac conuersari, ostende quæso obtutibus famuli tui, mancipans deuotioni meæ à te mihi concessum exordium. Perfectâ autem oratione surrexit, & oculorum aciem lacrymis humectatam cum palmis ad cælum extendit. Cognoscens ergo se duce potentiâ Saluatoris ad squalidam hanc syluam fuisse delatum benedictione præmissâ extemplo paruæ cellulæ in loco, in quo genua ad orationem fixerat, fundamenta locare molitus est. Cuius aduentus rumore pennigero ad aures est delatus circumhabitantium possessorum, qui adhortantes se certatim nutu diuino impulsi profecti sunt ad eum, quo viso cominus ita ex lupis mansuetissimæ oues effecti sunt, vt qui erant dudum causa erroris illicò fierent ministri iuuaminis. Factus est autem ille locus ex eodem tempore habitaculum innocentium, qui fuerat diuersorium sæuientium dæmonum atque latronum. Stabant adiutores operis ij, qui aduenerant finitimi, pars fundaminis consolidare iuncturas, pars parietes erigere, pars autem vmbrosæ sylvæ nemora deruncinare, & futuris Monachis habitaculum præparare. Non post multum temporis spatium multitudo ad locum congregata est Monachorum, opinione Sequani viri prudentissimi à quatuor electa partibus mundi. Ille autem probatissimus vir sapientiæ munere singularis, ita breui tempore venientem ad se Monachorum multitudinem erudiebat, vt Præpositi, eorum continentiam atque obedientiam, sacrarúmque literarum augmentum, & cæteram in eius monasterio vtilitatem, mirarentur. Quicquid præcitatus author asserat, ager Segestrensis, qui pars erat pagi Magnimontensis, incolas non habebat adeò feroces, & quamuis ex aliquâ parte syluis horreret, tamen ex aliâ parte frumento erat idoneus, vt hodiéque esse perseuerat, neque enim videtur aliunde quàm à segetibus nomen accepisse. Sequanus cùm adhuc puer anachoresim suscipere vellet, *septa sibi vilissima construxit*[a], & ex duobus habitaculorum generibus quæ tunc Occidentalibus Anachoretis erant magis vsitata, quod asperius visum est libenter elegit, septum cellæ præferendo, sed posteà cùm de conuocandâ sodalium multitudine cogitauit, cellæ fundamenta posuit, ne vitam paulò rigi-

[a] Vit. S. Sequan. ap. Rouer.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

diorem amplexus crederetur. Sanctissimi viri, vt olim plerisque in rebus aliis, sic in habitaculis suis ingeniosa sibi adinuenerunt tormenta. Quidam subdiualem vitam duxerunt quæ syluas tantùm & cælum pro tecto habebat, nonnulli rupium antris gauisi sunt, alij stationem sibi constituerunt in profundis fossis aut in ipsis hominum sepulchris, quidam nudis rupibus insederunt, aliqui se sustulerunt in proceros arborum truncos, alij columnis in modum statuarum institerunt. Pluribus cellæ placuerunt & septa. Qui cellis vtebantur, æstus & pluuias hoc habitaculi genere declinabant; qui verò septis, non ita, septum enim nec conspectum cæli subtrahebat in quod aspirabant, nec aëris arcebat iniurias quas amabant, sed solos hominum prohibebat oculos, vnde poterant accendi vanitatis & gloriolæ fomenta, quæ Sequanus sibi puero plurimùm cauenda rectè iudicauit. Postquàm autem monasticam disciplinam ab Abbate Reomaensi didicit, cellulam ac deinceps Monasterium erexit non procul à Sequanæ fontibus, qui nunc etiam in ditione sunt eiusdem Cœnobij, quod ab Authoris nomine posterioribus seculis appellationem sancti Sequani * suscepit. Nonnulli putarunt Sequano nomen factum ex Monasterij situ, cúmque initio Abbas Sequanus ex loco diceretur, existimatum postèà hominis esse nomen quod erat loci, sed fieri potuit vt idem & loci & hominis nomen esset, maximè cùm textus suprà citatus testetur agrum illum sancto Sequano hæreditarium fuisse, nec insolitum fuerit etiam olim, vt agrorum suorum nominibus homines designarentur. Petrus Rouerius [a] sex libros edidit de sancto Ioanne Abbate Reomaensi, duobus primis vitam Ioannis à Monacho Reomaensi synchrono scriptam & à Ionâ recognitam atque interpolatam exhibuit, tertio complexus est res Ioannis in prædictâ vitâ prætermissas, quarto & quinto miracula & translationes sancti Ioannis ex Codicibus Reomaensibus enarrauit, sexto multa recensuit elogia sancti Ioannis ex diuersis Authoribus. Tertium illorum librorum consule, diuiditur enim in tria capita, quorum primum lectori nihil ob oculos ponit præter regulam Macarianam, quam Sequanus in asceterio Reomaensi didicit & Monachis Segestrensibus obseruandam præscripsit, postremum verò totum est de vitâ sancti Sequani, qui postquam Segestrense Monasterium construxit, plurimis miraculis inclaruit, ægris siquidem & energumenis opitulatus est, cæco visum restituit, sanauit paralyticum, ventorum turbinem sedauit, atque ad perficienda tot prodigia cum signo Crucis & olei sanctificati vnctione solas orationes adhibuit. De sancto Sequano iterùm agemus post obitum sancti Ioannis Reomaensis cui superstes vixit, interim ista sufficiant de Diœcesi Lingonensi, quæ deinceps non ex modicâ parte vt à Clodouei Regis temporibus iam cœperat, sed tota Regibus Francorum subiacebit.

* S. Seine.

[a] Hist. Reomaens. in Abb. 1.

XXXI. GVRTHON. * Gourdon. [b] Cap. 86.

In Episcopatu Cabillonensi florebat Monasterium Gurthonense *, cuius meminit Gregorius Turonensis in libro de gloriâ Confessorum [b]. A quo structum sit nos latet. Ibi, vt ex eodem Gregorio colligimus, cùm regnum Burgundiæ Francis accessit, degebat Desideratus Presbyter, vir sanctitate magnificus, qui sæpiùs frigoriticis, dolore dentium laborantibus, aliisque morbis orando finem imposuit.

XXXII.

Episcopatibus ac præcipuis Monasteriis Burgundiæ sic perlustratis, non abs re videtur de lege Burgundionum nonnulla describere capita, quæ pertinent ad res Ecclesiasticas, vt optimè cognoscas quænam earum facies extiterit in regno Burgundiæ, cùm parere Francis occœpit.

XXXIII. LEGES BVRGVNDIÆ.

Fridericus Lindenbrogius publici iuris fecit antiquarum legum Codicem, in quo legibus Wisigothorum subiicitur Burgundionum lex nouem & octoginta titulis comprehensa cum duobus additamentis, quorum primum viginti titulos, alterum tredecim articulos amplectitur. Huius legis Authores fuerunt Gundebaldus & Sigismundus eius filius Reges Burgundionum. Gundebaldus, inquit Gregorius Turonensis [c], *regionem omnem, quod nunc Bur-*

[c] Lib. 2. c. 33.

gundia dicitur, in suo dominio restaurauit, Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent. Titulus octogesimus nonus de reis corripiendis retinet adhuc nomen Gundebaldi Regis. Titulus quadragesimus secundus datus est *sub die* III. *Non. Septemb. Abieno* V. C. *Conſ.* & titulus quadragesimus quintus *sub die* V. *Kal. Iunias Lugduni Abieno* V. C. *Conſ.* Duo autem Abieni gesserunt Consulatum, senior anno Christi quingentesimo-primo, iunior anno Christi quingentesimo-secundo, illisque temporibus florebat Gundebaldus, qui teste Mario vitam clausit sub Consulatu Petri siue anno Christi quingentesimo decimo-sexto. Titulus quinquagesimus-secundus datus est *sub die* IIII. *Kalendas Aprilis Agapito Conſule*, siue anno Christi quingentesimo decimo-septimo, regnante iam Sigismundo superioris Gundebaldi filio. In Codice quem Lindenbrogius laudat, Sigismundi nomen legi Burgundionum inscribitur. Sigismundum huius legis Authorem eatenus esse arbitramur, vt quam pater hæreticus priùs promulgarat, ipse syncerioris fidei assertor in multis emendaret. Omnino enim verum est Gundebaldum Burgundionibus suis legem dedisse quæ etiam ab eius nomine lex Gundebada nuncupatur apud Agobardum & in capitulari Caroli Magni.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

Titulo decimo-quarto legis Burgundionum, hæc de Sanctimonialium bonis sanciuntur. *De puellis quæ se Deo vouerint, & in castitate permanserint, si vna duos fratres habuerit, tertiam iubemus vt portionem de hæreditate patris accipiat, hoc est, de eâ tantùm terrâ, quam pater eius sortis iure possidens mortis tempore dereliquit. Similiter & si quatuor aut quinque fratres habuerit, portio ei debita reseruetur. Si autem illa vnum tantùm habuerit fratrem, non medietatem sed tertiam consequatur, eâ scilicet conditione, vt post obitum illius quæ fœmina & sanctimonialis est, quidquid in vsufructu de paternis rebus percepit, ad proximiores parentes pertineat, nihil illa exinde alienandi potestatem habitura, nisi forsitan quod ex matris bonis, id est, in recellulis vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere. Hoc his tantùm censuimus esse præstandum, quibus patres suas iam non dederint portiones: quòd si à patre, vbi viuere possint, perceperint, ex hoc ipso quod voluerint faciendi liberam habeant potestatem.*

XXXIV. DE BONIS MONIALIVM.

Titulus decimus-quintus prioris additamenti, est de Iudæis, qui manum in Christianum mittere præsumpserint. *Quicunque Iudæus in Christianum manum præsumpserit mittere, pugno aut calce, fuste aut flagello, aut saxo, aut per capillos prenderit, manus incisione damnetur. Quòd si voluerit manum suam redimere, LXXV. solidis iubemus redimere, & mulctæ nomine sol.* XII. *Præterea iubemus, si in Sacerdotem manum præsumpserit mittere, tradatur ad mortem, & facultas ipsius fisco nostro tradatur.*

XXXV. DE IVDÆIS.

Titulus legis quadragesimus-quintus conditus fuit à Gundebaldo Rege Hæretico, qui duellum in causis dubiis approbauit, & præferendum duxit purgationi Canonicæ, quæ per sacramentum fieri consueuerat. *Multos*, inquit, *in populo nostro & pernicatione causantium & cupiditatis instinctu ita cognoscimus depranari, vt de rebus incertis sacramenta plerúmque offerre non dubitent, & de cognitis iugiter periurare. Cuius sceleris consuetudinem submouentes præsenti lege decernimus, vt quotiens inter homines nostros causa surrexerit, & is qui pulsatus fuerit, non deberi à se quod requiritur, aut non factum quod obiicitur, sacramentorum obligatione negauerit, hac ratione litigio eorum finem oportebit imponi, vt si pars eius, cui oblatum fuerit iusurandum, noluerit sacramenta suscipere, sed aduersarium suum veritatis fiduciâ armis dixerit posse conuinci, & pars diuersa non cesserit, pugnandi licentia non negetur. Ita vt vnus de eisdem testibus, qui ad danda conuenerant sacramenta, Deo iudicante confligat, quoniam iustum est, vt si quis veritatem rei inconcussanter scire se dixerit, & obtulerit sacramentum, pugnare non dubitet. Quòd si testis partis eius, quæ obtulerit sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes qui se promiserant iuraturos, trecenos solidos mulctæ nomine, absque vllâ inducianum præstatione cogantur exsoluere. Verùm si ille, qui renuerit sacramentum, fuerit interemptus, quidquid debebat, de facul-*

XXXVI. DE CAVSIS DVBIIS.

AN. CH. 534.

tatibus eius nouigildi solutione pars victoriæ reddatur indemnis, vt veritate potiùs quàm periuriis delectentur. Data sub die V. *Kal. Iunias Lugduni, Abieno* V. C. *Cons.* Nouigildus est nouemplex mulcta.

THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23. XXXVII. XXXVIII. DE HOMICIDIIS.

Lege Burgundionum multò seueriùs quàm legibus Francorum, Alamannorum & Baiuuariorum, de quibus infrà, castigantur homicidia & adulteria.

De homicidiis hæc leguntur titulo secundo. *Si quis hominem ingenuum ex populo nostro cuiuslibet nationis, aut seruum Regis natione duntaxat barbarum, occidere damnabili ausu aut temeritate præsumpserit, non aliter admissum crimen, quàm sanguinis sui effusione componat. Illud sanè huic legi rationabili censuimus prouisione subiungi, vt si cui fortè à quocunque inlata vis fuerit, vt aut ictibus verberum, aut vulneribus vrgeatur, & dum insequitur percutientem dolore aut indignatione compulsus occiderit, atque ita factum re ipsâ, aut idoneis, quibus credi possit, testibus fuerit comprobatum, medietatem pretij secundùm qualitatem personæ occisi parentibus cogatur exsoluere, hoc est, si optimatem nobilem occiderit, in medietatem pretij* CL. *sol. Si aliquem in populo nostro mediocrem,* C, *pro minore persona* LXXV. *solidos præcipimus numerare. Si seruus inconscio domino hominem ingenuum occidere fortassè præsumpserit, tradatur ad mortem, dominus verò reddatur indemnis. Si dominus huius facti conscius fuerit, ambo tradantur ad mortem. Si seruus ipse post factum defuerit, dominus eius pro pretio serui* XXX. *solidos parentibus occisi cogatur exsoluere, simili de seruis Regis secundùm qualitatem personarum circa interfectores conditione seruatâ. Hoc specialiter in huiusmodi causa vniuersitas nouerit obseruandum, vt interfecti parentes nullum nisi homicidam persequendum esse cognoscant, quia sicut criminosum iubemus extingui, ita nihil molestiæ sustinere patimur innocentem,* Et titulo quinquagesimo. *Si quis tam Burgundio quàm Romanus ingenuus actorem possessionis nostræ non manifestâ necessitate compulsus occiderit, centum quinquaginta solidos cogatur inferre. Si alterius fuerit actor occisus, centum solidi in compositione criminis soluantur. Verùm si à seruo cuiusquam ignorante domino actor patrimonij nostri vel cuiuslibet alterius occidatur, sicut de reliquis statutum est, seruus tradatur ad mortem. Quòd si sciente domino crimen homicidij fuerit perpetratum, seruus iudici præsentatus intereat, dominus verò integrum interfecti pretium soluat, mulctæ autem nomine sol.* XII. *compellatur inferre. Ceterùm si quisquam seu nostrum, seu priuati hominis actorem, cæde aut vulneribus vexatum occiderit, idque euidenter fuerit adprobatum, ea satisfactionis forma seruabitur, quam custodiri anteriorum legum statuta decernunt.*

XXXIX. DE COPVLIS ILLICITIS.

De diuortiis & copulis illicitis hæc habentur in titulis tricesimo-quarto & tricesimo-quinto. *Si qua mulier maritum suum, cui legitimè iuncta est, dimiserit, necetur in luto. Si quis seruus vim mulieri ingenuæ fecerit, & questa fuerit, & euidenter hoc potuerit adprobare, seruus pro admisso crimine occidatur. Si verò ingenua puella voluntariè se seruo coniunxerit, vtrumque iubemus occidi.* Deinde titulo quadragesimo-quarto, *Si qua Burgundionis ingenui filia prinsquàm marito tradatur, cuicumque seu barbaro seu Romano occultè adulterij se fœditate coniunxerit, & postmodum ad querimoniam facti processerit, & sic obiecta clarucrint, is qui in eius corruptione fuerit accusatus, &, vt dictum est, certâ probatione conuictus, inlatis* XV. *solidis nullam calumniam patiatur. Illa verò facinoris sui dehonestata flagitio amissi pudoris sustinebit infamiam. Quòd si mulier vidua cuicumque se non inuita, sed libidine victa, sponte miscuerit, & in vocem accusantis eruperit, nec statutum percipiet numerum solidorum, nec eum qui se tali dedecore sociauerit, coniugio ipsius, reclamante eo iubemus addici, quia iustum est vt actuum suorum vilitate confusa, nec matrimonio sit digna nec præmio.* Et titulo sexagesimo octauo. *Si adulterantes inuenti fuerint, & vir ille occidatur & femina.* Titulo quinquagesimo secundo dato die quarto Kalendas Aprilis Agapito Consule, Sigismundus examinato criminali negotio, quod inter Fredegiselum Spatharium & Balthamodum, necnon Aunegildem erat, sententiam dixit, quam instar mansuræ in æuum legis præcepit custodiri. Aunegildis post mariti prioris obitum in sua potestate consistens se Fredegiselo non

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

solùm ex parentum consensu, verùm etiam proprio arbitrio & voluntate donauit, & maiorem nuptialis pretij partem sponso adnumerante percepit, fidémque placiti libidinis ardore succensa disrumpens ad Balthamodi non tam vota cucurrit, quàm ad consuetum flagitium remeauit, atque ob hoc non aliter tantum crimen tantúmque dedecus libertatis, quàm sanguinis sui effusione debuit expiare. Tamen districtioni publicæ dierum Paschalium reuerentiam præponens iussit Sigismundus, vt Aunegildis diuino humanóque dehonestata iudicio, pretium, hoc est C C C. solidos Fredegisclo coacta dissolueret. Nec Balthamodum quidem ab ipsius damnationis merito segregauit, qui mulierem alterius coniugio debitam præsumpsit accipere. Mortem causa poscebat. Sed sententiam regiam ab interitu eius sub hac conditione sanctorum dierum consideratio reuocauit, vt nisi cum aliis vndecim euidentia præberet sacramenta, quibus affirmaret sese eo tempore, quo ipsi Aunegildis, quasi vxoris iure coniuncta est, ignorasse quòd Fredegisclo iam fuerat obligata, pretium suum, hoc est C L. solidos Fredegisclo non moraretur exsoluere, quòd si iuraret, neque damnum neque periculum pateretur. Sed ne quemquam deinceps ad exercendum tanti facinoris ausum permissæ tunc compositionis temperamenta sollicitarent, iussit idem Rex, vt quoscumque similis facti reatus æquaret, ij non tam dispendia sustinerent facultatum, quàm capitis amissione plecterentur. *Rectius est enim*, inquit, *vt paucorum condemnatione multitudo corrigatur, quàm sub specie incongruæ inciuilitatis intromittatur occasio, quæ licentiam tribuat delinquendo.*

XL. FLAGITIA DEVTERIÆ.

Hoc anno Theodobertus Rex statim ac Theodorici patris regnum obtinuit, misit Aruernum, Deuteriam, quacum luxuriosè iam vixerat, *exinde accersiuit, eámque sibi matrimonio sociauit*, vt obseruat Gregorius Turonensis [a], sed cùm Deuteriæ maritus apud Biterras adhuc viueret, illa legitimas cum Theodoberto nuptias contrahere non potuit. Idem Auctor [b] aliud eiusdem fœminæ crimen enarrat, quod paulò pòst Viroduni peractum est, absente Theodoberto Rege, & Burgundicis rebus, vt coniicimus, cum patruis occupato. *Deuteria*, inquit, *cernens filiam suam valdè adultam esse, timens ne eam concupiscens Rex sibi adsumeret, in Basterna positam indomitis bubus coniunctis eam de ponte præcipitauit, quæ in ipso flumine spiritum reddidit. Hoc apud Virodunum * ciuitatem actum est.* Hæc sunt flagitia impudicarum mulierum, quarum contubernium nemini tutum, certè si non proli, nec adultero.

[a] Lib. 3. c. 23.

[b] Lib 3. c. 26.

* *Verdun.*

XLI. ARNVLPHVS MARTYRIO CORONATVR.

Arnulphus Episcopus quondam Turonensis, auditâ beati Remigij morte Remos aduenit, *dum verò quàdam nocte*, vt Auctor vitæ apud Ioannem Boscium enarrat, *ad sepulchrum sancti Remigij iter capere orationis vigilantiâ decreuisset, sponsa sua serui eum in trivio, sicut mos est malignos bonis inuidere, fustibus & gladiis appetierunt, & quidam cultello caput eius percussit, æstimantésque eum verè mortuum, seminiuum reliquerunt, sed tandem palpitante spiritu, domna Scariberga iamdudum ei desponsata accelerans fleuit amarè, & spopondit se nunquam corpus eius relaxare diebus vitæ suæ. Cui sub tali conditione beatus Arnulphus imponens velum perpetuæ scilicet sanctitatis & castimoniæ indicium, commonuit eam de præmio virginitatis & de gloria sempiternæ fœlicitatis, conteſtans ei vt corpus eius cum aromatibus conderet, & Taronis, vbi Episcopus ordinatus fuerat, procuraret cum sarcophago in vno conducere plaustro.* Quid verò secutum sit, ita narratur in Breuiario [c] Parisiensi. *Corpus diuino nutu medio itinere fixum stetit, & in sylua Aquilina agri Carnotensis, loco qui nunc Sanctus Arnulphus * dicitur, honorificè humatum est cum sponsa sua Scariberga, quæ ibi sanctimonialem vitam maximâ districtione laudabiliter consummauit.* Sanctus Arnulphus Martyrium subiit decimo-quinto Kalendas Augusti, quo die in Martyrologio Romano legitur nomen alterius Arnulphi, qui Pontificatum Metensem longè serius gessit.

[c] Die 18. Iul.

* *S. Arnoul.*

XLII. FIDOLVS ABBAS CONSTITVITVR.

His circiter temporibus in Tricassinâ Diœcesi Auentinus Abbatis officio sponte abdicato suffectóque successore Fidolo secessit in eremum prope Ver-

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

rerias. Quâ occasione Fidolus adhuc adolescens accesserit ad Insulæ * Monasterium quod Auentinus regebat, ante nouennium ex ipsius Fidoli vitâ retulimus; quomodò Auentino in solitudinem abeunti subrogatus fuerit in regimen cœnobij sic prodit eiusdem vitæ scriptor, *Cernens vir venerabilis Auentinus egregium iuuenem in dies magis ac magis ad virtutum alta conscendere, vnanimi fratrum consilio, præpositura ei locum deleganit, vt tantò securiùs orationi & diuinæ contemplationi posset insistere, quantò sciret eum nihil extra communis regulæ ordinem agere vel iubere. Cùm verò superna pietas & beatum Auentinum propter innumeros agones, quos vt miles Domini inuictus fortiter superauerat, de huius seculi peregrinatione vellet eruere, & fidelis sui Fidoli * vitam ad exemplum mortalibus monstrare, quatenus lucerna super candelabrum posita omnibus in domo Domini luminis sui radios ostenderet, supermemoratus seruus Dei gratiâ inspirante, anachoreticæ vitæ accensus est desiderio, vt curis omnibus absolutus, liberiùs adhærere posset Deo. Vocatus ergo extemplò discipulis, cùm desiderium, quo flagrabat, aperuisset, concordi omnium assensu Sanctum Fidolum, licet multùm renuentem, licet admodum reclamantem, ætatisque suæ caussam humiliter prætendentem, pro se illis ordinauit Abbatem. Deinde secedens ad locum quemdam, iuxta vicum, cui antiquitas Insulæ nomen dedit, super ripam Sequanæ situm, ab vrbe Trecassinâ sex ferè distantem passuum millibus, vsque ad vitæ suæ terminum in eodem mansit solitarius.* De locis, in quibus habitauit Auentinus, alibi disseruimus; Insulæ Monasterium, cui Fidolum præficiendum curauit, diù rexit septimo ab vrbe Tricassinâ milliario, atque inde digressus vitam in eremo clausit prope Verrerias * septimo pariter milliario à prædictâ ciuitate.

* *Ille.*

* *Fale.*

* *Verrieres.*

XLIII. ATALARICVS R. GOTHOR. MORITVR.

Hoc anno, *Atalaricus* Ostrogothorum Rex *tabe exesus obiit, cùm in regno annos octo vixisset*, vt Procopius [a] testatur. *Tum mater* Amalasuntha, *ne pro sexus sui fragilitate à Gothis sperneretur, Theodatum consobrinum suum*, Theodorici quondam Regis ex sorore Amalafredâ nepotem, *germanitatis gratiâ accersitum à Thusciâ, vbi priuatâ vitâ degens in laboribus propriis erat, in regnum collocauit. Qui immemor consanguinitatis, post aliquantulum tempus à palatio Rauennate abstractam, in insulam laci * Bulsinensis eam exilio releganit. Vbi paucissimos dies in tristitiâ degens, ab eius satellitibus in balneo est strangulata.* Hæc breuiter Iornandes [b], habet plura Procopius [c]. Cædem autem Amalasunthæ Iustinianus Imperator vt doluit sic est vltus, indèque nata semina duodeuicennalis belli, quod legitur quatuor libris copiosè descriptum ab eodem Procopio, qui Belisario Cæsarei exercitus Duci Consiliarius adfuit. Quæ pertinere videbuntur ad nostrum institutum, suis locis exscribemus.

[a] Lib. de bell. Goth c. 4.

* *Le Lac de Bolsene.*

[b] Lib. de reb. Getic.

[c] Lib. 1. de bell. Goth. c. 4.

XLIV. FABVLÆ DE AMALASVNTHA.

Multa de Amalasunthâ eiusque matre ac marito déque Theodato fabulosè scripsit Gregorius Turonensis libro tertio Historiæ Ecclesiasticæ, capite triceſimo-primo. Totum commentum distinguemus in articulos quinque.

XLV. REFVTANTVR.

Primò, Gregorius Theodorico Gothorum Regi, cui soror Clodouei Regis nupserat, *paruulam filiam cum vxore* superstitem constituit. Obiit Theodoricus Indictione quartâ, Olybrio Consule, anno Christi quingenteſimo viceſimo-ſexto. Non habemus Auctorem, qui designet annum, quo coniux Theodorici decessit, altum est de eâ silentium sub Athalarico, qui post Theodoricum auum haud tranquillè regnauit, atque inde colligere est ipsam auiam priùs interiisse. Quicquid sit de Theodorici Regis vxore, Gregorius in ætate filiæ denotandâ turpiter errauit. Amalasuntha *paruula filia* vocari non potest ad annum quo patrem amisit, nam viro tradita fuerat in vxorem ante annos vndecim teste Cassiodoro sub Consulatu Florentij & Anthemij, imò cùm orbata est patre, vidua iam erat, filiúmque habebat Athalaricum annorum aut octo iuxta Procopium [d], aut etiam decem iuxta Iordanem [e].

[d] Lib. 1. de bell. Goth. c. 2.

[e] De reb. Getic.

XLVI.

Secundò, si Gregorio fides est, Amalasuntha, *cùm adulta facta esset, per leuitatem animi sui, relicto matris consilio, quæ ei Regis filium prouidebat, seruum suum Trauilanem nomine accepit, & cum eo ad ciuitatem, quâ defensari possit, aufugit.* Hanc fabellam manifestissimè refellit Cassiodorus in suo Chronico.

nico. Ad annum enim Christi quingentesimum decimum-quintum, quo Florentius & Anthemius Consulatum gesserunt, ita scribit. *Hũ Coss. Dominus Rex Theodericus filiam suam Dominam Amalasuintam glorioſi viri Domini Eutharici matrimonio, Deo auſpice, copulauit.* Deinde anno pòst tertio, quo Magnus Consulatum iniit, hæc habet. *Eo anno Dominus Euthariçus Cillica, mirabili gratiâ Senatus & plebis, ad edendum exceptus est feliciter Consulatum.* Tum anni sequentis Consules ponit ipsummet Eutharicum & Iustinum Augustum, eoque anno Chronicon suum absoluit, vt ad eundem annum Christi quingentesimum vndeuicesimum obseruauimus. Non ignoramus in multis editionibus Cassiodori desiderati Consulatum Anastasij & Agapiti & Consulatum Magni, quorum prior in annum Christi quingentesimum decimum-septimum, posterior in annum Christi quingentesimum duodeuicesimum incidit, sed correctiora secuti sumus exemplaria & Cassiodorum publicatum ac notis illustratum à Ioanne Cuspiniano, nec à Fastis Marcellini, Marij Victorisque recessimus. Amalasunthæ maritus, quem Gregorius Trauuilanem, abbreuiator Gregorij Fredegarius [a] Tranquillianum, Cassiodorus & Iordanus Eutharicum vocant, aut duplex sortitus est nomen, aut ex sententia Cassiodori ac Iordani, quorum auctoritas hoc loco Gregorianæ & Fredegarianæ præstat, Eutharicus tantùm appellari debet. Quis Eutharicus ille fuerit, docet Iordanus his verbis. *Amalaricum annũ Theodericus in annis puerilibus vtroque parente orbatum dum fouet atque tuetur, comperit Eutharicum Witerichi filium, Beremundi & Torismundi nepotem, Amalorum de stirpe descendentem, in Hispaniâ degere, iuuenili ætate, prudentiâ & virtute, corporisque integritate pollentem. Ad se eum facit venire, eique Amalasuentham filiam suam in matrimonio iungit.* Iampridem Gothi, cùm supra mare Ponticum sedes posuissent, diuisi fuerant in duos populos, & vt idem Auctor testatur, *Vesegotha familiæ Balthorum, Ostrogotha præclaris Amalis seruiebant.* Amala, qui nomen Amalis dedit, trinepotem habuit Achiulfum; hic quatuor liberos procreauit, Ansilam, Ediulfum, Wldulfum & Hermerichum: Wldulfi trineptis fuit Amalasuentha, Hermerichi trinepos Eutharicus. Illam Ostrogothorum Principum genealogiam sic exponit idem Iordanus. *Horum primus fuit Gapt, qui genuit Halmal, Halmal verò genuit Augis, at Augis genuit eum, qui dictus est Amala, à quo & origo Amalorum decurrit. Et Amala genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Vnilt, Vnilt genuit Athal, Athal genuit Achiulf, Achiulf, genuit Ansilam & Ediulf & Wldulf & Hermerich, Wldulf verò genuit Valerauans, Valerauans autem genuit Winitharium, Winitharius quoque genuit Theodemir & Walemir & Widemir, Theodemir genuit Theodericum, Theodericus genuit Amalasuentam, Amalasuenta genuit Athalaricum & Mathasuentam de Eutharico viro suo, cuius affinitati generis sic ad eam coniunctus est. Nam supradictus Hermericus filius Achiulfi genuit Hunnimundum, Hunnimundus autem genuit Thorismundum, Thorismundus verò genuit Berimund, Berimund genuit Widericum, Widericus genuit Eutharicum, qui coniunctus Amalasuentæ genuit Athalaricum & Mathasuentam.* In his immoramur, vt intelligas Amalasuntham seruo suo nusquam nupsisse, seu serui nomine vile mancipium ære emptum accipias, seu seruum interpreteris hominem priuatum, qui seruiebat Ostrogothis, id est, qui sub Ostrogothorum Principum potestate priuatam vitam ducebat. Eutharicus enim, qui duxit Amalasuntham, erat genere nobilissimus, ipsámque Amalasuntham cognatione contingebat, & procul ab Ostrogothorum ditione sub Rege Wisigothorum degebat in Hispaniâ, cùm à Theodorico Rege vocatus est in Italiam vt Amalasunthæ coniugio sociaretur.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

[a] Cap. 44.

Tertiò, Gregorius ait matrem Amalasunthæ, cùm filiam frustrà monuisset, vt à contubernio serui recederet, virumque de regio genere sibi deligeret, iracundiâ commotam belli ciuilis ducem fuisse, quo captus est vterque coniux à Gothis, qui marito vitam ademerunt, & vxorem reduxerunt XLVII.

AN. CH. 534. THEOD. CHILDEB. CLOTAR. RR. 23.

ad matrem. Sed hæ fabellæ sponte corruunt, Amalasuntha enim priùs orbata est marito quàm patre, qui, quandiu vixit, regnum solus administrauit, & moriens Athalaricum, suum ex Amalasunthâ filiâ nepotem, Ostrogothicarum ditionum hæredem reliquit. Quâ de re sic Iordanus. *Postquam ad senium peruenisset, & se in breui ab hac luce egressurum cognosceret, conuocans Gothos Comites gentisque suæ Primates, Athalaricum infantulum adhuc vix decennem filium filiæ suæ Amalasuenthæ, qui Eutharico patre orbatus erat, Regem constituit.*

XLVIII. Quartò, Gregorius scribit matrem Amalasunthæ à filia veneno enecatam fuisse, & Amalasuntham ob tantum crimen expuisam regno ab Italis, qui Theodato Tusciæ Regi se summiserunt. Per Italos intelligit Ostrogothos, qui latè per Italiam dominabantur. Theodatum, qui priuatam vitam in Thusciâ degebat, Regem Thusciæ perperam vocat. Fallitur quoque, cùm Amalasuntham damnat matricidij, spoliátque regno propter hoc flagitium in cuius suspicionem numquam venit. Amalasuntha post Athalarici filij mortem Theodatum vocauit è Thusciâ, spontaneâque voluntate propter generis affinitatem in solium sublimauit. Hæc ita Iordanus. *Dum ad spem iuuentutis Athalaricus accederet, tam suam adolescentiam, quàm matris viduitatem Orientis Principi commendauit, sed in breui infelicissimus immaturâ morte præuentus, rebus humanis excessit. Tum mater ne pro sexus sui fragilitate sperneretur, secum deliberans, Theodatum consobrinum suum germanitatis gratiâ accersitum à Thuscia, vbi priuatâ vitâ degens in laboribus propriis erat, in regnum collocauit.* Eadem fusiùs enarrantur apud Procopium [a].

[a] Lib. 1. de bell. Goth. c. 4.

XLIX. Quintò, si Gregorius à verò non recessit, auditâ morte Amalasunthæ, Childebertus, Clotarius & Theodobertus, Reges Francorum, Theodato per legatos denuntiarunt regnum se ei ac vitam eodem mortis genere ablaturos, nisi homicidium satisfactione lueret, confestimque à Theodato perterrito quinquaginta millibus aureorum placati sunt. Childebertus autem, qui semper ad decipiendum Clotarium fratrem præ inuidia paratissimus erat, pecuniam illam cum Theodoberto nepote diuisit, & Clotarius thesauris Chlodomeris iniectâ manu rapuit multò plura his, quibus à Childeberto fratre, fratrísque Theodorici filio Theodoberto fraudatus fuerat. Verùm quàm falsa sint ista, docet Procopius [b], sic enim scribit de viginti millibus aureorum, quibus Theodatus anno sequenti, Iustinianum Imperatorem veritus, amicitiam Regum Francorum ambiuit. *Gothorum Rex, de Belisary in Siciliam aduentu certior factus, cum Germanis*, id est, cum Francis *paciscitur, vt ipsi eorum Reges ad hoc bellum auxilio veniant, vbi Galliæ partem, in ditione Gothicâ sitam, ac aureorum viginti millia acceperint. Verùm is vitæ fatum priùs impleuit quàm pacta conuenta.* Hæc à narratione Gregorianâ plurimùm differunt. Deinde quis credat Childebertum & Clotarium ad hæc vsque tempora per annos octo à diuidendis inter se thesauris Chlodomeris abstinuisse?

[b] Lib. 1. de bell. Goth. c. 13.

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

ANNVS CHRISTI 535. CHILDEBERTI R. 24. CLOTARII R. 24. THEODOBERTI R. 1. INDICTIO 13.

I.

ANNO Christi quingentesimo tricesimo-quinto, Indictione decimâ-tertiâ, Belisarius Consulatum [a] iniit, & vt Marius obseruat, *eo anno quo Consulatum gessit, Siciliam ingressus, eam Imperio Romano restituit.* Is primus annus fuit belli Gothici, quod à Procopio describitur. Iustinianus Imperator Mundum Illyriorum Præfectum in Dalmatiam misit, & Belisarium cum classe in Siciliam direxit. *Tum quoque*, vt idem Procopius [b] asserit, *ad Francorum Principes legationem cum his literis misit. Quoniam Gothi non modò Italiam, quam habent, ditioni nostræ ereptam vi, restituere nolunt, sed iniurias etiam nobis nec mediocres, nec tolerabiles imposuerunt non lacessiti, ipsis bellum inferre coacti sumus. Nobiscum vos id suscipere conuenit, quod commune facit cùm germana religio, erroris Ariani expultrix, tum odium quo æquè vt nos dissidetis à Gothis. Hæc scripsit Imperator, quibus amplum pecuniæ munus addidit, plura pollicitus daturum se, rem aggressis. Illi socia arma lubentissimè promiserunt.* Nihil etiam omisit Rex Ostrogothorum Theodatus, vt Francos ad suas partes alliceret. Adeò formidolosum Francicæ gentis nomen tunc fuit, vt is populus victorem se fore putaret, qui Francos amicos auxiliatésque nanciscerctur. *Theodatus Gothorum Rex*, inquit idem Procopius [c], *de Belisary in Siciliam aduentu certior factus, cum Germanis (* sic Francos vocat*) paciscitur, vt ipsi eorum Reges ad hoc bellum auxilio veniant, vbi Galliæ partem in ditione Gothica sitam & aureorum viginti millia acceperint. Verùm is vitæ fatum priùs inuenit, quàm pacta conuenta*, vt dicemus anno sequenti.

[a] Marius, Victor.

[b] Lib. 1. de bell. Goth. c. 5.

FRANCORVM AMICITIAM AMBIVNT. IMPERATOR ET OSTROGOTHI.

[c] Lib. 1. de bel. Goth. c. 13.

II.

Ad initia Principatus Theodoberti adhuc adulteri pertinet insigne miraculum, quod de Nicetio Treuirorum Episcopo narrat Gregorius Turonensis [d] his verbis. *Cùm Theodorici decedente Theodobertus filius eius regnum ambisset, acmulta iniquè exerceret, & ab eodem plerumque corriperetur, cur vel ipse perpetraret vel perpetrantes non argueret, aduenit dies Dominicus, & ecce Rex cum his qui ab hoc Sacerdote communioni abesse iussi fuerant, Ecclesiam est ingressus. Lectis autem lectionibus quas Canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos. Non hîc hodie Missarum solennia consummabuntur, nisi communione priuati priùs abscedant. At Rege renitente, subitò exclamat vnus de populo arreptus à dæmone puer inuenis, cæpitque voce validâ inter supplicia torturæ suæ, & Sancti virtutes, & Regis crimina confiteri, dicebátque Episcopum castum, Regem adulterum; illum timore Christi humilem, hunc gloriâ regni superbum; illum Sacerdotio impollutum à Deo in posterum præferendum, hunc ab auctore sceleris sui velociter elidendum. Cúmque Rex timore concussus peteret vt hic energumenus ab Ecclesia eiiceretur, dixit Episcopus. Priùs illi qui te secuti sunt, id est, incestuary, homicidæ, adulteri, ab hac Ecclesia extrudantur, & hunc Deus silere iubebit. Et statim Rex iussit omnes hos, qui Sacerdotis sententiâ damnati fuerant, egredi ab Ecclesia. Quibus expulsis iussit Sacerdos dæmoniacum foras extrahi, sed cùm apprehensâ columnâ euelli à decem viris non posset, Sanctus Dei*

[d] De vit. patr. cap. 17. NICETIVS EP. TREVIR. MIRACVLO INSIGNIS.

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

sub vestimento suo, propter iactantiam, faciens crucem Christi contra dæmonem, relaxari præcepit. Qui protinùs corruens cum his, qui eum trahere nitebantur, post paululum sanus erectus est.

Archidiaconus Treuirensis ex eorum numero fuit, quos Nicetius Episcopus accusauit adulterij, séque sacramento ad Sancti Maximini Treuirensis quondam Antistitis tumulum purificari expetiit. *Ingressus primùm cryptæ limen*, vt Gregorius Turonensis testatur [a], *restitit quasi stupens. Dehinc descendens per gradus, ad aliud ostium venit. Cúmque ad tertium accedere vellet, protinùs febre correptus, gressum amplius figere non audens, crimen quo imputabatur, in discrimine mortis positus, est confessus, deprecans populum vt pro se vel sancti Antistitis, vel Episcopi sui suffragia flagitaret, sed statim vt confessus fuit, ab impulsu febris erutus, sui Antistitis est in charitate receptus.* Ad sepulchrum Sancti Maximini plerumque contingebat, vt periuri grauiter punirentur. Sub idem tempus, regnante Theodoberto, vt Gregorius iam laudatus affirmat. *Arbastes quidam Presbyter cum Franco quodam contendebat, ac dum hæc agerentur, Rex loca vrbis sancta, quæ sub vrbis illius vicis habentur, causâ visitabat orationis. Cum autem videret Rex persecutionem Presbyteri esse callidam, conuersus ad eum, ait; Si vera sunt, inquit, quæ prosequeris, hoc super tumulum Maximini Antistitis sacramento confirma. Audeo hæc, ait Presbyter, quæ præcipis adimplere, & statim manus ponens super sanctum sepulchrum, dixit. Huius Sancti virtute opprimar, si aliquid falsi loquor de his quæ persecutio mea contra hunc Francum insistit. Fremente autem barbaro, & quasi contra Sanctum Dei furibundo, egressi sunt de Basilica, cúmque per viam pariter pergerent, subitò delapsus Presbyter solo pessundedit, & mortuus est. Laudauítque deinceps barbarus virtutem Sancti, cui priùs detraxerat.*

III. PERIVRI AD SEPVLCHRVM S. MAXIMINI PVNIVNTVR.

[a] De gl. Conf. cap. 93.

IV. [*] Trier.

Nicetius Treuirensis Episcopus Aredium * puerum patriâ Lemouicensem in Palatio Theodoberti Regis aliquando intuitus, cùm nescio quid diuinum in eius vultu cerneret, præcepit ei se sequi. Ille Palatio Regis relicto secutus est eum. *Cúmque ingressi cellulam de his quæ ad Deum pertinent confabularentur, expetiit adolescens à beato Sacerdote se corrigi ab eo ac doceri, ab eo imbui, ac in diuinis voluminibus ab eodem exerceri. Cúmque in huius studij flagrantia cum Antistite memorato degeret, tonsorato iam capite, quádam die, psallentibus Clericis in Ecclesia, descendit columba à camera, quæ leuiter volitans circa eum resedit super caput eius, illud indicans, vt opinor, eum Spiritus sancti gratiâ iam repletum. Quam cum ille non sine pudore conaretur abigere, hæc paululùm circumuolans iterum super caput eius, aut super scapulam residebat, quæ non modò ibi, sed etiam cùm in cellulam Episcopi ingrederetur, iugiter commanebat cum eo. Quod per dies plurimos factum, non sine admiratione Episcopus intendebat. Exinde vir Dei Spiritu sancto repletus ad patriam genitore ac germano defunctis regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. Deinde cùm ieiuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domus, id est, siue correctio familiæ, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum ad eam aspiceret, ne huic viro aliquod accidere impedimentum, quo ab oratione cessaret, vnum sibi tantùm priuilegium vindicans, vt ad Ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit templa Dei in honore Sanctorum, expediítque eorum pignora, ac ex familia propria tonsoratos instituit Monachos, Cœnobiumque fundauit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basily vel reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam impleuerunt, celebrantur Regula, beatâ muliere victum atque vestitum singulis ministrante. Nec minùs hæc tamen impedita hoc onere in Dei laudibus perstrepebat, sed assiduè, etsi quiddam operis exerceret, semper orationem Domino tanquam odorem incensi acceptabilis offerebat. Interea ad sanctum Aredium cœperunt infirmi confluere, quos, manus singulis cum vexillo crucis imponens, sanitati reddebat. Quorum si singillatim nomina scribere velim*, inquit Gregorius Turonensis [b], *nec numerum percurrere valeam, nec vocabula memorare. Vnum tamen noui, quod quicumque ad eum ager aduenit, sospes abscessit.* Ægri sæpiùs sanita-

AREDIVS FIT CLERICVS.

[b] Lib. 10. c. 29.

tem recuperarunt etiam ad ſepulchrum quo Pelagia pia mater Aredij condita fuit. Id teſtatur idem Gregorius in libro [a] de gloria Confeſſorum. Vixit Aredius vſque ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum primum, vt ſuo loco probaturi ſumus. Inter Theodoberti Regis Cancellarios, quia iunior tunc erat, locum obtinere nequit, cùm igitur in Breuiario Sancti Martini Turonenſis aut alibi legis illum Theodoberti Cancellarium extitiſſe, vel phraſim illam abrade, vel inferiori quodam officio ſub ipſo Cancellario ſeu Referendario defunctum interpretare.

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. I.

Erat in aula Theodoberti Regis alter adoleſcens Deo percharus, cuius vitam deſcribemus ex lectionibus quæ in illius Natali leguntur, & ex fragmento quod Philippus Labbeus ſub Theodoberto Rege in tractatu de Cancellariis edidit. *Beatus Valentinus in Latienſi ſuburbio Lingonenſium oriundus fuit, parentibus nobilibus ortus, trahens ex paterni generis ſanguine originem à Romanis. Cuius pueritia futuram virtutem iam tunc præclarâ indole depingebat. Per idem tempus Theodobertus Rex vnà cum fratribus* (lege cum patris fratribus) *Francorum Regnum potenter regebat. Sub quo Palatinam militiam in adoleſcentia pro dignitate parentum adminiſtrauit. Cùm viginti eſſet annorum coactus à parentibus filiam Pallady cuiuſdam nobilis Tricaſſinæ vrbis ſibi deſpondit eo pacto vt foret poſt quinquennium eius nuptias petiturus. Iámque expleto quinquennio inſtabat dies nuptiarum. At verò egregius iuuenis, cui ingratæ nuptiæ parabantur, vlteriùs propoſitum animi diſſimulare non valens, nec tanta parentibus confiteri præſumens, fugam iniuit nullo conſcio in domo paternâ, atque in quadam ſpelunca, quam vulgò furnum calcis vocitant, ſeſe abdens delituit. Quod vbi compertum eſt, vehementer conturbati amicos familiámque vndique ad inueſtigandum dirigunt. Qui peragratis finitimis locis nec reperto domum reuerſi, pronuntiant quia numquam inueniri potuerit. Tunc verò pater nimiâ indignatione commotus, ipſe ad inueſtigandum eum cum canibus properat, vt ſaltem canum ſagacitate profugiens reperiretur, quem hominum induſtria inuenire nequiret. Nec eum fefellit opinio. Nam tandem reperit ſponſum fugitiuum in prædicta ſpelunca deliteſcentem. Quem primùm vehementer quia talia egerit obiurgat, ac poſt de nuptiis admonet. Cui venerabilis iuuenis humiliter votum profitetur, & quia vxorio vinculo ſe adſtringi non pateretur qui eſſet vinculo diuinæ ſeruitutis adſtrictus, inſinuat. Cuius virtutem miratur pater, nec eum deinceps de carnali copula admonet, cuius mens gaudens caſtitatis dulcedini aſpiraret, &c. Denique venerabilis Valentinus remotiorem vitam eligens montem domui patris vicinum, qui etiam patris erat fundus, elegit, qui idcircò placuit quòd vndique paludibus munitus non facilè præberet acceſſum. In honorem Apoſtolorum paruulam Baſilicam adificauit, ex qua idem mons hodiéque Eccleſiola * nuncupatur, in qua iugiter vigiliis & orationibus excubans merito ſuarum virtutum ab Epiſcopo Lingonenſium Presbyter ordinatus eſt.* Paucis pòſt annis vixit, & ad Deum migrauit Theodoberto Rege adhuc ſuperſtite, Theodobertus enim laudatus reperitur, quia poſt eius obitum *cùm comperiſſet quòd maiori ambitu ſuper corpus ſancti viri Baſilicam conſtrueret Lingonenſium Epiſcopus, eidem in adiutorium operis quinquaginta ſolidos per Antidium Cancellarium miſit. Qui diabolicæ cupiditatis fraude deceptus decem ex illis furtim ſibi retinuit, ſtatímque diuinâ vltione percuſſus & membris omnibus diſſolutus ante ſepulchrum ſancti viri ſe deferri iuſſit, ibíque confeſſus furtum, quod improbè commiſerat, duplo tantùm, id eſt, ſolidos viginti eidem Eccleſiæ annis ſingulis ſe collaturum eſſe promiſit. Et ſic tandem indulgentiam & ſanitatem meritis ſancti Valentini conſequutus, incolumis reuertitur, reddens annos ſingulos quod vouerat.* Sex milliaribus à ciuitate Lingonenſi diſtat ſpelunca, in qua Valentinus delituit. Prope illam ſub eiuſdem S. Valentini nomine conſtructa fuit Capella, cuius hodie ſola ſuperſunt rudera, proceſſiones tamen annuâ die fiunt è vicinis locis magno populi concurſu. Locus, in quo Beatus Valentinus requieſcit, per omnia congruit his quæ ſuprà deſcripſimus. Mons eſt, in cuius faſtigio æqua planicies, paludibus foſſiſque profundis vndique cincta, decem circiter iugera terræ complectitur. Illic vi-

[a] Cap. 104.

V. GESTA S. VALENTINI.

* Griſelles.

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

suntur maceriæ cùm muniti quondam castri tum Prioratus Beati Valentini Ecclesiæ olim contigui. Antiquitatem redolet Ecclesia, sub cuius absîde crypta est in quam per gradus descenditur. Cryptam illam, vt opinamur, Beatus Valentinus aut inhabitabat aut Ecclesiam fecerat. Illic humantu eius ossa. Tumulus erat olim in medio cryptæ, vt facilè apparet ex pauimento, quod in spatio tumuli nullum est. Iam murum dextri lateris contingit, altus est sex pedes, duobus constat lapidibus, quorum alter qui melioris est antiquitatis alteri supponitur, hic autem arcæ similitudinem refert, in cuius supercilio Crux insculpta cernitur, in basi Petrus & Paulus Apostoli, in ea verò parte, quæ aram cryptæ spectat, Dei Patris effigies in nube, sub quâ viri cuiusdam & mulieris genua flectentium imagines conspiciuntur, omnia operis satis vetusti. Beatus Valentinus in Ecclesia pingitur cum palmâ, Draconemque pedibus proculcat. Medetur serpentum morsibus. Anniuersariâ memoriâ celebratur quarto Nonas Iulij. Plurimarum Ecclesiarum patronus agnoscitur in vicis circumiacentibus, colitúrque sub hac oratione. *Deus, qui hodiernam diem Beati Valentini Confessoris tui sacro transitu consecrasti, concede nobis propitius per eius instituta gressibus pergere, vti eiusdem in regione viuentium mereamur gaudiis admisceri*, &c.

VI. ROMANVS EP. REMENS. MORITVR.

In Martyrologio Gallicano, pridie Kalendas Martij ponitur *Remis depositio sancti Romani Episcopi & Confessoris*, cuius Pontificatus biennium non excessit, nam successor Flauius hoc ipso anno, vt inferiùs ostendemus, Aruernensi Concilio subscripsit *die* VI. *Idus Nouembris*, & antecessor Remigius ad annum Christi quingentesimum tricesimum-tertium peruenit. Apud Andream Sausaium Sanctus Romanus in cælestem dicitur emigrasse mansionem *post faustum & celebrem Pontificatum, cùm beatam Chrotildem Reginam in Basilicâ Sanctæ Genouefæ, & Childebertum Regem in ade sancti Vincenty ad muros regiæ vrbis tumulasset*, sed Clotildem eiusque filium Childebertum Sancto Romano superstites vixisse liquidò constat. Sanctus Romanus prædicatur ab eodem Auctore Monachus Iurensis priusquàm Diœcesim Trecensem adiret, & consobrinus Vigilij Papæ, quibus de rebus altum silentium apud ceteros Scriptores.

VII. LAVS LEONIS ABBATIS MENTVNIAC. * *Mantenay.*

Quanto tempore post obitum sancti Romani vixerit illius discipulus Leo Abbas Cœnobij Mentuniacensis, non liquet. Quapropter eiusdem Leonis vitam à Camuzato in Miscellaneis Historicis & à Desguerrois in Historiâ Ecclesiasticâ Diœceseos Tricassinæ sub Pontificatu sancti Vincentij publicatam hîc subiiciemus. Mentuniaci * natus est ex parentibus liberis, illic Monachum induit sub disciplinâ sancti Romani, quo in Episcopum Remensem electo factus est Abbas eius Monasterij vt ante biennium iam obseruauimus. *Erat in castitate & abstinentiâ purissimus, in ieiuniis & orationibus promptissimus apparebat, tantámque in se habuit charitatem, & benignitatem fidei, & puritatem mentis, vt virtutum eius insignia in opere resplenderent. Nocte igitur quadam dum soporatus quietem caperet, venerunt ad eum tres viri splendidi, claro fulgentes lumine, psallentes voce vnanimi dulce carmen. Enigilans autem vir Dei ad pedes eorum prosternitur adorans eos, eorúmque vestigia deosculans voce sedulâ cum tremore & metu obnixiùs illos alloquitur dicens, vnde estis? At illi dixerunt. Corrobora vires tuas, noli timere. Dixit autem vnus ex eis. Ego sum Hilarius peccator, & isti sunt Sanctus Martinus & Beatus Anianus. Quapropter fili, naues remique subuersione fluctuum periclitantur, quos auxiliante Deo liberare venimus. Vnde & cùm ad te tertiâ die reuersi fuerimus ad spiritalem locum nobiscum eris iturus. Itaque vt certiùs credas, vir venerabilis Maurelius Presbyter ab hac luce præreptus migrauit ad Dominum. Igitur secundâ die primo diluculo surge, & cum eâ laude quâ dignus est sepeli eum in Basilicâ sancti Vrsionis. Tunc ille pergens velociter, quod ei dictum fuerat fideliter adimpleuit, & reuersus est ad Monasterium suum. Intereâ Sacerdotes sicut prædixerant venerunt & dicunt ei. Adsumus, vocati ad spiritale conuiuium. Veni nobiscum. Respondens autem beatus Leo*

dixit. Rectum iter Domini mei pergere poteram, si vobiscum ad eundem locum me praparassem. Deprecor igitur vt mihi triduo inducias tribuatis, vt quod pollicitum habeo adipisci merear mortiferum vestimentum. Quod autem petiit obtentum habuit. Mox verò vir egregius ad illustrem fœminam nepotem suum direxit. Iussum tibi, ait, edisseram, domina. Iam enim pater noster deserens mundi lumina festinat vt lumen coruscum euocatus percipiat in futurum. Quapropter obsecro vt (quod deuotio promiserat) vestimentum ei transferas funerale. At illa respondens, heu, ait, ô pater mi, stulta & mendax apparui. Quoniam illius obitum tardiùs sperabam, ideo quòd auo grauis non erat, non illud parani. Sed expecta obsecro tres tantùm dies & ego præparabo. Illa eum triduo retinuit, & expletum lethalem habitum transmisit. At verò beatissimus Leo recepto vestimento migrauit ad Dominum. Natalis sancti Leonis * celebratur octauo Kalendas Iunias in tabulis Ecclesiasticis & in Martyrologio Benedictino, tamen Hugo Menardus libro secundo suarum obseruationum *non ita certum* esse ait *an fuerit Benedictinus*, satius fuisset nomen expungere, quia sanctus Leo antiquior est beato Mauro ordinis Benedictini cis Alpes primo fundatore.

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

* S. Lyé.

VIII. CONCIL. ARVERN.

Hoc anno celebratum fuit Concilium Aruernense, habitum est enim *consentiente Rege Theodeberto*, qui regnare cœpit anno superiori, & Honoratus Bituricensis Episcopus, qui *die* VI. *Idus Nouembris* subscripsit, obiit anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto. Missam facimus temporis notam quam neoterici sumunt à Consulatu Paulini Iunioris, suppositiam enim putamus.

IX.

Ex solis ditionibus Theodoberti Regis conuenerunt ad Aruernense Concilium Episcopi, idque patet ex ipsâ præfatione quæ Canonibus ita præfigitur. *Cùm in nomine Domini, congregante sancto Spiritu, consentiente Domno nostro gloriosissimo piissimóque Rege Theodeberto, in Aruernâ vrbe sancta Synodus conuenisset, ibique flexis in terram genibus, pro regno eius, pro longæuitate, pro populo Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regnum eius Dominus noster felicitate attolleret, imperio regeret, iustitiâ gubernaret, in Ecclesiâ ex more consedimus, inspectisque Canonibus, id nobis rationabile visum est, vt quamuis Ecclesiasticæ regulæ penè omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur noua vel repeterentur antiqua.* Quemadmodum Patres Concilij Aurelianensis primi in suis literis ad Clodoueum & in præfatione suorum Canonum ipsum Clodoueum vocarunt Regem glorioſissimum, & Patres Concilij Aurelianensis secundi in præfatione suarum constitutionum filios Clodouei pariter Reges glorioſissimos nuncuparunt, ita Patres Concilij Aruernensis Theodebertum Clodouei nepotem Regem glorioſissimum appellant. Quòd autem piissimum æquè dicunt, cùm adulteræ feminæ contubernio vteretur, id non ex meritis Theodoberti profectum arbitrare, sed ex consuetâ nomenclaturâ, cuius exemplum habes in actibus Apostolorum [a], vbi sanctus Paulus Porcium Festum hominem ethnicum, quia magistratum gerit, Optimum vocat, *non insanio, inquit, Optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.* Eo modo Sanctus Dionysius Episcopus Alexandrinus qui summæ vir eruditionis, ac multis confessionibus clarus, & pro passionum tormentorúmque diuersitate conspicuus in tabulis Ecclesiasticis die decimâ septimâ Nouembris prædicatur, in literis quibus suum cum Æmiliano Præfecto congressum describit, Valerianum & Galienum gentiles Imperatores & Christiani nominis acerrimos hostes, apud Eusebium [b] Δεσπλιανὸν nominat. Et vt ad Theodeberti Regis tempora propiùs accedamus, Theodoricus Rex Ostrogothorum Arianus in actis tertiæ Synodi Romanæ sub Symmacho Papâ Piissimus ac Sanctus dicitur.

[a] Cap. 26.

[b] Lib. 7. c. 10. edit vulg. c. 11. edit. Vales.

X. LITERÆ AD THEODOB. REG.

Episcopi qui conuenerunt ad Synodum Aruernensem, hanc epistolam Theodeberto Regi scripserunt, vt Clerici aliique, qui Regum aliorum dominio subiacebant, possessionibus, quas in eius regno iure obtinebant, non fraudarentur. *Domino inlustri atque præcellentissimo domno & filio Theodeberto*

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

Regi, Honoratus, Hilarius, Gregorius, Ruricius, Nicetius, Flauius, Domitianus, Deuterius, Gallus, Dalmatius, Venantius, Gramatius, Lupus, Hesperius & Desideratus, Episcopi. Dum in Aruernâ vrbe ad replicanda Canonum instituta, vel studio elucidandæ legis Ecclesiasticæ, his qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forsitan premebantur, cultores vestri, Ecclesiarum vestrarum Episcopi, pariter sederemus, plurimorum ad nos suæ desperationis remedium flagitantium turba confluxit, sperantes vt non minùs pro Regni vestri felicitate, quam pro suâ consolatione pietatem vestram nostra humilitas exoraret, & per suggestionem nostram iustitiæ & pietatis vestræ auribus intimaretur, vt nullum de rebus vel possessiunculis propriis alienum pietas vestra permitteret, & dum vnius Regis quisque potestati ac dominio subiacet, in alterius sorte positam cuiuscunque, vt assolet, impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de vestri culminis iustitiâ & pietate fidentes, non credimus denegandum, vt dum plurimorum necessitatibus iustâ, vt credimus, & Deo placente suggestione consulimus, prosperitatem Regno vestro, & repræsentationem cælestis Domini per indultam pietatis gratiam augeatis. Vnde reuerentissimè, vt dignum est, supplicantes quæsumus, vt hoc nostræ petitioni diuino intuitu pietas vestra non deneget, vt tam rectores Ecclesiarum, quam vniuersi Clerici atque etiam seculares, sub Regni vestri conditione manentes, necnon ad dominorum Regum patruorum vestrorum dominium pertinentes, de quod in sorte vestrâ est, extraneos, de quod habere proprium semper visi sunt, non permittatis existere, vt securus quicumque proprietatem suam possidens, debita tributa dissoluat Domino, in cuius sortem possessio sua peruenit. Quod & thesauris vestris omnino vtilius esse censemus, si per pietatem vestram saluata possessio consuetudinariam intulerit functionem, & nos peculiarius vestra clementia consolatur, si obtentu huiuscemodi petitionis nos quoque Celsitudo vestra fecerit gratulari. Quid Theodobertus rescripserit, haud certò scimus, tamen Episcoporum petitioni acquieuisse nemo non fatebitur, qui postulationem Episcoporum æquissimam fuisse, & Theodobertum animaduerterit ob iustitiam à Gregorio Turonensi [a] plurimùm laudari.

[a] Lib. 3. c. 25.

XI. In Concilio Aruernensi conditi sunt sexdecim Canones.

XII. DECRETA.

I. Inprimis placuit, vt quoties secundum statuta Patrum sancta Synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam priùs causam suggerere audeat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, ad seueritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur.

XIII.

II. Placuit etiam, vt sacrum quis Pontificij honorem non votis quærat sed meritis, nec diuinum videatur munus rebus comparare sed moribus, atque eminentissimæ dignitatis apicem electione conscendat omnium, non fauore paucorum. Sit in eligendis Sacerdotibus cura præcipua, quia irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Diligenter itaque quisque inspiciat pretium Dominici gregis, vt sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris. Episcopatum ergo desiderans electione Clericorum vel ciuium, consensu etiam Metropolitani eiusdem prouinciæ, Pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdolâ ad conscribendum decretum alios hortetur præmiis, alios timore compellat. Quod si quis fecerit, Ecclesiæ, cui indignus præesse cupit, communione priuabitur.

XIV.

III. Obseruandum ne pallis vel ministeriis diuinis (id est altarium ornamentis) *defunctorum corpora obuoluantur.*

XV.

IV. Ne à potentibus sæculi Clerici contra Episcopos vllo modo crigantur.

XVI.

V. Qui reiculam Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrenda cupiditatis impulsu, egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

XVII.

VI. Si quis Iudaicæ prauitati iugali societate coniungitur, & seu Christianus Iudæo, seu Iudæus Christianæ mulieri carnali consortio miscetur, quicumque horum tantum nefas admisisse dinoscitur, à Christianorum cœtu atque comunio, & à communione Ecclesiæ, cuius sociatur hostibus, segregetur.

XVIII.

VII. Ne opertorio Dominici corporis, Sacerdotis vnquam corpus, dum ad tumu-

lum

lum euehitur, obtegatur, ne sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur. AN. CH.

VIII. Ne ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur, ne dum improborum tactu pompâque secularis luxuriæ polluuntur, ad officia sacri mysterij videantur indigna. 535. CHILDEB. CLOTAR.

IX. Ne Iudæi Christianis populis Iudices præponantur. RR. 24.

X. Ne parochias cuiuslibet Episcopi, alterius ciuitatis Episcopus Canonum temerator inuadat, & vesanæ cupiditatis facibus inflammatus, suisque admodùm non contentus rapiat aliena. THEOD. R. 1.

XI. Nullus Episcopus alterius Clericum contra voluntatem Episcopi sui suscipere audeat, aut Sacerdotio prorogare. XIX. XX. XXI.

XII. Si quis relictam fratris, sororem vxoris, priuignam, consobrinam sobrinámque, vel relictam patrui atque auunculi, carnalis contagij crediderit consortio violandam, & ausu sacrilego auctoritatem diuinæ legis ac iuris naturæ perruperit, & cui caritatis ac pij affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiæ expugnator vim inferre tentauerit, Apostolicæ constitutionis sententiâ feriatur, & quandiu in tanto versatur scelere, à Christiano cœtu atque conuiuio, simúlque Ecclesiæ matris communione priuabitur. XXII. XXIII.

XIII. Cùm Presbyteri atque Diaconi sublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omninò renuntient sæculi, & ad sacrum electi ministerium repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu, & quisquis ille est Presbyter atque Diaconus, diuino munere benedictione perceptâ vxoris priùs suæ frater illicò efficiatur ex coniuge. Attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto militiæ cingulo, vomitum pristinum & inhibita rursus coniugia repetisse, atque incesti quodammodò crimine clarum decus Sacerdotij violasse, quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quisque fecisse cognoscitur, omni in perpetuum, quam admisso iam crimine perdidit, dignitate priuabitur. XXIV.

XIV. Si quis cuiuscumque munuscula qualibet Sanctis scripturâ conlata, nefariâ calliditate fraudauerit, inuaserit, retentauerit atque suppresserit, & non statim à Sacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Ecclesiæ Catholicæ communione pellatur. XXV.

XV. Si quis ex Presbyteris aut Diaconis, qui neque in ciuitate, neque in parochiis canonicus esse dinoscitur, sed in villulis habitans, in Oratoriis officio sancto deseruiens celebrat diuina mysteria, festiuitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt reliquæ solemnitates, nullatenùs alibi nisi cum Episcopo suo in ciuitate teneat. Quicumque etiam sunt ciues natu maiores, pari modo in vrbibus ad Pontifices suos in prædictis festiuitatibus veniant. Quòd si qui improbâ temeritate contempserint, hisdem festiuitatibus, quibus in ciuitate adesse despiciunt, communione pellantur. XXVI.

XVI. Episcopi, Presbyteri atque Diaconi, ita sanctæ conscientiæ luce resplendeant, vt effugiant probitate actuum maledicorum obloquia, & testimonium in se diuinum implere contendant, quod Dominus ait. [Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent patrem vestrum qui in cælis est.] Igitur auctoritate canonicâ, atque mansurâ in æuum constitutione sancimus, vt fugiatur his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum auia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas tulerit, habitent, de quibus nominibus, vt priorum Canonum series continet, nefas est aliud quàm natura constituit, suspicari. In cubiculo etiam horum atque cellario, vel familiari quolibet seruitio, neque sanctimonialis vlla, neque extranea mulier, neque ancilla vllomodò admittatur. Quod si quis præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, sciat se auctoritate canonicâ communionis sine dubio subire iacturam. Quòd si Antistes culpam hanc in Presbytero aut Diacono suo restringere canonico rigore noluerit, ipse seueritate sententiæ feriatur. XXVII. XXVIII.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Hos Canones relegerunt, suisque subscriptionibus confirmarunt VI. Idus Nouembris, Honoratus Episcopus Ecclesiæ Bituricæ, Gallus Episcopus Ec-

AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

cleſiæ Aruernicæ, Gregorius Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ, Hilarius Epiſcopus Eccleſiæ Gabalitanæ, Ruricius Epiſcopus Eccleſiæ Lemouicæ, Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Remenſis, Nicetius Epiſcopus Eccleſiæ Treuerorum, Deuterius Epiſcopus Eccleſiæ Luteuenſis, Dalmatius Epiſcopus Eccleſiæ Rutenenſis, Lupus Epiſcopus Eccleſiæ Catalaunicæ, Domitianus Epiſcopus Eccleſiæ Tungrorum, Venantius Epiſcopus Eccleſiæ Viuarienſis, Heſperius Epiſcopus Eccleſiæ Metenſis, Deſideratus Epiſcopus Eccleſiæ Veredunenſis & Gramatius Epiſcopus Eccleſiæ Vindoniſſæ.

XXIX. Ex quindecim illis Epiſcopis Eccleſia Romana quatuor illuſtres ſanctitate veneratur in ſuo Martyrologio, Gallum Epiſcopum Aruernenſem die primâ Iulij, Gregorium Epiſcopum Lingonenſem die quartâ Ianuarij, Hilarium Epiſcopum Gaualitanum die viceſimâ quintâ Octobris, & Nicetium Epiſcopum Treuirenſem die quintâ Decembris. Præterea peculiares Eccleſiæ ſuos colunt Epiſcopos, Rutenenſis Dalmatium Idibus Nouembris, Traiectenſis ſeu Leodienſis Domitianum Nonis Maij, Viuarienſis Venantium Nonis Auguſti, Metenſis Heſperium decimo Kalendas Septembris.

XXX. BITVRIC. Primo loco recenſetur Honoratus Epiſcopus Bituricenſis, Aquitaniæ primæ Metropolitanus.

XXXI. ARVERN. Secundo loco nominatur ſanctus Gallus Epiſcopus Aruernenſis, de quo ſæpiùs iam locuti ſumus. Is, prout ex Gregorio Turonenſi [a] retulimus, ſolitus erat dicere non ampliùs ſe donaſſe pro Epiſcopatu, quàm vnum trientem coco, qui ſeruiuit ad prandium eo die quo Preſbyter ordinatus fuit, poſtquàm deſtinatus eſſet ad Epiſcopatum. Quapropter non dubitamus, quin Patres plurimùm impulerit ad condendum ſecundum Canonem ſuprà recitatum, quo graues pœnæ decernuntur in eos, qui Pontificij honorem votis, rebus, aut præmiis, non meritis quærunt.

[a] De vit patr. c. 6.

XXXII. LINGON. Tertio loco recenſetur ſanctus Gregorius Epiſcopus Lingonenſis. Hic vnà cum Venantio Viuarienſi & Bubulco Epiſcopo Vindoniſſo ſubſcripſerat Concilio Epaonenſi ſub Sigiſmundo Burgundiæ Rege, quapropter cùm poſteà reperiatur ſub Theodoberto Francorum Rege Concilio Aruernenſi interfuiſſe cum eodem Venantio Epiſcopo Viuarienſi, & Gramatio Epiſcopo Vindoniſſo Bubulci ſucceſſore, dubium eſſe non poteſt, quin extincto Burgundiæ Regno Theodobertus partem obtinuerit, cui tres illi Epiſcopatus attribuerentur.

XXXIII. GABALIT. Quarto loco ponitur ſanctus Hilarius Epiſcopus Gabalitanus. Hilarij nomen legitur in tabulis Eccleſiaſticis octauo Kalendas Nouembris. Poſt eius obitum completa ſunt in Ennodio Preſbytero quæ Gallus Epiſcopus Aruernenſis ante aliquot annos prædixerat. Vaticinium illud, quod nequaquam ſilentio præteriri debet, eiuſque cauſam & exitum ſic deſcribit Gregorius Turonenſis [b]. *Cùm Ennodius quidam ex Senatoribus Presbyter in conuiuio Eccleſiæ multis calumniis atque conuiciis* Gallum Epiſcopum Aruernenſem *laceſſiſſet, conſurgens Sacerdos loca Baſilicarum ſanctarum circuibat. Ceterùm cùm hoc Ennodio fuiſſet perlatum, poſt eum curſu veloci pergens, & ſe ante pedes eius in ipſa platea proſternens veniam petiit, deprecans vt eum ouatio eius coram omnipotente Iudice non fuſcaret. At ille benignè eum colligens, cuncta quæ locutus fuerat, clementer indulſit, eum arguens, ne hæc vltrà contra Sacerdotes Domini proferre auderet, quia ipſe Epiſcopatum numquam promeretur accipere. Quod poſtea probauit euentus. Nam cùm in Gabalitano ad Epiſcopatum iam electus, iam in cathedra poſitus, iam cuncta parata eſſent, vt benediceretur Epiſcopus, ita ſubitò contra eum omnis populus conſurrexit, vt vix viuus poſſet euadere, qui poſteà Presbyter tranſiit.* Hilario autem in Epiſcopatu ſucceſſit Euanthius, qui Concilio Aurelianenſi quarto interfuit.

[b] De vit. patr. cap. 6.

XXXIV. LEMOVIC. Quinto loco ſcribitur Ruricius Epiſcopus Lemouicenſis. Hic cognomento Iunior, Senioris ac deceſſoris nepos fuit; non immemor beneficij, quod à Iuniano Eremita quondam acceperat, ei poſt annos quadraginta ſolitariæ

vitæ feliciter mortuo Basilicam suis impensis fabricare studuit, in qua Sancti corpus fuit honorificè collocatum, vt Auctor vitæ scribit apud Benedictum Gononum [a], qui præterea obseruat festiuitatem sancti Iuniani decimo-septimo Kalendas Nouembris celebrari. AN. CH. 535. CHILDEB. CLOTAR. RR. 24. THEOD. R. 1.

Sexto loco nominatur Flauius Episcopus Remensis, de quo nihil legitur præter nomen apud Flodoardum in historia Remensi [b]. Successorem habuit Mapinium.

Septimo loco recensetur sanctus Nicetius Episcopus Treuirorum. Huius vitam scripsit Gregorius Turonensis [c], in ipsóque procemio testatus est se nihil relaturum præter ea quæ sibi Aredius Abbas Lemouicinæ vrbis, vir omni fide dignissimus enarrasset.

Octauo loco ponitur Deuterius Episcopus Luteuensis, cuius meminimus ante biennium.

Nono loco ascribitur sanctus Dalmatius Episcopus Rutenensis, de quo iam suprà.

Decimo loco Lupus Episcopus Catalaunensis.

Vndecimo loco sanctus Domitianus Episcopus Tungrensis, seu Traiectensis, quem nonnullæ Conciliorum editiones perperàm catalogo Colonienſium Antistitum inserunt. Successerat sancto Euchario, cuius celebris memoria viget in Diœcesi Leodiensi tertio Kalendas Martias.

Duodecimo loco sanctus Venantius Episcopus Viuariensis, qui Concilio Epaonensi pridem subscripserat. Colitur in Breuiario Viuariensi Nonis Augustis. Perperàm in Martyrologio Viuariensi perhibetur filius Sigismundi Regis Burgundiæ & Monachus Ordinis Benedictini in supercilio montis ad Rhodanum in Alba * vico priusquam beato Valerio in Episcopatu succederet. Sedit annis viginti septem. Successores habuit Firminum, Eumachium, Agripium & Melanium, qui Cautinum Archidiaconum ad Concilium Aurelianense quintum anno Christi quingentesimo quadragesimo nono direxit.

Decimo-tertio loco Hesperius Episcopus Metensis. Hic primus Character Chronologicus in Catalogo Metensium Episcoporum occurrit, ex quo Metæ Francis parere cœperunt, ideóque præcedentium Antistitum Chronologiam sic instituendam duximus, vt ab hac epocha non recederet.

Decimo-quarto loco recensetur Desideratus Episcopus Viridunensis, cuius filius Siagrius iniurias patris vlturus post Theodorici Regis mortem Siriualdum interemit, vt pluribus docet Gregorius Turonensis [d].

Decimo-quinto loco Gramatius Episcopus Vindonissensis.

Hoc anno natus est Clotario Regi ex Ingunde Sigibertus, qui posteà quadragenarius obiit anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto, vt suo loco probaturi sumus. Inde collige Clotarium, qui dimissâ Ingunde legitimâ vxore duas alias, Aregundem scilicet ipsius Ingundis sororem, deinde Gundeucam Clodomeris fratris relictam superinduxerat, à crimine resipuisse. Gregorius Turonensis [e] obseruat susceptam quoque à Clotario ex Ingunde Chlotsindam, quam Alboinus Longobardorum Rex in coniugem posteà sibi sociauit. Existimamus Sigibertum omnium liberorum quos Ingundis Clotario peperit natu minimum fuisse, nec Ingundem nato Sigiberto diu vixisse superstitem, quâ defunctâ Clotarius Chunsenam duxerit, ex eáque genuerit Chramnum, qui vitam clausit anno Christi quingentesimo sexagesimo.

Hoc anno Leobinus Monachus Carbonariâ, vbi per quinquennium manserat, Braiacum vocatus est ab Ætherio Carnotensi Antistite, in cuius præsentia incendium, quod Braiacensi Monasterio imminebat, orationibus suis extinxit. Episcopus obstupuit ad tantum prodigium, & sanctum virum, cui Cœnobij Braiacensis administrationem commissurus erat, mox ordinauit Diaconum, deinde Presbyterum, vt Abbatis officium commodiùs impleret. Leobinus nouâ dignitate auctus pluribus refulsit miraculis, quæ narrantur in eius [f] vita, cúmque morbos aliorum curaret, ipse cancri vulnere percussus

[a] Lib 4. de vit. patr. occid.

XXXV. REMENS.

[b] Lib 2. c. 1.

XXXVI. TREVIR.

[c] De vit. patr. cap. 17.

XXXVII. LVTEVENS.

XXXVIII. RVTEN.

XXXIX. CATALAV.

XL. TRAIECT.

XLI. VIVARIEN.

* *Alb.*

XLII. METENS.

[d] Lib. 3. c. 35.

XLIII. VIRIDVN.

XLIV. VINDONIS.

XLV. NASCITVR SIGIBERTVS.

[e] Lib. 4. c. 3.

XLVI. LEOBINVS FIT ABBAS BRAIAC.

[f] Tom 1. Bibloth Labb.

est in naribus, numquam tamen induci potuit vt humano quodam studio sibi mederetur, cerâ duntaxat vsus est benedictâ, sanitatémque post annos ferè duodecim recepit, cùm Ecclesiæ Carnotensi iam præesset.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

ANNVS CHRISTI 536. CHILDEBERTI R. 25. CLOTARII R. 25. THEODOBERTI R. 2. INDICTIO 14.

I.

ANNO proximo post Belisarij Consulatum, Christi quingentesimo tricesimo-sexto, belli Gothici secundo, Indictione decimâ quartâ, idem Belisarius, vt Procopius [a] fusè narrat, ex Siciliâ copias traiecit in Italiam, vastatâ Campaniâ Neapolim * cepit. Tunc Ostrogothi prope Tarracinam * castra metati, cùm Theodatum ætate iam prouectum, Latinarum literarum Platonicorumque dogmatum satis peritum, rei verò bellicæ prorsus ignarum odissent, Vitigem Regem delegerunt, virum sanè non ex clarâ natum familiâ, sed qui priùs probè virilitérque se gesserat in prœliis, quæ circa Sirmium * aduersus Gepidas Theodoricus Rex habuisset. Hoc comperto Theodatus fugam Rauennam versùs arripuit, & in itinere cæsus fuit ab Optare, cui puellam insignem formâ, patrimonio diuitem ademerat, vt alteri collocaret. Interea Vitiges Romam se contulit, auditâque Theodati nece Theodesclum eius filium custodiæ mancipauit, & Româ Rauennam ire decreuit habitâ tamen priùs hac oratione [b] coram vniuersis Ostrogothis. *Cœptis ingentibus, Commilitones, non vsus præceps occasionum, sed consiliorum prudentia euentus prosperos afferre solet. Sæpè enim plùs profuit tempestiua cunctatio; dum vehemens opera, alieno tempore exhibita, rei benè gerendæ spem multis incidit. Etenim qui numero pollent, si imparati pugnent cum hoste viribus pari, faciliùs vincuntur, quàm qui, viribus quidem inferiores, sed paratissimi, certamen ineunt. Nolimus igitur in perniciem subito ambitionis impetu ruere, siquidem breui pudore immortalem gloriam retinere præstat, quàm vitatâ puncto temporis ignominiâ, probrum, vt apparet, sempiternum subire. Certè scitis Gothorum quamplurimos ac ferè omnem armorum apparatum in Galliis, Venetiis, & regionibus remotissimis esse. Præterea cum Francis non leuius isto susceptum habemus bellum, quo non benè composito, extremæ demeutiæ fuerit aliud inchoare. Nam qui in ambiguo positi, nec in vnum hostem intenti sunt, eos vinci consentaneum est. Ego verò sic statuo, Rauennam rectà eundum esse, atque vbi cum Francis confecerimus pacem, optimóque in loco cetera posuerimus, inuadendum Belisarium cum omni Gothorum exercitu. Nec retrò mecum cedere quemquam pigeat, quin etiam fugere nos apertè dicat. Enimuerò vt opportuna timoris appellatio iuuit multos, ita quosdam perdidit fortitudinis nomen alieno tempore vsurpatum. Rerum autem momenta atque vtilitates consectari decet, non speciosa vocabula. Porrò virtutem viri non facinoris præclari initium sed finis probat; nec fugiunt hostem, qui statim vt melius se instruxerunt, contra illum proficiscuntur; verùm qui sua corpora semper salua & integra cupientes, subducunt sese. Nec vestrum quisquam timeat, ne ista vrbs capiatur. Nam si nobis Romani student, eam Gothis constanti fide seruabunt, neque vllam experientur difficultatem, nos propediem ad se reduces accepturi. Sin aliquid in nos cudunt, minùs nocebunt, cùm in*

[a] Lib. 1. de bell. Goth.
* *Naples.*
* *Terracine.*

VITIGES FIT REX OSTROGOTH.
* *Sirmisch.*

[b] Lib. 1. de bell Goth. cap. 11.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Vrbem hostes admiserint, satius enim est cum aperto hoste pugnare. Quanquam ne quid eiusmodi contingat, prouidebo. Quippe milites plurimos ac Præfectum intelligentissimum, qui tuendæ Romæ sufficiant, relinquemus. Itaque hæc benè constituta habebimus, nec detrimentum vllum discessus hic noster pariet. Ostrogothi collaudatis sermonibus Vitigis ad iter se præparārunt. Vitiges lectis quatuor millibus ad Vrbis custodiam Leuderem præfecit virum sanè vt ad multùm ætatis prouectum, ita & prudentiæ opinionem maximam consecutum, deinde cum reliquis copiis Rauennam versùs iter aggressus est multis secum Senatorij Ordinis obsidum loco abductis, quò vbi demum peruenit Matasuntham Amalasunthæ filiam, maturam iam viro virginem, inuitam duxit in matrimonium, vt ex hac generis Theodorici coniunctione regnum Ostrogothorum sibi firmiùs in posterùm stabiliret. Ostrogothos deinde contractos vndequaque, singulis turmis equos & arma distribuendo, instruxit inprimis & exornauit, eos duntaxat reuocare non potuit, qui Marciâ Duce Gallias præ Francorum formidine custodiebant, sortem enim fatalem Theodatus impleuit rebus ex conuento cum Francis, de quo nos anno superiori locuti sumus, finem nondum nactis. Mutato tamen posteà consilio Vitiges, cùm Marciæ copias haud suffecturas putaret ad resistendum Francis, vtpote Galliam statim Italiamque peruasuris, si Romam ipse cum vniuerso exercitu contenderet, Primoribus gentis suæ conuocatis orationem huiusmodi habuit [a]. *Huc vos coegi modò, gentiles mei, vt monita dem, parum illa quidem iucunda, sed necessaria, quæ æquo animo audiatis velim, & pro rerum instantiâ meritò in medium consulatis. Certè quibus ex voto non procedunt incæpta, de statu, in quo sunt, frustrà illi tractauerint, nisi necessitati ac fortunæ sese commodent. Cetera quidem bello necessaria optimè parauimus; sed obstant Franci, veteres hostes, quibus hactenus, licet cum pecuniæ & vitæ multorum dispendio, restitimus, quia nihil hostile præterea se nobis obtulit. Nunc arma aliò vertere coactis, pacem cum Francis pangere necesse erit. Primò, quia, si ipsis inimicitiæ nobiscum maneant, profectò in nos vires cum Belisario sociabunt. Fert enim natura, vt qui hostem communem habent, amicitiâ ac societate coniuncti sint. Deinde, si vtrumque exercitum separatè adoriamur, vtrinque certa nobis clades impendet. Præstat igitur leui iacturâ maximam regni partem conseruare, quàm habendi omnia cupiditate eò redigi, vt vitâ pariter cum omni ditione spoliemur ab hostibus. Quare existimo Germanos* (cur Francos ita vocet explicuimus suprà) *non modo odium, quo à nobis dissident, deposituros, sed nostros etiam in hoc bello socios fore, si ipsis finitimam Galliam & quantamcumque pecuniam cum eâ se daturum Theodatus promiserat, concedamus. Quo autem pacto, si res nobis prosperè cesserit, recuperaturi Galliam simus, nemo vestrum disquirat. Subit enim memoria veteris illius verbi, quo iubemur instantia benè constituere.* Hæc cùm audissent Gothorum Proceres, ac sibi conducere censuissent, vt ea fierent placuit. *Ergo mittuntur statim ad Germanos*, id est, ad Francos, *Legati, qui illis Galliâ cedant, datóque auro componant societatem. Tunc Reges Francorum erant, Childebertus Theodebertus & Clotharius, qui traditam sibi Galliam ac pecuniam inter se pro cuiusque regni portione diuiserunt, promiseruntque se Gothis amicissimos fore, & auxilia missuros clam, non Francorum, sed nationum quibus imperarent. Nec verò poterant aduersus Romanos societatem coire palam, Imperatori in hoc bello opem paulò antè polliciti. Legati, re cuius causâ missi erant confectâ, Rauennam redeunt. Tum demum Marciam cum copiis, quibus præerat, Vitiges reuocauit.* Roma verò eodem anno sine pugna Belisario tradita est [b], ac paulò pòst à Gothis obsessa, quo exitu dicemus anno sequenti.

[a] Lib 1. de bell. Goth. c. 13.

CEDIT FRANCIS PARTEM GALLIARVM.

[b] Procop. de bell. Goth. l. 1. cap. 14.

II. INTER ALPES ET RHODANVM.

Ex Vitigis Regis cessione Francis accessit omnis Ostrogothorum ditio cis Alpes sita. Hæc autem Italiam ad Ortum, Rhodanum ad Occasum, mare mediterraneum ad Meridiem & nuperrimos Burgundiæ fines ad Septemtrionem respiciebat, &, vt constat ex iis quæ ante biennium in vltima Burgundici regni clade narrauimus, præter Genauam quæ Viennensi primæ attri-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. III. IV. EPISCOPI PROVINCIÆ VIENNENS. II. V. NARBONENS. II.

buebatur, quatuor prouincias Galliarum integras comprehendebat, Narbonenſem ſecundam, Alpinas duas, & Viennenſem ſecundam, exceptis Deenſium & Viuarenſium ciuitatibus in eadem ſecunda Viennenſi.

In illis regionibus erant Epiſcopatus viginti quinque.

In prouincia Viennenſi ſecunda nouem, Arelatenſis Metropolitanus, Maſſilienſis, Tolonenſis, Caballicus, Auenionenſis, Vaſionenſis, Vendacenſis, Arauſienſis & Tricaſtinenſis. Hìc non loquimur de Viuarienſi & Deenſi, quia Francicis ditionibus à biennio iam acceſſerant.

Prouincia Narbonenſis ſecunda ſeptem conſtabat Epiſcopatibus, Aquenſi Metropolitano, Aptenſi, Vapincenſi, Siſtaricenſi, Regenſi, Foroiulienſi & Antipolitano. In notitia Prouinciarum & ciuitatum Galliæ, quæ temporibus Honorij Auguſti condita videtur, cùm Gallias & Septem Prouincias diſtingui mos erat, prouinciæ Narbonenſi ſecundæ ſeptem ciuitates ſic accenſentur. *Prouincia Narbonenſis ſecunda, num.* VII. *Metropolis ciuitas Aquenſium. Ciuitas Aptenſium. Ciuitas Regenſium. Ciuitas Foroiulienſium. Ciuitas Vappincenſium. Ciuitas Segeſteriorum. Ciuitas Antipolitana.* In capitulatione de nominibus regionum Galliæ, quam Ducheſnius [a] ex Bibliotheca Thuanea publicauit, eadem prouincia Narbonenſis ſecunda ſic deſcribitur. *In prouincia Narbonenſi ſecunda, Ciuitates* VII. *Ciuitas Aquenſium Metropolis. Ciuitas Aptenſium. Ciuitas Regenſium Regius. Ciuitas Foroiulenſium. Ciuitas Vapencenſium. Ciuitas Sigeſteriorum. Ciuitas Antepolitana.* Item in alia capitulatione de nominibus regionum & ciuitatum Galliæ, *Prouincia Narbonenſium ſecunda habet ciuitates numero* VII. eæque ciuitates hoc recenſentur ordine. *Metropolis Ciuitas Aquenſium. Ciuitas Aptenſium. Ciuitas Regienſium, id eſt, Reius. Ciuitas Foroiulienſium. Ciuitas Vapincenſium. Ciuitas Segeſteriorum. Ciuitas Antipolitana.* Suffragantur duæ aliæ capitulationes, quarum alteram de nominibus *Prouinciarum vel ciuitatum regionis Galliæ* Philibertus *du Sault* Senator Burdegalenſis, alteram de nominibus *Prouinciarum & ciuitatum Galliæ* Alexander Petauius Senator Pariſienſis Andreæ Ducheſnio communicauit. Prior prouinciam Narbonenſem ſecundam ſic delineat. *In prouincia Narbonenſi ſecunda ciuitates ſunt* VII. *Ciuitas Metropolis Aquenſium. Ciuitas Aptenſium. Ciuitas Regiuenſium, id eſt, Reio. Ciuitas Foroiulienſis. Ciuitas Vappencenſium. Ciuitas Sageſtinorum. Ciuitas Antipolitana.* Poſterior ſic. *Prouincia Narbonenſis ſecunda habet ciuitates numero* VII. *Metropolis ciuitas Aquenſis. Ciuitas Abtenſis. Ciuitas Reienſis. Ciuitas Foroiulienſis. Ciuitas Vappenſis. Ciuitas Segeſteriorum. Ciuitas Antipolitana.* In ſeptem illis prouinciæ Narbonenſis ſecundæ ciuitatibus erecti ſunt totidem Epiſcopatus, quorum crebra mentio fit in Hiſtoriis ante Francorum aduentum in iſtam prouinciam. Quinam autem prædictarum ciuitatum Epiſcopi fuerint, cùm Rex Oſtrogothorum Francis partem Galliarum ceſſit, exponemus infrà. Sedes Epiſcopalis Antipoli Graſſam ſeculo decimo-tertio tranſlata eſt, & Epiſcopus Graſſenſis Ebredunenſi Metropolitæ ſemper ſubiacuit. In libro de Otiis Imperialibus, quem Geruaſius Tiſleberienſis ad Othonem IV. Imperatorem ſcripſit, priuſquàm Graſſa Pontificali Cathedrâ nobilitaretur., *Metropolis Ebredunenſis hos* Epiſcopos *habet ſuffraganeos, Dignienſem, Nicienſem, Antipolitanam, Glandetenſem, Senetenſem, Vencienſem.* In antiquis Notitiis Galliarum ſuprà citatis, Ebreduno Alpium maritimarum Metropoli ſubſunt ſeptem ciuitates, *Dinienſium, Rigomagenſium, Sollinienſium, Sanitienſium, Glannatiua, Cemelenenſium, Vincienſium.* Hodie Sedes Epiſcopales ſunt in quatuor tantùm ciuitatibus, *Dinienſium, Sanitienſium, Gannatinâ, Vincienſium*, nam quinta, quæ fuit olim in ciuitate *Cemelenenſium*, iampridem Niciam tranſlata eſt. Hæc de prouincia maritimarum Alpium obſeruat Petrus Gaſſendus in Notitia Dinienſis Eccleſiæ [b], deinde iſta de ciuitate & Epiſcopatu Graſſenſi proximè ſubiungit. *Quòd Graſſenſis quidem addatur, non illa eſt vna* ciuitas *ex reliquis duabus*, Rigomagenſium videlicet & Sollinienſium, *ſed tranſlata in eam eſt Sedes ex ciuitate Antipoli, cui pridem tributa præter ordi-*

[a] Tom. 1. collect. hiſt. Franc.

[b] Cap. 9.

nem fuerat. At Antipolis, cùm ciuitatis titulo gauderet, Episcopalem Cathedram non obtinuit *præter ordinem*, neque enim potior ratio fuit, cur is honor aliis ciuitatibus attribueretur. *Præter ordinem* autem, & Antipolis, cùm prouinciæ Narbonensis secundæ ciuitas esset, attributa fuit Alpibus maritimis, & Episcopus Antipolitanus, qui suberat Aquensi Metropolitano, deinceps subiacuit Ebredunensi, cui Grassensis hodiéque subiacet. Hinc quæstio moueri potest, vtrùm ad prouinciam Alpium maritimarum, an ad prouinciam Narbonensem secundam, pertinuerit Diœcesis Antipolitana, cùm Vitiges Ostrogothorum Rex totam regionem, cui cis Alpes dominabatur, Francis possidendam sponte dereliquit. Illâ ætate Antipolitanus Episcopus Aquensi Metropolitæ subiiciebatur, ac multis pòst interiectis seculis Ebredunensi subesse primùm cœpit. Hæc apertè constant ex Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ iam laudata, quam Duchesnius ex Alexandri Petauij Bibliothecâ descripsitac publici iuris fecit. Ibi enim *ciuitas Antipolitana* inter ciuitates prouinciæ Narbonensis secundæ annumeratur, & prouinciæ Germanicæ primæ sexdecim attribuuntur ciuitates, sex verò prouinciæ Germanicæ secundæ. Septem ciuitates prouinciæ Narbonensis secundæ sic recensentur. *Metropolis ciuitas Aquensis. Ciuitas Abtensis. Ciuitas Reiensis. Ciuitas Foroiulensis. Ciuitas Vappensis. Ciuitas Segesteriorum. Ciuitas Antipolitana.* Sexdecim ciuitates prouinciæ Germanicæ primæ sic. *Metropolis ciuitas Mogonciacensium. Ciuitas Argentina, id est, Strazburgis. Ciuitas Nemetum, id est, Spira. Ciuitas Vangionum, id est, Warmacia. Ciuitas Aluersletensis. Ciuitas Spragensis. Ciuitas Badebrunnensis. Ciuitas Egesletensis. Ciuitas Wirzhiburgensis. Ciuitas Constantiensis. Ciuitas Curiensis. Ciuitas Werdunensis. Ciuitas Babenbergensis. Ciuitas Antiqua. Ciuitas Augustensis, id est, Ciesburc. Ciuitas Heldinensis.* Sex ciuitates prouinciæ Germanicæ secundæ sic. *Metropolis ciuitas Agripinensium, id est, Colonia. Ciuitas Tungrorum, quæ nunc Leodium. Ciuitas Treiectum, id est, Vtricht. Ciuitas Mindensis. Ciuitas Mimigardeuordensis. Ciuitas Osenbrugensis.* Complures autem ex illis ciuitatibus prouinciarum Germanicarum, sexto post Christum natum seculo, vel nondum conditæ erant, vel Moguntiæ ac Coloniæ Metropolibus cis Rhenum sitis nondum subiiciebantur. Prædictis enim Metropolibus in rebus tantùm Ecclesiasticis subiacuerunt ciuitates transrhenanæ, quarum pleræque Christianam Religionem seriùs susceperunt. Sexdecim ciuitates prouinciæ Germanicæ primæ, quas ex Codice Petauiano enumerauimus, prouinciæ Ecclesiasticæ Moguntiacensi conueniunt. Archiepiscopatui enim Moguntino, priusquàm Praga in Metropolim erigeretur, suberant Episcopatus quindecim, Wirzburgensis, Wormatiensis, Spirensis, Argentinensis, Eichstettensis, Pragensis, Olomucensis, Constantiensis, Curiensis, Werdensis, Augustanus, Heildesheimensis, Paderbornensis, Halberstadensis & Bambergensis. In Australi latere Basilicæ Moguntiacensis Metropolitanæ Sacellum est, in cuius fenestra è vitro picto conspicitur Sanctus Bonifacius ornatus habitu & pallio Archiepiscopali. Circùm verò leguntur quindecim suffraganearum Sedium nomina. Typum tibi ob oculos exhibemus paginâ sequenti, qualem Serarius libro primo [a] rerum Moguntiacarum excudendum curauit.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. R R. 25. THEOD. R. 2.

[a] Cap. 11.

AN. CH. 536.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Ciuitas, cuius nomen ſecundo loco ad dexteram deſideratur, & à Serario legi non potuit, Eyſtadium eſt, ſiue, vt olim vocabatur, Aureatum. Caue ne Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, qui regnante Pippino vitam clauſit, quindecim ſuffraganeos Epiſcopos vnquam attributos fuiſſe credas. Ex ſedibus enim Epiſcopalibus, quas recenſuimus, non paucæ ſub Carolo Magno & Ludouico Pio, quorum alter Pippini filius, alter nepos fuit, aut etiam ſeriùs erectæ ſunt. Dietmarus Pragenſis Eccleſiæ primus Epiſcopus incidit in tempora Boleſlaj Pij Ducis & Ottonis Cæſaris, proſapiâ Carolinorum Principum iam penitus extinctâ, vt docent Coſmas Pragenſis Decanus in Chronicis Bohemorum & Ioannes Dubrauius Olomucenſis Epiſcopus libro ſexto hiſtoriæ Boiemicæ. Auguſtinus Olomucenſis Eccleſiæ Præpoſitus, qui Staniſlao Antiſtiti Olomucenſi ſeriem Epiſcoporum Olomucenſium inſcripſit, Cyrillum Morauorum primum Pontificem non agnouit ante annum Chriſti octingenteſimum octogeſimum ſeptimum, & primum Eccleſiæ Olomucenſis Epiſcopum dixit Andream, qui anno Chriſti milleſimo nonageſimo primo ſedere cœpit apud *Poleſſowicz*. In Synodo Francofordienſi, vt teſtatur Ditmarus [a] qui præſens aderat, Eberhardus à Willegiſo Archiepiſcopo Moguntino conſecratus eſt primus Epiſcopus Bambergenſis anno Chriſti milleſimo-ſexto. Icon igitur S. Bonifacij, quæ viſitur in feneſtra Sacelli Moguntini, non ſapit octauum ſeculum quo Sanctus Bonifacius Diœceſim Moguntinam rexit, ſed vndecimum, quo Moguntinus Archiepiſcopus in quindecim ſedes ſuffraganeas ius Metropoliticum exercuit. Haud antiquior haberi debet Notitia prouinciarum & ciuitatum Galliæ, quæ ſexdecim ciuitates in prouincia Germanica prima collocat, & Antipolim attribuit prouinciæ Narbonenſi ſecundæ. Praga erecta [b] eſt in Metropolim ſeculo XIV. regnante in Bohemia Carolo è familia Luxemburgica. Tunc Antiſtites Pragenſes & Olomucenſes Moguntino Metropolitæ ſubeſſe deſierunt, Olomucium enim Pragæ Metropoli deinceps ſubiacuit. Cùm ſexdecim erant ciuitates in prouincia Germanica primâ, Germanicam ſecundam ſex conſtituebant in eadem Notitia nominatæ, Colonia, Leodium, Traiectum, Minda, Mimigardeuorda ſeu Monaſterium, & Oſnaburgum. In antiquioribus verò Notitiis duæ tantùm ſunt ciuitates Germaniæ ſecundæ, *Ciuitas Metropolis Agripinenſium, id eſt, Colonia,* & *Ciuitas Tungrorum, id eſt, Tungris*. Epiſcopatus Traiectenſis ad Rhenum ſiue Vltraiectenſis erectus eſt exeunte ſeptimo ſeculo. Sedes Epiſcopalis, quæ Tungris primùm, deinde Traiecti ad Moſam fuerat, octauo ſeculo Leodium tranſlata

[a] Cap. 6.

[b] Dubrau. lib. 22.

translata est. Episcopatus Monasterienſem, Mindenſem & Osnaburgenſem instituit Carolus Magnus. Traiectum ad Rhenum Metropolitanâ dignitate auctum est seculo decimo-sexto. Hæ fuerunt vicissitudines Germaniæ secundæ. Hodie Colonienſi Metropolitæ subsunt quatuor Episcopi, Leodienſis, Monasterienſis, Mindenſis & Osnaburgenſis. Ex illis autem obseruationibus constat Antipolim, cùm ab Ostrogothis ad Francos transiit, ad prouinciam Narbonenſem secundam pertinuisse, & Aquenſi Archiepiscopo eiusdem Narbonenſis secundæ Metropolitæ adhuc subiacuisse vndecimo seculo. Quamobrem quotiescunque sermonem de Episcopatu Antipolitano faciemus sub Merouingis & Carolinis Regibus, illum prouinciæ Narbonenſi secundæ constanter adscribemus. Ceterùm in Notitia quam citauimus, nonnullæ ciuitates prouinciarum Germanicarum mendosis nominibus afficiuntur, quorum emendationi atque elucidationi placet hic aliquid operis impendere. *Metropolis ciuitas Mogunciacenſium. Ciuitas Argentina, id est, Strazburgis* *. *Ciuitas Nemetum, id est, Spira* *. *Ciuitas Vangionum, id est, Warmacia*, aliis Wormacia *, *Ciuitas Aluerstenſis*, politioribus Auctoribus ciuitas Halberstattenſis & Halberstadenſis, id est, Halberstadium *. *Ciuitas Spragenſis*, rectiùs ciuitas Pragenſis, id est, Praga *, quæ Praha primùm, deinde Praga dicta est, vt obseruauit Dubrauius[a], apud quem Praha limen est. *Ciuitas Badebrunnenſis*, vulgariùs ciuitas Paderbornenſis, id est, Paderborna *. *Ciuitas Egesstetenſis*, hodie ciuitas Eystettenſis, id est, Eystadium *, olim Aureatum. *Ciuitas Wirzhiburgenſis*, id est, Wirtzburgum *, alio nomine Herbipolis, vnde & Episcopi Herbipolenſes iidem qui Wirtzburgenſes. *Ciuitas Constantienſis*, id est, Constantia * ad Rhenum. *Ciuitas Curienſis*, id est, Curia *. *Ciuitas Werdunenſis*, vsitatiùs ciuitas Werdenſis, id est, Werda *. *Ciuitas Babenbergenſis* seu Bambergenſis, id est, Babemberga, seu Bamberga *. *Ciuitas antiqua*. Hoc nomine ciuitas Episcopalis Morauorum designatur, sedes autem Episcopalis Morauorum per annos ducentos & ampliùs valdè incerta & instabilis fuit, instituta est enim primùm Velegradi, deinde collocata Polosſowicij, tum vnita Pragenſi, tandem translata Olomucium *, ob eâsque vicissitudines quandoque non alicuius ciuitatis sed ipsius regionis nomine connotatur, vt cùm inter suffraganeas sedes exhibentur, ad dexterum Metropoleos Moguntiæ latus Praga, ad sinistram Morauia. *Ciuitas Augustenſis, id est, Ciesburc*. Ciuitas hæc Augustenſis, siue Augustana non alia est quàm Augusta, quæ sita est ad Lycum * amnem, & vt ab aliis eiusdem nominis distinguatur, dicitur Augusta Vindelicorum, Germanis *Ausbourg*, corruptè *Ciesburc* in Codice Petauiano. *Ciuitas Heldinenſis*, emendatè ciuitas Hildesiana & Hildesheimenſis, id est, Hildesia siue Hildesheimium *. Hæ fuerunt olim ciuitates sub Metropoli Moguntia * in prouincia Germanica prima. Sequuntur ciuitates prouinciæ Germanicæ secundæ. *Metropolis ciuitas Agripinienſium, id est, Colonia* *. *Ciuitas Tungrorum, quæ nunc Leodium*, sedes enim Episcopalis, quæ primùm instituta fuerat Tungris *, translata est Traiectum * ad Mosam, deinde Leodium seu Legiam *, vnde nata diuersa Episcoporum cognomina, nam primi Tungrenſes vocati sunt à Tungris, medij Traiectenſes à Traiecto, nouissimi vt à Legia Legienſes, sic à Leodio Leodienſes. *Ciuitas Treiectum, id est, Vtstricht*, duplex est Traiectum, vitiosè Treiectum; alterum, de quo suprà, dicitur Traiectum superius seu Traiectum ad Mosam; alterum Traiectum inferius seu Traiectum ad Rhenum, incolis *Vtrech*, pleriſque Scriptoribus Vltraiectum. *Ciuitas Mindenſis*, id est, Minda *. *Ciuitas Mimigardeuordenſis*, huic ciuitati nomen est Minimigardum in vita sancti Swiberti, hodie Monasterium *, vnde Monasterienſes Episcopi. *Ciuitas Osenbrugenſis*, id est, Ossenburgum siue Osnaburgum *.

Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum, cùm Vitiges Ostrogothorum Rex illam Francis concessit, duos habebat Episcopatus, Darentasienſem Metropolitanum cum Octodurenſi. Plures in hac Prouinciâ Ciuitates haud ha-

AN. CH. 536.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

* Strasbourg.
* Spire.
* Vvorms.
* Halberstad.
* Prague.
[a] Lib. 1.
* Paderborn.
* Aichstad.
* Vvirtzbourg.
* Constance.
* Coire.
* Vverden.
* Bamberg.
* Olmut.
* Le Lech.
* Hildesheim.
* Mayence.
* Cologne.
* Tungren.
* Maſtrich.
* Liege.
* Minden.
* Munſter.
* Osnabrug.

VI. ALPIVM GRAIARVM ET PENNINARVM.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

bent antiquæ Galliarum notitiæ. Testis ea quæ fuit edita, cum Gallias & septem Prouincias distingui mos erat. *Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum, numero* 11. *Ciuitas Centronum Darantasia. Ciuitas Valensium Octodoro.* Testis ea, quam Duchesnius in lucem emisit ex Bibliotheca Thuanea. *Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum habet Ciuitates numero* 11. *Metropolis Ciuitas Centronum, id est Tharantasia. Ciuitas Vallensium, id est Octodorus.* Testis & ea, quam Philibertus *du Sault* eidem Duchesnio Burdegalâ transmisit.. *In Prouincia Alpium Graiarum Ciuitates sunt* 11. *Ciuitas Metropolis Centronum, id est Tarentasia. Ciuitas Valensium, id est Octodorum.* Lapsu temporis aucta fuit hæc Prouincia duabus Ciuitatibus, sic enim describitur in Codice Petauiano, qui Prouinciæ Germanicæ primæ sexdecim Ciuitates attribuit, & vndecimi seculi typum videtur ob oculos exhibere. *Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum habet Ciuitates numero* 1 v. *Metropolis Ciuitas Centronum, id est Darentasia. Ciuitas Valensium, id est Octodorus. Ciuitas Augusta Prætoria. Ciuitas Merienna, à Gundranno Rege Burgundionum constructa.* Augusta * pertinuit olim ad Episcopatum Vercellensem *, ideóque, postquàm donata est Episcopali sede, subiacuit Metropolitæ Mediolanensi, donec *in ditionem Regum Burgundorum redacta, Mediolanensi curæ subtracta, Archiepiscopo Tarentasiensi paruit*, vt obseruat [a] Salutiensis * Episcopus in Historia Chronologica regionis * Pedemontanæ. Ostiola quibusdam dicta est velut ostium Italiæ. Sita est in Italia, Galliamque prætergressis occurrit omnium vrbium prima, nam longitudo Italiæ, teste Plinio [b], patet *ab Alpino fine Prætoria Augusta per Vrbem Capuamque, Rhegium * vsque oppidum.* Ex ipso situ loci petitur genuina ratio, cur illa Ciuitas, priusquàm Episcopum haberet, Episcopo Vercellensi paruerit, & postquàm Episcopum nacta est, subiacuerit Mediolanensi Metropolitæ, cui nunc etiam subest Episcopus Vercellensis. Ratio verò, cur è Prouincia Mediolanensi transierit ad Tarentasiensem, eruitur ex diuersis Regnoruum Principatumque mutationibus. De Augustâ Prætoriâ sic loquitur Ferdinandus Vghellus [c] in prologo, quem catalogo Augustensium Episcoporum præfixit. *Fuit olim Ducatus titulo nobilitata sub Longobardorum Regibus, defunctóque Cleoph Rege, Clotario Gallorum Regi cessit, mox Burgundionum, nunc Sabaudiæ Ducum veneratur imperium.* Trium illarum vicissitudinum primam ac postremam, omisso Burgundionum seu Burgundiæ Transiuranæ regno, sic etiam notat Episcopus [d] Salutiensis. *Eius*, id est, Augustæ, *& vniuersæ Vallis populi, quæ Ducatus titulum habet, tempore Clotarij Regis, defuncto Cleoph Longobardorum Rege, dominium Francorum Regum cum Ciuitate Secusia * subierunt, nunc autem Regiam Sabaudiæ Celsitudinem obseruant.* Hi Scriptores non satis accuratè legerunt Fredegarium, qui primus omnium, quomodò Augusta in potestatem Francorum deuenerit, in literas ita retulit [e]. *Longobardorum gens quemadmodum tributa* XII. *millia solidorum ditioni Francorum annis singulis dissoluebant, referam, vel quo ordine duas Ciuitates, Augustam & Siusium* (Segusium seu Secusiam sic appellat) *cum territoriis ad partem Francorum cassauerant, non abscondam. Defuncto Clepeo summo Principe, duodecim Duces Longobardorum* XII. *annis sine Regibus transierunt, ipsoque tempore per loca in Regno Francorum proruperunt. Eâ præsumptione in compositione Augustam & Siusium Ciuitates, cum integro illorum territorio & populo partibus Guntchramni tradiderunt. Posthæc*, &c. Fredegarius Augustam & Secusiam à Longobardis non Clotario Secundo vt Franciscus Augustinus * ab Ecclesiâ & Ferdinandus Vghellus existimarunt, sed Guntchramno eiusdem Clotarij patruo Regi Francorum traditas affirmauit. Decepti sunt illi, quia contextum Fredegarij non satis attentè perpenderunt. Ad annum Clotarij Regis triceſimum-quintum, id est, ad annum Christi ex computo Fredegariano sexcentesimum duodeuicesimum, quo Monarchia totius Franciæ penes ipsum Clotarium erat, egit Fredegarius de Legatione, quam *tres nobiles ex genere Longobardorum, Agilulfus, Pompegius & Gauto*, obierunt, vt tributi, quod Francis à multis annis ex pactio-

* *Aouste.*
* *De Vercel.*
[a] Cap. 1.
* *De Saluces.*
* *Le Piemont.*
[b] Lib. 1 c. 5.
* *Regge en Calabre.*
[c] Tom 4. Ital. Sacr.
[d] Cap 41 Hist. Chronol.
* *Suse.*
[e] Cap. 45.
* *François Augustin Chieza.*

ne priùs initâ perſoluebant, liberam remiſſionem ab eodem Clotario Rege poſtularent. Multa verò de Longobardis procul ab illo anno remota ſimul congeſſit, eodémque capite immediatè præmiſit, partim ad ipſum tributum, partim ad ceſſionem Auguſtæ & Secuſiæ pertinentia. Fredegarium examinabimus ad annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-quartum, quo Guntchramnus, Chilpericus ac Sigibertus, fratres in Franciâ regnarunt. Interim fatemur Auguſtam cum ſuo territorio, vt Fredegarius ſcripſit, in poteſtatem Guntchramni Regis ex ceſſione Longobardorum veniſſe. De Seguſio non ita cenſemus. Seguſium enim, quod Imperatori tunc obtemperabat, idem poſteà Guntchramnus non à Longobardis ſed ab Imperatore accepit, &, vt apud Iacobum [a] Sirmondum Codex Anitienſis docet, Eccleſiæ Mauriennenſi ſubiecit parochias Seguſienſes, quas Vrſicinus Taurinæ * Ciuitatis Epiſcopus Gregorij Magni temporibus ſibi reddi poſtulauit, vt ex epiſtolis eiuſdem Papæ conſtat [b]. Porrò, ſi Guntchramnus Rex parochias Seguſienſes Taurinenſis Diœceſeos, poſtquàm eas ditionibus ſuis adiunxit, Epiſcopo Taurinenſi deinceps ſubeſſe noluit, quia Taurinum in poteſtate Longobardorum adhuc erat, quis illum ob eandem rationem curaſſe non putet, vt Diœceſis Auguſtana Prouinciæ Mediolanenſi ſubſtraheretur accenſeretúrque Tarantaſienſi? Epiſcopus igitur Salutienſis, cùm ait Auguſtam Prætoriam *in ditionem Regum Burgundorum* redactam, Mediolanenſi curæ ſubſtractam, Archiepiſcopo Tarantaſienſi paruiſſe, per Reges Burgundionum deſignat ipſos Francorum Reges qui regnarunt in Burgundiâ, putà Guntchramnum, qui tertiæ tantùm parti Franciæ præfuit, nempe Franciæ Burgundicæ; vt Sigibertus frater, Franciæ Auſtraſianæ; & Chilpericus alter fratrum, Franciæ Neuſtraſianæ. Prouinciam omnem Tarantaſienſem poſteà poſſederunt Reges Burgundiæ Tranſiuranæ, qui nono ſeculo motâ contra Francos rebellione nouum regnum condiderunt. Ab illis Regibus, quorum poſtremus Rodolphus anno Chriſti triceſimo-ſecundo ſupra milleſimum interiit, Auguſta Prætoria tranſiit ad Comites Duceſque Sabaudiæ, & Sereniſſimo Sabaudiæ Duci Carolo Emmanueli ſecundo etiamnum paret. Mauriana *, cuius nomen in antiquis Galliarum notitiis non extat, ſita eſt intra Gallias, nec eſt valdè antiqua. Conditorem agnoſcit Guntchramnum Francorum Regem, primumque Epiſcopum habuit Ecconium qui Guntchramni Regis ætate floruit. Non deſunt, qui Guntchramnum Maurianæ non conditorem ſed inſtauratorem fuiſſe velint, & Ecconio Epiſcopo Voconium necnon Lucianum in catalogo Maurianenſium Epiſcoporum præponant. At Mauriana, cùm in Galliarum notitiis ante ſextum Dominicæ Incarnationis ſeculum editis haud nominetur, aut ſeriùs ædificata eſt, aut ſeriùs donata titulo Ciuitatis & Epiſcopatu. Franciſcus Auguſtinus [c] ab Eccleſiâ, quem Sammarthani [d] ſequuntur, nullâ probatione validâ nititur, vt Luciano & Voconio Maurianenſem Epiſcopatum aſſerat. De Luciano ſic loquitur. *Lucianus, qui in Concilio Romano ſub Iulio Papa anno 341. celebrato inſcribitur Maurianenſis Epiſcopus.* De Voconio ſic. *Voconius, cuius mentio habetur apud Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana*, additque ad marginem *an. 482.* Hæc argumenta facilè confutari poſſunt. Synodi Romanæ, quæ Luciani meminit, hic eſt textus. *Præſidente ſancto ac beatiſſimo Iulio Papâ Sedis Apoſtolicæ Romæ, propoſitis ſacroſanctis & venerabilibus Euangeliis, in Eccleſia Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ vocatur Conſtantiniana, reſidentibus etiam viris venerabilibus, paritérque cum eo audientibus, Benedicto Aquileienſi Epiſcopo, Rufo Carthaginenſi Epiſcopo, Agapito Rauennatis Eccleſiæ Epiſcopo, Iulio Mediolanenſi Epiſcopo, Luciano Maurianenſi, & reliquis cum eis 116. Epiſcopis.* Qui Concilia typis excudenda curarunt, ac notis illuſtrarunt, Lucianum Maurianæ Ciuitatis, de qua nobis hîc ſermo eſt, Epiſcopum non agnouerunt, ad marginem enim in editionibus Venetâ, Colonienſi & Pariſienſi repoſuerunt *Marianem*, quondam Archiepiſcopatum Calabriæ, & *Maranem*, quondam Epiſcopatum Dalmatiæ. Certè non mo-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] In not. ad pag. 441 to. 1. Concil. Gall.
* *De Turin.*
[b] Lib. 7. epp. 114. 120. edit. antiq. 121, 122. edit. vulg.

* *Morienne.*

[c] Cap. 45 Hiſt. Chronol.
[d] Tom. 3. Gall. Chriſt.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

dico temporis interuallo post Synodum, quam Romæ Iulius Papa celebrauit, interiecto, Maurianæ nomen audiri cœpit, desideratur enim in notitiâ Prouinciarum & Ciuitatum Gallicanarum editâ, cùm Ciuitas Turonorum Metropolis esset, imò cùm à reliquâ Galliâ septem Prouinciæ distinguerentur. Illam notitiam apud Sirmondum [a] & Duchesnium [b] consule. Claudius Robertus in Galliâ Christianâ nullam mentionem Luciani facit, nullóque teste producto catalogum Episcoporum Maurianensium à Voconio sic orditur. *Voconius an. 452.* Antiquius ac locupletius de Voconio testimonium non inuenitur. Robertum sic exprimunt Sammarthani. *Voconius an. 452.* Episcopus Salutiensis reponit annum 482. nec rationem affert cur dissentiat à Roberto quem citat. Hi duo scriptores de tempore, quo Voconium sedisse volunt, non conueniunt inter se. Neuter sententiam suam probat. Neuter opinionem alterius refellit. Neuter indicat quid anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-secundo, vel anno Christi quadringentesimo octogesimo-secundo gestum sit à Voconio. Standum igitur potiùs arbitramur ab Auctoribus, qui Maurianam à Guntchramno Rege conditam affirmant, & hac epochâ semel stabilitâ primum Episcopum Maurianæ scribunt Ecconium siue Ecconem vel Æconium aut Hiconium, cuius mentio fit in subscriptionibus Synodorum Matisconensium primæ ac secundæ, necnon apud Fredegarium [c] & Aimoinum [d]. Paruit Mauriana Regibus Francorum, deinde Regibus Burgundiæ Transiuranæ, postremò Comitibus ac Ducibus Sabaudiæ. Tarantasiensi Prouinciæ primùm attributa est, posteà Viennensi. Metropolitæ Tarantasiensi suberat adhuc vndecimo seculo, in notitia enim Galliarum iam laudatâ, quæ post annum Christi millesimum-sextum siue post erectionem Episcopatus Bambergensis edita est, & Prouinciæ Moguntinæ seu Germanicæ primæ sexdecim Ciuitates attribuit, *Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum habet Ciuitates numero* IV. & quatuor illæ Ciuitates sic enumerantur, *Metropolis Ciuitas Centronum, id est Darentasia. Ciuitas Valensium, id est Octodorus. Ciuitas Augusta Prætoria. Ciuitas Morienna à Gundranno Rege Burgundionum constructa.* Viennensi verò Metropoli subiacebat anno Christi millesimo ducentesimo-decimo. In Chronico enim Autissiodorensi, quod Robertus Cœnobij sancti Mariani Monachus ad illum vsque annum perduxit, Prouinciæ Alpium Graiarum tres tantùm Ciuitates accensentur, *Metropolis Ciuitas Darentasia, Ciuitas Augusta, Ciuitas Sedunum quæ & Octodorum.* Et in libro de Otiis Imperialibus, quem paucis pòst annis Geruasius Tilleberiensis ad Othonem Quartum Imperatorem scripsit, *Viennensis Archiepiscopus hos habet suffraganeos, Valentinum, Viuariensem, Diensem, Gratianopolitanum, Maurianensem, Gebennensem, & Tarentasiensis Archiepiscopus hos habet suffraganeos, Sedunensem, Augustensem.* Ex prædictis obseruationibus hæc tria colliguntur. Prouincia Tarantasiensis, cùm à Longobardis ad Francos transiit, duobus constabat Episcopatibus, Tarantasiensi videlicet Metropolitano, & Octodurensi qui posteà translatus est Sedunum *. Sub Guntchramno Francorum Rege, duobus aliis aucta est, Augustensi & Maurianensi. Quandiu sub imperio Francorum fuit, quatuor illos Episcopatus complexa est. Variis igitur limitibus pro diuersis temporibus à nobis circumscribetur. Quod attinet ad nomina Ciuitatum, illa variis modis pronuntiantur. Metropolis dicitur Tarantasia, Tarentasia, Darantasia, Darentasia & Daratasia, vnde Metropolitæ Tarantasienses, Tarentasienses, Darantasienses, Darentasienses & Daratasienses; dicitur & Ciuitas Centronum quia Centrones illic olim habitarunt. Octodorus & Octodorum vt Octodurus & Octodurum promiscuè dicuntur, vnde Episcopi Octodorenses & Octodurenses qui posteà Sedunenses à Seduno sunt appellati. Augusta, vnde Episcopi Augustenses & Augustani, peculiari cognomine distinguitur à ceteris eiusdem nominis, vocatur enim Augusta Salassorum seu Salassiorum & Augusta Prætoria, quia Cæsare Augusto nonùm Consule, id est, anno ante Christum natum vicesimo-tertio, Colonia Romano-

[a] To. 1. Conc. Gall.
[b] Tom 1. collect. Hist. Franc.
[c] Cap. 11.
[d] Lib. 3. c 90.
* Sion.

rum facta est victis Salassis, dictáque Augusta Prætoria, maximâ parte agrorum Prætorianis cohortibus traditâ, vt Dio testatur [a]. Mauriana, olim vlitatiùs Maurienna, vnde sexto seculo Episcopus Ecclesiæ Mauriennatis in subscriptionibus Synodorum Matisconensium, & septimo seculo Episcopus Mauriennensis apud Fredegarium [b], Episcopus verò Maurianensis apud Franciscum Augustinum ab Ecclesia in Historiâ Chronologicâ [c] Pedemontanæ regionis & apud Samuelem Guichenonum in Historia Genealogica [d] familiæ Sabaudicæ.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. R R. 25. THEOD. R. 2.

[a] Lib. 53.
[b] Cap. 12.
[c] Cap. 45.
[d] Lib. 6.

Prouincia Alpium Maritimarum, cùm Vitiges cisalpinas Ostrogothorum ditiones Francis tradidit, comprehendebat sex Episcopatus, Eberodunensem Metropolitanum, Dinienſem, Glannatensem, Vencienſem, Senetenſem & Cemelenenſem. In antiquis Galliarum notitiis plures huic Prouinciæ Ciuitates attribuuntur, *Metropolis Ciuitas Ebrodunenſium, Ciuitas Dinienſium, Ciuitas Rigomagenſium, Ciuitas Sollinienſium, Ciuitas Sanitienſium, Ciuitas Glannatina, Ciuitas Cemelenenſium, Ciuitas Vincienſium.* Agit de Ciuitatibus & Episcopatibus huius Prouinciæ Petrus Gassendus [e] in notitia Ecclesiæ Dinienſis, & super Ciuitatibus Rigomagensium & Sollinienſium, quæ non sunt in Episcopalium numero, duas refert opiniones, quarum alteram à Riuiera, alteram à Peireskio accepit. Narrabat Riuiera se habere acta, quibus comprobaret, esse non *Rigomagenſium* sed *Brigomagenſium* legendum, ac fuisse olim *Brigomagum*, quod iam appellatur *Brianſon*; *Sollinienſium* autem Ciuitatem eam fuisse quæ *Sedenenſium* iam dicitur, ac vtramque quidem initio Episcopalem sedem fuisse, sed posteriùs tamen coaluisse in Metropolim Ebredunum. Peireskius in ea fuit sententia, vt crederet *Trinum* * Montisferrati *Rigomagum* esse, quæ Lybicorum vel Libetiorum Ciuitas extiterit, & *Saliniam*, quæ iam Salucia *, ipsum esse *Sollinium*. Non displicet opinio Riuieræ, quia Sedenum * & Brigantio * loca sunt cisalpina, pertinéntque ad Galliam. Minùs verò probatur coniectura Peireskij, quia Trinum seu Tridinum & Salucia seu Salutiæ oppida sunt Italiæ, sita sunt enim trans Alpes, diúque subiacuerunt Episcopo Taurinensi Salutiæ, Trinum Episcopo Vercellensi, donec anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimoquarto erectus est Episcopatus Casalensis *, cui Trinum aliæque paroeciæ Diœceseon Vercellensis & Astensis * attributæ sunt, & anno Christi millesimo quingentesimo vndecimo erectus est Episcopatus Salutiensis, tribus Diœcesibus, Taurinensi, Albensi * & Astensi, imminutis. Si qui fuerunt olim Episcopi Ricomagenses aut Sollinienses, eorum memoria penitus excidit. Feliciùs actum est cum Episcopis Cemelenensibus, quorum insulæ non sunt obliuioni datæ. Ciuitas Cemelenensium siue Cemelienſium & portus Nicaensis haud procul distabant. Ciuitas illa variis nominibus appellatur, Cimela, Cimelum, Gemella, Mela, Cemela, Cemelenum, Cemelenium, Cemenæum, Cemenelio, Cemenelo, Cimela & Cimera. Celebratur à Plinio aliísque priscis Scriptoribus, habuitque Sanctissimos Episcopos, quorum nonnulli glorioſum Martyrium sub ethnicis Romanorum Imperatoribus consummarunt. Vastata fuit à Longobardis. Tunc ciues Niciam demigrarunt, vt tutiori se loco deffenderent. Nicia seu Nicæa paulatim aucta est; Portus primùm, deinde Castelli, postremò Ciuitatis nomen obtinuit. Portus Nicaensis laudatur temporibus Constantini Magni, Castellum Nicaense temporibus Leonis & Hilari Pontificum Romanorum. Volusiano & Anniano Consulibus, anno Christi trecentesimo decimo-quarto, Constantini Augusti octauo ad Concilium Arelatense conuenerunt, Innocentius Diaconus, Agapius Exorcista, *ex portu* [f] *Nicaensi*. Hilarus Papa [g], qui Pontificatum anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo suscepit, meminit *Castelli Nicaensis*. Ab aliquot annis in illa regione duo cœperant esse Pontifices, vnus à Ciuitate Cemelenensi dicebatur Cemelenensis, alter Nicaensis à Castello Nicaensi. Leo Magnus Ciuitatem Cemelenensem & Castellum Nicaense, sub

VII. ALPIVM MARITIMARVM.

[e] Cap. 9.

* Trin dans le Montferrat.
* Saluces.
* Sezenne.
* Brianſon.
* De Casal.
* D'Ast.
* D'Albe.

[f] Simond. tom. 1. Conc. Gall.
[g] Ep. 4.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

duobus Episcopis esse vetuit. Hilarus sententiam Leonis decessoris sic confirmauit. *Custoditis omnibus, quæ super Ecclesijs Cemelenensis ciuitatis vel castelli Nicaensis, sanctæ memoriæ decessoris mei definiuit auctoritas, nihil Ecclesiarum iuri noceat, quòd in altera memoratarum à prædicto fratre*, Ingenuo Ebredunensi Metropolitano, *ad excludendam cupiditatem, quemadmodum perhibuit, ambitionis alienæ, proximè est Episcopus constitutus, sed statuta correctionis forma permaneat, vt ad vnius Antistitis regimen prædicta loca reuertantur, quæ in duos diuidi non decuit Sacerdotes.* In posterum Pontifices illorum locorum, vel Episcopos se dixerunt Cemelenenses quia stabat ciuitas Cemelenensis, vel Episcopos se nominarunt Cemelenenses simul ac Nicaenses, quia vtrique Ecclesiæ Cemelenensium & Nicaensium præerant, Cemelenensium autem ciuitate dirutâ Nicaenses seu Nicienses Episcopos se nuncuparunt à Nicia, quia sedes Episcopalis ibi permansit. Ciuitas Cemelenensis & Nicaense castellum in potestatem Francorum venerunt ex cessione Ostrogothorum. Anno post decimo-tertio, Christi quingentesimo vndequinquagesimo Ætius Presbyter directus à Magno Episcopo *Ecclesiæ Cemelensis* * *& Nicaensis* Aurelianensi Concilio subscripsit, & anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quarto Synodum Arelatensem suâ subscriptione communiuit idem Magnus *Episcopus Ecclesiæ Cemelensis*. Cimela vastata fuit à Longobardis anno Christi quingentesimo septuagesimo-quarto, & in subscriptionibus Concilij Matisconensis secundi, quod anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto celebratum est, Catulinus dicitur *Episcopus à Nicia*. Hæc abundè sufficiunt, vt intelligas, quinam Episcopatus fuerint in Alpibus maritimis, cùm prouinciam illam Vitiges Ostrogothorum Rex Francis possidendam concessit. De Episcopatu Antipolitano, qui Grassam translatus est, & hodie Grassensis appellatur, subéstque Ebredunensi Metropolitæ, nihil hîc reperimus, mutationem enim istam fusiùs explicuimus suprà, cùm egimus de prouincia Narbonensi secunda, ad quam Diœcesis Antipolitana multis seculis pertinuit.

* *de Cimiés & de Nice.*

VIII. VIENNENS. I.

Ab Ostrogothica ditione transiit etiam ad Francicam Episcopatus Genauensis in prouincia Viennensi prima. Iam nostrarum partium est inuestigare, quinam singularum sedium in supradictis prouinciis Episcopi tunc extiterint.

IX. CÆSARIVS ARELAT. EPISC.

Cæsarius territorij Cabilonensis indigena XXXIV. annum agebat in Episcopatu Arelatensi, obiit enim, vt suo loco probaturi sumus, anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo, *cùm septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, è quibus quadragesimum in Pontificatu verteret circulus gyrum*, vt in eius vita manuscripta legimus, quam stylo nonnihil mutato Vincentius Barralis in Chronico Insulæ Lirinensis & Laurentius Surius sexto Kalendas Septembris ediderunt ex Cypriano ipsius Cæsarij discipulo, & ex Messiano Presbytero ac Stephano Diacono, qui nihil retulerunt præter ea, quæ vel simul vel sigillatim de Cæsario cognouerant, vel cum sanctissimis coepiscopis eius Cypriano, Firmino ac Viuentio pariter viderant. Cyprianus sub Cæsarij Pontificatu refert eundem Cæsarium in exilium ab Alarico Wisigothorum Rege pulsum, deinde Alaricum à Clodoueo Francorum Rege interemptum, obseruat Arelatem obsessam à Francis & Burgundionibus, agit de Theodorico Rege Ostrogothorum, de Symmacho Romano Pontifice, de Arausicensibus aliisque quos Ostrogothi regno suo cis Druentiam * dilatato captiuos Arelatem & in Italiam abduxerunt, itémque de Valentina Synodo, in qua Cyprianus Tholonensis * Episcopus plurimùm enituit, quámque Bonifacius Papa suis literis confirmauit, nec omittit varias Principum mutationes vicissitudinésque quibus Arelatensis ciuitas obnoxia fuit, dum à Wisigothis ad Ostrogothos & ab Ostrogothis ad Childebertum Francorum Regem peruenit. Nihil autem eorum à nostra Chronologia recedit. Cæsarius Pontificatum iniit anno Christi quingentesimo secundo, posteà proditionis per inuidiam accusatus, quòd Arelatem Burgundionibus proderet, abire iussus est Burdigalam *, Clodoueus Alaricum vicit anno Christi quingen-

* *La Durance.*

* *De Toulon.*

* *Bourdeaux*

AN. CH. 536.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

teſimo ſeptimo, Franci & Burgundiones Arelatem obſidione cinxerunt anno Chriſti quingenteſimo decimo, Symmachus Papa vixit vſque ad annum Chriſti quingenteſimum decimum-quartum, Theodoricus Oſtrogothorum Rex deſiit eſſe in viuis anno Chriſti quingenteſimo viceſimo ſexto, ditiones ſuas cis Druentiam latè propagarat anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-tertio. Quod ad Synodum Valentinam attinet, Auctor memoriâ lapſus eſt, nam Valentini Concilij loco reſtitui debet Arauſicanum de gratia & libero arbitrio celebratum Decio Iuniore Conſule, anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-nono, confirmatúmque literis à Bonifacio Papa huius nominis ſecundo ad Cæſarium datis octauo Kalendas Februarias Lampridio & Oreſte Conſulibus, anno Chriſti quingenteſimo triceſimo. Primum Concilium Valentinum iampridem habitum fuerat anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo-quarto, Gratiano Auguſto tertiùm & Equitio Conſulibus, ſecundum verò longè ſeriùs congregatum eſt ſub Guntchramno Rege. Porrò Cæſarius, antequàm Franci ciuitatem Arelatenſem in ſuam poteſtatem redegerint, non vni Synodo Arauſicanæ interfuit, legitur enim ſubſcripſiſſe multis aliis Conciliis; Agathenſi, die tertio Idus Septembris, Meſſalâ Conſule, anno viceſimo ſecundo Alarici Regis, ſiue anno Chriſti quingenteſimo ſexto; Arelatenſi quarto, die octauo Idus Iunias, Opilione Conſule, anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quarto; Carpentoractenſi *, die octauo Idus Nouembris, Mauortio Conſule, anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo; & Vaſenſi * ſecundo, Nonis Nouembribus, Decio Iuniore Conſule, anno Chriſti quingenteſimo viceſimo nono. Obſerua præterea ex antedictis, ciuitatem Arelatenſem Childeberto Regi obtigiſſe, cùm Francorum Reges prouincias à Vitige Oſtrogothorum Rege ſibi relictas inter ſe tripartitò diuiſerunt.

* De Carpentras.
* De Vaiſon.

X.
EPISCOPI, TOLON. VASENS. ARAVSIC. TRICAST. CARPENT.

Sedebant in Epiſcopatu Tolonenſi Cyprianus, Alethius in Vaſenſi, Vindemialis in Arauſicano, Heraclius in Tricaſtinenſi. Illi enim Epiſcopi Conciliis interfuerunt, Arauſicano ſecundo, cùm adhuc ſub Gothorum poteſtate degerent anno quingenteſimo viceſimo nono, Decio Iuniore Conſule, & Aurelianenſi quarto ſub Regibus Francorum, anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-primo. Vendacenſi ſeu Carpentoractenſi Diœceſi præerat Siffredus à Cæſario Arelatenſi Metropolitano in Epiſcopum ex Monacho Lirinenſi ordinatus poſt obitum Iuliani, qui Synodo Epaonenſi ſub Burgundionibus, itémque Conciliis Arelatenſi quarto, Carpentoractenſi & Arauſicano ſecundo ſub Gothis ſubſcripſit. Maſſilienſem ſedem tunc obtinebat Dalmatius Cæſario ac Cypriano prædictis coætaneus. Ad illa vſque tempora peruenire potuerunt, Philagrius Epiſcopus Eccleſiæ Cabellicæ *, qui Concilio Arauſicano ſecundo ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo vndetriceſimo, & Salutaris Epiſcopus Eccleſiæ Auenionenſis *, cuius nomine Peladius Preſbyter Concilio Epaonenſi ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo decimo ſeptimo. Salutari ſucceſſit Antoninus, cuius mentio fit in Concilio Aurelianenſi quinto.

MASSIL.
CABELL.
* De Canaillon.
AVENION.
* d'Auignon.

XI.
AQVENS. APTENS. SISTARIC. ANTIPOL. FOROIVL.

In prouincia Narbonenſi ſecunda, cùm inde Oſtrogothi diſceſſerunt, exiſtimamus Epiſcopos ſediſſe Maximum Aquenſem Metropolitanum, Prætextatum Aptenſem, Auolum Siſtaricenſem, Euterium Antipolitanum, Deſiderium Foroiulienſem, Tigridem Vappincenſem & Contumelioſum Regenſem. Maximus Aquenſis * Epiſcopus, Auolus Epiſcopus Siſtaricenſis *, Euterius Epiſcopus Antipolitanus *, & Gratianenſis Preſbyter nomine Deſiderij Epiſcopi Foroiulienſis * Concilio Aurelianenſi quarto poſt quinquennium ſubſcripſerunt. Prætextatus Epiſcopus Aptenſis * ſub Burgundionibus, Gothis & Francis floruit, vt conſtat ex Conciliis Epaonenſi, Arelatenſi quarto, Arauſicano ſecundo & Aurelianenſi quarto, quibus interfuit. Tigrides in Cathedra Vappincenſi * ſedit poſt ſanctum Conſtantium, qui viuebat adhuc anno Chriſti DXXIX. quo celebratum eſt Concilium Arauſicanum ſecundum. Contumelioſus Regenſis * Epiſcopus ſubſcripſit tribus Conci-

* d'Aix.
* de Siſteron.
* d'Antibe.
* de Freius.
* d'Apt.
VAPINC.
* de Gap.
REGENS.
* de Riez.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

liis ; Arelatensi Quarto, anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto ; Carpentoractensi, anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo ; & Vasensi Secundo, anno Christi quingentesimo vicesimo-nono ; posteà cùm lapsus esset in capitale crimen, & iuxta Patrum statuta sacris non posset inhærere mysteriis, ab officio remotus est auctoritate Ioannis [a] Papæ Secundi, vt in Monasterio constitutus delicti veniam à Domino petere non omitteret. Extant eâ de re literæ Pontificiæ septimo Idus Apriles ad vniuersos Episcopos per Gallias constitutos datæ Paulino Iuniore Consule, anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto, quibus præterea Papa ne Regensis Ecclesia destituta videatur, decernit in Contumelioſi loco *Visitatorem dari, qui à se noverit ita omnia exhibenda, vt nihil de ordinibus Clericorum, nihil de Ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exequatur.* Eodem quoque die, vt Codex Lirinensis testatur, Ioannes [b] Pontifex *ad Presbyteros, Diaconos, & cunctum Clerum Regensis Ecclesiæ* Præceptum misit, quo iussit eos per absentiam Contumelioſi parere in omnibus Visitatori ad ea tantummodò quæ sacris essent gerenda mysteriis, ita tamen vt nihil de Ecclesiastica facultate præsumeret, & Clerus in eo quo tunc esset ordine constitutus, nullis gradibus promoueretur, donec proprium habere posset Sacerdotem. Contumelioſus sententiâ Ioannis damnatus ad Agapetum Papam Ioannis successorem appellauit, Agapetus Cæsario Episcopo Arelatensi literas scripsit decimo-quinto Kalendas Augusti post Consulatum Paulini Iunioris, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto ; *vsque ad exitum iudicij*, quod delegaturus erat, *Episcopum Contumelioſum reddità modò propria substantiâ suspensum interim* voluit *ab administratione patrimonij Ecclesiastici, & celebratione Missarum, & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi eiusdem Ecclesiæ constituto, itaut alimonia sufficienter Episcopo non* negarentur, *visitatoriam in eius loco* præcepit *ordinari personam.* Atque is erat status Ecclesiæ Regensis, cùm prouincia Narbonensis secunda Francis parere cœpit.

[a] Ep. 3.

[b] Ep. 4.

XII. DARANTAS. OCTODOR.

In Prouinciâ Alpium Graiarum, anno Christi quingentesimo decimo-septimo, cùm Epaonense Concilium celebratum est, sedebant Episcopi, Sanctus Darantasiensis * Metropolitanus, & Constantius Octodorensis. An peruenerint ad annum Christi DXXXVI. quo prouinciam illam Ostrogothi Francis concesserunt, non liquidò nobis patet, Rufus Constantij successor in Episcopatu Octodorensi * subscripsit Conciliis Aurelianensibus Quarto & Quinto.

* *De Tarantaise.*

* *De Martinach.*

XIII. EBREDVN. VINCIENS. SENETENS. GLANNAT. DINIENS. CEMELENS.

In Prouinciâ Alpium maritimarum Metropolitanus Episcopus sedebat Ebreduni Gallicanus cuius nomen Conciliis Arelatensi Quarto, Carpentoratensi, Arausicano Secundo, Vasensi Secundo, Aurelianensibus Quarto & Quinto subscriptum reperitur. Deuterius Episcopus Vincientis *, Simplicius Episcopus Senetensis *, & Benenatus Presbyter nomine Claudij Episcopi Glannatensis * Concilio Aurelianensi Quarto post quinquennium subscripserunt. Hilarius Episcopus Dinientis * & Aetius Presbyter nomine Magni Episcopi Cemelensis & Nicaensis interfuerunt Concilio Aurelianensi Quinto. Nihil legimus de illarum sedium Episcopis, quod ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum propiùs accederet. Hilarius Episcopus Dinientis longissimam vitam duxit. Illi videtur inscriptum Fortunati epigramma [c], quod quidam Hilario Antistiti Gabalitano missum volunt, sed perperam, quia Sanctus Hilarius Pontifex Gabalitanus obiit, antequam Fortunatus in Galliam veniret.

* *De Vence.*

* *De Senez.*

* *De Glandesue.*

* *De Digne.*

[c] Lib. 3. c. 19.

XIV. GENAVENS.

Maximus Episcopus Genauensis sub Burgundionibus ac Gothis vixit, subscripsit enim Conciliis Epaonensi & Arausicano Secundo, aliisque intermediis ; an autem sub Francis etiam floruerit, in dubio relinquimus, quia nomen Episcopi Genauensis *, qui Toribium Presbyterum ad Concilium Aurelianense Quartum direxit, in subscriptionibus illius Concilij non exprimitur, successorem habuit in Episcopatu Pappulum, cuius mentio est in Concilio Aurelianensi Quinto.

* *De Genève.*

Ex

Ex illis Episcopis relati sunt in tabulas Ecclesiasticas Cæsarius Arelatensis & Tigrides Vapincensis.

Præterea inter Sanctos coluntur Gallicanus Ebredunensis in Galliâ Christianâ Sammarthanorum, Cyprianus Tolonensis & Siffredus Vendacensis in Martyrologio Gallicano.

In Ebredunensis * Ecclesiæ Breuiario Sanctus Gallicanus Peladio proximè successisse traditur, & in Sancti Peladij vitâ decessor eiusdem Peladij prædicatur, inde factum, vt plerique duos constituerint Gallicanos, alterum sancti Peladij antecessorem, alterum successorem. Apud Sammarthanos, qui sunt in hac sententiâ, prior Gallicanus Synodo Aurelianensi Quartæ interest anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, & per Probum Diaconum Quintæ subscribit anno pòst octauo, deinde Gallicano succedit Peladius, huic posterior Gallicanus sub cuius Pontificatu Donatus Eremita cum socio Florentino miraculis claret. Si duos distingueremus Gallicanos, aliam iniremus Chronologiam, prioris Gallicani nomen Synodis, Arelatensi Quartæ, Carpentoractensi, Arausicanæ Secundæ & Vasensi Secundæ subscriptum diceremus ad annos Christi, vicesimum-quartum, vicesimum-septimum & vndetricesimum supra quingentesimum, posterioris verò Conciliis Aurelianensibus Quarto & Quinto ad annos Christi quingentesimum quadragesimum-primum & quingentesimum vndequinquagesimum, & Peladij Pontificatui locum inter Synodos Vasensem Secundam & Aurelianensem Quartam, siue inter annos Christi quingentesimum vndetricesimum & quingentesimum quadragesimum-primum assignaremus. Nostri calculi ratio duceretur ab ætate sancti Marij Bodanensis Abbatis, qui sancto Donato, quem sub Gallicano Secundo floruisse volunt, superstes fuit, nec videtur diu post Concilium Aurelianense Quintum vixisse, quia monasticam vitam Aureliæ primùm duxit, & postquàm nominis sui famam per dissitas prouincias egregiè disseminasset, à Bodanensibus fratribus in Abbatem electus est, cùm Gundebadus, cuius mors anno Christi quingentesimo decimo-sexto consignatur, adhuc in Burgundiâ regnaret, & Sistaricensem Pontificatum gereret Ioannes, cuius successor Valerius Epaonensi Concilio subscripsit anno Christi quingentesimo decimo-septimo. At vt duos Gallicanos fuisse contendamus nulla res cogit. Superest alia quæstio de tempore quo Peladius iniit Episcopatum, hanc difficultatem post Synodum Aurelianensem Quintam examinabimus, Peladium enim Gallicani non decessorem sed successorem putamus. Interim obserua de Sancto Gallicano, quòd Sanctorum Vincentij, Orontij & Victoris, qui Martyrium in persecutione Diocletiani & Maximiani consummarunt, templum, quod hodie parochiale est in vrbe, consecrauit.

Quarto Nonas Octobris in supplemento Martyrologij Gallicani celebratur Telone Martio memoria sancti Cypriani Abbatis; deinde quæ perenni quoque cultu in Telonensi matrice Ecclesiâ viget, subiungitur percolenda recordatio beati Cypriani Martyris, *necnon & sancti Cypriani Ecclesiæ illius Telonensis Episcopi, qui vitam sancti Cæsarij Arelatensis conscripsit, inque Conciliis aliquot magnus & clarus, doctrinâ & moribus sanctis emicuit.* Dubium non est quin sanctus Cyprianus Tolonensis Episcopus multis Conciliis interfuerit, sed sancti Cæsarij vitam ab eo relatam in literas negamus, nostrámque sententiam probabimus in obitu sancti Cæsarij.

Sanctus Siffredus Vendacensis Antistes in Martyrologio Gallicano colitur tertio Kalendas Decembres. Tres ædificauit Ecclesias in sua Diœcesi; duas in ipsâ ciuitate Vendacensi, alteram sancto Ioanni Baptistæ, alteram beatissimæ Virgini; tertiam autem sancto Antonio in castro Carpentoractensi, ad quod postmodum Vendaco * diruto sedes Pontificia translata est. Obiit senex Vendaci quinto Kalendas Decembres in domunculâ quam prope Basilicam Beatæ Mariæ construxerat. Agemus de successore Clematio in Concilio Aurelianensi Quarto. Lege Chronicon Lerinense.

AN. CH. 536.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.
XV. XVI. XVII.
* *D'Ambrun.*
S. GALLICANVS EBREDVN. EP.
XVIII.
S. CYPRIAN. EP. TOLON.
XIX.
GESTA S. SIFFREDI EP. CARPENTOR.
* *Venaque.*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Apud oppidum Vapingum tertio Nonas Februarias Vsuardus ponit natalem Tigridis & Remedij Episcoporum, qui coluntur eodem die in Martyrologio Romano, sed in Gallicano mentio fit tantùm Remedij illo die, Tigridis verò Kalendis Februarijs. Sanctus Tigrides sedit post Sanctum Constantium qui Concilio Epaonensi subscripsit anno Christi quingentesimo decimoseptimo. Beato Tigridi successit sanctus Remedius, huic Vellesius qui Synodo Aurelianensi Quintæ interfuit.

XX. EPISCOPI VAPING

In tabulis Ecclesiasticis colitur sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus sexto Kalendas Septembris.

XXI. XXII. REGVLA CASSIANI.

Quia in eâ Galliæ Braccatæ seu Narbonensis parte, quam Franci cedentibus Wisigothis obtinuerunt, erant Monasteria non pauca, in quibus disciplina Cassiani vigebat, hoc loco nobis inquirendum seriò, quænam illa esset, & in quibus potissimùm præceptis versaretur. Apud Sanctum Benedictum Abbatem Anianensem in concordiâ Regularum citatur frequentissimè Regula Cassiani, sed an scripta sit à Cassiano, non adeò certum est, cùm Photius, Gennadius, & alij, qui de operibus Cassiani scripserunt, nullam eiusmodi Regulæ mentionem faciant. Verùm ætate Gregorij Turonensis, vt ipsemet testatur [a], in Monasterio, quod sanctus Aredius fundauit, *non modò Cassiani, verùm etiam Basily, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt*, Regulæ celebrabantur. Ex illo textu non inualidam erues coniecturam pro Regulâ Cassiani, quamuis hæc inter eius opera desideretur. Hugo Menardus in dissertatione, quam concordiæ Regularum præfixit, suspicatur eiusmodi Regulam fuisse compositam ab Eucherio Episcopo Lugdunensi, qui teste Gennadio *Cassiani quædam opuscula lato tensa eloquio, augusto reuoluens verbi tramite, in vno coegit volumine.* Certè quicquid in concordiâ Regularum ascribitur Regulæ Cassiani, totum desumitur ex libris secundo, tertio & quarto Cassiani de Cœnobiorum institutis, & commodè referri potest ad sex præcipua capita, quorum primum inscribatur de gradibus humilitatis, secundum de diuinis Officiis nocturnis, tertium de diuinis Officiis diurnis, quartum de opere quotidiano, quintum de mensâ, sextum de excommunicatione. Nec operi Cassiani nomen Regulæ denegandum est, in eo enim non tam Monachorum Ægyptiorum, Palæstinorum, aliorúmque mores & instituta narrantur, quàm quid faciendum sit præcipitur Monachis *nouelli Monastery* à Castore, cui tunc Aptensi Episcopo Cassianus suos libros dicauit, in prædio Diœceseos Nemausensis * haud pridem constructi. Pleraque mutuati sunt ab eodem Cassiano Sancti Cæsarius, Benedictus & Columbanus, de quorum Regulis infrà suis etiam locis nobis agendum erit.

[a] Lib. 10. c. 29.

SEX EIVS PRÆCIPVA CAPITA.

* *De Nismes.*

XXIII. GRADVS HVMILITATIS.

Cassianus libro quarto de Cœnobiorum institutis, capitibus nono, tricesimo-septimo, tricesimo-nono, tribúsque proximè sequentibus complectitur varios gradus humilitatis, quos Sanctus quoque Benedictus enumerat capite septimo suæ Regulæ. Quapropter illorum explicationem differemus, donec eandem beati Benedicti Regulam exponendam aggrediamur.

XXIV. OFFICIVM NOCTVRNVM.

De diuinis Officiis nocturnis agit potissimùm Cassianus libro secundo, qui totus est & inscribitur *de Canonico nocturnarum orationum & psalmorum modo.* Hæc materia, vt clariùs explicetur, in plures articulos est distinguenda.

XXV. SOLEMNITATES PVBLICÆ AC PRIVATÆ DIEBVS PVBLICIS AC PRIVATIS.

Monachi ter ad diuinum Officium persoluendum festis diebus, bis tantùm diebus priuatis, vtrisque semel noctu, interdiu verò semel his, bis illis conuenire debent. *Exceptis*, inquit Cassianus [b], *vespertinis ac nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica solemnitas, absque die Sabbathi vel Dominicâ celebratur, in quibus horâ Tertiâ sacra communionis obtentu conueniunt.* De diurnis solemnitatibus tam publicis, quæ diebus festis ad Tertiam & Vesperam & ceteris diebus ad Vesperam tantùm, quàm priuatis, quæ diebus festis ad Primam, Sextam & Nonam, diebúsque ceteris ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam fiebant, sermonem inferiùs post expositionem nocturnarum precum instituemus.

[b] Lib. 1. c. 2.

Nocturnum Officium, quod hodie Matutinum vocamus, apud Cassianum [a] constat duodecim Psalmis, duabusq; Lectionibus, quarum prior veteris est Testamenti, posterior noui; vel vtraque huius, si dies est Sabbati vel Dominicus, aut vnus ex illis, qui medij fluunt Pascha inter ac Pentecosten, & Quinquagesimæ vocabulo comprehenduntur ab iis, qui duplicem Quinquagesimam constituunt, vnam mœroris ante Pascha, *quam in pœnitudine peccatorum nostrorum exigamus*, alteram lætitiæ post Pascha, *in qua laudibus & orationibus operam dantes studeamus peruenire ad promissam Spiritus sancti gratiam.* Obseruat Cassianus [b] non vnum numerum ad decantandos Psalmos per vniuersas prouincias statutum fuisse. *Quidam enim*, inquit, *vicenos seu tricenos Psalmos, & hos ipsos Antiphonarum protelatos melodiis & adiunctione quarumdam modulationum debere dici singulis noctibus censuerunt. Alij hunc modum etiam excedere tentauerunt. Nonnulli decem & octo. Atque in hunc modum diuersis in locis diuersum Canonem agnouimus institutum, totque propemodum typos ac regulas vidimus vsurpatas, quot etiam Monasteria Cellásque conspeximus.* Aliis autem numeris anteponit duodenarium, quia *per vniuersam Ægyptum & Thebaidem custoditur, & non humanâ adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed calitùs Angeli ministerio Patribus fuisse delatus.* Nam *cùm Ecclesia primitiuæ perfectio penes successores suos adhuc recenti memoriâ inuiolata duraret, feruénsque pancorum fides necdum in multitudinem dispersa tepuisset, venerabiles Patres peruigili curâ posteris consulentes, quinam modus quotidiano cultui per vniuersum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi conueniunt, vt hæreditatem pietatis ac pacis etiam successoribus suis absolutam ab omni dissensionis lite transmitterent, verentes scilicet ne qua in quotidianis solemnitatibus inter viros eiusdem culturæ consortes dissonantia vel varietas exorta, quandoque in posterum erroris vel æmulationis seu schismatis noxium germen emitteret. Cúmque pro suo vnusquisque feruore infirmitatis immemor aliena id statui debere censeret, quod contemplatione fidei ac roboris sui facillimum iudicabat, parùm discutiens quid generaliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri, diuersóque modo enormem Psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute certarent, & alij quinquagenos, alij sexagenos Psalmos, nonnulli verò ne hoc quidem numero contenti excedi eum debere censerent, esséteque inter eos pro religionis regula pia contentionis sancta diuersitas, ita vt tempus solemnitatis Vespertinæ sacratissimæ succederet quæstioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium Psalmos Domino cantaturus exurgit. Cúmque sedentibus cunctis (vt est moris nunc vsque in Ægypti partibus) & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim Psalmos orationum interiectione distinctis contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub Alleluia responsione consummans, ab vniuersorum oculis repentè subtractus, quæstioni pariter & cæremoniis finem imposuit.* Hæc Cassianus [c], qui decretum Patrum pro duodecim Psalmis in Officio tam vespertino quàm nocturno decantandis cum duabus Lectionibus mox ita subiungit [d]. *Exhinc venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem Canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decreuit hunc numerum tam in vespertinis quàm in nocturnis conuenticulis custodiri, quibus lectiones geminas adiungentes, id est, vnam veteris, & aliam noui Testamenti, tanquam à se eas traditas & velut extraordinarias, volentibus tantùm, ac diuinarum Scripturarum memoriam possidere assiduâ meditatione studentibus addiderunt. In die verò Sabbati vel Dominico vtrasque de nouo recitant Testamento, id est, vnam de Apostolo vel Actibus Apostolorum, & aliam de Euangeliis. Quod etiam totis Quinquagesimæ diebus faciunt hi, quibus lectio curæ est seu memoria Scripturarum.* Quid hoc loco Quinquagesima significet exposuimus suprà. Cur dies Sabbati æquè ac Dominicus ab Orientalibus coleretur, dicemus alibi. Hìc tantùm obserua dies in festiuas & priuatas, siue in solemnes & non solemnes distingui, diésque festiuas seu solemnes per diem Sabbati diémque Dominicum à Cassiano designari.

[a] AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. XXVI. MATVTINVM.

[b] Lib. 2. c. 6.

[b] Lib. 2. c. 2.

CONSTAT DVODECIM PSALMIS.

[c] Lib. 2. capp. 4. 5.

[d] Lib. 2. c. 6.

ET DVABVS LECTIONIBVS.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

XXVII. RITVS CANTANDI PSALMOS.

Apud eumdem Auctorem in Officio nocturno Lectores in medio fratrum assurgentes clarâ sonorâque voce decantant Psalmos, eorúmque duodenarium numerum ita partiuntur, vt si duo sint, singuli senos; si tres, singuli quaternos; si quatuor, singuli ternos occinant. Sic enim ille [a]. *Prædictum verò duodenarium Psalmorum numerum ita diuidunt, vt si duo fuerint fratres, senos psallant; si tres, quaternos; si quatuor, ternos. Quo numero numquam minùs in congregatione decantant, ac proinde quantalibet multitudo conuenerit, numquam amplius psallunt in synaxi, quàm quatuor fratres.* Stantes & erecti cantant, quia ille Angelus, qui psallendi modum Patribus Ægyptiis præscripsit, hunc standi modum seruauit, docuitque, dum in medio fratrum, quibuscum residebat, Psalmos decantaturus exsurrexit. De ceteris, qui sedent silentque in psallentis verba omni cordis intentione defixi, sic idem Cassianus [b]. *Hunc sanè Canonicum, quem prædiximus, duodenarium Psalmorum numerum tali corporis quiete releuant, vt has easdem congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo, qui dicturus in medium Psalmos surrexit, cuncti sedilibus humillimis insidentes, ad vocem psallentis omni cordis intentione dependeant.* Idem silentium mirè prædicat [c] alio loco, seu Lector psallat, aut pausam interiiciat, seu Sacerdos precem concludat. *Cùm prædictas*, inquit, *solemnitates, quas illi Synaxes vocant, celebraturi conueniunt, tantum à cunctis silentium præbetur, vt cùm in vnum tam numerosa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitùs adesse credatur, ac præcipuè cùm consummatur oratio, in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur, nulla vox, absque Sacerdotis precem concludentis, auditur, nisi forte hæc quæ per excessum mentis claustra oris effugerit, quæque insensibiliter cordi obrepserit, immoderato scilicet atque intolerabili spiritus feruore succenso, dum ea quæ ignita mens in semetipsâ non prævalet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis pectoris sui conclauibus euaporare conatur. Illum verò, qui constitutus in tepore mentis cum clamore supplicat, aut aliquid horum, quæ prædiximus, è faucibus suis emittit, aut præcipuè oscitationibus præuenitur, dupliciter peccare pronunciant. Primò, quòd orationis suæ reus sit, quòd eam videlicet negligenter offerat Deo. Secundò, quòd indisciplinato strepitu, alterius quoque, qui forsitan intentiùs orare potuit intercipit sensum. Ideóque præcipiunt eam celeri fine concludi, ne fortè immorantibus nobis in ea, redundantia quædam sputi seu phlegmatis interrumpat orationis excessum. Et idcircò dum adhuc feruet, velut è faucibus inimici velociter rapienda est. Qui proculdubiò cùm sit nobis semper infestus, tum maximè adsistit infestior, cùm contra se offerre nos preces Domino velle præuiderit, cogitationibus seu diuersis humoribus excitatis, abducere mentem nostram à supplicationis intentione festinans, & per hoc eam tepefacere à cœpto feruore contendens. Quamobrem vtilius censent breues quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem, vt frequentiùs Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus, hoc verò vt insidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè, cùm oramus, insistit, succinctâ breuitate vitemus. Et idcircò ne Psalmos quidem ipsos, quos in congregatione decantant, continuatâ studeant pronuntiatione concludere, sed eos pro numero versuum duabus vel tribus interciſionibus cum orationum interiectione diuisos distinctim particulatímque consummant. Non enim multitudine versuum sed mentis intelligentiâ delectantur, illud totâ virtute sectantes.* [*Psallam spiritu, psallam & mente.*] *Idéque vtilius habent decem versus cum rationabili assignatione cantari, quàm totum Psalmum cum confusione mentis effundi. Quæ nonnumquam pronunciantis festinatione generatur, dum residuorum Psalmorum, qui decantandi sunt, modum numerúmque considerans, non distinctionem sensuum audientibus studet pandere, sed ad finem Synaxeos properat peruenire. Denique si quispiam iuniorum, vel pro feruore spiritus, vel pro eo quòd necdum institutus est, cœperit modum decantationis excedere, psallentis progressio, senioris interdicitur plausu, quem dans manu suâ in*

[a] Lib. 2. c. 11.

[b] Lib. 2. c. 12.

[c] Lib. 2. capp. 10. 11.

ſedili quo ſedet, cunctos facit ad orationem conſurgere, illud omnibus modis prouidens, ne quod ſedentibus tædium generetur prolixitate Pſalmorum, quâ is qui decantat, non modò per ſeipſum intelligentiæ fructum amittat, ſed etiam per illos incidat detrimentum, quos faſtidium Synaxeos nimietate ſuâ fecit incurrere. In hoc textu deprehenditur duplex orationis genus, mentale vnum, alterum vocale, vtrumque breue ne faſtidio ſit. Orationi mentali vacant omnes in fine cuiuſlibet Pſalmi, necnon ad ſingulas Lectoris pauſas, ſi quæ fiunt in eodem Pſalmo quia prolixior eſt. Vocali ſolus Sacerdos, ac ſemel vt Officium concludat. Nam Alardus Gazæus Cœnobita Vedaſtinus Ordinis Benedictini, qui Caſſianum Commentariis illuſtrauit, ad hanc phraſin ſuprà recitatam, *nulla vox, abſque Sacerdotis precem concludentis*, obſeruat *abſque* poni pro *niſi* vel *præterquàm*, & *precem* pro *officio*, ita vt verborum ſenſus ſit nullam vocem audiri præterquàm Sacerdotis qui Officium concludat, & ſecundùm illam interpretationem vnica duntaxat à Sacerdote dicitur Oratio, quâ omnium vota precéſque in fine Officij colligit, vnde & illa Oratio Collectæ nomen apud multos Auctores obtinet. Alio loco diſciplinam orandi priori modo, ſic explicat Caſſianus [a]. *Prædictas Orationes hoc modo incipiunt atque conſummant, vt finito Pſalmo non ſtatim ad incuruationem genuum corruant.* Et paucis interiectis, *Sed antequàm flectant genua, pauliſper orant, & ſtantes in ſupplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque poſt hæc puncto breuiſſimo procidentes humi, velut adorantes tantùm diuinam clementiam, ſummâ velocitate conſurgunt, ac rursùs erecti expanſis manibus eodem modo, quo priùs ſtantes orauerant, ſuis precibus immorantur. Humi namque diutiùs procumbentem non ſolùm cogitationibus aiunt, verùm etiam ſomno grauiùs impugnari. Quod etiam nos verum eſſe vtinam non experimentis & quotidianâ conſuetudine noſceremus, qui ſæpenumerò hanc eandem incuruationem membrorum, non tam orationis quàm refectionis obtentu in terram proſtrati optamus diutiùs prolongari. Cùm autem is qui orationem collecturus eſt, è terra ſurrexit, omnes pariter eriguntur, ita vt nullus, nec antequàm inclinetur ille, genu flectere, nec cùm è terra ſurrexit, remorari præſumat, ne non tam ſecutus fuiſſe illius concluſionem qui precem colligit, quàm ſuam celebrare credatur.* Synaxi præeſt is qui precem colligit, iſque modò Sacerdos, modò Senior à Caſſiano vocatur, quia ſi Preſbyter adeſt, id muneris eſt penes eum; ſin autem, penes Seniorem, id eſt, penes Abbatem aut penes Monachum qui cæteris habitâ dignitatis aut ætatis ratione præcellit.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] Lib. 3. c. 7.

Inter Pſalmos reperiuntur viginti, qui dicuntur Alleluiatici, quoniam pro titulo habent *Alleluia*, ſuntque centeſimus-quartus duóque ſubſequentes, item centeſimus-decimus & ſubſequentes octo, necnon centeſimus triceſimus-quartus, centeſimus triceſimus-quintus, centeſimus quadrageſimus-quintus, & quinque ſubſequentes. Hos ſolos cum *Alleluia* cani vult Caſſianus, teſtatur enim apud Monachos Ægyptios omni obſeruantiâ cuſtodiri, *vt in reſponſione Alleluia nullus dicatur Pſalmus, niſi is, qui in titulo ſuo Alleluia inſcriptione prænotatur.* Quo loco *reſponſionem* interpretare cantum. In eadem ſignificatione *reſpondere* ſumitur apud Gregorium [b] Turonenſem ab Oppila Lewichildi Wiſigothorum Regis Legato, cuius hæc ſunt verba. *Gloriam non rectè reſpondetis*, id eſt, gloriam non rectè canitis. *Alleluia* verò nomen eſt Hebraicum, occurritque primùm in titulo Pſalmi centeſimi quarti, ad quem Michael Ayguanus Carmelita ſic ait in ſuo Commentario. *Sciendum quòd Alleluia non eſt ſolum vna dictio, vt aliqui putant, ſed ſunt duæ dictiones ſimul compoſitæ, ſcilicet Allelu & ja. Nam Allelu idem eſt quod laudate & eſt verbum imperatiui modi. Ia verò eſt nomen Domini, & eſt hîc ja accuſatiui caſus. Vnde Alleluia idem eſt quod laudate Deum, ja enim ſignificat Deum vt eſt inuiſibilis. Et ſic Alleluia idem eſt quod laudate Dominum inuiſibilem.*

XXVIII. PSALMI ALLELVIATICI.

[b] Lib. 6. c. 40.

Cur vno pſallente ceteri ſedeant in Synaxi, cúrque duodecim tantùm decententur Pſalmi, nec maior Canonicarum orationum numerus in Officio nocturno præſcribatur, has rationes affert Caſſianus [c]. *Canonicum quem prædi-*

XXIX.

[c] Lib. 2. c. 12.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

ximus, duodenarium Psalmorum numerum tali corporis quiete releuant, vt hos eas-dem congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo, qui dicturus in medium Psalmos surrexit, cuncti in sedilibus humillimis insidentes ad vocem psal-lentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque ieiuniis & operatione totius diei noctisque lassescunt, vt nisi huiusmodi refectione adiuuentur, ne hunc quidem numerum stantes implere praualeant. Nullum etenim tempus ab operis exercitatio-ne vacuum transire concedunt, quia non solùm ea quæ diei splendor admittit, om-ni instantiâ manibus exercere contendunt, sed etiam illa operationum genera sollici-tâ mente perquirunt, quæ ne ipsius quidem noctis densissimæ tenebræ valeant im-pedire, credentes se tantò sublimiorem spiritualium contemplationum puritatem mentis intuitu quæsituros, quantò diutiùs fuerint erga operis studium ac laboris in-tenti. Et idcircò mediocrem Canonicarum orationum numerum iudicant diuinitùs moderatum, vt ardentioribus fide, spatium, quo se virtutis eorum insatigabilis cur-sus extenderet, seruaretur, & nihilominùs fessis ægrisque corporibus minimè gigne-retur de nimietate fastidium. Hoc loco Gazæus rectè queritur imperitos quos-dam & importunos homines inueniri, qui totos dies in Psalmodia & cantu in-sumendos putant, ignorántque veterum Monachorum vitam in tribus rebus versari solitam, videlicet in oratione, in lectione & in operatione manuum, de quibus ita sanctus Isidorus libro tertio [a] Sententiarum. *Dei seruum sine in-termissione legere, orare & operari oportet.*

[a] Cap 19.

XXX.

[b] Lib. 1. c. 17.

Cassianus [b] haud indicat determinatè quânam noctis horâ diuinum Offi-cium quotidie sit incipiendum, ait tantùm id præstandum esse horâ solitâ seu præscriptâ, cauendúmque, ne is, qui ceteros ad orationem exsuscitat, mu-nus suum aut citiùs aut seriùs exequatur pro suo libitu. *Is autem, cui religiosi conuentus commonitio vel Synaxeos cura committitur, non passim vt libitum est, nec prout nocte fuerit expergefactus, aut opportunitas eum somni proprij seu in-somnij coarctauerit, fratres etiam ad quotidianas vigilias exsuscitare præsumit. Sed quamuis eum consuetudo diuturna horâ solitâ euigilare compellat, tamen solicitè frequentérque stellarum cursu præstitutum congregationis tempus explorans ad oratio-nem eos inuitat Officium, ne in vtroque inueniatur incautus, si vel oppressus som-no statutam noctis transgrediatur horam, vel eandem dormiturus atque festinus ad somnum anticipet, & non tam Officio spiritali vel quieti omnium deseruisse quàm requiei suæ satisfeciſſe credatur.* Aduersus eum, qui tardè venit ad preces seu nocturnas seu diurnas, hæc pœna constituitur apud Cassianum [c]. *Oratorium introire non audet, nec semetipsum admiscere psallentibus, sed congregationis mis-sam*, id est, dimissionem, *stans pro foribus præstolatur, donec egredientibus cunctis, submissâ in terram pœnitentiâ, negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam, sciens nequaquam se posse desidiæ suæ noxam aliter expiare.* Ad con-gregationem autem diurnam tardè venire dicitur *is, qui priusquàm Psal-mus cæptus finiatur, ad orationem non occurrerit. In nocturnis verò conuenticulis vsque ad secundum Psalmum præbetur tardanti dilatio, ita duntaxat vt antequàm finito eodem Psalmo fratres in oratione procumbant, semetipsum congregationi inse-rere atque admiscere festinet.*

HORA NOCTVRNI OFFICII.

[c] Lib. 3. c. 7.

XXXI.

[d] Capp. 12. 13.

Monachi post Officium nocturnum vigilias vsque ad lucem extendunt apud Cassianum, qui rationes huius instituti sic exponit libro secundo [d]. *Cùm fuerint orationum Canonicarum functiones ex more finitæ, vnusquisque ad suam recurrens cellulam (quam aut solus, aut cum alio tantùm inhabitare permittitur, quem scilicet societas operationis vel discipulatus & disciplinæ imbutio copulauit, vel certè quem similitudo virtutum comparem fecit) idem rursus orationum Officium velut peculiare sacrificium studiosiùs celebrant, nec vlterius quisquam eorum in re-quiem somni resoluitur, donec superueniente diei splendore, nocturno operi ac medi-tationi operatio diurna succedat. Quem laborem, præter illam rationem, quâ totâ industriâ annitentes sacrificium Deo de fructu manuum suarum offerre se credunt, duabus ex causis cum omni obseruatione custodiunt. Quod nos quoque si perfectio-nis studemus, eâdem diligentiâ conuenit obseruare. Prima, ne fortè purificationem*

POST OFFICIVM NOCTVRNVM VIGILIÆ PRÆSCRIBVNTVR VSQVE AD LVCEM.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

noſtram nocturnis Pſalmis & orationibus acquiſitam inuidus inimicus liuens puritati noſtræ, cui maximè inſidiatur ſemper, & indeſinenter infeſtus eſt, quadam ſomnij illuſione contaminet. Qui poſt illam ſatisfactionem, quam pro negligentiis ſeu ignorationibus noſtris obtulimus, & confeſſionis noſtræ veniam profuſis gemitibus imploratam, ſolicitiùs nos, ſi tempus quietis inuenerit, maculare feſtinat, tunc præcipuè fiduciam noſtram deiicere atque eneruare contendens, cùm feruentiùs nos ad Deum tendere orationum noſtrarum puritate peruiderit, itaut nonnumquam quos per totum noctis ſpatium ſauciare non potuit, ſub illius horæ breuiſſimo tempore dehoneſtare conetur. Secunda verò, quòd tametſi nulla talis verenda diaboli emergat illuſio, intercedens etiam purus ſopor inertiam Monacho mox euigilaturo parturiat, ſeguemque torporem inferens menti, per totum diei ſpatium vigorem eius obtundat, illimque hebetet perſpicaciam ſenſus & pinguedinem cordis exhauriat, quæ nos poſſit per totum diem aduerſus omnes inſidias inimici cautiores robuſtioréſque ſernare. Quamobrem Canonicis vigiliis primatæ ab eis ſubiunguntur excubiæ, ac maiore illis obſeruatione ſuccedunt, vt & illa purificatio, quæ Pſalmis & orationibus eſt acquiſita, non pereat, & interior ſolicitudo diligentiùs nos per diem cuſtoditura præparetur meditatione nocturnâ. Eaſdemque rationes, cur poſt matutinas orationes ad ſomnum reuerti non oporteat, breuiùs ita repetit libro tertio [a]. *Ne purificationem noſtram confeſſione ſupplici & antelucanis orationibus acquiſitam, vel emergens quædam redundantia humorum naturalium polluat, vel illuſio corrumpat inimici, vel certè intercedens etiam puri ac ſimplicis ſomni refectio interrumpat ſpiritus noſtri feruorem, ac tepefactos ſomni tempore per totum diei ſpatium inertes deinceps ignauoſque traducat. Quod Ægyptij ne incurrant, equidem cùm ſoleant certis temporibus etiam ante gallorum cantum conſurgere, miſſâ Canonicâ celebratâ*, id eſt, congregatione poſt peractum Officium nocturnum dimiſsâ, *vſque ad lucem poſt hæc vigilias extendunt, vt eos ſuperueniens lux matutina in hoc feruore ſpiritus reperiat conſtitutos, ac per totum diei tempus feruentiores ſolicitioréſque cuſtodiat, præparatos eos ſuſcipiens ad conflictum & contra diurnam diaboli colluctationem, nocturnarum exercitio vigiliarum ac ſpiritali meditatione firmatos.* Ex hoc poſteriore textu liquet Monachos, de quibus Caſſianus loquitur, non eâdem horâ per totum anni circulum ad preces nocturnas ſurrexiſſe, ſed aliquando citiùs, aliquando ſeriùs pro diuerſis anni tempeſtatibus, vt noctes longiores erant aut breuiores. Quâ de re nobis iterum ad alias Regulas differendum erit. Interim redargue Gazæum [b], qui determinatè vult illos Monachos in Oratorium veniſſe *circa mediam noctem*, vt Officium nocturnum celebrarent.

[a] Cap. 5.

[b] In not. ad Caſſian. lib. 2. cap. 4.

XXXII.

Caſſianus initio libri tertij, qui *de Canonico diurnarum orationum & Pſalmorum modo* inſcribitur, commendat Monaſteria Palæſtinæ & Meſopotamiæ, quorum inſtitutis *perfectionem Ægyptiorum & inimitabilem diſciplinæ rigorem* moderandum ſuſcipit. Apud Ægyptios Monachos, vt ſuprà dictum eſt, priuatis diebus nulla publica ſolemnitas erat exceptis veſpertinis ac nocturnis congregationibus, in Cœnobiis autem Palæſtinæ ac Meſopotamiæ quotidie ſolemnitas Tertiæ, Sextæ & Nonæ celebrabatur. Ægyptij ſine horarum diſcretione per totam diem cum operis adiectione, & orationibus iugiter inſiſtebant & Pſalmis; ſecus alij, quorum Regulam ſequitur Caſſianus. *Apud illos*, inquit [c], id eſt, apud Ægyptios, *hæc Officia, quæ Domino ſoluere per diſtinctionem horarum & temporis internalla cum admonitione compulſoris adigimur, per totum diei ſpatium iugiter cum operis adiectione ſponteneè celebrantur. Ita námque ab eis inceſſanter operatio manuum priuatim per cellulas exercetur, vt Pſalmorum quoque vel caterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omittatur. Cui preces & orationes per ſingula momenta miſcentes, in his Officiis, quæ nos ſtatuto tempore celebramus, totum diei tempus abſumunt.* Præter ſolemnitatem Tertiæ, Sextæ & Nonæ, Caſſianus meminit [d] Matutinæ, imò duplicis Matutinæ; quarum alteram, quæ completis nocturnis Vigiliis *poſt modicum temporis interuallum* in Galliæ Monaſteriis agi conſueuerat, hodie Matutinas Laudes

[c] Lib. 3. c. 2.

[d] Lib 3. c. 4.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

appellamus; alteram vocamus Primam, quæ post Solis ortum celebrabatur, adinuentáque primùm fuerat in Cœnobio Bethleemitico, cùm Cassianus ibi monasticam vitam duceret. Atque inde concludit contigisse tandem, vt numerus ille, quem designat beatus Dauid, *quanquam spiritalem quoque habeat intellectum*, secundùm literam manifestissimè suppleretur. *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Habes enim iam horas Canonicas septem, nempe Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas. Hactenus egimus de Matutino, id est, de nocturnis Vigiliis, solemnitatem ceterarum horarum per ordinem similiter exposituri.

SEPTEM HORÆ CANONICÆ.

XXXIII. LAVDES.

Radulphus Decanus Tungrensis in libro de Canonum obseruantia, propositionem decimam-quartam sic orditur. *Sancti Patres per Psalmodias obseruabant quinque horas, scilicet Vigilias noctis, Vesperam, Tertiam, Sextam & Nonam. Deinde quia Scriptura sæpius iungit Mane & Vespere, addita est laus Matutina.* Hæc diluculo & mane seu matutino tempore, hoc est, sub Auroram & ante Solis ortum apud veteres olim decantabatur. Ætate Cassiani, nocturnis Vigiliis expletis post modicum temporis interuallum celebrabatur in Monasteriis Galliæ, consummabatur autem cum iisdem Vigiliis in Cœnobiis Palæstinæ, vtrobique ex Abbatum indulgentiâ, quæ pigritiam postmodum incussit haud ferendam. Monachi enim negligentiores inde facti, cùm eos vel extra cellas progredi vel de suis stratis consurgere ante horam Tertiam nulla conuentus vllius necessitas inuitaret, inducias somni post Matutinas Laudes longiùs protelabant. Vnde data occasio nouæ solemnitatis instituendæ, horæ videlicet Primæ, de quâ loquemur inferiùs. Ad Laudes Matutinas occinebantur tres tantùm Psalmi, (*Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesiâ Sanctorum. Laudate Dominum in Sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius*) qui postremi sunt omnium in Psalterio, & ad easdem Laudes etiamnum dicuntur sub vnâ Antiphonâ & vnâ glorificatione Trinitatis.

CONSTANT TRIBVS PSALMIS.

XXXIV. PRIMA.

In Monasterio Bethleemitico, cùm ex Abbatum remissione prauus mos inualuisset, vt & post Vigilias Laus Matutina statim caneretur, & finitâ Laude Matutinâ Monachi somno ad horam vsque Tertiam indulgerent, adinuenta est solemnitas horæ Primæ, de quâ sic Cassianus [a], qui tunc ibi præsens aderat. *Sciendum hanc Matutinam* (hodie Primam vocamus) *quæ nunc obseruatur in occiduis vel maximè regionibus, Canonicam functionem nostro tempore in nostro quoque Monasterio primitus institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus natus ex Virgine, humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam suâ gratiâ confirmauit. Vsque ad illud enim tempus hac solemnitate Matutinâ, quæ expletis nocturnis Psalmis & orationibus post modicum temporis interuallum solet in Galliæ Monasteriis celebrari, cum quotidianis Vigiliis pariter consummatâ, reliquas horas refectioni corporum deputatas à maioribus nostris inuenimus. Verùm cùm hac abutentes indulgentiâ negligentiores quique inducias somni longiùs protelarent, quippe quos vel extra cellas progredi, vel de suis stratis consurgere ante horam Tertiam nulla conuentus vllius necessitas inuitaret, & cum operationis iacturâ, tempore quoque diei, quo nonnullis oportebat officiis inhærere, soporis nimietate torperent, in his præsertim diebus, quibus à vespertinis horis excubias vsque ad Auroræ viciniam celebrantibus nascebatur onerosior lassitudo, quorumdam illic fratrum feruentium spiritu, quibus hoc negligentiæ genus haud leuiter displiceret, ad Seniores querelâ delatâ, decretum est ab eis diutino tractatu & consultatione solicitâ, vt vsque ad Solis ortum, quo iam sine offensione vel lectio parari vel opus manuum posset assumi, fessis corporibus refectione concessâ, inuitati post hæc religionis huius obseruantiâ cuncti pariter è suis stratis consurgerent ac tribus Psalmis & orationibus celebratis, secundùm modum, qui antiquitus in obseruatione Tertiæ vel Sextæ, trinæ confessionis exemplo statutus est, & somno deinceps finem, & initium operationi, æquali simul moderatione facerent. Qui typus licet ex occasione videatur inuentus, & recenti memoriâ pro causâ, quam*

[a] L. 3. c. 4.

CVR COEPTA CELEBRARI.

quam diximus, ſtatutus appareat, tamen illum numerum, quem deſignat beatus Dauid, quanquam ſpiritalem quoque habeat intellectum, ſecundum literam manifeſtiſſimè ſupplet. [*Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.*] *Hâc enim adiectâ ſolemnitate, ſepties ſine dubio ſpiritales hos conuentus in die facientes, ſepties in ea laudes Domino dicere comprobamur. Denique cùm hic idem typus de Oriente procedens huc vſque fuerit vtiliſſimè propagatus, in nonnullis nunc vſque per Orientem antiquiſſimis Monaſteriis, quæ nequaquam vetuſtiſſimas Regulas Patrum violari patiuntur, minimè videtur admiſſus.* Caſſianus, ſi benè coniicimus, *perfectionem Ægyptiorum & inimitabilem diſciplinæ rigorem* inſtitutis Palæſtinorum ita moderauit ac temperauit. In nocturnis Vigiliis Pſalmos duodecim, duáſque Lectiones ſecundum Regulam Ægyptiorum dici præcepit, & ex vſu Palæſtinorum iam recepto Laudem Matutinam continuò poſt nocturnas Vigilias inchoari, finitâque Laude Matutinâ Monachos, donec ad Primæ ſolemnitatem euocarentur, quieti ac ſomno vſque ad Solis ortum permiſit indulgere. Canebantur ad Primam tres Pſalmi, quinquageſimus, [*Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.*] ſexageſimus ſecundus [*Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*] & octogeſimus-nonus [*Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem.*] Sic enim idem Caſſianus [a] de Laudibus & Prima. *Illud quoque noſſe debemus nihil à Senioribus noſtris, qui hanc eandem Matutinam ſolemnitatem* (id eſt, Laudes) *addi debere cenſuerunt, de antiqua Pſalmorum conſuetudine immutatum, ſed eodem ordine Miſſam* (Miſſæ nomine diuinum Officium hîc intellige) *quo priùs, in nocturnis conuentibus perpetuò celebratam. Etenim hymnos* (hoc eſt, Pſalmos) *quos in hac regione ad Matutinam excepere ſolemnitatem,* (id eſt, Laudes) *in fine nocturnarum Vigiliarum, quas poſt gallorum cantum ante auroram finire ſolent, ſimiliter hodiéque decantant, id eſt, centeſimum quadrageſimum octauum Pſalmum, cuius initium eſt* [*Laudate Dominum de cælis*] *& reliquos qui ſequuntur; quinquageſimum verò Pſalmum & ſexageſimum ſecundum & octogeſimum nonum huic nouellæ ſolemnitati* (id eſt, Primæ) *nouimus fuiſſe deputatos.* Antiqui diuidebant totum diem ab ortu Solis vſque ad occaſum in duodecim æquales partes, quas horas appellabant, quæ quidem horæ eodem die æquales erant, diuerſis verò diebus inæquales, hoc eſt, longiores vel breuiores, ſicut omnes inter ſe dies inæquales ſunt, & multò magis diuerſis anni temporibus, putà in æſtate & hyeme. Itaque prima hora dicebatur quæ erat prima ab ortu Solis, ſecunda quæ erat ſecunda ab eodem Solis exortu, & ſic deinceps. Rursùm veteres diuidebant totum diem ab ortu Solis vſque ad occaſum in quatuor partes æquales, quarum vnaquæque tribus horis conſtabat. Par erat ratio noctis, quæ diſtinguebatur in duodecim horas, necnon in quatuor vigilias quarum vnaquæque tres horas continebat. Vt autem ex duodecim horis nocturnis tertia quæque habebatur potiſſima, videlicet Tertia, Sexta, Nona, & Duodecima, in quibus terminabantur quatuor vigiliæ nocturnæ, ſic & ex diurnis Tertia, Sexta, Nona, & Duodecima ſiue Veſpertina inſigniores erant ad Deum publicè & ſolemniter in Eccleſia collaudandum. Sanctus Cyprianus [b], qui tertio ſeculo floruit, cùm horæ Primæ ſolemnitas in Eccleſia nondum agebatur, ſolemnitates Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, de quibus mox acturi ſumus, à ſingulis horarum ternariis, quæ myſterium Trinitatis deſignant honorántque, ſic commendauit. *In orationibus celebrandis inuenimus obſeruaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes & in captiuitate victores, horam Tertiam, Sextam, Nonam, ſacramento ſcilicet Trinitatis, quæ in nouiſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima hora in Tertiam veniens conſummatum numerum Trinitatis oſtendit. Itémque ad Sextam quarta procedens declarat alteram Trinitatem. Et quando à Septima Nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum ſpatia iampridem ſpiritaliter determinantes adoratores Dei ſtatutis & legitimis ad precem temporibus ſeruiebant, & manifeſtata poſtmodum res eſt, ſacramenta olim fuiſſe, quòd antè ſic iuſti precabantur.* Verùm cur hæc ſpecialiùs

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

CONSTAT TRIBVS PSALMIS.

[a] Lib. 3. c. 6.

HORARVM DISTINCTIO.

ALIÆ ALIIS INSIGNIORES.

[b] Lib. de orat. Domin.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

tempora religiosis Officiis deputata sint, exponemus infrà, postquàm explicuerimus quomodò hæc ipsa Officia celebrarentur.

Solemnitates Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, non eodem modo peragebantur à Monachis in Ægypto & in Palæstina. Priuatis diebus ad singulas illas horas in Palæstinæ Monasteriis habebatur congregatio, trésque dicebantur Psalmi. *Supradictarum horarum solemnitates*, inquit Cassianus [a], *trinis Psalmis quotidie finiuntur, vt & orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis officia, consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis, nullatenùs valeant impediri.* Iisdem diebus ad illas horas Oratorium non adibant, sed Officium in cellulis suis Deo priuatim persoluebant Ægyptij, de quibus idem Cassianus [b], ita loquitur. *Exceptis vespertinis ac nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica solemnitas, absque die Sabbathi vel Dominicâ celebratur, in quibus horâ Tertiâ sacræ communionis obtentu conueniunt.* Diebus etiam Dominicis in solemnitatibus illarum horarum Palæstini Monachi differebant ab Ægyptiis, non enim tantùm instar Ægyptiorum horâ Tertiâ solemniter in Ecclesiam ad diuina mysteria celebranda & percipienda conueniebant, sed & in eadem congregatione solemnitates Tertiæ & Sextæ peragebant nullo interuallo interiecto, nec ideò solemnitatem Nonæ, reliquasve prætermittebant. Sic enim de illis Cassianus [c]. *Verùm ne hoc quidem ignorandum, die Dominico vnam tantùm Missam ante prandium celebrari, in qua Psalmorum atque orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia solemniùs aliquid ac propensiùs impendentes, in ipsa Tertiam, Sextámque pariter consummatam reputant. Itáque fit vt de orationum obsequiis nihil imminuatur, adiectione scilicet lectionum, & nihilominùs differentia quædam vel remissio videatur fratribus indulgeri pro reuerentia Dominicæ Resurrectionis præcetero tempore, quæ & totius septimanæ videatur obseruantiam relaxare, & pro hac ipsa, quæ intermiscetur, quádam differentiâ, eundem diem velut festiuum prouocet rursùm solemniùs expectari, minúsque faciat hebdomadis venturæ ieiunia huius exspectatione sentiri. Semper enim æquanimiùs qualibetq; ptigatio sustinetur, & sine fastidio labor impenditur, si interiecta ei vicissitudo quædam vel operis immutatio qualiscumque succedat.* In hoc textu *Missa* pro conuentu Monachorum ad Officium diuinum peragendum accipitur, in eóque conuentu, qui solus ante prandium celebratur, nec Primæ mentio fit nec Nonæ, quia solemnitas Primæ non agitur in omnibus Palæstinæ Monasteriis, & solemnitas Nonæ post prandium die Dominico differtur, hoc enim die Monachi post Officium Sextæ, siue meridie, prandium sumunt, aliis verò diebus ad Nonam vsque ieiunant. Ægyptiorum Palæstinorúmque Monachorum Regulis ex Cassiani sententia sic examinatis, quid ipse statuerit in Galliis obseruandum, restat, vt inuestigemus. Ægyptiorum, quoniam priuatis diebus apud eos præter nocturnas ac vespertinas congregationes nulla publica solemnitas erat, *inimitabilem disciplinæ rigorem* dixit [d]. In celebrandis igitur Tertiæ, Sextæ Nonæque solemnitatibus amplexus est Regulam Palæstinorum, & priuatis diebus ad singulas illas horas publicam in Ecclesia congregationem haberi voluit, in qua tres Psalmi decantarentur. Obseruauit [e] Ægyptios *horâ Tertiâ sacræ communionis obtentu die Sabbathi vel Dominicâ* conuenisse; laudauit [f] & Palæstinos, qui *die Dominico vnam tantummodò Missam ante prandium* celebrabant, & *in ipsa Tertiam Sextámque pariter* consummabant. Hinc colligimus ab eo statutum fuisse, vt Monachi festis diebus solemnitatem Primæ more solito peragerent, deinde iterùm ante prandium conuenirent, in eáque secunda congregatione Palæstinos imitati non tantùm solemnitatem Tertiæ cum diuinis mysteriis, sed & solemnitatem Sextæ celebrarent, ad solemnitatem verò Nonæ post prandium in Ecclesia tertiò publicum cœtum haberent.

Cassianus in Vespertinis Officiis ab Ægyptiorum Regula, qui Psalmos 12. iuxta canonem Angeli magisterio constitutum canebant, haud videtur recessisse.

[a] Lib. 1. c. 3. QVOT CONSTENT PSALMIS.

[b] Lib. 3. c. 2.

[c] Lib. 3. c. 11.

[d] Lib. 3. capp. 2. 3.

[e] Lib. 3. c. 2.

[f] Lib. 3. c. 11.

XXXV. TERTIA, SEXTA, NONA.

XXXVI. VESPERÆ CONSTANT XII. PSALMIS.

Porrò non tantùm distinxit septem solemnitates, duas nocturnas, diurnas quinque, ritúmque, quo quælibet earum celebranda sit, edocuit, sed & rationes subiecit ob quas diurnæ statis temporibus deputatæ sunt. Ac primùm obseruauit in his horis operarios ab Euangelico Patrefamilias conductos fuisse. Sic enim Matthæus [a] Euangelista. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem factâ cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam Tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa Sextam & Nonam horam, & fecit similiter. Circa Vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes*, &c. In quo textu *primum mane* Cassianus [b] solemnitatem Matutinam seu Primam interpretatus est, & horam Vndecimam accepit pro lucernari seu vespertinâ. *Ita enim*, inquit, *& ille* Paterfamilias *primo mane conduxisse dicitur, quod tempus designat Matutinam nostram solemnitatem: deinde Tertiâ, inde Sextâ, post hæc Nonâ, ad extremum Vndecimâ, in quâ lucernaris hora signatur. Sciendum tamen hanc Matutinam, quæ nunc obseruatur in occiduis vel maximè regionibus, Canonicam functionem nostro tempore in nostro quoque Monasterio primitùs institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus natus ex Virgine, humanæ infantiæ susceperе incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam suâ gratiâ confirmauit.* Hæc posterior periodus, quæ tota est de institutione Matutinæ, testatur Cassianum ibi non de Matutinis Laudibus sed de Primâ locutum esse. De Prima nihil addidit peculiare. Plura scripsit de Tertiâ, de Sextâ, de Nonâ; déque horâ Vespertinâ. Tertiam sic commendauit [c]. *Horâ Tertiâ repromissus olim per Prophetas Spiritus Sanctus super Apostolos in orationum officio constitutos descendisse primitus comprobatur. Nam cùm propter elocutionem linguarum, quæ ab eis infusione Spiritus sancti profluebat, gens incredula Iudæorum obstupescens pariter & irridens diceret eos musto repletos, stans Petrus in medio eorum ait. [Viri Israelitæ & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei Tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt.] Quæ omnia horâ Tertiâ videmus impleta, Sanctique Spiritus vaticinatum per Prophetas aduentum eodem tempore super Apostolos commeasse.* Sextam sic. *Horâ Sextâ immaculata hostia, Dominus noster atque Saluator oblatus est Patri, Crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit, & expolians principatus ac potestates traduxit palam, vniuersosque nos obnoxios atque constrictos insolubili chirographi debito liberauit, tollens id de medio, & Crucis suæ affigens trophæo. Eâdem quoque horâ Petro in excessu mentis vocatio gentium omnium per submissionem vasis Euangelici delati calitùs, & purificatio omnigenûm animantium, in eodem consistentium, delatâ ad eum voce diuinitus reuelatur, dicente ei. Surge, Petre, occide & manduca*, &c. Nonam sic. *Horâ verò Nonâ inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portásque eius aereas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem Sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transuexit secum ad cælos, igneâque romphæâ summotâ antiquum incolam paradiso piâ confessione restituit. Eâdem quoque horâ Cornelius Centurio in precibus solitâ deuotione persistens, commemorationem orationum & eleemosynarum suarum ante Dominum factam, Angelo sibi colloquente cognoscit, palámque ei horâ Nonâ vocationis gentium sacramenta panduntur, quæ Petro in excessu mentis horâ Sextâ fuerant reuelatâ. Alio quoque loco de eodem tempore in Actibus Apostolorum ita narratur. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis Nonam.* Denique horam Vespertinam sic. *De Vespertinis autem sacrificiis quid dicendum est,*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. XXXVII. CVR STATA TEMPORA.

[a] Cap. 20.

PRIMÆ.

[b] Lib. 3. capp. 3. 4.

[c] Lib. 3. c. 1.

TERTIÆ.

SEXTÆ.

NONÆ.

VESPERARVM.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

quæ iugiter offerri etiam in veteri testamento lege Mosaicâ sanciuntur? Holocausta enim matutina & sacrificia Vespertina cunctis diebus in templo, licet figuralibus hostiis, etiam ex eo probare possumus indesinenter oblata, quòd à Dauid canitur. [*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium Vespertinum.*] *Quo in loco de illo quoque vero sacrificio Vespertino sacratiùs intelligi potest, quòd vel Vespere à Domino Saluatore cœnantibus Apostolis traditur, cùm initiaret Ecclesiæ sacrosancta mysteria, vel quòd ipse die postero sacrificium Vespertinum, in fine scilicet seculorum, eleuatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est Patri.* Officium Vespertinum celebrabatur horâ diei postremâ seu duodecimâ, quam & lucernarem vocabant, quia lumine diei deficiente lucernæ ad Officium Vespertinum accendebantur, vnde & lucernarium pro eodem Officio aut pro eius parte acceptum reperitur. Cassianus horam Vndecimam dixit [a], quia Matthæi Euangelistæ textum, ob oculos habebat, apud quem Paterfamilias quartâ vice *circa Vndecimam* exit, vt operarios in vineam suam conducat. Sed apud Sanctum Matthæum hæ voces, *(circa Vndecimam)* de horâ Vndecimâ aut exeunte aut finitâ intelligi debent, nam *cùm serò factum esset*, operarij qui *primo mane* conducti fuerant de aliis *circa Vndecimam* conductis ita questi sunt. *Hi nouissimi vnâ horâ*, nempe Duodecimâ, *fecerunt*. De horis Canonicis alij alia. Cassianum hic explicuisse sufficit.

[a] Lib. 3. c. 3.

XXXVIII. OPVS QVOTIDIANVM MONACHIS PRÆSCRIBITVR.

Idem Cassianus [b] quotidianum opus Monachorum egregiè commendat, eos enim laudat plurimùm, qui noctem diémque sic partiuntur, *vt superueniente diei splendore, nocturno operi ac meditationi operatio diurna succedat.* In primis excurrit in encomium modestiæ, quâ quisque se recipit in cellulam suam, vt opus manuum exerceat. *Finitis*, inquit, *psalmis & quotidianâ congregatione absolutâ, nullus eorum vel ad modicum subsistere aut sermocinari audet cum altero, sed ne quidem per totum diei spatium è cellâ suâ progredi, aut deserere opus, quod in eâ solitus est exercere, præsumit, nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cuiusque operis euocati. Quod ita explent fores egressi, vt nulla inter eos sermocinatio penitus conseratur. Sed sic vnusquisque opus exequitur iniunctum, vt Psalmum vel scripturam quamlibet memoriter recensendo non solum conspirationi noxiæ vel consiliis prauis, sed nec otiosis quidem colloquiis vllam copiam vel tempus impartiat, oris pariter & cordis officio in meditatione spirituali iugiter occupato.* Deinde quantùm emolumenti Monachis ex assiduo manuum opere accedat, sic exponit. *Pariter exercentes corporis animæque virtutes, exterioris hominis stipendia cum emolumentis exterioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondera, velut quandam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa intra cellæ claustra velut in portu fidissimo valeat contineri, atque ita spiritali meditationi tantùm & custodiæ cogitationum intenta, non modò ad consensum prauæ cuiusque suggestionis peruigilem mentem corruere non sinat, verùm etiam ab omni superfluâ otiosâque cogitatione custodiat, itaut quid ex quo pendeat haud facilè possit à quoquam discerni, id est, vtrùm propter meditationem spiritalem incessabile manuum opus exerceant, an propter operis ingitatem tam præclarum spiritus profectum scientiæque lumen acquirant.*

[b] Lib. 2. capp. 12. 14. 15.

XXXIX. Apud Cassianum duas potissimùm sanctiones obseruauimus, quæ ad mensam refectionémque corporum spectant.

XL. LECTIO AD MENSAM.

Prima est, vt Monachis cibum potúmque capientibus indicatur silentium, sacræque lectiones recitentur. *Illud autem*, inquit Cassianus [c], *vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in Cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum nouerimus. Quos nulli dubium est non tam spiritalis exercitationis causâ, quàm superfluæ otiosæque confabulationis gratiâ, & maximè contentionum, quæ plerúmque solent in conuiuiis generari, hoc statuere voluisse, videntes eas aliter apud se non posse cohiberi. Apud Ægyptios enim vel maximè Tabennensiotas tantum silentium ab omnibus exhibetur, vt cùm in vnum tanta nu-*

[c] Lib. 4. c. 17.

merositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat praeter eum qui suae Decaniae praest. Qui tamen si quid mensa superinferri vel auferri necessarium esse perviderit, sonitu potius quàm voce significat. Tantáque vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis (ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam euagandi) nihil amplius intueantur quàm mensam & appositos in eâ vel quos ex ea capiunt cibos, ita vt quemadmodum vel quantùm reficiat alius, nullus inuicem notet. Monachi Cappadoces, à quibus hunc typum seu morem legendi in mensa tempore refectionis manasse dicit Cassianus, haud dubiè illi fuerunt, quos sanctus Basilius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus & vitæ Monasticæ in Oriente illustrator & propagator eximius erudiuit. In Regulis enim breuioribus, hâc quæstione propositâ, *cuiusmodi animi affectione attentionéve ea debemus audire, quæ ad mensam accumbentibus nobis leguntur?* sic respondet [a]; *maiore multò cum delectatione, quàm cum quanta aut edimus aut bibimus, ídque, vt appareat mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptates sed maiorem in modum se in verbis Domini oblectare, quod ille faciebat qui dicebat* [*dulciora super mel & fauum.*] In eodem refectorio Monachi per Decanias seu Decurias distribuebantur, & singulis Decanis seu Decuriis sui praerant Decani seu Decuriones, quos etiam Parentes ac Seniores appellatos animaduertimus. Appositè ad illam rem ita scribit S. Hieronymus [b] in literis ad Eustochium. *Vnaquaeque Decuria cum suo parente pergit ad mensam.* En, parens vocatur qui Decuriæ Cœnobitarum præficitur. En Decuria, à qua Decurio formatur, vt à Decania Decanus. Super Monachorum numero, quo constat Decuria, non conueniunt Sancti Hieronymus & Augustinus. Apud beatum enim Hieronymum loco citato Cœnobitæ diuiduntur *per Decurias, ita vt nouem hominibus decimus praesit*, cui nomen Decani tribuitur. Sanctus autem Augustinus in libro [c] de moribus Ecclesiæ Catholicæ, *Decanos* dicit, *eò quòd sint denis praepositi.* Posteriori sententiæ suffragatur Cassianus [d], Laudat enim Decanum seu *Seniorem*, vt loquitur, *qui decem iunioribus praest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat.*

[a] Interrogat. 180.

[b] Ep 22. c. 15.

QVID SIT DECVRIA.

QVID DECVRIO

QVID DECANIA.

QVID DECANVS.

[c] Cap. 31.

[d] Lib. 4. c. 7.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Secunda sanctio est, vt nulli Monacho licitum sit extra mensam canonicam seu regularem, quam Cassianus legitimam communémque nominat, quicquam cibi potúsve gustare. *Antequàm*, inquit [e], *vel postquàm legitimam communémque refectionem percipiant, summâ cautione seruatur, ne extra mensam quicquam cibi potúsve* (in vulgatis exemplaribus loco *potúsve* legitur *penitùs*, ídque mendosè, nam vox *penitùs* videtur hìc superuacanea, titulúsque capiti non tantùm de cibo sed etiam de potu præfigitur) *ori suo quisquam indulgere praesumat, vt incedentibus per hortos & pomaria, cùm passim blandéque per arbores poma pendentia non solùm obiiciant se pectoribus transeuntium, verùm etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, atque ad colligendum parata, facilè ad consensum concupiscentiæ illicere valeant intuentes, & opportunitate vel copiâ quamuis districtos atque abstinentissimos ad sui desiderium prouocare, sacrilegium ducatur non modò quicquam ex his degustare, verùm etiam manu contingere, absque eo quod palàm cunctis in commune reficientibus exhibetur, & ad percipiendum œconomi dispensatione per fratrum obsequia publicè ministratur.* Eadem iterùm alio loco [f] sic inculcat. *Monachus ad pugnas interiorum certaminum cupiens peruenire, hanc in primis cautionem sibimet indicat, vt non potus quicquam, non esus vllà oblectatione deuictus, ante stationem legitimam communémque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsùs indulgeat, sed ne refectione quidem transactâ ex his praesumere sibi quantulumcumque permittat.* Alibi [g] Cassianus culpas leuiores à grauioribus distinguit, aliquot exempla vtrarumque recenset, atque etiam vtriusque diuersam pœnam & correctionem, leuioribus nimirùm spiritalem, corporalem grauioribus impositam commemorat. Spiritalem pœnitentiam vocat eam, quæ corpus non tangit, sed ad compunctionem spiritus & mentis humiliationem adhibetur. Corporalem rursùs dupli-

XLI.

[e] Lib 4. c. 18.

NIHIL CIBI POTVSVE GVSTANDVM EXTRA MENSAM CANONICAM.

[f] Lib. 5. c. 29.

[g] Lib. 4. c. 16.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

cem facit, alterum verberum siue plagarum, alterum expulsionis è Monasterio. Inter grauiores autem culpas, quæ corporali pœnâ puniuntur, ponit extraordinariam ac furtiuam cibi refectionem. *Aperta*, inquit, *conuitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrænata processio, familiaritas apud fœminas, iræ, rixæ, simultates & iurgia, operis peculiaris præsumptio, philargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum quæ à ceteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiua cibi refectio, & hu similia, non illâ increpatione, quam diximus, spiritali, sed vel plagis emendantur, vel expulsione purgantur.* Stationis nomine quodlibet ieiunium apud Cassianum suprà citatum intellige. Ante illum sanctus Ambrosius ieiunia Christianorum stationes iam appellarat; sic enim exorsus est sermonem qui viceſimus quintus numeratur in antiquis editionibus, & triceſimus-sextus in posterioribus. *Intellexisse vos credo, fratres, superiore Dominicâ, cur hæc nostra ieiunia illis mansionibus comparauerim, in quibus populus Israel tanquam in procinctu quodam positus Pharaonem Regem quotidiano labore superauit, & ab inimicis suis quasi quibusdam castris mansionum sese statione defenderit, ita vt quicumque ex illo comitantium numero diurnæ stationis spatia non confecit, aut Pharao illum occupauit aut solitudo pernasit. Si ergo & nos propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni labore conficere, & quibusdam quasi castris nos ieiuniorum deuotione munire. Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à Diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quòd stantes & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus.*

CVR IEIVNIA DICANTVR STATIONES.

XLII. CVM MONACHIS EXCOMMVNICATIS NON EST COLLOQVENDVM.

De Monachis propter aliquod delictum excommunicatis ita Cassianus [a]. *Sanè si quis pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo prorsus orandi habet licentiam, antequàm submissâ in terram pœnitentiâ, reconciliatio eius, & admissi venia coram fratribus cunctis publicè fuerit ab Abbate concessa. Ob hoc namque tali obseruantiâ semetipsos ab orationis eius consortio segregant atque secernunt, quòd credunt eum qui ab oratione suspenditur, secundùm Apostoli sententiam tradi Satanæ, & si quis orationi eius, antequàm recipiatur à Seniore, inconsideratâ pietate permotus communicare præsumpserit, complicem se damnationis eius efficiat, tradens scilicet semetipsum voluntariè Satanæ, cui ille pro sui reatus emendatione fuerat deputatus, in eo vel maximè grauius crimen incurrens, quòd cum illo se vel confabulationis vel orationis communione miscendo, maiorem illi generet insolentiæ fomitem, & contumaciam delinquentis in peius enutriat. Periculosum namque solatium tribuens cor eius magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eum sinet ob quod fuerat segregatus, & per hoc, vel increpationem Senioris non magnipendere, vel dissimulanter de satisfactione & veniâ cogitare.*

[a] Lib. 1. c. 16.

XLIII. MONASTERIA MASSILIENSIA. S. VICTORIS. N. D. DE YVELINO.

Hæc sufficiant de Regula Cassiani, quæ vigebat in multis locis Galliæ Braccatæ, ac potissimùm Massiliæ, cùm pars illius prouinciæ, cedentibus Ostrogothis, ad Francos accessit. Ad Massiliam enim vel in ipsa ciuitate tunc conspiciebantur quatuor illustria Monasteria, Sancti Victoris, Nostræ Dominæ de Yuelino *, Sancti Saluatoris & Sancti Cassiani, de quibus Ioannes Baptista Guesnayus [b] in Cassiano illustrato prolixè disserit. Primum erat virorum, cetera puellarum. Cœnobia Sancti Victoris & Nostræ Dominæ de Yuelino condita sunt ab ipsomet Cassiano, qui discessit è viuis, cùm Massilia Valentiniano, huius nominis tertio, Romanorum Imperatori pareret. Stat etiamnum prope muros Monasterium Sancti Victoris, quamuis Abbatum ab ipso Cassiano ad Anastasium vsque Theodoro Massilienſium Episcopo & Guntchramno Francorum Regi coætaneum interierint nomina. Cœnobij de Yuelino, siti in agro suburbano, & in ea Rotundi montis parte, quæ Monasterio Sancti Victoris auersa in occasum patet, vbi Yuelinus amnis mari Mediterraneo immiscetur, sors fuit longè infelicior, nam cùm sæpiùs diruturn atque incensum fuisset, postremò eius exuuiis ac spoliis Iolanda Regina Neapolitana, Ludouici II. Regis vxor, Monasterium titulo Sanctæ Paulæ recèns à se

* *De Veaune.*

[b] Lib. 2. capp. 17. 25.

fundatum Massiliæ anno Christi millesimo quadringentesimo-tertio copiosè auxit & ornauit ; quamdiu verò stetit, subiacuit Cœnobio sancti Victoris, vnde mittebantur ab Abbatibus Priores seu Præfecti, qui sanctimonialibus Yuelinis à sacris erant, & in veteribus monumentis Abbates Yuelini nonnumquam appellantur. Cùm Monasterium suum post primam vastationem, quæ Francorum in eâ regione principatum antecessit, Yuelinæ Monachæ repararent, aliud erectum est titulo sancti Saluatoris intra ciuitatis muros Cœnobium Virginum nunc etiam celebre. Monasterium sancti Cassiani laudatur à Gregorio Magno [a], cuius tempore præfuit Abbatissa Respecta.

Erant in Gallicanis prouinciis, quas Ostrogothi Francis cesserunt, alia quamplura cùm virorum tum puellarum Cœnobia, in quibus disciplina monastica vigebat.

Florebat Arelate Cœnobium Sanctimonialium ante annos viginti quatuor à Cæsario Episcopo post diuturnos labores feliciter absolutum, nam Cæsarius qui sub Francorum imperio sex duntaxat annis vixit, obiit testibus Messiano Presbytero & Stephano Diacono, postquàm per annos triginta iam stetisset illud Monasterium quod à conditore nomen sancti Cæsarij * nunc etiam retinet. Opus fuit non vnius diei, quia primos conatus aliquot annis retardauit bellum, quod post Alarici necem in eâ regione detonuit, Francis, Burgundionibus, & vtrisque Gothis prope Arelatem digladiantibus, tunc enim, vt Cyprianus in ipsius Cæsarij vitâ loquitur, *Monasterium quod sorori seu reliquis virginibus inchoabat fabricari, multâ ex parte destruitur, tabulis & cœnaculis barbarorum ferocitate direptis pariter & euersis.* Votorum compos factus est Cæsarius anno Christi quingentesimo duodecimo. *Ipse enim*, vt paucis interiectis idem Author prosequitur, *quasi recentior temporis nostri Noe propter turbines & procellas sodalibus vel sororibus in latere Ecclesiæ Monasterij fabricat arcam, euocatáque à Massilienſi Monasterio venerabili germanâ suâ Cæsariâ, quam inibi Deo diuexerat, vt diceret quod doceret, & prius esset discipula quàm magistra, in præparatis habitaculis cum duabus aut tribus interim sodalibus intromittit. Conueniunt inibi Virginum multitudines cateruatim, facultatibus quoque & parentibus renuntiantes respuunt mortalium flores fallaces pariter & caducos ; Cæsarij patris, Cæsariæ matris expetunt gremium, quatenus cum eodem accensis lampadibus regni cælestis ianuam præstolentur, & competenter ingressæ perpetuis mereantur amplexibus inhærere, ita recluſæ vt vsque in diem transitus earum nulli liceat foris ianuam egredi de Monasterio.* Cum Franci primùm potiti sunt Arelate, illi Cœnobio Monialium præerat Cæsaria, cui Cyprianus vitam sancti Cæsarij post aliquot annos regnante adhuc Childeberto scriptam transmisit. Qui putant eam sancti Cæsarij sororem fuisse, falluntur, duæ distingui debent eiusdem nominis Abbatissæ ; prima, quæ sancti Cæsarij soror fuit, longè ante ipsum Cæsarium fratrem obiit, nec videtur ad illud tempus peruenisse quo ciuitas Arelatensis Regno Francorum accessit ; altera quæ priori in regimen Monasterij successit, superstes sancto Cæsario vixit, & illius vitam à Cypriano scriptam accepit. Hæc clarissimè patent ex Cypriani fragmento quod Ioannes Bollandus ad diem duodecimam Ianuarij recitat, vbi de sanctâ Cæsariâ virgine sancti Cæsarij sorore sermonem instituit. Textus est eiusmodi. *Cæsarius vt auferret sacris quas congregauerat virginibus curam necessariæ sepulturæ, immobiles arcas corporibus humandis aptissimas de saxis ingentibus nouiter fecit excidi, quas per omne pauimentum Basilicæ constipatis sterni fecit ordinibus, vt quæcunque congregationis illius de hac luce migrasset, locum sepulturæ paratissimum & sanctissimum reperiret. Non multò igitur pòst Monasterij matrem germanam suam Cæsariam sanctam ad præmia Christi migrantem, inter has quas præmiserat, inibi ad medium throni, iuxta eam quam sibi parauerat, condidit sepulturam, succedente eidem quæ nunc superest Cæsariâ matre, cuius opus cum sodalibus tam præcipuum viget, vt inter psalmos atque ieiunia, vigilias quoque & lectiones, libros diuinos pulchrè scriptitent Virgines Christi, ipsam magistram habentes.*

AN. CH. 536.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 25.
THEOD. R. 2.
S. SALVATORIS.
S. CASSIANI.
[a] Lib. 6. ep. 12
XLIV.
XLV.
MONASTERIVM ARELATENSE MONIALIVM.
* S. Cesaire.
CÆSARIA ABBATISSA

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. R R. 25. THEOD. R. 2. XLVI. [a] D. 11. Ian. S CÆSARII STATVTA.

Ioannes Bollandus Societatis IESV Presbyter Regulam, quam Sanctus Cæsarius sorori suæ Monialibusque præscripsit, Antuerpiæ inter acta Sanctorum [a] anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-tertio publicauit, arbitratus illam typis nondum excusam fuisse. Sed paulò post, vt ipsemet in addendis ad diem duodecimam Ianuarij notauit, deprehendit hoc opus anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto in lucem Duaci iam emissum fuisse à Prospero Stellartio Ordinis Eremitarum sancti Augustini per inferiorem Germaniam Visitatore primario. Verùm ante Stellartium anno Christi millesimo sexcentesimo vicesimo-primo Stephanus Moquetus Regulam illam à Iacobo Sirmondo acceptam ediderat Pictauis cum obseruationibus Francisci Meinardi Antecessoris Pictauiensis, quas ipsemet Stellartius tanti fecit, vt eas iterum prælo subiiciendas curarit. Editum est & Romæ idem opus anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-primo ex Codice Lucæ Holstenij Vaticanæ Ecclesiæ Canonici & Bibliothecæ Præfecti. Vulgata sancti Cæsarij statuta, Regula videlicet, Recapitulatio & Appendix in plura capita distribuuntur apud Moquotum, Stellartium & Holstenium, atque à Bollando satis commodè reducuntur ad duodecim paragraphos. Agemus de singulis, addemusque notas, quæ voces obscuriores interpretabuntur, & factâ editionum collatione, quantùm inter se differant, palam ostendent. Apud Bollandum & Holstenium præmittitur prologus, omittitur apud Stellartium.

IN XII. PARAGRAPHOS DISTINCTA.

XLVII. PARAGR. I.

Paragraphus primus est de Monialibus admittendis ac probandis.

XLVIII. MONIALIBVS NON LICET EGREDI DE MONASTERIO.

Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare voluerit, vsque ad mortem suam de Monasterio non egrediatur, nec in Basilicam vbi ostium esse videtur. Eadem paragrapho nono sic repetuntur. *Nulla ex vobis vsque ad mortem suam de Monasterio egredi, vel in ipsam Basilicam, in qua ianuam habetis, aut permittatur, aut per seipsam præsumat exire.* Ita editio Antuerpiensis. Dissentiunt Duacensis & Romana. Nam paragrapho primo non habent, *nec in Basilicam*, sed *nec de Basilicâ*, & paragrapho nono non habent *vel in ipsam Basilicam*, sed *vel de ipsâ Basilicâ*. Sensus inde fit valde diuersus. Codex Antuerpiensis vetat in Basilicam Monasterio contiguam ingredi, de quâ Duacensis & Romanus prohibent tantùm exire. Textum Antuerpiensem, quem citauimus, hoc loco retinendum docebunt ea, quæ de ianua Monasterij dicemus inferiùs ad paragraphum nonum.

XLIX.

Iuramentum & maledictum fugere & vitare contendat.

L. NEOPHYTÆ PROBANDÆ.

Ei non licebit statim habitum religionis assumere, nisi antè in multis experimentis fuerit voluntas illius approbata, sed vni è senioribus tradita, per annum integrum in eo, quo venit, habitu perseueret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in scholâ habendo, sit in potestate Prioris, & quomodo personam vel compunctionem viderit, vel celeriùs vel tardiùs studeat temperare. Sanctus Cæsarius cùm in hac Regulâ quam Monialibus præscripsit; tum in alterâ quam in Monasteriis virorum obseruandam dictauit, multa mutuatus est à Cassiano, quocum à nobis non rarò conferetur. Cassianus [b] eum, qui in Cœnobio suscipiendus est, hoc examine probandum docet. *Ambiens quis intra Cœnobij recipi disciplinam, non antè prorsus admittitur, quàm diebus decem, vel eo amplius pro foribus excubans, indicium perseuerantiæ ac desiderij sui, paritérque humilitatis ac patientiæ demonstrauerit. Cúmque omnium pretereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industriâ refutatus atque despectus, tanquam qui non religionis sed necessitatis obtentu Monasterium optet intrare, iniuriis quoque & exprobrationibus multis affectus experimentum dederit constantiæ suæ, qualísque futurus sit in tentationibus, opprobriorum tolerantiâ declauerit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus.* In dubium non vocamus, quin Cæsarius mulieres quoque, priusquàm in Monasterio susciperentur, experimentis probandas decreuerit, non tamen excubatione pro foribus, quæ viris quidem conuenire potest, fœminis nequaquam. Ideóque prudentis erit Lectoris

[b] Lib. 4. c. 3.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. PER ANNVM.

ris hoc loco Cassianum ad Cæsarij mentem & ad conditionem muliebris sexus accommodare. Similiter Cassianus à viris, & Cæsarius à mulieribus annum integrum probationis exigunt, neutrisque liberum ad reliquam congregationem accessum permittunt, tamen inter eorum sanctiones nonnihil discriminis intercedit. Cassianus enim neophytos, ipso probationis anno vestit habitu Monasteriali, vúltque seorsum haud longè à vestibulo Monasterij manere cum Seniore, quocum curam suscipiendorum peregrinorum humiliter ac patienter gerant. *Cùm quis*, inquit[a], *susceptus & perseuerantiâ comprobatus, ac depositis propriis vestimentis habitu Monasteriali fuerit accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur Seniori, qui seorsum haud longè à vestibulo Monasterij commanens habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit. Cúmque ibidem integro anno deseruiens absque vlla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc primâ institutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione præcognitus, admiscendus ex hoc congregationi fratrum, alij traditur Seniori, qui decem iunioribus præest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat.* Neophytæ verò vestem laïcam eodem probationis anno seruant ex Regula Cæsarij suprà citata, nec hospitum aduenientiúmque famulatui possunt deputari, cùm in Monasterium, iuxta præceptum eiusdem Regulæ[b], *matronæ seculares, vel puellæ, seu reliquæ mulieres adhuc in habitu laïco, similiter introire prohibeantur.* Duabus igitur rebus à reliqua Sororum congregatione potissimùm distinguuntur, habitu scilicet seculari quem retinent, & loco in quo dormiunt semotæ *à schola*, id est, à conclaui in quo ceteræ dormiunt Sorores, schola enim dicitur conclaue in quo Monachi & Monachæ aliquid agunt, legunt & dormiunt, vt Hugo Menardus in obseruationibus ad concordiam [c] Regularum eruditè probat multis auctoritatibus, quarum præcipuas, vt occurrent, in his Annalibus examinaturi sumus. De vestium mutatione, déque illius significatione sic Cassianus [d]. *Ita nudatur quisque, cùm receptus fuerit, omni pristinâ facultate, vt ne ipsum quidem, quo opertus est, indumentum habere permittatur vlteriùs, sed in concilio fratrum productus in medium exuatur propriis, ac per manus Abbatis induatur Monasterij vestimentis, vt per hoc se non solùm vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatum, verùm etiam omni fastu depositio mundiali, ad Christi paupertatem & inopiam descendisse, iamque opibus sustentandum non seculi arte quæsitis, nec de infidelitate pristinâ reseruatis, sed de sanctis ac piis Monasterij largitionibus militiæ suæ stipendia percepturum, atque inde se deinceps vestiendum alendumque cognoscens, & nihil habere, & nihilominùs de crastino non esse solicitus secundum Euangelij dictat sententiam, nec erubescat pauperibus, id est, corpori fraternitatis æquari, quibus connumerari Christus, & quorum se fratrem non erubuit nuncupare, quin potiùs glorietur domesticis eius factum se esse consortem.* Alteram explicationem sic affert Auctor libri de Ecclesiasticâ Hierarchiâ [e]. *Prioris vestis detractio & alterius assumptio traductionem à media sancta vita* (sic communem vitam laicorum vocat) *ad perfectiorem significat, sicut in diuina illa regeneratione* (id est, in Baptismo) *vestis immutatio declarabat expiatæ vitæ ad contemplandi & intelligendi statum transmigrationem.* ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις, τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς, ὅτι τὴν πολυτέλειαν μεταλαξει ἐμφαίνει, καθάπερ ὅτι τῆς ἱερᾶς θεολογίας, ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀπαναγαγοῦσαν ζωῆς εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀπαγωγήν. Vtinam Monachi Monialésque, cùm Monasticam vestem suscipiunt, hæc animo perpendant, nec vnquam obliuiscantur!

IN HABITV LAICO.

[a] Lib. 4. c. 7.

[b] §. 7.

[c] Cap. 15. §. 9.

[d] Lib. 4. c. 5. QVID SIGNIFICET VESTIS MVTATIO.

[e] Cap. 6.

LI. NEOPHYTÆ NIHIL PROPRIVM SIBI RESERVARE DEBENT.

Quæ viduæ, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad Monasterium venerint, non excipiantur, nisi antè de omnibus falcultaticulis suis, cui volnerint, chartas aut donationis aut venditionis faciant, ita vt nihil sua potestati, quod peculiariter aut ordinare aut possidere videamur, reseruent. Quam rem etiam & illa,

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

QVATVOR GENERA NEOPHYTARVM.

quæ virgines conuertuntur, si implere noluerint, non excipiantur, aut certè vestimenta religiosa non permittantur accipere, donec se ab omnibus impedimentis mundi liberas fecerint. Illæ verò, quæ adhuc viuis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in propria potestate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem peruenerint. Cæsarius hoc loco distinguit varia genera fœminarum quæ Deo in habitu Monastico famulari possunt. Primum est viduarum, quæ post maritorum mortem Monachæ fiunt. Alterum est nuptarum, quæ se recipiunt in Monasterium *maritis relictis*, id est, ex licentia maritorum, quorum amplexus sponte mutuóque consensu fugiunt. Tertium est earum, quæ priusquàm Monasterium adeant, in domibus propriis, commutatis vestibus, conuertuntur, in earum numero cùm puellas tum viduas ponunt Patres Concilij Aurelianensis Quinti, sanciunt [a] enim, *vt illæ, quæ in domibus propriis, tam puellæ, quàm viduæ, commutatis vestibus conuertuntur, cum his quibus coniugio copulantur, Ecclesiæ communione priuentur.* Quartum genus est puellarum, quæ laïcis vestibus adhuc indutæ Monasterium expetunt. Rursum Cæsarius easdem fœminas, seu virgines, seu nuptæ sunt aut viduæ, distribuit in duas classes, aliæ enim bonorum suorum possessionem iam adeptæ sunt, aliæ verò nequaquam, quia filiæfamilias sunt aut minorennes. Quæ facultatibus suis fruuntur, si viduæ sunt aut coniugatæ, iubentur chartas donationis aut venditionis facere, priusquàm in Monasterium admittantur; secùs, si virgines, hæ siquidem, quamuis huiusceemodi chartas nondum confecerint, admitti possunt cum veste laicali, sed Monasticâ non sunt priùs induendæ, quàm se bonis omnibus per donationem aut venditionem exuerint. Illæ verò quæ parentum hæreditatem liberè nondum possident, habitu Monastico vestiri possunt eâ conditione, vt statim ac paternam hæreditatem aut adierint, aut per legitimam ætatem adire potuerint, eandem hæreditatem cui voluerint vel donent vel vendant. Lex, quæ viduis ac nuptis facultates suas in potestate iam habentibus præscribitur, seuerior est quàm quæ puellis, quia viduæ coniugatæque propter maturiorem ætatem longioremque rerum secularium vsum in proposito constantiores existimantur. Quæret quis hoc loco, vtrùm Cæsarius facultates quibus Monachæ per donationem renuntiabant, in vtilitatem Monasterij cedere permiserit. Super hac quæstione mentem suam ipsemet sanctus Cæsarius his verbis explicuit in eadem Monialium Regula paragrapho secundo. *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingrediuntur Monasterium, humiliter illud offerent Matri, communibus vsibus profuturum.* Et istis, in Regula Monachorum, capitulo primo. *Si quis ad conuersionem venerit, eâ conditione excipiatur, vt vsque ad mortem suam ibi perseueret. Vestimenta verò laïca non ei matentur, nisi anteà de facultate sua chartas venditionis faciat. Si non vult vendere, donationis chartas aut parentibus aut Monasterio faciat.*

[a] Can. 19.

LII. §. 2. LIII. MONIALIS ANCILLAM NON HABEAT. * Bolland. in Monasterium. INFANTVLÆ NON ADMITTENDÆ. LIV. OPVS QVOTIDIANVM.

Paragraphus secundus Regulæ, quam Cæsarius Monialibus præscripsit, est de disciplina operibúsque domesticis, inchoatúrque apud Bollandum ab his verbis. *Nemo sibi aliquid operis*, &c. Præmittemus postremam prioris paragraphi partem, hæc enim tota pertinet ad disciplinam, nec ad Monialium suscipiendarum probationem vllo modo referri potest.

*Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatissæ, liceat in seruitio suo habere, sed si opus habuerit, de iunioribus in solatium suum accipiat. Et si potest fieri, aut difficilè, aut nulla vnquam in Monasterio * infantula paruula, nisi ab annis sex aut septem, quæ iam & literas discere, & obedientiæ possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filiæ siue ignobilium, ad nutriendum aut docendum, penitùs non accipiantur.*

Nemo sibi aliquid operis vel artificij pro suo libitu eligat faciendum, sed in arbitrio Senioris erit, quod vtile prospexerit imperandum. Bollandus legit *pro suo libito*. Habet etiam *pro suo libito* Sanctus Aurelianus in suâ Regulâ, capite decimo-nono.

Nulli liceat ſemotam eligere manſionem, nec habebit cubiculum vel armariolum, aut aliquid huiuſmodi quod peculiariùs claudi poſſit, ſed omnes diuerſis lectulis in vnâ maneant cellulâ. Quæ verò ſenes ſunt & infirmæ, eis taliter conuenit obtemperari vel ordinari, vt non ſingulæ ſingulas cellulas habeant, ſed in vnâ recipiantur omnes, vbi & maneant.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

LV. LECTVLI, CELLVLÆ.

Numquam altiori voce loquantur, ſecundùm illud Apoſtoli [*omnis clamor tollatur à vobis.*] *Similiter dum pſallitur, fabulari omnino vel operari non liceat.* Huius ſanctionis poſtrema pars, quæ, dum pſallitur, operari vetat omnino, de ſolis diebus feſtis accipi debet, idem enim Cæſarius priuatis diebus in Vigiliis infrà permittet iis operibus vacare, quæ ſomnum expellunt, & mentem non retrahunt à lectionis auditu.

LVI. AQVIBVS ABSTINENDVM, CVM PSALLITVR.

Nulla cuiuſlibet filiam in baptiſmum, neque diuitis, neque pauperis præſumat accipere.

LVII. MONIALIS NON FIAT. MATRINA

Quæ ſigno tacto tardiùs ad opus Dei vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum eſt, ſubiacebit. Quòd ſi ſecundò aut tertiò admonita emendare noluerit, à communione vel à conuiuio ſeparetur. Opus Dei ſignificat Horas Canonicas ſeu Diuinum Officium, idque per excellentiam opus Dei dicitur, vt à ceteris diſtinguatur operibus, quæ ſimpliciter opera vocantur. Cæſarius Caſſianum imitatus, vt delinquentes corrigat, adhibet primùm increpationem, id eſt, animaduerſionem ſpiritalem, deinde contumaces plectit excommunicatione, ſeparátque *à communione vel à conuiuio*, hoc eſt, ab orationis communione aut à participatione menſæ communis. Nam particula *vel* non copulatiuè hoc loco vt ſæpè apud Auctores illius ſeculi, ſed diſiunctiuè ſumitur, vt in rebus grauioribus grauiùs, in leuioribus leuiùs contumacia puniatur, ſeueriùs enim agitur cum Monacha, ſi ſeparatur ab orationis communione, quàm ſi ſeparatur tantùm à menſâ.

LVIII. TARDE NON VENIAT AD OFFICIVM DIVINVM ET AD OPVS QVOTIDIANVM.

Quæ pro qualibet culpâ admonetur, caſtigatur, corripitur, arguenti reſpondere penitus non præſumat. Quæ aliquid ex his quæ iubentur implere noluerit, à communione orationis, vel à menſâ, ſecundùm qualitatem culpæ ſequeſtrabitur. Hæ voces, *ſecundùm qualitatem culpæ*, apertè confirmant particulam *vel* ſumi diſiunctiuè, docéntque diſtinguendam eſſe duplicem excommunicationem, vnam ab oratione, alteram à menſa. De vtráque dictum eſt ſuprà.

LIX. ARGVENTI NON RESPONDEAT

Quæ coquent (apud Bollandum *quæ coquunt*) *ſinguli illis meri pro labore addantur*, id eſt, quæ coquent, ad leuandum laborem ſingulos accipiant meros, antequàm operi coquinæ ſe accingant. Locus hic eſt corruptus apud Stellartium, qui ſic legit, *quæ coquent, ſingulæ illis meritò pro labore addantur*, quaſi Cæſarij mens ea ſit, vt iis quæ coquent addantur aliæ, quæ iuuamen & opem in tali miniſterio præbeant. Prior lectio retineri debet. Merus autem eſt vaſculum vini, & in illâ ſignificatione ſæpiùs vſurpatur in Regulâ Magiſtri [a]. *Mox cùm ſederint ad menſas fratres ſingulos meros accipiant. Quos meros accipientes ſinguli porrigant Abbati.* Et paulò pòſt. *In ſuos meros quiſque frater de ſuo pane ternas ſibi & non ampliùs buccellas intingant.* Et poſteà. *Poſt ergo primos meros æſtiuo tempore ad refectionem tam Sextæ quam Nonæ, caldelli omnibus quaterni ſufficiant.*

LX. MERVM ACCIPIAT SI COQVIT

[a] Cap. 27.

In omni miniſterio, corporali tamen, in coquinâ, vel quidquid quotidianus exigit vſus, vicibus ſibi, exceptâ Matre vel Præpoſitâ, ſuccedere debent. Ita Holſtenius. Alij, quod in idem recidit, ſic legunt. *In omni miniſterio corporali tam in coquinâ vel quicquid*, &c.

LXI. CVILIBET MINISTERIO VACET PER ORDINEM.

In Vigiliis, vt nemo per otium ſomno grauetur, ea opera fiat, quæ mentem non retrahat à lectionis auditu. Si qua grauatur ſomno, aliis ſedentibus iubeatur ſtare, vt poſſit à ſe ſomni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepida inueniatur aut negligens. Ita Stellartius & Holſtenius, Bollandus verò ſic. *In Vigiliis, vt nemo per otium ſomno grauetur, ea opera fiant, quæ mentem non retrahant à lectionis auditu. Si qua grauatur ſomno*, &c. Editio Bollandina, quia Latina eſt, ceteris præſtat quæ barbaræ ſunt, ſenſus autem cunctarum

LXII. AD VIGILIAS NON DORMIAT.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

rum, secundùm illud Apostoli [a]. [*Omnia facite sine murmurationibus.*] *Matri post Deum omnes* * *obediant. Præpositam sufferant.* Ita Bollandus. Alij meliùs, *Præpositæ deferant*, eo sensu quo vtrique infrà paragrapho sexto sancitum aiunt, *vt iuniores præcipuè senioribus deferant.* Cæsarius Præpositam distinguit à Matre Monasterij siue ab Abbatissâ multis locis, vt patebit infrà. Præposita verò eadem est cum Matre Monasterij siue cum Abbatissâ in Regulâ Sancti Augustini, qui Matrem Monasterij vel Abbatissam numquam nominat, totique Cœnobio Præpositam præficit, cui tanquam Matri parendum sic docet [b]. *Præpositæ tanquam Matri obediatur, honore seruato, ne in illâ offendatur Deus.*

Sedentes ad mensam taceant, & animum * *lectioni intendant. Cùm autem lectio cessauerit, meditatio sancta de corde non cesset. Si verò aliquid opus fuerit, quæ mensæ præest solicitudinem gerat, & quod est necessarium nutu magis quàm voce petat. Nec sola vobis fauces sumant cibum, sed & aures audiant Dei verbum.* Hæc sumpta sunt ex Cassiano [c], cuius textum iam retulimus, & ex Regulâ sancti Augustini.

Omnes literas discant. Omni tempore duabus horis, hoc est, à mane vsque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo verò diei spatio faciant opera sua, & non se fabulis occupent propter illud Apostoli [d]. [*Cum silentio operantes.*] *Et illud* [e]. [*In multiloquio non effugies peccatum.*] *Et ideo hoc vobis omnino loquendum est, quod ad ædificationem vel vtilitatem animæ pertinet. Cùm autem necessitas operis exegerit* *, *tunc loquantur. Reliquis verò in vnum operantibus, vna de sororibus vsque ad Tertiam legat. De reliquo meditatio verbi Dei & oratio de corde non cesset.* Horas metire iuxta antiquum morem, quo dies, sicut nox, horis duodecim constabat. Statuit Cæsarius vt omnes Monachæ *literas discant*, id est, vt discant legere, & *omni tempore* seu qualibet anni tempestate huic exercitio duabus primis horis diei vacent, deinde quotidianis operibus incumbant. Pensum quotidianum Monialium, de quo nonnulla iam præmisit, à tribus potissimùm rebus hoc loco commendat, primùm à silentio quod religiosissimè custodiatur, tum à lectione quæ currente primâ laboris horâ fiat, postremò à iugi meditatione verbi Dei quæ cessante lectione nusquam cesset. Habet quædam his similia Cassianus [f]. *Sic*, inquit, *vnusquisque opus exequitur iniunctum, vt Psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solùm conspirationi noxiæ vel consiliis prauis, sed nec otiosis quidem colloquiis vllam copiam vel tempus impartiat, oris pariter & cordis officio in meditatione spiritali iugiter occupato.*

Sit vobis anima vna & cor vnum in Domino. Sint vobis omnia communia. Sic enim legitur in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat. Beatus Lucas, quem Cæsarius in testem adducit, de primis Christianis ita loquitur in Actibus [g] Apostolorum. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et paulò pòst. *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Habet eadem sanctus Augustinus capite primo suæ Regulæ.

Paragraphus tertius est de humilitate, pietate, castitate, & aperiendis alienis defectibus.

Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingrediuntur Monasterium, humiliter illud offerent Matri, communibus vsibus profuturum. Quæ autem non habuerunt, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Illæ verò, quæ aliquid videbantur habere in seculo, non fastidiant sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt, nec sic de suis diuitiis superbiant, quas Monasterio obtulerunt, quomodò si eis in seculo fruerentur. Quid prodest dispergere, & dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolicâ inflatur superbiâ. Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum,

LXVI. TACEAT AD MENSAM.

LXVII. DISCAT LEGERE.

LXVIII. SIT OMNIBVS ANIMA VNA.

LXIX. §. 3.

LXX. DE HVMILITATE.

[a] Ad Phil. c. 2. * Steil. & Boll. desit *omnes.*

[b] Cap. 10. * Bolland. *animo.*

[c] Lib. 4. c. 17.

[d] Epist. 2. ad Thess. c. 3.

[e] Prou. c. 10. * Bolland. *cogat.*

[f] Lib. 2. c. 15.

[g] Cap. 4.

NIHIL AGAT CVM MVRMVRATIONE.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

cuius templa esse meruistis. Orationibus sine intermissione insistite secundùm illud Euangely. [*Orantes in omni tempore, vt digni habeamini.*] *Et Apostolus.* [*Sine intermissione orate.*] Lege Regulam sancti Augustini capitibus secundo, tertio, & quarto.

LXXI. DE PIETATE.

Cùm verò Psalmis & Hymnis oratis Deum, id versetur in corde quod profertur in voce. Quodcumque operis feceritis, quando lectio non legitur, de diuinis Scripturis aliquid ruminate. Ægrotantes verò sic tractanda, vt citiùs conualescant, sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem abstinentiæ consuetudinem. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, quod vestrum decet propositum. Adi Regulam sancti Augustini, & confer capita, quartum, quintum, & sextum.

LXXII. DE CASTITATE.

Nulla in vobis concupiscentia oculorum cuiuscunque viri Diabolo instigante consurgat, nec dicatis vos animos habere pudicos, si oculus impudici cordis est nuntius. Nec putare debet quæ in virum non simpliciter conuertit aspectum, ab alio se non videri, cùm hæc facit; videtur omninò à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, vt à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, cui latere omninò non potest? Timeat ergo displicere Deo, cogitet ne malè placeat viro. Quando ergo simul statis, si aut Prouisor Monasterij, aut aliquis cum eo virorum superuenerit, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam ipso vos modo custodiet. Moniales Africanæ, quas sanctus Augustinus erudiebat, vt ex eius capite septimo Cæsariique textu simul collatis constat, liberiorem nactæ erant indulgentiam exeundi è Monasterio, frequentiúsque conspici poterant à viris, quàm Monachæ Gallicanæ, quibus sanctus Cæsarius Regulam præscripsit.

LXXIII. DE APERIENDIS ALIENIS DEFECTIBVS.

Si quam verò liberiùs, quam decet, agere videritis, secretiùs corripite vt sororem. Si audire neglexerit, Matri in notitiam ponite. Nec vos iudicent esse maleuolas, quando hoc sancto animo indicatis, magis enim nocentes estis, & peccati ipsius participes vos facitis, si sororem vestram, quam castigando corrigere potuistis, tacendo perire permittatis. Si enim vulnus haberet in corpore, & esset à serpente percussa, & vellet hoc occultare, dum timet secari, nonne crudeliter hoc faceretur, misericorditer proderetur? Quantò ergo & magis consilia Diaboli, & insidias illius manifestare debetis, ne in deterius vulnus peccati augeatur in corde, ne concupiscentiæ malum diutiùs nutriatur in pectore? Et hoc facite cum dilectione sororum & odio vitiorum. Hæc sumpta sunt ex capite octauo sancti Augustini.

LXXIV. §. 4.

Paragraphus quartus est de cauenda proprietate & de cura vestium, necnon de iurgiis euitandis.

LXXV. DE LITERIS ET DONIS NEC ACCIPIENDIS.

Quæcumque autem, quod Deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, aut quælibet mandata, aut munuscula accipiat; si hoc vltrò confessa fuerit, indulgentiam mereatur, & oretur pro ea; si autem celans proditur, vel conuincitur, secundùm statuta Monasterij grauiùs emendetur. Habet eadem sanctus Augustinus capite nono suæ Regulæ.

LXXVI. * Bolland. vsu. * Bolland. aliquam. NEC MITTENDIS INCONSVLTA MATRE.

*Simili etiam districtioni subiaceat, si vel ipsa cuicumque literas au munuscula transmittere sacrilego ausu * præsumpserit. Pro affectu tamen parentum, aut cuiuscumque notitia,* (minùs rectè apud Bollandum *ad cuiuscumque notitiam*) *si aliqua * transmittere voluerit eulogiam panis, Matri suggerat, & si ipsa permiserit, per Posticiarias det, & ipsæ nomine illius transmittant cui voluerit, ipsa sine Præposita aut Posticiariis per se non præsumat nec dare nec accipere quidquam.* Posticiariæ dicuntur quæ seruiunt, ac res Monialium in posticio curant. Duplex autem est acceptio posticij, nam posticium, siue posticum, siue postica, siue posticula, ianuam posticam significat, vnde in Glossario vetere posticium θυρίδιον, θυρίδιον, vel posteriorem domus partem, quo sensu in Onomastico posticula vertitur ὀπισθόδομος. Hoc loco per posticium, à quo Postiaciariæ denominantur, Monasterij ianuam intelligendam putamus, nec Posticiariam à Portanaria, quæ nomen à porta sortitur, distinguendam arbitramur.

DE MONACHA POSTICIARIA.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Et quamuis non solùm cogitari, sed omninò credi nec debeat, quod sanctæ Virgines duris se sermonibus vel conuiciis mordeant, tamen si fortè, vt sè habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de Sororibus ausæ fuerint Diabolo instigante prorumpere, vt aut furtum faciant, aut in se inuicem manus mittant, iustum est vt legitimam disciplinam accipiant, à quibus Regulæ institutæ violantur. Necesse est enim, vt in eis impleatur illud quod de indisciplinatis filiis per Salomonem prædixit Spiritus sanctus. [*Qui diligit filium suum assiduat illi flagellum.*] *Et iterùm* [*Tu virgâ cùm* * *cædis, animam eius de inferno liberabis.*] *Disciplinam tamen ipsam in præsentia congregationis accipiant secundùm illud Apostoli.* [*Peccantes coram omnibus corripe.*] Culpas ex Cassiano [a] iam distinximus in grauiores ac leuiores, hasque spirituali increpatione corrigi, illas plagis emendari vel expulsione purgari diximus. Cæsarius simultates & furta, quæ numero grauiorum culparum accenseri debent, legitimâ disciplinâ plectit eâque publicâ. Disciplina est flagellatio, & *disciplinam accipere* idem est ac flagellari. Plagæ autem vndequadraginta legitimam disciplinam conficiebant. Id sanctus Aurelianus his verbis docet in Regula [b] Monachorum. *Pro qualibet culpa si necesse fuerit flagelli accipere disciplinam, numquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta & nouem.* Numerus autem plagarum triginta nouem in legitima disciplina imperabatur ob memoriam flagellationis, quam Paulus Apostolus quinquies à Iudæis pertulit, à Iudæis enim quinquies quadragenas plagas vnâ minùs accepit, vt ipsemet capite vndecimo secundæ epistolæ ad Corinthios scribit. Talis numeri ratio desumitur ex capite vicesimoquinto Deuteronomij, quo *pro memoria delicti* decernitur *plagarum modus, ita duntaxat vt quadragenarium numerum non excedant.* Iudæi, cùm misericordes videri vellent, semper faciebant citra mandatum Legis, & pro suo arbitrio plagas pauciores quàm quadraginta irrogabant, sed quia Paulum grauissimo prosequebantur odio, vnam tantùm ex prædicto numero remiserunt, inflixerúntque quadragenas vnâ minùs, id est, triginta nouem, quoties eum flagellauerunt.

LXXVII. DE FVRTIS ET IVRGIIS CAVENDIS.

[a] Bollan. *cum.* [a] Lib. 4. c. 16.

[b] Cap. 47.

QVID SIT LEGITIMA DISCIPLINA.

Et quia Monasterij Mater necesse habet pro animarum salute solicitudinem gerere, & de substantiola Monasterij, quod ad victum corporis opus est, ingiter cogitare, salutantibus etiam affectum impendere, & epistolis quorumcumque fidelium respondere, omnis lanificij cura, vnde vestimenta sanctis Sororibus ministrentur, ad solicitudinem Præpositæ vel Lanipendiæ pertinebit. Per quarum industriam ita fideliter, cum zelo & amore Dei, vestimenta quæcumque sunt necessaria præparentur, vt quotiescumque sanctis Sororibus opus fuerit, Præposita offerat, & Mater Monasterij, quibus necesse fuerit cum sancta discretione dispenset. Quæ tamen vestimenta cum tanta industria in Monasterio fiant, vt ea numquam necesse sit Abbatissæ extra Monasterium comparare. Et non ad vos pertineat quale vobis indumentum pro temporis congruentia proferatur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, si aliquæ ex vobis minùs fortè dignum aliquod acceperint, quàm priùs habuerint, hinc vos probate, quantùm vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, quæ pro habitu corporis murmuratis. Si vestra toleratur infirmitas, vt amplius, quàm victus quotidianus exigit, habeatis, in vno tamen loco sub communi custode quod habueritis reponite, & claues de arcellis vel pressoriolis vestris Registoria teneat. Vt à cista dicitur cistula, sic ab arca dicitur arcula & arcella. Per arcellas igitur intellige capsulas, cistellas, armariola & similia repositoria, vbi cibaria, libri, vestes, aliáque huiusmodi reconduntur. Quæ Bollando sunt presuriola, Stellartio præsuriola, Meinardo & Holstenio dicuntur pressoriola siue pressoria quibus vestes comprimuntur ac seruantur. Talia loca vocantur etiam regestoria & registoria, & Monialis, quæ curam illorum habet, à Cæsario Regestoria nuncupatur apud Meinardum, Registoria apud Stellartium & Holstenium, Regestoraria apud Bollandum. Cæsarius in hac sanctione non recessit à Regula sancti Augustini, cuius caput decimum, si lubet, consule.

LXXVIII. DE CVRA VESTIVM.

DE MONACHA REGESTORIA.

Nulla sibi aliquid proprium operetur, nisi cui Abbatissa præceperit aut permise-

LXXIX. DE CAVENDA PROPRIETATE.

AN. CH. 536. *rit, ſed omnia opera veſtra in commune fiant tam ſancto ſtudio & feruente alacritate, quomodò ſi vobis propria faceretis.* Id quoque deſumptum eſt ex capite decimo ſancti Auguſtini.

CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. LXXX. §. 5. LXXXI. DE CANAVARIA.

Paragraphus quintus eſt de Infirmariâ, Poſticiariâ, Cellerariâ, Lanipendiâ & Canauariâ.

Ad cellarium, & ad poſticium, vel lanipendium, tales à Seniore eligantur, non quæ voluntates aliquarum, ſed neceſſitates omnium cum timore Dei conſiderent, & ideo quidquid ad manducandum vel bibendum pertinet, nulla de Sororibus præſumat circa lectum ſuum reponere aut habere. Quæcumque autem hoc fecerit, grauiſſimam diſtrictionem ſuſtineat. Ante omnia coram Deo & Angelis eius obteſtor, vt nulla de Sororibus vinum occultè aut emat aut vndecúmque tranſmiſſum accipiat, ſed ſi tranſmiſſum fuerit, præſente Abbatiſſâ vel Præpoſitâ, Poſticiariæ accipiant, & Canauariæ tradant, & per ipſius diſpenſationem, ſecundùm inſtitutionem Regulæ, illi cui tranſmiſſum eſt, quomodò infirmitati ſuæ conuenit, ita diſpenſetur. Et quia ſolet fieri vt cella Monaſterij non ſemper bonum vinum habeat, ad ſanctæ Abbatiſſæ curam pertinebit, vt tale vinum prouideat, vnde aut infirmæ, aut illæ quæ ſunt delicatiùs nutritæ, palpentur. Monialis, quæ cellæ vinariæ præeſt, Cauenaria vocatur in editione Bollandinâ, rectiùs in Meinardinâ, Stellartianâ & Holſtenianâ nominatur Canauaria. Nam Cæſarij ætate canaua pro cellâ vinariâ vſurpabatur, vt patet ex lemmate epigrammatis quadrageſimi tertij apud Ennodium Auctorem coæuum ita concepto, *ante canauam*, cui ſubiicitur hoc Tetraſtichon.

Sobria cella cadis vinum quod ſeruat onuſtis
Corpora confirmat greßibus acta ſuis.
Infundunt multis irarum pocula flammas,
Miteſcunt noſtro bellica corda mero.

LXXXII. DE LAVACRIS.

Lauacra etiam cuius infirmitas expoſcit, minimè denegentur, ſed fiat ſine murmuratione de conſilio medici, itaut etſi lauare nollet illa quæ infirma eſt, iubente Seniore fiat quod opus fuerit pro ſalute. Si autem nullâ infirmitate compellitur, cupiditati ſuæ non præbeatur aſſenſus. Eadem ſanxerat ſanctus Auguſtinus capite duodecimo.

LXXXIII. DE INFIRMARIA.

Ægrotantium cura ſine aliquâ infirmitate laborantium vni ſatis fideli & compunctæ debet iniungi, quæ de cellario petat quodcumque opus eſſe perſpexerit, & talis eligi debet, quæ & monaſterialem rigorem cuſtodiat, & infirmis cum pietate deſeruiat. Et ſi hoc neceſſitas infirmarum exegerit, & Matri Monaſterij iuſtum viſum fuerit, etiam cellariolum & coquinam ſuam infirmæ communem habeant. Quæ cellario, ſiue canauæ, ſiue veſtibus, vel codicibus, aut poſticio, vel lanipendio præponuntur, ſuper Euangelium claues accipiant, & ſine murmuratione ſeruiant reliquis. Si quæ verò veſtimenta, calceamenta, vtenſilia negligenter expendenda vel cuſtodienda putarint, tanquam interuerſores rerum monaſterialium ſeueriùs corrigantur. Habet eadem fermè ſanctus Auguſtinus capite decimo-tertio, ſed breuiori ſtylo.

LXXXIV. §. 6.

Paragraphus ſextus eſt de iurgiis & conuiciis corrigendis, déque obedientiâ præſtandâ Matri, Præpoſitæ, Primiceriæ & Formariæ.

LXXXV. DE IVRGIIS ET CONVICIIS CORRIGENDIS.

Lites nullas habeatis ſecundum illud Apoſtoli. [*Seruum Dei non oportet litigare.*] *Et illud.* [*Abſtine te à lite, & minues peccata.*] *Aut ſi fuerint, quamcelerius ſiniantur, ne ira creſcat in odium, & feſtuca creſcat in trabem, & efficiatur anima homicida. Sic enim legitis.* [*Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.*] *Et* [*Leuantes ſanctas manus, ſine ira & diſceptatione.*] *Quæcumque conuicio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu leſerit Sororem ſuam, meminerit culpam ſatisfactione purgare. Quod vitium ſi iterare præſumpſerit, diſtrictione ſeueriſſimâ feriatur, vſquequò per ſatisfactionem recipi mereatur. Iuniores præcipuè ſenioribus deferant. Si qua verò pro quacumque re excommunicata fuerit, remota à Congregatione in loco quo Abbatiſſa iuſſerit, cum vnâ de ſpiritualibus Sororibus reſideat, quouſque humiliter pœnitendo indulgentiam accipiat. Si autem, vt fieri ſolet ſtimulante diabolo,*

inuicem

inuicem se leserint, inuicem sibi veniam petere, & debita relaxare debebunt, propter orationes, quas vtique quantò crebriores, tantò puriores habere debent. Quòd si illa, cui venia petitur, indulgere sorori suæ noluerit, à communione remoueatur & timeat illud. [*Quod si non dimiserit, non dimittetur ei.*] *Quæ autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit; aut cui petitur, si non dimittit, sine causâ in Monasterio esse videtur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si admissa fuerint, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera. Quando autem vos, quæ Præpositæ estis, necessitas disciplinæ pro malis moribus coercendis dicere verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse fortassè sentitis, non à vobis exigitur vt veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subiectas, dum nimiùm seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam quas plùs iusto corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.* Lege Regulam sancti Augustini, capitibus decimoquinto tribúsque proximè sequentibus.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

LXXXVI. DE OBEDIENTIA DEBITA MATRI, PRÆPOSITÆ.

Matri, quæ omnium vestrùm curam gerit, & Præpositæ sine murmuratione obediatis, ne in illis caritas contristetur. Ipsæ verò, quæ vobis præsunt, cum caritate & verâ pietate discretionem & Regulam studeant custodire. Circa omnes seipsas bonorum operum præbeant exemplum, corripiant inquietas, consolentur pusillanimes, sustineant infirmas, sæpè cogitantes Deo se pro vobis reddituras esse rationem, vnde & vos magis sanctè obediendo, non solùm vestri, sed etiam ipsarum miseremini, quia inter vos quantò ordine superiores esse videntur, tantò in periculo maiori versantur. Pro quâ re non solùm Matri, sed & Præpositæ, Primiceriæ vel Formariæ (apud Stellartium & Holstenium *Primariæ*) *cum reuerentiâ humiliter obedite.* Vt in Cœnobio virorum, Pater Abbatem, Præpositus primum ab Abbate, Primicerius Seniorem, Formarius Magistrum tironum designat; sic in puellari Monasterio Mater est Abbatissa, Præposita primum post Abbatissam locum obtinet, Primiceria Senior est, Formaria ceteris præest informandis. Hæc autem sanctio Cæsarij nititur capitibus Regulæ Augustinianæ vicesimo, vicesimo-primo & vicesimo-secundo.

PRIMICERIÆ ET FORMARIÆ.

Paragraphus septimus est de colloquio cum externis, & de conuiuiis.

LXXXVII. § 7. LXXXVIII. DE COLLOQVIO CVM EXTERNIS.

*Ante omnia propter custodiendam famam vestram, nullus virorum in secretâ parte in Monasterio & in Oratoriis introeat, exceptis Episcopis, Prouisore, & Presbytero, Diacono, Subdiacono, & vno vel duobus Lectoribus, quos & ætas & vita commendet *, qui aliquoties Missas facere debeant. Cùm verò aut tecta retractanda * sunt, aut ostia, vel fenestræ sunt componendæ, aut aliquid huiusmodi reparandum, artifices tantùm & serui ad operandum aliquid, si necessitas exegerit, cum Prouisore introeant, sed nec ipsi sine scientiâ aut permissu *Matris. Ipse verò Prouisor interiorem partem Monasterij, nisi pro iis vtilitatibus quas superiùs comprehendimus, nunquam introeat, & aut nunquam aut difficilè sine Abbatissâ aut aliâ honestissimâ teste, vt secretum suum sancta, sicut decet & expedit, habeant.* Editio Antuerpiensis in eundem sensum recidit, *vt sanctæ sorores secretorum vsum, sicut decet & expedit, habeant.*

* Bolland. commentat. * Holsten. restaurand. * Boll. permissione.

Matronæ etiam seculares, vel puellæ, seu reliquæ mulieres adhuc in habitu laico, similiter introire prohibeantur. Ita Bollandus.

LXXXIX.

Obseruandum est ne Abbatissa ad salutantes in salutatorium sine digno honore suo, hoc est, sine duabus aut tribus sororibus procedat. Episcopi, Abbates vel reliqui religiosi, quos magna vita commendat, si petierint, debent ad orationem in Oratorium introire. Obseruandum est etiam vt ianua Monasterij opportunis horis salutantibus pateat.

XC.

Conuiuium etiam his personis, hoc est, Episcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, secularibus viris, mulieribus in habitu seculari, nec Abbatissæ parentibus, nec alicuius sanctimonialis vnquam, nec in Monasterio, vel extra Monasterium præparetis, sed nec Episcopo huius ciuitatis, nec Prouisori quidem ipsius Monasterij, conuiuium fiat. De ciuitate verò nec religiosæ fœminæ, nisi fortè sint magnæ conuersationis, & quæ Monasterium satis honorent, & hoc rarissimè fiat. Si qua tamen de aliâ ciuitate

XCI. DE CONVIVIIS.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

ad requirendum filiam suam, aut ad visitandum Monasterium venerit, si religiosa est, & Abbatissa visum fuerit, debet ad conuiuium vocari, reliquæ penitùs numquam, quia sancta Virgines & Deo deuotæ magis Christo vacantes pro vniuerso populo debent orare, quàm corporalia conuiuia præparare.

Si quis germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem (id est, consanguineam) *aut sibi cognitam videre voluerit, præsente Formariâ vel quâlibet Seniore, ei conloqui * non negetur.*

Paragraphus octauus est de mensa, de vestibus & de supellectile.

XCII. * Boll. colloquium.

*Abbatissa, nisi inæqualitate aliquâ, aut infirmitate, vel occupatione compellente, extra Congregationem penitùs non reficiatur *.*

XCIII. §. 8.

Illud ante omnia te, sancta Mater, & te venerabilis quæcumque fueris Præposita, etiam cuicumque cura committenda est infirmarum, Primiceria etiam vel Formaria, admonco & conteſtor, vt vigilantissimè consideretis, vt si sunt aliquæ de Sororibus, quæ pro eo quòd aut delicatiùs nutritæ sunt, aut defectionem forsitan stomachi frequentiùs patiuntur, & si quæ reliquæ abstinere non possunt, aut certè cum grandi labore ieiunant, si illæ propter verecundiam petere non præsumunt, vos eis iubeatis à Cellerariis dari, & ipsis vt accipiant ordinetis. Et certissimè confidant, quicquid dispensante aut iubente Seniore quâlibet horâ percipient, in illa repausatione Christum accipient. Celleraria verò & ea quæ infirmis seruitura est, super omnem solicitudinem cura illis & diligentia infirmarum coram Deo & Angelis eius denuntietur. Hoc etiam moneo, vt propter nimiam inquietudinem ad ianuam Monasterij quotidianæ vel assiduæ eleemosynæ non fiant, sed quod Deus dedit vt possit vsibus Monasterij remanere, Abbatissa per Prouisorem ordinet pauperibus dispensari.

CXIV. DE MENSA. * Boll. reficiat

XCV.

XCVI. DE VESTIBVS.

Ante omnia obseruandum est, vt si suæ filiæ aliquis vel aliquâ necessitudine ad se pertinenti, vestimenta, vel aliquid aliud dederit, siue transmiserit, non occultè accipiantur. Pro qua re omnes, quæ ad posticium obseruauerint, conteſtor coram Deo & Angelis eius, vt nihil de Monasterio permittant dari, vel à foris in Monasterio adquiescant excipi contra conscientiam vel consilium Abbatissæ; tamen si Abbatissa, vt adsolet, cum Salutatoribus occupata fuerit, Posticiariæ Præpositæ ostendant quodcumque exhibitum fuerit. Quam rem si implere neglexerint, & illæ Posticiariæ quæ permittunt & illæ quæ excipiunt, non solùm districtionem Monasterij grauissimam sustinebunt, sed propter transgressionem sanctæ Regulæ causam se mecum ante Deum nouerint esse dicturas. Ipsum verò quod transmissum fuerit, si illi opus ad vsus suos fuerit, ipsa habeat, si verò illa nihil indiget, in commune redactum cui est necessarium præbeatur, propter illud Domini mandatum. [*Qui habet duas tunicas, det non habenti.*] *Indumenta verò ipsa cùm noua accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, Abbatissæ refundant, pauperibus aut incipientibus vel iunioribus dispensanda.* Initium huius sanctionis legitur in Regula sancti Augustini, capite decimo.

XCVII. * Boll. numquam

*Omnia verò indumenta, simplici tantùm & honesto colore habeant. Numquam nigra, non * lucida, sed tantùm laia vel lactina in Monasterio per industriam Præpositæ vel solicitudinem Lanipendiæ fiant, & à Matre Monasterij, quomodo cuique rationabiliter necesse fuerit, dispensentur.* Apud Bollandum, *& Mater Monasterij, quomodo cuique rationabiliter necessaria fuerint, dispenset.* Laïum seu lactinum, Bollando lactenum, quod lactei coloris est, opponitur lucido, lac enim est album, album autem pallori, lucidum seu candidum splendori coniunctum est.

XCVIII. ET SVPELLECTILE. * Boll. lactena * Boll. lectaria * Boll. religiosa * Boll. in vsum vestrum

*Tinctura in Monasterio nulla fiat, nisi, vt supradictum est, laia & lactina *, quia aliud humilitati virginum non oportet. Lectualia * verò ipsa simplicia sint, nam satis indecorum est si in lecto Religioso * stragula secularia, aut tapetia picta resplendeant. Argentum in * vsu vestro non habeatis absque ministerio Oratorij.*

XCIX.

Plumaria & acupictura & omne polymitum, vel stragula, siue ornatura, numquam in Monasterio fiant. Ipsa etiam ornamenta in Monasterio simplicia esse debent, numquam plumata, numquam holoserica, & nihil aliud in ipsis nisi cruces aut nigræ aut lactinæ opere sarsurio, de pannis aut linteis apponantur, nam nec vela cerata appendi, nec tabulæ pictæ affigi, nec in parietibus vel cameris vlla pictura fieri

debet, quia in Monasterio quod non humanis sed spiritualibus tantùm oculis placet, esse debet. Ita editio Duacensis. Antuerpiensis autem hoc loco sic reperitur deprauata. *Ipsa etiam ornamenta in Oratoriis simplicia esse debent, numquam plumata, numquam holoserica, numquam bombycina, & nihil aliud nisi cruces aut nigræ, aut lactena tantùm operis assutio de pannis aut lactеis appendatur. Nam nec lacerata appendi, nec tabulæ pictæ affigi, nec in parietibus vel cameris ulla pictura fieri debet.* Opus sarsurium ita nuncupatur à sarsura, & vox *sarsura*, quæ vsurpatur à Varrone [a], descendit à *sarcio*, veteres enim *sartum* & *sarsum* dicebant. Lege Turnebum in Aduersariis [b]. Opus igitur sarsurium in vestibus est opus simplex, sine acus pictura, vel textura Phrygionum, nihil habens præter manum sartoris; & in ædificiis est opus simplex, inelaboratum, artificio Dorico, Ionico, vel alio simili carens, solius sartoris vel sarcitatoris operâ contentum & absolutum. Ita scribit Meinardus in suis obseruationibus. Opus sarsurium in vestibus commendat Cæsarius suprà citatus, in ædificiis laudat vulgatus Gregorius Turonensis [c], apud quem interpolator de veterrima Ecclesia ciuitatis Aruernicæ hæc inter alia inseruit. *Parietes ad altarium opere sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet.*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] De re rust. l. 1. c. 9.
[b] Lib. 24. c. 12.
[c] Lib. 1. c. 16.

Si verò aliqua ornamenta, vel à vobis, vel ab aliquo de fidelibus Monasterij * *collata fuerint, aut* * *in vsibus Monasterij profutura vendantur, aut sanctæ Mariæ Basilicæ, si necesse fuerit, deputentur.*

C.

* Boll. *Monasteriorum.*
* Boll. *aut vsibus Monasterij profuturis.*

Acupictura nunquam, nisi in mappulis aut facitergiis, in quibus Abbatissa iussserit, fiat. Ita legit Bollandus, ac legendum iam censuerat Meinardus in Notis ad hunc locum, quamuis in manuscripto Codice reperisset *in mappulis & facitagis.* Stellartius edidit *in mappulis & britergiis*, sed Meinardi sententiam potiùs sequi debuit. De mappulis in libro de diuinis Officiis, qui tribui solet Alcuino, hæc leguntur. *Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, quâ pituitam oculorum & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur.* A mappulis distinguuntur facitergia seu facitergiæ vel facitergula, quibus nomen est à facie tergenda. *Facitergium* enim & *manutergium, vel à tergendo faciem vel manus, vocatum* ait Auctor Glossarum Arabicolatinarum. Sunt igitur facitergia seu facitergiæ, quibus faciei sudores; & manutergia seu manutergiæ, quibus manuum sordes absterguntur.

CI.

Nulla ex vobis extra iussionem Abbatissæ præsumat Clericorum siue laicorum, nec parentum, nec cuiuscumque, virorum siue mulierum extranearum vestimenta, aut ad lauandum, aut ad consuendum, aut ad reponendum, aut ad tingendum, accipere sine iussione Abbatissæ, ne per istam incautam & honestati inimicam familiaritatem fama Monasterij læsi possit. Bollandus aliter legit, *ne per istam incautam, & inhonestam, & inimicam familiaritatem, fama Monasterij læsi possit.* Apud eundem Auctorem desiderantur hæc vocabula *extra iussionem Abbatissæ*, item vox *extranearum*, nec non istæ *aut ad tergendum*, quæ tamen paragrapho nono, breui præcedentium Recapitulationi sic insertæ reperiuntur, *nec vestimenta eorum ad lauandum, vel tingendum, aut custodiendum, vel ad consuendum accipiat.* Hoc autem Regulæ præceptum tanti facit Cæsarius, vt Monacham, si transgressa fuerit, eâdem pœnâ quâ criminis ream puniri velit. *Quæcumque autem*, inquit, *hoc obseruare noluerit, tanquam si crimen admiserit, ita districtione Monasterij feriatur.*

CII.

Sanctioni proximè recitatæ subiicitur hæc obtestatio instar epilogi. *Te verò sanctam & venerabilem Monasteri Matrem & te Præpositam sanctæ Congregationis, coram Deo & Angelis eius, admoneo & contestor, vt nullius vnquam vel minæ vel obloquutiones vel blandimenta molliant animum vestrum, vt aliquid de sanctæ & spiritualis Regulæ institutione minuatis. Credo tamen de Dei misericordia, quòd non pro aliqua negligentia reatum incurrere, sed pro sancta & Deo placita obedientia ad æternam beatitudinem positis feliciter peruenire.* Huc igitur vsque Regula, quæ distinguitur apud Stellartium & Holstenium in capita quadraginta quatuor, apud Bollandum in paragraphos octo.

CIII. OBTESTATIO.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Post sancti Cæsarij Regulam in omnibus exemplaribus occurrit Recapitulatio. Apud Meinardum, Stellartium & Holstenium, Regulæ & Recapitulationi diuersi præfiguntur tituli, nec iidem apponuntur articulorum seu capitum numeri, ita vt Recapitulatio censeatur opus à Regula penitùs separatum. Apud Bollandum autem aliter se res habet, nam Regulæ subiicitur Recapitulatio, tanquam epilogus ipsius Regulæ, seu sanctionum suprà descriptarum repetitio cum hoc titulo, *breuis recapitulatio præcedentium*, & obtestatio quâ Regulam claudi monuimus, initium ponitur subsequentis Recapitulationis. Quo loco Bollandum falli docet ipsiusmet Recapitulationis prologus, qui sic editus reperitur.

CIV. RECAPITVLATIO.

*Cùm, Deo propitio, in exordio institutionis Monasterij vobis Regulam fecerimus, multis tamen posteà vicibus ibi aliquid addidimus vel minuimus. Pertractantes enim & probantes quid implere possitis, hoc nunc definiuimus, quod & rationi & possibilitati & sanctitati conueniebat. Quantum enim diligenti experimento capere potuimus, ita Deo inspirante temperata est Regula ipsa, vt eam cum Dei adiutorio ad integrum custodire possitis, & ideò coram Deo & Angelis eius conteſtamur, vt nihil ibi vltra mutetur aut minuatur. Pro qua re quascumque schedas priùs fecerimus *, vacuas esse volumus. Hanc verò, in qua manu meâ Recapitulationem scripsi, sine vlla diminutione, rogo & moneo, vt Deo adiutore fideliter ac feliciter impleatis, incessanter Dei adiutorium implorantes, ne vos venenoso consilio suo antiquus hostis impediat, qui de ipso cæli fastigio sibi consentientes ad inferni profunda consueuit abstrahere. Vnde, sancta & * venerabiles filiæ, moneo, vt omni * virtute & vigilantissimâ sollicitudine suggestiones illius repellere studeatis, & sic cum Dei adiutorio currite, vt apprehendere valeatis, quia non qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et licet credam, quòd ea quæ superiùs scripta sunt, sancta pietas vestra & semper memoriter teneat, & Christo auxiliante non solùm fideliter sed etiam feliciter implere contendat, tamen vt ea quæ constituimus sancto cordi vestro tenaciùs valeant inhærere, istam paruulam Recapitulationem, quam manu meâ scripsi, fieri voluimus *, vt Deo inspirante & libenter accipere & iugiter studeatis cum Dei adiutorio custodire.*

* Boll. *facimus*

* Boll *ac* * Boll. *cum omni*

* Boll. *voluimus*.

Cæsarius igitur Recapitulationem non eodem quo Regulam scripsit tempore, variisque causis adductus est vt Recapitulationi delineandæ manum admoueret. Primò, quia Regulam initio Congregationis à se sancitam sæpiùs auxerat imminuerátque, ceterorum exemplarium nullâ prorsus habitâ ratione hoc vnum authenticum esse voluit cui Recapitulationem manu suâ scriptam subiecisset. Secundò, subiunxit Recapitulationem, vt ea quæ fusiori stylo per Regulam præceperat, in epitomen redacta faciliùs memoriæ commendarentur. Duas illas rationes prologo Recapitulationis suprà recitato complexus est. Tertiam addemus, scilicet vt ageret de electione Abbatissæ & de Priuilegio Monasterij, de quibus in Regula nihil dixerat.

CV. Recapitulatio apud Stellartium & Holstenium diuiditur in capitula siue articulos quatuordecim, apud Bollandum in duos paragraphos, quorum prior

CVI. §. 9. RECAPITVLATIO. est *Breuis Recapitulatio præcedentium*, posterior inscribitur *De electione Abbatissæ*, & *Regula non mutanda*, ille numero nonus est, hic decimus: de vtroque verba facturi sumus.

Paragraphus nonus complectitur *breuem præcedentium*, nempe paragraphorum, seu præcedentis Regulæ, *recapitulationem*, in vndecim distinctam articulos, quorum pleroſque satis erit recitasse, quia fusiùs exponuntur in ipsa Regula, nec vllam peculiarem inuoluunt difficultatem.

CVII. DE DISCIPLINA MONASTERII.

I. Hoc est quod specialiter absque vlla diminutione à vobis volumus obseruari, vt nulla ex vobis vsque ad mortem suam de Monasterio egredi, vel in ipsam Basilicam, in qua ianuam habetis, aut permittatur, aut per seipsam præsumat exire.

CVIII. DE VITANDA FAMILIARITATE LAICORVM. Primus articulus Regulæ huic simillimus est.

II. Vt nulla cellam peculiarem habeat. Vt familiaritatem, aut quamlibet societatem, nec cum religiosis, nec cum laicis, seu viris seu mulieribus, secretam ha-

beat. Huius articuli primam partem habes in septimo articulo Regulæ, qui sic inchoatur. *Nulli liceat semotam eligere mansionem.*

III. Nec sola cum solo loqui vel momento temporis permittatur; nec vestimenta eorum ad lauandum, vel tingendum, aut ad custodiendum vel consuendum accipiat, & sicut in ipsâ Regulâ constituimus, nec quidquam ab intus occultè foris transmittere, aut à foris intus excipere audeat. Lege articulos Regulæ tricesimum-tertium, tricesimum-quintum, quadragesimum primum & quadragesimum tertium.

IV. Nulla aliquid proprium nec foris possideat, nec intus habeat, nec ad ordinationem suam aliquid referat, sed sicut superiùs diximus, chartis cui voluerit factis, ab omni impedimento sit libera. Hic articulus conformis est articulo quarto Regulæ. In vtroque citantur varij textus scripturarum, quos omisimus breuitatis causâ.

V. Conuiuium nec Episcopo istius ciuitatis, nec alterius, nec vlli virorum, sicut in hac Regulâ, capite videlicet tricesimo-sexto, *statuimus, præparetur.*

VI. Epistola nullius hominum, etiam nec parentum, occultè accipiantur, aut sine permissu Abbatissæ vlli qualescúnque litera transmittantur. Eadem prohibentur articulo Regulæ vicesimo-tertio.

VII. Moneo specialiùs, vt * *sicut iam diximus, vestimenta lucida, vel nigra, vel cum purpurâ, vel bebrinâ* * *nunquam in vsu habeant* *, *nisi tantùm laia & lactina* *. *Capita nunquam altiori ligent, quàm in hunc locum mensuram de incausto fecimus. Omnia opera in commune faciant.* Ita Stellartius & Holstenius. Hic articulus diuiditur in tres partes. Prima est de vestimentis, secunda de religatione capillorum, tertia de quotidianis operibus. Circa primam exponenda tantùm vox *bebrina*, cuius mentio non extat capitibus quadragesimo-primo & quadragesimo-secundo Regulæ, quibus Cæsarius de vestium colore sanctionem edidit. Secunda pars & corrigi debet & explicari. De tertiâ iam actum est ad caput Regulæ vicesimum-septimum. Bebrina pellem significat Castorinam, Castorem enim alio nomine Bebrum vocari docet vetus Scholiastes Iuuenalis, & Bebrum ac Bebrinas pelles à Bebriaco Ponti oppido sic appellari scribit, sed Bebriacum Italiæ vicum, quem Tacitus [a] *inter Veronam Cremonámque* collocat, malè confundit cum Bebricio Ponti tractu in quo frequentes sunt Castores, vnde & canes Pontici dicuntur, vt tradit Seruius ad illud Virgilij [b], *virosáque Pontus Castorea.* Hinc intelligi potest Isidorus in Glossis, dum Castorinum interpretatur *Vebrinum*, Bollando *Vibrinum*, id est, Bebrinum, non enim B tantùm & V, sed etiam E & I plerúmque commutantur. Monialibus autem interdicuntur vestes Bebrinis pellibus ornatæ, ne virgines Deo dicatæ nobilium matronarum delicias ac luxum æmulari videantur. Simili modo sanctus Ambrosius in libro [c] de dignitate Sacerdotali questus est de Clericis & Præsulibus, qui pelles Castorinas in habitu præferebant. *Castorinas quærimus*, ait, *& fericas vestes, & ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem.* De religatione capillorum sic loquitur Cæsarius apud Stellartium & Holstenium. *Capita nunquam altieri ligent quàm in hunc locum mensurâ de incausto fecimus.* Apud Bollandum verò sic. *Capita numquam altiora ligent, quàm hoc loco mensuram de incauto fecimus.* Vtráque lectio est deprauata. Tertiam, quæ mendis careat, ita compone. *Capita nunquam altiora ligent, quàm hoc loco mensuram de incausto fecimus.* Incaustum idem est ac encaustum, mutatio enim literulæ E in I familiaris est in vocibus Græcolatinis, ἐντὸς *intus*, ἔγκαυστον *incaustum.* Dicitur etiam encautum, à quo formatum est *incautum*, Bollando corruptè *ineatum.* Est autem incaustum vel encaustum iuxta primariam significationem, liquor purpureus ex ardore cocti muricis ac triti conchilij præparatus, quo Bizantini Principes suis rescriptis subscriptionem purpuream subiiciebant, quam Nicephorus Gregoras [d] ὑπογραφὴν δ' ἐρυθρᾶι γραμμάτων seu subscriptio-

AN. CH. 536.

CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

CIX. De colloquio cvm externis.

CX. De cavenda proprietate.

CXI. De conviviis.

CXII. De Epistolis.

CXIII. De vestibvs.

* Bolland. deest *v.*

* Bolland. *v. laira.*

* Bolland. *habeantur.*

* Boll. *lactina.*

[a] Lib. 2. hist.

[b] Lib. 1. Georg.

[c] Cap. 4.

De religione capillorvm.

[d] Lib. 4.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

nem rubris literis expreſſam vocat. Poſteà cœpit vſurpari pro atramento, vt obſeruari poteſt apud Iſidorum in Gloſſis, vbi ſic, *Incauſtum, Sepia.* Perſius enim per ſepiam atrum intelligit ſepiæ cruorem, qui atramenti ſcriptorij vſum præbet, vt patet ex hoc verſu Satyræ tertiæ, *nigra quòd infusâ vaneſcat ſepia lymphâ.* Iubentur ergo Moniales religare caput ac crines ad certam altitudinis menſuram, quæ incauſto, id eſt, atramento, præſcripta conſpicitur, ne ſi ſecularium fœminarum more caput altius ædificent, turrito capite ac comâ vanam gloriam aucupari videantur. Ex his obiter nota Cæſarium haud præcepiſſe, vt virgines Deo mancipatæ tonderentur. Habebat enim præ manibus Regulam Monialium à ſancto Auguſtino [a] ſancitam, qui non ſtatuit vt capilli Monacharum ſecentur, ſed eos ex aliquâ parte nudos haberi, foriſque vel ſpargi negligentiâ vel induſtriâ componi ſic vetat. *Capillos ex nullâ parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat negligentia vel componat induſtria.* Cur autem ſanctus Auguſtinus haud iubeat crines Sanctimonialium amputari, ratio hæc afferri poteſt, quòd Monachæ nec in Africâ tondebantur vbi tunc degebat, nec in Italiâ vbi ſanctum Ambroſium præceptorem ac magiſtrum nactus fuerat. Africanam conſuetudinem indicat ſanctus Optatus libro ſexto aduerſus Parmenianum, Italicam ſanctus Ambroſius in tractatu de virginis lapſu. Inuehitur Optatus in Donatiſtas, qui ſi Moniales ad ſuas partes pertraxerant, ab iis ſecundam profeſſionem extorquebant iteratâ crinium ſolutione, quæ non exigebatur à mulieribus ſecundas nuptias contrahentibus. *In nuptias*, inquit, *ſponſi, iam venerant voluntate & profeſſione ſuâ, & vt ſæcularibus nuptiis ſe renunciaſſe monſtrarent, ſpiritali ſponſo ſoluerant crinem, iam cæleſtes celebrauerant nuptias, quid eſt quòd eas iterum crines ſoluere coegiſtis? quid (inquam) quòd ab ipſis per vos exacta eſt profeſsio ſecunda? quis eſt alter ſpiritalis ſponſus, cui iterum nuberent? quando mortuus eſt cui nupſerant, vt iterum nubant?* Et paulò pòſt. *Inueniſtis igitur huiuſmodi virgines, quæ iam ſpiritaliter nupſerant; quaſi ſecundas coegiſtis ad nuptias; vt crines iterum ſoluerent, imperaſtis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt, ex quibus ſi alicui maritum mutare contigerit, non repetitur illa temporalis feſtinitas.* Sanctus Ambroſius in tractatu de lapſu virginis, agit de virgine Deo dicatâ. *Virgo nobilis*, ait capite primo, *dicata Chriſto, ſapiens, erudita, ruit in foueam turpitudinis, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, ſe perdidit, & Eccleſiam maculauit. Hinc omnis anima Chriſtiana graue vulnus excepit, quia ſanctum datum eſt canibus, & margaritæ miſſæ ſunt ante porcos. A rabidis enim hominibus nomen laceratum eſt ſanctitatis, & ab immundis & luteis pretioſum conculcatum eſt propoſitum caſtitatis.* Deinde capite octauo inter varia remedia hoc proponit. *Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt.* Amputationem igitur capillorum ei præcipit in ſignum pœnitentiæ, non quia Monaſterium ingreditur, aut monaſticam vitam ducit, ſed quia relicto caſtitatis propoſito lapſa eſt in luxuriam.

[a] Ep. 109. c. 6.

CXIV. DE NEOPHYTIS.

VIII. Quæcumque ad conuerſionem venerit, in ſalutatorio ei frequentiùs Regula relegatur, & ſi promptâ & liberâ voluntate profeſſa fuerit, ſe omnia Regulæ inſtituta completuram, tamdiu ibi ſit, quamdiu Abbatiſſæ iuſtum ac rationabile viſum fuerit. Si verò Regulam dixerit ſe non poſſe complere, penitùs non excipiatur.

CXV. DE IANVA MONASTERII.

IX. Ianua Monaſterij nunquam extra Baſilicam cum veſtra voluntate aut cum veſtro permiſſu fiat, & veſpertinis & nocturnis ac meridianis horis nunquam pateat, ita tamen vt ipſis horis, quando reficitur, claues apud ſe Abbatiſſa habeat. Hæc ſanctio docet Baſilicam Monaſterio fuiſſe coniunctam, ita tamen vt ianua per quam aditus in ipſam Baſilicam laico patebat, eſſet extra Monaſterium. Erat & alia ianua, per quam tranſitus ex ipſa Baſilica in Monaſterium eſſe poterat, vt obſeruauimus ad paragraphum primum. Atque ex eo Baſilicæ ſitu colligimus vetitum à Cæſario fuiſſe, ne Moniales è Monaſterio in Baſilicam ingrederentur, vt ibidem iam notauimus ex editione Antuerpienſi, quam illo loco diximus præferendam Duacenæ & Romanæ, quæ Moniali-

bus ingreſſum è Monaſterio in Baſilicam permittunt, nihilque aliud quàm egreſſum ex eadem Baſilicâ prohibent. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

X. Ipſam tamen Abbatiſſam ſanctæ Congregationis, cui nihil poſſidere licet, aut aliquid peculiare habere permittitur, Deo medio conteſtor, vt in quantum poſſibilitas fuerit, quæ neceſſaria ſunt ſuis ſororibus prouideat.

XI. Plumariæ, & ornaturæ, & veſtimenta purpurea, & omne polymitum nunquam in Monaſterio fiat, propter illud Apoſtoli. [*Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.*] Eædem res prohibentur in Regulâ, capitibus quadrageſimo primo & quadrageſimo ſecundo. CXVI. DE SOLICITVDINE ABBATISSÆ.

Paragraphus decimus apud Bollandum inſcribitur de electione Abbatiſſæ, déque Regulâ non mutandâ. Apud Stellartium & Holſtenium complectitur tres poſtremos recapitulationis articulos qui ſequuntur.

XII. Quotiens ſancta Abbatiſſa ad Deum migrauerit, nulla ex vobis carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro parentelâ aliquam minùs efficacem fieri velit; ſed omnes, Chriſto inſpirante, vnanimiter ſanctam, ſpiritalem eligite, quæ & Regulam Monaſterij poſſit efficaciter cuſtodire, & ſuperuenientibus reſponſum cum ædificatione & compunctione, & cum ſancto affectu ſapienter valeat reddere, vt omnes homines, qui vos cum grandi fide & reuerentiâ pro ſui ædificatione expetunt, Deum vberiùs benedicant, & de veſtrâ electione, & de illius quam eligitis conuerſatione ſpiritualiter gratulentur. CXVII. DE SVFFLECTILE. CXVIII. §. 10. CXIX. DE ELECTIONE ABBATISSÆ.

XIII. Et licet, ſanctæ filiæ & vnicâ mihi in Chriſto caritate venerabiles, de ſanctæ pietatis veſtræ obedientiâ ſim ſecurus, tamen pro paternâ ſolicitudine, quia vos Angelis deſidero eſſe conſimiles, iterùm atque iterùm rogo, & per omnipotentem Deum vos conteſtor, vt nihil de ſanctæ Regulæ inſtitutione minui permittatis, ſed totis viribus eam cuſtodire auxiliante Domino laboretis. Cæſarius, vt Monialibus id perſuadeat, varias congerit auctoritates ſacræ ſcripturæ, quibus recitandis ſuperſedemus. CXX. DE REGVLA NON MVTANDA.

XIV. Illud etiam, quod non credo, nec Deus pro ſuâ miſericordiâ fieri patietur, ſi quocunque tempore qualibet Abbatiſſa de huius Regulæ inſtitutione aliquid immutare aut relaxare tentauerit, vel pro parentelâ ſeu qualibet conditione, ſubiectionem vel familiaritatem Pontifici huius ciuitatis habere voluerit, Deo vobis inſpirante, ex noſtro permiſſu in hac parte cum reuerentiâ & grauitate reſiſtite, & hoc fieri nullâ ratione permittatis, ſed ſecundùm ſacram ſanctiſſimi Papæ vrbis inſtitutionem Romæ, vos auxiliante Domino munire in omnibus ſtudete. Clariùs Bollandus. *Hoc fieri nullâ ratione permittite, ſed ſecundùm ſacra ſanctiſſimi Papæ vrbis Romæ adiutoria, vos auxiliante Domino munire in omnibus ſtudete.* Pergit Cæſarius, & hanc addit pro ſuâ Recapitulatione conteſtationem. *Præcipuè tamen de infrà ſcriptâ,* ſeu Regulæ ſubiunctâ, *Recapitulatione, quam manu meâ ſcripſi atque ſubſcripſi, conteſtor vt nihil penitus minuatur. Quæcunque enim Abbatiſſa, aut quælibet Præpoſita aliquid contra ſanctæ Regulæ inſtitutionem facere tentauerint, nouerint ſe mecum ante tribunal Chriſti cauſam eſſe dicturas. Et ſi fortè, quod Deus non patiatur, fuerit aliqua de filiabus noſtris tam pertinax animo, quæ huius Regulæ Recapitulationem ſalubriter & ſecundùm inſtitutionem ſanctorum Patrum ſcriptam implere contemnat, à ſanctæ Congregationis veſtræ conuentu eam accenſæ zelo ſancti Spiritus remouete, & tamdiu in cellâ ſalutatorij ſit remota, quamdiu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat, & donec ad Regulæ inſtituta ſe corrigat, intus non regrediatur. Hæc ideò dicimus, quia timendum eſt, ne dum vnius negligentia palpatur, & ſecundùm Regulam non corrigitur, aliæ, quæ proficere poterant, vitientur. Sed credimus de Dei miſericordiâ, quòd dum & vos ſanctæ ſpiritualiter agitis, & eas quæ negligentes ſunt cum verâ caritate corrigitis, feliciter ac pariter ad æterna præmia veniatis, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.* Hæc clauſula proculdubiò finem Recapitulationis oſtendit. CXXI.

Cetera, quæ ſequuntur apud Moquotum & alios, habentur inſtar Appendicis, quam beatus Cæſarius prædictis Regulæ ac Recapitulationi ſuperad- CXXII. APPENDIX.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

didit. Hoc enim opus, licet in omnibus exemplaribus tanquam pars præcedentis Recapitulationis exhibeatur, ab illâ distingui debet, in eámque sententiam ibit facillimè quisquis clausulam ipsius Recapitulationis suprà descriptam perpenderit. Hæc Appendix in variis editionibus admodum diuersa est. Apud Stellartium & Holstenium multò breuior inuenitur quàm apud Bollandum, non paucas tamen apud Stellartium & Holstenium continet sanctiones quæ desiderantur in Codice Bollandino. Apud Stellartium & Holstenium in septem capitula diuiditur, apud Bollandum in duos paragraphos.

§. 11. Priori paragrapho præfigitur hic titulus, *psalmodiæ & ieiuniorum ratio*, in eóque multa statuuntur de ordine psallendi, de modo ieiuniorum, & de vigiliis apud mortuas, illæ verò sanctiones penitus absunt ab editionibus Duacenâ & Romanâ, si solam ieiuniorum rationem excipias.

§. 12. Posteriori paragrapho hic apponitur titulus, *ordo conuiuij, epilogus*, in eóque præter subscriptionem nihil occurrit, quod apud Stellartium & Holstenium non legatur, sed alia in his Auctoribus reperiuntur, quæ cùm ad Cellerariam tum ad Portanariam pertinent, & omittuntur in editione Bollandinâ. Talem omissionem Holstenius hac obseruatione iam laudauit. *Postrema hæc duo capitula non sunt S. Cæsarij, sed posteà ab alio ad Recapitulationem adiecta videntur ex Regulâ S. Benedicti.* Prius horum capitum est de Cellerariâ, posterius de Portanariâ. Stabis à partibus Holstenij, si legeris Regulæ Benedictinæ caput triceſimum primum, quod inscribitur *de Cellerario, qualis debeat esse*, & initium sexagesimi sexti, quod est *de Ostiario Monasterij*. Sanctus Aurelianus, qui paucis annis post sancti Cæsarij mortem elapsis ad Episcopatum Arelatensem promotus est, duas promulgauit Regulas, vnam Monachorum, alteram Monialium, ambas Regulis sancti Cæsarij valdè conformes. Regulæ Monachorum subiecit tria capita, primum de ordine psallendi, secundum de curâ sepeliendorum Fratrum, tertium de ordine conuiuij, Regulæ verò Monialium duo, vnum de ordine psallendi, alterum de ordine conuiuij, quia posterior pars capitis triceſimi octaui tota est de curâ sepeliendarum Sororum. Sunt & illa capita multùm similia sanctionibus, de ordine psallendi, de curâ sepeliendarum Monialium, déque ordine conuiuij, quæ leguntur in Appendice sancti Cæsarij. Quapropter totam hanc Appendicem tribus circumscribimus articulis, quorum vnus est de ordine psalterij, alter de Vigiliis ad mortuas, tertius de ordine conuiuij. Verùm quia beatus Cæsarius testatur ordinem psallendi à se præscribi maximâ ex parte secundùm Regulam Monasterij Lerinensis, explanationem ipsius Appendicis, quæ multis difficultatibus non caret, hoc loco non aggredimur, inferiùs id acturi, cùm loquemur de Cœnobiis in Diœcesi Antipolitanâ sitis.

CXXIII. Præter Regulam suprà descriptam & notis illustratam, quam Cæsarius Episcopus Arelatensis Monialibus obseruandam tradidit, extat & Regula Monachorum cuius Auctor idem Cæsarius, vt ex ipso titulo patebit infrà. Hæc Regula vigebat apud plerósque Monachos in eâ Galliæ Narbonensis parte, quam Ostrogothi Francis hoc anno cesserunt. Edita est sæpiùs in Bibliothecâ Patrum, necnon à Prospero Stellartio inter Regulas Ordinum monasticorum ac militarium, & à Lucâ Holstenio in Codice Regularum, quas sancti Patres Monachis & Virginibus sanctimonialibus seruandas præscripserunt. Operi duo præfiguntur tituli. Vnus sic. *Incipit Regula, à Sancto Tetradio Presbytero nepote beatæ memoriæ S. Cæsarij Episcopi Arelatensis, Abbati, meâ paruâ personâ rogante, transmissa, quam à suo suprà memorato Domino Cæsario dixit ipse dictatam, quam dum esset Sacerdos ipse per diuersa Monasteria transmisit.* Alter sic. *Incipit in Christi nomine Regula, qualis debeat esse in Monasterio, vbi Abbas est, quicunque fuerit.* Ita editio Holsteniana, omnium vt postrema sic optima. Prædictis titulis proximè subiiciuntur viginti capitula in Bibliothecâ Patrum, sex ac viginti apud Stellartium & Holstenium, qui nonum in duos & viceſimum in sex diuidunt. Posteriorem hanc capitum distinctionem

lubenter

lubenter sequemur, quia quò plura sunt diuisionis membra, res quæ tractantur eò clariores reddi solent. Vt autem vtramque Regulam ab vno eodémque conditore promulgatam fuisse melius intelligas, accuratam inibimus collationem sanctionum, quæ per illas Regulas Monasteriis cùm virorum tum puellarum præscriptæ sunt, & si quid difficultatis hactenus intactum occurret, id exponemus eâ quâ poterimus breuitate.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

REGVLA MONACHORVM, Auctore Cæsario. REGVLA MONIALIVM, Auctore Cæsario. CXXIV.

CAPVT I. *IN primis si quis ad conuersionem venerit, eâ conditione excipiatur, vt vsque ad mortem suam ibi perseueret. Vestimenta verò laïca non ei mutentur, nisi anteà de facultate suâ chartas venditionis faciat, sicut Dominus præcepit, dicens,* [*Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, da pauperibus, & veni, sequere me.*] *Certè si non vult vendere, donationis chartas aut parentibus aut Monasterio faciat, dummodò liber sit; & nihil habeat proprium. Si verò pater eius aut mater viuat, & non habet potestatem faciendi; quando illi migrauerint, cogatur facere. Quæcumque secum exhibuit, Abbati tradat, nihil sibi reseruet, & si aliquis de propinquis aliquid transmiserit, offerat Abbati. Si ipsi est necessarium ipso iubente habeat; si illi necesse non est, in commune redactum, cui opus est tribuatur.* In hoc capite duo sunt obseruanda. Primò, qui fieri vult Monachus, is facultates, quas habet in sua potestate, Monasterio per donationis chartam potest elargiri. Seueriores sunt apud Cassianum [a] Pachomiani. Si quis enim in eorum numerum cupit adscribi, nudatur *omni pristinâ facultate*, nec ea facultas applicatur vsibus Monasterij, *ne confidentiâ huius oblationis inflatus nequaquam se pauperioribus fratribus coæquare dignetur*; deinde *ne per hanc elationem nullatenùs ad humilitatem Christi descendens, cùm sub disciplina Cœnobij non potuerit perdurare, egressus exinde ea, quæ in principio renunciationis suæ spiritali feruore succensus intulerat, tepefactus posteà non sine iniuria Monasterij sacrilego spiritu recipere atque exigere moliatur.* Secundò, qui fit Monachus parentibus inter viuos adhuc superstitibus, nec habet facultatem faciendi chartas venditionis aut donationis, à Cæsario cogitur eas facere statim ac parentibus

CAPVT I. *SI qua relictis parentibus suis seculo renuntiare, & sanctum ouile voluerit introire, vt spiritualium luporum fauces Deo adiuuante possit euadere, vsque ad mortem de Monasterio non egrediatur.*

CAP. IV. *Quæ viduæ, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad Monasterium veniunt, non excipiantur, nisi anteà de omni facultatula sua, cui voluerint chartas aut donationis aut venditionis faciant, ita vt nihil suæ potestati, quod peculiariter aut ordinare aut possidere videantur, reseruent propter illud Domini,* [*Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ possides.*] Et infrà. *Illæ verò quæ adhuc viuis parentibus substantiam suam in potestate habere non possunt, aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere compellantur, quando res parentum in potestate habere potuerint, aut ad legitimam ætatem peruenerint.*

CAP. XLI. *Ante omnia obseruandum est, vt si suæ filiæ aliquis, vel aliquâ necessitudine ad se pertinenti, vestimenta, vel aliquid aliud dederit, siue transmiserit, non occultè accipiatur. Pro qua re omnes quæ ad Posticium obseruauerint, contestor coram Deo & Angelis eius, vt nihil de Monasterio permittant dari, vel à foris adquiescant excipi contra conscientiam vel consilium Abbatissæ, tamen si Abbatissa, vt adsolet, cum Salutatoribus occupata fuerit, Posticiaria Præposita ostendant quodcumque exhibitum fuerit.* Et paulò pòst. *Ipsum verò quod transmissum fuerit, si illi opus ad vsus suos fuerit, ipsa habeat: si verò illa nihil indiget, in commune redactum, cui est necessarium, præbeatur.*

[a] Lib. 4. capp. 4. 5.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

orbabitur. Ex hac sanctione planum est olim Monachos post obitum parentum ab hæreditate non repulsos fuisse. Quin & Iustinianus Augustus [a], qui sancto Cæsario æqualis vixit, statuit vt parentes, qui testamentum condebant, necesse haberent liberis seu Clericis seu Monachis quadrantem relinquere, alioquin voluit locum esse ab intestato. *Hoc etiam cognitum nobis, correctione nostrâ dignum esse iudicamus, vt si quis in parentum potestate constitutus vel constituta, vel forsan huiusmodi iure absolutus, vel absoluta, elegerit se Monasterio vel Clero sociare, & reliquum vitæ suæ tempus sanctimonialiter degere voluerit, non liceat parentibus eosdem vel easdem quocumque modo abstrahere, vel propter hanc tantummodo causam, quasi ingratum vel ingratam à sua hæreditate vel successione repellere, sed necesse sit eis omnimodò, cùm vltimam voluntatem suam siue per scripturam siue alio legitimo modo perficiunt, quartam quidem portionem secundùm leges nostras eis relinquere. Sin autem & amplius voluerint eis largiri, hoc eorum voluntati concedimus. Sin verò vltimam voluntatem parentes neque testamento neque alio vltimo elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentum substantiam hæredes, quibus ab intestato competit secundùm leges nostras, sibi defendant, nullo eis impedimento ex sanctimoniali conuersatione generando, siue soli, siue cum aliis ad successionem vocantur.* Eiusmodi autem bonis pro arbitrio vti non poterant Monachi, sed ea per chartas donationis aut Monasterio aut pauperibus aut Ecclesiis dare tenebantur.

[a] Cod. lib. 1. de Episc. & Cler. l. 55.

CXXV. CAP. II. *Sint vobis omnia communia.*

Ex Capite XVIII. *Sint vobis omnia communia.*

CXXVI. CAP. III. *Cellam peculiarem aut armariolum, vel quamlibet clausuram nullus habeat; in vna schola omnes maneant.*

CAP. VII. *Nulli liceat semotam eligere mansionem, nec habebit cubiculum, vel armariolum, aut aliquid huiusmodi, quod peculiarius claudi possit, sed omnes diuisis lectulis in vna maneant cellula.*

CXXVII. CAP. IV. *Non iurent, quia Dominus dixit,* [*Nolite iurare omninò, sed sit sermo vester, est, est; non, non.*]

CAP. II. *Iuramentum & maledictum, velut venenum diaboli, fugere & vitare contendat.*

CXXVIII. CAP. V. *Mentiri qui inuentus fuerit, disciplinam legitimam accipiat, quia* [*os quod mentitur occidit animam.*] *&,* [*perdes eos qui loquuntur mendacium.*]

CXXIX. CAP. VI. *Non maledicant, quia scriptum est.* [*Neque maledici regnum Dei possidebunt.*]

CXXX. CAP. VII. *Operam, non quam vnusquisque voluerit, sed quæ eis ordinata fuerit, faciant.*

CAP. VI. *Nemo sibi aliquid operis vel artificij pro suo libitu eligat faciendum, sed in arbitrio Senioris erit, quod vtile prospexerit imperandum.*

CXXXI. CAP. VIII. *Dum psallimus, nullus loqui præsumat.*

Ex Cap. VIII. *Dum psallitur, fabulari omninò non liceat.*

CXXXII. CAP. IX. *Ad mensam dum manducant, nullus loquatur, sed vnus legat quemcumque librum, vt sicut corpus reficitur cibo, ita anima reficiatur Dei verbo, sicut dicit Dominus,* [*Non autem solo pane viuit homo, sed ex omni verbo Dei.*] *Qualis est terra sine pluuia, & caro sine cibo, talis est anima si non reficiatur Dei verbo.*

Ex Cap. XVI. *Sedentes ad mensam taceant, & animum lectioni intendant. Cùm autem lectio cessauerit, meditatio sancta de corde non cesset. Si verò aliquid opus fuerit, quæ mensæ præest, solicitudinem gerat, & quod est necessarium nutu magis quàm voce petat. Nec sola vobis fauces fumant cibum, sed & aures audiant Dei verbum.*

CXXXIII. CAP. X. *Filium de baptismo nullus excipiat.*

CAP. IX. *Nulla cuiuslibet filium in baptismum, neque diuitis neque pauperis, præsumat accipere.*

CAP. XI. *Mulieres in Monasterio numquam ingrediantur. Præter eum qui in remoto loco est*, (ita corrigendus hic locus qui corruptus est in omnibus editionibus) *signo tacto ad omne opus Dei nullus tardiùs veniat. Si tardiùs venerit, statim de ferulâ in manus accipiat. Arguente Abbate, aut Præposito, aut quolibet Seniore, respondere penitus non præsumat.*

CAP. XII. *Lites inter vos non habeatis. Sic enim dicit Apostolus.* [*Servum Domini non oportet litigare sed mansuetum esse.*] *Certè si excesserit, vt est humana fragilitas, vt se sermonibus durìs exstimulent,* [*sol non occidat super iracundiam vestram.*]

CAP. XIII. *Sed nec vllus præsumat iratum culpare, sed qui se sciunt feciſſe quod non debuerunt, inuicem sibi veniam petant.* Congerit Cæsarius varias Auctoritates sacræ Scripturæ, quibus Monachos ad mutuam pacem charitatémque cohortatur, & hoc caput egregiè sic concludit. *Qui inimicos iubemur diligere, & bene eis facere, quâ fronte fratres odimus?*

CAP. XIV. *Omni tempore vsque ad tertiam legant. Post tertiam vnusquisque sibi opera iniuncta faciat.*

CAP. XV. *Nullus occultè aliquid accipiat. Præcipuè epistolas sine scientiâ Abbatis nullus accipiat, nec transmittat.*

CAP. XVI. *Victum & vestimenta Abbas ministret. Quia sicut sancitum, vt nihil proprium habeant, ita instum*

CAP. XXXIV. *Matronæ etiam seculares vel puellæ, seu reliquæ mulieres adhuc in habitu laico, similiter introire prohibeantur.* AN. CH. 536. CHILDEB.

CAP. X. *Quæ signo tacto tardiùs ad opus Dei vel ad opera venerit, increpationi, vt dignum est, subiacebit. Quòd si secundò aut tertiò admonita emendare noluerit, à communione vel à conuiuio separetur.* CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CXXXIV.

CAP. XI. *Quæ pro qualibet culpâ admonetur, castigatur, corripitur, arguenti respondere penitus non præsumat.*

CAP. XXXI. *Lites nullas habeatis, secundùm illud Apostoli.* [*Servum Dei non oportet litigare.*] *Et illud.* [*Abstine te à lite, & minues peccata.*] *Aut si fuerint, quàm celeriùs finiantur, ne ira crescat in odium, & festuca crescat in trabem, & efficiatur anima homicida.* CXXXV.

Ex Capite XXXI. *Si autem, vt fieri solet stimulante diabolo, inuicem se læserint, inuicem sibi veniam petere, & debita relaxare debebunt, propter orationes, quas vtique quantò crebriores, tantò puriores habere debent.* CXXXVI.

Ex Capite XVII. *Omni tempore duabus horis, hoc est, à mane vsque ad horam secundam, lectioni vacent.* CXXXVII.

CAP. XVIII. *Reliquo verò dici spatio faciant opera sua.*

CAP. XXIII. *Quæcumque autem, quod Deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, aut qualibet mandata, aut munuscula accipiat; si hoc vltro confessa fuerit, indulgentiam mereatur, & oretur pro eâ; si autem celans proditur vel conuincitur, secundùm statuta Monasterij grauiùs emendetur. Simili etiam districtioni subiaceat, si vel ipsa cuicumque literas aut munuscula transmittere sacrilego ausu præsumpserit.* CXXXVIII.

CAP. VI. Recapitulationis. *Epistolæ nullius hominum, etiam nec parentum, occultè accipiantur, aut sine permissu Abbatissæ vlli qualescunque literæ transmittantur.*

CAP. X. Recapitulationis. *Ipsam tamen Abbatissam sanctæ Congregationis, cui nihil possidere licet, aut aliquid pe-* CXXXIX.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

est, vt omnes quæ necessaria fuerint, à sancto Abbate accipiant.

CAP. XVII. *Infirmi tractentur, vt citiùs conualescant.*

CAP. XVIII. *Omne ministerium cum bonâ voluntate facite, vt impleatis illud, [voluntariè sacrificabo tibi] quia satis alia merces erit illius, qui voluntariè, quàm illius, qui inuitus facit quod iubetur.* Hactenus vtramque sancti Cæsarij Regulam simul contulimus, cetera verò capitula, quæ supersunt in Regula Monachorum, si secundam partem vicesimi secundi cum vicesimo tertio excipias, nihil affinitatis habent cum Regula Monialium.

culiare habere permittitur, Deo medio contestor, vt in quantum possibilitas fuerit, quæ necessaria sunt suis sororibus prouideat.

Ex Capite XX. *Ægrotantes verò sic tractandæ sunt, vt citiùs conualescant.*

CAP. XVI. *Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili iudicio pereat murmuratorum, secundùm illud Apostoli.* [*Omnia facite sine murmurationibus.*]

CXL. CXLI.

CXLII. CAPVT XIX. *Contendite intrare per angustam portam, quia arcta & laboriosa est via, quæ ducit ad vitam; lata & spatiosa, quæ ducit ad mortem. Vos verò, sicut certamen habituri eratis, si in pugnâ contra gentem aliquam ambulassetis, vt non ibi mortem faceretis; tantò magis in isto spiritali certamine pugnate, vt non vos aduersary animæ percutiant. Quanta vitia habueritis, tantos habebitis aduersarios. Et ideò certate sicut milites Christi, vt cum ipso regnetis in cælis qui dixit.* [*Si quis tulerit crucem suam & secutus me fuerit; si quis reliquerit patrem, matrem, vxorem, filios, & facultates, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.*] *Hoc certamen habete inter vos, qui alterum vincat per humilitatem, per charitatem, qui sit minor, qui sit in opus Dei vigilantior, qui patientiam habeat maiorem, qui sit tacitus, mitis, blandus, compunctus, vt lætetur Deus & Angeli eius de vestrâ sanctâ conuersatione, & confundatur diabolus hostis antiquus, qui semper cogit miserum hominem contra Dei facere voluntatem, ne sit ibi, vnde ille pro suâ præsumptione iactatus est. Sic currite vt adprehendatis & positis dicere. Viam mandatorum tuorum cucurri. Videte, fratres, quomodò cautè ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Patri & Deo, subiecti inuicem in timore Christi.*

CXLIII. DE VIGILIIS, A MENSE OCTOBRI VSQVE AD PASCHA.

CAP. XX. *Vigilias à mense Octobri vsque ad Pascha, duos Nocturnos faciant, & tres Missas. Ab vnâ Missâ, legat frater folia tria, & Orate: legat alia tria, & leuet se.* Initio huius articuli lege *ad Vigilias.* Vigiliæ nocturnum est officium, quod hodie Matutinum vocatur. Apud sanctum Cæsarium Vigiliæ à mense Octobri vsque ad Pascha duos habent Nocturnos, & tres Missas cum duabus orationibus intermediis, vt ex capite vicesimo regulæ suprà recitato constat, necnon Antiphonas duas cum Responsorio interiecto, nam capite vicesimo primo, priusquàm de Matutinis, id est, de Laudibus sermo instituatur, hæc enuntiantur ad Vigilias adhuc pertinentia, *dicite Antiphonam, Responsorium, & aliam Antiphonam, Antiphonas ipsas de ordine Psalterij.* Antiqui Vigilias ipsas à Nocturnis Nocturnos appellarunt, Cassiodorus enim sancto Cæsario æqualis ad illud Psalmi centesimi duodeuicesimi, *septies in die laudem dixi tibi*, sic ait. *Si ad litteram hunc numerum velimus aduertere, septem illas significat vices, quibus se Monachorum deuotio consolatur, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos,* ibique per Nocturnos Vigilias, id est, Matutinum vt hodie loquimur; Laudes per Matutinas; Vesperas per Lucernariam intelligit. Sanctus Cæsarius duobus Nocturnis tres subiicit Missas. Caue ne Missæ nomine sacrosanctum Missæ sacrificium hîc significari putes. In veteribus Regulis, quas Patres Monachis præscripserunt, acceptio Missæ multiplex est. Primò, ac-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

cipitur Missa pro sacrificio Missæ, & ad aliarum acceptionum differentiam aliquando dicitur Missa altaris, vt in Regula [a] Magistri, sic, *Missa altaris in Oratorio à Clerico recitetur, ipso oblationem fratrum recitante*, vbi Magister vtitur nomine generali pro speciali, & Clericum vsurpat pro Presbytero. Deinde Missæ significant horas Canonicas, vt in Regula Patrum, quam sic allegat Benedictus Anianensis [b]. *Operam dabunt singuli fratres, vt tempore quo Missæ fiunt siue die siue nocte, quando diutiùs ad orationem standum est, non deficiant, vel superfluò foras recedant, quia scriptum est in Euangelio: Oportet autem semper orare, & non deficere. Et alio loco. Non impediaris orare semper.* In hac significatione Missas matutinas ac vespertinas vsurparunt Patres [c] Concilij Agathensis. *Quia conuenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, vt sicut vbique fit, & post Antiphonas Collectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur, & Hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione matutinarum vel vespertinarum Missarum, post Hymnos Capitella de Psalmis dicantur, & plebs collectâ oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur.* Vitiosè in nonnullis exemplaribus legitur, *in conclusione matutinarum vel vespertinarum & Missarum*, coniunctio & addita est ab ignaris, qui cum Matutinos & Vesperas, de quibus sanctio Patrum Agathensium intelligi debet, Missas vocari nescirent, Canonem non tantùm de Matutinis & de Vesperis, sed etiam de Missa altaris, id est, de Missæ sacrificio interpretari voluerunt. Præterea Missa sumitur pro missione seu dimissione. Sic apud Cassianum [d] Congregationis Missa dimissionem Congregationis significat. *Qui in Tertia, Sexta vel Nona, priusquàm Psalmus cæptus finiatur, ad orationem non occurrerit, vlteriùs Oratorium introire non audet, nec semetipsum admittere psallentibus, sed Congregationis Missam stans pro foribus præstolatur, donec egredientibus cunctis, submissâ in terram pœnitentiâ, negligentiæ suæ vel tarditatis impetret veniam.* Missarum etiam nomine significantur Lectiones, quæ fiunt cùm ex vtroque Testamento tum ex passionibus Martyrum, seu memoriter dicantur, seu legantur ad librum. In hoc sensu Cæsarius infrà capite vicesimo-primo Missam de Resurrectione vsurpat. *Omni Dominicâ sex Missas facite. Prima Missa semper Resurrectio legatur, dum Resurrectio legitur nullus sedeat.* Et in Appendice ad Recapitulationem Regulæ Monialibus præscriptæ, cùm ordinem psallendi secundùm normam Monasterij Lirinensis ex maxima parte constituit, in simili acceptione Missas de Prophetiâ Isaiæ, Missas de Daniele, Missas de Euangelio sic commendat [e]. *Ante Nocturnos Missæ sex de Prophetia Isaiæ, & post Nocturnos Missæ sex de Euangelio dicantur*, &c. *Ante Nocturnos Missæ sex de Daniele fiant, post Nocturnos de Euangeliis Missæ sex.* Et infrà præter Missas de vtroque Testamento præscribit Missas de passionibus Martyrum. *Omnibus diebus Dominicis ad Vigilias Euangelia legantur, sed semper in primâ Missâ vna Resurrectio legatur, alterâ Dominicâ altera Resurrectio, sic & tertiâ, sicque quartâ. Et dum illa prima Missa in Resurrectione legitur, & semper in primâ Missâ vna Resurrectio legitur, nemo sedere præsumat. Posteà verò in illis quinque Missis quæ sequuntur, omnes secundùm consuetudinem sedeant. Quando festiuitates Martyrum celebrantur, prima Missa de Euangeliis legatur, reliquæ de passionibus Martyrum. Priuatis verò diebus in Vigiliis ordine suo libri noui vel veteris Testamenti legantur. In hyeme, omni die post Nocturnos tres Missæ fiant.* Idem Auctor Missas illas seu Lectiones aliquando dici memoriter, aliquando legi ad librum sic docet, cùm loquitur de Vigiliis. *Sex Missæ futuræ sunt, hoc est, Lectiones sex memoriter dicendæ sunt. Et pòst Psalmi decem & octo, Antiphonæ tres. Post Nocturnos verò Missæ tres ad librum fieri debent vsque ad lucem.* Denique sumitur Missa pro conclusione seu collecta. *Orationes, id est, collectæ*, inquit Smaragdus [f], *quæ in fine cursus à Sacerdote dicuntur, Missæ, id est, Deo missæ vocantur.* Diuersæ collectarum fuerunt formulæ. Pleræque non erant absimiles orationibus, quibus singulas horas Canonicas claudere consueuimus, & apud Smaragdum suprà citatum eadem est

[a] Cap. 91.
[b] Concord. regul. c. 55.
[c] Can 30.
[d] Lib 3. c. 7.
[e] Ap. Bolland. die 12. Ianu.
[f] Ad c. 17. Reg. S. Bened.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

orationum ac collectarum significatio. Talium collectarum quædam monumenta occurrunt in literis [a] sancti Epiphanij ad Ioannem Hierosolymitanum. Aliæ erant quædam Dei glorificatio in fine Officij, vt in vita sancti Maximi Reiensis Episcopi docet Dynamius hoc modo. *B. Maximus his verbis compleuit Officium, sit gloria Dei benedicta in æternum & in sæcula sæculorum, reliquis respondentibus, Amen.* Dicebantur autem collectæ non tantùm, vt Auctores præcitati testantur, in fine cursus, id est, in fine diuini Officij, sed etiam in Missa & inter Psalmos, ita vt plures ad vnam horam Canonicam recitarentur. De collectis ita differit Walafridus Strabo in libro [b] de rebus Ecclesiasticis. *Orationes, quas collectas dicimus, quia necessarias earum petitiones compendiosâ breuitate colligimus, id est, concludimus, diuersi Auctores, vt cuique videbatur congruum, confecerunt. Solebant enim non solùm inter Officia Missæ, verùm etiam in aliis orationibus conuenientibus & collocutionibus, qui cæteris aderant eminentiores, breui oratione opus concludere. Quod & in sanctorum Patrum exemplis agnoscimus, dum alij alios honorificentiæ causâ orationes colligere postulabant. Et venerabilis Doctor Augustinus in quibusdam sermonibus suis ad populum, ita terminauit locutionem, vt diceret extremò. Conuersi ad Dominum. Vbi intelligitur, oratione subiunctâ, communem petitionem ad Dominum direxisse. Sicut etiam nunc solent Sacerdotes in conclusionibus nocturna vel diurna Synaxeos, orationes breues, id est, collectas subiungere. Sunt enim tales, vt non alibi quàm circa sacrificij celebrationem sint dicendæ. Sunt verò aliæ, quibus & in Officio Missæ, & non minùs in aliis locis possumus vti.* Et Cassianus libro secundo [c] Monasticarum institutionum. *Nedum benè finito Psalmo in orationem procumbere festinamus ad celeritatem Missæ,* id est, collectæ, *quantocyùs properantes.* Chilpericus Rex Francorum, teste Gregorio Turonensi [d], *confecit Missas*, id est, orationes siue collectas composuit, quas idem Gregorius haud probat. Idem opus aggressi sunt multi exitu haud feliciore. *Crescente Religionis cultu diuinæ,* inquit Walafridus Strabo loco iam citato, *crescebat etiam paulatim orationum & Officiorum Ecclesiæ compositio, multis & ex summa scientia & ex mediocri & ex minima addentibus, quæ congrua rebus explicandis videbantur. Ideóque credimus Concilio Carthaginiensi & Mileuitano statutum, vt preces & orationes à quibuslibet compositæ, nisi probatæ fuissent in Concilio, non dicerentur.* In textu sancti Cæsarij, quem examinamus, Missas accipe pro Lectionibus. Præcipit sanctus Cæsarius vt Monachi ad Vigilias à mense Octobri ad Pascha duos Nocturnos faciant & tres Missas, id est, tres Lectiones. Deinde modum, quo tres illæ Lectiones cum intermediis orationibus seu meditationibus fieri debent, ita præscribit. *Ab vna Missa*, id est, ad vnam Missam, *legat frater folia tria, & orate; legat alia tria, & leuet se.* Hâc sanctione tria præcipit; vt Lector sedens legat; vt pro singulis Lectionibus tria folia legantur; vt in fine vniuscuiusque Lectionis orent Monachi, id est, meditationi seu diuinæ contemplationi vacent aliquantisper, donec is, qui Synaxi præest, dato signo iubeat Lectionem denuò fieri. Denique Vigilias ita concludit. *Dicite Antiphonam, Responsorium & aliam Antiphonam, Antiphonas ipsas de ordine Psalterij.* Antiphonam, Responsorium & Lectionem sic distinguit Isidorus in Originibus [e]. *Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus ordine commutato, siue de vno ad vnum, quod genus psallendi Græci inuenisse traduntur. Responsorios Itali tradiderunt, quod carmen inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente id alter respondeat. Inter Responsorios autem & Antiphonas hoc differt, quòd in Responsoriis vnus versum dicit, in Antiphonis autem versibus alternant chori. Lectio dicitur quia non cantatur vt Psalmus vel Hymnus, sed legitur tantùm. Illic enim modulatio, hîc sola pronuntiatio queritur.* Adhuc clariùs quid sit Responsorium, idem Auctor in Officiis Ecclesiasticis [f] sic explicat. *Responsoria ab Italis sunt reperta, & vocata hoc nomine, quòd vno canente chorus consonando respondeat.* Est autem multiplex acceptio Antiphonæ, vt probè norunt, qui sciunt quid sit Antiphonam dici, quidve dici Psalmum cum Antiphona seu

[a] Ap S Hieronym. ep. 60.
[b] Cap. 22.
[c] Cap. 7.
[d] Lib. 6. c. 46.
[e] Lib. 6. c. 19.
[f] Lib. 1. c. 8.

per Antiphonam. Antiphona dicitur, cùm ex Psalterio vel ex alio libro sacræ Scripturæ duo tantùm versiculi dicuntur, vnus ab vno choro, alter ab altero, quóque plures ab vtroque choro dicuntur versiculi, eò plures numerantur Antiphonæ, aliquando enim duæ, tres, pluréſque continuò dicuntur. Hodierna praxis ab illa vetere circa Antiphonas non parùm differt. Quid sit psallere cum Antiphona seu per Antiphonam, & quænam differentia sit inter modum psallendi cum Antiphona seu per Antiphonam & modum psallendi in directum, dicemus inferiùs in notis ad secundam partem capitis subsequentis, quæ tota est de Laudibus matutinis. Ceterùm, quia quò longiores aut breuiores erant noctes, eò longiores etiam aut breuiores ordinabantur Vigiliæ, modum celebrandarum Vigiliarum, quem suprà descripsimus, sanctus Cæsarius non toto anni curriculo, sed tantùm *à mense Octobri vsque ad Pascha* seruandum præcepit. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

CAP. XXI. commodè diuidi potest in plures partes. CXLIV.

Prima pars pertinet ad Vigilias. *Dicite Antiphonam, Responsorium & aliam Antiphonam, Antiphonas ipsas de ordine Psalterij*. Hanc partem, quia cum præcedenti capite cohærebat, explicuimus suprà. CXLV.

Secunda pars est de Matutinis. *Post hoc dicant Matutinos. Directaneum* [*Exaltabo te Deus meus & Rex meus.*] *Deinde in ordine totus Matutinarius in Antiphonas dicatur*. Post hoc, id est, post Vigilias, sequuntur Matutini. Per Matutinos, Laudes intellige. Beatus Cæsarius matutinas Laudes rectè auspicatur à Psalmo centesimo quadragesimo-quarto, *Exaltabo te Deus meus Rex*. Hic enim Psalmus multiplicem diuinæ laudis in genere materiam indicat. Dicitur autem hic idem Psalmus alio prorsus modo quàm reliquum Officium matutinarum Laudum, est enim directaneus, dicique debet in directum, reliquum verò matutinarum Laudum Officium dicitur in Antiphonas. Hinc obserua duplicem psallendi formam, alteram *directaneè*, siue *in directum*, alteram *cum Antiphona* siue *per Antiphonam* aut *in Antiphonam*. Psalmi dicuntur *directaneè* siue *in directum*, cùm sine modulatione dicuntur, & æquali tenore vocis absque ascensu vel descensu pronunciantur; dicuntur verò *cum Antiphona*, siue *per Antiphonam*, aut *in Antiphonam*, cùm duo chori alternatim cum modulatione concinunt, & vicissim reciprocando melodiarum cantus alternant, ἀντιφωνεῖν enim est ex aduerso reciprocè & alternatim seu vicissim canere. Hæc interpretatio non tantùm conuenit Regulæ sancti Cæsarij, sed & aliis, putà sanctorum Benedicti & Aureliani, quæ modò præcipiunt vt Psalmus dicatur *directaneus* siue *in directum*; modò secùs, vt dicatur *cum Antiphona*. De Psalmis, qui dicendi sunt ad Tertiam, Sextam & Nonam, ita sanctus Benedictus in sua Regula [a]. *Si maior Congregatio fuerit, cum Antiphonis; si verò minor in directum psallantur*. Contraria sunt igitur & sibi inuicem aduersantur, Psalmum dici *directaneè* siue *in directum*, & dici *cum Antiphona*. Benedictus Haeftenus libro septimo [b] Disquisitionum Monasticarum agit de duobus illis psallendi modis, quorum alterum vult consistere in simplici voce, alterum in modulata. Existimat enim *psallere cum Antiphona* idem esse ac *Psalmos modulari*, & *psallere directaneè* siue *in directum*, idem esse ac *psallere sine notis ac modulatione*. Hæc expositio non placet, quia *psallere cum Antiphona* & *psallere cum modulatione* non sunt synonyma, nam psalmodia *cum Antiphona* supponit alternos choros, & psalmodia *cum modulatione* fieri potest absque tali alternatione. Exemplum profert Cassianus [c] de Angelo, qui *cùm vndecim Psalmos orationum interiectione distinctos contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum cum Alleluja responsione* consummauit. Ibi enim duplicem psalmodiam distinguit, vnam *parili pronunciatione*, id est, sine melodia, alteram *sub Alleluja responsione*, id est, cum melodia, quæ festiuam lætitiam ac vocem *Alleluja* comitetur, in hac autem posteriore psalmodia non occurrit alternatio chororum. Psalmus igitur psallitur *directaneè* siue *in directum*, cùm sine melodia pronunciatur eodem vocis tenore, siue dicatur ab vno, siue di- CXLVI. DE LAVDIBVS.

[a] Cap. 17.

[b] Tractat. 4. disquis. 3.

[c] Lib. 2. c. 5.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

catur à pluribus. Duobus autem modis Psalmus à pluribus dici potest. Vnus modus est, si singuli versus dicantur simul ab vtroque choro. Alter modus est, si versus à duobus choris dicantur alternatim. Priorem modum confirmat Hactenus auctoritate Breuiarij Ambrosiani, quod immediatè ante Hymnum in Laudibus habet semper Psalmum, qui vocatur *directus, & ab vtroque choro stante dicitur, communiter, & non alternatim.* Posteriorem modum receperunt Patres Capucini, Carmelitæ discalceati, Clerici Regulares Theatini, & Minimi, quibus Sanctus Franciscus de Paula præscribit [a], vt *absque notulis persoluant diuinum officium.* Non existimamus ætate Cæsarij in vsu fuisse, vt Psalmus alternis choris diceretur *directaneè*, nam Cassianus [b] melodiam Antiphonæ siue alternationi chororum coniungit, cùm ait *Psalmos Antiphonarum protelatos* esse *melodiis.* Antiquioribus temporibus aliter se res habuit. Per tria enim post Christum natum secula, simplex cantus, siue potiùs recitatio, nullo modulationis fuco permixta, Christi populos enutriuit. Ritus autem psallendi alternis choris institutus est à Sancto Ignatio Episcopo Antiocheno, qui Martyrium Romæ sub Traiano Augusto glorioſissimè consummauit. Alteram harum obseruationum suppeditauit Nicephorus, alteram Socrates. Cùm Armonius, Bardesanis hæresiarchæ hæreticus filius, praua dogmata musicis numeris inclusisset, complures ex Syris propter verborum venustatem & sonorum suauitatem demulsi, paulatim hæreses imbiberunt. Eâ re cognitâ, beatus Ephrem Edessenæ in Syria Ecclesiæ Diaconus diuinos Hymnos plurimos, quibus Deum in primis celebrauit, & laudes præterea virorum, qui Deo placuerunt, cecinit, ad Harmonij carminum leges composuit, *à quibus*, vt Nicephorus [c] tradit, *per æmulationis ardorem, posteriores Ecclesiæ cantores modulorum formulas mutuati, magis etiam atque magis augere atque propagare eas sunt aggressi.* ἀφ' ὧν τοὺς ζήλου χάριν οἱ μετέπειτα τῆς ἐκκλησίας μελῳδοὶ, τὰς ἁρμονίας τῶν μελῶν πεποιήμενοι, εἰς μᾶλλον αὐξῆσαι τοῦτο καὶ διπλασιάσαι προσεπειράσαντο. En melodici cantus in Ecclesia primam originem, quæ cadit in quartum à Christo nato seculum, vitam enim beatus Ephrem sub Valente Augusto clausit. Sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, qui sub eodem Valente Imperatore mortuus est, à Sancto Augustino [d] laudatus reperitur, quòd *tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, vt pronuncianti vicinior esset quàm canenti.* Longè vetustior est ritus psallendi alternis choris. Plerique tribuunt hanc institutionem Sancto Ignatio Episcopo Antiocheno ac Martyri, qui, teste Socrate [e], *visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem Hymnis alternâ vice collaudantium, & formam canendi in eâ visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit, vnde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est.* ἐπτασίαν εἶδεν ἀγγέλων, ὑφ' ἧς ἁγίαν τριάδα ὑμνουμένην, καὶ τὸν τρόπον τῆς ᾠδῆς τῇ ἐξ ἀντιφώνου ὑμνῳδίᾳ τῶν ἁγίων τριάδα ὑμνούντων, καὶ τὸν τρόπον τῆς ᾠδῆς τῇ ἐξ ἀντιφωνίας ἐκκλησίᾳ παρέδωκεν, ὅθεν καὶ ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις αὕτη ἡ παράδοσις ἐδόθη. Hic ritus à Græcis ad Latinos transiit. Qua de re sic in suo Chronico Sigebertus ad annum Christi trecentesimum octogesimum-septimum. *Ambrosius Episcopus* Mediolanensis *ritum canendi Antiphonas in Ecclesia primus apud Latinos transtulit à Græcis, apud quos hic ritus iam inoleuerat ex instituto Ignatij Antiocheni Episcopi & Apostolorum discipuli, qui per visionem in cælum raptus vidit & audiuit quomodò Angeli per Antiphonarum recitationem Hymnos sanctæ Trinitati canebant.*

[a] Reg. Minim. cap. 4.

[b] Lib. 2. c. 2.

[c] Lib. 9. c. 16.

[d] Lib. 10. Confess. c. 33.

[e] Lib. 6. c. 8.

CXLVII. DE LECTIONIB. IN VIGILIIS DIERVM DOMINICARVM.

Tertia pars est de Lectionibus in Vigiliis dierum Dominicarum. *Omni Dominicâ sex Missus*, id est, sex Lectiones, *facite. Prima Missa semper Resurrectio legatur. Dum Resurrectio legitur, nullus sedeat.* Vigiliæ diei Dominicæ differebant à ceteris, tum quia celebrabantur cum sex Missis, tum quia peculiarem habebant Missam seu Lectionem ac specialem cæremoniam quæ diei Dominicæ conueniebant. Prima Missa Lectio erat Resurrectionis, id est, Euangelij

angelij de Christi Resurrectione, quod legebatur in solis Vigiliis diei Dominicæ propter eandem Christi Resurrectionem à Christianis solitæ celebrari. Cùm autem illud Euangelium legeretur, Sanctus Cæsarius ob piam Resurrectionis Dominicæ memoriam neminem sedere voluit. Atque inde colligimus vsu receptum fuisse, vt omnes Monachi ceteras Lectiones audituri sederent. Resurrectionis, id est, Euangelij de Christi Resurrectione Lectionem sequebantur aliæ quinque Missæ seu Lectiones, tum Matutini seu Laudes. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Quarta pars est de Matutinis seu Laudibus dierum Dominicarum. *Perfectis Missis, dicite Matutinos; directaneo,* [*exaltabo te Deus meus & Rex meus.*] *Deinde,* [*Confitemini.*] *Inde,* [*Cantemus Domino.*] [*Lauda anima mea Dominum.*] *Benedictionem.* [*Laudate Dominum de cælis.*] [*Te Deum laudamus.*] [*Gloria in excelsis Deo.*] *Et Capitello.* Sanctus Cæsarius diebus Dominicis, perfectis Missis seu Lectionibus Vigiliarum, Matutinos seu Laudes matutinas hoc modo dicendas esse statuit. CXLVIII. DE LAVDIBVS DIERVM DOMINICARVM.

Primo loco, proponit Psalmum directaneum, *exaltabo te Deus meus & Rex meus*, id est, Psalmum centesimum quadragesimum-quartum, de quo suprà, psallendum *directaneè* siue *in directum*. Ceteros verò, de quibus mox acturi sumus, *cum Antiphonâ* psallendos esse non repetit, quia priùs præcepit, vt post prædictum Psalmum directaneum *in ordine totus Matutinarius in Antiphonas dicatur*. CXLIX. DE PSALMO 144.

Secundo loco, subiicit Psalmum centesimum decimum-septimum, *confitemini Domino quoniam bonus*. Hic Psalmus rectissimè conuenit diei Dominicæ. Nam secundùm mysticum sensum vox est partim Christi iam resuscitati à morte, & in regnum sublati, atque ob id Deo Patri gratias agentis; partim fidelium congratulantium regno Christi, cui quædam huius Psalmi longè veriùs competunt quàm Dauidi, vt est illud versiculi decimi-septimi, *non moriar sed viuam*, & diei Resurrectionis Dominicæ nunc etiam aptatur versiculus vicesimus-tertius, *hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ*, ideóque Dominicis diebus eundem Psalmum centesimum decimum-septimum ad Primam hodiéque canimus. CL. DE PSALMO 117.

Tertio loco, ponit Canticum Moysis & Israelitarum, *cantemus Domino*, quod habetur capite decimo-quinto Exodi. Hoc carmen est omnium, quorum mentio fit, antiquissimum, annis enim plùs trecentis Hymnos & Carmina Lini, Musæi atque Orphei antecessit. Decantatum fuit à Moyse & ab Israelitis in gratiarum actionem post transitum maris rubri. Diebus autem Dominicis inter matutinas Laudes ex Regulâ sancti Cæsarij cani debet, nec immeritò, nam Pascha transitum significat, & die Dominicâ, quâ Paschalis solemnitas per singulas septimanas recolitur, multa celebrantur mysteria, quorum figuram expressérunt varia miracula, quæ transitum Israelitarum comitata sunt. Transitus maris rubri fuit typus baptismi, quo transimus à captiuitate ad libertatem, à morte ad vitam. In baptismo Sanguine Christi rubricamur, & mergimus Ægyptios, id est, peccata; Moses typus est Christi, nubes est Spiritus sanctus, qui refrigerat æstum concupiscentiæ nósque illuminat. Vnde præclarè Theodoretus. *Illa erant nostrorum typus, mare enim imitabatur piscinam seu lauacrum, nubes autem gratiam Spiritus, Moses verò Sacerdotem, virga autem crucem, Israel verò significabat eos qui baptizabantur, persequentes verò Ægypty implebant figuram dæmonum, ipse autem Pharao erat imago diaboli.* Quoniam autem Christo consepelimur in baptismo, in quo & resurgimus per fidem operationis Dei qui Christum à mortuis suscitauit, vt Apostolus capite secundo ad Colossenses scribit, id est, sicut Christus virtute Dei resurrexit à mortuis ad vitam glorioſam, ita nos eâdem virtute & potentiâ à morte peccati ad vitam gratiæ & spiritus à Deo in baptismo suscitamur, idcircò baptismus priscis temporibus in solemnitate potissimùm Paschali conferebatur, & ista consuetudo, cuius exempla non pauca inferiùs occur- CLI. DE CANTICO MOYSIS ET ISRAELITARVM.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

rent, ætate sancti Cæsarij adhuc vigebat. De vocabulo Paschæ, quod transitum significat, exprimitque transitum de morte ad vitam, qui in Passione ac Resurrectione Christi sacratus est, & qualibet die Dominicâ recoli consueuit à Christianis, ita disserit sanctus Augustinus in literis [a] ad Ianuarium. *Sacramentum est in aliquâ celebratione, cùm rei gestæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiam significari intelligatur, quod sanctè accipiendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, vt non solùm in memoriam quod gestum est reuocemus, id est, quòd mortuus est Christus & resurrexit, sed etiam cetera qua circa ea atteſtantur ad sacramenti significationem non omittamus. Quia enim, sicut dicit Apostolus, mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, transitus quidam de morte ad vitam in illâ Passione Domini & Resurrectione sacratus est. Nam etiam vocabulum ipsum, quod Pascha dicitur, non Græcum, sicut vulgò videri solet, sed Hebraum esse dicunt qui linguam vtramque nouerunt. Neque enim à Passione, quoniam Græcè* πάσχειν *dicitur pati, sed ab eo quòd transitur (vt dixi,) de morte ad vitam, Hebræo verbo res appellata est. In quo eloquio Pascha transitus dicitur, sicut perhibent qui hoc sciunt. Quod voluit & ipse Dominus tangere, cùm dicit. Qui credit in me, transiet de morte ad vitam. Et maximè idem Euangelista hoc exprimere voluisse videtur, cùm celebraturo Domino Pascha cum discipulis suis, vbi cænam eius mysticam dedit, cùm vidisset, inquit, Iesus quia venit eius hora vt transiret de mundo ad Patrem. Transitus ergo de hac vitâ mortali in aliam vitam immortalem, hoc est enim de morte ad vitam, in Passione & in Resurrectione Domini commendatur.* In Breuiario Romano prædictum Mosis atque Israelitarum Canticum ponitur quidem ad Laudes, sed feriâ quintâ.

[a] Ep. 119.

CLII. DE PSALMO 145.

Quarto loco sanctus Cæsarius collocat Psalmum centesimum quadragesimum-quintum, *lauda anima mea Dominum.* Hic Psalmus, qui nunc occini solet in Vesperis Sabbati, matutinis olim Laudibus optimè accommodatus videtur, quia Propheta nihil aliud in eo molitur, quàm vt homines inducat ad laudem Dei, probétque spem non in hominibus sed tantùm in Deo ponendam esse, quòd solus ipse iuuare & possit & velit, solúsque sit potentissimus, ditissimus, fidelissimus, atque in afflictos potissimùm & inopes benignissimus.

CLIII. DE CANTICO TRIVM PVERORVM.

Quinto loco nominat *benedictionem*, id est, Canticum trium puerorum, *benedicite omnia opera Domini Domino*, quod à Daniele Prophetâ [b] descriptum reperitur. Tres pueri quos in succensam fornacem iussu Nabuchodonosor Regis iniectos ignis non læsit, cùm se gratiis agendis ac laudibus ob tantam beneficentiam Deo persoluendis impares agnoscant, hoc Cantico, vt intimum saltem sui cordis & iubilationis sensum, atque immensum gratitudinis & reuerentiæ affectum testentur, omnes creaturas, etiam inanimes, quia tanti miraculi testes fuerunt, ad Dei laudem inuitant. Ordiuntur à summis, putà ab Angelis. Inde ordine gradatim descendunt ad cælos, solem, stellas; mox ad aerem, imbrem, rorem; inde ad terram, fontes, maria, pisces, volucres, bestias, pecora; ac tandem ad homines, Israelitas, sanctos & humiles. Denique seipsos excitant ad hanc Dei laudem concludendam, vti eandem inchoarunt. Sanctus Athanasius in tractatu de virginitate præcipit, vt virgo mane singulis diebus dicat hoc Canticum, vbi interpres malè vertit Psalmum, & recognitor errorem in editione Parisiensi auxit notato ad marginem Psalmo centesimo secundo, cuius postremi versiculi in eâdem materiâ cum prælaudato Cantico versantur. Viget adhuc sanctio beati Cæsarij, diebúsque Dominicis ad matutinas Laudes canitur idem Canticum trium puerorum. In Concilio Toletano quarto, quod septimo seculo Sisenando regnante celebratum est, de illo Hymno seu Cantico Patres hunc Canonem [c] statuerunt. *Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuersa cæli terraque creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missâ Dominicorum dierum & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt, proinde hoc sanctum Concilium instituit, vt per*

[b] Cap. 3.

[c] Can. 13.

omnes Ecclesias Hispaniæ vel Galliæ in omnium Missarum solemnitate idem in pulpito decantetur, communionem amissuri, qui & antiquam huius hymni consuetudinem, nostrámque diffinitionem excesserint. Vbi per Ecclesias Hispaniæ vel Galliæ, id est, per Ecclesias Hispaniæ & Galliæ, Ecclesias intellige sitas in regno Sisenandi, quod haud quidem claudebatur limitibus Hispaniæ, sed per Galliam Narbonensem ad Rhodanum vsque fluuium adhuc protendebatur. Hodie verò Canticum trium puerorum non dicitur in Missa, sed ab eo Sacerdos actionem gratiarum post Missam auspicatur. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Sexto loco sanctus Cæsarius recenset Psalmum centesimum quadragesimum octauum, *Laudate Dominum de cælis.* Huius Psalmi, qui diebus Dominicis ad Matutinas Laudes adhuc recitatur, idem ferè est argumentum ac præcedentis Cantici. Nam Propheta creaturas omnes ad Dei laudem inuitat, ita vt obseruato naturæ ordine congruo à cælestibus incipiens ad inferiora descendat, atque in his primùm aquatica, deinde aërea, tum & terrestria inanimata simul & animata, vniuscuiusque postremùm conditionis homines, & singulariter populum Dei appellet. CLIV. DE PSALMO 148.

Septimo loco ponit hymnum sanctorum Ambrosij & Augustini, *Te Deum laudamus.* Hic hymnus adhuc canitur diebus Dominicis, & inscribitur Hymnus Dominicalis in lib. de Officiis per ferias, quem Andreas Ducheſnius ex Bibliotheca Thuanea publicauit. Compositus fuit, & coram toto populo decantatus in gratiarum actionem à sanctis Ambrosio & Augustino, cùm beatus Augustinus baptismum in Ecclesia Mediolanensi susceperit. Cantari solet hodie non tantùm diebus Dominicis, sed in lætis omnibus ac festiuis Officiis, necnon extra diuinum Officium pro beneficiis acceptis & ad gratiarum actiones reddendas in fine Processionum publicarum & Ecclesiasticarum functionum quæ pro lætis successibus præstantur. Cùm autem sic aptetur actionibus gratiarum reddendis, optimè conuenit matutinis Laudibus, æquissimum est enim, vt vnusquisque Deo manè gratias agat pro beneficiis acceptis. An Vigiliarum pars finalis vel initium sit Laudum, disputat Marcellus Francolinus in libro de horis Canonicis. Hodie tamen dubium non est, quin ad finem Vigiliarum pertineat, idque patet ex Officio nocturno Natiuitatis Dominicæ, illo enim hymno decantato interponitur Officium primæ Missæ ante Laudes. CLV. DE HYMNO SS. AMBROSII ET AVGVSTINI.

Octauo loco ponit hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo.* Sanctus etiam Athanasius in tractatu de Virginitate vult hunc hymnum manè singulis diebus à virgine recitari. Hodie hic hymnus non accensetur horis Canonicis, sed canitur in Missa, de cuius celebratione ac significatione sic differit Auctor libri [a] de diuinis Officiis, qui tribui solet Alchuuino. *Incipit deinde Sacerdos* [*Gloria in excelsis Deo*] *hymnum in Natiuitate Saluatoris ab Angelis decantatum, sed à B. Hilario Pictauiensi postea auctum & consummatum, & hoc ipsum ad imitationem Angelorum, vt ostendamus nos eumdem Dominum colere in terris, quem & Angeli venerantur in cælis.* CLVI. DE HYMNO ANGELICO. [a] Cap. 40.

Nono loco ponit Capitellum seu Capitulum. Capitula sunt Lectiunculæ seu Lectiones breues ac paruulæ, quæ sumuntur ex sacra Scriptura, vocantúrque Collectiones in Concilio Agathensi [b], cui præfuit idem sanctus Cæsarius. CLVII. DE CAPITELLO. [b] Cap. 30.

Denique sanctionem de Matutinis diei Dominicæ sic absoluit. *Omni Dominica sic dicatur.* Quæres, vtrùm Cæsarius hymnum *Te Deum laudamus*, de quo suprà, diebus Dominicis in Aduentu & in Quadragesima dici voluerit. Certè præceptio, quam recitauimus, adeò generalis videtur, vt nullam exceptionem pati possit in Aduentu vel in Quadragesima. Sententiam nostram confirmat antiquissimus vsus Monachorum Benedictinorum. *Initio enim vndecimi seculi incidit quæstio,* vt Glaber testatur [c], *cur Monachi per tres vel quatuor Dominicas dies ante diem Natiuitatis Dominicæ, seu Quadragesimalis obseruationis tempore, hymnum, scilicet* [*Te Deum laudamus*] *decantarent contra morem Romanæ Ecclesiæ. Quâ videlicet quæstione aggressi tam Abbates quàm Monachi responderunt se pro* CLVIII. [c] Lib. 3. c. 3.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

nulla re illud agere, niſi ex ſancti Benedicti nominatiſſimi atque excellentiſſimi Patris præceptione. Cuius etiam actus ſimúlque dicta à ſummo Romanorum Pontifice, videlicet Gregorio, haberentur deſcripta ac laudabiliter roborata. His denique compertis, vſus Monachorum authentico ex more viguit.

CLIX. DE IEIVNIO.

CAP. XXII in tres partes diuiditur. Prima eſt de tempore ieiunij. Secunda de numero ferculorum ac potionum, cùm diebus ieiunij tum aliis. Vtraque fuſiùs explicanda. Tertia decernit, vt *ad lectum ſuum nullus præſumat habere quod manducetur aut bibatur.* Nec aliter ſtatuit idem Cæſarius in Regula Monialium capite XXVIII. *Quidquid*, inquit, *ad manducandum vel bibendum pertinet, nulla de ſororibus præſumat circa lectum ſuum reponere aut habere.*

CLX. DE DIEBVS IEIVNII

Cæſarius, vt diuerſas ieiunij leges diuerſis temporibus accommodet, totum anni circulum in quatuor partes diſtinguit, primam à Paſcha producit vſque ad Kalendas Septembres, ſecundam ab iiſdem Kalendis vſque ad diem Natalem Domini, tertiam ab eo die vſque ad Sexageſimam, quartam à Sexageſima vſque ad Paſcha. Sic autem ieiunandum decernit; à Paſchate ad Kalendas Septembres feriis quartâ & ſextâ; à Kalendis Septembris vſque ad feſtum Dominicæ Natiuitatis quotidie ſolis Dominicis diebus exceptis; à die Natali Domini vſque ad Sexageſimam feriis ſecundâ, quartâ & ſextâ; à Sexageſima vſque ad Paſcha quotidie, ſolis item Dominicis diebus exceptis. Sanctionem his verbis conſtituit in editione Holſteniana. *A ſancto Paſcha vſque ad menſem Septembrem, quartâ & ſextâ tantùm ieiunandum. A menſe Septembre vſque ad Domini Natale, quotidie ieiunandum. Iterùm ante duas hebdomadas ante Quadrageſimam, quotidie ieiunandum, exceptâ Dominicâ, in qua non licet penitùs ieiunare propter Reſurrectionem Domini. Si quis die Dominico ieiunauerit, peccat. A Domini Natale vſque ante duas hebdomadas de Quadrageſima ſecundâ, quartâ & ſextâ; inde poſteà vſque Paſcha, omni die ieiunandum abſque die Dominica. Qui Dominicâ ieiunat, peccat.*

CLXI. DE NVMERO FERCVLORVM ET POTIONVM.

Secunda pars huius capitis, quâ Cæſarius numerum ferculorum potionúmque præſcribit, hactenus prodiit cum mendis prorſus ſtupendis. In Bibliotheca Patrum ſic edita eſt. *Miſſus verò in ieiunio tres, in prandio verò & in cœna duo tantùm præparentur, in prandio binas biberis, & in cœna accipiant, in ieiunio ternas.* Apud Stellartium textu adhuc vitioſiore, nam loco *biberis* ponitur *liberis*. Holſtenius legit *biberes*, nec malè, nam ſancti Benedictus, Aurelianus & Donatus eodem vocabulo vtuntur in ſuis Regulis, & Euerhelmus in vita ſancti[a] Popponis. Sed idem Holſtenius expuncta periodi quam examinamus primâ voce *Miſſus*, reſtituit *miſſus*, omnium mendoſiſſimè, quid enim ſibi vult hæc ſermonis textura, *miſſus verò in ieiunio tres?* Biberes alij vſurpant in maſculino genere, alij in feminino. In maſculino ſanctus Benedictus [b] ſic. *Septimanary autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes & panem.* Sanctus Donatus [c]. *Septimanariæ autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes & panem.* Et Euerhelmus, *Diſcedens verò inde, caritatis veſtigia ſuis reliquit, ſingulis per tricenos dies ſingulos dari biberes præcepit.* In feminino genere ſanctus Cæſarius quem explicamus, *in prandio binas biberes.* Et qui ſancti Cæſarij veſtigiis inhæret, beatus Aurelianus in ordine conuiuij, quem Regulæ Monachorum ſubiecit. *Biberes binas ad prandium, binas ad cœnam accipiant; ſi ieiunauerint, ternas.* Biberes apud Bollandum in Notis ad vitam S. Popponis, & apud Voſſium in vitiis ſermonis, ſcyphos vini ſignificant. Non reuocamus in dubium, quin apud Euerhelmum & alibi ſæpè capiantur pro ſcyphis vini, ſed meliùs apud Holſtenium in indiculo declaratorio vocum inuſitatiorum in Regulis Patrum vſurpatarum ſumuntur pro cuiuſlibet liquoris hauſtu ſeu ſorbitione. Generalem hanc acceptionem ſic confirmat ſanctus Aurelianus in ordine conuiuij iam laudato. *Biberes ad refectionem, id eſt, in æſtate, merum, & tres caldellos.* Merus enim & caldellus ſunt admodùm diuerſi, nec ad diſtinctionem inter vtrumque conſtituendam opus eſt alio Scriptore, quàm illo celeberrimo Mo-

[a] Apud Boll. die 15. Ianu.

[b] Cap. 35.

[c] Cap. 67.

nachorum Magistro, à quo sancita fuit Regula, quæ nunc etiam Magistri Regula nuncupatur & initio capitis vicesimi septimi de mensura potus ita decernit. *Mox cùm sederint ad mensas fratres, antequàm comedant, singulos meros accipiant. Quos meros accipientes, singuli porrigant Abbati sibi signandos, & per alias mensas suis fratribus, suis signent Præpositi vicibus. In quibus omnibus mensis in suos meros quisque frater de suo pane ternas sibi, non amplius buccellas intingant. Idcò non amplius, ne frater multum ibi panem expendens, cùm in pulmentariis non habuerit, voracitatis suæ causâ, in panis sui mensura aliorum fratrum aspectum in se prouocet detrahentem. Post ergo primos meros ad refectionem tam Sextæ quàm Nonæ, caldi omnibus quaterni sufficiant, extra illum merum.* Vel vt Benedictus Abbas Anianæ legit in concordia Regularum [a] ab Hugone Menardo publicata, *caldelli omnibus terni sufficiant, extra illum merum.* Merus vasculum est vini, ceruisiæ aut zythi caldus cum diminutiuo caldello. Sanctus Aurelianus ordinem conuiuij iam citatum sic auspicatur. *Cibaria cotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cœnam duo.* Et in Appendice Regulæ Monialium subiectâ, sanctus Cæsarius ordinem conuiuij sic inchoat à cibariis. *Cibaria omnibus diebus in ieiunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur.* Hinc colligimus initium præceptionis, de cuius deprauatione querimur, ita corrigendum esse, *Cibaria verò in ieiunio tria, in prandio verò & in cœna duo tantùm præparentur*, totámque sanctionem sic esse restituendam. *Cibaria verò in ieiunio tria, in prandio verò & in cœna duo tantùm præparentur; in prandio binas biberes, & in cœna accipiant, in ieiunio ternas.* Sanctus igitur Cæsarius sic emendatus tria fercula Monachis vult præparari diebus ieiuniorum ad refectionem, ceteris diebus duo ad prandium, totidem ad cœnam. Deinde quot fercula, tot potiones concedit, duas in prandio, totidem in cœna, tres in ieiunio, id est, in refectione siue vnica comestione quæ fit die ieiunij.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] Cap. 47. §. 5.

CAP. XXIII. *Qui pro aliqua culpa excommunicatus fuerit, in vna cella recludatur, & cum vno Seniore ibi legat, donec iubeatur ad veniam venire.* Sic & idem Cæsarius statuit in Regula Monialium [b]. *Si qua verò pro quacumque re excommunicata fuerit, remota à Congregatione in loco, quo Abbatissa insserit, cum vna de spiritualibus sororibus resideat, quousque humiliter pœnitendo indulgentiam accipiat.*

CLXII. DE EXCOMMVNICATIS.

[b] Cap. 31.

CAP. XXIV. *Pullos & carnes nunquam sani accipiant; infirmis quicquid necesse fuerit ministretur.*

CLXIII. DE ESV CARNIVM.

CAP. XXV. *Omni Sabbatho, & omni Dominicâ, vel diebus festis, duodecim Psalmi, tres Antiphonæ, tres Lectiones, vna de Prophetiis, alia de Apostolo, & tertia de Euangelio dicantur.* Hoc capite, quod intelligi debet de Vesperis, sanctus Cæsarius Sabbato, die Dominico, & quolibet die festo duodecim Psalmos dici præcipit cum tribus Antiphonis totidémque Lectionibus. Super Sabbato, quod inter dies solemnes hoc loco ponitur, quæstio moueri potest. Verùm hac de re inferiùs, cùm agemus de Monasterio Lerinensi. Duodenarius Psalmorum numerus, quem sanctus Cæsarius assignat, à Monachis Ægyptiis & Thebæis, quibus ab Angelo commendatus est vt ex Cassiano suprà retulimus, ad alios pleroſque dimanauit. Mysticus est, significat enim duodecim Patriarchas, Apostolos, fundamenta & portas cælestis Hierusalem, duodecim fontes aquarum in Exodo, duodecim stellas quibus mulier in Apocalypsi coronatur, & si quid simile reperitur in Scripturis. Mysticus est etiam ternarius Antiphonarum ac Lectionum numerus, vt Rupertus Tuitiensis Abbas his verbis declarat in Notis [c] ad quædam Capitula Regulæ Benedictinæ. *Hîc iam dicendum quòd nullus ignorat aut ignorare debet Christianus, quia mediâ nocte Dominicâ surrexit Dominus, triginta tribus horis sepulchro clausus, quæ hoc modo supputantur. Horâ nonâ emisit spiritum, & sepultus est, & tres horæ supererant eiusdem diei. Nox sequens & dies subsequens, nox, inquam, & dies, horæ sunt viginti quatuor, & additis tribus iam dictis, viginti septem fiunt, quibus adiice medium noctis, id est, horas sex, & fiunt horæ triginta tres. Tribus*

CLXIV. DE VESPERIS.

[c] Lib. 1. c. 1.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

igitur diebus, etsi non totis, in sepulchro quieuit, & mediâ nocte surrexit, & proinde mediâ nocte surgimus ad confitendum S. Trinitati, cui vera humanitas Christi, tali fine pro homine satisfecit. Hinc omnis prima Sabbati, cum nocte sine vesperâ, quæ lucescit in primâ Sabbati, Dominica meruit appellari. Adhuc inspice plenius. Triginta namque annis, qui numerus ternarius decimo est, secretus vixit, tertio suæ prædicationis anno passus est, triginta tribus horis (vt iam dictum est) exanimis iacuit, tertiâ die resurrexit. Adde quod adhuc pulcherrimum est, qui tribus idem passionibus est consummatus, scilicet flagellis cæsus, cruci affixus, lanceâ transfixus, inter duos latrones ipse tertius, pro latrone Barrabâ commutatus. Merito ergo placata Trinitas suam confestim generi humano faciem cæpit ostendere, eductis omnibus de regione tenebrarum, qui venturi huius fidem habentes ex hac vitâ migrauerant, & prædicari voluit nobis residuis, vt baptizaremur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

CLXV. EPILOGVS.

CAP. XXVI. *Hæc licet minùs idonei bellatores arma vobis spiritualia contra ignitas diaboli tædas prouidemus, gaudete & exultate in Domino, venerabiles filij, & gratias illi iugiter vberes agite, qui vos de tenebrosâ seculi huius conuersatione ad portum quietis & religionis adtrahere & prouocare dignatus est. Cogitate igitur vnde exîstis, & vbi peruenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras & lucem Christi fœliciter videre cœpistis. Contempsistis libidinis incendium & ad castitatis refrigerium peruenistis, respuistis gulam & abstinentiam elegistis, repudiastis auaritiam atque luxuriam, & caritatem vel misericordiam tenuistis. Et quamuis vobis vsque ad exitum vitæ non deerit pugna, tamen Deo donante securi sumus de vestrâ victoriâ. Sed rogo vos, venerabiles filij, vt quantùm estis securi de præteritis, tantùm sitis solliciti de futuris. Omnia enim crimina vel peccata citò ad nos reuertuntur, si non quotidie bonis operibus expugnantur. Audite Apostolum Petrum dicentem. Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, aliquid deuorare quærens, circuit. Quamdiu in hoc corpore viuimus, diu noctúque Christo adiutore vel duce contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod peius est, negligentes & tepidi, qui de solo Christianitatis vocabulo gloriantur, & putant quod illis sufficiat vestem mutasse, & religionis tantùm habitum suscepisse, nescientes illud Propheticum.* [*Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*] *Nec sententiam Psalmistæ considerantes.* [*Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*] *Et illud quod Apostolus dixit.* [*Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.*] *Vestes enim seculares deponere & religiosas adsumere, vnius horæ momento possumus. Mores verò bonos iugiter retinere, vel contra malè dulces voluptates seculi huius, quamdiu viuimus, Christo adiutore, laborare debemus, quia non qui incæperit, sed qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit.* Huc vsque Regula quam sanctus Tetradius dixit à sancto Cæsario fuisse dictatam. De sancto Tetradio, qui & Teridius dictus reperitur, nihil aliud occurrit.

CLXVI. MONASTERIA PROVINCIÆ NARBON. II.

Illis temporibus, cùm prouincia Narbonensis secunda ditionibus Francorum accessit, in eâ florebant tria virorum Cœnobia in totidem Diœcesibus, Monasterium sancti Maximini in Aquensi, Bodanum in Sistaricensi, & Lerinense in Antipolitanâ. Quæstio moueri potest de Lerinensi, vtrùm in Episcopatu Antipolitano situm esset an in Foroiulienſi. Sanctus Honoratus, qui Lerinense Monasterium constituxit, abiit in Insulam Lerinum, vt sanctus Hilarius Arelatensis Episcopus in sermone de illius vitâ testatur, *præter secreti opportunitatem, sancti ac beatissimi in Christo viri Leonty Episcopi oblectatus vicinià & caritate constrictus.* Intra Diœcesim, cui Leontius Episcopus præerat, fuit proculdubiò Lerinus. Id constat ex Synodo Arelatensi, quam Rauennius Arelatensis Episcopus aliique duodecim celebrarunt in causa Insulæ Lirinensis, cùm grauis inter Faustum tertium Abbatem Monasterij Lirinensis & Theodorum Episcopum prædicti Leontij successorem exorta esset controuersia, Synodalis enim constitutio talis inuenitur [a]. *Cùm Arelate in secretario Ecclesiæ conuenissemus, præmissâ prece ad Dominum, nullo extrinsecus arbitro interueniente*

[a] Tom. 1. Conc. Gall.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

resedimus, de remedio scandali, quod in Monasterio in Insula Lerinense obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis, Sancto, vt credimus, Spiritu gubernante, vt omnibus, quæ in querelam venerant, sollicitè ventilatis atque discussis, sanctus ac beatissimus frater Theodorus Episcopus primùm exoraretur à nobis, vt scandalum quod & ipse, sicut & nos, grauiter dolebat exortum, differendo in tempora manere diutius non pateretur, sed potiùs ad recipienda satisfactionum remedia festinaret, & sanctum Presbyterum Faustum, Abbatem Monasterij supradicti, indulta si qua illa esset culpæ venia, in pristina pace toto caritatis affectu reciperet, & ad Insulam ac congregationem ipsi Deo dispensante commissam, cum sua gratia & caritate remitteret. Nec quicquam deinceps ex his, quæ sibi fratrem Faustum arguebat fecisse, aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potiùs conlationem, vt pote antiquus Abba & Episcopus, ei vt piam ac necessariam perpetuò exhiberet, & solatia secutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipsis, in quo vsus exigeret, plenissimè exhiberet. Hoc tamen sibi tantummodò vindicaturus, quod decessor suus sanctæ memoriæ Leontius Episcopus vindicauerat, id est, vt Clerici atque altaris ministri, à nullo nisi ab ipso, vel cui ipse iniunxerit, ordinentur; chrisma non nisi ab ipso speretur; neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur; peregrini Clerici absque ipsius præcepto in communionem vel ad ministerium non admittantur. Monasterij verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente, præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant, laica verò omnis Monasterij congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionémque pertineat, Regulâ, quæ à fundatore ipsius Monasterij dudum constituta est, in omnibus custoditâ. Omnes Catalogi Gallicanorum Antistitum, recentioresque Scriptores, qui Leontium & Theodorum laudarunt, vtrumque Foroiulienſibus Episcopis accenſuerunt. In Catalogo Abbatum Lerinenſium, quem Vincentius Barralis ab anno Chriſti octingenteſimo decimo-quinto ad annum Chriſti milleſimum quingenteſimum decimum-quintum in Chronologia Lerinenſi publicauit, Bertrannus Foroiulienſis Epiſcopus ſingularem beneuolentiam erga Cœnobium Lerinenſe teſtatur, *quia ſanctus Leontius & ſanctus Honoratus fuere amici & vnicordes.* Chartam illam conſule, ſi lubet. Data eſt anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo-tertio. Bertrannus, quia Leontium Foroiulienſem Epiſcopum & anteceſſorem ſuum agnoſcit, amicitiam commendat, quæ inter illum & ſanctum Honoratum Lerinenſis Monaſterij conditorem interceſſit, alioquin abſtineret ab hac obſeruatione, quid enim ad Epiſcopum Foroiulienſem Epiſcopus alterius Diœceſeos, qui Cœnobium Lerinenſe ſummâ dilectione complexus eſſet? Conditum fuit igitur Lerinenſe Monaſterium in Epiſcopatu Foroiulienſi, quem Leontius & Theodorus adminiſtrarunt. Antipolis & Forum-Iulij, ſi noſtræ valent coniecturæ, primis temporibus vnum eundémque habuerunt Epiſcopum, qui modò dictus eſt Antipolitanus, modò Foroiulienſis, habitâ loci vbi præcipuè ſedit ratione. Antiquiſſimus omnium videtur fuiſſe ſanctus Armentarius, qui *primus Epiſcopus Antipolitanus* inſcribitur, & in ſacello ſui nominis colitur [a] extra Dracenas * in hodierna Diœceſi Foroiulienſi. Secuti ſunt alij, quos Foroiulienſis Catalogus exhibet. Poſteà Diœceſis in duas fuit ſeparata, Foro-Iulij ſuus fuit Epiſcopus, ſuus Antipoli. Hæc diuiſio anteceſſit Synodum Agathenſem, cui Meſſalà Conſule, ſiue anno Chriſti quingenteſimo ſexto ſubſcripſerunt *Agræcius in Chriſti nomine Epiſcopus de Antipoli, & Ioannes Presbyter miſſus à Domino Victorino Epiſcopo de Ciuitate Foro-Iuli.* Anno Chriſti quingenteſimo triceſimo ſexto, cùm Oſtrogothi ditiones, quas cis Alpes obtinebant, Francis ceſſerunt, ſedebant Euterius in Antipolitana Cathedra, Deſiderius in Foroiulienſi. Erat autem Lerinus intra fines Diœceſeos Antipolitanæ. Extant enim apud Vincentium Barralem chartæ non paucæ recentiùs datæ, quæ palam teſtantur Monaſterium Lerinenſe in Epiſcopatu Antipolitano ſitum eſſe. Seculo

[a] Tom. 1. Gall. Chriſt. in Epiſc. Graſſenſib.

* *Dragnignan.*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

decimo-tertio ſedes Epiſcopalis Antipoli tranſlata eſt Graſſam, vnde dictus Epiſcopatus Graſſenſis & Epiſcopi Graſſenſes ad hodiernam vſque diem, Diœceſeos iiſdem limitibus ſeruatis. Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus Antonius *Godeau*, qui Vincienſi Eccleſiæ hodie præeſt, ait [a] ſibi vt Epiſcopo Diœceſano, cùm Graſſenſis Epiſcopus eſſet, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodequadrageſimo directas à LVDOVICO XIII. literas, vt Monachos Benedictinos è Congregatione ſancti Mauri in Monaſterium Lerinenſe introduceret. Ex quo igitur Lerinus ad Francorum ditiones acceſſit, prædictum Cœnobium in eadem ſemper fuit Diœceſi, quæ prioribus ſeculis Antipolitana vocata eſt ab Antipoli, poſterioribus Graſſenſis à Graſſa.

[a] Lib. 4. hiſt. Eccleſ. ad an. 591

CLXVII. S. MAXIMINI.

Monaſterium ſancti Maximini in Aquenſi Diœceſi, paulò recentius erat Cœnobio Maſſilienſi ſancti Victoris, vt docet Gueſnayus in Caſſiano illuſtrato [b].

[b] Lib. 1. c. 18.

CLXVIII. * *Bevvons.* BODANENS.

Haud procul à Ciuitate Segeſteriorum erat Monaſterium Bodanum *, quod Bobacum, Bobacenſe, Babacenſe, Bobiacenſe, Bobriacenſe, Badonenſe, Babocenſe, mendoſiſſimè Beluacenſe dictum reperitur. Ibi numeroſæ Monachorum turbæ præerat Abbas Marius, ciuis Aurelianenſis, qui primùm Aureliæ Monachum induit, deinde à fratribus Cœnobij Bodanenſis in Abbatem electus eſt cùm Gundobadus in Burgundiâ regnabat & Ioannes in Epiſcopatu Siſtaricenſi ſedebat. Habes illius vitam apud Bollandum [c] Auctore Dynamio Patricio, Rectore Patrimonij Romanæ Eccleſiæ in Galliâ, ad quem extant literæ à Gregorio Magno [d] datæ. Familiaris fuit Lucretio Dienſium Epiſcopo de quo ſæpius acturi ſumus. A rectâ Chronologiâ longiſſimè aberrant qui coætaneum Carolo Magno ſcribunt.

[c] D. 27. Ian.

[d] Lib. 2. ep. 33.

CLXIX. LERINENSE.

Inter Ciuitates Antipolim & Forum-Iulij ineſt ſinus circumfuſi maris mediterranei Gallici à binis tractibus terræ ſeu capitibus cinctus, quorum vnum caput rubeum, alterùm verò caput Gallupe à nautis vocitatur. In ipſius ſinus centro binæ grandiores extant Inſulæ, quatuor aut quinque paſſuum millibus à continente diſtantes, quæ Lero & Lerina nuncupantur à Plinio [e], & in prouinciarum Romanarum itinerario ſic referuntur, *ab Antipoli Lero & Lerinus inſulæ* M. P. XI. *à Lero & Lerino Foroiuly portus* M. P. XXVIII. & à Strabone [f] ſic enumerantur, *poſt Stechadas Inſulas eſt Planaſia & Leron, in quibus ſunt pagi, Lerone quæ eſt Antipoli obiecta etiam ſacellum eſt Leronis.* Inſunt & aliæ duæ paruulæ ſaxoſæ Inſulæ memoratu non dignæ his quaſi pediſſequæ adhærentes, quarum vna Tranſlero, & altera ſancti Ferreoli Inſula cognominatur. Illa autem quæ videtur maior, olim vocata Lero, nunc dicitur Inſula ſanctæ Margaritæ à ſacro ſacello priſcis ſeculis inibi in honorem dictæ Virginis & Martyris excitato, eratque velut receſſus vaſtæ eremi patrum Lerinenſium, diſtat à Lerinâ traiectu ſexcentorum paſſuum. Iuxta Leronem meridiem verſus adiacet ſacrata Lerina Inſula ſuo adhuc contenta priſco vocabulo, Alpino haud longè iugo ſubdita, ob reuerentiam tamen ſui primi incolæ à Chriſticolis ſacra Inſula ſancti Honorati adnominatur. Figurâ ouali oblongâque angulos habet acutos, ad orientis & occidentis plagas poſitos, duo verò latera ſeptemtrionem & meridiem reſpicientia, huius circuitus ad duo millia paſſuum aſcendit numerum, circumfuſo aere aperto & ſalubri, dulci gratóque aſpectu portuum, ciuitatum, caſtrorum, montium, vaſtique maris gaudet. Ibi Cœnobium famâ celeberrimum erat, cùm Franci Prouinciam Narbonenſem ſecundam ab Oſtrogothis acceperunt. Tunc ſextus Abbas præerat Marinus ſucceſſor Honorati Secundi, cuius mentionem fecimus ad annum Chriſti [g] quingenteſimum ſeptimum. Monaſterij conditor ac primus Abbas ponitur ſanctus Honoratus qui poſteà fuit Epiſcopus Arelatenſis, ſecundus recenſetur ſanctus Maximus qui ex Abbate factus eſt Epiſcopus Regenſium, tertius aſcribitur Fauſtus qui ſancto Maximo in Epiſcopatu quoque Regenſi ſucceſſit, quartus annumeratur Porcarius qui ſanctum Cæſarium in Monachorum ſodalitium admiſit, quintus reperitur alter Honora-

[e] Lib. 3. c. 5.

[f] Lib. 4.

[g] Num. 16. ABBATES LERINENS

tus

tus ad quem Gregorius Episcopus Lingonensis sub initium sui Pontificatus scripsit, sextus denique nominatur Marinus, quem Abbatem fuisse, cùm illa regio sub Francorum potestatem venit, apertè docet Author coætaneus, qui vitam sancti Eugendi * Abbatis hoc clausit epilogo. *His fidei feruorisque vestri sitim, ô sanctissimi, exatiatis tantisper desideriis reficite, fratres. At si animos vestros, spretâ dudum Philosophiâ, rusticana quoque garrulitas exatiare non quiuerit, instituta quoque quæ de formatione Monasterij Agaunensis Cœnoby, sancto Marino Presbytero, Insulæ Lirinensis Abbate, compellente digessimus, desideria vestra tam pro institutionis insignibus quàm pro iubentis auctoritate, Christo opitulante, luculenter explebunt.* Eugendus sub sanctis Lupicino & Romano, quos Gregorius Turonensis [a] temporibus Chilperici Burgundionum Regis floruisse testatur, in Monasterio Condatescensi Monachus factus est, obiitque cùm *vltra sexagenariam ætatem sex fere mensibus* vixisset, vt in eius vitâ legitur, vnde Bollandus in appendice ad quindecim primos Ianuarij dies rectè colligit illum haud peruenisse ad annum Christi quingentesimum vicesimum-nonum; post aliquot annos eius vita conscripta fuit à discipulo, quem Marino Abbati Lerinensi synchronum fuisse constat ex verbis suprà recitatis. Vincentius Barralis, quia Chilpericum Burgundionum Regem, cuius mentio apud Gregorium Turonensem in vita Lupicini & Romani Abbatum reperitur, à Chilperico Francorum Rege, Clotarij primi filio, non distinguit, Marini Abbatis initia cogitur in annum Christi quingentesimum septuagesimum-nonum reiicere. Iurenses Monachi dicuntur Sanctum Marinum religiosâ memoriâ & cultu venerari, illum quoque Gallicano Martyrologio inscripsit Andreas Saussaius [b]. Plura non legimus.

AN. CH. 536. CHILDER. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. * *Oyant.*

[a] De vit. Patr. cap. 1.

[b] D. 1. Ian.

Monasterium Lerinense conditum fuit vertente quarto seculo, cùm tota Prouincia Narbonensis in potestate Romanorum erat. Vt Lerinense à Lerino Insulâ, sic & Cœnobium sancti Honorati posteà nuncupatum est à sancto Honorato conditore. Famæ erat admodum florentis sub primæua Regula, cùm accessit Regno Francorum, seriùs enim Benedictinam suscepit. Vetustioris illius Regulæ, quam Monachi Lerinenses obseruarunt, priusquàm Ordini Benedictino se sociarent, idem Auctor fuit qui Monasterij conditor sanctus Honoratus. In libello enim, quem sanctus Eucherius paulò pòst ad Hilarium de laude Eremi scripsit, Lerina digna dicitur, *quæ cælestibus disciplinis Honorato Auctore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit Patrem, Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem.* Et Patres Concilij Arelatensis, quod Rauennius Arelatensis Episcopus cum aliis Pontificibus in causa Monasterij Lerinensis anno Christi circiter quadringentesimo quinquagesimo-quinto celebrauit, *hoc & rationis & religionis plenum* aiunt, *vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant, laica verò omnis Monasterij congregatio ad solam ac liberam Abbatis propry, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionémque pertineat, Regulâ, quæ à fundatore ipsius Monasterij,* Sancto videlicet Honorato, *dudum constituta est, in omnibus custoditâ.* Regulam Monachorum Lerinensium à ceteris in vitâ sancti Eugendi distinguit vetus eius discipulus [c], cùm de institutis sancti Basilij, Lerinensium, sancti Pachomij & Cassiani sic disserit. *Non omnino illa, quæ quondam sanctus ac præcipuus Basilius Cappadociæ vrbis Antistes, vel ea quæ Sanctorum Lirinensium Patres, Sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abba, siue illa, quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosâ præsumptione calcemus.* Eâdem distinctione factâ Sidonius Apollinaris [d] Volusianum hortatus est, vt Aruernense sancti Cyrici Monasterium, Abrahæ Abbatis morte perculsum susciperet, fluctuantémque Regulam fratrum destitutorum, *secundùm Statuta Lirinensium Patrum, vel Grinincensium*, festinus informaret. Non extant antiqua statuta Monasterij Lerinensis. Quænam illa essent, non facile est assequi. Monachi Lerinenses Ægyptiorum præcipuè instituta sectati creduntur. Cassianus enim Honoratum ipsius Monasterij conditorem, & Eucherium, in præfatione an-

CLXX. REGVLA LERINENS.

[c] Ap Bolland. d. 1. Ian.

[d] Lib. 7. ep 17.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. R R. 25. THEOD. R. 2.

te vndecimam Collationem sic alloquitur. *Cùm virtutem perfectionis vestræ, quâ velut magna quædam luminaria in hoc mundo admirabili claritate fulgetis, multi Sanctorum, qui vestro eruditiuntur exemplo, vix queant æmulari, tamen vos, ô Sancti fratres, Honorate & Eucheri, tantâ illorum sublimium virorum, à quibus prima anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini, vt vnus quidem vestrûm*, id est, Honoratus, *ingenti fratrum Cœnobio*, nempe Lerinensi, *præsidens, congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conuersationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet instituti; alter verò*, id est, Eucherius, *vt etiam corporali eorundem ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit.* Et idem Eucherius in opusculo de laude Eremi hæc inter alia scribit ad commendationem suæ, vt vocat, Lerinæ. *Hæc nunc habet Sanctos senes illos, qui diuisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt.* Quoniam autem Monachi Lerinenses à Sidonio *concellita* [a] & *cellulani* [b] nuncupantur, in duas videntur ita diuisi classes, vt alij Cœnobitæ essent, alij Anachoretæ siue Eremitæ. Vtrumque vitæ genus in Insula Lerinensi agnouit idem Sidonius [c], cùm Faustum Reiensem Episcopum, qui priùs Abbas Lerinensis fuerat, asseruit peritum esse precum Insulanarum, quas *de palæstra congregationis eremitidis & de Senatu Lirinensium cellulanorum* Reios transtulit, *nil ab Abbate mutatus per Sacerdotem*, quippe cùm nouæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxauerit. Per Eremitas igitur Lerinenses, eos intellige, qui post longam in cœnobitica vita ascesim secedebant in eremum, & solitarij diuisis cellulis habitabant. De Cœnobitis & Anachoretis multa scribunt sanctus Augustinus in libro [d] de moribus Ecclesiæ, & Cassianus Collatione duodeuicesimâ [e]. Hic ait Cœnobitarum disciplinam exordium sumpsisse *à tempore prædicationis Apostolicæ*, & Anachoreticæ professionis *principes* appellat Sanctum Paulum & Sanctum Antonium, quorum prior abiit in eremum, motâ in Christianos iussu Decij Augusti crudelissimâ persecutione.

[a] Lib. 8. ep. 14.
[b] Lib. 9. ep. 3.
[c] Ibid.
[d] Cap. 31.
[e] Capp. 5. 6.

CLXXI. Sanctus Cæsarius in Appendice, quam Recapitulationi Regulæ Monialibus scriptæ subiecit, testatur ordinem psallendi à se præscribi ex maxima parte secundùm Regulam Monasterij Lerinensis. *Ordinem*, inquit, *quomodò psallere debeatis, ex maxima parte secundùm Regulam Monasterij Lyrinensis in hoc libello iudicauimus inserendum.* Ordinem illum, quia Regula sancti Honorati non extat, hic exponemus. Magna in existimatione habe hoc qualecumque fragmentum institutorum Lerinensium, tum quia sanctus Cæsarius in Monasterio Lerinensi versatus est, tum quia Psalmodia inter præcipua Monachorum officia censetur. In eadem Appendice sanctus Cæsarius agit etiam de Vigiliis apud mortuas & de ordine conuiuij. Vtramque sanctionem post ordinem psallendi subiiciemus, quoniam ex Regula Lerinensi similiter acceptam arbitramur.

CLXXII. DE ORDINE PSALLENDI. Ordo psallendi inchoatur à die Paschæ, sicque per omnes dies Paschalis hebdomadæ præscribitur. *In primo die Paschæ ad Tertiam Psalmi duodecim cum Alleluiaticis suis & Antiphonis; tres dicantur Lectiones, vna de Actibus Apostolorum, alia de Apocalypsi, & de Euangelio tertia; hymnus*, [*Iam surgit hora tertia.*] *Ad Sextam Psalmi sex cum Antiphona; hymnus* [*iam sexta sensim voluitur;*] *& Lectiones. Ad Nonam similiter dici debent Psalmi sex cum Antiphona; hymnus*, [*Ter hora trina voluitur;*] *Lectio & capitellum. Ad Lucernarium directaneus brevis; & Antiphonæ tres; hymnus*, [*Hic est dies verus Dei;*] *quem hymnum, totum Paschæ, & ad Matutinos & ad Vesperam psallere debetis. Et ad Duodecimam in primis*, [*Sol cognouit occasum suum,*] *& Psalmi decem & octo dicantur; Antiphonæ tres; & hymnus* [*Christe precamur annue.*] *Die aliâ ad Duodecimam* [*Christe qui lux es & dies*] *hymnus dicatur. Et sic omni tempore vicibus isti duo hymni dicantur. Lectiones ad ipsam Paschalem Duodecimam duæ, vna Apostoli, alia Euangeliorum de Resurrectione dicantur. Ad Nocturnos psallantur Psalmi decem & octo; Antiphonæ minores cum Alleluiaticis suis; & Lectiones duæ; hymnus & capitellum. Hoc ordine toti septem dies sunt celebrandi.* Nocturni Matutinum, vt hodie loqui-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

mur, Matutini Laudes significant. De vtrisque, vt & de Tertiâ, de Sextâ, de Nonâ disseruimus alibi. Silet Auctor hoc loco de Prima, quia inferiùs de illa horâ pro die Dominica, pro Sabbato, & pro maioribus festiuitatibus ita scribit. *Dicenda est Prima cum Psalmis sex; & hymnus*, [*Fulgentiùs auctor ætheris*;] *Lectiones duæ, vna de veteri, alia de nouo Testamento; & Capitellum.* Initio Monasterij Lirinensis, cuius Regulam Auctor maxima ex parte sequi se profitetur, Matutina solemnitas, quam nunc Primam vocamus, nondum erat in Galliis instituta, primùm enim instituta fuit in Galliis à Cassiano, cuius reditu in Gallias antiquior est conditus Cœnobij Lirinensis, ipsemet enim Cassianus homo Gallus, vt Holstenius [a] ex eius scriptis colligit, cùm ex Oriente in Gallias reuerteretur, in itinere Monachos adiit Lirinenses, perurbanéque susceptus est à sancto Honorato illius loci tunc Abbate. Posteà cùm idem Cassianus in Galliis Monasteria construxisset, ibique Matutinam hanc orationem instituendam curasset diuulgatâ palàm ratione cur ante aliquot annos in Cœnobio Bethleemitico primitùs instituta fuisset, eadem Canonica functio laudata est à plurimis, obseruarique certis diebus cœpit in plerisque Monasteriis, quorum numero Lirinense accensendum esse facilè credimus ob amicitiam, quæ Cassianum inter & Ascetas Lirinenses interceßit. Audiamus iterùm Cassianum [b] de Prima ceteriſque diurnis orationibus differentem. *In his*, inquit, *horis etiam ille Euangelicus paterfamilias operarios conduxit in vineam suam. Ita enim & ille primo mane conduxisse describitur, quod tempus designat Matutinam nostram solemnitatem: deinde Tertiâ, inde Sextâ, posthæc Nonâ, ad extremum Vndecimâ in qua Lucernalis hora signatur. Sciendum tamen hanc Matutinam, quæ nunc obseruatur in occiduis vel maximè regionibus, canonicam functionem nostro tempore in nostro quoque Monasterio* (Cœnobium intelligit Bethleemiticum in quo adolescens Monasticæ vitæ institutum simul cum ipsis Christianæ philosophiæ rudimentis complexus est) *primitùs institutam, vbi Dominus noster Iesus Christus natus ex Virgine, humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam suâ gratiâ confirmauit. Vsque ad illud enim tempus hâc solemnitate Matutinâ (quæ expletis nocturnis Psalmis & Orationibus post modicum temporis interuallum solet in Galliæ Monasteriis celebrari) cum quotidianis Vigiliis pariter consummatâ, reliquas horas refectioni corporum deputatas à maioribus nostris inuenimus. Verùm cùm hâc abutentes indulgentiâ negligentiores quique inducias somni longiùs protelarent, quippe quos vel extra cellas progredi vel de suis stratis consurgere ante horam Tertiam nulla conuentus vllius necessitas inuitaret, & cum operis iactura, tempore quoque diei quo nonnullis oportebat Officiis inhærere, soporis nimietate torperent, in his præsertim diebus, quibus à Vespertinis horis excubias vsque ad Auroræ viciniam celebrantibus nascebatur oneroßor laßitudo, quorumdam illic fratrum feruentium spiritu, quibus hoc negligentiæ genus haud leuiter displiceret, ad seniores querelâ delatâ, decretum est ab eis diutino tractatu & consultatione solicitâ, vt vsque ad solis ortum, quo iam sine offensione vel lectio parari, vel opus manuum posset assumi, fesßis corporibus refectione concesßâ, inuitati posthæc religionis huius obseruantiâ cuncti pariter è suis stratis consurgerent, ac tribus Psalmis & orationibus celebratis, secundùm modum qui antiquitùs in obseruatione Tertiæ, vel Sextæ, trinæ confeßionis exemplo statutus est, & somno deinceps finem, & initium operationi, æquali simul moderamine facerent. Qui typus licet ex occasione videatur inuentus, & recenti memoriâ pro causâ, quam diximus, statutus appareat, tamen illum numerum, quem designat beatus Dauid, quanquam spiritalem quoque habeat intellectum, secundùm litteram manifestißimè supplet.* [*Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.*] *Hâc enim adiectâ solemnitate, septies sine dubio spiritales hos conuentus in die facientes, septies in ea laudes Domino dicere comprobamur.* Diei nomine diem naturalem hîc intellige, & septem horas Canonicas interpretare Nocturnos seu Vigilias nocturnas, Matutinos, Matutinam, Tertiam, Sextam, Nonam,

[a] Dissert. ad Reg. monast. cap. 3.

[b] Lib. 3. capp. 3. 4.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

& Lucernalem, id est, vt hodie vocamus, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam & Vesperas. In sanctione igitur quam examinamus, synonima sunt *Lucernarium*, *Vespera* & *Duodecima*, designantque officium Vespertinum. Est autem duplex acceptio Lucernarij. Sumitur primò Lucernarium pro precatione, in qua lumen ante Vesperas accenditur, secundò pro Vesperis ipsis, quæ à ritu luminis accendendi, priusquàm agerentur, Lucernarij nomen habuerunt. Lucernarium in priori significatione vsurpauit sanctus Isidorus capite sexto suæ Regulæ. *In Vespertinis Officiis, primò Lucernarium, deinde Psalmi duo.* Et Auctor cuiusdam Regulæ quæ sancto Augustino perperàm tribuitur. *Hoc idem in Vesperis & Completorio seruetur, ad Lucernarium autem Psalmus, Responsorium vnum, Antiphonæ tres, Lectiones tres.* In posteriori atque vsitatiori significatione Lucernarium siue Lucernariam sumpsit Palladius capite duodequadragesimo historiæ Lausiacæ, vbi de Regula quam Angelus Tabennesiotis Monachis dedit, in hæc verba scripsit. *Instituit vt singulis diebus orationes duodecim facerent*, nempè priuatim; *& in Lucernario, duodecim, ἐπὶ τοῦ λυχνικοῦ δώδεκα; in Vigiliis, duodecim; & ad Nonam, tres.* Et Cassiodorus ad Psalmum centesimum duodeuicesimum; *Septies in die laudem dixi tibi: si ad literam hunc numerum velimus aduertere, septem illas significat vices, quibus se Monachorum deuotio consolatur, id est, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos.* Plura non congeremus de significatione Lucernarij, nam Lucernarium, quocumque modo sumatur, Horam Canonicam non indicat à Vespertinâ distinctam. Vespertinis Officiis nomen etiam Duodecimæ tribuitur ab horâ duodecimâ, id est, ab horâ diei vltimâ. Dicet fortè quispiam Lucernalem horam Cassiano suprà citato Vndecimam esse, ideóque Duodecimam non Vesperis conuenire, sed Completorio, quod à Vesperis separarunt nonnulli Scriptores à nobis iam allegati, putà Cassiodorus & Auctor Regulæ sancto Augustino perperàm adscriptæ. Verùm Cassianus non vult Lucernarium horâ Vndecimâ celebrari, sed quia Canonicas horas confert cum horis quibus Paterfamilias operarios in vineam suam misit, Lucernalem in qua Monachi tunc vltimum pensum persoluebant, comparat cum Vndecima quâ perrexerunt ad vineam qui postremi omnium directi sunt operarij. Deinde nihil vetat, quominùs, vt suprà dictum est, in Euangelio horam Vndecimam aut exeuntem aut finitam interpreteris. Et Cassianus vltimam diuini cursus horam eodem capite appellat Vespertinam, horam autem Vespertinam eandem esse cum Duodecima, id est, cum hora diei postrema, certò constat. Instabit iterùm quispiam, & vt horam Duodecimam pro Completorio sumi persuadeat, proferet Cassiani Regulam, in cuius capite decimo-quinto, quod Concordiæ [a] Regularum à sancto Benedicto Anianensi Abbate insertum reperitur, hæc occurrunt. *Duodecima verò propter terminationem diei, sicut Prima, inchoatione. Prima verò & Duodecima pro inchoatione & terminatione diei postea à Patribus sunt adiuncta.* Hugo Menardus in Notis ad illum locum Concordiæ, scribit horam Duodecimam eandem esse cum Vespertina de qua paulò pòst idem Cassianus loquitur. At non valet hæc explicatio, quia Cassianus illo loco postquàm de Tertia, de Sexta & de Nona sermonem fecit, proximè subiungit à Patribus adiunctas fuisse Primam & Duodecimam pro inchoatione & terminatione diei, eâq; assertione Duodecimam manifestè distinguit à Vesperis, Officij enim Vespertini antiquissima est institutio. Sanè in dubium vocari non potest, quin Duodecima pro Completorio sumi debeat in textu nuperrimè citato, sed textum illum esse Cassiani meritò inficiamur. In prædicto enim capite, quod ex Cassiani Regulâ in Concordiâ Regularum describitur, ea quæ de Primâ & de Duodecimâ proferuntur, cum ceteris non benè cohærent. Deinde idem caput est epitome capitis tertij de diurnis Orationibus, in quo nihil apud Cassianum de Prima déque Duodecima legitur. Regula Cassiani in Concordia Regularum ita citatur. *Apud Palestinæ & Mesopotamiæ vel totius Orientis Monasteria*

[a] Cap. 24. n. 3.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

exceptis Matutinis vel Vespertinis diurnarum Orationum modus trinæ confessionis exemplo statutis trinis Psalmis cotidie terminatur, vt orationum assiduitas statutis Deo temporibus offeratur, & necessaria operationis officia consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis nullatenùs valeant impediri. Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum spatium diei obsequia reddimus, ratio hæc est. Prima, pro inchoatione diei. Tertia, quia Spiritus sanctus in eadem hora super Apostolos descendisse primitùs comprobatur. Sexta, pro eo quòd immaculata hostia Dominus noster Iesus Christus eâdem horâ in Cruce suspensus obnoxios de æternis peccatorum vinculis liberauit. Nona, pro eo quòd eâdem horâ Dominus noster descendens ad inferos sanctorum animas, quæ clausæ tenebris tenebantur, exinde liberauit, & secum transuexit ad cælos. Duodecima verò propter terminationem diei, sicut Prima, inchoatione. Prima verò & Duodecima pro inchoatione & terminatione diei posteà à Patribus sunt adinuctæ. Tertiam autem & Sextam & Nonam etiam ab Apostolis legimus fuisse celebratas. Nam Tertiâ horâ super Apostolos in Orationum officio constitutos Spiritus sanctus descendit. Sextâ verò horâ legimus Petrum, dum in cœnaculo oraret, subitò in excessu mentis vas illud, quod quatuor initiis quasi linteum de cælo submissum, vidisse. De Nonâ autem legimus. [*Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis Nonam.*] *Vespertinas autem vel Matutinas Orationes non solùm ab Apostolis, sed etiam in veteri Testamento legimus eas in templo Domini semper fuisse oblatas. Vnde & Dauid dicit de Vespertinis.* [*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium Vespertinum.*] *De Matutinis autem dicit.* [*Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.*] *Et,* [*In Matutinis meditabor in te, quia factus es adiutor meus.*] Auctor initio capitis clarè admodùm indicat acturum se de quinque horis diurnis, id est, de Matutinis & Vespertinis Officiis, aliisque tribus, nempè de Officiis ad Tertiam, ad Sextam & ad Nonam. *Apud Palestinæ*, inquit, *& Mesopotamiæ vel totius Orientis Monasteria exceptis Matutinis vel Vespertinis diurnarum Orationum modus trinæ confessionis exemplo statutis trinis Psalmis cotidie terminatur, vt Orationum assiduitas statutis Deo temporibus offeratur, & necessaria operationis officia consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis nullatenùs valeant impediri.* Quapropter omissis interpolationibus, quæ de horis Prima & Duodecima insertæ sunt, cetera sic proximè sequi debent. *Horarum autem ipsarum, in quibus Deo per totum spatium diei obsequia reddimus, ratio hæc est. Tertia, quia Spiritus sanctus in eadem hora super Apostolos descendisse primitùs comprobatur. Sexta, pro eo quòd immaculata hostia Dominus noster Iesus Christus eâdem horâ in cruce suspensus obnoxios de æternis peccatorum vinculis liberauit. Nona, pro eo quòd eâdem horâ Dominus noster descendens ad inferos sanctorum animas, quæ clausæ tenebris tenebantur, exinde liberauit, & secum transuexit ad cælos. Tertiam autem & Sextam & Nonam etiam ab Apostolis legimus fuisse celebratas. Nam Tertiâ horâ super Apostolos in Orationum Officio constitutos,* &c. Opinio nostra confirmatur auctoritate Cassiani. Scripsit Cassianus quatuor libros de institutis Cœnobiorum, primum instituit de habitu Monachi, secundum de nocturnis Orationibus, tertium de Orationibus diurnis, quartum de institutis renuntiantium. Caput primum libri 3. sic exorsus est. *De nocturno Orationum & Psalmorum modo, quinam per Ægyptum habeatur, donante Deo, quantùm tenuitas ingenij nostri præualuit, arbitror expeditum, nunc de solemnitate Tertiæ, Sextæ Nonæque secundùm Regulam Monasteriorum Palæstinæ vel Mesopotamiæ nobis est differendum.* Deinde capite tertio, cuius epitomen Auctor Regulæ ab Ananiensi Abbate descriptus fecit, solemnitatem trium illarum horarum, Tertiæ, Sextæ & Nonæ, necnon Matutinarum orationum, id est, Laudum, & Vespertinarum precum seu Vesperarum sic exposuit, horarum aliarum, Primæ videlicet ac Duodecimæ, nullâ penitùs factâ mentione. *In Palæstinæ vel Mesopotamiæ Monasteriis ac totius Orientis, supradictarum horarum*, Tertiæ, Sextæ ac Nonæ, *solemnitates tribus Psalmis quotidie finiuntur, vt & Orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis officia con-*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

summatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis nullatenùs valeant impediri. His enim tribus temporibus etiam Danielem Prophetam quotidie fenestris apertis in cœnaculo preces Domino fudisse cognoscimus. Nec immeritò hæc specialiùs tempora religiosis sunt Officiis deputata. In his siquidem promissionum perfectio & summa nostræ salutis est adimpleta. Horâ namque Tertiâ repromissus olim per Prophetas Spiritus Sanctus super Apostolos in Orationum officio constitutos descendisse primitus comprobatur. Nam cùm propter elocutionem linguarum, quæ ab eis infusione Spiritus Sancti profluebat, gens incredula Iudæorum obstupescens pariter & irridens diceret eos musto repletos, stans Petrus in medio eorum ait. Viri Israelitæ & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea, non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei Tertia, sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel. [Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo, super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt.] Quæ omnia horâ Tertiâ videmus impleta, Sanctique Spiritus vaticinatum per Prophetas aduentum eodem tempore super Apostolos commeasse. Horâ autem Sextâ immaculata hostia Dominus noster atque Saluator oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit, & expolians principatus ac potestates traduxit palam, vniuersosque nos obnoxios atque constrictos insolubili chirographi debito liberauit, tollens id de medio, & crucis suæ affigens trophæo. Eâdem quoque horâ Petro in excessu mentis vocatio gentium omnium per submissionem vasis Euangelici delati cælitus, & purificatio omnigenùm animantium in eodem consistentium, delatâ ad eum voce diuinitus reuelatur, dicente ei. [Surge, Petre, occide & manduca.] Quod vas quatuor initijs de cælo summissum, non aliud quàm Euangelium designare manifestè cognoscitur. Licet enim quadriformi Euangelistarum narratione distinctum quatuor videatur habere principia, vnum tamen Euangelij corpus est, eiusdem scilicet Christi Natiuitatem pariter ac Deitatem, miracula quoque passionémque complectens. Pulchrè autem non ait linteum, sed quasi linteum. Linteum quippe mortificationis indicium est. Quoniam igitur mors Dominicæ passionis non humanæ naturæ lege, sed propriæ voluntatis subitur arbitrio, quasi linteum dicitur. Mortuus enim secundùm carnem, non est secundùm spiritum mortuus, quia nec derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Et rursus. Nemo (inquit) tollet animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponere eam, & potestatem iterum habeo sumere eam. In hoc itaque Euangeliorum vase cælitus destinato, id est, à Spiritu sancto præscripto, omnes gentes, quæ quondam extra legis obseruantiam positæ habebantur immundæ, per credulitatem fidei confluentes, vt ab idolorum cultu salubriter auertantur, atque ad salutarem escam proficiant, Petro purificante, voce Dominicâ deferuntur. Horâ verò Nonâ inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasque eius æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transuexit secum ad cælos, igneâque rhomphæâ summotâ, antiquum incolam paradiso piâ confessione restituit. Eâdem quoque horâ Cornelius Centurio in precibus solitâ deuotione persistens, commemorationem orationum & eleemosynarum suarum ante Dominum factam, Angelo sibi colloquente cognoscit, palámque ei horâ Nonâ vocationis gentium sacramenta panduntur, quæ Petro in excessu mentis horâ Sextâ fuerant reuelata. Alio quoque loco de eodem tempore in Actibus Apostolorum ita narratur. [Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis Nonam.] Quibus liquidò comprobatur, non immeritò à sanctis & Apostolicis viris has horas religiosis obsequiis consecratas, à nobis quoque obseruari similiter oportere, qui nisi velut lege quadam soluere hæc pietatis officia saltem statutis temporibus adigamur, totum diei spatium oblitione aut desidiâ vel occupationibus inuoluti absque Orationis interpellatione consumimus. De Vespertinis autem sacrificijs quid dicendum est, quæ iugiter offerri etiam in ve-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

teri Testamento lege Mosaïca sanciuntur ? Holocausta enim Matutina & sacrificia Vespertina cunctis diebus in templo , licet figuralibus hostiis , etiam ex eo probare possumus indesinenter oblata , quòd à Dauid canitur. [*Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; eleuatio manuum mearum , sacrificium Vespertinum.*] *Quo in loco de illo quoque vero sacrificio Vespertino sacratiùs intelligi potest , quod vel Vespere à Domino Saluatore cœnantibus Apostolis traditur , cùm initiaret Ecclesiæ sacrosancta mysteria , vel quòd ipso die postero sacrificium Vespertinum , in fine scilicet saculorum , eleuatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est Patri. Quæ extensio manuum eius in patibulo satis propriè eleuatio nuncupatur. Omnes enim nos in inferno iacentes eleuauit ad cælos , secundum promissionis eius sententiam dicentis.* [*Cùm exaltatus fuero à terrâ , omnia traham ad meipsum.*] *De Matutinâ verò solemnitate etiam illud nos instruit , quod in ipsâ quotidie decantari solet.* [*Deus , Deus meus , ad te de luce vigilo.*] *Et.* [*In Matutinis meditabor in te.*] *Et.* [*Præueni in maturitate & clamaui.*] *Et rursum.* [*Præuenerunt oculi mei ad te diluculo , vt meditarer eloquia tua.*] *In his quoque horis etiam ille Euangelicus paterfamilias operarios conduxit in vineam suam. Ita enim & ille primo mane conduxisse describitur , quod tempus designat Matutinam nostram solemnitatem* , id est , Laudes , *deinde Tertiâ , inde Sextâ , posthæc Nonâ , ad extremum Vndecimâ in quâ Lucernalis hora signatur.* Nullum ibi verbum , quod aut ad Primam aut ad Completorium referri possit. In Occidente Primam Cassianus , Completorium sanctus Benedictus , primi omnium instituerunt ; & Cassianus , quia ætate antiquior fuit sancto Benedicto , Completorij meminisse non potuit. In Vespertinis Officiis Psalmi duodecim dici consueuerant , sanctus Benedictus duodenarium Psalmorum numerum ad quaternarium redegit addito Completorio sub initium noctis. *Vespertina* , inquit [a] , *Synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur , post quos Psalmos Apostoli Lectio recitanda est , inde Responsorium Ambrosianum , Versus , Canticum de Euangelio , Litania & Oratio Dominica , & fiant Missæ. Completorium autem , trium Psalmorum dictione terminetur. Qui Psalmi directaneè sine Antiphonâ dicendi sunt. Post quos Hymnus eiusdem horæ , lectio una , Versus , Kyrie eleison , Benedictio , & post Missæ fiant.* A sancto Basilio in libro [b] de Regulis fusiùs disputatis horæ septem sic enumerantur , ὄρθρος , τρίτη , ἕκτη , ἐνάτη , εὐχαριστία , αἴτησις , μεσονύκτιον , id est , Matutinum , Tertia , Sexta , Nona , gratiarum actio , petitio , & media nox. Completorio respondet αἴτησις , de quâ sic ibidem. *Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris , sequetur petitio , vt quies , quam sumus capturi , inoffensa & ab omni perturbatione ac vitio libera sit , quâ horâ etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet.* Hoc Psalmo , cuius initium est , *qui habitat in adiutorio Altissimi* , Propheta hominem , qui Deo sese firmiter commiserit , diuinâ protectione & Angelorum custodiâ tutum liberúmque à malis vniuersis affirmat , & vt assertioni suæ potiorem auctoritatem conciliet , in fine Deum etiam ipsum introducit loquentem , atque in se speranti promittentem multa , suam videlicet protectionem , liberationem ab omnibus periculis vitæ huius , ac beatitudinem vitæ æternæ. Eundem Psalmum non omisit sanctus Benedictus , cùm tres Psalmos , quos ad Completorium dici vellet , ita recensuit [c]. *Ad Completorium cotidie iidem Psalmi repetantur , quartus , nonagesimus , & centesimus trigesimus tertius.* Hugo Menardus examinatis sanctorum Basilij Benedictique scriptis hæc habet [d] in notis ad caput decimum sancti Benedicti. *Sanctus Benedictus in Synaxi Vespertinâ noluit hunc duodenarium* Psalmorum *numerum obseruari breuitati consulens , quia diuinis Officiis multa adiecit , insuper & Completorium , quæ non erant in Canone priscorum Monachorum.* Et in notis [e] ad caput decimum septimum. *Quæ quidem hora* , nempe Completorium seu Petitio αἴτησις , *in Oriente vix ante Sanctum Basilium reperitur , nec in Occidente ante Sanctum Benedictum.* In Appendice igitur , quam examinamus , Duodecima non Completorio sed Vesperis conuenit.

[a] Cap. 17.

[b] Interrog. 37.

[c] Cap. 18.

[d] Append. 2. ad c. 11. concord. regul.

[e] Append. 8. ad c. 14. concord. regul.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Ordo psallendi post Paschalem hebdomadam vsque ad Kalendas Octobris ita præscribitur. *Post Pascha verò ipsi Nocturni dicendi sunt vsque ad Kalendas Octobrus, & vsque Kalendas Augusti sexta feria tantùm & Dominica vigilentur. Post Pascha verò vsque ad Pentecosten sextâ feriâ semel reficiendum est. Et post Duodecimam sex Missæ futuræ sunt, hoc est lectiones decem & octo memoriter dicendæ sunt, & post Psalmi decem & octo, Antiphonæ tres. Post Nocturnos verò Missæ tres ad librum fieri debent vsque ad lucem.* Locus hic, quia corruptus est & obscurus, emendatione simul indiget & explicatione. Paucis vocibus, quæ sensu carent expunctis, ita restituendus videtur. *Post Pascha verò iidem Nocturni dicendi sunt vsque ad Kalendas Octobris, & vsque ad Kalendas Augusti sexta feria tantùm & Dominica vigilentur. Post Pascha verò vsque ad Pentecosten sextâ feriâ semel reficiendum est. Et post Duodecimam sex Missæ futuræ sunt. Post Nocturnos verò Missæ tres ad librum fieri debent vsque ad lucem.* Singulos articulos nunc exponamus. Auctor vult *post Pascha* id est, post Paschalem hebdomadam de quâ superiùs locutus est, *vsque ad Kalendas Octobrus* eosdem dici Nocturnos, quia noctes sunt breuiores; post Kalendas autem Octobris, quia longiores tunc fiunt noctes, secundos addet Nocturnos, de quibus infra, nam quò longiores aut breuiores erant noctes, eò longiores etiam aut breuiores ordinabantur Vigiliæ. Subdit post Pascha vsque ad Kalendas Augusti *sextâ feriâ tantùm & Dominicâ* vigilandum esse, id est temporiùs seu citiùs surgendum esse ad Vigilias. Licet cur id fieri velit haud prodat, ratio facilè deprehendi potest. Monachi maturiùs ad Vigilias surgebant certis diebus, quia propter earum solemnitatem ac reuerentiam Officium augebatur, vt de die Natali Domini déque Epiphaniâ inferiùs patebit. Sanctus Benedictus [a] præcipit vt *Dominico die temporiùs surgatur ad Vigilias*, & vt *ordo Vigiliarum omni tempore tam æstatis quàm hyemis æqualiter die Dominico teneatur.* Id Auctor noster non tantùm die Dominico sed etiam qualibet feriâ sextâ post Paschalem hebdomadam vsque ad Kalendas Augustas obseruari iubet. Et quia sermonem semel habere cœpit de sextâ feriâ, ieiunium indicit feriâ quâque sextâ post Pascha vsque ad Pentecosten. *Post Pascha*, inquit, *vsque ad Pentecosten sextâ feriâ semel reficiendum est.* Tum Missas subiungit, quæ post Vigilias & Vesperas eiusdem feriæ debent fieri. *Et post Duodecimam sex Missæ futuræ sunt. Post Nocturnos verò Missæ tres ad librum fieri debent vsque ad lucem*, id est, vsque ad Laudes matutinas.

[a] Cap. 11.

CLXXIV. In Appendice ad Regulam sancti Cæsarij sequitur sanctio de ieiunio, quæ non tantùm apud Bollandum, vt & aliæ quæ de ordine psallendi præscribuntur, sed etiam apud Stellartium & Holstenium reperitur, apud quos ne verbum quidem vllum est de ordine psallendi. Post præscriptam ieiuniorum rationem, de quâ nos infrà, cùm explicabimus ordinem conuiuij, Cæsarius redit ad ordinem psallendi, pluréque sanctiones edit. Hæc sola legitur apud Stellartium. *Natale Domini & Epiphaniorum ab horâ tertiâ noctis vsque ad lucem vigilandum est.* Et apud Holstenium. *Natale Domini & Epiphaniæ ab horâ tertiâ noctis vsque ad lucem vigilandum est.* Apud Bollandum, qui plures habet, sic effertur. *Natalis Domini & Epiphaniæ ab horâ tertiâ noctis vsque ad lucem vigilandum est.* Natiuitas Domini & Epiphania celeberrimæ semper festiuitates fuerunt. Ob solemnitatem produci iubentur Vigiliæ, ab horâ videlicet noctis tertiâ vsque ad lucem siue vsque ad tempus Laudum matutinarum. Quomodò autem celebrandæ essent istæ Vigiliæ sic idem Auctor declarat apud Bollandum. *Ab horâ tertiâ noctis vsque ad lucem vigilandum est, itaut ante Nocturnos Missæ sex de Prophetiâ Isaiæ, & post Nocturnos Missæ sex de Euangelio dicantur*, in Natiuitate nempe Dominicâ, nam de festo Epiphaniæ hæc proximè subiunguntur. *In Epiphaniâ ante Nocturnos Missæ sex de Daniele fiant, post Nocturnos de Euangeliis Missæ sex.* Norunt omnes, quàm benè Dominicæ Natiuitati conueniant Missæ seu Lectiones de Prophetiâ Isaiæ, sic enim de Christo prophetauit Isaias, vt non vaticinari de futuris, sed historiam

de

de præteritis texere videatur, ísque, qui legit Isaiam, versari se putet in Evangelio. Quare per totum Aduentum, necnon in die Natali Domini & in Epiphania Lectiones ex Isaia cani etiamnum solent. Danielis verò Prophetæ scopus est regnum Christi describere, & si quas historias de Regibus Babylonis, Medorum ac Persarum refert, differitur de quatuor regnorum vicissitudine, id exequitur eo tantùm consilio, vt omnia alia regna peritura, solum Christi regnum perpetuum fore intelligamus, nec alienum est hoc argumentum ab Epiphaniæ mysterio, in quo Magi primitiæ gentium Christum oblatis auri muneribus Regem salutarunt. Cetera quæ præscribuntur de ordine psallendi, non reperiuntur in editionibus Stellartiana & Hollteniana.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Primò apud Bollandum Tertia, Sexta & Nona *quotidianis*, id est, priuatis, *diebus* sic ordinantur. *Quotidianis verò diebus ad Tertiam, Sextam, Nonam, seni Psalmi cum Antiphonis, Hymnis, Lectionibus, vel Capitellis suis dicantur.* Diebus verò festis numerus Psalmorum ad Tertiam duplicatur; & qui canuntur ad Tertiam iidem repetuntur ad Vesperas Psalmi. Verba sanctionis hæc sunt. *Dominicâ verò die vel Sabbathorum, ad Tertiam Psalmi sex, post quos Lectiones tres, vna de Prophetis, alia de Apostolo, tertia de Euangeliis; & post ipsas Lectiones Psalmi sex, Antiphona vna, Hymnus & Capitellum. Cunctis diebus festis ad Duodecimam Psalmi qui ad Tertiam dicendi sunt, Antiphonæ tres iungantur, Lectiones verò de re, hoc est, de ipsa festiuitate dicantur.* Cæsarius per diem Dominicam & Sabbatum, item per dies festos intelligit dies omnes festiuos, id est, diem Dominicum, Sabbatum, Natalitia Sanctorum & Solemnitates. De duodenario numero Psalmorum in Vesperis occini solito nihil hîc repetemus. Aduerte tantùm à Cæsario de Vesperis in Regula [a] Monachorum eadem fermè sic præscribi. *Omni Sabbato, & omni Dominicâ, vel diebus festis, duodecim Psalmi, tres Antiphonæ, tres Lectiones, vna de Prophetiis, alia de Apostolo, & tertia de Euangelio dicantur.*

C LXXV.

[a] Cap. 25.

Secundò, à Kalendis Octobris vsque ad Pascha, quia noctes longiores sunt, alter additur Nocturnus, qui componitur Psalmis octodecim, Lectionibus duabus & Hymno, ísque ordo priuatis tantùm diebus præscribitur, nam de festis aliter inferiùs. Cæsarius autem ita decernit. *A Kalendis Octobris vsque ad Pascha addite secundos Nocturnos, id est, Psalmos decem & octo; Lectiones duas & hymnum. Ad primos Nocturnos in primo* (id est, inprimis) *dicite;* [*Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.*] *In fine* [*Rex æterne Domine.*] *A secundo Nocturno* (meliùs ad secundos Nocturnos,) [*Magna & mirabilia.*] *Aliâ nocte ad primum Nocturnum dicendum est;* [*Media noctis tempus est.*] *Ad secundum;* [*Æterne rerum conditor.*] *Ad secundos Nocturnos in primis incipite;* [*Miserere mei Deus, miserere mei.*] *Post Nocturnos legantur Orationes tres, psallantur Antiphona & Responsus, & alia Antiphona. Post hoc vsque ad luccm impleantur Missæ quatuor. Si fieri potest numquam minuantur. Nunquam maturiùs, nunquam tardiùs excitentur.* Sensus est. Vigiliæ, quæ *post Pascha vsque ad Kalendas Octobris*, id est, in æstate, quia noctes sunt breuiores, vnum duntaxat, vt suprà dictum est, habent Nocturnum, duos habeant Nocturnos à Kalendis Octobris vsque ad Pascha, id est, in hyeme, quia longiores sunt noctes. Ad singulos Nocturnos dicantur octodecim Psalmi. Ad primum Nocturnum primo loco dicatur Psalmus quinquagesimus, *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Ad secundum Nocturnum dicatur Psalmus quinquagesimus-sextus, *Miserere mei Deus, miserere mei.* In fine primi Nocturni dicantur alternatim vna nocte Hymnus, *Rex æterne Domine;* aliâ nocte Hymnus, *Mediæ noctis tempus est.* Similiter in fine secundi Nocturni dicantur alternatim, vnâ nocte Hymnus, *Magna & mirabilia;* aliâ nocte Hymnus, *Æterne rerum conditor.* Post Nocturnos legantur Orationes tres. Tum psallantur Antiphona, Responsorium, & altera Antiphona. Deinde *vsque ad lucem*, id est, vsque ad Laudes impleantur Missæ seu Lectiones quatuor. Si fieri potest, hic Missarum numerus nunquam minuatur. *Numquam maturiùs, nunquam tar-*

CLXXVI

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

diùs, id est, eâdem noctis horâ semper expergefiant. Initio Nocturnorum quàm benè conueniunt Psalmi prænotati! Prior inter pœnitentiales locum habet, & præ ceteris versari debet in ore peccatorum quos pœnitet peccasse; continet enim precem, quam Dauid Rex ad Deum fudit, cùm per admonitionem Nathan Prophetæ, post longam impœnitentiam, tandem peccatorum suorum, adulterij videlicet & homicidij, magnitudinem agnouit. Posterior suadet in periculis opem Dei semper implorandam esse nec defuturam; exhibet enim Dauidem, qui fugit à facie Saulis Regis, & quoniam spem in Deo reposuit, eius auxilium sibi mox affore prædicit, iámque hostium suorum interitum talem præuidet qualem sibi parauerant. In Breuiario Romano prior horum Psalmorum dicitur ad Laudes feriæ secundæ, posterior ad Matutinum feriæ quartæ. Postremus Hymnorum est fœtus Ambrosianus, recitarique solet ad Matutinum Dominicæ noctis, à Dominica proximiori Kalendis Octobris vsque ad Aduentum, & ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Tres alij vnde sumpti sint, haud comperimus. In fine Vigiliarum Missæ quatuor fieri præcipiuntur, eáque sanctione numerus quoque Missarum in hyeme augetur, in æstate enim post Nocturnum, vt obseruatum est, Missæ duntaxat tres fieri debent. Numerus hic Missarum, si compleri potest, nunquam est minuendus; minui verò debet si de nocte compleri nequit.

CLXXVII. Tertiò, præscribitur ordo matutinarum Laudum, diebus cùm festis tum priuatis. Ad dies festiuos reducuntur, Sabbatum, dies Dominicus, Natalitia Sanctorum, Solemnitates, purà Natiuitas Dominica, Epiphania, Pascha, Pentecoste. Cæsarius vt dies festos à priuatis, ita solemnitates à ceteris diebus festis distinguit, & habitâ tot differentiarum ratione sic statuit de matutinis Laudibus. *Post hoc Matutinales canonici dicantur, priuatis diebus cum Antiphonis, festis verò diebus cum Alleluja psallantur. Omni Dominicâ sex Missæ fiant, posteà Matutinæ fiant. Inprimis dicite directaneum paruulum. Confitemini cum Antiphona, Cantemus Domino, & omnes Matutinary cum Alleluja dicantur. Sabbatho enim & omnibus diebus festis Vigiliæ celebrentur. In solemnitatibus verò, impletis ipsis Matutinis, & hymnum dicant,* [*Te Deum laudamus.*] *In exteriore Oratorio procedendum est, & dicendus est directaneus paruulus; post hoc, Canticum* [*Cantemus Domino*] *deinde Benedictio trium puerorum; post Benedictionem hymnus* [*Gloria in excelsis Deo.*] Sensus talis est. *Post hoc*, id est, post Vigilias, canonicus Psalmorum matutinis Laudibus conuenientium numerus dicatur, iique Psalmi diebus cùm priuatis tum festis per Antiphonas alternis choris psallantur, festis verò diebus in fine cuiuslibet Psalmi canatur Alleluja. Alleluja vocabulum est Hebraïcum, & interprete Suidâ significat apud Hebræos, *Laudate Dominum, siue eum qui est.* Ἀλληλούια, αἰνέσατε τὸν Κύριον, παρ' Ἑβραίοις, ἤτοι τὸν ὄντα. Obseruasti primam dierum diuisionem in festos ac priuatos, aduerte alteram, quæ solemnitates à ceteris diebus festis distinguit. Quolibet die festo *Vigiliæ celebrentur*, id est, Vigiliæ celebriores ac longiores fiant, adeóque producantur, vt illis sub noctis exitum Laudes immediatè succedant. Matutinarum autem Laudum quibuslibet festis diebus is ordo esto. Sex Missæ seu Lectiones claudant Vigilias, tum matutinæ Laudes fiant, post directaneum paruulum dicantur per Antiphonas & cum Alleluja Psalmus *Confitemini*, Canticum, *Cantemus Domino*; aliique Psalmi Matutinarij. In solemnitatibus addatur hymnus, *Te Deum laudamus*, & in exteriore Oratorio dicantur directaneus paruulus; Canticum Moysis, *Cantemus Domino*; Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini, Domino*; & hymnus, *Gloria in excelsis Deo.* Hic matutinarum Laudum ordo fusiùs à nobis non explicabitur, quia vix differt ab eo, quem idem Cæsarius, Monachus primùm Lirinensis, pòst Episcopus Arelatensis, in Regula[a] Monachorum à nobis superiùs exposita sic præscripsit. *Perfectis Missis, dicite Matutinos directaneo,* [*Exaltabo te Deus*

[a] Cap. 21.

meus & Rex meus.] *Deinde* [*Confitemini.*] *Inde*, [*Cantemus Domino.*] [*Lauda anima mea Dominum.*] *Benedictionem.* [*Laudate Dominum de cœlis.*] [*Te Deum laudamus.*] [*Gloria in excelsis Deo,*] *& Capitellum.* Lege quæ de Psalmo centesimo decimo-septimo, de Canticis Mosis & trium puerorum, déque Hymnis, *Te Deum laudamus*, &, *Gloria in excelsis Deo*, ad illum locum præfati sumus. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Quartò, pro diebus festis ordo præscribitur, quo dicenda est Prima, & quoniam Auctor in hac sanctione de solis diebus festis loquitur, existimamus priuatis diebus de dicendâ Primâ nihil præceptum fuisse. Textus ipse clarissimus est. *Deinde dicenda est Prima cum Psalmis sex, & Hymnus* [*fulgentis auctor ætheris.*] *Lectiones duæ, vna de veteri, alia de nouo Testamento, & Capitellum. Hoc modo, Dominicâ vel Sabbatho & maioribus festiuitatibus fieri debet.* CLXXVIII.

Quintò, de Vesperâ seu Lucernario hæc sanciuntur. *Ad Vesperam simili modo in exteriori Oratorio directaneus paruulus dicatur, & Antiphonæ tres, Hymnus vnâ die* [*Deus qui certis legibus,*] *alterâ die* [*Deus creator omnium.*] Hæc sanctio, vt constat ex alia quæ pro diebus festis præmissa est, pertinet ad solos dies priuatos, nec complectitur totum Officium Vespertinum, omittit enim Psalmos, de quorum numero actum est suprà. CLXXIX.

Sextò, Lectionum seu Missarum, quæ diebus Dominicis per æstatem in fine Vigiliarum fiunt, hic ordo statuitur. *Omnibus verò diebus Dominicis, ad Vigilias Euangelia legantur, sed semper in primâ Missâ vna Resurrectio legatur, alterâ Dominicâ altera Resurrectio, sic & tertiâ, sicque quartâ. Et dum illa prima Missa in Resurrectione legitur, & semper in primâ Missâ vna Resurrectio legitur, nemo sedere præsumat. Posteà verò in illis quinque Missis quæ sequuntur, omnes secundùm consuetudinem sedeant.* Hæc sanctio supponit alteram suprà recitatam, quæ diebus Dominicis in Vigiliarum fine sex fieri Missas ita præcipit. *Omni Dominicâ sex Missæ fiant, posteà Matutinæ* seu laudes *fiant.* Idem Auctor in Regulâ [a] Monachorum ab hac sanctione non recedit. *Omni Dominicâ sex Missas facite. Prima Missa semper Resurrectio legatur. Dum Resurrectio legitur, nullus sedeat.* De Dominicâ Resurrectione quatuor scripserunt Euangelistæ, singulis igitur diebus Dominicis singulæ Lectiones de Resurrectione sic accommodantur, vt eadem Lectio qualibet Dominicâ quartâ semper recurrat. CLXXX. [a] Cap. 21.

Septimò, Missæ seu Lectiones ad Vigilias in festiuitatibus Martyrum sic ordinantur. *Quando festiuitates Martyrum celebrantur, prima Missa de Euangeliis legatur, reliquæ de passionibus Martyrum.* CLXXXI.

Octauò, Missæ seu Lectiones priuatis diebus in Vigiliis ex vtroque Testamento iuxta sacrorum librorum ordinem sic præscribuntur. *Priuatis verò diebus in Vigiliis ordine suo libri noui vel veteris Testamenti legantur.* CLXXXII.

Nonò, ternarius Missarum seu Lectionum numerus in Vigiliis per hyemem quolibet die sic præcipitur. *In hyeme, omni die post Nocturnos, tres Missæ fiant.* Ab hac Regulâ non excipitur dies Dominicus, ideóque sanctionem suprà recitatam, quæ diebus Dominicis Missas sex fieri iubet, de solis diebus Dominicis æstiuis explicuimus. CLXXXIII.

Decimò, ne Canonicus Missarum seu Lectionum numerus ad Vigilias aut augeatur aut minuatur, duæ res præcipiuntur. Prima est, ne Lectiones longiores fiant. *Ante omnia ipsa Lectio in Vigiliis ita temperanda est, vt & desiderari & semper augere* . . . . . locus est corruptus, & ita restituendus videtur. *Ipsa Lectio in Vigiliis ita temperanda est, vt & desiderari & semper augeri possit, & ideò per singulas orationes, binæ aut certè non ampliùs ternæ paginæ relegantur.* Secunda præceptio est, vt quotiescumque Monachi seriùs expergefacti, tardiùs ad Vigilias venerint, Abbas ad singulas Lectiones Lectori pro suo lubitu silentium imponat. *Si verò euenerit vt tardiùs ad Vigilias consurgant, singulas paginas, aut quantùm Abbatissæ visum fuerit, legant, in cuius potestate erit, vt quando signum fecerit, quæ legit sine mora consurgat, vt Canonicus Missarum numerus possit impleri.* Abbatissæ mentio fit, quoniam istæ sanctiones aptantur Regulæ Monialium cui reperiuntur adiectæ. Lucem non mediocrem [b] affert CLXXXIV. [b] Cap. 10.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CLXXXV.

ipsemet Cæsarius in Regulâ Monachorum. *Ab vnâ*, inquit, *Missâ legat frater folia tria, & orate, legat alia tria, & leuet se.* Quo textu tria nos docet, primò *ab vna Missâ* id est, ad vnam Missam tria folia legi, secundò intermedias Lectionibus orationes seu meditationes fieri, tertiò Lectorem dum legit sedere, factâ enim lectione consurgit.

Vndecimò, somnus post Matutinos, id est, post Laudes prohibetur vsque ad horam secundam, tum opus quotidianum imperatur. *Ipsæ Vigiliæ sic temperentur, vt quæ sanè sunt post Vigilias somno non opprimantur. Omni tempore post Matutinos vsque ad horam secundam legant, posteà verò faciant opera sua.* Diebus igitur priuatis, de quibus hæc præceptio capienda est, Prima non dicebatur, sed solis diebus festis vt obseruatum est suprà. De rebus post Matutinos seu Laudes agendis eandem sanctionem habet idem Cæsarius in Regulâ [a] Monialium. *Omnes literas discant. Omni tempore duabus horis, hoc est, à mane vsque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo verò diei spatio faciant opera sua.*

[a] Capp. 17. 18.

CLXXXVI. DE VIGILIIS APVD MORTVOS.

Caput secundum Appendicis, quam examinamus, est de Vigiliis apud mortuas. Sic enim Cæsarius apud Bollandum. *Quando aliqua defuncta fuerit, pauca sorores illam vigilent vsque ad mediam noctem, & legatur Apostolus. Post mediam verò noctem illæ, quæ vigilauerunt, vsque ad Matutinos requiescant, & reliquæ vigilantes vnam Missam faciant de Euangeliis, reliquas de Apostolo. Et hoc si aliqua senior de hac luce migrauerit. Si verò iunior fuerit, de Apostolo fiant Missæ vsque ad Matutinos. Ante omnia studendum est, vt cùm aliqua de sororibus defuncta fuerit, sancto Episcopo in notitiam deponatur, vt ipse eam vsque ad Basilicam, vbi ponenda est, psallendo pro sanctâ deuotione deducat, & Clerici de sanctâ Mariâ.* Vt autem hanc sanctionem, quam beatus Cæsarius Monialibus aptauit, ad Monachos Lerinenses referas, audi textum quem sanctus Aurelianus Regulæ Monachorum subiecit. *Quando aliquis defunctus fuerit, vsque mediam noctem eum pauci fratres in Oratorio pernigilent, & Missas faciant. Post mediam noctem qui vigilauerunt quiescant, & iterum alij vigilent. Et ponite hoc in notitiam sancto Episcopo, vt eum iubeat ad locum, vbi ponendus est, deportari. Sin verò præstare despexerit, de quacumque Ecclesiâ Clericos rogate, qui eum deducant, & date illis eulogias.*

CLXXXVII. DE CONVIVIO.

Caput tertium, cui titulus ordo conuiuij, diuiditur in duas partes, prima est de tempore ieiunij, secunda de numero ferculorum ac potionum, cùm diebus ieiunij, tum aliis.

CLXXXVIII

Sanctus Cæsarius in Appendice ad Recapitulationem suæ Regulæ, vt diuersas ieiunij leges diuersis temporibus accommodet, totum anni circulum in VII. partes distinguit, primam à Pentecoste producit vsque ad Kal. Septembres, secundam ab iisdem Kalendis vsque ad Kal. Nouembres, tertiam à Kalendis Nouembribus vsque ad diem Natalem Domini, quartam ab eo die vsque ad Epiphaniam, quintam ab Epiphania vsque ad Quadragesimam, sextam à Quadragesima vsque ad Pascha, Septimam à Paschate vsque ad Pentecosten.

CLXXXIX

Primò, post Pentecosten ad Kalendas vsque Septembres totam ieiunij rationem arbitrio Abbatissæ sic relinquit. *Ieiunium à Pentecoste vsque ad Kalendas Septembris, abhinc eligite quomodò debeatis ieiunare, id est, quomodò virtutem vel possibilitatem viderit Mater Monasterij, sic studeat temperare.* Aliter statuit in Regula Monachorum [b]. *A sancto*, inquit, *Pascha vsque ad mensem Septembrem quartâ & sextâ ieiunandum.* Existimamus hanc fuisse Monachorum Lerinensium constitutionem, quam Cæsarius in Appendice ad Regulam Monialium temperare voluit.

[b] Cap. 22.

CXC.

Secundò, Cæsarius à Kalendis Septembribus ad Nouembres ieiunium feriis, secundâ, quartâ & sextâ sic præcipit. *A Kalendis Septembris vsque ad Kalendas Nouembris, secundâ & quartâ & sextâ feriâ ieiunandum est.* Aulterior est in Regula Monachorum [c], ibi enim à Kalendis Septembribus vsque ad festum Dominicæ Natiuitatis quotidie ieiunandum ait, exceptis duntaxat diebus Dominicis. *A mense Septembre vsque ad Domini Natale quotidie ieiunan-*

[c] Cap. 22.

dum, iterùm ante duas hebdomadas ante Quadrageſimam quotidie ieiunandum, exceptâ Dominicâ, in qua non licet penitùs ieiunare propter Reſurrectionem Domini. Priorem ſanctionem, quæ remiſſior eſt, ſanctus Cæſarius publicauit in gratiam puellarum, quæ debiliores ſunt & minùs robuſtæ; poſteriorem verò, quæ ſeuerior eſt, hauſtam è Monaſterio Lerinenſi putamus, æquum enim videtur, vt Monachi, qui fortioribus pollent viribus, grauiori pœnitentiæ addicantur. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Tertiò, Cæſarius à Kalendis Nouembribus ad Natiuitatem Dominicam quotidie ieiunandum affirmat, exceptis feſtiuitatibus & Sabbato. *A Kalendis verò Nouembris*, inquit, *vſque ad Natalem Domini, exceptis feſtiuitatibus vel Sabbatho, omnibus diebus ieiunare oportet.* Cùm feſtiuitates excipit, in illâ exceptione complectitur diem Dominicum, quia dies feſtus eſt & feſtiuitatibus accenſetur. In Regulâ verò [a] Monachorum ſanxit, illo temporis interuallo, necnon à Kalendis Septembribus vſque ad Nouembres, & à Sexageſima vſque ad Paſcha quotidie ieiunandum eſſe, ſolis diebus Dominicis exceptis. *A menſe Septembre vſque ad Domini Natale quotidie ieiunandum, iterùm ante duas hebdomadas ante Quadrageſimam quotidie ieiunandum, exceptâ Dominicâ.* Hinc circa Sabbatum non leuis oboritur difficultas. Exceptio enim Sabbati reperitur apud Cæſarium in Appendice ad Regulam Monialium, deſideratur autem apud eundem Cæſarium in Regulâ Monachorum. At quis eum ſuſpicetur à ſemetipſo ita diſſenſiſſe, vt Sabbatum exciperet in vnâ Regulâ, in alterâ non exciperet? Auget adhuc difficultatem ipſa Regula Monachorum. Nam capite viceſimo-ſecundo, cuius textum ſuprà recitauimus, ieiunium indicitur Sabbato à Kalendis Septembribus ad Natiuitatem Dominicam, & à Sexageſima vſque ad Paſcha, capite verò viceſimo-quinto Sabbatum habetur inter dies ſolemnes, & in eadem claſſe ponitur cum diebus Dominicis ac feſtis. *Omni Sabbatho & omni Dominicâ, vel diebus feſtis, duodecim Pſalmi, tres Antiphonæ, tres Lectiones, vna de Prophetiis, alia de Apoſtolo, & tertia de Euangelio dicantur.* Orientales Chriſtiani nec Sabbato ieiunabant, nec die Dominico, feriatos enim habebant ambos hos dies, idque moris etiam fuit apud quoſdam Occidentales, & maximè apud Gothos qui fidem ab Orientalibus acceperunt. Anno Chriſti quingenteſimo ſexto Concilium Agathenſe celebratum eſt à Præſulibus Gothicis, id eſt, ab Epiſcopis, quorum Diœceſes erant in Regno Alarici Wiſigothorum Regis. In ea Synodo, cui ſanctus Cæſarius præfuit, ſancitum [b] inuenitur, *Vt omnes Eccleſiæ filij (exceptis diebus Dominicis) in Quadrageſima, etiam die Sabbato, ſacerdotali ordinatione & diſtrictionis comminatione ieiunent.* Hoc decretum ſatis indicat populos illarum regionum non ieiunaſſe Sabbato. Nam ſi die Sabbati ieiunaſſent extra Quadrageſimam, multò magis illo die in Quadrageſima ieiunaſſent, nec opus fuiſſet eiuſmodi conſtitutione. Tribus pòſt ſeculis Sabbato nondum ieiunabant omnes qui ſub ditione Caroli Magni erant, vt ex eius Capitularibus ad iſta tempora dicturi ſumus. Sanctus Cæſarius, quia primum in Agathenſi Concilio locum tenuerat, ieiunium in Regula Monachorum capite viceſimo-ſecundo præcepit Sabbatis occurrentibus in Quadrageſima, imò, quia ieiunia Monachis frequentiora quàm laïcis indicebat, eâdem ſanctione plura intermedia Sabbata, quæ ſolemnia eſſe vetuit, à Kalendis Septembris ad diem Natalem Domini, & à Sexageſima ad Paſcha comprehendit. Cetera Sabbata, plura quidem in æſtate, pauciora in hyeme, reliquit ſolemnia, non enim ad ſolemnia tantùm per hyemem referri debet hæc conſtitutio, quæ capite viceſimo-quinto eiuſdem Regulæ Sabbatum cum diebus Dominicis ac feſtis ita coniunxit. *Omni Sabbatho & omni Dominicâ vel diebus feſtis duodecim Pſalmi, tres Antiphonæ, tres Lectiones, vna de Prophetiis, alia de Apoſtolo, & tertia de Euangelio dicantur.* En ſolutio totius difficultatis, quæ occurrit in Regula Monachorum, & à nobis in hunc locum reiecta eſt. Quòd autem Cæſarius aliter in Appendice ad Regulam Monialium, aliter in Regula

CXCI.

[a] Cap. 12.

[b] Cap. 11.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Monachorum ſtatuit de ieiunio Sabbati à Kalendis Nouembribus vſque ad feſtiuitatem Natiuitatis Dominicæ, tota differentia ex eo procedit, quòd Cæſarius, cùm propter imbecilliores vires pauciora Monialibus quàm Monachis ieiunia præſcribere velit, in Appendice prælaudata recedit ab antiquis ſtatutis Monaſterij Lerinenſis quæ ſeueriora ſunt, & Sabbato à Quadrageſima tantùm vſque ad Paſcha ieiunium indicit Monialibus, ne refragetur Agathenſi Concilio cui præfuit.

CXCII. Quartò, Cæſarius de ieiunio ante Epiphaniam ita ſcribit. *Ante Epiphaniam ieiunandum eſt ſeptem diebus.* Huius ieiunij duplex afferri ratio poteſt. Vnam ſuppeditat ſolemnitas Epiphaniæ, alteram deteſtatio ſuperſtitionum ethnicarum. Epiphania Chriſtianis ſemper celeberrima fuit, quia Magi primitiæ gentium illo die ad Ieſum tredecim tantùm dierum infantem acceſſerunt. Præcipuas autem feſtiuitates ieiunium ſolet præcedere. Sic Paſchalem lætitiam ieiunium à Quadrageſima, Natalem Domini ieiunium à Kalendis Nouembris præcedit. Pari modo ieiunium ſeptem dierum ante Epiphaniam ob feſti celebritatem imperari potuit. Huic opinioni non parùm fauere videntur Cæſar [a] Baronius & Ioannes [b] Bollandus, qui ſcribunt Epiphaniam adeò celebrem Theodoſio Imperatori fuiſſe, *vt ſeptem diebus qui præcedunt, ac totidem qui ſubſequuntur, iudicialem ſtrepitum conticeſcere iuſſerit.* At libro ſecundo Codicis Theodoſiani, titulo *de feriis*, quem citant, nihil tale reperitur. Magis arridet altera ratio. Ethnici Kalendas Ianuarias plurimis ſuperſtitionibus, obſcœnitatibus ebrietatibúſque polluebant, vt Synodi, Turonenſis ſecunda & Altiſſiodorenſis, Fauſtinus & Eligius Epiſcopi Nouiomenſes, aliíque docent. Chriſtiani, quoniam flagitioſos paganorum ritus auerſabantur, iiſdem Kalendis ieiunabant teſte Fauſtino Epiſcopo [c], imò per triduum ieiunio ſe macerabant, priuatáſque pſallebant in Eccleſia Litanias, vt indicat prædictæ Synodi Turonicæ Canon decimus-ſeptimus. Porrò ſi laïci triduo ieiunabant, facilè credimus ieiunium ad ſeptem dies Monachis Lerinenſibus & Monialibus Arelatenſibus prorogatum fuiſſe, quibus plura quàm laïcis ieiunia præſcribi conſueuerant.

[a] In not ad Martyr. Rom. die 6. Ian.
[b] Die 6. Ian.
[c] Ap Bolland. die 1. Ian.

CXCIII. Quintò, Cæſarius ab Epiphania vſque ad Quadrageſimam decernit quâlibet hebdomadâ ieiunandum eſſe feriis ſecundâ, quartâ & ſextâ. *Ab Epiphania*, inquit, *vſque ad hebdomadam Quadrageſimæ, ſecundâ, quartâ & ſextâ feriâ ieiunandum eſt.* Ita editiones Duacenſis & Romana. Seuerior eſt idem Cæſarius in Regula Monachorum, ibi enim duabus hebdomadibus, quæ Quadrageſimam præcedunt, quotidie ieiunandum, exceptis diebus Dominicis, ita decernit. *A Domini Natale vſque ante duas hebdomadas de Quadrageſima, ſecundâ, quartâ & ſextâ, inde poſteà vſque ad Paſcha, omni die ieiunandum, abſque die Dominicâ.* Hæc autem ſanctio, quæ diſciplinam auſteriorem inducit, ex Regula Monaſterij Lerinenſis cenſetur deſumpta.

CXCIV. Sextò, Cæſarius in Appendice nihil diſtinctè præſcribit de ieiunio Quadrageſimali, ſed in Regula Monachorum [d] ab initio Quadrageſimæ vſque ad Paſcha quotidie ieiunandum docet, ſi diem Dominicam excipias, nec dubium eſſe debet, quin & idem ieiunium cùm à Monachis Lerinenſibus tum à Monialibus Arelatenſibus obſeruatum fuerit.

[d] Cap. 12.

CXCV. Septimò, Cæſarius à Paſchate ad Pentecoſten ieiunium indicit quâlibet feriâ ſextâ. *Poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten ſextâ feriâ ſemel reficiendum eſt.* Auſterior eſt in Regula Monachorum [e], à Paſchate enim ad Pentecoſten, imò ad menſem Septembrem ieiunium feriis quartâ & ſextâ præſcribit. *A ſancto Paſcha vſque ad menſem Septembrem, quartâ & ſextâ tantùm ieiunandum.* Atque hâc ſanctione Regulam Monaſterij Lerinenſis creditur expreſſiſſe.

[e] Cap. 12.

CXCVI. Altera pars capitis tertij, quâ Cæſarius numerum ferculorum ac potionum definit, corruptè apud Bollandum, meliùs apud Stellartium & Holſtenium ſic effertur. *Cibaria omnibus diebus in ieiunio tria, in prandio bina tantummodò præparentur. In feſtiuitatibus maioribus ad prandium & ad cœnam fercu-*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

la addantur, & recedentibus de eâ dulciamina addenda sunt. Quotidianis verò diebus ad prandium in æstate binos caldellos, in hyeme ad prandium binos caldellos, ad refectionem ternos caldellos accipient, ad cœnam verò bini caldelli sufficiunt. Iuniores verò ad prandium, ad cœnam, ad refectionem binos accipiant. Sanctus igitur Cæsarius tria fercula vult præparari diebus ieiuniorum ad refectionem; aliis diebus duo in prandio, totidem in cœnâ, nam prandium hic opponit ieiunio, duóque attribuit fercula singulis comestionibus, quæ fiunt illis diebus, quibus ieiunium non indicitur. Clariùs in Regulâ [a] Monachorum mentem suam sic aperit. *Cibaria in ieiunio tria, in prandio verò & in cœnâ duo tantùm præparentur.* Concedit autem, vt in maioribus festiuitatibus & numerus ferculorum augeatur, & addantur dulciamina. Locus hic in multis exemplaribus est corruptus. Editio Antuerpiensis sic habet. *In festiuitatibus maioribus ad prandium & ad cœnam fercula addantur, & recentes de dulciamina addenda sunt.* Franciscus Meinardus Antecessor Pictauiensis iampridem legendum putauit, *& recedentes de dulciamine augenda sunt.* Prosper Stellartius & Lucas Holstenius posteà reposuerunt, *& recedentibus de eâ*, nempe cœnâ, *dulciamina addenda sunt*, vt velut auctarij loco Moniales in festiuitatibus maioribus aliquid dulciaminis accipiant à prandio vel cœna recedentes. In Regulâ sancti Pachomij mentio fit dulciaminum. Præceptum enim triceſimum-septimum ita concipitur. *Qui ante fores conuiuy egredientibus erogat fratribus dulciamina *, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis.* Et ad huius præcepti marginem exprimitur, *aliquid fructuum aut mellis*, quod per istiusmodi dulciamina debeat intelligi. Dubium non est quin dulciamina dulciores ac delicatiores cibos designent. Veteres glossæ Græcolatinæ γλυκωτόριον exponunt dulciarium, cuius artifices Latinè dulciarij vocantur. Quod attinet ad potiones, Cæsarius, quot fercula, tot potiones concedit, duas in prandio, totidem in cœnâ, tres in ieiunio seu refectione. Nec aliter præcipit in Regulâ Monachorum [b], *in prandio binas biberes, & in cœnâ accipiant, & in ieiunio ternas.* Porrò caldellos & biberes in eâdem accipe significatione, quamuis caldelli vascula sint ceruisiæ aut zythi, biberes verò pro cuiuslibet liquoris, etiam vini, hausto seu sorbitione sumantur. Hæc obseruatio demonstrat Monachos Lirinenses haud vsos vino. Menardus ex vitis Patrum [c] interprete Pelagio sequentem textum allegat [d]. *Narrauerunt quidam Pastori Abbati de quodam Monacho, qui vinum non bibebat, & dixit eis, quia vinum Monachorum omnino non est.* Ad istam Pastoris Abbatis responsionem alludit sanctus Benedictus [e], ait enim se consentire vt singulis Monachis hemina vini tribuatur, licet legerit *vinum omnino Monachorum non esse.* Vinum Monachis prohibet sanctus Pachomius, de illis enim, qui propinquos ægrotantes extra Monasterium adeunt ita loquitur [f]. *Si eis affines vel cognati præparauerint cibos & apposuerint, non accipient omnino, nec vescentur nisi his quæ in Monasterio comedere consueuerunt, non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi consuetudinem non habent.* Orientales Monachi, teste sancto Augustino [g], *à vino abstinent.* Vt autem Apostolus [h] Timotheo discipulo dolenti stomachum & frequentes infirmitates passo concedit vsum modici vini, sic & monasticarum legum conditores, cùm vinum interdicunt Monachis, nolunt infirmos sub illâ præceptione comprehendi. Testis ipsemet sanctus Pachomius [i] in Oriente, sancit enim, vt *vinum & liquamen absque loco ægrotantium nullus contingat.* Testis & in Occidente sanctus Martinus, nam prope Turonicam ciuitatem Monasterium erexit, in quo *vinum nemo nouerat nisi quem infirmitas coëgisset*, vt Seuerus [k] in eius vitâ testatur. Sanctus Cæsarius haud minùs prudenter agit, minúsve benignè. Nam statuta Lerinensia, quæ vetant ne Monachi vinum bibant, ad Regulam Monialium Arelatensium sic traducit, vt modico vino sinat & eas vti quæ coquunt, & eas quæ vel infirmæ sunt vel delicatiùs enutritæ. *Quæ coquent*, inquit capite duodecimo, *singuli illis meri pro labore addantur.* Et capite duo-

[a] Cap. 22.

* Holsten. *Tragemata.*

[b] Cap. 22.

[c] Lib. 4. n. 31.
[d] In not. ad concord. regul. c. 49. paragr. 1.
[e] Can. 40.

[f] Cap. 54.

[g] De mor. Eccles. c. 31.
[h] 2. Timoth. cap. 5.

[i] Cap. 45.

[k] Cap. 7.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

detricesimo. *Ante omnia coram Deo & Angelis eius obtestor, vt nulla de sororibus vinum occultè aut emat, aut vndecunque transmissum accipiat, sed, si transmissum fuerit, præsente Abbatissâ vel Præpositâ, Posticiariæ accipiant, & Canauariæ tradant, & per ipsius dispensationem, secundùm institutionem Regulæ, illi cui transmissum est, quomodò infirmitati suæ conuenit, ita dispensetur. Et quia solet fieri, vt cella Monasterij non semper bonum vinum habeat, ad sanctæ Abbatissæ curam pertinebit, vt tale vinum prouideat, vnde aut infirmæ, aut illæ quæ sunt delicatiùs nutritæ, palpentur.* Denique Cæsarius duos duntaxat caldellos non tantùm in prandio & in cœnâ sed etiam in refectione iunioribus tribuit, quia præter refectionem, quæ ieiunantium propria est, altera comestio propter iuniorem ætatem illis conceditur. Huc vsque de constitutionibus Lerinensibus, quas ex scriptis beati Cæsarij deprehendere potuimus.

CXCVII. MONASTERIVM AGAVNENSE.

Cùm Ostrogothi suas in Galliâ ditiones Francis concesserunt, in Alpium Graiarum & Penninarum Prouincia florebat Agaunense Monasterium virorum in Octodorensi Diœcesi, quod nunc etiam est celeberrimum, vulgatioríque nomine nuncupatur Cœnobium sancti Mauritij, quoniam ibi beatorum Martyrum Thebæorum, quorum Dux Mauritius erat, asseruantur reliquiæ. Anno Christi quingentesimo decimo-quinto, Florentio & Anthemio Consulibus, Agaunense Monasterium à Sigismundo Rege constructum fuit, & anno sequenti, Petro Consule, idem Sigismundus post Gundobadi patris obitum leuatus est Rex, vt obseruat Marius Auenticensis in suo Chronico. Hic Auctor sub Guntchramno Francorum Rege, Clodouei Magni nepote, vixit; Sigismundum Regem appellat sub Consulatu Florentij & Anthemij, quamuis Gundobadus Burgundiæ Rex, ipsius Sigismundi pater, in viuis adhuc superesset; vsu enim receptum erat eâ ætate, vt Regum filij Reges vocarentur. Sigismundus Arianæ perfidiæ nuncium haud pridem remiserat, Gundobadus seu Gundobagaudus filio longè infelicior in impietate perseuerauit. Errant qui scribunt erigendi Monasterij causam Sigismundo fuisse, quòd Segericum filium falso parricidij crimine à nouerca insimulatum iussisset enecari, Segericus enim patre præcipiente interemptus est sub Consulatu Symmachi & Boëtij, vt Marius iam laudatus annotauit, id est, anno Christi quingentesimo vicesimo-secundo, siue anno septimo ab Agaunensis Cœnobij conditu. Sigismundus, vt necem Segerico illatam expiaret, non erexit Monasterium Agaunense, sed illud à se iam constructum ditauit locupletiùs.

CXCVIII. ABBATES AGAVNENSES.

[a] D. 11. Febr.

[b] Tom 4. Gall. Christ. in Agaun.

Bollandus in prætuio commentario, quem vitæ sancti Seuerini præfixit [a], ex antiqua Historia Agaunensi primos recenset Abbates Agaunenses, Hinmemodum, Ambrosium & Achiuum, sub cuius successore Tranquillo Scriptor operi suo finem imposuit. Hinmemodus, qui vocatur Hymnemondus in charta quam Sammarthani [b] publicarunt, & Innemondus in catalogo Agaunensium Abbatum quem Ioannes Fronto iisdem Sammarthanis communicauit, primus fuit Abbas Agaunensis. Quando Agaunum euocabatur, voluit vt Achiuus in Greuencensis Monasterij regimen sibi succederet, quod cùm ille recusaret, annuit vt secum Agaunum veniret. Agaunensi præfecturâ haud diu potitus est, sic enim de illo loquitur Auctor Historiæ prælaudatæ. *Psallendi interim vel subsistendi Regula instituta sancto Hinmemodo à cœtu Episcoporum, qui illic ad constituendum Monasterium venerant, traditur. Nec multùm pòst ad Christum de hac luce migrauit.* Hinmemodo successit Ambrosius. *Omnia bona temporibus eius & Monasterio Agaunensi & regno & regioni largitio diuina concessit* teste eâdem Historiâ, vnde conijcimus ipsummet Ambrosium obiisse ante annum Christi quingentesimum vicesimum-tertium, quo Sigismundus Burgundiæ Rex in Francorum potestatem captiuus venit. Duo illi Agaunenses Abbates numero Sanctorum adscribuntur, Hinmemodus siue Innemondus in Abbatum catalogo quem Ioannes Fronto Sammarthanis ex Agaunensi chartophylacio descriptum suppeditauit, Ambrosius in Martyrologiis [c] Vsuardi & Adonis. Ado vult Ambrosium Insulæ Barbaræ prope Lug-

[c] D. 1. Nou.

duni

duni muros Abbatem extitisse, priusquàm Agaunum proficiscereturNihil simile reperitur apud Vsuardum ipso Adone antiquiorem. Certè sanctus Ambrosius Agaunensis Abbas non alius fuit ab Ambrosio Monacho, qui cum Hinmemodo & aliis Agaunum venit, sedente tunc Octoduri Theodoro Pontifice, id est, ante annum Christi quingentesimum decimum-septimum, quo Constantius Theodori successor Epaonensi Concilio subscripsit, seu multis annis antequàm in Lugdunensem Antistitem assumeretur sanctus Lupus, sub cuius Pontificatu floruit Ambrosius Abbas Insulæ Barbaræ. Miramur in Agaunensium Abbatum catalogo sanctum Hinmemodum siue Innemondum inter duos Ambrosios medium collocari. Expungendus est proculdubiò prior Ambrosius, & Abbatum Agaunensium series inchoari debet à sancto Hinmemodo, cui successit sanctus Ambrosius, tum Achiuus, qui Frontoni est Athinus, idemque videtur esse cum sancto Acino, cuius mentio fit in charta quam Sammarthani ex Agaunensi tabulario euulgarunt. Achiuo siue Athino subrogatus est sanctus Tranquillus, vt ex Agaunensium Abbatum catalogo constat. Ineunte sancti Tranquilli præfecturâ scribebat Auctor historiæ præcitatæ, testatur enim ob recentem exequiarum memoriam se penè lachrymis impediri, quominùs enarrare possit res præclarè gestas ab Achiuo Abbate, *cuius vitam*, inquit, *sanctissimam commemorare lacrymis penè piis impedior, sed inter eros gemitus quantùm valeo explicare curabo*. Cùm autem Achiuus Agaunum cum Hinmemodo venerit, in eáque tum fuerit existimatione vt ab ipso Hinmemodo dignus haberetur qui Monasterij Greuencensis administrationem susciperet, nobis facilè persuademus eum priùs obiisse quàm Diœcesis Octodorensis, in qua situm est Agaunum, Francicis ditionibus accederet, & catalogum Agaunensium Abbatum, qui sub Francorum Regum dominatione vixerunt, à sancto Tranquillo inchoandum putamus.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

CXCIX. REGVLA AGAVNEN.

Agaunenses Monachi peculiarem Regulam obseruarunt. Hanc à se relatam in literas, *Sancto Marino Presbytero, insulæ Lirinensis Abbate, compellente*, testatur vetus Anonymus in vita sancti Eugendi Abbatis Iurensis. Extat Regula Tarnatensis, vel, vt in quibusdam Codicibus legitur, Regula Tarnatensis Monasterij. Monasterium autem Tarnatense plerisque non aliud videtur ab Agaunensi, nam Tarnadæ locus, cuius meminit Antoninus Augustus in Itinerario, idem putatur cum Agauno. De viculis ad sinistram Rhodani ripam sub Octoduro sitis ita loquitur Simlerus [a] in descriptione Vallesiæ *. *Sub Octoduro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur, Iuuiana, Seruantia, Veroſa, mox Tarnadæ oppidum. Tarnadæ autem Antoninum secuti oppidum hoc nominamus, veterum plerique Agaunum nominarunt. Extant hoc loco vetustissimæ inscriptiones, quæ antiquitati testimonium perhibent.* Tarnatensis Regula conformis admodum est Regulis sanctorum, Pachomij, Augustini & Cæsarij. Citatur sæpiùs in Concordia Regularum. Capitibus viginti tribus repræsentatur in manuscriptis exemplaribus sancti Maximini Treuiris & sancti Pantaleonis Coloniæ, vt Benedictus Haeftenus in Monasticis Disquisitionibus [b] obseruauit. Prodiit in lucem ex Codice Lucæ Holstenij, totidémque capitibus distincta reperitur.

[a] Lib. 1.
* *Le pays de Valays.*

[b] Lib. 1. tract. 7. disquis. 9.

CC. NEOPHYTI PROBANDI.

Caput primum. *Si quis fidei ardore succensus, renuntians seculo, Monasterium magnâ dispositione elegerit expetendum, nouitati * eius non confestim licentia tribuatur intrandi, sed primùm studiosiùs indagetur, vtrùm voluntariè an necessitate aliquâ coactus aduenerit, aut si nullâ seruitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cùm ad Abbatis notitiam Præpositо nuntiante pernenerit, vni de Seniоribus deputatus tamdiu iubeatur aduenientibus deseruire, quousque deuotio eius fuerit patientiâ teste demonstrata. Sequitur vt informetur disciplinis regularibus, & quæ facere debeat, quibúsque eum conueniat seruire, cognoscat. Deinceps omnis Regulæ constitutio relegatur, & ad comprobandam obedientiam eius, dura ei & aspera præcepta mandentur, nihil in proprietate de his quæ secum exhibuit habiturus. Sed si eius votum tale est, vt quæ sua Monasterij vsibus conferre desideret,*

* *Nouitati eius.* desunt hæ voces in concord. Regul. c. 65. §. 17.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

oblationem eius ad integrum deuotio sincera commendet, & super altare statuat, vnde reposci aliquid sacrilegium indicatur. Si pecora cuiuslibet generis ad Monasterium commigraturus adduxerit, ab Abbate pretium consequatur, cui de eodem pretio faciendi quod voluerit non negetur. Quæ si Abbas noluerit comparare, cui voluerit vendere permittatur; aut quod melius est, Præposito vendenda committat; pretium verò, vt iam dictum est, ab eo cuius res fuerant dispensetur, dummodò in eius nihil potestate resideat. Nefas est enim, vt qui decipulam huius seculi intendit euadere, reseruet vnde eum infestatio diabolica valeat irretire. Clientem verò & famulum aut parentem secum exhibens, si postulet in consortio Religionis admitti, simili examinatione probatum fratribus conuenit aggregari, & qui fuerat ei antè in seruitute subiectus, frater est in Domini positus seruitio computandus, quia apud Deum, vt Apostolus docet, nulla est acceptio personarum. Ille tamen, qui de humili conditione est in germanitatis æqualitate susceptus, non aliquo elationis tumore superbiat, sed per humilitatem in eo quæ bona sunt conualescant, & non solùm ei, cui æqualis effectus est, sed fraternitati omni, vt verus famulus Christi, cum pietate & humilitate deseruiat. Quia sicut is, qui maior videbatur in seculo, per humilitatis affectum frater vocatur ex Domino, ita ille sui memor conditionem suam, non altiora petendo despiciat, sed testimonio humilitatis exaltet, vt apud Deum inueniat gratiam. Et nisi expleto anno nullus mutare habitum permittatur. Sed si poscentis fuerit tanta compunctio, vt hoc sibi suplicatione assiduâ exigat non negari, quod vni fideliter poscenti conceditur, non quasi licitum habeatur. Vestimenta quoque secum delata, quæ primi anni vsus non valet expendere, redacta in pretium, cui Abbas præceperit, tribuantur, quia cum alia meruerit indumenta, priores exuuiæ in sua non erunt potestate, vt exterioris hominis immutatio cum interioris profectu plenâ ratione conueniat. Nihil de his quæ perceperit, ei sit licitum commutare, nec pro abiectione viliora, sed qualiacumque fuerint attributa, cum gratiarum actione suo tantùm vsui vindicabit. Hoc caput totum est de suscipiendorum fratrum disciplina, circa quam nonnulla sunt annotanda. Iuxta probationem, quam hæc Regula faciendam præcipit, priusquàm in Monasterio suscipiatur is qui suscipi desiderat, nec impuberes admittendi sunt, nec serui. De seruis nulla prorsus difficultas, hi enim nec Clericis neć Monachis accensebantur, nisi dominorum, sub quorum potestate erant, consensus accessisset. De impuberibus non ita conuenerunt omnes, nam sanctus Benedictus pueros in minori ætate à parentibus oblatos suscepit, vt fusiùs ad illius Regulam [a] exponemus. Fratri suscipiendo liberum relinquitur, vt facultates suas, quibus exuere se debet antequàm Monachus fiat, cui voluerit aut donet aut vendat. Si quas autem Monasterio tradere velit, earum oblationem iubetur statuere super altare, quia ex altari aliquid reposci sacrilegium iudicatur. Olim earum rerum, quæ Deo offerebantur, chartæ super altare ponebantur, vt is qui offerebat magis astringeretur. Hoc de ritu plura nos inferiùs ad Regulam sancti Benedicti, cuius interim capita LVIII. & LIX. potes consulere. Cetera, quæ primo capite Tarnatensis Regulæ continentur, aliis Regulis, quas superiùs exposuimus, adeò conformia sunt, vt in iis diutiùs immorari superuacaneum videatur.

PER ANNVM IN HABITV LAICO.

[a] Cap. 59.

CCI. Caput secundum. *Nulli liceat sequestratam eligere mansionem, nec armariolum, aut aliquid simile, quod peculiariùs claudi possit, permittatur quasi proprium vindicare. Viam solus, nisi comitatus fratris contubernio, non assumat. Reuertentes ea quæ foris agi viderint, referre non audeant, nisi illa tantùm quæ ædificent audientes. Posito seniore vereatur iunior in præsumptionem loquacitatis erumpere, sed, vt sæpè contingit, si simplicioris naturæ fuerit senior, tunc iunior quæ ei præcepta fuerint exequatur. Festiuitate quâlibet celebrem Monachum, nisi permissum, non licebit expetere, quia orantem secretiùs palàm Dominus Euangelio adstipulante est pollicitus se auditurum.* Prima pars huius capitis legitur iisdem penè verbis in Regulis Cesarij [b]. Quæ de Monachis in viam directis proximè subiiciuntur, habentur [c] in Regula Pachomiana, vt *nullus solus foras mittatur*

[b] Regul. Monach c. 1. Reg. Monial. c. 7.
[c] Capp. 56. 86.

ad aliquod negotium, niſi iuncto ſi altero, &, ſi quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in Monaſterio quæ ibi geri viderit. AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Caput tertium. *Si quis vero à fratribus in quocunque negotio ad ciuitatem aut ad caſtellum, ſine ad vicum ſeniore imperante dirigitur, niſi ad illum, quò deſtinatur, non præſumat accedere. Spiritalem ſe fieri patrem ſine Abbatis imperio nullatenus acquieſcat, ſed ſi cauſa tantæ neceſſitatis extiterit, aut cuiuſcunque fidelis perſonæ precibus inclinatus interdicta non valet effugere, quod contradicenti cognoſcitur impoſitum, caritatis intuitu eſt omnimodis admittendum.* Auſterior eſt ſanctus Cæſarius, nullâ enim adiectâ exceptione generalem ſanctionem edit in Regulâ [a] Monachorum, vt *filium de baptiſmo nullus excipiat*, & in Regulâ [b] Monialium, vt *nulla cuiuſlibet filiam in baptiſmum, neque diuitis neque pauperis, præſumat accipere.* CCII. MONACHVS NON FIAT PATRINVS. [a] Cap. 10. [b] cap. 11.

Caput quartum. *Cum extraneâ muliere colloquutiones abſque teſtibus, Canonum auctoritate legitimâ prohibentur, matrum etiam & germanarum fabulis eos miſceri ſecretiùs nullatenus concedatur, ne in ipsâ nouitate militiæ conſtitutos ſeculari præſumptione ſubuertant. Et non à maiore conceſſâ licentiâ nullus qualibet parte diſcedat. Nauigium etiam ad vlteriorem ripam ſine imperio ſenioris tranſuehere non præſumat, nec capillos barbámque ſuccidat, aut funiculum vel quodlibet aliud facere audeat, niſi hoc relaxatio ſenioris admittat. Veſpertinis & nocturnis horis, quibus fratres alij conquieſcunt, qui à manſione aut lectulo ſuo deeſſe cognoſcitur, corripientibus ſenioribus caſtigetur, & in ipsâ quiete poſitus alter alteri non loquatur.* Huc ſpectant ea, quæ ſanctus Pachomius ſcribit capite nonageſimo-ſexto ſuæ Regulæ. *Nullus attondeat caput abſque maioris arbitrio.* Et capite centeſimo duodeuiceſimo. *In nauibus quoque ſimilis diſciplina eſt. Nemo autem à terrâ ſoluet funiculum abſque iuſſione Patris, ne lembum quidem.* CCIII. SOLVS CVM MVLIERIBVS NON LOQVATVR. NIHIL FACIAT SINE LICENTIA SENIORIS.

Caput quintum. *Qui ſigno dato ad opus Dei, vel ad quæcunque opera tardiùs venerit, excluſus pro reatu tanti facinoris confundatur. Pro qualibet etiam culpâ, quamlibet aſpera fuerit, increpatione correptus, reſpondere neſas iudicet arguenti, ſed humiliando ſe emendationem delicti doceat ſecuturam, quia Deus humilibus daturum ſe gratiam repromiſit. Cum eo, qui pro admiſſâ culpâ ab orationis vel à menſæ conſortio remouetur, præter eum, qui eiecti fratris amaritudinem, doctrinæ & caritatis poſſit admixtione dulcare, nullus audeat conferre ſermonem.* Habet ſimilia Cæſarius [c] in ſuis Regulis. Seuerior aduerſus excommunicatos Caſſianus [d], nemini prorſus eos adeundi licentiam indulget. CCIV. TARDE NON VENIAT AD OFFICIVM DIVINVM ET AD OPVS QVOTIDIANVM. ARGVENTI NON RESPONDEAT. [c] Reg. Monach. capp. 11. 23. reg. Monial capp. 10. 11. 31. [d] Lib. 2. c 16.

Caput ſextum. *In Vigiliis, dum lectiones cunctis reſidentibus releguntur, vel quando orationi incumbunt, intrandi aut exeundi facultatem ſibi nullus æſtimet fuiſſe conceſſam. Qui verò communis neceſſitatis cauſâ compellitur, pſallentibus aliis ſine cuiuſquam reatus timore diſcedat, continuò ad opus quod agitur reuerſurus. Et qui aliis orantibus vel pſallentibus fabulari præſumpſerit, non ſolùm fraternitati ſed etiam diuinitati reum ſe eſſe non dubitet. Illud eſt etiam ſtudendum, ne ſomnum manus otioſæ inuitent, atque ideò hæc erunt opera in Vigiliis facienda, quæ mentem non occupent aut grauent operantis auditum, ſed quæ ſoporis poſſint repellere torporem. Orationi autem & verbo Dei nihil eſt præponendum. Dominicâ verò nocte, pro reuerentiâ Reſurrectionis Dominicæ, manuum opera conquieſcant, quod & certis ſolemnitatibus conuenit obſeruari.* Poſteriori huius capitis parti conformis eſt Cæſarius in Regulâ [e] Monialium. *In Vigiliis*, inquit, *vt nemo per otium ſomno grauetur, ea opera fiat, quæ mentem non retrahat à lectionis auditu.* CCV. A QVIBVS ABSTINERE DEBEAT CVM PSALLITVR. [e] cap. 13.

Caput ſeptimum. *Meditantibus etiam fratribus nulli liceat rebus ſe aliis implicare, nec liberum indicet ab ſcholâ, vel vbi meditantur fratres, diſcedere. Qui verò in hac præſumptione proruperit, excommunicationi, vt dignum eſt, ſubiacebit. Cellulam alterius, præter Abbatem & Præpoſitum, niſi dato ſigno, eſt illicitum introire, quia ipſis tantùm conceditur fratrum ſecreta cognoſcere, & qualiter ſe vnuſquiſque agat, occultâ inſpectione perquirere. Et vbi artifices operantur, abſque ſuprascriptis perſonis, nullus præſumat accedere. Aduenientibus quoque nihil præter* CCVI. CELLVLAM ALTERIVS NON INTROEAT.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

humilitatis affectum & debitum famulatum iunior exhibebit, & curam habere de causâ quâ venerit, quandoque reuersurus sit, non præsumat, quia hoc seniorum solicitudo non iuniorum præsumptio debet inquirere. Sanctus Benedictus Anianæ Abbas hoc caput descripsit in Concordiâ Regularum capite septuagesimo secundo *de fratribus in viâ directis*, & Hugo Menardus Monachus Benedictinus illustrauit breuibus notis atque obseruationibus, quarum hæ sunt præcipuæ. *Meditari* sumitur pro *legere* & *discere*. Vt in Regulâ Pauli [a] & Stephani. *Neque ad meditandas litteras vel Psalmos aut Lectiones quisquam ex suâ quasi potestate præsumat.* Et apud Bedam [b], qui Aidanum Episcopum sic commendat. *In tantum vita illius à nostri temporis segnitiâ distabat, vt omnes, qui cum eo incedebant, siue adonsi siue laici meditari deberent, id est, aut legendis scripturis aut Psalmis discendis operam dare.* Hæ voces *absque suprascriptis personis* à Menardo sic exponuntur *absque permissu supradictarum personarum.* Hanc interpretationem confirmat sanctus Aurelianus, statuit enim in Regulâ [c] Monachorum, vt *nullus honorem Presbyterij aut Diaconatus accipiat præter Abbatem*, id est, præter permissionem Abbatis. In Regulâ tamen Tarnatensi præpositionem, *absque*, pro præpositione, *præter*, arbitramur positam, vt apud Cassianum in hac phrasi, *nulla vox absque Sacerdotis precem concludentis auditur*, & quemadmodum ille Cassiani textus, *absque Sacerdotis* supple *voce*, per præpositionem, *præter*, sic exponi debet, *præter Sacerdotis vocem*, vt sensus sit nullam vocem præter vocem Sacerdotis precem concludentis audiri, sic & hanc loquendi formulam, *absque suprascriptis personis*, in Regulâ Tarnatensi per præpositionem, *præter*, hoc modo resoluimus, *præter suprascriptas personas*, vt *vbi artifices operantur, absque suprascriptis personis*, id est, præter suprascriptas personas, Abbatem videlicet & Præpositum, *nullus præsumat accedere.* Talis autem sanctio manauit ab hac Pachomij [d] præceptione. *Ad tabernaculas diuersarum artium soli pergent Præpositi, vt accipiant quod necessarium est.*

[a] cap. 32.
[b] Lib. 3. c 5.
[c] cap. 46.
[d] cap. 111.

CCVII. Caput octauum. *Increpare iunior non audeat seniorem, sed si extra Regulam aliquid fieri aut factum esse cognoscit, Abbati est aut Præposito reseruandum, vt correctione regulari, quod reprehenditur, corrigatur. Quæcunque ab aliquo absque testibus admittuntur, si ad Abbatis notitiam peruenerit, secretiùs emendetur; si omnibus innotuerit, coram omnibus est reus admissi criminis arguendus. Qui cogitationum impugnationes consolationis suæ causâ secretiùs confitetur, non oportet eum despici, nec aliis publicari, sed quantùm in se est, blandâ exhortatione foueri. Qui aliis secretâ meditatione psallentibus inconuenienter fuerit locutus, regulariter arguatur. In quocumque ergo opere aut meditabuntur*, id est, cantabunt, *quæ sancta sunt, aut certè silebunt. Ad mensam loqui specialiter, nisi qui interrogatus fuerit non præsumat. Quòd verò necessarium victui fuerit, Præpositum decet agnoscere, & quod secundùm consuetudinem deest, secretiùs iubeat ministrari. Sedentes ad mensam lectionem quæ legitur cum silentio audiant, si verò defuerit persona lectoris, adinstar cibi sanctarum scripturarum meditatio ruminetur, ne escam tantùm corpus accipiat, sed & verbo Dei anima pascatur esuriens. Orationibus vacate horis & temporibus institutis; Psalmis & Hymnis cùm Dominus exoratur, ea plantentur in corde, quæ proferuntur in voce. Arator stiuam tenens Alleluia cantet; sudans messor Psalmis se auocet; & dum palmitem curuum tondet vinitor falce, aliquid Dauidicum canat. Hæc, sint vestra carmina; hæc, vt vulgò aiunt, amatoria cantiones; hæc, pastorum sibilus; hæc, instrumenta cultura. De his, quæ huius seculi homines agunt, nihil curæ sit Monachis, sed meditatio cordis eorum in timore Domini sit intenta.* Habent pleráque his conformia, sanctus Augustinus in Regulâ Monialium capite quarto, sanctus Cæsarius in Regulâ Monachorum capite nono, & in Regulâ Monialium capitibus decimo-sexto & vicesimo, necnon sanctus Pachomius capite tricesimo-tertio.

TACEAT AD MENSAM.

CCVIII. VACET DIVINO OFFICIO ET OPERI QVOTIDIANO. Caput nonum. *Omni tempore, duabus horis in die, spirituali meditationi vacabunt. Æstatis verò tempore, Matutinis ex more completis, & Primâ dictâ, om-*

nes opera, quæ iubentur, assumant. Deinde Tertiâ celebratâ, ad expedienda, quæ susceptæ fuerant, reuertantur, nec collocutione quarumcumque fabularum secularium occupentur, nisi fortasse hoc proferat sermo relatoris, quod animam ædificet audientis. A Sexta quoque hora vsque ad Nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam verò Nonam, aut in horto, aut vbi poscit vtilitas, vsque ad horam Lucernary omnes in vnum solatium commodabunt. Hyemis verò tempore, Matutinis vel Primâ transactis, omnibus vsque ad Tertiam vacare conceditur lectioni. Quâ consummatâ, gratanter quod eis iniunctum fuerit, implere festinent, vt iam dictum est, vsque ad horam Lucernarij. Hi verò qui deputati esse videntur culturæ, hâc obseruatione constringi pro operis assiduitate non possunt, sed, vt tempus exegerit, aut labor eorum opera iniuncta monstrauerit, sic consideratione Præpositi gubernentur, binis & ipsi horis lectioni nihilominùs vacaturi. Quando messes & vindemiæ colliguntur, bis in die, id est, horâ sextâ & duodecimâ, refectionem accipiant. Quartâ verò vel sextâ feriâ ita moderari opera debent, vt, si fieri potest, statuta ieiunia non omittant. Sed vniuersa, prout vtilitas aut labor exegerit, ita senioris iudicio deponantur. Nemo tamen extra Monasterium manducet aut bibat, hoc enim Regulæ non recipit disciplina, vt vel poma vilia resumantur; aquam ipsam ante refectionem legitimam bibere non præsumant. Initio huius capitis, *spiritualis meditatio* sumitur pro lectione, à qua ne quidem eximuntur Monachi, qui culturæ deputantur, nam *binis & in ipsis horis lectioni nihilominùs vacaturi* dicuntur. Cetera clara sunt, supponúntque diei diuisionem in duodecim horas æquales, de qua nos suprà.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Caput decimum. *Quando panes faciunt, vel in omni ministerio corporali laborem suum mutuò releuabunt, & quamlibet cuicumque operi esse videantur intenti, orandi & psallendi tempora non omittant, vt dum escas eligunt præparare carnales, spiritaliter verbo Dei & bonæ conscientiæ meditatione pascantur. De quo tamen opere nullum deesse conuenit, nisi quem retentat infirmitas, aut quem Præpositus in alia caussa præceperit occupari. Ad cellarium verò talis ordinetur Abbatis iudicio vel concilio seniorum, non qui voluntates aliquorum sed necessitates omnium cum timore Domini & fratrum dilectione consideret, cui tamen, absente Præposito, concors obedientia præbeatur, & vbi vtilitas poposcerit, solatium non negetur.* Lege Cæsarium in Regula Monialium, capitibus duodecimo & duodetriceſimo.

CCIX. DE PISTORE. DE CELLERARIO.

Caput vndecimum. *Prouisores Monasterij tales oportet eligi vel ordinari, qui alios ædificare vitæ suæ probentur exemplo, quique eleemosynam Monasterio deputatam, vel ea quæ à fratribus colliguntur, summâ curâ pro Domini timore conseruent. Quia si creditam sibi famulorum Dei negligit seruare substantiam, sicut ait quidam Patrum, ladit Deum, & dispergens eam, rationem est Domino redditurus. Quæ verò ipsis fuerint pro Dei amore donata, in oblatione Monasterij adiuncta omni congregationi proficiant. Qui Apostolicam vitam optamus eligere, cur quasi propria vindicemus, quæ nouimus continuò peritura?* Cassianus[a] bona résque omnes, quæ ad vsum Monasterij Monachorúmque pertinent, *sacrum peculium* vocat, cuius interuersorem neglectorémque ab oratione suspendi solitum refert. Monachi enim, *non solùm seipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credunt Domino consecrata. Propter quod, si quid fuerit in Monasterio semel illatum, vt sacrosanctum cum omni decernunt reuerentia tractari, tantâque fide vniuersa procurant atque dispensant, vt etiam ea quæ despectui habentur, paruáque reputantur ac vilia, si vel loco mouerint, vel competentiùs collocauerint, si gillonem aquâ impleuerint, si ex eo cuiquam obtulerint ad bibendum, si tenuem festucam de Oratorio celláue submouerint, mercedem se consecuturos à Domino totâ credulitate confidant.*

CCX. DE PROVISORE.

[a] Lib. 4. c. 10.

Caput duodecimum. *Hortulanus ita debet constitui, vt & Præpositi & Cellerarij solatio subleuetur. Et quia olerum beneficiis cellariæ iuuantur expensæ, oportet vt secundùm dispensationem Cellerarij expendantur pariter & colantur. Ferramenta quoque omnia, & reliqua vtensilia ab vtraque persona conuenit custodiri, ita tamen vt vnicuique quod consignatum fuerit, cum diligentia & summa strenui-*

CCXI. DE HORTVLANO.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

tate custodiat, & nullus de alterius cella quod ad eum non pertinet, sine voluntate eius, in cuius datum est potestate, præsumat auferre. Quod qui facere nefandâ auctoritate præsumpserit, quia pro minimis rebus scandala generare non metuit, omni congregationi reus esse, dum prætermittit Regulam, doceatur. Nec quis sibi diei opus eligat faciendum, quod tamen constare debet in arbitrio senioris, vt quod vtile perspexerit iudicio suo, imperet faciendum. Nullus murmurando aliquid faciat, ne quorum sequitur exemplum, consequatur exitum. Nulli liceat ad parentes frequentius commeare, illi tamen personæ, quæ de proximorum salute probatur esse sollicita, certis quibusque temporibus requirendi aditus relaxetur. Quem tamen vehementer cauere decipulam seculi conuenit, ne dum alios putat posse acquirere, seipsum à Domino faciat alienum. Statuit etiam sanctus Cæsarius [a], vt *nemo sibi aliquid operis vel artificy pro suo libitu eligat faciendum*, & vt *nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili iudicio pereat murmuratorum.*

MONACHVS NIHIL AGAT CVM MVRMVRATIONE. AD PARENTES FREQVENTER NON EAT.

[a] Reg Monialium capp. 6. 16.

Caput decimum-tertium. *Ad conuiuium nuptiale fratrum nullus accedat, ne per lasciuiam secularium quæ sunt seculi recognoscat, &, quod absit, ad mundi huius vitam, etsi non corpore, animo reuocetur, sicut dixit beatissimus Cyprianus,* [*Adulterium dum videtur & discitur.*] *Qui ioculare aliquid, vel risui aptum in conuentu fratrum proferre præsumpserit, vel qui cum iunioribus verba otiosa narrare voluerit, aut habere amicitias ætatis infirmæ, increpationi, vt dignus est, subiacebit. Si quis quælibet inuenerit, inuenta non celet, & cognoscenda non occultet. Quòd si reperta vnius diei spatio conuincitur retentasse, furti contagio se maculatum esse cognoscat. Si quis eum, qui districtionem Monasterij non ferens, fugam meditatur, agnouerit, si non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tamdiu est à conuentu fratrum sequestrandus, quandiu ille valeat reuocari. Si quis hæc non omni virtute studuerit Domino placitura seruare, & semel ac secundò correptus non emendauerit reprehensa, iuxta ætatis formam conuenit vindicari.* In hoc capite, ab illo loco, *qui ioculare aliquid*, &c. multa decerpta sunt ex Regula Pachomiana [b]. Quæ verò supersunt decem capita Tarnatensis Regulæ, sumpta sunt ex epistola sancti Augustini centesima nona, quæ Regulam Monialibus præscriptam, & in capita viginti quatuor distributam complectitur. Extra cancellos operis nostri non diuagabimur, si Regulam illam sancti Augustini cum Tarnatensi conferamus. Pleraque enim à beato Augustino mutuati sunt non tantùm Auctor Regulæ Tarnatensis quam examinamus, & sanctus Cæsarius, cuius Regulas explicuimus, sed etiam sanctus Aurelianus aliique multi, quorum statuta in variis Francicarum ditionum Monasteriis complures Monachi Monialésque susceperunt.

CCXII. CONVIVIO NVPTIALI NON INTERSIT. ABSTINEAT A IOCIS. INVENTA NON CELET.

[b] Capp. 131. 132. 133. 166.

CCXIII. NIHIL HABEAT PROPRIVM.

Caput decimum-quartum. *Hæc sunt quæ in Monasterio constitutis pro Dei amore & timore conuenit obseruare. Propter quod in vnum estis pro timore Domini congregati, oportet vt in domo Domini vnanimes habitetis, & sit vobis anima vna & cor vnum in timore Domini perui-*
gilans, nihilque habere vos proprium re-
putetis, sed sint vobis cuncta communia, quæ vobis Abbatis imperio dispensentur, non æqualiter omnibus, sed sicut ratio dispensationis aut causa infirmitatis exegerit, vnicuique tamen, secundùm quod opus fuerit, tribuatur, sicut in Actibus Apostolorum legimus, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, sicut cuique opus erat. Qui enim aliqua habuerint in seculo, quando expetere Monasterium meruerint, libenter

REGVLA S. AVGVSTINI.

Caput primum. *Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in Monasterio constitutæ. Primùm propter quod estis in vnum congregatæ, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis cor vnum & anima vna in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrûm à Præposita vestra victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed vnicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erant ipsis omnia communia, & distribuebatur singulis prout cuique opus erat.*

Caput secundum. *Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt*

tradant omnibus profutura, ſtudentes vt cùm dimiſerint facultatem, ipſam ſimul concupiſcendi exuant voluntatem, & cùm dimittitur poſſeßio, abiiciatur & paßio. Qui autem non habuerunt, turpe eſt vt quærant quæ ſe non recolunt reliquiſſe. Et non ideo æſtiment ſe felices, quia inuenerunt in Monaſterio, quod foris inuenire non poterant, nec ſuperbiant quòd ſociantur eis, ad quos antè accedere pro diuitiarum vbertate, aut pro natalium ſplendore non poterant, ſed ſurſum cor habeant, & quæ ſunt caduca vel curſu celeri peritura non quærant. Vbi autem diuites humiliantur, pauperes non inflentur, ne incipiant Monaſteria vtilia plùs eſſe diuitibus quàm egenis. Nam & illi qui locupletes videbantur in ſeculo, fratres ad ſanctam ſocietatem ex paupertate venientes non faſtidiosè ſuſcipiant, ſed talium perſonarum ſocietate & contubernio gratulentur. Nec ob hoc extollantur, ſi ad iuuandas fraternitatis expenſas quamcunque facultatum ſuarum particulam contulerint, & inde poſtmodum cadant, vnde priùs aſcendere cupiebant. Quid prodeſt opes diſpergere & pauperem fieri pauperibus erogando, ſi anima miſera ſuperbior efficiatur diuitias contemnendo, quàm fuerat poßidendo? Omnes ergo in vnanimitate perſtantes honorate in vobis Deum, cuius templa effici meruiſtis. Inprimis diligamus Deum totâ virtute animi, deinde proximum, iſta enim nobis ſunt præcepta ſpecialiter data. Abbati poſt Deum impendatur honor, & reuerentia reſeruetur. Præpoſito, ſicut Dei ſeruos decet, plena dilectio & concors obedientia commodetur.

Caput decimum-quintum. *In Oratorio præter orandi & pſallendi cultum penitus nihil agatur, vt nomini huic & opera ingiter impenſa concordent, vt ſi aliquis præter conſtitutas horas Domino ſupplicaturus ingreditur, votum ſuum occupatio aliena non tardet. Nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Carnem veſtram mortificate per abſtinentiam, domate ieiuniis atque vigiliis; animam verò veſtram nitore bonæ conuerſationis abluite.* Prima pars huius capitis vſque ad illa verba, *vt ſi aliquis*, refertur primâ parte Decreti, diſtinctione quadrageſima ſecundâ, capite ſeptimo, ex epiſtolâ centeſi-

Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Quæ autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt, ſed tamen earum infirmitati quod opus eſt tribuatur, etſi pauperies earum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. At non ideò putent ſe eſſe felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt, nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quas foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor habeant, & terrena bona non quærant, ne incipiant Monaſteria eſſe diuitibus vtilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

Caput tertium. *Sed rurſus etiam illæ, quæ aliquid eſſe videbantur in ſeculo, non habeant faſtidio ſorores ſuas, quæ ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt, magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum ſororum ſocietate gloriari. Nec extollantur ſi communi vitæ de ſuis facultatibus aliquid contulerunt, nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eas in ſeculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas hîc malis operibus exercetur, vt fiant; ſuperbia verò bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, ſi anima miſera ſuperbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat poßidendo? Omnes ergo vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa facta eſtis.*

CCXIV. DE ORATORIO MONASTERII.

Caput quartum. *Orationibus inſtate horis & temporibus conſtitutis. In Oratorio nemo agat, niſi ad quod eſt factum, vnde & nomen accepit, vt ſi aliquæ etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento quæ ibi aliquid agere voluerint. Pſalmis & Hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in voce, & nolite cantare niſi quod legitis eſſe cantandum, quod autem non ita ſcriptum eſt vt cantetur, non cantetur.*

Caput quintum. *Carnem veſtram domate ieiuniis, & abſtinentiâ eſcæ & potus, quantùm valetudo permittit.* Quæ ſequuntur in hoc capite Regulæ Augu-

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

mâ nonâ ſancti Auguſtini, ſed nec in iſtâ epiſtolâ nec in toto habetur Auguſtino. Allegatur ex eodem ſancto Auguſtino à Smaragdo in caput Regulæ Benedictinæ quinquageſimum ſecundum, quod eſt *de Oratorio monaſterij*, à Burchardo parte tertiâ capite octogeſimo, & ab Iuone parte etiam tertiâ capite ſeptuageſimo-ſecundo, ſed loco certo, vnde dicatur eruta, nullatenus notato. Qui ſanctionem illam in Regulâ Tarnatenſi primùm inuenerunt, cùm fortè neſcirent quid eſſet Regula Tarnatenſis, & aliquid ſimile in Regulâ ſancti Auguſtini legerent, eandem præceptionem à Regulâ Tarnatenſi ad ſcripta ſancti Auguſtini traduxerunt. Deinde quidam Iuris Canonici expoſitores, cùm nec Regulam Tarnatenſem vidiſſent, nec eius verba reperiſſent apud ſanctum Auguſtinum, palam dixerunt prolatum à Gratiano fuiſſe ſenſum beati Auguſtini, non verba.

ſtinianæ, conformia ſunt capiti Tarnatenſis Regulæ decimo-ſexto, ad cuius latus exſcribentur.

CCXV. DE INFIRMIS.

Caput decimum-ſextum. *Si attenuatus abſtinentiâ frater non valuerit ieiunia ſuſcepta portare, niſi prandij horâ completâ, aliquid accipere iudicet indecorum. Illis verò, qui incommodo detinentur, & deſignatas horas non poſſunt cuſtodire, licitè concedatur, vt percipiant quando poſſunt. Nec debet aliis moleſtiam generare, ſi largior illis fuerit victus impenſus, qui in conuerſatione ſeculari ſumptuoſiùs tractabantur. Atque ob hoc non beatiores æſtiment ſe videri, quos facit aut natalium mediocritas, aut conſuetudo alia fortiores. Nec feliciores iudicent, quibus in infirmitate præſtatur, quod ſanis pro obſeruantiæ rigore ſubtrahitur. Et, ſi eis, quos parentes delicatiùs aluerunt, victus aut veſtimenta largiùs tribuantur, non ob hoc debet commoueri fraternitas, quòd fortioribus corpore pro conſtitutione Regulæ denegatur, quod illis Caritatis conſideratione tribuatur, quia debet eſſe reſpectus, quanta amore religionis contempſerint, cuíque ſe abiectioni diuinâ inſpiratione ſubmiſerint. Nec debet ſupramemorata præſumptio paucis impenſa, ab vniuerſitate quaſi Canonica reputari. Æquum namque non eſt, vt in beatâ habitatione, vbi inclinantur diuites, pauperes erigantur. Sanè inæqualitate conſtricti, ita ſunt tractandi, vt vires incommoditate confectas velociùs præſtatio larga corroboret, nec in infirmitate manentibus diſcretionem victus afferat diſtantia perſonarum. Qui tamen cùm integram fuerint virtutem corporis aſſecuti, conſuetudinariis habenis abſtinentiæ teneantur, quia decet famulos Dei boni operis conſuetudinem non minuere, ſed augere. Quando autem aliqua non poteſt ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum ſumat, niſi cùm ægrotat. Cùm acceditis ad menſam donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite. Nec ſolæ vobis fauces ſumant cibum, ſed & aures percipiant Dei verbum. Quæ infirmæ ſunt ex priſtinâ conſuetudine, ſi aliter tractantur in victu, non debet aliis moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri, quas fecit alia conſuetudo fortiores. Nec illæ feliciores putent, quia ſumunt quod non ſumunt ipſæ, ſed ſibi potiùs gratulentur, quia valent quod non valent illæ. Et, ſi eis, quæ venerunt ex moribus delicatioribus ad Monaſterium, aliquid alimentorum, veſtimentorum, ſtramentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus & ideò felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantùm de ſuâ ſeculari vitâ illæ ad iſtam deſcenderint, quamuis vſque ad aliarum, quæ ſunt corpore fortiores, frugalitatem peruenire nequiuerint. Nec illæ debent conturbari, quòd eas vident amplius (non quia honorantur, ſed quia tolerantur) accipere, ne contingat deteſtanda peruerſitas, vt in Monaſterio, vbi quantùm poſſunt fiunt diuites laborioſæ, fiant pauperes delicatæ. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minùs accipere ne grauentur, ita poſt ægritudinem ſic tractandæ ſunt vt citiùs recreentur, etiamſi de humillimâ ſeculi paupertate venerunt, tanquam illis hoc contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cùm vires priſtinas recuperauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulas Dei tanto amplius decet,*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

decet, quanto minùs indigent, nec ibi eas teneat voluntas iam vegetas, quò necessitas lenarat infirmas. Illa se existiment ditiores, quæ fuerint in sustinendâ parcitate fortiores. Melius est enim minùs egere quàm plùs habere.

CCXVI. DE VESTIBVS.

Caput sextum. *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus, nec sint vobis tam tenera capitum tegmina ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia vel componat industria.*

DE MODESTIA IN INCESSV.

Caput septimum. *Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis quò itis, simul state. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod illiciat cuiusquam libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

Caput decimum-septimum. *Non sit notabilis habitus vester, nec intendatis vestibus placere sed moribus. Cùm autem proceditis, simul incedite. Cùm ad optatum locum, custodiente Domino, perueneritis, in vnum fraternitas cuncta subsistat. In incessu, in statu, in omni corporis motu nihil indecens videatur, quod intendentis offendat aspectum, sed illis operam date, quæ vestræ conueniunt sanctitati.* Auctor huius Regulæ, cùm ad caput sextum Augustinianæ peruenisset, meritò prætermisit nonnulla, quæ non ad viros sed ad fœminas tantùm pertinebant.

CCXVII. DE CASTITATE.

Caput duodeviceſimum. *Oculi vestri, si in quacumque parte porrecti vultum incurrerint fœminarum, animus tamen Deo deditus nullâ concupiscentiæ maculâ polluatur. Procedentes ergo, quia non prohibemini, nec valetis contemplationem effugere fœminarum, appetere tamen, & ab ipsis appeti velle crimen est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque concupiscentia incurritur fœminarum; nec statuatis habere vos oculos pudicos, si geratis animos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Qui autem in fœminâ libidini conscià conuertit aspectum, non æstimet latere, quod mens peccatis grauata concepit. Sed fac certum esse quod lateat, vt à nullo prorsùs homine videatur, quid de illo faciet inspectore, quem secreta non fallunt, quem occulta latere non possunt? Ille ergo vir Sanctus Deo timeat displicere, cui fidelem famulum se cupit ostendere; cogitet, ne animo suo fœminas malè placituras insinuet; metuat eum omnia videre, cui humanus actus nihil valet occulere. Illius ergo timor præsens ingiter habeatur, de quo scriptum est.* [*Abominatio est Domino defigens oculum.*] *Quando ergo simul estis in Ecclesia, aut in quocumque loco, vbi esse possint præsentes & fœminæ, singuli de omnibus curam gerentes vestram studiosè pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, adhibitâ huiuscemodi sollicitudine, quanto minùs indigent, nec ibi eas teneat voluntas iam vegetas, quò necessitas lenarat infirmas. Illa se existiment ditiores, quæ fuerint in sustinendâ parcitate fortiores. Melius est enim minùs egere quàm plùs habere.*

Caput sextum. *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus, nec sint vobis tam tenera capitum tegmina ne retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia vel componat industria.*

Caput septimum. *Quando proceditis, simul ambulate; cùm veneritis quò itis, simul state. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod illiciat cuiusquam libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatem.*

Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Neque enim quando proceditis, viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle. Nec solo tactu sed affectu quoque & aspectu appetitur & appetit fœmina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cùm se inuicem sibi, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qua in masculum figit oculum, & illius in semetipsam diligit fixum, non ab aliis videri cùm hoc facit; videtur omninò & à quibus videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest? An idcò putandus est non videre, quia tanto videt patientiùs quanto sapientiùs? illi ergo timeat sancta fœmina displicere, ne velit viro malè videri. Illius namque & in hac cassa commendatus est timor, vbi scriptum est. [*Abominatio est Domino defigens oculum.*] *Quando ergo simul estis in Ecclesia, & vbicumque vbi & viri sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite, Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis.*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

dine, vos dignabitur custodire. Et si hanc, de qua loquimur, oculi petulantiam in aliquo vestrûm quis aduerterit, statim monete, vt de proximo corrigatur. Nec se putet malenolum, quando hoc indicat, & ideò debet publicari qui eiusmodi est, ne in deterius crescat. Si verò admonitus emendare neglexerit, Abbati est indicandum, vt ab ipso emendatoriam subeat disciplinam. Si autem nec sic emendauerit, quasi ouis morbida à vestra societate proiiciatur, ne exemplo suo alios perdat, ita enim de cupiditatis vitio est inquirendum, vt cùm hoc vitio agnoscitur quis laborare, castigetur à plurimis cum dilectione proximi & odio vitiorum. Monachus è Monasterio eiectus sub Episcopi cura & regimine manebat ne periret. Id colligitur ex Concilio [a] Meldensi, in quo Patres potestatem Abbatis, ne Monachos ob leues causas expelleret, ita coërcuerunt, vt ab eo Episcopum aut illius Vicarium super eiusmodi negotio consuli præceperint, hoc canone. *Vt Monachus de Monasterio, sine consultu vel præsentia Episcopi aut Vicarij eius, ad hoc regulariter deductus, non eiiciatur, cuius dispositione & auctoritate de cetero vita & conuersatio eiecti, ne perditus perpetuò fiat, si aliquo modo saluari potest, ordinari debet atque decerni.* Sanctus Cæsarius [b] in Regula Monialium habet non pauca de correptione sororum Tarnatensi Regulæ multùm conformia.

DE APERIENDIS ALIENIS DEFECTIBVS.

[a] Can. 59.

[b] Capp. 21. 22.

CCXVIII. DE LITERIS ET DONIS CLAM NON ACCIPIENDIS.

Caput vndeviceſimum. *Qui verò literas vel munuſcula cuiuſcumque accipere præſumpſerit, ſi non ſtatim à quo accepit, & quæ accepit, publicauerit, diſtrictioni ſeueriſſimæ ſubiacebit. Illa verò quæ tranſmiſſa ſunt, peregrinis & ignotis deputabuntur, aut certè incendio cremabuntur. Sanè ſi quis ſuis filiis, vel aliquâ ad ſe neceſſitudine pertinentibus aliquid contulerit in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit, tribuatur. Si verò cui tranſmiſſum eſt, Ab-*

Caput octauum. *Et, ſi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliqua veſtrûm aduerteritis, ſtatim admonete, ne cæpta progrediantur, ſed ex proximo corrigantur. Si autem & poſt admonitionem iterùm, vel alio quocumque die, idipſum eam facere videritis, iam velut vulneratam ſanandam prodat, quæcumque inuenire potuit hoc, priùs tamen & alteri vel tertiæ demonſtratam, vt duarum vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coërceri. Nec vos iudicetis eſſe malenolas quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non eſtis, ſi ſorores veſtras, quas indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim ſoror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret ſecari, nonne crudeliter abs te fileretur & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potiùs debes eam manifeſtare, ne pernicioſiùs putreſcat in corde? Sed antequàm aliis demonſtretur, per quas conuincenda eſt ſi negauerit, priùs Præpoſitæ debet oſtendi, ſi admonita neglexerit corrigi, ne fortè poſſit ſecretiùs correpta innoteſcere ceteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendæ ſunt aliæ, vt iam coram omnibus poſſit non ab vna teſte argui, ſed à duabus tribúſue conuinci. Conuicta verò ſecundùm Præpoſitæ vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam ſuſtinere vindictam, quam ſi ferre recuſauerit, etſi ipſa non abceſſerit, de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim & hoc fit crudeliter ſed miſericorditer, ne contagione peſtiferâ plurimas perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis vindicandiſque peccatis diligenter obſeruetur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.*

Caput nonum. *Quæcumque autem in tantum progreſſa fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas vel quælibet munuſcula accipiat, ſi hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea; ſi autem deprehenditur atque conuincitur, ſecundùm arbitrium Præpoſitæ vel Presbyteri vel etiam Epiſcopi graniùs emendetur.*

Caput decimum. *Veſtes veſtras in vno loco habete, ſub vna cuſtode vel duabus, vel quot ſufficere potuerint ad eas*

*bas præceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera cum gratiarum actione percipiet. Obseruandum est etiam ne interioris animæ sordes contrahat vestis munda nimius appetitus. Quapropter secundùm Præpositi sunt ordinationem lauandæ. Quæ tam simplici erunt & natiuo colore procurandæ, ne disparilitas vestium nutriat arrogantiæ vitium, & ita sunt indigentibus tribuendæ, ne vitio * auaritiæ reseruatæ, prouidendis * singulis detur audacia. Si quis verò his negligenter expetenda putauerit, Præpositi sit cura, vt interuersorum monasterialium corrigatur. Ante omnia procurantes, vt lites nullas habeatis, si autem diabolo instigante factæ fuerint, celeri satisfactione sanentur, & inde proferantur remedia, vnde facta sunt vulnera, nec occidat Sol super iracundiam vestram. Consuetudinem iurandi abiicite. [Sit sermo vester. Est, est; non, non] quia, sicut Dominus ait, [quod his abundantius est, à malo est.]* Habet pleráque his similia sanctus Cæsarius non tantùm in Regulâ Monachorum [a], sed etiam in Regulâ Monialium [b], quæ vt prolixior est, ita propiùs ad sancti Augustini textum in multis accedit.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

DE CVRA VESTIVM.

* In concord. regul. c. 62. per vitium.

* Ibid. prouidendi.

[a] Capp. 4. 12. 15. 16.

[b] Capp. 13. 31. 41.

Caput vicesimum. *Fœminæ vestrum non frequentent habitaculum, sed cùm pro deuotione suâ vel pro amore religionis vestræ expetierint Monasterium, non eis concedatur interiores Monasterij ianuas præsumere, nec ad ipsas fenestras accedere, ne aut ipsæ, aut quæ cum eis sunt, ab extraneis videantur. Quod si aliquis contra hanc regulam fecerit, ab ingressu Ecclesiæ per tres menses arceatur.*

Caput vndecimum. *Indumenta vestra secundùm arbitrium Præpositæ lauentur, sive à vobis, sive à fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat munda vestis nimius appetitus.*

CCXIX. DE FORMINARVM ACCESSV AD MONASTERIVM PROHIBENDO.

Caput duodecimum totum est de balneis, de quibus nullum verbum in Regulâ Tarnatensi. Capita decimum-tertium & decimum-quartum satis conformia sunt capitibus vicesi-

executiendas, ne à tinea ledantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Et si fieri potest, non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur, vtrùm hoc recipiat vnaquæque vestrûm quod deposuerat, an aliud quod altera habuerat, dum tamen vnicuique quod opus est non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, & conqueritur aliqua deterius aliquid se accepisse quàm priùs habuerat, & indignam se quæ non ita vestiatur, sicut alia soror eius vestiebatur, hinc vos probate, quantùm vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, quæ pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod posueratis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habete quod ponitis, ita sanè vt nulla sibi aliquid operetur, sive vnde induatur, sive vbi iaceat, sive vnde cingatur, vel caput contegat, sed omnia opera vestra in commune fiant maiore studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis propria faceretis. Caritas enim, de quâ scriptum est, quòd non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideò quanto amplius rem communem quàm propriam curaueritis, tanto amplius vos profeciisse noueritis, vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, superemineat quæ permanet Caritas. Consequens ergo est, vt etiam illud, quod suis vel filiabus, vel aliquâ necessitudine ad se pertinentibus, in Monasterio constitutis, aliquis vel aliqua contulerit, sive vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositæ, vt in commune redactum, cùm necessarium fuerit, præbeatur. Quòd si aliqua rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnatur.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

nuas introire, sed in Oratorio, aut in hospitali domo reddatur illis honor & gratia, non expectationis causâ, sed pro constitutione Regulæ vel Monasterij disciplinâ. Hoc caput omittere non debuimus, quamuis nullum ei respondeat in Regulâ Monialibus à sancto Augustino præscriptâ.

CCXX. DE INFIRMARIO.

Caput vicesimum-primum. *Infirmantibus quoque, vel aliquâ inæqualitate*, id est morbo, *laborantibus, satis fidelis & strenua debet persona præponi, quæ & ægrotis cum pietate seruiat, & monasterialem disciplinam regulariter custodiat, & quæ conueniunt infirmis, rationabiliter expendat.* Lege Cæsarium in Regulâ Monialium [a].

[a] Cap. 10.

CCXXI. DE CELLERARIO ET REGESTORIO.

Caput vicesimum-secundum. *Qui cellario verò vel codicibus præponuntur, sine murmuratione seruiant fratribus. Codices qui extra horam petierint non accipiant, & qui apud se habuerint, amplius quàm constitutum est, retinere non audeant. Hæc in nomine Christi agentes, scitis vos proficere, & cum suauitate & quiete in Monasterio perdurare. Quando autem necessitas disciplinæ moribus coërcendis dicere vos verba dura compellit, etiamsi in ipsis modum excessisse vos fortassè sentitis disciplinæ, non à vobis exigitur, vt veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Tamen petenda venia est ab omnium Domino, qui nouit etiam eos quos plus iusto fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis. Caritas enim, de quâ scriptum est, quia non quærit quæ sua sunt, etiam hîc intelligitur custodiri, quia dum alienam nituntur humiliare superbiam, quantùm desiderant suas non possunt humiliare personas. Quia non carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio, & ideò de omnium salute diligentiùs cogitate, quia de commissis sibi*

DE CORREPTIONE.

mo-primo & vicesimo-secundo Regulæ Tarnatensis, vt patebit infra. Caput decimum-quintum duóque proximè sequentia pertinent ad lites, & breuissimè perstringuntur capite vndeuicesimo Regulæ Tarnatensis iam recitato. Sufficiet ad vtriusque Regulæ collationem descripsisse hoc initium capitis decimi-quinti: *Lites aut nullas habeatis, aut quamcelerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ & animam faciat homicidam.* Et hanc clausulam capitis decimi-septimi. *Proinde vobis à verbis durioribus parcite; quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.*

Caput decimum-tertium. *Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendarum, sive aliquâ imbecillitate etiam sine febribus laborantium, alicui debet iniungi, vt ipsa de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.*

Sine autem quæ cellario, sive quæ vestibus, sive quæ codicibus præponuntur, sine murmure seruiant sororibus suis.

Caput decimum-quartum. *Codices certâ horâ singulis diebus petantur, extra horam quæ petierint non accipiant. Vestimenta verò & calceamenta, quando fuerint indigenti necessaria, dare non differant, sub quarum custodia sunt quæ poscuntur.*

Capita decimum-quintum, decimum-sextum & decimum-septimum, de quibus suprà, consultò hic omittuntur.

Caput decimum-octauum. *Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coërcendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt ab eis veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subiectas, dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eas, quas plùs iusto fortè corripitis, quantâ benevolentiâ diligatis.*

Caput vndeuicesimum. *Non autem*

animabus vnuſquiſque redditurus eſt Domino rationem. Huius capitis magna pars legitur etiam in Regulâ [a], quam beatus Cæſarius Monialibus ſcripſit.

Caput viceſimum-tertium. *Præpoſito ſpecialiter obediatur, multo magis Abbati, qui veſtrûm omnium curam gerit, quia qui illos ſpernit, ſpernit eum qui dixit.* [*Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.*] *Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, ſed emendandum corrigendúmque curetur, ad Præpoſitum præcipuè pertinebit, vt ad Abbatem, cuius eſt apud vos maior auctoritas, referat, quod modum vel vires eius excedit. Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe æſtimet poteſtate dominante, ſed caritate ſeruiente felicem, honore coram vobis prælatus ſit, coram Deo ſubditus ſit pedibus veſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes, diſciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque ſit neceſſarium, tamen plus amari appetat quàm timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis redditurum rationem. Vnde vos magis obediendo non ſolùm veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos quantùm in loco ſuperiori tantùm in periculo maiori verſatur. Donet Dominus vt obſeruetis hæc omnia cum dilectione, tanquam ſpiritalis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Vt autem vos in hoc libello tanquam in ſpeculo poſitis inſpicere, nec per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite Deo gratias, bonorum omnium largitori; vbi autem ſibi quiſque veſtrûm videat aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt debitum dimittatur & in tentationem non inducatur.*

carnalis, ſed ſpiritalis inter vos debet eſſe dilectio. *Nam quæ faciunt pudoris immemores etiam fœminis fœminæ iocando turpiter & ludendo, non ſolum à viduis & intactis ancillis Chriſti in ſancto propoſito conſtitutis, ſed omnino nec à mulieribus nuptis nec à virginibus ſunt facienda nupturis.*

Caput viceſimum. *Præpoſito tanquam Matri obediatur, honore ſeruato, ne in illa offendatur Deus; multo magis Presbytero, qui omnium veſtrûm curam gerit. Vt ergo cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum non fuerit, non negligenter prætereatur, ſed emendandum corrigendúmque curetur, ad Præpoſitam præcipuè pertinet, ita vt ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat quod modum vel vires eius excedit.*

Caput viceſimum-primum. *Ipſa verò non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed caritate ſeruiente felicem, honore coram hominibus prælata ſit vobis, coram Deo ſubſtrata ſit pedibus veſtris.*

Caput viceſimum-ſecundum. *Circa omnes ſeipſam bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietas, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmas, patiens ſit ad omnes, diſciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque ſit neceſſarium, tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri, ſemper cogitans Deo ſe pro vobis reddituram eſſe rationem. Vnde magis obediendo, non ſolùm veſtri, verùm etiam ipſius miſeremini quæ inter vos quantò in loco ſuperiore, tantò in periculo maiori verſatur.*

Caput viceſimum-tertium. *Donet Dominus vt obſeruetis hæc omnia cum dilectione, tanquam ſpirituales pulchritudinis amatrices, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ancillæ ſub lege, ſed ſicut liberæ ſub gratia conſtitutæ.*

Caput viceſimum-quartum. *Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo vos poſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori; vbi autem ſibi quæcumque veſtrûm videt deeſſe aliquid, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt & debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur, Amen.*

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] Cap. 11.

CCXXII. DE OBEDIENTIA DEBITA PRÆPOSITO ET ABBATI.

DE REGVLA LEGENDA SINGVLIS HEBDOMADIBVS.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXXIII.

Huc vsque Regula Tarnatensis, quam existimamus eandem fuisse cum Agaunensi, quia oppidulum, cui nomen olim Tarnadæ, coniunctum erat Agauno, vbi sanctus Mauricius cum sociis martyrium consummauit. *Ab eorum martyrio*, inquit [a] Simlerus, *annis circiter* CCXX. *cùm locus hic apud Burgundiones, qui in his regionibus dominabantur, magnæ veneration esset, Sigismundus Rex Burgundionum, Maximi Genauensis, Theodori Sedunensis, & aliorum Episcoporum oratione impulsus eodem loco in honorem Martyrum Cœnobium celebre construxit, oppidulum Tarnada iuxtà positum mœnibus ampliatis Cœnobio coniunxit; ab eo tempore Tarnadæ nomen obsoleuit, & nunc vulgò ad sanctum Mauricium nuncupatur.* Quod attinet ad Agaunum, loco nomen saxa posuere circumquaque fusa, nam veteri linguâ Gallicâ Agaunum saxum significat, vt Renanus [b] & Yepesius [c] obseruarunt.

[a] Lib. 1. descript. Vallesiæ.
[b] Lib. 1. Germ.
[c] Ad ann. 558. c. 1.

CCXXIV.

Capite nono Regulæ Tarnatensis suprà descripto, extat præceptio de Psalmodiâ, déque opere quotidiano intermedio. Quod autem Yepesius [d], Hoeftenus [e], Sammarthani [f], Bollandus [g], aliique recentiores addunt de Psalmodia perenni, quam in Agaunensi Monasterio ab ipsis temporibus Sigismundi Regis institutam fuisse contendunt, id rationibus haud innititur adeò validis, vt cogamur assentiri. Singulas suo proponemus ordine, refellemusque.

[d] Ann. 558 c. 3.
[e] Lib. 1. c. 5. Disquis. 2.
[f] Tom 4. Gall. Christ. in Agaun.
[g] Die 11. Febr. in S Seuerin.

AN APVD AGAVNVM INSTITVTA SIT LAVS PERENNIS. CCXXV.

Prima sumitur ex charta, quam Sammarthani ex Agaunensi tabulario publicarunt. In illa charta, Episcopi ad Synodum euocati coram Sigismundo Burgundiæ Rege sic loquuntur. *Visum est nobis bonum esse, vt constituatur* [h] *officium psallendi die noctúque indesinenter.* Et Victorius Gratianopolitanus Episcopus in eodem Concilio ritum illum psallendi sic exponit. *Rectè mihi videtur, vt secundùm plenissimam deuotionem Domini Regis, & psallendi institutionibus, fiant nouem normæ, id est, Granensis, Isiana, Iurensis, & Melunensis, & cetera, vt succedentes sibi in Officiis canonicis, id est, Nocturnis, Matutinis, Primâ Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vespertinâ, in hanc die, noctúque indesinenter Domino famulentur.*

[h] Officium psallendi die noctúque indesinenter.

CCXXVI.

Chartam illam commentitiam esse multæ res ostendunt.

CCXXVII.

Primò, duplex nota cùm loci tum temporis. Synodus habetur Agauni & prope Agaunum, pridie Kal. Maias & Idibus Maiis. Initium enim chartæ est huiusce modi. *In tempore Domini nostri Iesu Christi cum felicitate. Domino nostro Sigismundo Pio, sub die pridie Kal. Maij à* LX. *Episcopis, tótque Comitibus, habito Concilio in Dei nomine Agauni publicè*, &c. Finis verò talis est. *Data sub die Idus Maij in virorum cœtu prope Agauno Monasterio feliciter.*

CCXXVIII.

Secundò, dicuntur interfuisse Concilio, siue Agauni, siue prope Agaunum, Episcopi LX. Tantus numerus notatur non tantùm in textu iam citato, sed etiam posteà cùm Sigismundus Rex Agaunensi Monasterio magnas opes collaturus sic ait. *Ego Sigismundus gratiâ Dei Rex Burgundionum, Christo auspice consideraui vnà cum supradictis* LX. *Episcopis, Comitibus, de iamdicto Monasterio, quod vocatur Agaunum, quod nunc Domino adiuuante infra regnum nostrum Burgundionum construximus.* Nusquam autem fuerunt in Burgundiæ regno Diœceses sexaginta. Cùm Sigismundus Agaunense Monasterium reditibus locupletauit, erant in Galliis intra fines ditionum Burgundicarum, sedes Episcopales septem ac viginti; Darantasiensis & Octodorensis in Alpibus Graiis; Ebredunensis in Alpibus maritimis; Viennensis, Gratianopolitana, Valentina, & Genauensis, in prouincia Viennensi prima; Cabellionensis, Auenionensis, Vasensis, Carpentoractensis, Arausicana, Diensis, Tricastrensis, & Viuariensis, in prouincia Viennensi secunda; Secusteronensis, Aptensis, & Vapingensis, in prouincia Narbonensi secunda; Lugdunensis, Matisconensis, Lingonensis, & Cabilonensis, in prouincia Lugdunensi prima; Niuernensis in prouincia Lugdunensi quarta; Vesontionensis, Auenticensis, Vindonissensis, & Bellicensis, in prouincia Lugdunensi quinta. His addatur, si lubet, extra Galliam in prouincia Mediolanensi Diœcesis Augustana, cuius

mentio fit in charta quam examinamus, quot adhuc desiderabuntur vt sexagenarius numerus compleatur? AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXXIX.

Tertiò, Sigismundus Episcopos in Synodo non semel alloquitur. Illius autem verba modò conueniunt anno Christi quingentesimo decimo-quinto quo Monasterium Agaunense construxit, modò conueniunt anno Christi quingentesimo vicesimo-secundo quo necem illatam Segerico defleuit, itaut vna charta ex duabus pluribusve conflata videatur. Episcopis hunc habet sermonem. *Ad hoc vos adunaui, vt mœrentem me consolemini, & quid agam vel respuam addiscatis.* Quibus verbis mœrorem ex morte Segerici conceptum videtur indicare. Postea sic loquitur iisdem Episcopis. *Iam abieci omnem ambiguitatem, & absterſit Deus à me omnem perfidiam Arrianorum, adeptus sum fidem Catholicam, seruus sum Iesu Christi, instruite me quomodò ei placeam, cuius me profiteor amicum.* Quibus verbis se Neophytum prodit, tempúsque, quo Monasterium erexit, potiùs designat quàm illud quo profectus est Agaunum vt pœnitentiam ageret ob Segericum iniustè interemptum.

Quartò, in illa Synodo *Theodorus Episcopus Sedunensis* quærit, *quid agendum sit de Beatorum Martyrum Thebæorum corporibus.* Theodorus autem numquam dictus est Sedunensis Episcopus sed Octodurensis, Episcopali cathedrâ Octoduro Sedunum seriùs translatâ. Deinde idem Theodorus obiit ante annum Christi quingentesimum decimum-septimum, quo Constantius eius successor Epaonense Concilium suâ subscriptione roborauit. Tunc superstes in viuis erat Segericus, post cuius mortem Sigismundus apud Agaunum Psalmodiam instituit, de qua Gregorius Turonensis aliique differunt. CCXXX.

Quintò, Victorius Gratianopolitanus Episcopus vult in Agaunensi Monasterio nouem normas seu turmas fieri, Granensem, Isianam, Iurensem, Meluensem, & ceteras, *vt succedentes sibi in Officiis Canonicis, die noctúque indesinenter Domino famulentur.* Quis autem credat ex tot diuersis Monasteriis, quorum vnumquodque peculiarem Regulam obseruabat, tot euocatas fuisse turmas Monachorum vt in Cœnobio recèns condito nouum & hactenus in Occidente inusitatum Psalmodiæ genus institueretur? Monasterium Granense, quod Hinmemodus incolebat, priusquàm Agaunum acciretur, vocatur Greuencense in veterrima Historia Agaunensi iam laudata, & Bollando [a] idem videtur esse cum Grinencensi, quod in Episcopatu Viennensi floruisse demonstrauimus. De Meluensi Cœnobio nihil legimus. Egimus ante biennium de Iurensi, cui præerat adhuc Antidiolus, cùm Ostrogothi suas in Gallia ditiones Francis dono tradiderunt. Quo tempore Monasterium Isianum administrabat Victorianus, malè nuncupatus Abbas Asanæ vel Agauni in multis exemplaribus Fortunati [b], qui epitaphium scripsit ei post annos sexaginta præfecturæ mortuo, vt docet hoc distichon. CCXXXI.

[a] D. 11 Febr. in S. Seuerin.

[b] Lib. 4. c. 11.

Bis senis rexit patrio moderamine lustris
Ritè Deo placitas Pastor opimus oues.

Sextò, intersunt Concilio Episcopi sexaginta totidémque Comites, vt textus suprà citatus affirmat, subscribunt tres duntaxat Episcopi, & octo laici, Comites quinque, alij tres sine titulo. Sic enim charta clauditur. *Maximus vrbis Geneuensis Episcopus subscripsit. Victor vrbis Gratianopolitanæ Episcopus subscripsit. Vincentiolus vrbis Lugdunensis Episcopus subscrip. Vmbdemarus Comes signauit. Fremodus Comes sign. Gundeulfus Comes. Benedictus Comes. Agano. Bonifacius. Teudemaudus. Fredeboldus Comes subscr. Data sub die Idus Maij in virorum cœtu prope Aganno Monasterio feliciter.* CCXXXII

Secunda ratio eorum, qui perennem Psalmodiam in Agaunensi Monasterio institutam volunt, sumitur ex passione Martyrum Thebæorum, quam ab Eucherio Lugdunensi Episcopo conscriptam & in duodecim capita distributam Surius [c] euulgauit. Vltimo enim capite hæc leguntur. *Miracula per seruos suos ad honorem & gloriam nominis sui Dominus operari non desinit. Pro eo ipso, die noctúque Psalmorum Hymnorumque decantatio non desinit, quod iubente* CCXXXIII.

[c] D. 22. Sept.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

ſancto & præclaro Chriſti Martyre beato Sigiſmundo Rege inſtitutum, hinc vſque hodie, Deo protegente, eſt conſeruatum. Sed quoniam Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, qui, teſte Gennadio [a], mortuus eſt *ſub Valentiniano & Martiano Principibus*, diem clauſit extremum, antequàm Sigiſmundus Rex fieret, qui textum Surianum proximè citatum Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo attribuunt, duos diſtinguunt Euchetios Lugdunenſes Epiſcopos, Seniorem cuius meminit Gennadius, Iuniorem qui Sigiſmundo Burgundionum Regi, necnon Ambroſio Agaunenſi Abbati coetaneus vixit.

[a] Cap 61.

CCXXXIV.

Petrus Franciſcus Chiffletius, Societatis IESV Preſbyter Acta Martyrum Agaunenſium, Auctore ſancto Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo, integra & emendatiſſima ex Codice perquàm vetuſto ſancti Eugendi Iurenſis in Paulino illuſtrato [b] publicauit, quæ ſi conferas cum editione Suriana, facilè deprehendes hanc multis locis interpolatam fuiſſe. Superuacaneum eſſet ſingulas interpolationes referre. Duas tantùm recitabimus, quarum altera Eucherium prædictorum Actorum Auctorem Ambroſio Abbati Agaunenſi ſynchronum conſtituit, altera locutum teſtatur de perenni Pſalmodiâ Monaſterij Agaunenſis & Sigiſmundo Burgundionum Regi coæuum vixiſſe.

[b] P. 1. c. 20.

CXXXV.

Acta Suriana caput vndecimum ſic auſpicantur. *At verò beatiſſimorum Agaunenſium Martyrum corpora, poſt multos paſſionis ſuæ annos, ſancto Theodoro illius loci Epiſcopo reuelata traduntur. In quorum honorem cùm extrueretur Baſilica, quæ vaſtæ tunc adiunctæ rupi, vno tantùm latere accliuis iacebat, ſed nunc, iubente præclaro meritis Ambroſio loci illius Abbate, denuò ædificata, bicliuis eſſe dignoſcitur, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putaui. Accidit, vt inter reliquos artifices, qui inuitati conueniſſe ad hoc opus videbantur, quidam eſſet aurifex, quem adhuc gentilem eſſe conſtaret. Hic cùm Dominico die*, &c. Chiffletiana verò ſic habent. *At verò beatiſſimorum Acaunenſium Martyrum corpora, poſt multos paſſionis annos, ſancto Theodoro eiuſdem loci Epiſcopo reuelata traduntur, in quorum honorem cùm exſtrueretur Baſilica, quæ vaſtæ nunc adiunctæ rupi, vno tantùm latere adcliuis iacet, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putaui. Accidit, vt inter reliquos artifices, qui inuitati conueniſſe ad illud opus videbantur, quidam adeſſet faber, quem adhuc gentilem eſſe conſtaret. Hic cùm Dominico die*, &c. Nulla ibi mentio Ambroſij Abbatis.

CCXXXVI.

Deinde Acta Suriana ſic terminantur. *Hæc duo miracula paſſioni ſanctorum inſerenda credidi. Ceterùm ſatis multa ſunt, quæ vel in expugnatione dæmonum, vel in reſtauratione claudorum, aut ſanitate febrium, ceteriſque infirmantibus quotidie per ſeruos ſuos virtus Domini operatur, quæ multa narranda ſunt, ſi per ſingula ſcribantur. Tamen fidelium cordibus abſque lectione cognita eſſe noſcuntur, quæ & quanta & qualia miracula per ſeruos ſuos ad honorem & gloriam nominis ſui Dominus operari non deſinit. Pro eo ipſo, die noctúque Pſalmorum Hymnorumque decantatio non deſinit, quod iubente ſancto & præclaro Chriſti Martyre beato Sigiſmundo Rege inſtitutum, hinc vſque hodie, Deo protegente, eſt conſeruatum. Propterea laudes ſerui Dei canentes, ore perſoluunt illi, cui eſt honor & gloria, imperium & poteſtas, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.* Chiffletiana verò ſic. *Hæc duo tantùm mira paſſioni ſanctorum inſerenda credidi. Ceterùm ſatis multa ſunt, quæ vel in purgatione dæmonum, vel in reliquis curationibus quotidie illic per ſanctos ſuos Domini virtus operatur.* Ergo commentitia ſunt ea, quæ leguntur apud Surium de perenni Pſalmodia Monaſterij Agaunenſis, nec ex Actis Agaunenſium Martyrum ab Eucherio conſcriptis elicere quis poteſt duos Eucherios in Cathedra Lugdunenſi ſediſſe. Non me latent aliæ rationes, quibus opinionem ſuam tueri conantur, qui duos Eucherios fingunt. Prima ducitur ex vita ſancti Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi, altera ex vita ſanctæ Conſortiæ Virginis, tertia ex ſubſcriptionibus Conciliorum. Verùm de his alibi. Non enim hic quæſtio eſt de duobus Eucheriis, ſed de Pſalmodia Monaſterij Agaunenſis. Interim, ſi velis, conſule prælaudatum Chiffletium in Paulino [c] illuſtrato, vbi fusè diſputat aduerſus

[c] P. 1. c. 19. & ſeq.

sus eos, qui duos Eucherios Lugdunensis Ecclesiæ Præsules statuerunt. AN. CH.

Tertia ratio eorum, qui perennem Psalmodiam in Agaunensi Monasterio institutam volunt, petitur ex vetustissima Historia Agaunensi, cuius Auctor sancti Achiui tertij Abbatis discipulus fuit. Ante Sigismundi Regis ætatem, Agaunum celebre erat concursu promiscuæ multitudinis, & vtriusque sexus, seiunctis tamen domiciliis diuersa munia pertractantis, vt ad annum Christi quingentesimum sextum [a] iam notauimus. *Habito consilio, quod vniuersitati, Dei instinctu complacuit*, inquit prædictus Auctor Historiæ Agaunensis, *visum est vt omnes mulieres de loco eodem tollerentur, & remotis familiis secularibus, Dei inibi, hoc est, Monachorum familia locaretur, qui die noctúque cælestia imitantes, cantionibus diuinis insisterent pertractandis.* Aiunt hisce vocibus, *die noctúque*, laudem perennem significari. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXXXVII. [a] N. 4.

Congeri possunt & alij Scriptores, qui Monachos Agaunenses *die noctúque* diuinis cantionibus institisse testantur. At hæ voces, *die noctúque*, non intelligendæ sunt de Psalmodia quæ per totam noctem & per totam diem indesinenter fiat, sed aptandæ sunt horis Canonicis, cùm nocturnis tum diurnis, vtrasque enim singulis diebus in Agaunensi Monasterio publicè celebrari solitas docet Regula Tarnatensis capite nono. CCXXXVIII.

Quarta ratio pro perenni Psalmodia Monachorum Agaunensium sumitur ex Gregorio Turonensi, qui Psalmodiam illam *Psallentium assiduum* vocat in Historia Ecclesiastica [b] Francorum, cùm de Sigismundo Agaunum post Segerici filij necem profecto sic loquitur. *Ille ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu & ieiuniis durans, veniam precabatur, Psallentium ibi assiduum instituens.* Psallentium assiduum interpretantur Psalmodiam indesinentem seu perennem. CCXXXIX. [b] Lib. 3. c. 5.

Huic autem interpretationi Cassianus & ipsemet Gregorius Turonensis apertè refragantur. Nam Cassianus [c] Orationum assiduitatem vocat quotidianam celebrationem Tertiæ, Sextæ & Nonæ, statutis temporibus, itaut intermediis spatiis operari liceat. *In Palæstina*, inquit, *vel Mesopotamiæ Monasteriis ac totius Orientis, supradictarum horarum*, Tertiæ, Sextæ ac Nonæ, *solemnitates trinis Psalmis quotidie finiuntur, vt & Orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis Officia, consummatis iusto moderamine spiritalibus obsequiis, nullatenus valeant impediri.* Et Gregorius Turonensis Psallentium apud Agaunum à Sigismundo Rege institutum, quod *assiduum* in Historia [d] Ecclesiastica Francorum vocat, *cotidianum*, quòd quotidie fiat, libro primo [e] de gloria Martyrum sic appellat. *Hic*, nempe Sigismundus, *post interemptum, per iniquæ consilium coniugis, filium, compunctus corde Agaunum dirigit, ibíque prostratus coram sepulchris beatissimorum Martyrum legionis Felicis, pœnitentiam egit, deprecans vt quæcunque deliquerat, in hoc ei seculo vltio diuina retribueret, vt scilicet habeatur in iudicio absolutus, si ei mala quæ gesserat, priusquàm de mundo decedat, repensentur. Ibique & Psallentium cotidianum instituit, locumque tam in territoriis, quàm in reliquis rebus affluentissimè ditauit.* Plerique Monachi nec singulis diebus, nec ad singulas horas Canonicas simul conueniebant. Agaunenses verò quotidie omnes horas Canonicas publicè celebrabant, vt ex capite nono Regulæ Tarnatensis suprà descripto constat. Psallentium igitur Agaunense vocatur à Gregorio Turonensi *quotidianum*, quia fit quotidie, & *assiduum*, quia fit ad omnes horas Canonicas, nec tamen indesinenter, aliquod enim temporis interuallum inter singulas horas intercedit. CCXL. [c] Lib. 3. ep. 3. [d] Lib. 3. c. 5. [e] Cap. 75.

Quintam rationem in gratiam perennis apud Agaunum Psalmodiæ deducunt Yepesius & Haeftenus ex vita sancti Amati. Hunc obseruant monasticen amplexum fuisse in Cœnobio Agaunensi, deinde cùm deserti loci secretum appeteret, in vastis Vosagi spatiis castrum reperisse, *vbi multas virgines collegit, easque in septem turmas distributas noctu diuque per vices sine intermissione* [f] *psallere voluit, itaut semper duodecim virgines in vnaquaque turma essent.* CCXLI. [f] Vit. S. Amati ap. Sur. d. 13. Sept.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXLII.

Perennis autem huiuſcemodi Pſalmodiæ in puellarum Monaſterio inſtituendæ auctorem fuiſſe dicunt, quia talem pſallendi ritum apud Agaunum in Cœnobio virorum iam obſeruarat.

At Auctor vitæ proximè citatus, quo ſolo Yepeſius & Haeftenus innituntur, in toto ſuo opere nec ait perennem Pſalmodiam apud Agaunum inſtitutam fuiſſe, nec inſinuat ritum illum intra Voſagi ſepta introductum fuiſſe à ſancto Amato, vt imaginem Agaunenſis Monaſterij referret. Amatus relicto Agauno Luxouium venit, vbi Monaſticam vitam ſub Euſtaſio Abbate duxit. Erant tunc apud Luxouium ſexcenti ferè Monachi, vt in vita ſancti Euſtaſij legimus [a]. Tanta Monachorum turba laudi perpetuæ, ſeu perenni celebrandæ par erat, nec illi ritui defuit. Sic enim de S. Columbano & Monaſterio Luxouienſi ſanctus Bernardus in vita [b] S. Malachiæ Connerthenſis Epiſcopi ſcribit. *Ad has noſtras Gallicanas partes ſanctus Columbanus aſcendens Luxouienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolennia diuinorum, itaut ne momentum quidem dici aut noctis vacaret à laudibus.* Abbates Luxouienſes, qui Mellinum antecelſerunt, *ſtatum laudis perpetuæ ſeruauerunt*, vt in Abbatum Luxouienſium catalogo ſcriptum habetur [c], ſed *tempore iſtius*, nempe Mellini, *venerunt Wandali & Hungari, & interfecerunt fratres conuentûs & Abbatem, & ceſſauit laus perpetua, nec fuit Abbas per quindecim annos.* Laus igitur perpetua ſeu perennis pſalmodia diu viguit in Monaſterio Luxouienſi ſub Abbatibus ſeptemdecim, tot enim à ſancto Columbano Cœnobij conditore vſque ad Mellinum numerantur in prædicto catalogo & in auctiore Gallia Chriſtiana [d]. Iudicet iam Lector, vtrùm Amatus ab Agaunenſi Monaſterio, an à Luxouienſi ritum Pſalmodiæ perennis acceperit. Certè Yepeſius & Haeftenus, cùm cauſæ ſuæ diffiderent, conſultò prætermiſerunt Amatum ex Italia in Franciam veniſſe, & in Cœnobio Luxouienſi vitam Monaſticam egiſſe ſub Abbatis Euſtaſij diſciplina. Id autem vocari non poteſt in dubium, legitur enim apud Auctores coætaneos in vita cùm ſancti Amati, tum ſancti Euſtaſij. Anonymus in vita [e] ſancti Amati hæc habet de ſancto Euſtaſio, qui Luxouio Bobium ad ſanctum Columbanum adhuc ſuperſtitem à Clotario Francorum Monarcha miſſus eſt. *Is quandoque Italiam petiturus, venit ad Agaunenſe Cœnobium, cæpítque inquirere, quiſnam illic ſanctitate ceteris antecellere videretur. Dictúmque eſt illi. Itáne ignotus tibi eſt ſanctus vir Amatus, qui in hac celſiſſima rupe iam triennium ferè duram & aſperam agit vitam? His auditis, per arctam & penè præcipitem ad eum tetendit ſemitam, inuentúmque virum Dei tantâ charitate complexus eſt, vt nullo pacto eum ſibi deeſſe pateretur. Reuerſus namque ab Italia, cum Luxouium perduxit, aſſerens lucernam non ſub modio ſed ſuper candelabrum poni oportere, vt omnibus in domo Domini lumen ſuppeditet, eúmque perfectius vitæ ſectari genus, qui proprias ſedes reliquerit. Vbi autem in eo Monaſterio beatus Amatus aliquandiu verſatus fuit, omnibus charus & amabilis effectus eſt. Erat enim vultu ſerenus, facie hilaris, præclarus eloquio,* &c. Ionas in vita ſancti Euſtaſij non tantùm docet Amatum in Cœnobio Luxouienſi Monachum fuiſſe, ſed & addit directum ab eodem Euſtaſio Abbate, vt in Monaſterio puellarum, quod Romaricus in ſuo fundo conſtruxerat, Regulam ſancti Columbani cuſtodiendam inderet. *Romaricus*, inquit Ionas, *Euſtaſio annuente, puellarum Monaſterium in ſuo proprio inſeruit, & Regulam Columbani illis cuſtodiendam indidit. Cúmque iam multâ religione polleret, ad eum Agreſtinus pergit, ſeſéque ſubditum atque obedientem ſimulat, ſimulque Amatum, quem ibi Euſtaſius ob imbuendam Regulam præfecerat, mollibus ſugillationibus tentat. Nam de quibuſdam ſacræ Religionis Regulis ab eis neglectis, tam Amatus quàm Romaricus ab Euſtaſio obiurgati fuerant. Laſos ergo eos vt præſenſit Agreſtinus, exaſperatas mentes ſuis aſſertionibus iungere volens, ſtimulauit venenata verba ſanas mentes recipere, & in contemptum Regulæ Columbani, propriam vaſaniam propagare.* Et paucis interiectis. *Poſt hæc, Amatus & Romaricus Eu-*

[a] Apud Sur. die 29. Mart.

[b] cap. 4.

[c] Apud Haeften l. 1. tract. 5. Diſquiſ. 10.

[d] Tom. 4. in Luxou.

[e] cap. 7.

ſtaſij Patris indulgentiam poſtulantes, ab eo recipiuntur, & in priſtinum gradum reſtituuntur. Eadem reperiuntur in vita ſancti Romarici. Nicolaus Serarius vitam ſancti Romarici ex manuſcriptis Codicibus edidit, ipſúmque Ionæ textum, quem ſuprà deſcripſimus, capiti decimo inſeruit. Hugo Menardus [a] vitam eiuſdem Romarici concinnauit ex duobus manuſcriptis Codicibus, quorum alterum ex Prioratu Montis Sancti, alterum nactus eſt ex Cœnobio Sancti Cornelij Compendienſis. In illo opere hæc occurrunt de Romarico & Amaro Monachis Luxouienſibus, déque Regula ſancti Columbani præſcripta Monialibus in monte Vogeſo. *Romaricus ſe ad Monaſterium Luxouienſe contulit, vbi cucullam induit, & omne ſtudium & animum ad vitam Monaſticam applicauit. Cùm ergo eſſet in hoc ſanctorum Monachorum cœtu à Deo petiit vt ſibi manifeſtaret, in quos vſus ſuas opes & facultates impenderet. Hac de re conſilium iniit cum ſancto Amato, qui perſuaſit ei, vt ædificaret Cœnobium Sanctimonialium. Hoc ſecutus conſilium, illud Monaſterium conſtruxit in Monte Vogeſo iuxta Hibendi caſtrum, quod erat ſui dominij ſub Regula ſancti Columbani.* Lege & vitam ſancti Romarici, quam Philippus Labbeus ex Codice manuſcripto Claudij *Hardy* Senatoris Regij deſcripſit [b]. Denique ex ſupradictis obſerua Cœnobio Monialium, quod Romaricus in ſuo prædio conſtruxit, non Agaunenſem Regulam, ſed Regulam ſancti Columbani Luxouienſis olim Abbatis impoſitam fuiſſe. Nulli puellarum Monaſterio reperies inditam fuiſſe Regulam Agaunenſem, quamplurima verò ſub Regula ſancti Columbani floruiſſe teſtis eſt Ionas Auctor coætaneus in vita ſancti Euſtaſij. Nam poſtquàm locutus eſt de puellari Cœnobio, quod Romaricus in Voſago monte condidit, déque pœnitentia quam Romaricus & Amatus egerunt, quòd Agreſtini partibus adhæſiſſent, hæc proximè ſubiungit de variis Monaſteriis cùm virorum tum fœminarum, vbi Regula ſancti Columbani tunc vigebat. *Appelinus quoque & ceteri Galliarum Epiſcopi ad roborandà ſancti Columbani inſtituta aſpirant, quorum multi in amore eiuſdem ſancti Patris noſtri feruentes, ſecundùm eiuſdem Regulam Monaſteria conſtruunt, gregem Chriſto congregant, & Religionem Monaſticæ profeſſionis adaptant. Inter quos vir illuſtris, Eligius nomine, qui modò Veromandenſis Eccleſiæ Pontifex præeſt, iuxta Lemouicenſem vrbem, Monaſterium nobile, Solenniacum nomine, conſtruxit ſuper fluuium Vincennam, diſtans à ſupradicta vrbe millibus quatuor, & alia multa in iiſdem locis Cœnobia, ſed & in ciuitate Pariſienſi puellarum Monaſterium, quod de Regio munere ſuſceperat, ædificat, in quo Chriſti virginem Auream præfecit. In Bethoricenſe verò vrbe, puellarum Monaſterium, ex Beati Columbani Regula, Bertraha nobilis genere & religione fœmina ſanctiſſima conſtruxit. In ſuburbano etiam Bethoricenſis vrbis, vir venerabilis Theodolfus, cognomento Babelenus, Monaſteria ex Regula Columbani, religione omni pollenti conſtruxit; primum quoque in inſula ſuper fluuium Milinandram, vbi religioſorum virorum adunauit cateruam; aliud Gaudiacum nomine, haud procul à fluuio Albeto; tertium virginibus ac religioſis fœminis inſtitutum, in loco Caranthomo ſupra fluuium iam dictum Milinandram; itémque aliud Chriſti virginum iuxta Niueruenſe oppidum ſub eadem Regula conſtruxit.* Ergo ſanctus Amatus, qui Monachus primùm Agaunenſis, deinde Luxouienſis fuit, puellari Monaſterio perennem Pſalmodiam non ex inſtituto Agaunenſi, ſed ex Luxouienſi, cuius auctor extiterat beatus Columbanus, in monte Voſago præſcripſit; & ex laude perpetua, quam illic, ex mandato eiuſdem ſancti Amati, Moniales Regulam ſancti Columbani ſecutæ celebrarunt, malè concludunt Yepeſius & Haeftenus ritum illum pſallendi indeſinenter apud Agaunum priùs in vſu fuiſſe.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] Lib. 1. obſer. die 8. Dec.

[b] Tom. 1. Bibioth.

Sextam rationem pro perenni Pſalmodia Monaſterij Agaunenſis eruit Haeftenus [c] ex vita ſanctæ Salabergæ, quam Hugo Menardus [d] edidit. *Sancta Salaberga conſilio ſancti Walberti*, qui ſancto Euſtaſio in Luxouienſis Monaſterij regimen ſucceſſerat, *paternas ſedes mutauit, & Lugdunum*, id eſt, Lugdunum Clauatum, quod alio nomine Laudunum * appellatur, *cum famulis*

CCXLIII.

[c] Lib. 1 tract. 5. diſquiſ 11.

[d] Lib. 1. obſer. die 22. Sept.

* Laon.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXLIV.

Christi sibi commissis proficiscitur, &c. *Monasterium breui tempore construi curauit, quo constructo in eo trecentas adunauit famulas Christi, chrebris dispositis per turbnas ad instar Agaunensium Monachorum habendi normam disposuit.* Menardus asserit hæc ex Codice manuscripto sancti Cornelij Compendiensis à se exscripta, *ne quidem vllo apice prætermisso*, deinde ait textum fuisse corruptum atque ita restituendum. *Choris dispositis per turmas ad instar Agaunensium Monachorum canendi normam disposuit.*

Menardus textum, quem in Cod. Compendiensi deprauatum reperit, ex parte tantùm correxit, Monachorum enim Agaunensium loco Luxouienses debuit adhuc ita reponere. *Choris dispositis per turmas ad instar Luxouiensium Monachorum canendi normam disposuit.* Hanc emendationem multæ res confirmant. *Salaberga*, vt Menardus ex eodem Codice Compendiensi refert, *cùm per biennium vidua resideret, bonis operibus intenta, voluit Monasterium ingredi, quod Romaricus in monte Vosago construxerat; quod fecisset, ni Regia obstitissent impedimenta.* In illo puellari Monasterio, quod Romaricus in suo prædio condiderat, perennis Psalmodia celebrabatur, vt suprà probatum est, ex ritu Luxouiensi, non autem ex Agaunensi. Deinde Salaberga vsa est consilio Walberti Abbatis, qui non Agaunense sed Luxouiense Monasterium gubernabat. Hinc liquidò patet, vt in Cœnobio quod Romaricus in Vosago monte construxit, sic & in Monasterio quod Salaberga Lauduni ædificandum curauit, obseruatam fuisse Regulam sancti Columbani, perennémque Psalmodiam vtrobique choris per turmas dispositis ad instar Luxouiensium Monachorum celebratam fuisse. Frustrà igitur Haeftenus textum deprauatum ex vita sanctæ Salabergæ producit, vt laudem perpetuam in Agaunensi Monasterio priùs institutam probet. Monachi Benedictini, gloriam Cœnobij Luxouiensis sæpè deprimunt, aut attribuunt Ordini Benedictino. Menardus [a], postquàm sancti Romarici vitam ex duobus Codicibus recensuit, qui constanter asserunt in ipsius Romarici Monasterio puellari viguisse Regulam sancti Columbani, calamum continere non potest, &, vt scrupulum iniiciat, addit apud Franciscum *de Rosieres* [b] inueniri literas eiusdem Romarici, quæ Monasterium illud *sub Regula sancti Benedicti* fundatum testentur; posteà toti dissidio componendo satis esse putat, si sentiat vtramque Regulam sancti Benedicti & sancti Columbani prædicto puellarum Cœnobio impositam fuisse, idque actum *iuxta morem illorum temporum* confidenter pronuntiet. Illo de more non conuenimus. Apud Franciscum Rosierium beatus Romaricus hoc quidem modo loquitur. *Construxi Monasterium Monialium Ordinis sancti Benedicti, in honorem sanctissimæ Trinitatis, & beatissimæ Dei genitricis Mariæ Virginis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac omnium Sanctorum.* Sed hoc diploma suppositicium vel ex hac clausula satis deprehenditur. *Factum est autem hoc donum quarto Nonas Martij, anno ab Incarnatione Domini* 620. *Clotario glorioso Francorum Rege regnante. Testes sunt Arnoaldus Episcopus Metensis, Dodo Episcopus Tullensis, Paulus Episcopus Viridunensis, Arnulphus cognatus meus Dux Austriæ Mosellanicæ, Brunulphus Comes Templatensis, Wambertus Dux inferioris Austriæ, Comes Salmensis. Et ne quis hanc eleemosynam audeat vnquam temerè calumniare, vel aliquam iniuriam Monialibus in hoc loco Deo seruientibus inferre, sigilli mei auctoritate, ac præfatorum, Regis, Episcoporum, Ducum & Comitum confirmaui.* Regnante Clotario, Chilperici filio, Franci non numerabant annos à Christo nato, Arnoaldus non erat Episcopus Metensis anno Christi sexcentesimo vicesimo. Dodo & Paulus, ille Tulli, hic Viroduni, seriùs Episcopatum gesserunt. Arnulphus nuncium rebus secularibus iampridem remiserat, obtinebat tunc Episcopatum Metensem. Illâ ætate nec Duces Austriæ Mosellanicæ & Austriæ inferioris, nec Comites Templatenses & Salmenses audiebantur.

[a] Lib. 1. obseru. die 8. Dec.

[b] Tom. 1. hist. capital. 79.

CCXLV. Septimam rationem, vt apud Agaunum laudem perpetuam firmiùs stabiliat, eruit Bollandus ex Gestis Dagoberti Regis, quorum Auctor Hilduino

Abbate paulò antiquior videtur. Dagobertus Rex, vt capite triceſimo-quinto illorum Geſtorum legitur, Monachos, qui Deo in Cœnobio ſancti Dionyſij prope Pariſios famulabantur, *turmatim ad inſtar Monaſterij Agaunenſium ſiue ſancti Martini Turonis pſallere inſtituit.* AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCXLVI.

Monachus San-Dionyſianus, qui Geſta Dagoberti Regis in literas retulit, auctoritatem omnem mutuatur à Fredegario, quem præ manibus habuit & in multis locis deſcripſit. Fredegarius ſemel in ſuo Chronico [a] loquitur in hunc modum de Pſalmodia Monaſterij San-Dionyſiani. *Dagobertus Pſallentium ibidem ad inſtar Monaſterij ſanctorum Agaunenſium inſtituere iuſſerat. Sed facilitas Abbatis Aigulfi eandem inſtitutionem noſcitur refragaſſe.* Monachus San-Dionyſianus in Geſtis Dagoberti Regis ter ſermonem habet de Pſalmodia Monaſterij San-Dionyſiani. Capite triceſimo-quinto, quod à Bollando [b] allegatur & citatum eſt ſuprà. Capite quadrageſimo-quarto, cuius hæc poſtrema ſunt verba. *Ordinem autem pſallentium ibidem*, id eſt, in Monaſterio ſancti Dionyſij, *ad inſtar Monaſterij Agaunenſium, & ſancti Martini Turonis*, Rex Dagobertus *inſtituerat, ſed facilitas Abbatis Agiulfi eandem inſtitutionem noſcitur refragaſſe.* Capite quinquageſimo-primo, vbi Rex Clodoueus, Dagoberti filius, anno regni ſui decimo-ſexto, coram Pontificibus ac Primatibus Neuſtriæ & Burgundiæ ſic loquitur. *Nos propter Dei amorem, & reuerentiam ipſorum ſanctorum Martyrum*, nempe Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, *atque adipiſcendam vitam æternam, hoc beneficium ad ipſum ſanctum locum*, id eſt, ad Monaſterium ſancti Dionyſij, *cum veſtro conſilio, gratiſſimo animo & integrâ voluntate volumus præſtare, eo ſcilicet ordine, vt ſicut ibidem, tempore domni & genitoris noſtri, pſallentium ordo per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut in Monaſterio ſancti Mauricij Agaunis, & ſancti Martini Turonis die noctúque tenetur, ita in loco ipſo per omnia futura tempora celebretur.* Pſalmodiam, qualis apud Agaunum in Monaſterio ſancti Mauritij celebrabatur, in Cœnobio ſancti Dionyſij prope Pariſios agi præceptam non negamus. Fredegarius enim loco iam allegato, Pſalmodiam, quam Dagobertus Rex in Monaſterio ſancti Dionyſij iuſſerat inſtitui, ſimillimam Agaunenſi teſtatur. At perennem Pſalmodiam vt in Agaunenſi Monaſterio, ſic in Cœnobio ſancti Dionyſij celebratam inficiamur, quia Fredegarius & Aimoinus, cùm ſermo de duobus illis Monaſteriis occurrit, nullam iſtius ritus mentionem fecerunt, imò Aimoinus [c], cuius textum infrà recitabimus, longè alio modo deſcripſit Pſalmodiam, quam à Dagoberto Rege in Cœnobio ſancti Dionyſij agi præceptam putauit. Anonymus ipſe, qui Geſta Dagoberti Regis edidit, capite quadrageſimo-quarto, cùm ageret de ritu Pſallendi in Monaſteriis ſancti Mauritij, ſancti Martini, & ſancti Dionyſij inſtituto, non meminit laudis perpetuæ, quia tunc ob oculos habebat exſcribebátque caput ſeptuageſimum-nonum Fredegarij. Scripſit autem aliter capitibus triceſimo-quinto & quinquageſimo-primo, quia nullum Auctorem fide dignum tunc ſequebatur, & quas à ſodalibus ſuis audierat poſteris fabulas tranſmittebat. Capite triceſimo-quinto, ad annum Dagoberti Regis decimum-tertium, egit de facultatibus Sadregiſeli Ducis, earúmque medietate pro ſtipendiis Monachorum in Cœnobio ſancti Dionyſij degentium collatam dixit à Dagoberto Rege, qui *eos turmatim ad inſtar Monaſterij Agaunenſium ſiue ſancti Martini Turonis pſallere inſtituit.* At totum illud caput, ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-quartum, cui Dagoberti Regis annus decimus-tertius illigatur, oſtendemus eſſe commentitium. Capite quinquageſimo-primo, ad annum Clodouei Regis decimum-ſextum egit de Conuentu Clippiacenſi, déque Præcepto Regio quod Clodoueus Rex emiſit pro Cœnobio ſancti Dionyſij. Narrationem eorumdem iniit Aimoinus [d]. Sed quamuis Geſta Dagoberti Regis præ manibus haberet, conſultò præteriit ea, quæ Clodoueus Rex ibi fertur dixiſſe de ordine pſallendi per turmas inſtituto in Monaſteriis ſancti Mauritij, ſancti Martini, & ſancti Dionyſij. Animaduertit enim hæc pugnare cum Fredegario, rerum Da-

[a] Cap. 79.

[b] D. 22 Febr. in S. Seuerin.

[c] Lib. 3. c. 81.

[d] Lib. 4. c. 41.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

gobertinarum Auctore præcipuo, & propter ætatem, quâ vixit, fide dignissimo. Discutiemus illa fusiùs ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium, quocum annus decimus-sextus Clodouei Secundi Regis coincidit. Interim memento ex Gestis Dagoberti, quæ Monachus Dionysianus in lucem emisit, non erui validum argumentum, quo perennem Psalmodiam in Agaunensi Monasterio probare possis. Auctor iste locum illum Fredegarij [a], *Psallentium ibidem ad instar Monasterij sanctorum Agaunensium instituere iusserat, sed facilitas Abbatis Aigulfi eandem institutionem noscitur refragasse*, capite quadragesimo-quarto in Gestis Dagoberti Regis ita reddidit, *ordinem autem psallentium ibidem ad instar Monasterij Agaunensium, & sancti Martini Turonis instituerat, sed facilitas Abbatis Aigulfi eandem institutionem noscitur refragasse*. Monasteriis igitur Agaunensi & San-Dionysiano coniunxit Turonense sancti Martini, cuius nulla mentio fit in textu Fredegariano. Eiusdem Monasterij Turonensis similiter meminit his verbis capite tricesimo-quinto, *eos turmatim ad instar Monasterij Agaunensium sine sancti Martini Turonis psallere instituit*, & capite quinquagesimo-primo, *sicut in Monasterio sancti Mauricij Agaunis, & sancti Martini Turonis*. Aimoinus istius Scriptoris auctoritate fretus Psalmodiam, quam Dagobertus Rex apud sanctum Dionysium agi præcepit, non tantùm apud Sanctum Mauritium sed etiam apud Sanctum Martinum celebrari solitam sic affirmauit [b]. *Ordinem psallentium vti apud sanctum Martinum Turonis, necnon apud Sanctum Mauritium Agaunis agebatur, inibi instituit*. Quin & tribus prædictis Monasteriis quartum, nempe Cabilonense sancti Marcelli, coniunxit. Psalmodiam Agaunensem in Cœnobio sancti Marcelli institutam fuisse non temerè pronuntiauit. Id enim anteà Fredegarius initio sui Chronici sic asseruerat. *Guntrannus Rex Francorum, anno* XXIV. *regni sui, diuino amore tactus, Ecclesiam beati Marcelli, vbi ipse preciosus requiescit in corpore, quæ in suburbano quidem Cabillonense, sed tamen in Segonum est territorio, mirificè & sollerter ædificare iussit, ibique Monachos congregans Monasterium condidit, ipsamque Ecclesiam rebus plurimis ditauit. Synodum* XL. *Episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis Monasterij Sanctorum Agaunensium, quæ temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Episcopis, ipso iubente Principe, fuerat firmata, idemque & huius Synodi coniunctione Monasterij sancti Marcelli Guntrannus institutionem firmandam curauit*. Aimoini [c] verò textus talis est. *Anno* XXXIII. *eiusdem Regis* Guntranni, *ipse Rex corpore exemptus, terrenum, vt creditur, regnum pro cælesti commutans, in Ecclesiâ sancti Marcelli Cabilonis sepultus est. Hanc denique Basilicam ipse, diuino succensus amore, in suburbio quidem prædictæ ciuitatis, sed in territorio Segonum, saltuque Brexio studiosissimè ædificauit. Vbi Monachos aggregans, Monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibusque ditauit. Synodum* XL. *Episcoporum aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco Sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in Cœnobio quod ipse fabricarat teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad sepulchrum sancti Martini antiquitus celebratus, necnon in Monasterio sancti Dionysij à Dagoberto Rege agi præceptus, & à nobis cuiusmodi esset exquisitus, taliter se habere est repertus*. Interpolator, vt ex editione Iacobi *du Breul* patet, vtrumque Aimoini textum auxit Monasterio sancti Vincentij, seu sancti Germani de Pratis ad muros Parisienses. Vnum enim, qui pertinet ad Principatum Guntchramni, sic edidit. *Synodum* XL. *Episcoporum aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco Sanctorum Agaunensium, temporibus Sigismundi Regis, ab Auito & ceteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in Cœnobio quod ipse fabricarat teneretur, effecit. Qui videlicet ordo etiam ad sepulchrum sancti Martini antiquitus celebratus, & à beato Germano in Monasterio sancti Vincentij seruari iussus, necnon in Monasterio sancti Dionysij à Dagoberto Rege agi præceptus*, &c. Alterum verò, qui pertinet ad Principatum Dagoberti, sic euulgauit. *Ordinem psallentium, vti apud Sanctum Martinum Turonis, necnon apud Sanctum Mauritium Agaunis, & apud*

[a] Cap. 79.

[b] Lib. 4. c. 33.

[c] Lib. 3. c. 81.

Sanctum Germanum Parrhisios agebatur, ibidem instituit. Variis auctionibus ita crescunt fabulæ. Agaunensis Psalmodiæ ritus institutus est in Monasterio sancti Marcelli sub Guntchramno Rege & in Cœnobio sancti Dionysij sub Dagoberto. Hæc constant ex Chronico [a] Fredegarij. Monachus Dionysianus adiecit Monasterium sancti Martini, decepitque Aimoinum Monachum Floriacensem multò recentiorem; deinde addito Cœnobio sancti Vincentij, errorem Aimoini duplicauit interpolator, Monachus procul dubiò eiusdem Cœnobij, quod hodie Monasterium sancti Germani de Pratis appellatur. Est & alius error apud Aimoinum. Hic enim, cùm Psalmodiam, quam Dagobertus Rex præceperat in Cœnobio San-Dionysiano celebrari, non aliam putaret ab eâ, quæ tunc in Monasterio sancti Martini fiebat, Monachis Agaunensibus & Sandionysianis præscripsit illam psallendi Regulam, quam Patres Concilij Secundi Turonensis *in ipsa Basilica Domini Martini* seruandam decreuerunt. Textum ipsum Aimoini [b] mox recitabimus, cumque conferre poteris cum Canone duodeuicesimo supradictæ Synodi.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

[a] Capp. c. 75.

[b] Lib. 3. c. 81.

Octauam rationem pro ritu illo iugiter apud Agaunum psallendi desumit Haeftenus [c] ex Chronico sancti Benigni Diuionensis, in quo de Sigisimundi Regis pœnitentia post Segerici filij necem hæc leguntur. *Cùm ibi*, nempe apud Agaunum, *in orationibus persisteret, ieiuniis & eleemosynis intentus, reuelatum est ab Angelo, vt ad instar cælestis militiæ psallendi choros institueret. Quo diuinitus accepto consilio Episcopos & alios religiosos viros consuluit, vtrùm salubriter cogitaret. Quâ interrogatione sancti Antistites inter se ventilatâ, licet inusitatum opus, tamen Domino annuente, vnanimiter corroborauerunt. Quod sanctum opus seruitutis Domini perfectè institutùm & confirmatum est pari consensu omnium. Atque extunc laudes Domini omnibus persoluuntur horis.*

CCXLVII.

[c] Lib. 1. tract 5. Disquis. 11.

Quamuis hic textus de choris alternis, qui cælestem militiam per Antiphonas imitentur, déque solis horis Canonicis, quarum aliæ nocturnæ sint, aliæ diurnæ, satis commodè possit accipi, ne tamen Auctori vim afferre videamur, illum malumus intelligere de iugi Psalmodia, quam Chronologus ab ætate Sigismundi Regis procul remotus Agaunensi Monasterio perperam affinxerit. Sancti Benigni Chronicon opus est vndecimi seculi. Plerique iam scripserant laudem perpetuam in Monasterio Agaunensi olim institutam fuisse, idque temerè asseruerant contra fidem antiquiorum monumentorum, quibus potior fides haberi debet.

CCXLVIII

Nonam rationem pro iugi Psalmodia Monasterij Agaunensis deducunt Sammarthani [d] ex numero Monachorum, quos aiunt fuisse nongentos, & in nouem distributos normas seu turmas, quarum quælibet centum Monachos complectebatur.

CCXLIX.

[d] Tom. 4. Gall. Christ. in Agaun.

Quæ Victorius Gratianopolitanus Episcopus dixisse fertur de Monachis Agaunensibus in nouem normas diuidendis, quia solâ chartâ superiùs explosâ nituntur, nihili facimus. Pro copiosâ Monachorum multitudine Sammarthani citant illud Prosæ Agaunensis, *nongentis parat victum fratribus.* At quæstio non est de numero. Fuerint nongenti secundùm Sammarthanos, trecenti secundùm Yepesium [e], non dicimus eos numero impares fuisse vt indesinenter psallerent, sed quantumcumque numerum attigerint excesserintve, negamus apud eos laudem perennem viguisse, quia monumentum, quo probari possit, in antiquis Auctoribus non occurrit.

CCL.

[e] An. 558. n. 3.

Temporibus igitur Sigismundi Regis in Synodo Agaunensi non est sancitum, vt Agaunenses Monachi laudem perennem celebrarent, sed tantùm vt alternis psallerent choris, eóque ritu singulis diebus omnes horas Canonicas in congregatione decantarent. Atque hæc consuetudo noua tunc dici potuit & inusitata, quia modus psallendi choris alternis in Occidente rarus erat, & Monachi propter opus quotidianum cui vacabant, aut quotidie non conueniebant ad psallendum, aut, si conueniebant quotidie, non conueniebant

CCLI.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. CCLII.

ad singulas horas Canonicas, sed extra congregationem priuatim partem diuini Officij persoluebant.

Nostram de Agaunensi Psalmodia sententiam hæc argumenta confirmant. Qui laudem perpetuam apud Agaunum institutam volunt, nullam afferunt validam rationem, quâ suam opinionem tueri possint. Præterea capite nono Regulæ Tarnatensis siue Agaunensis, horæ Canonicæ diurnæ cum opere quotidiano intermedio sic perstringuntur. *Omni tempore duabus horis in die spirituali meditationi vacabunt. Æstatis verò tempore Matutinis ex more completis, & Primâ dictâ, omnes opera quæ iubentur assumant. Deinde Tertiâ celebratâ, ad expedienda quæ suscepta fuerant reuertantur, nec collocutione quarumcumque fabularum secularium occupentur, nisi fortassè hoc proferat sermo relatoris, quod animam ædificet audientis. A Sexta quoque hora vsque ad Nonam vacent quieti vel etiam lectioni. Post horam verò Nonam, aut in horto, aut vt poscit vtilitas, vsque ad horam Lucernary omnes in vnum, solatium commodabunt. Hyemis verò tempore, Matutinis vel Primâ transactis, omnibus vsque ad Tertiam vacare conceditur lectioni. Quâ consummatâ, gratanter quod eis iniunctum fuerit, implere festinent, vt tam dictum est, vsque ad horam Lucernary.* Denique Aimoinus [a] nulla mentione facta laudis perennis, hunc psallendi ritum apud Agaunum & in aliis quibusdam Monasteriis obseruatum tradit. *In diebus æstiuis sex Antiphonæ binis Psalmis explicabantur. Porrò toto Augusto, propter crebras festiuitates, manicationes fiebant. Manicare autem mane surgere dicitur. In Septembri verò septem Antiphonæ canebantur, distributis vnicuique binis Psalmis. In Octobri octo, cum ternis Psalmis. In Nouembri nouem, cum ternis itidem Psalmis. In Decembri decem, cum ternis similiter Psalmis. Verùm in Ianuario ac Februario, vt possibilitas sinebat. Hoc tamen obseruantes, ne minùs à duodecim Psalmorum quantitate ad Vigilias dicerent nocturnas. Ad Sextam tamen sex Psalmi cum Alleluja; ad Duodecimam duodecim, idque cum Alleluja, psallebantur.* Hæc descripta sunt ex Concilio secundo Turonensi, nec pertinent ad Psalmodiam Agaunensem. Aimoinus incidit in gesta Dagoberti Regis, & in Canones prælaudatæ Synodi. Gestorum Dagobertinorum lectione deceptus existimauit eandem psallendi normam & Agauni apud sanctum Mauritium, & Turonis apud sanctum Martinum obseruatam fuisse. Lectâ Synodo Turonicâ, Canonem duodeuicesimum, quo ritus psallendi seruandus in Ecclesia sancti Martini præcipitur, descripsit ratus illam esse Psalmodiam Agaunensem, quam diuersis temporibus pleraque Galliarum Monasteria suscepissent. Agemus de ritu illo psallendi ad annum Christi quingentesimum sexagesimum sextum, quo Synodus Turonensis habita est. Hic tantùm nota Aimoinum Monacho San-Dionysiano aliisque refragari, qui perennem Psalmodiam in Agaunensi Monasterio viguisse tradunt.

[a] Lib. 3. c. 81.

CCLIII. Hactenus collegimus multa, quæ conferunt ad elucidationem Regularum, quas Monachi Monialésque in ditionibus ex Ostrogothica potestate in Francicam hoc anno spontaneâ cessione traductis profitebantur. Cetera, quæ pertinent ad hunc annum, suo prosequemur ordine.

CCLIV. REX THEODOBERTVS.

Theodobertus Rex Francorum multa præclarè gessit, & misericordiam à Deo consecutus obtinuit gratiam ab adulterio resipiscendi. *In regno firmatus,* inquit [b] Gregorius Turonensis, *magnum se atque in omni bonitate præcipuum reddidit. Erat enim regnum cum iustitia regens, Sacerdotes venerans, Ecclesias munerans, pauperes releuans, & multa multis beneficia piâ ac dulcissimâ accommodans voluntate. Omne tributum, quod fisco suo ab Ecclesiis in Aruerno sitis reddebatur, clementer indulsit. Cùm iam septimus annus esset, quòd Wisigardem desponsatam haberet, & iam propter Deuteriam accipere nollet, coniuncti Franci contra eum valdè scandalizabantur, quare sponsam suam relinqueret? Tunc commotus, relictâ Deuteriâ, de qua paruulum filium habebat Theodobaldum nomine, Wisigardem duxit vxorem. Quam nec multo tempore habens, defunctâ illâ, aliam accepit. Verumtamen Deuteriam vltrà non habuit.* His enarratis idem Auctor ser-

[b] Lib. 3. capp. 25. 27.

monem

monem ſtatim conuertit ad bellum ciuile, quod exarſit anno poſt Clodouei Regis obitum viceſimo ſexto, vt dicemus anno ſequenti. Atque inde colligere eſt Wiſigardem ſub huius anni exitum nupſiſſe Theodoberto, poſtquàm ille Theodobaldum ex Deuteria nuperrimè ſuſcepiſſet hoc eodem anno, & anno priori Ragintrudem quam Totilas Oſtrogothorum Rex in coniugem anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo octauo poſtulauit. Aimoinus[a] Wiſigardem Vaconis Longobardorum Regis filiam facit. Ea ſuperſtes videtur apud Gregorium Turonenſem[b] vſque ad expeditionem quam Theodobertus Rex in Italiam ſuſcepit.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2. DVCIT VXOREM.

[a] Lib. 1. capp. 13 & 14.
[b] Lib. 3. c. 11.

Inter res à Theodoberto geſtas, quæ Regem Chriſtianum decent, non vltimum locum habere debet inſignis charitas, quâ ſeptem millia aureorum ciuibus Viredunenſibus erogauit, vt eorum paupertatem ſubleuaret. *Deſideratus Viredunenſis Epiſcopus, cùm poſt multa exitia, damna atque arumnas, ad libertatem propriam Domino iubente rediiſſet, & Epiſcopatum apud Viredunenſem vrbem potiretur; videns habitatores eius valdè pauperes atque deſtitutos, dolebat ſuper eis. Et cùm ipſe per Theodoricum de rebus ſuis remanſiſſet extraneus, nec haberet de proprio qualiter eos conſolaretur, bonitatem & clementiam circa omnes Theodoberti Regis cernens, miſit ad eum legationem dicens. Fama bonitatis tuæ in vniuerſa terra vulgatur, cùm tanta ſit tua largitas, vt etiam non petentibus opem præſtes. Rogo ſi pietas tua habet aliquid de pecunia, nobis commodes, quâ ciues noſtros releuare valeamus. Cúmque hi negotium exercentes, reſponſum in ciuitate noſtra ſicut reliqua habent præſtiterint, pecuniam tuam in vſuris legitimis reddemus. Tunc ille pietate commotus ſeptem millia aureorum præſtitit. Quæ ille accipiens, per ciues ſuos erogauit. At illi negotia exercentes, diuites per hoc effecti ſunt. Cúmque antedictus Epiſcopus debitam pecuniam obtuliſſet Regi, reſpondit Rex, non habeo neceſſarium hoc recipere, illud mihi ſufficit, ſi diſpenſatione tuâ pauperes, qui opprimebantur inopiâ, per tuam ſuggeſtionem, vel per meam largitatem ſunt releuati. Et nihil exigens, antedictos ciues diuites fecit.* Huc vſque Gregorius Turonenſis[c].

CCLV. SVBLEVAT PAVPERTATEM VIREDVNENS.

[c] Lib. 3. c. 14.

Firminus, quem anno quingenteſimo decimo-ſexto natum probauimus, *cùm annorum fuiſſet viginti*, vt in eius vita legitur, *ad honorem Presbyterij peruenit.* Patruus eius Roricius Epiſcopus Vcecienſis à quo ſalutaribus præceptis per annos octo fuerat eruditus, *erat iam ſenex, octoginta ſcilicet annorum, poſuítque ſub ditione ſua beatum Firminum ſuper omnes ciuitates prouincia & cetera loca.* Idem laudatur Firminus, tum quòd fuit *literis benè eruditus*, tum quòd *in teneris poſitus annis, à Spiritu qui vbi vult ſpirat inſpiratus, ad ſeruitium ſeſe Chriſti fideliter mancipauit.*

CCLVI. FIRMINVS FIT PRESBYTER.

Domnus Viennenſis Epiſcopus obiit hoc anno, Pantagathus enim illius ſucceſſor ſedit annos duntaxat quinque, & migrauit ad Deum ſub Conſulatu Baſilij, vt conſtat ex Adonis Chronico.

CCLVII. MORS DOMNI EPISC. VIENNENS.

Hoc etiam anno deceſſit Honoratus Epiſcopus Bituricenſis, Arcadium enim, qui ſubrogatus eſt, mortuum anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-primo probabimus, poſtquàm ſediſſet annis quinque, teſte Monacho[d] San-Sulpitiano, quem Philippus Labbeus tomo ſecundo ſuæ Bibliothecæ publicauit. Multi duos diſtinguunt Honoratos Eccleſiæ Bituricenſis Antiſtites, quorum alterum Concilio Aurelianenſi ſecundo, quod anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-tertio celebratum eſt, alterum interfuiſſe volunt Concilio Aruernenſi, quod habitum eſt anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quinto. Vtrumque Honoratum numero Sanctorum aſcribit Monachus San-Sulpitianus[e], priorem tantùm Robertus, neutrum Demochares[f]. Sammarthani[g], quibus libenter aſſentimur, vnum duntaxat agnoſcunt Honoratum qui duabus prædictis Synodis ſubſcripſerit. Locum illi Sauſſaius non tribuit in Martyrologio Gallicano. Epiſcoporum Bituricenſium, vt aliorum complurium, Chronologia ſolis Conciliorum ſubſcriptionibus inniti poteſt ante Childeberti Secundi principatum, à cuius exordio Gregorius Turonenſis

CCLVIII. HONORATI BITVRICENS. EP.

[d] Capp. 10. 11.
[e] Capp. 10. 11.
[f] De diu. Miſſ. ſacr. c. 14.
[g] Tom. 1. Gall. Chriſt.

AN. CH. 536. CHILDEB. CLOTAR. RR. 25. THEOD. R. 2.

historiam Ecclesiasticam Francorum per annos inposterum digessit. Primæ Synodo Aurelianensi subscripsit Tetradius, anno vndecimo sexti seculi, Synodis Aurelianensi secundæ & Aruernensi subscripsit Honoratus, annis eiusdem seculi tricesimo-tertio & tricesimo-quinto. Ab illo computo procul aberrauit Auctor veteris catalogi, qui testibus Demochare & Monacho San-Sulpitiano duos supposuit Honoratos, & priori annos in Pontificatu vndecim, posteriori quatuordecim assignauit. Monachus San-Sulpitianus, vt errorem corrigeret, illi sex tantùm annos, huic tres duntaxat attribuit, nos habitâ eiusmodi calculi ratione Præsulatum Honorati ad nouennium prorogauimus initio ducto ab anno Christi vicesimo-septimo supra quingentesimum.

CCLIX. CAMELIANI TRECENS. EP.

[a] Die 4. Febr

Obiit & hoc anno Camelianus Trecensis Episcopus, vt Pithœus testatur. Alij Camuzato suffragati mortem eius ascribunt anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto. Vtramque opinionem attigit Bollandus in Notis ad vitam [a] sancti Auentini, sed vtram alteri præferendam censeret non indicauit. In Episcoporum Trecensium catalogo Camuzatus Encomium Cameliani clausit his verbis. *Nonnulla verò antiqua monumenta memini me vidisse, quæ eius è vita discessum anno quingentesimo vicesimo-quinto assignant.* Hoc vno nituntur argumento qui Camelianum illo anno mortuum volunt. Adhærendum potiùs Pithœo iudicamus, quia Fidolus Cameliano superstite Monachum induit in Monasterio Insulæ post Aruerniæ cladem, quæ sub Rege Theodorico, Clodouei filio, contigit, nec citiùs quàm exeunte anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto referri potest. Sedit igitur Camelianus annos septem & quinquaginta, neque id extra fidem haberi debet, cùm Lupi, cui Camelianus successerat, Pontificatus quinquennio tantùm breuior extiterit, & Remigius vtrique coætaneus longè diuturniorem Præsulatum Remis gesserit. Festum sancti Cameliani celebratur quinto Kalendas Augusti. Pars optima corporis in Ecclesia Trecensi custoditur, & eâ quâ par est veneratione colitur. Camuzatus sanctum Camelianum aliquando confudit cum beato Himerio quem à Tricassibus venientem Sidonius Apollinaris [b] à se Lugduni breuiter inspectum testatur, sed Seuertio posteà rescripsit Himerium nullibi verè Episcopum extitisse, præsertim Tricassibus, Abbatem duntaxat fuisse in agro Basileensi *, vbi nunc etiam illius nomen seruat regio dicta Vallis * sancti Himerij. Sancto Cameliano successit in Episcopatu sanctus Vincentius, ad cuius Pontificatum peruenit Auentinus ex Insulæ Abbate non ita pridem factus Anachoreta.

[b] Lib. 7. ep. 13.

* *de Baste.*
* *Le Val S. Himier.*

CCXL. CLOTARIVS REX DVCIT CHVNSENAM.

Clotarius Rex Chunsenam, vt anno priori iam insinuauimus, in vxorem duxit, ex eâque suscepit Chramnum. Matrimonium initum hoc anno putamus, & anno sequenti natum Chramnum qui vitam clausit anno Christi quingentesimo sexagesimo, cùm annum ætatis, vt coniicimus, vicesimum-tertium absolueret. Chronologiam nostram post biennium confirmabimus in nuptiis Radegundis.

CCLXI. LAVS S. BRACHIONIS.

[c] De vita patr. cap. 12.

Hoc anno, post Sigiualdi Ducis mortem tertio, Æmilianus eremita Ponticiacensis, *impletis diebus vitæ suæ*, vt in ea Gregorius Turonensis scribit [c], *& circiter nonagenariâ ætate egrediens à corpore Brachionem reliquit hæredem. Hic stabilito Monasterio obtinuit à Rachinilde Sigiualdi memorati filia multa terrarum spatia, quæ ad hoc Monasterium dereliquit; erat enim saltus ex domo Vindacensi. Hic verò de hoc egressus Monasterio Turonis venit, ibique ædificatis Oratoriis duo Monasteria congregauit. Post hæc autem reuersus est Aruernum ad prius Monasterium, in quo per quinque annos inhabitans venit Turonis, stabilitisque Abbatibus in Monasteriis supradictis Aruernum regressus est. Cùm ad priorem cellulam resideret, in Monasterium Manatense quod per incuriam Abbatis intepuerat ordinatur, vt scilicet eius studio congregatio ipsa canonicè regeretur; erat enim castissimus conuersatione, sed & alios strenuè distringebat castam gerere vitam; qui erat suauis colloquio, & blandus affectu; in transgressionibus verò Regula ita seuerus habebatur,*

vt aliquoties putaretur esse crudelis ; in ieiuniis vigiliisque & charitate perfectum reddiderat virum. Hæc suis interuallis distingui vix possunt. Vixit autem Abbas Brachio vsque ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-sextum, vt suo loco dicemus. AN. CH. 536.

ANNVS CHRISTI 537. CHILDEBERTI R. 26. CLOTARII R. 26. THEODOBERTI R. 3. INDICTIO 15.

AN. CH. 537. CHILDEB. CLOTAR. RR. 26. THEOD. R. 3.

ANNVS Christi quingentesimus tricesimus-septimus in fastis Marij secundus est post Consulatum Belisarij, & notatur Indictione decimâquintâ. Numeratur post Clodouei Regis obitum vicesimus-sextus, quo Sigebertus ait [a] ortam grauem dissensionem inter Reges Francorum, quam Deus insigni miraculo composuit. *Childebertus & Theodobertus commouentes exercitum*, inquit Gregorius Turonensis [b], *contra Chlothacharium ire disponunt. Ille autem hæc audiens, æstimans horum exercitum non sustinere, in siluam confugit, & concides magnas in siluâ fecit, totamque spem suam in Dei pietate transfundens. Sed & Chrodechildis Regina hæc audiens, beati Martini sepulchrum adiit, ibique in oratione prosternitur, & totâ nocte vigilat orans ne inter filios suos bellum ciuile consurgeret. Cumque hi venientes cum exercitibus suis eum obsiderent, tractantes illum die sequenti interficere, mane facto in locum quo erant congregati, orta tempestas tentoria dissecat, res diripit, & cuncta subuertit, immixtáque fulgura cum tonitruis ac lapidibus super eos descendunt. Ipsi quoque super infectam grandine humum in facie proruunt, & à lapidibus descendentibus grauiter verberantur, nullum enim eis tegumen remanserat, nisi parmæ tantùm, hoc maximè metuentes ne ab ignibus cælestibus cremarentur. Sed & equi eorum ita dispersi sunt, vt vix in vicesimo quoque reperirentur stadio, multi enim ex eis prorsus non sunt inuenti. Tunc illi à lapidibus, vt diximus, cæsi & humo prostrati, pœnitentiam agebant ac veniam precabantur à Deo, quòd ista contra sanguinem suum agere voluissent. Super Chlothacharium verò neque vna quidem pluuiæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus, sed nec anhelitum illius venti in illo loco senserunt. Hi quoque mittentes nuncios ad eum, pacem & concordiam petierunt. Quâ datâ ad propria sunt regressi. Quod nullus ambigat hanc per obtentum Reginæ, beati Martini fuisse virtutem.* Aimoinus [c] scribit Clotildem Parisiis fuisse, cùm primus belli rumor increbuit, & Clotarium ad locum confugisse, *qui Combros dicitur in Aureliano pago*, sed duplicem committit errorem, saltum enim Arelaunum ad quem Clotarius Rotomagum versùs confugit, in pagum Aurelianum perperam commutat, & vocem, *combros*, quæ cædem arborum in Gestis Regum Francorum [d] significat, nomen loci proprium esse falsò putat. Sub idem tempus Clotario natus est Chramnus, cuius mater Chunsena paulò pòst extincta est, agemus enim anno sequenti de nuptiis Radegundis, quam mortuâ Chunsenâ Clotarius in vxorem duxit.

I.

[a] In Chron.

[b] Lib 3. c. 28. BELLVM CIVILE SEDATVR INSIGNI MIRACVLO.

[c] Lib. 4. c. 18.

[d] Cap. 15. NASCITVR CHRAMNVS.

II.

De Clotilde Reginâ nihil amplius in historiis occurrit. Eius obitum & sepulturam Gregorius Turonensis [e] ita describit. *Plena dierum bonisque operi-*

[e] Lib 4. c. 1. MORS CLOTILDIS REGINÆ.

AN. CH. 537. CHILDEB. CLOTAR. RR. 26. THEOD. R. 3.

bus prædita apud vrbem Toronicam obiit, tempore Iniurioſi Epiſcopi, quæ Pariſius cum magno pſallentium præconio deportata, in ſacrario Baſilicæ ſancti Petri ad latus Chlodouechi Regis ſepulta eſt, à filiis ſuis Childeberto atque Chlothacario Regibus. Nam Baſilicam illam ipſa conſtruxerat, in quâ & Genouefa beatiſſima eſt ſepulta. Agemus de morte Iniurioſi Epiſcopi ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-ſextum. Fallitur Sigebertus [a] cùm Clotildis obitum conſignat anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quarto, octo enim annis ſuperſtes Iniurioſo Antiſtiti vixiſſet. Nomen Clotildis relatum fuit in tabulas Eccleſiaſticas tertio Nonas Iunij. Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum ſeu ſancti Petri, quæ poſteris ſeculis à Genouefâ virgine ibi ſepultâ nomen accepit, Clodoueus Rex inchoauit, abſoluit Clotildis eius relicta. *Circa Genouefæ tumulum*, inquit Author vitæ à Bollando [b] editus, *humilis primitus ligni ſuperimpoſitione contectum glorioſæ memoriæ Hlodoueus Rex norma bonorum, & vir omnibus iure Principibus, virtute, iuſtitiâ, pietate præferendus, Baſilicam mirabili diſpoſitione fundauit. Quæ eodem immaturâ morte præuento, patrante ſublimiſſimâ coniuge Hlothilde Reginâ, porticibus, atriis, adytiſque decorata celſum protulit eleuata faſtigium.* Non igitur cum ſemetipſo pugnat Gregorius, dum ait [c] Clodoueum ſepultum fuiſſe *in Baſilicâ Sanctorum Apoſtolorum, quam cum Chrodechilde Reginâ ipſe conſtruxerat*, additque [d] poſteà Chrothildem ſepultam fuiſſe *ad latus Chlodouechi Regis in ſacrario Baſilicæ ſancti Petri, quam ipſa conſtruxerat, in quâ & Genouefa beatiſſima eſt ſepulta.* Illic collocati ſunt Monachi. Præterea Clotildis in agro Pariſienſi Kalenſe * Monaſterium puellarum erexit. Vtrumque legitur apud veterem Authorem qui vitam ſanctæ Balthildis ſcripſit, cùm enim recolit *in regno Francorum nobiles & Dei cultrices quaſdam fuiſſe Reginas*, Clotildis Reginæ Panegyrim his verbis abſoluit. *Eccleſiam in honorem ſancti Petri vbi religio monaſtici ordinis vigeret, Pariſius fecit, necnon Cœnobium ſacrarum virginum in honore ſancti Georgij in Kalâ prima conſtruxit.*

[a] In Chron.

[b] D. 3. Ian.

[c] Lib. 3. c. 41.

[d] Lib. 4. c. 1.

* *Chelles.*

• III. ECCLESIA S. AVENTINI CONSTRVITVR TRECIS.

Qui ſanctum Vincentium beato Cameliano in Epiſcopatum Trecenſem anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quinto ſucceſſiſſe volunt, Eccleſiam ab eodem Vincentio in honorem ſancti Auentini conſtructam affirmant anno Chriſti circiter quingenteſimo viceſimo-ſexto. Sancti Cameliani mortem in annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſextum diſtulimus, pari ratione contendimus fundamenta prædictæ Baſilicæ iacta fuiſſe hoc anno, qui numeratur Incarnationis Dominicæ quingenteſimus triceſimus-ſeptimus. Obiit beatus Auentinus pridie Nonas Februarias, quo die celebris eius memoria quot annis recolitur. In illius vitâ ſub finem hæc leguntur. *In ſancti Auentini honore vir ſanctus Vincentius Epiſcopus Baſilicam ſubtus vrbem Tricaſſinam diligenter fundari præcepit, in quâ ſimul coniuncto latere requieſcit.* Ex eo textu tria colligimus de ſancto Vincentio. Extra muros vrbis in loco vbi Auentinus anachoreticam vitam duxerat, priuſquàm ad ſeptimum milliare ſiue Inſulam * ſecederet, Eccleſiam ædificandam curauit. In illam Baſilicam corpus beati Auentini tranſtulit. Denique in eâdem Baſilicâ iuxta beatum Auentinum ſepeliri voluit. Hodie *reliquiæ ſancti Auentini*, vt in notis ad eius vitam Camuzatus obſeruat, *ligneâ capſulâ auro exteriùs bracteatâ in Eccleſiâ* collegiatâ *ſancti Stephani vnà cum multis aliis reuerentiſſimè cuſtodiuntur, quod & mnemoſynum quoddam ex ipsâ capſulâ depromptum, partem eorum quæ in eam recondita ſunt, complectens indicat hoc tenore. Corpus ſancti Auentini Confeſſoris; magnam partem corporis ſancti Altini*, &c. Eccleſia, quam Vincentius Epiſcopus ſancto Auentino dicauit, nunc Tricaſſinorum murorum ambitu cingitur, hac enim parte pomœrium vrbis prorogatum fuit. Ibi viſitur lapideum ſepulchrum tres aut quatuor pedes à terrâ excitatum, in quod illatum eſt ſancti Vincentij corpus, quod in primariâ Baſilicâ quidam hodie dicunt aſſeruari, ſed huius rei nulla probatio comperitur, & Camuzatus in auctario ſui promptuarij longè verisimilius putat ipſum adhuc in Eccleſiâ

* *Iſle.*

sancti Auentini quiescere. Verùm hac de re fusiùs agenus post nouennium in obitu sancti Vincentij. AN. CH. 537.

Roricius Episcopus Vceciensis ad Deum migrauit hoc anno, cùm Firminus annum ætatis suæ vicesimum-primum agebat, vt ex eiusdem Firmini vitâ patet, vbi Firminus dicitur ad honorem Presbyterij peruenisse *cùm annorum fuisset viginti*, & Roricius traditur, *vita functus anno subsequente*, qui certè non alius fuit ab anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo, quia Firminus post Roricium sedit annos duntaxat sexdecim, & Ferreolus Firmini successor, postquàm annos octo & viginti in Pontificatu exegit, decessit anno Christi quingentesimo octogesimo-primo. CHILDEB. CLOTAR. RR. 26. THEOD. R. 3.

IV. RORICIVS EP. VCET. MORITVR.

Qualem in administrando Episcopatu se gesserit sanctus Roricius, author vitæ declarat his verbis. *Vzetiæ Ecclesiâ pastore destitutâ Probatio, clerus & populus Episcopum eum nominarunt, & contra voluntatem suam in Episcopali sede posuerunt. Gregem suum diligentissimè rexit, alens eum Euangelico pabulo, & per prædicationes suas sapientiæ salutari liquore eum irrigando. Paulò post cùm Vzetia ciuitas & vicinia eius variis morbis esset vexata, veluti peste, sanguinis fluxu, & aliis incommodis quæ populum cruciabant, beatus Roricius cum viris religiosis intrans Ecclesiam consperso cinere, cum fletu & gemitu per triduum ieiunus perstitit, & vt Dominus populum de tantâ clade liberaret, Deo sacrificium obtulit. Eo autem in oratione perseuerante, Angelus apparuit dicens. Rorici, exaudita est deprecatio tua statimque plaga populum dereliquit. Cùm ad extremam senectutem peruenisset & multis corporis infirmitatibus laboraret, subrogauit in functione suâ B. Firminum propinquum suum quem educauerat in omni bonorum morum genere & vitæ sanctitate, & paulò post migrauit ad Dominum. Die ipsâ quâ decessit apparuit super domum suam magnum lumen ad quod totus populus statim confluxit. Et ibi Deus multa miracula operatus est per intercessionem viri sancti.* Vixit beatus Roricius annos vnum & octoginta. Post eius mortem *remansit vir religiosus Firminus Vzetiæ titulatus & pastorali culmine sublimatus*, vt Author vitæ testatur.

V. EIVS VIRTVTES.

SVCCEDIT FIRMINVS NEPOS.

Hoc anno Fraganum Tremerino in Episcopatu Corisopitensi successisse tradit Albertus de Monte Relaxo.

VI. EPISCOPI CORISOP.

Hoc eodem anno, belli Gothici tertio, Vitiges ab obsidione Romanâ discessit, cùm se circumegissent æstas, & Vrbem per annum nouémque dies Ostrogothi circumsedissent. Paulò pòst Mediolanum & omnis Liguria in potestatem Romanorum rediere. *Quâ re Vitiges auditâ*, vt Procopius [a] subdit, *maximas eodem copias mittit. Cui & Francorum Dux Theodibertus, vt eius auxilio indigenti, decem millia virorum, ἄνδρας μυρίους, suppetias misit non tamen Francos sed Burgundiones, ne videretur Imperatoris confœderati rebus iniuriam intulisse. Hi namque suâ perinde sponte, nec Theodiberti iussu, vt eius dicto non audientes, aduersus Romanos pra se venisse ferebant. Quibuscum Gothi suis coniunctis iam copiis, Mediolanum, haudquaquam eorum expectantibus Romanis aduentum, perueniunt, vrbémque eam obsidione vndequáque sic cingunt, vt nec vnde Romanis inferri necessaria possent, quorum inopiâ premebantur, nec sanè militum iam satis erat, qui in muris custodias facerent. Mundilas námque Romanorum præfectus, quas secum traduxerat copias, in circumiecta Mediolano oppida, vt Bergomum *, Comum *, Nouariam *, & munitiora alia quædam castella, in potestatem redacta, partibus dimiserat; itaut non paruifaciendam militum manum in singulis his custodiæ gratiâ collocarit; ipse verò cum trecentis duntaxat, quos sibi reliquos fecerat, Mediolani manebat, cum eóque Ennes & Paulus erant, vnde vel cines necessariò cogebantur per vices assiduò custodias facere. Iamque erat hyems exacta, ac tertius bello huic annus exibat, quod literis Procopius commendauit.* Mediolanum * igitur ab Ostrogothis obsideri cœpit anno belli Gothici tertio, captúmque fuit anno quarto eiusdem belli, siue anno Christi quingentesimo tricesimo-octauo, vt patebit ex iis quæ referemus anno sequenti ex Marij Chronico sub Ioannis Consulatu.

[a] Lib. 1. de bell. Goth. cap. 12.

FRANCI GOTH. FOEDERATI.

* Bergame. * Come. * Nouarr.

* Milan.

VII.

VIII. BARONII CHRONOLOGIA REFELLITVR.

Baronius belli Gothici Chronologiam anno, nonnumquam biennio tar-

AN. CH. 537. CHILDEB. CLOTAR. RR. 26. THEOD. R. 3.

diorem init. Obsidionem, quâ Romam Rex Gothorum Vitiges cinxit, cœptam vult anno Christi quingentesimo tricesimo-octauo, solutámque anno Christi quingentesimo tricesimo-nono. In illa supputatione toto biennio à nobis dissidet. In errorem inductus fuit ab Euagrio, qui Romam Belisario sine pugna traditam ait [a] *nono die Apellei, hoc est, ad quintum Idus Decembris vndecimo anno Impery Iustiniani*, siue anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo. Nam si Roma Belisario deditionem fecit illo anno mense Decembri, non obsessa fuit ab Ostrogothis ante annum Christi quingentesimum tricesimum-octauum, obsidio enim, quæ durauit *annum ac dies nouenos*, soluta fuit cùm *iam annus circa vernum æquinoctium* ἀμφὶ ἔαρος ἐτελεύτα, *se vertebat*, vt Procopius [b] loquitur, eóque computo Vitiges ab Vrbis obsidione discessit anno Christi quingentesimo tricesimo-nono. Procopius Euagrio præferri debet, est enim antiquior, réstque scripsit quas ob oculos habuit. Primum autem belli Gothici annum nono anno Iustiniani Imperatoris & Consulatui Belisarij comparat, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, deinde anno secundo belli Gothici, siue anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto Romam Belisario traditam, ac paulò pòst obsessam ait à Vitige, qui tertio anno belli Gothici, siue anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo, cùm se circumegerat ætas obsidionem soluit. Apud Procopium [c], vbi de Belisarij ingressu in Vrbem agitur, Iustiniani Imperatoris annus vndecimus loco decimi perperàm irrepsit, Librariorum enim vitio in vulgatis exemplaribus hæc leguntur. *Contigit vt die vnâ eodémque tempore, & Belisarius cum Imperatoris exercitu per portam, quam Asinariam dicunt, vrbem iniret, & per Flaminiam Gothi excederent, vnde vrbs Roma à Gothis tum primùm capta, annum post sexagesimum, Iustiniani verò vndecimum recuperata est.* A Procopio manauit error ad alios. Annus autem vndecimus Iustiniani Imperatoris nec cum anno belli Gothici secundo, siue post Belisarij Consulatum proximo, quo Belisarius Romam Imperio ex Procopij calculo restituit, nec cum anno post captam primùm à Barbaris Vrbem sexagesimo coincidit. Alterum probatur ex constitutione [d] ab Imperatore Iustiniano Kalendis Septembris edita, in qua vndecimus annus Iustiniani cum anno secundo post Consulatum Belisarij, id est, cum anno tertio belli Gothici componitur his verbis. *Imperij Iustiniani sacratissimi Augusti anno vndecimo, & post Consulatum Belisarij clarissimi viri anno secundo.* Alterum eruitur ex Cassiodoro, Marcellino, aliisque Scriptoribus, quorum auctoritate fretus ipsemet Baronius Occidentale Imperium penitùs euersum, & Romam ab Odoacre Erulorum seu Gothorum, vt alij vocant, Rege occupatam asseruit Basiliscо & Armato Consulibus, nam si, prout in Marcellini Chronico reperitur, *Indictione decimâ-quartâ, Basilisco & Armato Consulibus, Odoacer Rex Gothorum Romam obtinuit*, ab illo Consulatu, quem anno Christi quadringentesimo septuagesimo-sexto cum Indictione decima-quarta illigari constat, ad annum Iustiniani Imperatoris vndecimum, qui anno secundo post Belisarij Consulatum, & anno Christi quingentesimo tricesimo septimo congruit, non anni duntaxat LX. sed vnus & sexaginta lapsi sunt, & annus Iustiniani Imperatoris vndecimus numerari debet post subactam ab Odoacre Romam sexagesimus primus. Expuncto igitur anno Iustiniani Imperatoris vndecimo decimus apud Procopium suprà citatum restituendus est, vt ingressus Belisarij rectè collocetur anno proximo post eiusdem Belisarij Consulatum, belli Gothici secundo, post captam primùm ab Erulis seu Gothis Romam sexagesimo, Iustiniani Imperatoris decimo; id est, Christi quingentesimo tricesimo-sexto, & circa vernum æquinoctium anni sequentis, qui post Belisarij Consulatum secundus, belli Gothici tertius, post occupatam ab Odoacre Romam sexagesimus primus, Iustiniani Imperatoris vndecimus, Christi quingentesimus tricesimus-septimus fuit, soluta referatur obsidio quâ Vitiges Vrbem per annum ac nouem dies iam cinxerat.

[a] Lib. 4. c. 18.

[b] Lib 2 de bell Goth. cap. 10.

[c] Lib 1. c. 14. de bell. Goth.

ἀδίκως.

[d] Nouell. 47.

IX. Dissidium quod inter nos ac Baronium à Procopio discrepantem intercedit,

AN. CH. 537. CHILDEB. CLOTAR. RR. 26. THEOD. R. 3.

quoad annos belli Gothici, diu non durat biennale, quia Baronius existimat eodem anno & obsidionem Romæ solutam à Vitige, & Mediolanum à Gothis ac Burgundionibus captum fuisse, résque quas Procopius annis tertio & quarto belli Gothici gestas refert, ascribit vni anno, belli Gothici quarto, quem cum anno Christi quingentesimo tricesimo-nono comparat. Deinceps à nobis vno duntaxat anno differt, annum enim belli Gothici quartum anno Christi quingentesimo tricesimo-octauo & Consulatui Ioannis illigamus. Opinionem suam tueri conatur subtili subterfugio, quo contendit à Procopio numerari non annos belli Gothici absolutè sumpti quod fatetur inchoatum in Sicilia Belisario Consule, sed annos belli Gothici in Italia cuius initium in annum post Belisarij Consulatum reiicit, cùm idem Belisarius ex Sicilia in Italiam transiit. At in supputandis annis belli Gothici quàm vana sit ac futilis eiusmodi distinctio, satis docebit ipsa lectio Procopij. Testatur Procopius [a] bellum aduersus Gothos à Iustiniano susceptum anno Imperij nono. *Imperator*, inquit, *simul vt de Amalasuntha casu factus est certior, bellum suscepit, annum agens Imperij nonum,* ἔνατον ἔτος τῷ βασιλείῳ ἔχων, *ac Mundo, Magistro militum per Illyricum, imperauit, vt in Dalmatiam Gothis subditam proficisceretur, & Salonas tentaret*, &c. *Belisarium quoque cum classe misit*, &c, *Præcepit autem Belisario, vt ire se Carthaginem simularet; vbi in Siciliam ventum esset, factâ per necessitatis causam excusatione, tentaret Insulam, ac, si fieri posset, nullo negotio occuparet, receptam teneret ita, vt non dimitteret.* Subiicit Salonas à Mundo captas, vniuersamque Siciliam à Belisario subactam fuisse, vtque scias hæc contigisse sub Belisarij Consulatu, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, sic excurrit in eiusdem Belisarij felicitatem. *Cùm Belisario felicius, quàm dici possit, actum est. Consulatum enim, quem post victoriam Vandalicam susceperat, adhuc gerens cùm Siciliam omnem subegit, extremo illius die Syracusas ingressus est, cum exercitu ac Siculorum ingenti plausu, nummos aureos omnibus spargens. Id quod non ex composito fecit, sed casu quodam euenit, vt totâ insulâ iam Romanis recuperatâ, eo die Syracusas inueheretur, & Consulatu, non, vt mos erat, in Byzantij Curia, sed ibi deposito, vir Consularis euaderet.* Addit sub eodem anno nonnulla quæ gesta sunt per hyemem, annorum enim militarium, de quibus agit, initium ducit à vere quo solent exercitus ad bellum procedere, tum transit ab anno primo belli Gothici ad secundum quo Belisarius ex Sicilia in Italiam transfretauit. *Pariter cum hyeme*, ait [b], *primus annus exiit huius belli, quod literis commisit Procopius. Belisarius, relicto Syracusis & Panormi * præsidio, cum ceteris copiis Messanâ * traiecit Rhegium *, vbi Scyllam & Charybdin fuisse Poeta fabulantur.* Illo anno, quem Gothici belli secundum vocat, docet Romam Belisario traditam, ac paulò pòst obsessam fuisse à Vitige, durantéque eiusmodi obsidione claudit annum belli secundum, inchoátque tertium his verbis [c]. *Tum pariter cum hyeme secundus annus exiit huiusce belli, cuius historiam conscripsit Procopius. Iam verò, æstiuo solstitio ineunte, cum fame pestis Vrbem inuasit.* Anno autem tertio solutam ait Vrbis obsidionem, receptámque à Romanis omnem Liguriam, tum missos in Italiam à Theodoberto Francorum Rege Burgundiones, quorum auxilio freti Gothi Mediolanum obsederunt. Denique feruente Mediolani obsidione affirmat belli quod describit annum tertium exiisse, *hic erat*, inquit [d], *rerum status in Liguria, cum hyeme annus exiit tertius belli huius quod Procopius literis mandauit*, & anno sequenti, quem belli Gothici quartum numerat, Mediolanum à Gothis expugnatum scribit [e]. Dilucidiorem Chronologiam inire non potuit, vt annum belli quartum, quo Mediolani vastationem annuente Baronio consignauit, ostenderet tertium extitisse post Belisarij Consulatum, & in Consulatum Ioannis primámque Indictionem, vt Marius obseruauit, siue in annum Christi quingentesimum tricesimum octauum incidisse.

[a] Lib. 1. de bell. Goth. cap. 5.

[b] Lib. 1. de bell. Goth. capp. 7. 8.

* *Palerme.*
* *Messine.*
* *Regge.*

[c] Lib. 2. de bell. Goth. capp. 2. 3.

[d] Lib. 2. de bell. Goth. cap. 12.

[e] De bell. Goth. l. 2. c. 11.

Antequàm vlteriùs progrederemur, operæpretium duximus indicare, quàm benè nostra supputatio cum Procopio cohæreat, quia cùm de beati Mauri X.

AFFINITAS INTER RR. FRANC. ET OSTROGOT H.

profectione ex Italia in Franciam, tum de rebus Italicis quibus se plurimùm Theodobertus & Theodobaldus Francorum Reges immiscuerunt, sæpiùs agendum nobis erit. Ceterùm obserua intercessisse affinitatem inter Reges Francorum & Ostrogothorum, quia Matasuntha, quam Procopius [a] Amalasunthæ filiam vxorémque Vitigis vocat, auiam habuit sororem Clodouei Magni, qui Theodoberti Francorum Regis auus extitit.

[a] De bell. Goth. l. 1. c. 11.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

ANNVS CHRISTI 538. CHILDEBERTI R. 27. CLOTARII R. 27. THEODOBERTI R. 4. INDICTIO 1.

I.

[b] Marius. Victor. [c] In Chron. VARIA PRODIGIA.

ANNVS Christi quingentesimus tricesimus-octauus Ioanne Consule & Indictione primâ consignatur in fastis [b]. Numeratur Childeberti & Clotarij Regum vicesimus-septimus, quo, vt Sigebertus scribit [c], *in diuersis Galliarum locis diuersa signa visa sunt. Cometes apparuit die sancto Paschæ, cælum ardere visum est, verus sanguis ex nube defluxit in vestimentis hominum, domus cuiusdam ab intus sanguine respersa apparuit, & secutæ variæ clades & malæ valetudines cum pustulis & vesicis populos afflixerunt.*

II.

[d] Lib. 2. de bell. Goth. c. 21. MEDIOLANVM A GOTHIS ET FRANCIS FOEDERATIS CAPITVR.

Hoc anno, siue vt Marius loquitur, *Indictione primâ, Ioanne Consule, Mediolanus à Gothis & Burgundionibus effracta est, ibique Senatores & Sacerdotes cum reliquis populis etiam in ipsa sacrosancta loca interfecti sunt, itaut sanguine eorum ipsa altaria cruentata sint.* Eandem Mediolani vastationem anno quarto belli Gothici sic consignat Procopius [d]. *Barbari Mediolanum amplissimam vrbem solo æquatam delent, in eâque virorum trecenta millia sine vllo ætatis respectu trucidant; fœminas verò seruitiorum in morem abductas Burgundionibus dono dedêre, vt promeritas his gratias redderent pro initâ secum belli societate. Reparatum verò ibi inuentum comprehensúmque, & minutatim concisum, vorandum canibus abiecere. Ceruentinus (nam & is Mediolani tunc aderat) fugiens in agrum Venetum abiit, indéque subsequentibus suis in Dalmatiam venit, & ex eâ prouinciâ ad Imperatorem se contulit, cladem hanc Romanorum ingentem nuntiaturus. Exin Gothi ceteris vrbibus, quæ Romana præsidia habebant, deditione potiti, vniuersam Liguriam recepere.* Procopius, vt aduertis, iuxta nostrum calculum non dissentit à Mario, quia Consulatus Ioannis & Indictio prima cum anno quarto belli Gothici coincidunt.

III.

VIGILIVS PP. SCRIBIT CÆSARIO ARELATENSI EP.

Extant Vigilij Romani Pontificis literæ pridie Nonas Martias ad Cæsarium Episcopum Arelatensem hoc anno datæ. *Dilectissimo fratri Cæsario Vigilius. Si pro obseruatione cælestium mandatorum Catholicæ filios Ecclesiæ opportunè vel importunè Sacerdotes singulos decet instruere, quantò magis his, qui deuotione laudabili de rebus sibi dubiis ad studium veniunt consulendi, competenti necesse est ordine responderi? Hinc est quod glorioſi filij nostri Regis Theodeberti interrogationem, quâ nos per Modericum, virum inlustrem, legatum suum credidit requirendos, duximus amplectendam; in quâ Gloriam suam desiderat informari, cuiusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris sui illicitum præsumpsit inire coniugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in subiectis*

subiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commissum non paruâ cordis afflictione valeat expiari. Sed quia, sicut caritatem tuam benè nosse confidimus, modus pœnitentiæ præsentium potiùs Sacerdotum inspectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque possit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æstimationi credimus relinquendum. Quapropter caritas tua, totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspectâ, prædictum glorioſum Regem filium nostrum, & de temporis obseruatione non omittat instruere, & ne vlterius tale aliquid præsumatur, instanter exposcat. Illud quammaximè præcauendum, vt nec ipse, qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus reuertatur, sed diuisis habitationibus communanentes ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data pridie Nonas Martias Fl. Ioanne V. C. Consule.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

IV. CONSVLTVS A REGE THEODOBERTO DE POENITENTIA INCESTO IMPONENDA.

Baronius cùm Theodobertum Francorum Regem reum luxuriæ sciret, & epistolam Vigilij non satis accuratè perpenderet, arbitratus est Romanum Pontificem consultum fuisse de pœnitentiâ, quæ Theodoberto Regi propter incestuosas nuptias esset imponenda. Theodobertus vixit quidem cum adulterâ per triennium, sed ab illo scelere iam resipuerat, nec vnquam lapsus est in incestum, cúmque fratrem non haberet, vxorem fratris accipere non potuit. Tantùm abest, vt ex literis Vigilij quid criminis Theodoberto tribui debeat, quin potiùs piissimo Regi summa laus est impertienda, quòd sanctissimos Episcopos æmulatus in corrigendis subditorum suorum prauis moribus Sedem Apostolicam consuluerit de legitimâ pœnitentiâ, quam oporteret imponi Franco cuidam, qui cum vxore fratris sui illicitum coniugium inire præsumpserat.

V.

Constat Romanos Pontifices sæpè consultos fuisse de pœnitentiâ, quæ nonnullis criminibus esset imponenda, & præstanda vt peccator reconciliationem à Deo & ab Ecclesiâ mereretur. At quæ proferuntur exempla, quorumque magna copia est in epistolis Siricij, Innocentij, Leonis, Felicis Tertij, Gelasij aliorúmque Romanorum Pontificum citatis à R. P. Ioanne Morino libro sexto [a] de administratione Pœnitentiæ, vbi eruditissimus commentator exponit quomodò se gerere soliti fuerint antiqui Patres, cùm criminis noua species aut insignis circumstantia exoriebatur, ea supponunt interrogationes tantùm vel ab Episcopis vel à reis factas, à Rege verò insonte nequaquam, ideóque Theodoberti facinus eò illustrius atque augustius haberi debet, cùm simile non prostet.

[a] Capp. 14. 15.

VI.

Est & alius error in Baronio quoad Chronologiam, existimat enim Vigilium, cùm literas ad Cæsarium scribebat, adhuc pseudopontificem fuisse, perperámque reiicit obitum Siluerij Papæ in annum Christi quingentesimum quadragesimum. At ex Procopio [b], cui potiùs quam aliis quibuslibet adstipulari debuit, liquet Siluerium Româ pulsum à Belisario fuisse sub initium obsidionis, quâ Vitiges Ostrogothorum Rex Vrbem cinxit anno secundo belli Gothici, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto. Siluerius in exilio decessit anno sequenti, duodecimo Kalendas Iulij, quo die colitur in tabulis Ecclesiasticis. Post mortem Siluerij *cessauit Episcopatus eius dies sex* teste Anastasio [c]. Vigilius igitur qui anno Christi quingentesimo tricesimo-sexto Cathedram Apostolicam viuente Siluerio inuaserat, nouis comitiis creatus sexto Kalendas Iulias anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo legitimè sedere cœpit, eratque vetus Pontifex cùm per Mediricum à Theodoberto Francorum Rege consultus fuit, literásque suprà recitatas scripsit pridie Nonas Martias, Ioanne Consule, siue anno Christi quingentesimo tricesimo-octauo. Vtrumque Baronij mendum Binius [d] epistolæ Vigilij præfixit hoc titulo. *Epistola* III. *Vigilij adhuc Pseudopapæ ad Cæsarium Arelatensem, cui Siluerium consulenti de iniungendâ pœnitentiâ Regi Theodoberto ob incestuosas nuptias contractas respondet*, quem sic restituere poteris, *Epistola quam Cæsario Episcopo Arelatensi scripsit Vigilius Papa, consultus à Theodoberto Franco-*

[b] Lib. 1. de bell. Goth. c. 25.

[c] In Siluer.

TITVLVS EPISTOLÆ CORRIGITVR.

[d] Tom. 2. conc. p. 2.

AN. CH. 538.

rum Rege de pœnitentia cuidam viro iniungenda, qui nuptias inceſtuoſas in regno eiuſdem Theodoberti contraxerat.

CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

Literæ quas Vigilius ad Regem Francorum ſcripſit, exciderunt penitùs, eas verò quas ad Cæſarium Epiſcopum direxit, ſuprà deſcripſimus integras, in illiſque obſeruandum maximè, quòd temperamentum pœnitentiæ pro variis circumſtantiis quæ ſuboriri poſſunt commendat, pœnitentiæque modum præſentis Sacerdotis inſpectioni committit, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium. Sanè pro doloris & conuerſionis feruore, diligentíque pœnitentiæ impoſitæ executione ſemper canonicæ pœnæ minui ſolitæ ſunt, eò quòd Patres interiorem animi pœnitentiam potiſſimùm ſpectarent & ſpectari vellent, vnde indulgentiarum fons ſcaturiuit. Veterem illam Eccleſiæ diſciplinam docent Patres Concilij Ancyrani Canone ſecundo. *Viſum eſt Diacones ſimiliter qui ſacrificarunt, poſteà autem reluctati ſunt, illum quidem honorem habere, ipſos autem ab omni ſacerdotali miniſterio ceſſare, & panem vel calicem offerendi vel prædicandi, ſed ſi ex Epiſcopis aliqui in iis vel afflictionem aliquam vel humilitatem ac manſuetudinem viderint, & aliquid amplius dare vel offerre voluerint, in eorum poteſtate id eſſe.* Et Canone quinto. *Quotquot autem aſcenderunt templa cum veſte lugubri, & recumbentes inter alios manducauerunt, flentes ſi compleuerint pœnitentiam trienny temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur ad communionem, id eſt, vt ipſi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa, non manducauerunt, biennio maneant in pœnitentia, tertio verò anno communicent, ſed ſine oblatione vt dictum eſt, in quarto autem anno perfectionem ſuam recipiant. Epiſcopum autem hanc habere licentiam oportet, vt perſpectâ ſingulorum conuerſatione, normam regulámque conuerſationis attribuat, id eſt, aut humaniùs agens ſecundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiet, aut etiam prolixius, quod correctione neceſſarium viderit, addat. Diſcutiatur autem omnem horum & præcedens vita & poſterior, & ita circa eos ſacerdotalis ſe humanitas moderetur.* Et Patres Concilij Laodiceni [a]. *Eos qui in diuerſis delictis peccant, & in oratione confeſſionéque, & pœnitentiâ fortiter perſeuerant, & ſe à malis perfectè conuertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miſerationes & bonitatem, offerri communioni.* Aſperæ pœnitentiæ tempus pro animaduerſâ conuerſionis vehementia contrahendum, aſperitatémque mitigandam æquè monent Patres magnæ Synodi Nicænæ [b]. *Quicumque vocati per gratiam, primùm voluntatem monſtrauerunt, deponentes militiæ cingulum, poſtmodum verò ad proprium vomitum ſunt relapſi, ita vt quidam & pecunias tribuerent, & beneficiis militiam repeterent, hi decem annis, poſt trienny tempus quo inter audientes erunt, in afflictione permaneant. Sed in his omnibus, propoſitum & ſpeciem pœnitentiæ conuenit explorare. Quotquot enim metu & lacrymis, atque pœnitentiâ vel bonis operibus, rebus ipſis conuerſionem ſuam non ſimulatione demonſtrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demùm fidelibus in oratione communicent, poſtmodum verò licebit Epiſcopo de his aliquid humaniùs conſulere. Quicumque verò indifferenter tulerunt, & aditum introeundi Eccleſiam ſibi arbitrati ſunt ad conuerſionem poſſe ſufficere, hi definitum modis omnibus tempus impleant.* Habet longè plura ſuper ea materia Ioannes Morinus in opere iam laudato [c].

VII. PŒNITENTIA PRO VEHEMENTIA CONVERSIONIS TEMPERARI SOLITA.

[a] Can. 1.

[b] Can. 12.

[c] Lib. 1 cap. 15.

VIII. SYNODVS AVRELIAN. TERTIA.

Hoc anno Childeberti Regis viceſimo-ſeptimo celebratum eſt Concilium Aurelianenſe tertium; interfuerunt nouemdecim Epiſcopi cum ſeptem Preſbyteris ex diuerſis partibus Franciæ, cui tres Reges, Childebertus, Clotarius & Theodobertus tunc dominabantur. Patres, cùm in Dei nomine in Aurelianenſem vrbem ad Synodale Concilium veniſſent, de his quæ per longum tempus obſeruatione ceſſante fuerant intermiſſa, priorum Canonum tenore ſeruato, præſentibus Regulis vetera ſtatuta renouarunt, & noua pro cauſarum vel temporum conditione addenda crediderunt, vt patet ex ipſius Concilij præfatione, cui ſubiiciuntur triginta Canones, hoc ordine.

IX. DE SYNODIS HABENDIS.

1. Primùm, vt vnuſquiſque Metropolitanus in prouincia ſua cum comprouincia-

libus suis, singulis annis, synodale debeat opportuno tempore habere Concilium. Quòd si illum infirmitas aut necessitas certa tenuerit, vt ad alium constitutum locum adesse non possit, ad suam ciuitatem suos euocet fratres. Quòd si intra biennium, diuinitùs temporum tranquillitate concessâ, admonitis comprouincialibus à Metropolitano Synodus indicta non fuerit, Metropolitanus ipse pro euocationis tarditate anno integro Missas facere non præsumat. Quòd si euocati, nullâ corporali infirmitate detenti, adesse suâ abusione despexerint, simili sententiæ subiacebunt. Qui tamen & hanc excusationem sibi nouerint esse sublatam, si absentiam suam diuisione sortis crediderint excusandam. Multi Episcopi hanc excusationem prætendebant, se non eidem subiectos esse Regi, cui Metropolitanus subiacebat, sibique non licere Metropolitanum adire qui degeret in alio regno. Exempla non longè repetebant. Ex quo enim territorium Augustodunense pulsis Burgundis ad Franciam accessit, Episcopus Augustodunensis *, qui Childeberto Franciæ Regi parere cœpit, Synodis non ampliùs adfuit cum Episcopo Lugdunensi Metropolitano suo ceterisque comprouincialibus Episcopis Lugdunensis primæ, qui sub potestate Regis Burgundiæ consultebant. Et cùm Druentia * ditiones Burgundicas à Gothicis disterminabat, Metropolitani Eberodunensis, Aquensis & Arelatensis liberam facultatem non habebant conuentus celebrandi cum omnibus Diœceseon suarum Episcopis, quorum alij sub Burgundica dominatione, alij sub Gothica viuebant. In prouincia Alpium maritimarum Episcopatus Eberodunensis Metropolitanus pars erat Burgundiæ; Episcopatus verò Dinienſis, Glannatensis, Vencienſis, Senetensis & Nicienſis pars erant Gothicæ. In prouincia Narbonensi secunda, quæ septem constabat Episcopatibus, quatuor ad Imperium Gothicum, tres ad Burgundicum pertinebant; ad Gothicum Aquensis Metropolitanus cum Regensi, Foroiulienſi & Antipolitano; ad Burgundicum Aptensis, Vapincensis, Sistaricensis. Similiter in prouincia Viennensi secunda, quæ complectebatur Episcopatus vndecim, Arelatensis Metropolitanus, Massilienſis & Tolonensis erant sub Gothis, octo reliqui sub Burgundis, Caballicus scilicet, Auenionensis, Vasionensis, Carpentoratensis, Arausiensis, Tricastinensis, Diensis & Albensis. Vnde factum vt anno quingentesimo tricesimo tertio Agrippinus Episcopus Augustodunensis Concilio Aurelianensi secundo solus ex Episcopis prouinciæ Lugdunensis primæ subscriberet, & anno quingentesimo decimo-septimo Concilio Epaonensi in Burgundia nullus interesset Episcoporum, quorum Ecclesiæ sitæ essent vltra Druentiam in Narbonensi secunda, in Viennensi secunda, & in Alpibus maritimis, omnes verò adessent quorum essent Ecclesiæ cis illum amnem in iisdem prouinciis, putà Prætextatus Aptensis, Valerius Segestericus, Constantius Vappincensis, Philagrius Cabellicus, Venantius Albensis, Sæculatius Deensis, Salutaris Auennicus in persona Peladij Presbyteri, Gemellus Vasensis, Iulianus Vendacensis, Florentius Arausicus, item Florentius Tricastinus, & Catulinus Ebredunensis. Idem videbatur esse rerum status in Francia, cùm celebratum fuit Concilium Aurelianense tertium, cuius primum Canonem hîc exponimus, tunc enim vna eadémque Prouincia Ecclesiastica diuersis regnis attribuebatur, vt manifestissimè patet ex diuisionibus quas post obitum Clodouei Regis póstque necem filiis Clodomeris illatam suis locis attigimus, ne quid addamus de regno Burgundiæ déque ditionibus Ostrogothorum cis Alpes in partes quoque separatis, Diœceseon seu Prouinciarum Ecclesiasticarum nullâ prorsus habitâ ratione. Tamen si diligenter illa tempora considerentur, non idem censebitur excusationi locus fuisse, postquàm regnum Burgundiæ & ditiones Ostrogothorum cisalpinæ sub potestatem Francorum venerunt, quia licèt Franciæ regnum triplex esset & tribus Regibus pareret, vnius tamen gentis dominationi suberat, quod asseri non potest de prouinciis quæ partim Francis partim Burgundis, aut partim Burgundis partímque Ostrogothis anteà subiiciebantur. Quapropter Patres rectè decernunt, vt Synodos conuocare Metropoli-

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

* *d'Autun.*

* *La Durance.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

tani, frequentare Episcopi non prætermittant vigente pace. Certè si Synodi, cùm Francia in plura regna secabatur, non ex vno tantùm regno instar Aruernensis primæ de quâ supra locuti sumus, sed ex omnibus regnis siue ex vniuersâ Franciâ congregabantur instar Aurelianensis Tertiæ de quâ nunc agimus, quis dubitet in eâdem Francia Diœcesanas Synodos à Metropolitanis conuocari & ab Episcopis frequentari potuisse, quamuis eadem Diœcesis propter varios Episcopatus quibus constabat non tota semper esset in vno regno, sed ad duo triave nonnumquam pertineret? Tunc septemdecim erant Galliarum Diœceses seu Prouinciæ Ecclesiasticæ, Francia sexdecim integras amplectebatur, Episcopi Narbonensis primæ sub Regibus Wisigothorum Arianis adhuc gemebant, exceptis Tolosano & Vcecienſi, hi enim post Clodouei Magni victoriam Aquitaniæ primæ fuerunt attributi, deinde Vcecienſis ad Prouinciam Viennensem secundam accessit, postquàm cisalpinæ ditiones Ostrogothorum in potestatem Francorum deuenerunt. Porrò in Canone, quem explicamus, nomine sortis intelligi Franciæ partem quæ cuiuis Regi contigerat, vel ex eo patet quòd Gregorius [a] Turonensis ait Sigibertum à Guntchramno postulasse vt sibi liceret Sequanam *per sortem* eius transire. *Cùm Sigibertus*, verba sunt Gregorij, *gentes illas*, nempe transrhenanas, *adducens venisset, & Chilpericus de aliâ parte cum suo exercitu resideret, nec haberet Rex Sigibertus super fratrem iturus, vbi Sequanam fluuium transmearet, fratri suo Guntchramno mandatum mittit dicens. Nisi me permiseris per tuam sortem hunc fluuium transire, cum omni exercitu meo super te pergam.*

[a] Lib. 4. c. 44.

X. DE CASTITATE CLERICORVM A SVBDIACONO ET SVPRA.

II. Canon. *Vt nullus Clericorum à Subdiacono & suprà, qui vxores in proposito suo accipere inhibentur, propria, si fortè iam habeat, misceatur vxori. Quòd si fecerit, laicâ communione contentus, iuxta priorum Canonum statuta, ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in vilitate permixtionis viuentem ad officium posteà admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus.* Siricius Papa in literis ad Himerium Episcopum Tarraconensem * aduersus incontinentiam Sacerdotum & Leuitarum decernens, *his qui ignoratione lapsos esse se dolent, hac conditione misericordiam* dicit *non negandam, vt sine vllo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseuerent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere.* Deinde contumaces longè grauiori pœnâ mulctat. *Hi verò*, inquit, *qui illiciti priuilegij excæcatione nituntur, vt sibi asserant veteri hoc lege concessum, nouerint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè vsi sunt, Apostolicæ sedis authoritate deiectos, nec vnquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi dum obscœnis cupiditatibus inhiant priuauerunt. Et quia exempla præsentia cauere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter atque Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.* Innocentius in literis ad Exuperium Episcopum Tolosanum datis anno Christi quadringentesimo quinto meminit superioris constitutionis his verbis. *Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in Diaconi ministerio aut in officio Presbyterij positos incontinentes esse, aut fuisse, generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Episcopi monita euidentia commearunt, vt incontinenter in officiis talibus positi omni honore Ecclesiastico priuentur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod solâ continentiâ oportet impleri.* Et inferiùs eos qui formam viuendi missam à Siricio sciuerunt, distinguit ab iis qui nesciuerunt, multóque mitiùs cum his quàm cum illis in infligendis pœnis se gerit. *Si ad aliquos*, inquit, *forma illa Ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplinæ, quæ ab Episcopo Siricio ad prouincias commeauit, non probabitur peruenisse, his ignorationis venia remittetur, itaut de cetero penitus incipiant abstinere, & ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint, sic retentent, vt eis non liceat ad potiora conscendere, quibus in beneficio esse debet, quòd hunc ipsum locum quem retinent non amittunt. Si qui au-*

* *De Tarragonne.*

tem scisse formam viuendi missam à Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submouendi, quia post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem. Cùm audis eos propter contumaciam *modis omnibus* submouendos, deinceps non tantùm ab officio depositos sed etiam excommunicatos arbitrare, quod apertissimè declarat Concilium [a] Turonicum primum, celebratum anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo, quamuis districtioni moderationem adhibeat hoc decreto. *Licet à Patribus nostris emissâ auctoritate id fuerit constitutum, vt quicumque Sacerdos vel Leuita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, à communione Dominicâ abstineretur, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes & iustam constitutionem molientes, id decreuimus, vt Sacerdos vel Leuita coniugali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat, sufficiat his tantùm, vt à communione non efficiantur alieni.* Patribus Concilij Agathensis [b] anno Christi quingentesimo-sexto *placuit etiam, vt si Diacones aut Presbyteri coniugati ad torum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, & Siricij Episcopi auctoritas*, quæ Canonibus eiusdem Concilij inserta est, *conseruetur.* Recitauimus quoque suo loco Canonem [c] Concilij Aruernensis, quo Presbyteri & Diaconi, qui inhibita rursus coniugia repetiisse cognoscuntur, omni in perpetuum, quam admisso iam crimine perdiderunt, dignitate priuantur. Et hæc sunt priorum Canonum statuta, iuxta quæ Patres in Concilio Aurelianensi tertio Clericum à Subdiacono & suprà, qui propriæ misceatur vxori, laicâ communione contentum, ab officio deponi volunt.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

[a] Cap. 2.

[b] Cap. 9.

[c] Cap. 13.

XI. Duo sunt prætereà in Aurelianensi Canone plurimùm obseruanda. Patres acturi de Clericis qui iubentur ab vxoribus suis abstinere non incipiunt à Diacono vt in constitutionibus anteà citatis, sed à Subdiacono; deinde non contenti pœnas irrogasse Clerico à Subdiacono & suprà, qui neglectâ prohibitione vxori propriæ se miscuerit, pœnitentiam quoque imponunt Episcopo qui Clericum ita viuentem ad officium sciens admiserit, quâ de re ne verbum quidem vllum in Canonibus suprà recensitis. Quod autem hîc obseruamus de Subdiacono non sic accipiendum est, vt continentia Subdiacono negetur imperata, nam cùm minister esset altaris, vti coniuge non ei licuit, quia *lex continentiæ*, vt Leo Magnus in suis responsionibus ad inquisitiones Rustici Episcopi Narbonensis egregiè docet, *eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cùm essent laïci siue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cæpit eis non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salua sit caritas connubiorum, & cessent opera nuptiarum,* &, vt idem Leo testatur adhuc distinctiùs in literis [d] ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, *cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur, vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares.* Ex eo quod tot antiqui Canones iam laudati de continentiâ loquuntur Clericorum à Diacono duntaxat & suprà, id vnum elicitur, quòd commixtio cum vxore tunc depositione plectebatur in Diacono, non autem in Subdiacono, licet in vtroque graue admodum crimen esset haberetúrque.

[d] Ep. 84. c. 4.

XII. Quæres quid sit laïca communio, quâ Patres contentum esse præcipiunt Clericum à Subdiacono & suprà, qui propriæ se miscuerit vxori. Communio latissimè ius illud quo vnusquisque in corpore fidelium censetur, & necessitudinem quæ Christianis inter se intercedit, complectitur, atque vt duo sunt Christianorum ordines Ecclesiasticus & laicus, ita duo sunt communionis genera, alterum Ecclesiasticum, alterum laïcum, vel vt appositiùs dicamus, vna est tantùm communio generalis, vnum corpus, vna Ecclesia, cui non-

QVID SIT LAICA COMMVNIO.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

nulli vt Ecclesiastici, ceteri vt laïci communicant. Communio igitur laïca est, esse in Ecclesiâ, & de Ecclesiâ tanquam laïcum, itaut Ecclesiasticus, qui laïcæ communioni deputatur, gradu suo perpetuò excidat, & ex Clerico fiat laïcus, quòd si Eucharistiæ participet, laïcorum more non more Ecclesiasticorum participet. Communione laïca in solos Ecclesiasticos, in laïcos numquam animaduersum leges. Communio laïca depositionem generalem & secundùm omnem modum præ se fert. Depositus secundùm quid siue ad tempus numquam punitus est communione laïcâ. Depositus secundùm omnem modum potest quidem non communicare laïcè, & sic communione laïcâ priuari, quia præter depositionem potest in perpetuum excommunicari. Depositus secundùm omnem modum nec excommunicatus, laïcè communicat. Depositus & excommunicatus ad tempus, pœnitentiâ peractâ communicat laïcè, nec vnquam recipi potest in communionem Ecclesiasticam. Hæc aliáque multa scitu dignissima, & ad illorum temporum praxim pertinentia in vnum collegit eruditissimus Episcopus Aurelianensis Gabriel Albaspinæus, libri primi obseruatione quartâ, in qua & Canones Conciliorum & scripta Patrum, vbi laïcæ communionis mentio fit, clarè & dilucidè admodum explicuit, egregiéque refutauit eos qui laïcam communionem interpretati sunt Eucharistiam, quam Clericus laïcâ communione damnatus, aut more laïcorum extra cancellos & septa altaris, aut inter laïcos sub altera tantùm specie acciperet.

XIII. DE EPISCOPORVM ORDINATIONE.

III. Canon. *De Metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, vt Metropolitani à Metropolitanis, omnibus, si fieri potest, præsentibus comprouincialibus ordinentur, ita vt ipsi Metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit. Ipse tamen Metropolitanus à comprouincialibus Episcopis, sicut decreta Sedis Apostolicæ continent, cum consensu Cleri vel ciuium eligatur, quia æquum est, sicut ipsa Sedes Apostolica dixit, vt qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprouincialibus ordinandis, cum consensu Metropolitani, Cleri & ciuium, iuxta priorum Canonum statuta, electio & voluntas requiratur.* Sanctus Leo cognomento Magnus [a] in literis ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem de Metropolitanorum electione sic disserit. *Metropolitano defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate discussâ, ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ vel Diaconibus optimus eligatur.* Et paulò superiùs in electione Episcopi hæc habet. *Ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus concorditer postularit, nullius inuitis & non petentibus ordinetur, ne plebs inusta Episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minùs religiosa quàm conuenit, cui non licuerit habere quem voluerit.* Vnde videas in Canone quem exponimus, nihil à Patribus Aurelianensis Concilij statutum, quod Apostolica Sedes non anteà dixisset, vt illi palàm affirmant. Quod attinet ad *priorum Canonum statuta*, quæ Metropolitani consensum requirunt vt quis Episcopus constituatur, Patres Concilij Arelatensis secundi sub Valentiniano Tertio Augusto pronuntiarunt, *eum qui sine conscientia Metropolitani constitutus fuerit Episcopus, iuxta magnam Synodum esse Episcopum non debere*, nam in sexto Canone magnæ Synodi Nicænæ hæc leguntur. *Generaliter clarum est quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit Episcopus, hunc magna Synodus definiuit Episcopum esse non oportere.*

[a] Epist. 84.

XIV. FAMILIARITAS EXTRANEARVM MVLIERVM CVM CLERICIS PROHIBITA.

IV. Canon. *De familiaritate extranearum mulierum licet iam multa quæ obseruari debeant, multis Canonicis sententiis fuerint statuta, tamen quod agnoscitur sæpè transcendi, conuenit replicari. Ideóque statuimus vt ne quis Antistitum Clericorúmque omnium, licentiam habeat intra domum suam vllam absque his propinquis mulieribus, quas priores Canones loquuntur, habere personam. Quibus etiam id specialiter inhibetur, vt si quis Clericorum suspicionem aduersam, aut obloquutionem populi de muliere quacumque fortassis incurrerit, eam statim si intra domum suam habebit, abiiciat; si certè extranea & sui iuris est, ita omnibus conditionibus*

ſtudeat euitare, vt infamia quæ excitata eſt abrogetur. Quòd ſi quilibet ille Antiſtitum vel Clericorum, quod ſuprà ſcriptum eſt vitare noluerit, pro inobedientia triennij excommunicatione multetur. Quod ſi adulterij permixtio fuerit adprobata, in regradatione honorum priorum Canonum ſtatuta ſeruentur. In quibus excommunicationibus Metropolitanus à comprouincialibus ſuis, comprouincialis à Metropolitano cum reliquis comprouincialibus diſtringatur. Similem Canonem explicuimus ſuprà in Concilijs Aurelianenſi primo & Aruernenſi.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

V. Canon. *Si quæ oblationes in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in ciuitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in eius ſit arbitrio, quid ad reparationem Baſilicæ, aut obſeruantium ibi ſubſtantiam deputetur. De facultatibus verò parochiarum vel Baſilicarum in pagis ciuitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſeruetur.*

XV. DE OBLATIONIBVS COLLATIS BASILICIS.

VI. Canon. *De Clericorum præmittenda conuerſione id omnimodis obſeruetur, ne vllus ex laicis ante annualem conuerſionem, vel ætatem legitimam, id eſt, viginti quinque annorum Diaconus, & triginta Presbyter ordinetur, ita vt de ipſis quoque qui ordinandi ſunt Clericis, regulari cuſtodiatur ſtudio, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam profeſſus, aut ſemus corpore, vel qui publicè aliquando arreptus eſt, ad ſupraſcriptos ordines promoueatur. Quòd ſi ſciens Epiſcopus contra hæc ſtatuta agendum eſſe crediderit, is quidem qui ordinatur, ſuſcepto iuxta anteriores Canones priuetur officio, ſed & ille pro ordinationis temeritate, ſex menſibus à celebrandis officijs ſequeſtretur. Quòd ſi Miſſus intra ſtatutum tempus facere præſumpſerit, anno integro ab omnium fratrum caritate priuetur. De quorum promotionibus ſi quis Clericus aut ciuis teſtis extiterit, quorum teſtimonio dum creditur, frequenter Pontificis ignorantia præuenitur, cùm agnitum fuerit ordinationem inlicitè celebratam, anno integro à communione pellantur. Qui tamen ſi periculoſam infirmitatem incurrerent, viatica illis communio non negetur.*

XVI. DE QVALITATE ORDINANDORVM.

Hic Canon Aurelianenſis multas conſtitutiones renouat, quæ multoties latæ fuerant, ne Neophyti, ætate iuniores, digami, pœnitentiam profeſſi, ſemi corpore, arreptitij promoueantur ad ordines. Agemus diſtinctè de ſingulis.

XVII.

Apoſtolus [a] in literis ad Timotheum vult *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Pauli temporibus, vt Gregorius Magnus [b] ſcribit, *neophytus vocabatur qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide*, poſteà verò *inter neophytos* deputari cœpit *qui adhuc nouus eſt in ſancta conuerſatione.* De neophyto eiuſmodi ſtatutum eſt à Patribus Concilij Arelatenſis ſecundi [c] ſub Valentiniano Tertio Auguſto, *ordinari ad Diaconatus ac Sacerdotij officium neophytum non debere*, & Concilium Epaonenſe [d] decreuit anno Chriſti quingenteſimo decimo-ſeptimo, *ne laicus, niſi religione præmiſſâ, Clericus ordinetur*, cuius Canonis titulus religionem explicat conuerſionem, alij [e] verò caſtitatem interpretantur, quibus fauent Concilia, primum Arauſicanum & ſecundum Arelatenſe hoc Canone, *deinceps non ordinentur Diacones coniugati, niſi qui priùs conuerſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.* Patres Concilij Aurelianenſis quod explicamus, vtuntur nomine conuerſionis, ſicut & Patres Concilij Arelatenſis quarti [f] priùs vſi fuerant anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quarto, vtrique annualem conuerſionem requirunt in laïco priuſquàm ordinetur. *Hoc inter nos*, inquiunt Patres Arelate congregati, *ſine præiudicio duntaxat Canonum conuenit antiquorum, vt nullus Metropolitanorum cuicumque laico dignitatem Epiſcopatus tribuat, ſed nec reliqui Pontifices Presbyterij vel Diaconatus honorem conferre præſumant, niſi anno integro fuerit ab eis præmiſſa conuerſio.* Ad illam conſtitutionem reſpexerunt Patres Concilij Aurelianenſis Tertij, cùm *de Clericorum præmittenda conuerſione, id omnimodis* obſeruandum dixerunt, *ne vllus ex laicis ante annualem conuerſionem ordinetur.*

XVIII.

[a] Epiſt. 1. c. 3.
[b] Lib. 4. epiſt. 50.
NON SVNT ORDINANDI NEOPHYTI.
[c] Can. 1.
[d] Can. 17.
[e] In not. ad Gratian. diſt. 77. c. 3. l. c.
[f] Can. 1.

Quâ ætate Diaconi, Preſbyteri & Epiſcopi ſint ordinandi, Concilium [g] Agathenſe ſic præſcripſit anno Chriſti quingenteſimo ſexto. *Epiſcopus benedictionem Diaconatus minoribus quàm viginti quinque annorum penitùs non commit-*

XIX. QVA ÆTATE DIACONI, PRESBYTERI, EPISCOPI SVNT ORDINANDI.

[g] Can. 16. 17.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

tat. Presbyterum verò vel Episcopum, ante triginta annos, id est, antequàm ad viri perfecti ætatem veniat, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat. De Diaconis idem statuerunt Patres Concilij Carthaginensis [a] anno Christi quadringentesimo nonagesimo-septimo, *placuit vt ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur.* Capite octauo Numerorum, *hæc est lex Leuitarum. A viginti quinque annis & suprà ingredientur, vt ministrent in tabernaculo fœderis.* Rationem inde repetitam cur ante viginti quinque annos ætatis Diaconi non ordinarentur, reddiderunt postèà Patres Concilij Toletani quarti [b]. *In veteri lege*, inquiunt, *ab anno vicesimo-quinto Leuitæ tabernaculo seruire mandantur, cuius auctoritatem in Canonibus & sancti Patres secuti sunt.* Et inferiùs. *A viginti & quinque annis ætatis Leuitæ consecrentur, & à triginta annis Presbyteri ordinentur.*

[a] Can. 4.
[b] Can. 10.

XX. NON SVNT ORDINANDI DIGAMI.

Aduersus digamos legendi Paulus Apostolus & Canones Apostolorum, vt Romanorum Pontificum recentiorúmque Conciliorum decreta, quorum magna copia est, prætermittamus. Apostolus in literis [c] ad Timotheum vult *Episcopum esse vnius vxoris virum*, deinde subiungit de Diaconis, *Diaconi sint vnius vxoris viri*, & in literis ad Titum [d] requirit in Presbytero *vt sit vnius vxoris vir.* Iuxta Canonem Apostolorum decimum-sextum *qui post sanctum baptismum duobus coniugijs fuerit implicitus, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.* At huius Canonis verba locum alteri quæstioni faciunt, an is censendus quoque sit bigamus, qui mortuâ primâ coniuge baptismum susceperit, ac deinde post baptismum secundam vxorem sibi sociarit. Super eâ materiâ decretum accipe Innocentij Primi [e]. Scripsit sanctissimus Pontifex Victricio Episcopo Rotomagensi * epistolam satis prolixam anno Christi quadringentesimo-quarto, Honorio Augusto sextùm & Aristæneto Consulibus; caput sextum tale est. *Ne is qui secundam duxit vxorem Clericus fiat, quia scriptum est,* [*vnius vxoris virum*] *& iterum,* [*Sacerdotes mei semel nubant,*] *& alibi,* [*Sacerdotes mei non nubent amplius.*] *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si fortè quis accepit vxorem, & eâ de sæculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum; satis errat à regulâ, quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur, cùm vtique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantùm vt & in paradiso cùm parentes humani generis coniungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit,* [*à Deo præparabitur viro vxor.*] *Quam formam etiam Sacerdotes omnes seruare vsus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est aliquem credere vxorem ante baptismum acceptam post baptismum non computari, cùm benedictio quæ per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis à Deo antiquitus institutæ doceatur. Quod si non putatur vxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filij, qui ante baptismum geniti sunt pro filijs habentur.* Eadem fermè repetit in literis [f] ad Episcopos Synodi Toletanæ *. Adde verba Augustini coætanei, ex libro de bono coniugali. *Nec eum; qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento* enim *agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur, sed qui dixit,* [*si acceperis vxorem non peccasti:*] *&,* [*si nupserit virgo, non peccat:*] *&,* [*quod vult faciat, non peccat si nubat,*] *satis declarauit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina etiam si catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurdè visum est eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bona meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures vxores antiquorum Patrum significauerunt futuras ex omnibus gentibus Ecclesias vni viro subditas Christo, ita noster Antistes vnius vxoris vir significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro subditam Christo.* Apud interpretes Pauli dicitur vnius vxoris vir, is qui semel matrimonio iunctus fuit, & virginem duxit non viduam. Iuxta Canonem Apostolorum decimum-septimum, *qui viduam accepit, non potest esse Presbyter,*

[c] Ep. 1. c. 3.
[d] Cap. 1.
[e] Ep. 2.
* *De Roüen.*
[f] Ep. 22.
* *De Toled.*

Presbyter, vel Episcopus, vel Diaconus, vel omninò ex numero Sacerdotali. Leo Magnus [a] in epistolâ quam ad Episcopos Aphricanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos scripsit, rationes huius constitutionis exposuit. *Dicente,* inquit, *Apostolo, vt inter alias electionis regulas is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligatur seruanda conditio, ne fortè illa priusquàm in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam, cùm huic magno venerandoque mysterio ne diuina quidem legis statuta defuerint, quibus euidenter est definitum, vt virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat coniugis quæ vxor est futura Pontificis? Iam tunc enim in Sacerdotibus figurabatur Christi & Ecclesiæ spirituale coniugium, vt quoniam vir caput est mulieris, discat sponsa Verbi non alium virum nosse quàm Christum, qui meritò vnam elegit, vnam diligit, & aliam præter ipsam suo consortio non adiungit. Si ergo etiam in veteri testamento hæc sacerdotalium coniugiorum forma seruata est, quantò magis sub reuelatâ iam gratiâ constituti, Apostolicis debemus inseruire præceptis, vt quamlibet quis bonis moribus præditus, & sanctis operibus inueniatur ornatus, nequaquam tamen vel ad Diaconij gradum, vel ad Presbyterij honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non vnius vxoris virum, aut vxorem eius non vnius viri fuisse clarnit?* Alluſit ad illud Leuitici [b], *Virginem ducet vxorem, viduam autem & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ;* Et ad illud Ezechielis [c], *& viduam & repudiatam non accipient vxores sed virgines de semine domus Israel.* Minor Clericus, cui potestas ducendi coniugem non negabatur, quales sunt Cantores in Canone Apostolorum vicesimo-septimo, & Lectores in eodem Canone atque in responsionibus [d] Leonis Papæ ad Rusticum Episcopum Narbonensem & in Concilio Vasensi [e] secundo, si viduam accepisset, eâ mortuâ non poterat ad Subdiaconatum promoueri. Innocentius Pontifex in literis ad Victricium Episcopum Rotomagensem iam laudatis scribit, *vt mulierem Clericus non ducat vxorem, quia scriptum est, Sacerdos vxorem virginem accipiat, non viduam nec eiectam. Vtique qui ad Sacerdotium labore suo & vitæ probitate contendit, cauere debet ne hoc præiudicio impeditus peruenire non possit.* Talis Clericus si viduam duxisset, non summouebatur ab officio, pœnâ tamen mulctabatur. In Concilio Turonensi primo, quod anno Christi quadringentesimo sexagesimo-primo celebratum fuit, Canon quartus his verbis concipitur. *Vt Clericus, cui nubendi datur licentia, internuptam non accipiat vxorem, quòd si fecerit, vltimum in officio Clericali teneat locum.* Tamen inter minores illos Clericos bigamos, si qui sunt idonei ac probatiores viri, Concilium primum Arausicanum, quod anno Christi quadringentesimo quadragesimo-primo celebratum est, permittit eos ad Subdiaconatum, non vltrà verò promoueri. Canon talis est. *De idoneis autem & probatioribus viris, quos Clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggerit, si fortè inciderunt duplicata matrimonia, non vltra Subdiaconatum Ecclesiasticas capiant dignitates.* Concilium Arelatense secundum Arausicano primo paulò recentius bigamos vult deinceps ad Subdiaconatum posse promoueri, sed eos qui priùs facti sunt Subdiaconi, remouet ab officio Ecclesiastico. Canon talis est. *De his quos Clericatui alligari ipsa vita gratia suggesserit, si fortè internupta & duplicata matrimonia interciderunt, non vltra Subdiaconatum Ecclesiasticas capiant dignitates. Quòd si facti forsitan sint, ab Ecclesiastico remoueantur officio.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

[a] Ep. 87 c. 1.

[b] Cap. 21.

[c] Cap. 44.

[d] Resp. 3.

[e] Can. 1.

XXI. POENITENTES PVBLICI.

Pœnitentiam professi æquè ac bigami habiti sunt indigni Clericatu, neque id visum tantùm Patribus in Concilio Aurelianensi tertio, sed etiam priùs ante annos quatuordecim in Arelatensi quarto, cuius Canon tertius sic incipit. *Nullus pœnitentem, nullus digamum, vel internuptarum maritum in prædictis honoribus audeat ordinare.* Et anno Christi quingentesimo decimo-se-

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

ptimo in Concilio Epaonensi [a], *Ne secundæ vxoris aut renuptæ maritus, Presbyter aut Diaconus ordinetur*, &c. *Pœnitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur*. Et anno Christi quingentesimo-sexto in Concilio Agathensi [b], *de pœnitentibus id placuit obseruare quod sancti Patres nostri synodali sententiâ censuerunt, vt nullus de his Clericus ordinetur*. Quo loco indicatur Concilium Carthaginense, quod anno Christi duodequadringentesimo celebratum fuit Honorio Augusto quartùm & Eutychiano Consulibus, Canon enim sexagesimus octauus tale habet initium. *Ex pœnitentibus, quamuis sit bonus, Clericus non ordinetur*. Hæc autem intelligenda sunt de pœnitentiâ solemni siue publicâ pro grauioribus criminibus geri solitâ, vt Concilium Toletanum primum Erâ quadringentesimâ tricesimâ octauâ celebratum declarat Canone secundo, quo statuitur, *vt de pœnitente non admittatur ad Clerum*, deinde Patres de quo pœnitente intendant loqui, sic explicant, *pœnitente verò dicimus de eo, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario*. Huius constitutionis, quâ pœnitentes à Clericatu prohibentur, rationes reddit Gabriel Albaspinæus Antistes Aurelianensis totâ obseruatione tricesimâ quartâ libri secundi.

[a] can. 2. 3.
[b] can. 43.

XXII. SEMI CORPORE.

Inter eos qui non debent ad ordines promoueri, post pœnitentem in Canone Aurelianensi sequitur *semus corpore*, corruptè *semius corpore*, & in margine nonnullarum editionum *seruus*, vel *sectus*. Hæc constitutio intelligenda est de eo, qui deformiter paruus, vel gibbosus, vel claudus, vel mancus, vel aliis modis deformis existit, & propter membrorum aut inhabilitatem aut defectum imperfectus dici potest. *Semus* enim, vt Matthias Martinius obseruat in suo vocabulario, *est imperfectus*, & *profectò illud semum est, quod vltra mediocritatem & citra perfectionem est & comparatur*; vnde aduerbialiter nec minùs barbarè dicitur *semè, semiùs, semissimè*; item *semare* idem est ac *imperfectum facere, aliquantùm diminuere & euacuare*, & eiusmodi diminutio *semitas* appellatur. Loco semi *seruus* reponi non debet, quia inferiùs agitur de seruis Canone vicesimo-sexto, vbi statuitur, *vt nullus seruilibus conditionibus obligatus ad honores Ecclesiasticos admittatur*, & pœnæ decernuntur in Episcopum, qui *eius qui ordinatur conditionem sciens*, hanc constitutionem *transgredi per ordinationem inhibitam voluerit*. Rectiùs legeretur *sectus*, semi sunt enim & semiuiri vocantur, qui corpore vitiati seu secti sunt. Aduersus eos autem, qui tales non casu quidem sed propriâ voluntate fiunt, extant multi Canones, inprimis vicesimus secundus Apostolorum, *si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputauit sibi virilia, non fiat Clericus, quia suiipsius homicida est & Dei conditionis inimicus*; & primus Nicænus, *si quis seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere conuenit, & deinceps nullum debere talium promoueri*; item septimus Concilij Arelatensis secundi, statuit enim *hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad Clerum peruenire non posse*. Et vt Innocentius Papa [c] Felici Episcopo Nuceriano * scribit, *qui partem cuiuslibet digiti sibiipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt*.

[c] Ep. 4. c. 1.
* *De Nocera.*

XXIII. ARREPTITII.

Postremo loco ponuntur arreptitij, de quibus Concilia, primum Arausicanum anno Christi quadringentesimo quadragesimo-primo, & secundum Arelatense Arausicano primo paulò recentius ita statuerunt. *Qui palam aliquando arrepti sunt, non solùm non assumendi ad vllum ordinem Clericatus, sed & si iam aliqui ordinati sunt, ab imposito officio repellendi*.

XXIV. DE POENIS ILLICITARVM ORDINATIONVM.

Canon Aurelianensis, cuius elucidationi nunc incumbimus, postquàm varia genera hominum complexus est, quos vetat ad ordines promoueri, pœnas statuit aduersus Episcopos qui tales Clericos ordinare præsumpserint. Simile quid haud pridem Opilione Consule anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto pronuntiarant Patres Concilij Arelatensis quarti, decreuerant enim vt Diaconus ante annos viginti quinque, & Presbyter ante annos triginta, vt laicus ante annum conuersionis, vt pœnitentes & digami non or-

dinarentur, deinde ista subiecerant aduersus Episcopos qui talem constitutionem violarent. *Quicumque ab hac die contra ea quæ superiùs sunt comprehensa, Clericum ordinare præsumpserit, ab hac die quâ hoc ei potuerit approbari, anno integro Missas facere non præsumat. Quam rem si quis obseruare noluerit, & contra consensum fratrum faciens, Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum caritate se nouerit alienum, quia dignum est vt seueritatem Ecclesiastica disciplinæ sentiat, qui toties salubriter à sanctis Patribus instituta obseruare contemnit.* Canon Aurelianensis Arelatensi multò mitior est erga delinquentem Episcopum, quem sex tantùm mensibus à celebrandis officiis sequestrari præcipit, sed in eo longè seuerior est Arelatensi, quòd pœnas extendit ad testes talium promotionum siue Clerici fuerint siue laïci, quos anno integro à communione pelli iubet, ita tamen vt si periculosam infirmitatem incurrerint, viatica illis communio non denegetur. Plectuntur instar falsorum testium, quia testimonio suo cui creditum fuit, Pontificem in errorem induxerunt, falsos autem testes cum homicidis à communione Ecclesiastica submouent Concilia Venetic- * cum * Canone primo, & Agathense * Canone tricesimo-septimo. Restat vt inquiramus quid sit viatica communio, & cur eiusmodi hominibus in periculosa infirmitate positis dicatur haud neganda.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

* de Vanne
* d'Agde

XXV. VIATICA COMMVNIO.

Innocentius Pontifex [a] ab Exuperio Episcopo Tolosano inquisitus *quid de his obseruari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt*, pro ratione diuersorum temporum distinguit duplicem obseruationem, alteram duriorem, inclinatiorem alteram. *De his*, inquit, *obseruatio prior durior, posterior interueniente misericordiâ inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitùs negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquàm Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulso communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentiâ extrema communio, vt homines huiusmodi vel in supremis suis pœnitentes, miserante Saluatore nostro, à perpetuo exitio vindicentur.* Literæ illæ datæ sunt decimo Kalendas Martias Stilicone iterùm & Anthemio Consulibus, anno quinto supra quadringentesimum. Concilium Arausicanum primum, quod anno Christi quadringentesimo quadragesimo-primo, Cyro Consule celebratum est, de pœnitentibus qui de corpore recedunt, ita statuit. *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoriâ manus impositione eis communicari. Quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui huiusmodi congruenter viaticum nominarunt. Quòd si superuixerint, stent in ordine pœnitentum, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoriâ manus impositione percipiant.* Alludit ad decimum-tertium Canonem vulgatum magnæ Synodi Nicænæ, in quo de pœnitente ægroto statuuntur duo, vt viatico seu *nouissimo inuamine non priuetur, & si conualescat, sit inter eos qui orationibus tantùm communicant.*

[a] Epist. 1.

XXVI. DIFFERT A LEGITIMA.

Ex supradictis patent tria. Primum, duo esse valdè distincta, pœnitentiam & viaticum siue communionem viaticam accipere. Secundum, viaticum ita dici, quòd abeuntibus seu profecturis detur. Tertium, viaticam communionem à legitima differre, quia legitima cum reconciliatoria manus impositione percipitur, viatica verò nequaquam. Eadem vtriusque communionis differentia clariùs deprehenditur in Concilio Arelatensi secundo, Canone vicesimo octauo [b]. *De his qui in extremis periclitantur pœnitentiâ acceptâ, placuit,* inquiunt Patres, *sine reconciliatoria manus impositione eis communicari. Quòd si accepto hoc viatico superuixerint, stent in ordine pœnitentum, vt ostensis necessa-*

[b] Tom. 1. conc. Gal.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

riis pœnitentiæ fructibus, legitimè reconciliatoriam manus impositionem recipiant. Vides in communione viatica reconciliatoriam manus impositionem negari, eamdémque reconciliatoriam manus impositionem communioni legitimæ adeò conuenire, vt pro ipsa communione legitima sumatur. Vtriusque communionis differentiam declarat quoque Concilium Vasense primum, in Canone de pœnitentibus subitò mortuis, quorum oblationes recipi iubet. Constitutio talis est. *Pro his qui pœnitentiâ acceptâ, in bonæ vitæ cursu satisfactoriâ compunctione viuentes, sine communione inopinato nonnumquam transitu, in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam, quia nefas est eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutiùs reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis indicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.*

XXVII. Qui Canones suprà recitatos attentè legerit, non tantùm distinguet duas communiones, alteram viaticam, legitimam alteram, sed & legitimam viaticâ longè augustiorem facilè deprehendet. Etenim qui viaticâ solùm communione dignus censetur, is sumpto viatico manet adhuc in ordine pœnitentum, & tenetur pœnitentiæ fructus ostendere, priusquàm ad legitimam communionem admittatur. Præterea communio viatica non est signum perfectæ reconciliationis, legitima verò communio & est & vocatur à Patribus absolutissima reconciliatio, vt ex Concilio Vasensi notauimus, nec eo inferior est titulo, præstat enim Corporis Dominici communionem, & qui eam percipiunt, in Concilio Carthaginensi secundo dicuntur *reconciliari diuinis altaribus*, in Concilio Toletano primo, *diuino reconciliari altario*, in Concilio Epaonensi, *admitti ad altarium*. Communio igitur legitima vel absolutissima reconciliatio est Eucharistiæ participatio, & is qui particeps fit Eucharistiæ dicitur in Concilio Ancyrano, *perfectè recipi, perfectionem consequi, ad perfectionis gratiam accedere, communicare & recipi cum oblatione*. Communio verò viatica siue minor reconciliatio est tantùm absolutio à peccatis, qui enim reconciliationem eiusmodi consequitur, ius tantùm habet ad subsistendum in Ecclesia cum fidelibus, & precibus Eucharisticis communicandum, siue vt Patres Ancyrani Concilij loquuntur, *orationi communicat, sine oblatione recipitur, communicat sine oblatione*, absolui autem à peccatis, & populo in Ecclesia coniungi, quod est orationibus communicare synonima sunt Sozomeno [a], cùm praxim publicæ pœnitentiæ Romæ vsitatam historiæ Nectarij occasione enarrat, *elapso demùm præfinito die pœnâ iam quasi debito exolutâ, à peccatis absoluitur & populo in Ecclesia coniungitur.*

[a] Lib. 7. c. 16.

XXVIII. EST ABSOLVTIO A PECCATIS. His ita elucidatis, cùm legis in Concilio Aurelianensi quod exponimus, viaticam communionem infirmis non negandam, per huiusmodi communionem intellige absolutionem à peccatis. Hanc interpretationem Leo Magnus [b] in literis ad Theodorum Episcopum Foroiulienſem egregiè confirmat. *Multùm*, inquit, *vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur*. Deinde absolutionem à peccatis in tempore necessitatis & in periculi vrgentis instantia non denegandam docet hoc modo. *His qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam;* [*Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.*] *Et alibi,* [*Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris.*] *Et iterùm,* [*Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.*] *In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lachrymas gemitúsque negligere, cùm ipsam pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo,* [*ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à laqueis Diaboli à quo rapti tenentur ad ipsius*

[b] Epist. 91.

voluntatem.] Postèà transit ad eos qui conuerti ad Deum de die in diem differunt, ad paucas horas sub exitum vitæ se reseruant, & illius temporis angustias eligunt, quo vix inueniat spatium vel confessio pœnitentis vel reconciliatio Sacerdotis, quorum hominum *necessitati ita auxiliandum*, ait, *vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, si eam etiam amisso eis vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quòd si aliquâ vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Lege Gabrielis Albaspinæi doctissimi Aurelianensis Episcopi Notas ad epistolam Innocentij Papæ suprà laudatam, & ad Canonem septuagesimum octauum Concilij Carthaginensis quarti. Lege & Commentarium historicum R. P. Ioannis Morini de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, libro sexto, capite vicesimo-primo.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

XXIX. DE CLERICIS QVI ORDINATI VXORES DVCVNT VEL ADVLTERANT.

VII. Canon Concilij Aurelianensis tertij totus est de Clericis, diuiditurq; in duas partes. Prior talis est. *Clerici verò, qui cùm vxores non haberent, benedictione susceptâ coniugia crediderint eligenda, qui volentes absque vllâ reclamatione in ætate fuerint legitimâ ordinati, cum ipsis mulieribus quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quòd si inuitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem qui inuitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.* Pars posterior est eiusmodi. *De adulteriis autem honoratorum Clericorum id obseruandum est, vt si quis adulterasse aut confessus fuerit vel conuictus, depositus ab officio, communione concessâ, in Monasterio toto vitæ suæ tempore retrudatur.*

XXX.

Vt prior pars huius Canonis rectè intelligatur, duo sunt supponenda de minoribus Clericis, ad quos solos illa pertinet. Primum est, plerosque tunc solitos ordinari Clericos ante pubertatem. Alterum est, eiusmodi Clericos, cùm ad pubertatem peruenissent, coactos vel vxorem ducere vel continentiam profiteri. Primum docent literæ Romanorum Pontificum Siricij [a] & Zosimi [b]. Ille enim Himerio Episcopo Tarraconensi sic scribit Arcadio & Bautone Consulibus anno Christi trecentesimo octogesimo-quinto. *Quicumque se Ecclesiæ vouit obsequiis à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari & Lectorum debet ministerio sociari.* Et Zosimus Hesychio Episcopo Salonitano, anno Christi quadringentesimo decimo-octauo, Honorio duodecimùm & Theodosio octauùm Augustis Consulibus. *Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter Lectores vsque ad vicesimum ætatis annum continuatâ obseruatione perduret.* Alterum docent Patres Concilij Carthaginensis [c], quibus placuit anno Christi trecentesimo nonagesimo-septimo, *vt Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Non aliò abit decretum Concilij Vasensis [d] secundi, anno Christi quingentesimo vicesimo-nono celebrati. *Hoc enim placuit, vt omnes Presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundùm consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognouimus, iuniores Lectores, quantoscumque sine vxore habuerint, secum in domo, vbi ipsi habitare videntur, recipiant, & eos quomodò boni Patres spiritaliter nutrientes, Psalmos parare, diuinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, vt & sibi dignos successores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiant. Cùm verò ad ætatem perfectam peruenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate vxorem habere voluerit, potestas ei ducendi coniugium non negetur.* Ex illis satis euidenter elicitur hoc Patrum consilium fuisse, vt quantum fieri posset, etiam Clerici minores à coniugiis abstinerent. Tamen & iuniori Clerico, cùm pubertatis annos attigerat, liberum erat vxorem ducere, & is qui minor Clericus fiebat cùm iam esset coniugatus, vti poterat suâ coniuge. Neutrum eorum insectatur Canon Aurelianensis. Agit tantùm aduersus eum qui cùm vxorem non haberet ordinatus est in legitima ætate,

[a] Epist. 1. c. 9.
[b] Epist. 1. c. 3.
[c] Can. 19.
[d] Can. 1.

VXOREM DVCERE LICET CLERICO MINORI ANTE PVBERTATEM ORDINATO.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

deinde mulierem accepit. Quoniam autem quis vel volens absque vllâ reclamatione, vel inuitus ac reclamans ordinari potest, Patres ita distinguunt; Clericum in legitimâ ætate absque vllâ reclamatione ordinatum, qui posteà mulierem accepit, ab officio deponunt, excommunicántque vnà cum muliere; ordinatum verò, cùm reclamaret, ab officio deponunt & ad communionem laicam deiiciunt, pœnas præterea decernunt in Episcopum qui reclamantem & inuitum præsumpsit ordinare.

NON LICET ORDINATO IN LEGITIMA ÆTATE.

Posterior pars Canonis Aurelianensis pertinet ad maiores Clericos, à Subdiacono & suprà, quos ob admissum adulterium deponit ab officio, laicâ communione damnat, & reliquam vitam in Monasterio agere præcipit. Maiores Clerici tribus primis seculis & pœnitentiæ publicæ & manuum impositioni sicut laici obnoxij fuerunt, posteà verò priuatim & in secessu pœnitentiam egerunt. Vtramque assertionem variis testimoniis egregiè confirmat Ioannes Morinus libro quarto de pœnitentiâ, capite duodecimo. Siricius Pontifex in literis [a] ad Himerium Episcopum Tarraconensem anno Christi trecentesimo octogesimo-quinto datis ita scribit. *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli vnquam laico liceat honorem Clericatus adipisci.* Et Leo Magnus [b], qui medio quinto seculo floruit, in responsionibus ad inquisitiones Rustici Episcopi Narbonensis, *alienum est*, inquit, *à consuetudine Ecclesiasticâ, vt qui in Presbyterali honore, aut in Diaconij gradu fuerint consecrati, hi pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex Apostolicâ traditione descendit, secundùm quod scriptum est,* [*Sacerdos si peccauerit, quis orabit pro eo?*] *Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est expetenda secessio, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.* Eiusmodi priuatis secessionibus deputata sunt paulò pòst Monasteria, in quæ Clerici maiores authoritate Conciliorum detrusi sunt agendæ pœnitentiæ causâ. Concilium Epaonense anno Christi quingentesimo decimo-septimo emisit hoc decretum. *Si Presbyter aut Diaconus crimen capitale commiserit, ab officij honore depositus in Monasterium retrudatur, ibi tantummodò, quandiu vixerit, communione sumendâ.* Contumeliosus Regensis Episcopus insimulatus adulterij, Monasterium adire iussus est ex sententiâ Ioannis Papæ Secundi, vt suo loco diximus.

XXXI. CLERICI MAIORES ADVLTERI RETRVDVNTVR IN MONASTERIA.

[a] Ep. 1. c. 14.
[b] Ep. 92. c. 2.

XXXII. DE CLERICIS FVRIBVS ET PERIVRIS.

VIII. Canon Concilij Aurelianensis tertij talis est. *Si quis Clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia & ipsa sunt crimina, communione concessâ ab ordine regradetur. De periurio verò id censuimus obseruandum, vt si quis Clericus in causis quæ sub iureiurando finiendæ sunt, præbuerit iuramenta, & pòst rebus euidentibus detegitur peieraſſe, biennij tempore excommunicatione plectatur.* Canones Apostolorum [c] in eadem crimina sic animaduertunt. *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non autem communione priuetur, dicit enim scriptura,* [*non vindicabit Dominus bis in idipsum.*] *Similiter & reliqui Clerici huic conditioni subiaceant.* Obseruauimus iam alio in loco non rarò contigisse vt Clerici simul & deponerentur & abstinerentur siue à communione pellerentur ob criminis grauitatem. Tales autem in Concilio Aurelianensi tertio iudicati sunt ij qui peierarant in causis sub iuramento finiendis, vt constat ex posteriori parte Canonis octaui supra recitati.

[c] Can. 25. 26.

XXXIII. DE CLERICIS QVI ANTE ORDINATIONEM VXOREM, TVM CONCVBINAM AVT CONCVBINA MORTVA, VXOREM DVXERVNT.

IX. Canon. *De his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas habuerunt, aut defunctis vxoribus sibi concubinas publicè crediderunt sociandas, id obseruandum esse censuimus, vt sicut eos, qui iam sunt Clerici per ignorantiam ordinati, non remouemus, ita statuimus ne vlteriùs ordinentur.* Vt hunc Canonem intelligas, distingue duo concubinarum genera. Aliæ fœminæ sunt ad tempus assumptæ, libidinis tantùm explendæ causâ. Aliæ fœminæ sunt coniugatæ sine dotalibus instrumentis. Concubinæ primi generis in Conciliis passim anathemate feriuntur & iubentur dimitti. De illis loquitur sanctus Leo [d]

[d] Ep. 92. capp. 4. 5. 6.

in responsionibus ad Rusticum Episcopum Narbonensem, vbi vxorem cum liberâ, concubinam cum ancillâ sic comparat. *Aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ,* [*eiice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac,* &c.] *Si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam coniugato dederit,* &c. *Aliud est nupta, aliud concubina,* &c. *Ancillam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere non duplicatio coniugij, sed profectus est honestatis.* Concubinæ secundi generis instar vxorum habentur, imò veræ sunt vxores in foro Ecclesiastico, licet in foro ciuili nomen adeò decorum non gerant, quia minùs solemniter ducuntur. Ad id appositissimè Gratianus [a]. *Concubina intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis vnita est, & coniugali affectu adsciscitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat.* Et Concilium Toletanum primum anno Christi quadringentesimo inter vxorem & concubinam quoad vinculum coniugale non distinxit capite decimo-septimo. *Si quis habens vxorem fidelem, & concubinam habeat, non communicet. Ceterùm is qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm vt vnius mulieris, aut vxoris aut concubinæ (vt ei placuerit) sit coniunctione contentus, aliàs viuens abiiciatur, donec desinat, & ad pœnitentiam reuertatur.* De concubinâ secundi generis capiendus est Canon Aurelianensis. Aliquis concubinam accepit, eâ pòst mortuâ duxit vxorem; aut vice versâ vxorem primùm duxit, deinde accepit concubinam. Vtrique factus est superstes, quæritur an sit bigamus & an legitimè promoueri possit ad Clericatum. Patres illum recensent inter bigamos, & Clericum fieri vetant, si tamen per ignorantiam fuit ordinatus, ab officio non remouent. Leges ita sæpè promulgantur, vt quod deinceps vsurpari nolunt, anteà factum non infirment.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

DVO GENERA CONCVBINARVM.

[a] Dist 34. c. 4.

X. Canon. *De incestis coniunctionibus ita quæ sunt statuta seruentur, vt his qui aut modò ad baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta Sacerdotali prædicatione in notitiam anteà non venerunt, ita pro nouitate conuersionis ac fidei suæ credidimus consulendum, vt contracta huc vsque huiusmodi coniugia non soluantur, sed in futurum quod de incestis coniunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est obseruetur, id est, ne quis sibi sub coniugij nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, sororem vxoris, consobrinam aut sobrinam, relictam auunculi vel patrui. Quòd si qui in hoc incesti adulterio potiùs quàm coniugio fuerint sociati, quandiu se non sequestrauerint, à communione Ecclesiasticâ repellantur. Illud etiam adiiciendum esse credimus, vt in Episcopi discussione constiat, de his qui in ciuitate suâ ac territorio consistunt, & tali sunt ordine sociati, vtrùm ignoranter ad illicita coniugia venerint, an per contumaciam quæ sunt interdicta præsumpserint, quia sicut his qui per ignorantiam lapsi sunt subuenitur, ita illis quibus priùs Patrum statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum Canonum in omnibus statuta seruentur, vt non priùs ad communionem recipiantur, quàm incesti adulterium, sicut scriptum est, separatione sanauerint, quia in lege Domini manifestè legitur. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, cum priuignâ, vel vxoris suæ sorore, & reliqua his similia. Quo fit vt quos Deus maledixit, nos nisi emendatos benedicere non possimus.*

XXXIV. DE INCESTIS CONIVNCTIONIBVS.

Hic Canon in multis alludit ad tricesimum Epaonensem qui talis est. *Incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Incestos verò, nec vllo coniugij nomine præuelandos, præter illos quos vel nominare funestum est, hos esse censemus. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterit, carnali coniunctione violauerit, si quis frater germanam vxoris suæ accipiat, si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ sobrinæue se societ, quod vt à præsenti tempore prohibemus, ita ea quæ sunt anteriùs instituta non soluimus. Si quis relictæ auunculi misceatur aut patrui, vel priuignæ concubitu pollua-*

XXXV.

tur. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt iucundi melioris coniugij libertatem.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

XXXVI. ALBINVS AND. EP. AVCTORES INCESTARVM NVPTIARVM PERSEQVITVR.

Inter Episcopos, qui Concilio Aurelianensi subscripserunt, aduersus auctores incestarum nuptiarum strenuè præ ceteris dimicauit Albinus Antistes Andegauensis, vt in illius vitâ scribit Fortunatus his verbis. *Ad cumulum cælestis gratiæ conquirendum, incestarum nuptiarum execrabilis copulationis iura condemnans, beati Iohannis irreprehensibilis imitator, quanta sustinuerit, nullus dignè poterit explicare. Siquidem Martyr effici concupiuit, si non defuisset dextera percussoris. Sed proculdubiò palmam Martyrij meruit, qui voti desideria non abscondit. Vnde præter labores reliquos etiam per Synodos pro ipsâ causâ sæpiùs excurrens, ad postremum quamplurium Episcoporum iniunctione, vt excommunicatas à se personas absolueret, vi fratrum coactus est. Et cùm rogaretur vt eulogias, quas reliqui Antistites ad personam communione suspensam dirigentes benedixerant, & ipse signaret, ait ad Sacerdotale Concilium. Etsi ad imperium vestrum ego signare compellor, dum vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est vindicare. Quo facto antequam eulogias excommunicata persona susciperet, expirauit, & priusquàm portitor perueniret, sermo Sacerdotis obtinuit. Qui etiam ad beatum Cæsarium Arelatensem Præsulem pro eâdem causâ consulturus occurrit.* In vitâ sancti Leobini quam sæpiùs citauimus, mentio quoque fit profectionis quam Albinus ad Cæsarium suscepit, Albino enim comitem itineris se dedit Leobinus tunc Abbas Braiacensis, cui præceptum fuerat ab Ætherio Episcopo Carnotensi, vt causâ proficiendi in meliùs Cæsarium Arelatensem Antistitem adiret consuleréque. Leobino consilium erat eundi Lirinum, vt omnibus subesset, præesset nemini, sed à Cæsario iussus est quantocyùs redire Braiacum, ne regularis disciplina per diuturnam eius absentiam in Monasterio Braiacensi remitteretur.

ADIT CÆSARIVM ARELATENSEM EP. COMITE LEOBINO ABBATE BRAIAC.

XXXVII. DE CLERICIS OFFICIVM SVVM NON IMPLENTIBVS.

XI. Canon. *Si qui Clerici ministeria suscepta quacumque occasione agere sicut & reliqui detrectant, & excusationem de patrociniis quorumcumque, ne officium impleant, prætendant, ac Sacerdotes suos sub huiusmodi causâ æstimant per inobedientiam contemnendos; inter reliquos Canonicos Clericos, ne hac licentiâ aly vitientur, nullatenus habeantur; neque ex rebus Ecclesiasticis cum Canonicis stipendia, aut munera vlla percipiant.*

XXXVIII. DE FACVLTATIBVS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS.

XII. Canon. *De agellis verò ceterísque facultatibus Ecclesiasticis à Sacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, priorum Canonum statuta seruentur, vt nobis per nullos contractus res Ecclesiasticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam quæ de rebus Ecclesiasticis ab antecessoribus alienata vel quibuscunque instrumentis inutiliter in dispendium Ecclesiæ obligata noscuntur, & intra tricennaria tempora repetitio suppetit, quæ acta sunt, suffragante iustitiâ, per publicum aut electorum iudicium reuocentur. Quòd si is qui rem Ecclesiasticam tenet, admonitus iudicium declinauit, quousque aut ad discussionem veniat, aut rem restituat Ecclesiasticam, communione priuetur.* Symmachus Pontifex in Romanâ Synodo, Auieno iuniore Consule, anno Christi quingentesimo-secundo sanxerat, *vt nulli Apostolicæ sedis Præsidi, donec disponente Domino Catholica fidei manserit doctrina salutaris, liceat prædium rusticum, quantacumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis sub perpetuâ alienatione vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre, nec cuiusquam excusetur necessitatis obtentu.* Idemque Pontifex [a] posteà cùm Cæsarij Arelatensis Episcopi consultationibus responderet anno Christi quingentesimo decimo-tertio, Probo Consule, de rebus Ecclesiæ non alienandis hæc inprimis scripserat. *Possessiones quas vnusquisque Ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque contractibus, vel sub quocumque argumento non patimur, nisi forsitan aut Clericis honorum meritis, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certè peregrinis necessitas largiri suaserit, sic tamen vt hæc ipsa non perpetuò sed temporaliter donec vixerint perfruantur.* Extant præterea literæ ab Agapeto Pontifice post Consulatum Paulini iunioris, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto ad eundem Cæsarium Arelatensem

[a] Ep. 3. cap. 1.

sem Episcopum directæ cum decreto Symmachi Papæ suprà recitato, vt prædia iuris Ecclesiæ nullo titulo alienentur. AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

XIII. Canon. *De mancipiis Christianis, quæ in Iudæorum seruitio detinentur, si eis quod Christiana religio vetat, à Dominis imponitur; aut si eos, quos de Ecclesia excusatos tollent, pro culpa, quæ remissa est, affligere. aut cædere fortasse præsumpserint, & ad Ecclesiam iteratò confugerint, nullatenùs à Sacerdote reddantur, nisi pretium offeratur ac detur, quod mancipia ipsa valere pronunciauerit iusta taxatio. Christianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudæorum coniugiis misceantur, quod si fecerint, vsque ad sequestrationem, quisquis ille est, communione pellatur. Item Christianis conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus si fortè fuisse probantur, annuali excommunicationi pro huiusmodi contumacia subiacebunt.* Ne Christianus Iudæam aut Iudæus Christianam acciperet, prohibitum iam fuerat in Concilio Aurelianensi secundo. Vetitum quoque fuerat in Venetico, Agathensi & Epaonensi, ne Christianus interesset conuiuiis Iudæorum, additúmque in Epaonensi, ne is qui Iudæorum conuiuio fuisset inquinatus, panem cum vllo Clerico comederet. XXXIX. DE MANCIPIIS CHRISTIANIS IN SERVITIO IVDÆORVM DETENTIS. DE CONIVGIIS ET CONVIVIIS IVDÆORVM.

XIV. Canon. *De Missarum celebritate in præcipuis duntaxat solemnitatibus id obseruari debet, vt horâ tertiâ Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quò faciliùs intra horas competentes ipso officio expedito, Sacerdotes possint ad vespertina officia, id est, in vespertino tempore conuenire, quia Sacerdotem vespertinis officiis ab Ecclesia talibus prætereà diebus nec decet deesse, nec conuenit.* XL. MISSA DICENDA HORA TERTIA IN PRÆCIPVIS SOLEMNITATIBVS.

XV. Canon. *Episcopus in Diœceses alienas ad alienos Clericos ordinandos, vel consecranda altaria irruere non debet, quod si fecerit, remotis his quos ordinauerit, altaris tamen consecratione manente transgressor Canonum anno à Missarum celebritate cessabit. De his verò Clericis, qui sub qualibet occasione aut conditione in aliorum ciuitatibus vel territoriis crediderint immorandum, ne ad vllum Clericatus honorem absque sui Episcopi scripto atque consensu debeant promoueri. Verùm etiam Presbytero, Diacono, vel Subdiacono sine Episcopi sui literis ambulanti, iuxta statuta priora, communionem nullus impendat.* Hic Canon, vt recentiora Concilia prætermittamus, multis Apostolorum Canonibus innititur. Tricesimo-sexto. *Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in ciuitatibus & villis, quæ illi nullo iure subiectæ sunt. Si verò conuictus fuerit hoc fecisse præter eorum conscientiam, qui ciuitates & villas detinent, & ipse deponatur, & qui ab illo sunt ordinati.* Decimo-quinto & decimo-sexto. *Si quis Presbyter aut Diaconus aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam, & omninò demigrans præter Episcopi sui conscientiam in alsena parochia commoretur, hunc vlteriùs ministrare non patimur, præcipuè si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseuerans. Verumtamen tanquam laïcus ibi communicet. Episcopus verò apud quem moratos esse constiterit, si contra eos decretam cessationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos fortè susceperit, velut magister inquietudinis communione priuetur.* Item tricesimo-quarto. *Nullus Episcoporum peregrinorum aut Presbyterorum aut Diaconorum sine commendatitiis suscipiatur epistolis. Et cùm scripta detulerint, discutiantur attentiùs & ita suscipiantur si prædicatores pietatis extiterint, sin minùs, nec quæ sunt necessaria subministrentur eis, & ad communionem nullatenùs admittantur, quia per subreptionem multa proueniunt.* XLI. EPISCOPVS CLERICOS IN ALIENA DIŒCESI NON DEBET ORDINARE.

XVI. Canon. *De raptoribus virginum consecratarum, seu in proposito sub deuotione viuentium, id statuimus, vt si quis consecratæ, vel deuotæ, id est, religionem professæ vim inferre præsumpserit, à communione Ecclesiastica vsque ad exitum repellatur, viatico tantùm ei, in infirmitatis periculo, reseruato. Quòd si quæ rapta dicitur, cum raptore habitare consenserit, & ipsa excommunicatione simili feriatur. Quæ forma & de pœnitentibus ac vidnis in proposito manentibus, sub districtione Ecclesiastica conseruetur. Quòd si quis Sacerdos sciens huiusmodi personis communicauerit, anno integro pacem Ecclesiæ non habebit.* XLII. DE RAPTV VIRGINVM SACRARVM, PŒNITENTIVM, ET VIDVARVM.

XVII. Canon. *De munificentiis verò Sacerdotum id obseruandum, vt si quid* XLIII. DE MVNIFICENTIIS EPISCOPORVM ERGA CLERICOS.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

præsenti tempore à Clericis de decedentium munificentiis habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenus auferatur; ita vt qui decessorum largitatibus gaudent, officia Ecclesiæ, obedientiam & affectum Sacerdotibus præbeant. De quibus tamen munificentiis, quæ præsenti tempore ab his sicut dictum est possidentur, si pro opportunitate Episcopo placuerit, quod voluerit commutare, sine accipientis dispendio, in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præsentibus, quas vnusquisque Clericis pro sua gratia eorum obsequiis æstimat conferendas, sicut in arbitrio dantis est, vt tribuere quibus voluerit debeat, ita si inobedientia vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpâ agnitâ in arbitrio sit præsidentis, vtrùm vel qualiter debeat reuocari.

XLIV. DE CLERICIS MONASTERIA, DIŒCESES, BASILICAS ORDINANDAS SVSCIPIENTIBVS.

XVIII. Canon. *De his verò Clericorum personis, quæ de ciuitatensis Ecclesiæ officio, Monasteria, Diœceses, vel Basilicas in quibuscumque locis positas, id est, siue in territoriis, siue in ciuitatibus suscipiunt ordinandas, in potestate sit Episcopi, si de eo quod antè de Ecclesiastico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit, quia vnicuique facultas suscepti Monasterij, Diœcesis vel Basilicæ, debet plenâ ratione sufficere.*

XLV. DE CLERICIS CONTVMACIBVS.

XIX. Canon. *Si quis superbiâ elatus officium suum indignatione quâcumque implere noluerit, iuxta statuta priora laicâ communione contentus, ab ordine depositus tandiu habeatur, quandiu dignâ, sicut scriptum est, pœnitentiâ & supplicatione satisfecerit præsidenti Pontifici, tamen illis regulariter & caritatem integram, & quæcumque illis stipendiorum iuxta consuetudinem redhibentur, pro qualitate temporis ministranti. De quibus si querela procedit, officium agens recurrat ad Synodum.* Statuta priora quorum hic Canon meminit, non alia sunt, quâm quæ Patres Agathensis [a] Concilij contra contumaces Clericos anno Christi quingentesimo-sexto condiderunt hoc modo. *Contumaces verò Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur, & si qui priores gradus elati superbiâ communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt, cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatémque recipiant.* Ex illorum Conciliorum collatione duo necessariò videntur inferenda, communionem laïcam à peregrina non distingui, & Clericos qui laïcâ communione damnati sunt pristinum gradum dignitatémque posse recuperare. Vtrumque autem falsissimum est. Quapropter asseremus Patres in Aurelianensi Concilio laïcam communionem latiori modo vsurpasse, cùm illam Clericis contumacibus in pœnam inflixerunt additâ certâ fiduciâ recipiendi gradum, quotiescumque pœnitentiâ seu mœrore ac supplicatione præsidenti Pontifici satisfeciissent. Eiusmodi Clerici, quibus regressus ad Clerum non præcludebatur, peregrinâ tantùm communione non laïcâ mulctabantur. Duo illa communionis genera in eo conueniunt, quòd Clericis pro pœna, laïcis numquam irrogabantur, in eo verò differunt, quòd communio laïca in ordinem laïcorum omninò cogebat Clericos redeundi in Clerum spe sublatâ, communio autem peregrina suspendebat munera ordinis, sed Clericum non abdicabat, nam quamuis ab Ecclesiastica communione excluderetur, nihilominùs Ecclesiæ sumptibus alebatur, & denuò tandem in ordinem restituebatur, vt constat ex Canonibus antè recitatis. Communio igitur peregrina quiddam erat medium inter laïcam & Ecclesiasticam, aut potiùs quædam erat diminutio ab Ecclesiastica, à qua nisi ad tempus summouebatur qui damnabatur peregrinâ. Diximus suprà statutum fuisse multis in Conciliis, vt Clericus peregrinus sine literis Episcopi sui non reciperetur ad communionem, verùm si casu quodam eas amiserat, aut in suspicionem veniebat alicuius fraudis, donec liquidò constaret, an vera vel falsa protulisset, nec admittebatur ad communionem Ecclesiæ, nec excommunicatis annumerabatur, sed seorsim sumptibus Ecclesiæ in loco semoto alebatur, vbi orabat, & in eo statu erat, vt laïcus non esset, nec tamen Ecclesiæ communioni participabat, neque vllis Clerici muneribus defungebatur. Hæc origo fuit communionis peregrinæ,

[a] Can. 2.

COMMVNIO PEREGRINA DIFFERT A LAICA.

MEDIA EST INTER ECCLESIASTICAM ET LAICAM.

quâ præter peregrinos Clericos puniti sunt interdùm & alij Clerici qui peccauerant haud tamen adeò grauiter, vt ad laicam communionem censerentur detrudendi, tales sunt Clerici contumaces, de quibus agunt Synodi Agathensis & Aurelianensis Canonibus suprà descriptis. AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

XX. Canon. *Si quis Clericorum circa se aut districtionem aut tractationem Episcopi sui putat esse iniustam, iuxta antiquas constitutiones recurrat ad Synodum.* Parem constitutionem habent Concilia Vasense primum, Arelatense secundum, & Venericum Aurelianensi tertio longè antiquiora. XLVI. CLERICI OPPRESSI AD SYNODVM RECVRRVNT.

XXI. Canon. *Si qui Clericorum, vt nuper multis in locis Diabolo instigante actum fuisse perpatuit, rebelli auctoritate se in vnum coniuratione intercedente collegerint, & aut Sacramenta inter se data, aut chartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus hac præsumptio præeat, sed res detecta, cùm in Synodum ventum fuerit, in præsumptoribus, iuxta personarum & ordinum qualitatem, à Pontificibus, qui tunc in vnum collecti fuerint, vindicetur, quia sicut caritas ex præceptis Dominicis corde, non chartulæ conscriptione est vel coniurationibus exhibenda, ita quod supra sacras admittitur scripturas, auctoritate & districtione Pontificali est reprimendum.* XLVII. CLERICORVM CONSPIRATIONES IN SYNODIS VINDICANDÆ.

XXII. Canon. *Si quis res Ecclesiæ debitas, vel proprias Sacerdotis, horrende cupiditatis instinctu occupauerit, retinuerit, aut à potestate ex competitione perceperit, vt eas non restituat, nullis rebus excusetur, sed si aguito iure Ecclesiastico, non statim Ecclesiæ vel Sacerdoti reformauerit, aut vt ipsum ius agnoscere possit, in iudicium electorum venire distulerit, tandiu à communione Ecclesiastica suspendatur, quamdiu restitutis rebus tam Ecclesiam quàm Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his, qui oblationes defunctorum legaliter dimissas quolibet ordine adsignare tardauerint, vel retinere præsumpserint, districtionis Ecclesiasticæ iuxta priores Canones forma seruetur. Cui etiam sententiæ subiacebit, quisquis ille quolibet ordine, quod pro deuotione sua Ecclesiæ dedit, reuocare præsumpserit.* In Concilio Vasensi [a], *qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & Ecclesiis tradere demorantur, vt infideles sunt ab Ecclesia abiiciendi.* Patres Concilij Arelatensis [b] secundi statuunt, vt *secundùm constitutionem Synodi Vasensis, quicumque oblationem fidelium suppresserit aut negauerit, ab Ecclesia cui fraudem fecerit excludatur.* Lege præterea Canonem decimum-quartum Concilij Aruernensis. Atque hi sunt priores Canones quos renouare voluit Synodus Aurelianensis tertia. XLVIII. DE RETINENTE REM ECCLESIÆ VEL EPISCOPI. OBLATIONES DEFVNCTORVM. ET SVAS.

[a] Can. 4.
[b] Can. 47.

XXIII. Canon. *Abbatibus, Presbyteris, ceterisque ministris, de rebus Ecclesiasticis, vel sacro ministerio, alienare vel obligare, absque permissu & subscriptione Episcopi sui nil liceat. Quod qui præsumpserit, regradetur communione concessâ, & quod temerè præsumptum aut alienatum est, ordinatione Episcopi reuocetur.* XLIX. RES ECCLESIÆ NON SVNT ALIENANDÆ SINE PERMISSV EPISCOPI.

XXIV. Canon. *Vt ne quis pœnitentiæ benedictionem inuenibus personis credere præsumat. Certè coniugatis nisi ex consensu partium, & ætate iam plenâ, eam dare non audeat.* Hic Canon totus est de pœnitentiâ publicâ seu solenni, & pœnitentiæ benedictionem vsurpat pro ipsâ impositione pœnitentiæ. Eâdem locutione vtuntur Patres in Concilio * Barcinonensi [c] secundo, *si qui hominum vtriusque sexus Pœnitentiæ benedictionem expetendo à Sacerdote perceperint,* &c. Pœnitentia solennis non iterabatur. Consuetudinem illam Ecclesiæ clarissimè docet sanctus Ambrosius libro secundo [d] de pœnitentiâ. *Meritò,* inquit, *reprehenduntur, qui sæpiùs agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam posteà non putarent, quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leuiorum, illa graniorum. Facilius autem inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Idem non minùs perspicuè probat vltimo capite eiusdem libri. *Si caro menti repugnat, nec subdita est animi gubernaculo, & mentis imperio, aliena est terra, quæ non domatur exercitio cultoris, & ideo non potest fructus charitatis, patientiæ ac pacis afferre. Melius est ergo tunc quiescere, cùm exercere non quea-* L. PŒNITENTIA SOLEMNIS NON ITERATVR.

* De Barcelonne.
[c] Can. 4.
[d] Cap. 10.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

opera pœnitentiâ, ne in ipsâ pœnitentia fiat, quod posteà indigeat pœnitentiâ. Quæ si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris. Cùm ea esset Ecclesiæ disciplina, Patres in Concilio Agathensi anno Christi quingentesimo-sexto, & posteà in Concilio Aurelianensi tertio censuerunt iuuenibus pœnitentiam non facilè committendam esse propter ætatis fragilitatem. Rectè enim ita concludit sanctus Ambrosius loco proximè citato. *Didicimus ergo & agendam pœnitentiam & eo agendam tempore, quo culpæ deferuescat luxuria, & in captiuitate peccati positos, reuerentiores nos non vsurpatores esse debere.* Eadem ratio est propter quam Patres in Concilio Aurelianensi tertio pœnitentiam aiunt coniugatis non dandam *nisi ætate iam plenâ.* Cur autem addant *nisi ex consensu partium*, aperit sanctus Ambrosius [a] his verbis. *An quisquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini effusio, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus?* Pœnitentiæ tempore continentia imperabatur, ideóque patres Concilij Arelatensis secundi [b] non tantùm statuunt *pœnitentiam coniugatis non nisi ex consensu dandam*, sed insuper prohibent ne pœnitens si coniugem amittat, alterum ineat matrimonium. *Pœnitens quæcumque defuncto viro alij nubere præsumpserit, vel suspectâ vel interdictâ familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab Ecclesiæ limitibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentiâ posito placuit obseruari.*

NON EST DANDA IVVENIBVS. NEC CONIVGATIS.

[a] De Pœnit. l. 2. c. 10.

NISI EX MVTVO CONSENSV.

[b] Can. 11.

LI. DE POENITENTIBVS AD SECVLARIA REDEVNTIB.

XXV. Canon. *Si quis pœnitentiæ benedictione susceptâ ad secularem habitum militiámque reuerti præsumpserit, viatico concesso vsque ad exitum excommunicatione plectatur.* De pœnitentibus qui ad secularia redierint, actum iam in Concilio Aurelianensi primo.

LII. SERVI NON SVNT ORDINANDI.

XXVI. Canon. *Vt nullus seruilibus colonariisque conditionibus obligatus, iuxta statuta Sedis Apostolicæ, ad honores Ecclesiasticos admittatur, nisi priùs aut testamento, aut per tabulas legitimè constiterit absolutum. Quòd si quis Episcoporum, eius qui ordinatur conditionem sciens, transgredi per ordinationem inhibitam fortasse voluerit, anni spatio Missas facere non præsumat.* Leo Magnus [c] vniuersis Episcopis per Campaniam & Picenum vel Tusciam & per vniuersas Prouincias constitutis scribit, vt nullus Episcopus seruum alterius ad officium Clericatus permoueat, & ex illius Pontificis sententiâ *duplex in hac parte reatus est, quòd & sacrum ministerium talis consortij vilitate polluitur, & Dominorum, quantùm ad illicitæ vsurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur.*

[c] Ep. 1. c. 1.

LIII. DE CLERICIS HONORATIS VSVRAM ET TVRPE LVCRVM EXERCENTIBVS.

XXVII. Canon. *Vt Clericus à Diaconatu & suprà, pecuniam non commodet ad vsuram, nec de præstitis beneficiis quicquam amplius quàm datur speret, néue in exercendis negotiis, vt publicè qui ad populi responsum negotiatores obseruant, turpis lucri cupiditate versetur, aut sub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quòd si quis aduersùm statuta venire præsumpserit, communione concessâ ab ordine regradetur.* Canon Apostolorum quadragesimus-sextus præscribit *vt Episcopus aut Presbyter aut Diaconus, vsuras à debitoribus exigens aut desinat aut certè damnetur*, & Patres Concilij Arelatensis secundi decernunt vt *si quis Clericus pecuniam dederit ad vsuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratiâ genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus à Clero à communione alienus fiat.*

LIV. OPERA DIE DOMINICO LICITA AVT ILLICITA.

XXVIII. Canon. *Quia persuasum est populis die Dominico agi cum caballis aut bubus, & vehiculis itinera non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem vllatenus exercere (quæ res ad Iudaicam magis quàm ad Christianam obseruantiam pertinere probatur) id statuimus vt die Dominico quod antè fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est, aratro, vel vineâ vel sectione, messione, excussione, exarto, vel sepe, censuimus abstinendum, quò faciliùs ad Ecclesiam venientes orationis gratiâ vacent. Quòd si inuentus fuerit quis in operibus suprà scriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione sed in Sacerdotis castigatione consistat.*

LV. MISSA AVDIENDA INTEGRA.

XXIX. Canon. *De Missis nullus laicorum ante discedat, quàm Dominica dicatur oratio, & si Episcopus præsens fuerit, eius benedictio expectetur. Sacrificia*

verò matutina Missarum siue vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum vsum spectet. Quod qui fecerit, in Sacerdotis potestate consistat, qualiter eius districtione debeat castigari. Sacrosanctum Missæ sacrificium celebrari consueuerat matutino tempore diebus remissionis ac lætitiæ, vespertino tempore diebus pœnitentiæ ac tristitiæ. De illâ rerum distinctione alibi dicemus & fusiùs & opportuniùs. Quod ad orationem Dominicam & Episcopalem benedictionem attinet, agemus de vtrâque ad annum Christi quingentesimum quadragesimum secundum in obseruationibus ad homilias beati Cæsarij Arelatensis Episcopi. AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

XXX. Canon. *Quia Deo propitio sub Catholicorum Regum dominatione consistimus, Iudei à die cœnæ Domini vsque in secundam sabbati in Pascha, hoc, est ipso quatriduo, procedere inter Christianos, neque Catholicis populis se vllo loco vel quacumque occasione miscere præsumant.* Synodalem hanc constitutionem Childebertus Rex Regiâ præceptione firmauit, nam Canone decimo-quarto Synonodi primæ Matisconensis sub Guntchramno statutum legimus, *vt Iudæis à cœnâ Domini vsque ad primum Pascha, secundùm edictum bonæ recordationis Domni Childeberti Regis, per plateas aut forum, quasi insultationis causâ, deambulandi licentia denegetur.* LVI. DE IVDÆIS.

XXXI. Canon. *Iudex ciuitatis vel loci, si hæreticum aut Bonosiacum, vel cuiuslibet alterius hæresis Sacerdotem, quamcumque personam de Catholicis rebaptizasse cognouerit, quia Reges nos constat habere Catholicos, non statim rebaptizantes adstrinxerit, & ad Regis fidem atque iustitiam propterea distringendos adduxerit, annuali excommunicationi subdatur.* Bonosiaci nomen sortiti sunt à Bonoso in Macedoniâ Episcopo, qui Valentiniani Secundi ac Theodosij Magni temporibus vixit, aususque est illibatam sanctæ Dei Genitricis Mariæ virginitatem post partum negare. Præterea Bonosiaci sectatores fuerunt hæreseos Photinianæ, cuius author Photinus Episcopus sub Constantio Augusto Christum docuit non esse Deum sed purum hominem. LVII. DE HÆRETICIS REBAPTIZANTIBVS.

XXXII. Canon. *Clericus cuiuslibet gradus, sine Pontificis sui permissu nullum ad seculare iudicium præsumat attrahere, neque laico, inconsulto Sacerdote, Clericum in seculare iudicium liceat exhibere.* Hoc Canone mutua prohibitio fit & Clerico & laico ne alter alterum ad seculare iudicium vocet, cùm præcedentia Concilia Clerico permitterent, vt pulsatus apud seculatem iudicem responderet; Agathense Canone triceſimo secundo, *Clericus ne quemquam præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare, sed si pulsatus fuerit, respondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere,* & Epaonense Canone vndecimo, *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire vel interpellare publicum non præsumant, sed si pulsati fuerint, sequi ad seculare iudicium non morentur.* LVIII. DE IVDICIIS SECVLARIBVS.

XXXIII. Canon. *Quocirca hæc, quæ inspirante Deo communi consensu placuerunt, si quis Antistitum viuentium, vel eorum quos ipsis Deus esse voluerit successores, relictâ obseruationis integritate custodire & implere neglexerit, reum se diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum esse cognoscat, quia Canones suos nec ignorare quemquam, nec dissimulare, id est, præterire permittitur.* LIX.

Concilio Aurelianensi tertio subscripserunt *die Nonarum mensis tertij* seu Nonis Maiis Episcopi nouemdecim ac Presbyteri septem nomine totidem Episcoporum. LX. SVBSCRIPTION. EPISCOPOR.

Lupus Episcopus Lugdunensis Metropolitanus ita subscripsit. *Lupus in Christi nomine, Ecclesiæ Lugdunensis Metropolitanus Episcopus, iuxta id quod omnibus sanctis Coepiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, Patrum statuta secutus, his constitutionibus subscripsi. Not. die Nonarum mensis tertij, anno* XXVII. *regni Domni Childeberti Regis.* Hic annus Childeberti Regis notatur in Codicibus Remensi & Bellouacensi. LXI.

Pantagathus Episcopus Viennensis Metropolitanus ita subscripsit. *Pantagathus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Viennensis, iuxta id quod omnibus san-* LXII.

AN. CH. *ctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, ſubſcripſi.*

538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4. LXIII. Lupo Lugdunenſi Metropolitano quatuor ſubiacebant Epiſcopi; Placidus Matiſconenſis, Agrippinus Auguſtodunenſis, Gregorius Lingonenſis & Agricola Cabillonenſis; duo priores ad Aurelianenſe Concilium profecti ſunt; Gregorius verò & Agricola Preſbyteros eò direxerunt, ille Euantium, hic Auolum. Ex Epiſcopis autem qui Pantagatho Viennenſi Metropolitano ſuberant, vnus tantùm adfuit Vrſulus Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ. Inde conclude à Lupo & Pantagatho Metropolitanis coepiſcos generaliter eos omnes vocatos qui Concilio interfuerunt, non eos duntaxat qui primæ prouinciæ Lugdunenſis erant ac primæ Viennenſis.

LXIV. Ex prouinciâ Lugdunenſi ſecundâ ſubſcripſerunt Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis Metropolitanæ, Leucadius Epiſcopus Eccleſiæ Baiocaſſinæ, Lauto Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantienſis, Paſſiuus Epiſcopus Eccleſiæ Sagienſis, Theodobaudus Epiſcopus Eccleſiæ Lexouienſis, Licinius Epiſcopus Eccleſiæ Ebroicenſis, & Baudaſtes Preſbyter Perpetui Epiſcopi Abrincatenſis nomine, itaut in illâ Prouinciâ nullus fuerit Epiſcopus, qui non Aureliam ipſe proficiſceretur, aut Preſbyterum ad Synodum dirigeret.

LXV. Ex prouinciâ Lugdunenſi tertiâ ſubſcripſerunt Albinus Epiſcopus Andegauenſis, Campanus & Marcellianus Preſbyteri miſſi, ille ab Iniurioſo Epiſcopo Turonenſi Metropolitano, hic ab Eumerio Epiſcopo Namnetenſi.

LXVI. Ex prouinciâ Lugdunenſi quartâ ſubſcripſerunt Leo Epiſcopus Senonenſis Metropolitanus, Ætherius Epiſcopus Carnotenſis, Amelius Epiſcopus Pariſienſis, Eleutherius Epiſcopus Autiſiodorenſis, Ruſticus Epiſcopus Niuernenſis, & Antoninus Epiſcopus Aurelianenſis.

LXVII. Ex Aquitaniâ primâ ſubſcripſerunt Arcadius Epiſcopus Eccleſiæ Biturice Metropolitanæ, Optardenus & Vincentius Preſbyteri directi, ille à Gallo Epiſcopo Aruernorum, hic à Suſtratio Epiſcopo Eccleſiæ Cadurcenſis.

LXVIII. EPISCOPI SANCTITATE CONSPICVI. Ex Epiſcopis, qui Concilio Aurelianenſi tertio vel ipſi propriâ manu, vel per nuncios ſuos ſubſcripſerunt, nouem catalogo Sanctorum in Martyrologio Romano aſcribuntur, Lupus Epiſcopus Lugdunenſis ſeptimo Kalendas Octobris, Pantagathus Epiſcopus Viennenſis decimo-quinto Kalendas Maij, Leo Epiſcopus Senonenſis decimo eaſdem Kalendas, Lauto Epiſcopus Conſtantienſis decimo Kalendas Octobris, Eleutherius Epiſcopus Autiſiodorenſis decimo-ſeptimo Kalendas Septembris, Albinus Epiſcopus Andegauenſis Kalendis Martiis, Agricola Epiſcopus Cabilonenſis decimo-ſexto Kalendas Aprilis, Gregorius Epiſcopus Lingonenſis pridie Nonas Ianuarij, Gallus Epiſcopus Aruernorum Kalendis Iuliis. Prætereà coluntur in ſuis Eccleſiis Arcadius Epiſcopus Bituricenſis Kalendis Auguſtis, & Agrippinus Epiſcopus Auguſtodunenſis Nonis Martiis, adde & Flauium Epiſcopum Rotomagenſem, qui numero Sanctorum accenſetur in antiquis tabulariis, ac teſte Nicolao *Taillepied* in antiquitatibus [a] Rothomagenſibus corruptè nuncupatur *ſainct Filleul*.

[a] Cap 19.

LXIX. VEDASTI ATREBAT. EP. OBITVS. Hoc anno Vedaſtus Epiſcopus Atrebatenſis, cùm Pontificatum feliciter geſſiſſet *annis circiter quadraginta*, vt Alcuinus in eius vitâ loquitur, ſiue cùm annum in Præſulatu quadrageſimum ageret, ad Deum migrauit octauo Idus Februarij, quo die hæc leguntur in Chartulario Atrebatenſis Monaſterij. *Apud Attrebatam* * *ciuitatem, depoſitio beati Vedaſti, qui Pontifex à ſancto Remigio Rhemorum Archiepiſcopo conſecratus, & ab eodem huic ciuitati, gratiâ Saluatoris ordinante, deſtinatus, per quadraginta annos Eccleſiam Dei, verbo prædicationis & exemplo vitæ ſtrenuè gubernauit. Ad cuius merita declaranda columna miri ſplendoris è cœlo ſuper domum illius ægrotantis irradians, obitum eius præſignauit.* De ſancto Vedaſto poſt Alcuinum, quem redegit in epitomen, ita ſcribit Molanus [a]. *Fuit pauperibus largus, diuitibus affabilis, quatenus omnes vel largitate munerum vel iucunditate verborum, in viam deduceret veritatis. Nobilis quidam Francus, Oginus nomine, Regem Clotarium vocauerat ad prandium. Rogatus*

* *Arras.*

[a] D. 6. Febr.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

quoque est ad conuiuium Vedastus, qui domum intrans, more sibi solito, dexterâ extentâ, omnia sanctæ Crucis vexillo signauit. Quædam verò vascula, ceruisiâ plena, gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta, mox ob potentiam sanctæ Crucis crepuerunt. Eiusdem sancti Vedasti obitum ac sepulturam sic describit Alcuinus. *Rexerat præfatus Dei Sacerdos Ecclesiam Christi, diuinâ auxiliante gratiâ, annis circiter quadraginta, sub magnâ Euangelicæ prædicationis deuotione, sub magno pietatis amore, ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Christianæ fidei conuertit sanctitatem. Claruit vbique diuinæ cognitio legis, sanctissimum Christi nomen cunctorum audiebatur in ore, floruit in moribus castissimæ vitæ honestas, ardebat in pectoribus singulorum cælestis patriæ amor, populus statutis diebus ad Ecclesiam concurrebat, festa cum magno gaudio nostri Saluatoris opportunis celebrabantur diebus, eleemosynæ circa domos vberrimè pauperibus dispertiebantur, verbum Dei quotidie per loca singula populis prædicabatur, hymnidicas laudes Deo horis Canonicis chorus cantabat in Ecclesiis. Postquàm verò pius prædicator & sanctus Dei Sacerdos, meritis maturus & annis, præmia sui laboris accipere debuit, Deo dispensante, in eâdem Atrebatâ ciuitate validæ infirmitatis febre correptus est, diuinâ prænidente misericordiâ, vt, vbi plurimùm in Dei sudauit seruitio, inde ad palmam æternæ beatitudinis perueniret, & inter carissimorum manus filiorum animam suo redderet Creatori. Vt verò sui famuli obitum Deus designaret, visa est nocte quadam clarissima columna lucis, à culmine domus, in quâ sanctus iacebat Sacerdos, vsque ad summum cæli, horarum fermè spatio duarum, stare fastigium. Quod cùm viro Dei diceretur, intellexit statim, hoc signum suum demonstrare obitum. Vocauit igitur suos ad se filios, vt eorum precibus suam fideli conditori commendaret animam. Et post dulces paternæ pietatis admonitiones, & extrema caritatis verba, sacrosancto Corporis & Sanguinis Christi confirmatus viatico, inter manus lacrymantium spiritum emisit. Conuenerunt itaque ad vltimas venerandi viri exequias Clerus & populus copiosus, aliarúmque Ecclesiarum Sacerdotes, Presbyteri & Diaconi. Sed mirum; inter lacrymantium voces in terrâ, psallentium (vt fertur) à quibusdam religiosis viris cœtus audiebantur in cælo, & dum digno honoris officio feretrum, in quo iacebat corpus, paratum starct in medio, accedentes mouere illud non valebant. Quid verò agerent, ambigebant; quò se verterent, nesciebant. Sciscitabantur à Scopilione Archipresbytero, viro equidem religioso, qui secretarius fuerat sermonum sancti Dei, si aliquid de suâ eum testari sepulturâ memoraret, timentes ne fortè illis hoc ideò accidisset, quia intra murum eiusdem ciuitatis illum sepelire disponebant. Quibus ille respondit, sæpiùs eum se audisse dicentem, quòd nullus intra muros ciuitatis sepeliri debuisset, quia omnis ciuitas locus debet esse viuorum, non mortuorum. Volebant siquidem illum in Ecclesiâ beatæ semper Virginis Mariæ, vbi sedi Pontificali præsederat, tumulari. Ipse verò sepulturæ suæ locum in Oratorio, quod paupere sumptu, id est, ligneis tabulis, prope littus Crientionis * fluuioli ædificauerat, fieri disposuisse cognoscitur. Quod licet ipse pro humilitate, quâ semper vsus est, fieri voluisset, omnes tamen, qui aderant, attendentes meritorum eius insignia, indignum ducebant, tanti viri corpus in loco humili debere sepeliri, præsertim cùm nec locus ipse habilis esset tanto monumento, nec, palude obsitus, foret accessibilis populo. Dum talia inter se quererentur, venerabilis vir Scopilio, doctus virtute precum, ad solita sibi credidit arma currendum, vt videlicet oratio fidei obtineret, quod multa hominum manus viribus nequiuisset. Vnde cunctos hortans ad precem, ipse prior illacrymans, super corpus sacratissimum incumbens orationi, in hanc vocem mœrore cordis affectus erupit. Heu mihi, inquit, ô beatissime Pater, quid vis vt faciam, quoniam & dies in vesperum declinat, & omnes, qui ad tuas exequias conuenerunt, ad propria iam remeare festinant? Permitte, obsecro, te perferri ad locum, qui tibi filiorum curâ præparatus existit. Et his dictis, accipientes capulum, in quo sancti viri corpus iacebat exanime, nullum onus sentientes, portauerunt eum subiectis humeris cum alacritate animi ad sepulturæ locum. Sepelieruntque eum in Ecclesiâ iam dictâ beatæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, in dexterâ parte altaris, vbi quondam Pontificalis Cathe-*

SEPVLTVRA.

* Lo Crinchon.

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4. LXX.

dre fungebatur officio, nobilem terræ abſcondentes theſaurum.

Quo in loco, vt Alcuinus proſequitur, *per aliquod iacuit tempus, quouſque Domino reuelante, ad locum, vbi nunc fulget eius memoria, eſt à viris ſanctis, Autberto & Audomaro Epiſcopis, felici mutatione tranſlatus*, & ne per *aliquod tempus* intelligas paucorum annorum interuallum, vel Autbertum ſancto Vedaſto proximè ſubrogatum ſuſpiceris, idem Auctor paulò pòſt hæc ſubiungit. *Iacuit in loco eodem vſque ad tempus B. Autberti, qui ſeptimus ei in Sede Pontificali ſucceſſit Epiſcopus.* Ab obitu ſancti Vedaſti vſque ad eius tranſlationem interceſſerunt anni centum ac duodetriginta. Præſulatum inierunt, Autbertus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio, Audomarus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo ſeptimo; ambo interfuerunt tranſlationi ſancti Vedaſti anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto; mortuique ſunt anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, Audomarus quinto Idus Septembris, Autbertus Idibus Decembris. Ita ſuis locis probabimus. In Atrebatenſium ſeu Cameracenſium Antiſtitum catalogis poſt Vedaſtum hi numerantur, Dominicus, Vedulfus, Gaugericus, Bertoaldus, Ablebertus, tum Autbertus, ita vt hic à Vedaſto ſeptimus videatur eo tantùm loquendi modo quo dicitur ſecundus à Rege qui locum Regi proximum tenet. At Fulbertus in vita ſancti Autberti teſtatur ipſum Autbertum à Vedaſto ſeptimum ſic extitiſſe vt inter vtrumque ſex Epiſcopi ſederint, *à die*, inquit, *depoſitionis eius* nempe Vedaſti, *vſque ad tempus B. Autberti, ſex fuere Epiſcopi, quibus ipſe ſeptimus ad Pontificij culmen ſucceſſit.* Inde colligere eſt alicuius Præſulis nomen intercidiſſe. Baldericus qui ſeculo vndecimo hiſtoriam Eccleſiarum Atrebatenſis & Cameracenſis in literas retulit, nullum illarum Sedium Epiſcopum agnoſcit beato Vedaſto antiquiorem. Neoterici Sagericum ſeu Gaugericum Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi diſcipulum, & Diogenem ſeu Giogenem ineunte quinto ſeculo in perſecutione Vandalicâ martyrio coronatum exhibent. Ex Gaugerico, qui Præſulatum ſub Childeberto Rege poſt annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum quintum ſuſcepit, Gaugericum & Sagericum factum iam notauit Bollandus in commentario prævio vitæ ſancti Vedaſti. Prima Diogenis mentio reperitur in Chronico Chriſtiani Maſſæi, qui ſub initium ſeculi decimi-ſexti floruit, de illo Præſule nihil certi pronuntiari poteſt in ſilentio Flodoardi, Balderici, Sigeberti, aliorumque veterum ſcriptorum, ſuſpicamur locum ei tribuendum eſſe inter Vedaſti ſucceſſores qui Gaugericum anteceſſerunt, vt Autbertus Epiſcopus iuxta Fulberti calculum inueniatur ſeptimus à Vedaſto. Coniecturam noſtram non parum fulciunt hæ rationes. Ab vno Epiſcopo facilè occupari poteſt totum temporis interuallum quod ab obitu Bertoaldi ad Pontificatum Autberti interceſſit, anno enim Chriſti ſexcenteſimo viceſimo quinto Bertoaldus Concilio ſub Sonnatio Remenſi Metropolitano interfuit, teſte [a] Flodoardo, & Autbertus duodecimo Kalendas Aprilis die Dominico ſub Dagoberto Rege Pontifex eſt ordinatus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio. Deinde Authores, qui Diogenem laudant, Atrebatenſem Epiſcopum ſemper vocant, numquam Cameracenſem, ideóque in Atrebatenſium Præſulum catalogo ponendum exiſtimamus ante Vedulfum qui relicto Atrebato Sedem Pontificalem Cameracum transtulit. Denique ab obitu ſancti Vedaſti vſque ad Gaugericum Antiſtitem, qui poſt annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum quintum ſub Auſtraſiæ Rege Childeberto ſedere cœpit, effluxerunt anni ſaltem duodequadraginta, qui commodè in tres Pontificatus diuidi poſſunt. Cur Gaugerici Præſulatum ante annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum haud ſtatuamus, exponemus ſuo loco. Miræus in Anacephalæoſi Chronologicâ, quam faſtis Belgicis ſubiunxit, Dominico tribuit annos Pontificatus vndecim, nouem Vedulfo; Gazæus & Locrius tredecim aſſignant Dominico, Vedulfo vndecim. Ex horum computo mortem Dominici referemus anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-primo, & Vedulfi ordinationem anno Chriſti quingenteſimo

SVCCESSORES.

[a] L. 2. c. 5.

quingentesimo sexagesimo-nono, Diogenemquè, donec aliquid certius nacti fuerimus, Episcopum agnoscemus per annos duodeuiginti, quos inter obitum Dominici & promotionem Vedulsi medios effluxisse contendimus. Dominicus, qui Vedasto proximè succesſit, eiusdem sancti Vedasti Vicarius atque Archidiaconus fuisse creditur, cetera eius gesta interierunt. AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

In breuiario Senonensi de sancto Leone illius vrbis Episcopo hæc leguntur decimo Kalendas Maij. *Melodunenses nondum plenè conuersos per sanctum Aspasium Elosanum * Episcopum Christo acquisiuit.* De sancto Aspasio Kalendis Ianuariis ista habet Molanus in additionibus ad Vsuardum. *Castro Mileduno * depositio S. Aspasij * Confessoris, cuius ibidem nomini principalis Ecclesia titulatur, licet vita penitus ignoretur.* Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum addit loci eius tutelarem haberi. Si Sebastiano Rolliardo in Historiâ Melodunensi fides est, Gothorum Arianorum iniuriis coactus solum vertere, Melodunum concesſit, ibique populum partim mysteriis Christianæ religionis imbuit, partim ad studia pietatis excitauit, donec tandem siue ætate & laboribus fractus, seu quâ aliâ ægritudine extinctus est. At duo distinguendi sunt Aspasij. Alter Elosensis Episcopus fuit, & Leoni Episcopo Senonensi superstes vixit, nam Constitutus Leonis succesſor cum illo Aspasio Elosensi subscripsit Concilio Aurelianensi quinto. Alter, cuius operâ Leo Episcopus Senonensis vsus est, Meloduni colitur, &, vt Bollandus [a] obseruat, *solùm Confessor dicitur non Episcopus.* Eius celebritas postridie Kalendas Ianuarias agitur, ob festum fortasse Circumcisionis dilata, reliquiæ religiosè seruantur Meloduni capsis inclusæ partim in sanctæ Mariæ, partim in ædc ipsius nomini dicatâ.

LXXI. * *a Bouse.* LEO SENONENS. EP. * *Melun.* * *Aspais.*

ERVDIT MELODVNENS. PER ASPASIVM. [a] *D. 2. Ian.*

Circa hæc tempora Patroclus patriâ Bituricensis, cùm apud Munionem Childeberto Regi charissimum diu nutritus fuisset, auditâ Ætherij patris morte domum regressus à matre sollicitari cœpit vt vxorem duceret, sed mente ad Deum conuersâ supplex adiit Arcadium Episcopum Bituricensem, ab eóque petiit comam capitis sibi tonderi, accirique se in ordinem Clericorum. Posteà Diaconatus officium sumpsit. *Vacabat ieiuniis, delectabatur vigiliis, exercebatur lectione, ac in oratione assiduâ ita promptus effundebatur, vt nec ad communium mensæ Canonicæ cum reliquis accederet Clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum ait, aut cum reliquis fratribus cibum sume aut certè discede à nobis, non enim rectum videtur, vt dissimules cum his habere victum, cum quibus Ecclesiasticum implere putaris officium. Non est autem de his seruus Dei commotus animo, qui iam eremi sitiebat adire secretum, sed egressus ab vrbe venit ad vicum Nereensem, ibique edificato Oratorio, ac sancti Martini reliquiis consecrato, pueros erudire cæpit in studiis literarum. Veniebant autem ad eum infirmi & sanabantur, atque energumeni nomen eius confitentes emundabantur.* Hæc in eius vitâ Gregorius Turonensis [b].

LXXII. PATROCLVS FIT CLERICVS. DIACONVS [b] *De vit. Patr. cap. 9.*

Maclouius * seu Machutes, quem Albertus de Monte Relaxo natum ait anno Christi quingentesimo-secundo, cùm in Britanniâ transmarinâ vbi lucis vsuram acceperat, inuitus & reclamans in Episcopi defuncti locum suffectus fuisset, *talem honorem dixit esse contumeliam, & sublimitatem Cathedræ violentiam sibi factam. Ascitis itaque paucis secretorum consciis nauem furtim conscendit, & ventis se pelagoque committens, Angelicâ legatione monetur fines Gallicana Britanniæ petere, & ad Insulam, in quâ Aaron vir Angelicæ vitæ degebat, appellere. Illic igitur appulsus multos ad fidem conuertit.* Verba sunt breuiarij Nannetensis [c], nec discrepant à prolixiore sancti Maclouij vitâ, quam Surius ex Sigeberto Gemblacensi & Boscius ex membranis Floriacensibus ediderunt. Albertus iam laudatus scribit Machutis aduentum in Armoricam hoc anno contigisse.

LXXIII. MACLOVIVS VENIT IN ARMORICAM. * *Malo.* [c] *D. 15. Nou.*

Circa illa tempora Tadecus & Iudulus Abbates Martyrium passi sunt in Diœcesi * Coriosopolitanâ. Florebat inter huius regionis Christianos vir prædiues, multorum prædiorum dominus, de Clericis cuiuslibet ordinis ac

LXXIV. TADECVS ET IVDVLVS ABBATES MARTYRES. * *De Cornoüaille.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

Monachis optimè meritus, nomine Araſtagnus. Ab auunculi moribus longè diſcrepabat Faouij * Dynaſta ethnicus, Clericorum ac Monachorum hoſtis infenſiſſimus. Hic aliquando, cùm reſciiſſet haud procul à ſuâ Dynaſtiâ conuentum Abbatum pro rebus Monaſticis agi, Monaſterium adiit, vbi hæc congregatio habebatur, actâ in fugam plebe Tadecum Abbatem, qui Miſſam celebrabat, ad altare interemit, Iudulum Abbatem * Teuenecenſem, qui euaſerat, in itinere aſſecutus capite truncauit, Iaoua ſiue Iehonius Preſbyter ac Monachus Teuenecenſis præſens aderat, vixque ſe tanto diſcrimini ſaluum eripuit. Non defuit diuina vindicta. Tot ſcelerum reus à dæmone mox torqueri cœpit, ingens Draco totam regionem crudeliſſimè vaſtauit incolis ſolum vertere coactis. Paulus Leonenſis Epiſcopus, cuius fama per Armoricam latè ſpargebatur, à Corioſopolitis rogatus Faouium venit cum Iehonio. Primus congreſſus fuit cum Dracone, quem immiſsâ in collum ſtolâ illigauit; ſecundus cum dæmone, quem ſigno Crucis fugauit ſanato Faouij Domino, qui ſacramento baptiſmatis initiatus Pauli nomen accepit, & in commiſſorum criminum pœnitentiam Monaſterium in Diœceſi Corioſopolitanâ conſtruxit Daougalenſe dictum, id eſt, duorum vulnerum, eò quòd necem duobus ſanctiſſimis Abbatibus Tadoco & Iudulo nefariè intulerat. Illius Cœnobij primus Abbas fuit Iehonius, in cuius vitâ, quæ retulimus, ab Alberto prolixiùs enarrantur ſexto Nonas Martij.

* *Faon.*

* *Abbé de Landt-Tenuenec.*

LXXV.

MARCVLFVS CONDIT MONASTERIVM NANT.

Circa eadem tempora Childebertus Rex, qui liberos ex Vltrogode Reginâ iam procrearat, Marculfo Preſbytero locum, cui nomen Nantus, ad erigendum Monaſterium in pago Conſtantino * conceſſit. Huius Cœnobij primordia ſic retexuntur ab Auctore perantiquo in vitâ ſancti Marculfi. *Quadam nocte dum poſt longam in orationibus Deíque laudibus lucubrationem, membris fatigatis modicam indulgeret quietem, adeſt ei ſupernus nuncius, habitu fulgidus & aſpectu iocundus. Qui eum excitans his verbis alloquitur. Pax tibi beatiſſime Marculfe. Omnipotenti Regi tua ſunt grata opera, grata vtique ipſi per omnia tua eſt militia. Sciaſque in hoc præcipuè te ipſius gratiam promeruiſſe, quoniam non modò circa tuam, verùm etiam circa tuorum ſalutem proximorum ſollicitè inuigilas. Et quoniam per te plures à faucibus diuelli dæmonum ſibíque Chriſtus vindicari diſpoſuit, feſtinus Childebertum Regem adeas Francorum, atque ab eo tibi dari poſtules locum quendam in hoc pago Conſtantino* (Surius [a] reddit *locum quendam huius vrbis Conſtantienſis*, & pagum Conſtantinum, qui territorium Conſtantienſe complectitur, ab ipsâ ciuitate * Conſtantienſi, quæ pago nomen fecit, non ſatis diſtinguit) *cui Nantus eſt vocabulum cum vniuerſis rebus ad eundem locum pertinentibus. In quo & Monaſterium conſtruas, & aliquos fratres qui ſub tuo regimine Regi Regum deuotè ſeruiant conſtituas. Cùm autem cor Regis in manu illius ſit, cuius iſta eſt iuſſio, nullo modo te fore impetraturum, quod ab eo poſcere moneris, diffidas. His dictis protinus diſparuit. Mane igitur facto beatus homo diuina iuſſioni obtemperare feſtinans, aſello cui ſedere inſueuerat aſcenſo, aſſumptis ſecum duobus ſanctiſſimis fratribus ſuis, quos pro excellenti religioſitate ſuâ comites habebat inſeparabiles; Carulfo videlicet & Domardo, iter ſibi à Deo imperatum arripuit. Cúmque venerabilis Rex Childebertus cum ſuâ Reginâ Vltrogode nomine, non minimâ Procerum & Optimatum ſuorum turbâ comitante, quædam feſta diuini celebratione officij in Eccleſiâ deuotè præſtolaretur, beatus Marculfus ſuperuenit. Vir igitur ſanctus, cùm Eccleſiam intraſſet, non ſe continuò regalibus præſentauit obtutibus, ſed qui ſemper mundanam gloriam fugere ſtuduit, in quo poſtpoſitâ omni ſeculari leuitate humilis & religioſa manebat grauitas, in quandam abditiſſimam partem diuertit, vbi ab omni tumultuoſo ſtrepitu remotus Chriſto ſecretas poſſet preces effundere implens illud Euangelicum. Cùm oraueris, inquit, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Nolebat enim vir Spiritu ſancto repletus hypocritarum ſectari iactantiam, qui in Synagogis locíſque publicis, vt ab omnibus viderentur, ſtantes orabant. De quibus ipſa veritas dicit. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Sed quia non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque*

* *Le Cotantin.*

[a] D. 1. Maii in vit. S. Marculf.

* *Coutances.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

Christi lucerna sub medio latere poterat, quem custos omnium virtutum celare satagebat humilitas, demonum superata detegebat superbia. Ex quo enim vir sanctus Ecclesiam introiit, per quosdam, qui fortè illuc adducti fuerant, obsessos utriusque sexus homines, magnis lacrimosisque cœperunt vocibus clamare demonia. Parce nobis, parce Christi serue Marculfe, grauibus enim & intolerabilibus tormentis cruciat nos præsentia tua, sed si ab his nos sedibus per te diuina expulerit potentia, ne nos tradat in abyssum, tua impetret sanctitas. Quod cùm Rex & vniuersi populi multitudo nimio stupore attoniti audissent, statim ipse Rex, quis esset qui hoc nomine vocaretur, & cui sic acclamarent demoniaci, diligenter iubet inquiri. Cúmque homo Dei iussu regio studiosè perquireretur, tandem inuenitur, monetúrque vt ad Regem festinus accederet. Cui scisciranti quibus ab oris eò aduenisset; *Vrbs*, inquit, *Baiocassina* * *indigena sum, parentibus secundùm seculi dignitatem non infimis progenitus. Iussione verò Domini indubitanter admonitus ab eisdem occiduis partibus tuam Amplitudinem, Rex Illustrissime, tuamque munificentiam expeto, quatinus fiscum in pago Constantino* (Surius in eum, quem suprà damnauimus, errorem iterùm lapsus *fiscum vrbis Constantiensis* reponit) *qui Nantus* * *dicitur, cum omnibus suis redditibus non michi sed Domino Iesu Christo, quo donante multa temporaliter possides & plura æternaliter possidenda expectas, solemni donatione concedas. Denique remoto omni dubitationis obstaculo certissimè scias quia Dei Omnipotentis voluntas est & iussio, vt præfatus locus non vlteriùs humano sed diuino mancipetur dominio, scilicet vt & ibi Cœnobium construatur, & fratres districtioris vitæ tramitem tenentes pro tuâ totiusque rei tuæ publicæ salute Christum sedulò oraturi in eodem Cœnobio constituantur. Quâ petitione vehementer Rex exhilaratus, gratias, inquit, misericordissimo Deo Creatori meo refero, qui per te dilectum suum mihi suorum infimo suæ voluntatis deliberationem detegere dignatus est; sua nempe terra est & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo, fiat ex omnibus, quæ mihi misericorditer præstitit, eius voluntas & iussio. De cætero vir venerande, ego & vniuersi qui præsentes assistunt, sanctitatem tuam vnanimi deuotione poscimus, vt istis miseris orationum tuarum subueniat intercessio, quatinus quos immundorum spirituum vexat impietas, sanctis tuis precibus diuina relaxet miseratio. Vir autem Domini primò intra se recogitans, ad tantum perpetrandum miraculum se nullomodò idoneum imò indignum obtestatur, & spiritualium perfectorúmque virorum hoc opus esse fatetur. Verumtamen Regis & aliorum multorum precibus adquiescens, tandem curuatis in terram genibus, oculis ac manibus in cælum protensis inuocat Christum huiusmodi vocibus,* &c. Missam facimus orationem Marculfi, quid autem secutum sit, ita declarat Anonymus. *Spiritus immundi certa relinquentes vestigia ab obsessis egredientes in fugam lapsi sunt. Nam per eorum, quos iniustè peruaserant, nares & ora, ipsis recedentibus, sanguis prorupit vberrimus. Tantum igitur talèque miraculum Rex & ceteri qui aderant admirantes Omnipotenti Deo, qui facit mirabilia magna solus, gratias retulerunt immensas. Denique glorioſus Rex Childebertus viso tanto miraculo diuina cooperante potentiâ patrato non dubitauit omnia esse vera, quæ sibi à beato relata fuerant Marculfo. Qui protinus accersito scriptore iubet scribi super donum, quod vir sanctus petiuerat, regale testamentum. Quo ratâ astipulatione munito, tradidit idem Rex omnibus suis suffragantibus prædictum fiscum cum vniuersis redditibus ad eum pertinentibus, Deo & sancto viro suísque posteris perenniter habendum, & quietè, remotâ omni calumniâ, possidendum. Imperat etiam Rex beato Marculfo, vt quicquid deinceps vellet, ab eo sine vllâ impetrandi hæsitatione expeteret. His igitur ita ritè peractis, vir Domini in patriam redeundi petiit à Rege licentiam. Rex verò diutissimè in eius primùm dulci colloquio, postremumque osculo demoratus, séque cum vxore & filiis, illius orationibus commendans, atque obnixè, vt eum sapiùs reuiseret, flagitans tandem eum dimisit. Delegauit autem ei quendam suorum Leontinum nomine* (Surio Leontium) *qui terras prædicti fisci certissimâ finium designatione determinaret,* &c. *Vir Domini Marculfus lætus & incolumis ad propria remeans, locum, quem sibi Rex venerabilis donauerat, excolere totis viribus aggreditur. Con-*

* *Bayeux.*

* *Nanteuil.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

struxit autem inibi Monasterium aptum regulari institutioni & religiosis hominibus congruum. Rebus itaque intus & extrà prudenti dispensatione apparatis atque dispositis non paucos, cum quibus Deo procurante vitam monasticam duceret, fratres coadunauit.

LXXVI. ET MVLTA ALIA.

Inter varia Monasteria, quæ idem Marculfus erexit, secundus locus tribuitur illustri Monasterio, quod cum beato Romardo constituxit in Insulâ Britanniæ adiacente cui nomen Agnus. Sic enim Auctor vitæ iam laudatus. *Plura præter primum ædificans de rebus eorum, qui ad eum confugiebant, ditauit Monasteria. Denique quidam venerabilis Sacerdos Romardus nomine cunctis secularibus curis renuncians ad eius magisterium consolauit, cum quo beatus Marculfus post non multum temporis spatium vitam eremiticam disponens agere, Insulam quandam Britannicæ regioni adiacentem, quæ Agnus vocabatur, adiit. Ipsa verò Insula paucissimis incolebatur habitatoribus. In quâ vir quidam religiosus Helibertus nomine morabatur, qui innumeris virtutibus pollens Deo gratus habebatur, cuius tugurium vir Domini Marculfus cum beato Romardo introiens diu cum eo asperam corporis contritionem exercendo vitæ contemplatiuæ inhæserunt. Sed quantum qualéque in eadem Insulâ per sancti viri merita Christus patrauit miraculum, non est silentio supersedendum. Aliquando namque piratæ plurimi ferè ad tria millia ex gente Saxonicâ prorumpentes ascensis nauibus cursúmque velis & remis accelerantibus ad prædictam Insulam depradandam tendere cæperunt. Quod insulani, qui non plures triginta perhibentur fuisse, de longè deprehendentes, subito metu perculsi quid agerent quodve confugium peterent, vtpote marinis fluctibus circumsepti, omnino nescientes, tandem reperto salubri consilio pariter ad beati Marculfi cucurrerunt præsidium. Qui sancti viri genibus obuoluti, vt eis subueniret, querulosis implorant clamoribus. Quibus ille ait. Filioli, forti animo estote, potens est enim Deus ab istorum eripere vos manibus, proinde si meis vultis adquiescere consiliis, arma constanter capescite, & animis intrepidis, hostibus ad resistendum occurrite, spondeo enim vobis de ipsis affuturam victoriam, nam pro vobis ipse pugnabit, qui quondam Pharaonem eiusque exercitum magnâ virtute contriuit. His igitur incitamentis animati gladios audacter arripiunt, atque non suâ sed in Dei confisi dexterâ viríque sanctissimi precibus fortiter pugnaturi piratis occurrunt. Fit vtrinque congressus acerrimus. Sed per Dei virtutem & per beati viri obtentum omnibus insulanis illæsis, barbarorum verò paucis ferro necatis, plurimisque in gurgitibus absorptis, nullus superfuit, qui reliquorum casum suam reportaret in patriam. Audiens autem eiusdem Insulæ dominus tot millia hostium ita mirificè per beati Marculfi suffragium consumpta, immensas Deo gratias rependit, atque eiusdem sancti viri ditioni eandem dimidiam Insulam deuotâ traditione mancipauit, vbi vir sanctus Monasterium constituxit, in quo fratres aliquos, qui constanti animo Regi Regum militarent, congreganit.*

LXXVII. VLTROGOTHA ADIT ECCLESIAM S. MARTINI.

Vltrogodis siue Vltrogodæ Reginæ, cuius supra meminimus, pietatem ac peregrinationem ad tumulum sancti Martini sic commendat Gregorius [a] Turonensis. *Vltrogotha Regina abstinens se à cibis & somno, præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis peruenit ad locum sanctum, ingressáque Basilicam timens & tremens nequaquam audebat adire sepulchrum, indignam se esse proclamans, nec ibidem posse obsistentibus culpis accedere. Tamen deductâ vigiliis nocte & orationibus ac profluis lachrymis, mane oblatis muneribus multis in honore beati Confessoris Missas expetiit celebrari. Quæ dum celebrantur, subitò tres cæci qui ad pedes beati Antistitis longo tempore priuati lumine residebant, fulgore nimio circumdati lumen quod olim perdiderant receperunt.*

[a] De Mir. S. Mart. l. 1. c. 11.

LXXVIII. RADEGVNDIS NVBIT CLOTARIO

Hoc anno Clotarius Rex, cuius vxor Chunsena, Chramni mater, obierat, Radegundem duxit. De nuptiis Radegundis breuiter admodum differit Gregorius [b], copiosiùs Fortunatus [c], vterque absque vllâ temporis notâ, sed vt Radegundis ante hunc annum haud nupsit, si vera sunt ea quæ de duabus prioribus Clotarij coniugibus Indegunde & Chunsenâ retulimus, ita nec seriùs à Clotario adscita est in vxorem, nam sexto post nuptias anno Diaco-

[b] Lib 3. c. 7.
[c] In vit. S. Radeg.

niſſa ordinata eſt ab Epiſcopo Medardo, cuius obitus ſexto Idus Iunias anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-quinto contigit. Radegundis, cùm Clotarius præparatis expenſis eam in vxorem ſibi ſociare vellet, Betarcham ab Atheiis * nocte cum puellis elapſa eſt, deinde Sueſſionem directa iterùm fugit vt pompam regalem euitaret, tandem Principi terreno ſic nupſit vt à cæleſti non ſepararetur. Fortunatus fusè prædicat largas eius eleemoſynas, miram humilitatem & humanitatem, ſingularem abſtinentiam, vigilias, ieiunia, lachrymas, patientiam, venerationem erga ſeruos Dei, anxias preces apud Regem pro liberandis captiuis, & pro vitâ condonandâ reis qui morti adiudicabantur. Bandomina, vel, vt manuſcripti Codices habent, Baudoniuia ſanctimonialis ſupplens ea quæ à Fortunato prætermiſſa fuerant, zelum eiuſdem Radegundis erga Chriſtianam religionem extollit inſigni facinore, quod à Surio mutatâ phraſi narratum, primigenio Baudoniuiæ ſtylo referemus. *Cùm eſſet cum Rege adhuc in mundiali habitu, inuitata ad prandium Anſifrida matrona, dum iter ageret ſeculari pompâ comitante, interiecta longinquitate terræ & ſpatio, fanum, quod à Francis colebatur, in itinere beatæ Reginæ, quaſi miliario proximum erat. Hoc illa audiens iuſſit famulis fanum igni comburi, iniquum iudicans Deum cæli contemni, & diabolica machinamenta venerari. Hoc audientes Franci, vniuerſáque multitudo cum gladiis & fuſtibus vel omni fremitu diabolico conabantur illud deffendere. Sanctâ verò Regina immobilis perſeuerans, & Chriſtum in pectore geſtans equum cui inſedebat in antè non mouit, antequam & fanum peruereretur, & ipsâ orante populi inter ſe pacem firmarent.*

AN. CH. 538. CHILDEB. CLOTAR. RR. 27. THEOD. R. 4.

* *Athie ſur la Somme.*

Bandaricus Epiſcopus Sueſſionenſis, cùm populum poſt obitum ſancti Lupi, quem Sueſſionenſes [a] decimo-quarto Kalendas Nouembris colunt, per aliquot annos exemplo vitæ inculpatæ ſingulari, & ſaluberrimis inſtitutis atque conſiliis texiſſet, variis lacerari cœpit ſermonibus impiorum, quorum alij imprudentiæ, alij dementiæ eum inſimulabant, alij prodigum ac diſſipatorem rerum ſuarum eſſe iactabant in vulgus, alij fratrum conturbatorem appellabant. Clotarij Regis iuſſu, nullo habito in eius vitam Concilio aut iudiciario ordine facto ad quorumdam maleuolorum tumultum vrbe & Epiſcopatu abire hoc anno coactus eſt, tranſiit in Angliam, vbi in Monaſterio per ſeptennium humilis ac patientiſſimus degit vili olitoris officio fungens, vt legitur in Breuiario Sueſſionenſi, quarto Nonas Auguſti. Certa autem exilij epocha colligitur ex eo quòd paulò poſt reditum funus ſancti Medardi cum multis aliis Epiſcopis ſuâ præſentia celebrauit, anno videlicet Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-quinto, vnde corrigas eos qui beatum Lupum Bandarici * deceſſorem anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-tertio mortuum ſcribunt [b].

LXXIX.

[a] Martyr Gallic.

BANDARICVS EP. SVESSION. PELLITVR IN EXILIVM.

* *Bandry.*

[b] Tom. 1. Gall. Chriſt.

ANNVS CHRISTI 539. CHILDEBERTI R. 28. CLOTARII R. 28. THEODOBERTI R. 5. INDICTIO 2.

539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

ANNVS Chriſti quingenteſimus triceſimus-nonus notatur apud Marium Conſulatu Appionis & Indictione ſecundâ. I.

Beatus Gregorius Epiſcopus Lingonenſis, *cùm per diem ſanctum Epiphaniæ* II.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5. GREGORIVS EP. LINGON. MORITVR.

rum ad ciuitatem Lingonas ambulasset, à modicâ febre pulsatus, relicto sæculo migrauit ad Christum. Obiit autem tricesimo-tertio Episcopatus sui anno, ætate nonagenariâ. Hæc de tempore Gregorius Turonensis [a], quæ non ad alium annum quàm ad quingentesimum tricesimum nonum referri possunt, quia Gregorius Episcopus Lingonensis anno priori per Euantium Presbyterum subscripsit Concilio Aurelianensi tertio, mense Maio, & Tetricus eius successor, cui Fortunatus [b] triginta tres annos Pontificatus tribuit, non prætergressus est annum Christi quingentesimum septuagesimum-secundum, Pappolus enim qui Tetrico post aliquot altercationes successit, Concilio Parisiensi quarto interfuit anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio.

[a] De vit. patr. c. 7.
[b] Lib. 4. c. 3.

III. SEPELITVR DIVIONE.

Corpus beati Gregorij, vt in eius vita legitur, delatum est *ad Castrum Divionense, vbi se iusserat tumulari. Aduenientibus autem quintâ die Episcopis, ab Ecclesia ad Basilicam B. Ioannis deferebatur. Et ecce vincti carceris ad beatum corpus clamare cæperunt dicentes. Miserere nostri, piissime Domine, vt quos viuens in sæculo non absoluisti, vel defunctus cæleste regnum possidens digneris absoluere, visita nos quæsumus, & miserere nostri. Hæc & alia illis clamantibus aggrauatum est corpus, ita vt ipsum penitùs sustinere non possent. Tunc ponentes feretrum super terram, virtutem beati Antistitis præstolabantur. Hîs ergo expectantibus subitò reseratis carceris ostiis trabes illa quâ vinctorum pedes coarctabantur, repulsis obicibus scinditur media, confractísque catenis omnes pariter dissoluuntur, & ad beatum corpus nemine retinente perueniunt. Dehinc eleuantes feretrum gestatores, hi inter reliquos obsequuntur, qui & à iudice posteà sine damno aliquo sunt dimissi.* Ceterùm Basilica, in qua Gregorius sepeliri voluit, in Chronicis sancti Benigni sic commendatur. *Ecclesia fuit constructa ab ipsis primordiis incæpta Christianitatis, quam Ecclesiam ferunt à sancto Benigno sacratam in honorem sancti Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ Ioannis. Quod & alios, qui ex discipulatu eiusdem Apostoli fuerunt, in cæteris vrbibus quibus prædicauerunt, cognouimus fecisse. Quæ Ecclesia ad hoc est Deo dicata, quatenus ibidem per sacri baptismatis regenerationem plebes credentium transirent in filiorum Dei adoptionem, & quorum animas afferret Deo, eorum corpora suo reciperet gremio. Quapropter in tantum sublimata fuit, vt sanctimonialium ibi sisteretur congregatio, & plurimi ciuitatis Lingonicæ Præsules hic sua corpora iusserint tumulari, videlicet ob deuotionem sancti Martyris Benigni, vt quem sequebantur ordine Sacerdotij, eâdem quâ ille humo cuperent sepeliri. Vnde & sanctus Vrbanus, vnus ex eorum primis Pontificibus ibi iacuisse noscitur. Sanctus quoque Gregorius Episcopus, cui sanctus Benignus dignatus est se primùm manifestare, maiorum suorum sequens exemplum in hac Ecclesia se petiit tumulari, & iuxta eum dextrâ lauâque iacent Pontifices bini, sanctus verò Tetricus successor eius, ad dexteram partem ipsius Basilicæ est positus.*

IN BASILICA B. IOANNIS.

IV.

Vitam sancti Gregorij Lingonensis Episcopi conscripsit Gregorius Antistes Turonensis [c], à quo præter multa quæ superiùs dicta sunt, mutuati sumus etiam quæ sequuntur. Cùm Gregorius Episcopus Lingonensis *apud Diuionense* * *Castrum moraretur assiduè, & domus eius baptisterio adhæreret, in quo multorum Sanctorum reliquiæ tenebantur, nocte de stratu suo, nullo sentiente, consurgens ad orationem, Deo tantùm teste, pergebat, ostio diuinitùs reserato, attentè psallebat in Baptisterio. Sed cùm hoc multi temporis spatio ageret, tandem ab vno Diacono res cognita atque manifestata est. Is enim cùm cognouisset hæc agi, à longè ne eum vir beatus sentire posset, prosequebatur, & quid ageret spectabat. Aiebat enim Diaconus, quòd veniens Sanctus Dei ad ostium Baptisterij, pulsánsque manu propriâ, ostium nemine comparente aperiebatur, illóque ingrediente diutissimè silentium erat, posteà psallentium tanquam multarum vocum per trium horarum & ferè amplius spatium audiebatur. Credo ego, quòd cùm magnorum Sanctorum in eodem loco haberentur reliquiæ, ipsi se beato viro reuelantes, psallentium Domino in commune reddebant. Nam impleto cursu, reuertens ad lectulum, ita se cautè super stratum deponebat, vt prorsus nemo sentiret. Obseruatores verò ostium Baptisterij obseratum inuenientes, clauę suâ solitâ aperiebant. Commotóque signo Sanctus*

[c] De vita patr. c. 7.
* Diion.

Dei sicut reliqui, nouus ad officium Dominicum consurgebat. Præter miraculi magnitudinem in illâ narratione obserua veterem Ecclesiæ morem fuisse, vt reliquiæ Sanctorum collocarentur in baptisteriis. Huius consuetudinis inferiùs alia occurrent exempla. AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. R R. 28. THEOD. R. 5.

Sancto Gregorio in Episcopatum Lingonensem successit Tetricus illius filius ex legitimo matrimonio natus. Etenim *Sanctus Gregorius*, vt in eius vitâ iam laudatâ legitur, *ex Senatoribus primis benè literis institutus, Augustudinensis ciuitatis Comitatum ambiuit. In Comitatu autem positus, regionem illam per quadraginta annos iustitiâ comitante correxit, & tam seuerus atque districtus fuit in malefactoribus, vt vix ei vllus reorum posset euadere. Coniugem de genere Senatorio habens, Armentariam nomine, quam ad propagandam generationem tantùm dicitur cognouisse, de quâ & filios, Domino largiente, suscepit. Aliam verò mulierem, vt iuuenilis assolet feruor inardescere, non contigit. Post mortem autem vxoris ad Dominum conuertitur, & electus à populo Lingonicæ vrbi Episcopus ordinatur.* V. SVCCEDIT TETRICVS FILIVS.

Illo anno, qui belli Gothici in Italiâ quintus numeratur, Romanis consilium fuit Ostrogothos ex agro Piceno pellere. Belisarius Auximum * prouinciæ caput, Cyprianus & Iustinus Fesulas * obsidione cinxerunt; Ioannes autem & Martinus Dertonæ * positis castris constitere prohibituri quominus Vraias ex Liguriâ Picentibus in auxilium veniret; hic tamen Vitigis Regis iussu Picenum versùs exercitum mouit, & traiecto Pado communitisque stationibus ex aduerso Romanorum consedit. Ea facies erat rerum Italicarum, cùm superauit Alpes Theodobertus Francorum Rex secum habens in armis centum hominum millia, quorum pars pleraque pedites erant, equites perpauci, & hi quidem hastis instructi brouioribus; ceteri nec arcus habebant nec tela, sed clypeum, ensem & securim cuius ferrum crassius erat & vtrinque acutum, vt vibrata primo in ipso congressu hostium scuta perfringeret, ipsósque simul interimeret. Franci per Liguriam ad Padum *, tum ad Vraiæ castra peruenerunt, ibique primùm benignè suscepti mox propter multitudinem timori fuerunt Ostrogothis, qui per media Romanorum castra profugientes rectà Rauennam citato cursu contenderunt. Romani verò conuersis in Francos oculis existimarunt captis hostium castris victorem adesse Belisarium cui se iungerent, eóque modo decepti cùm in exercitum Francorum incidissent, nec retrò quà venerant se quoquam pacto recipere possent, in Thusciam præcipiti fugâ perrexerunt, & Belisarium de his quæ sibi contigerant, statim fecerunt certiorem. Franci Ostrogothis ac Romanis superatis, captísque duorum exercituum castris, inuentam in his rerum necessariarum affluentissimam copiam præ hominum multitudine breui consumpsere, cúmque in regione ferro ignique vastatâ præter boues & Padi fluminis aquam nil prorsus quippiam in cibum potumve haberent, bouillísque carnibus ingurgitati & aquâ abundè epotâ digerere affecto iam stomacho cibum nequirent, ventris statim profluuio dysenteriæque morbo tertia pars eorum miserè periit reliquis propter defectum virium vlteriùs etiam haud progredientibus. Belisarius auditâ Ioannis Martinique fugâ timere cœpit ceteris copiis, & iis præcipuè quæ Fesulas obsidebant. Itaque Theodoberto scripsit epistolam, vt iurisiurandi literis traditi meminisset, desineretque bello lacessere maximum Imperatorem, qui vicem reddere maioribus in rebus sat posset. Acquieuit postulatis Theodobertus, & cum iis qui sibi reliqui fuerant protinus in Franciam rediit Hoc discessu consternati sunt penitus animi Ostrogothorum, Fesulæ, Auximum, Rauenna, ipséque Rex Vitiges captiuus in potestatem Romanorum deuenit. VI. BELLVM ITALICVM. * *Osmo.* * *Fiesoli.* * *Tortone.* * *Lo Po.*

Hæc omnia copiosè scribuntur à Procopio [a], qui Francis parum æquus eos dicit [b] omnium hominum maximè infidos, atque ita Christianos, *vt multos priscæ superstitionis ritus obseruent, humanas hostias aliáque impia sacrificia diuinationibus adhibentes.* Sed neminem habet adstipulatorem, imò Agathias [c] æquè Græcus & eiusdem æui scriptor Francos plurimùm sic commen- VII.

[a] Lib. 2. de bell. Goth. capp. 25. & seqq.
[b] Lib. 2. de bello Goth. c. 25.
[c] Lib. 1.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

dat. *Sunt Franci, non campestres, vt ferè plerique barbarorum, sed & politiâ, vt plurimùm, vtuntur Romanâ, & legibus iisdem; eandem etiam contractuum & nuptiarum rationem, & diuini numinis cultum tenent. Christiani enim omnes sunt, rectissimèque de Deo sentiunt. Habent & Magistratus in vrbibus & Sacerdotes, festa etiam perinde atque nos celebrant, & pro barbara natione valdè mihi videntur ciuiles & vrbani; nihilóque à nobis differre, quàm solummodò barbarico vestitu & linguæ proprietate. Ego certè eos cùm ob alia quibus præditi sunt bona, tum verò ob mutuam inter se iustitiam & concordiam summoperè miror.*

FRANCORVM MORES. VIII. COMÆ.

Solemne est, inquit idem Agathias [a], *Francorum Regibus nunquam tonderi, sed à pueris intonsi manent: cæsaries tota, decenter eis in humeros propendet, anterior coma è fronte discriminata in vtrumque latus deflexa. Neque verò quemadmodum Turcis & Barbaris impexa iis & squallida sordidáque est coma, vel complicatione indecenter cirrata, sed stigmata varia ipsi sibi adhibent, diligentérque curant, ídque velut insigne quoddam eximiáque honoris prærogatiua regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facilè permittitur.*

[a] Lib. 1.

IX. VESTES.

Antiquorum Francorum sumptuosus ornatus, qui spectat ad habitum corporis, exscribitur in vitâ Caroli Magni, & à Scholiaste post Capitularia Regum Francorum subiicitur hac insigni descriptione. *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamuis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata, super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus, antè & retrò longissimæ illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camisia glizina, posthæc baltheus spatha colligatus. Quæ spatha primò vaginâ sageâ, secundò corio qualicumque, tertiò linteamine candidissimo cerâ lucidissimâ roborato ita cingebatur, vt per medium cruciculis eminentibus ad peremptionem gentilium auraretur. Vltimus habitus eorum pallium canum vel saphyrinum quadrangulum, duplex, sic formatum, vt cùm imponeretur humeris, antè & retrò pedes tangeret, de lateribus verò vix genua contegeret. Tum baculus de arbore malo nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuspide manuali ex auro vel argento cum celaturis insignibus præfixo portabatur in dexterâ.*

X. LINGVA.

Antiquissima Francorum lingua fuit Teutisca, deinde Romana corrupta seu rustica, quâ Galli viliores vtebantur cùm honestiores Latinè loquerentur, atque inde factum, vt in Franciæ regno ex Conciliorum decretis Episcopi præciperentur tres illas linguas optimè tenere, quò faciliùs omnes Diœcesanos erudire possent.

XI.

Ceterùm Procopius & Agathias citati suprà, quamuis in describendis Francorum moribus multùm inter se differre videantur, simul conciliari facilè possunt. Nam Buccellenus seu Butilinus, quem Gregorius Turonensis [b] in Italiâ cum copiis relictum à Theodoberto testatur, erat genere Alemannus, vt Agathias [c] asserit. Vnde coniicias in exercitu Theodoberti fuisse Francos & Alemannos, qui plurimùm in rebus ad religionem pertinentibus ab inuicem discrepabant. In Alemannorum causâ testis erit idem Agathias [d], à quo superiùs insigne Francorum encomium aduersus Procopium mutuati sumus. *Sunt etiam his*, inquit, *patria quædam instituta: in republica verò administratione Francorum politiam sequuntur; tantùm in iis quæ ad Deum pertinent sententiâ variant. Arbores enim quasdam colunt, & fluminum lapsus & colles & saltus, atque his tanquam iusta facientes, equos aliáque quamplurima resectis capitibus immolant.* Id dubio procul exprimere voluit Procopius [e], apud quem Franci dicuntur *ponte ad Padum præoccupato, & præsidio in potestatem redacto, vxores liberósque Gothorum, quæ ibi deprehenderant, immolare, in eósque acriùs desæuire, corporáque in belli primitias in flumen iacere.* Sed quàm diuersè ab Alemannis in eodem exercitu se gererent Franci, sic alibi declarat Agathias [f]. *Quotquot eorum Franci erant indigenæ, multam reuerentiam pietatémque circa templa exercebant, vtpote rectam de Deo sententiam amplexi, vt suprà dixi, eadémque*

[b] Lib. 3. c. 31.

[c] Lib. 1.

[d] Lib. 1.

[e] Lib. 1. de bell. Goth. c. 25.

[f] Lib. 2.

eadémque cum Romanis ſacra colentes. Alemannica verò gens vniuerſa (aliter enim hi circa Religionem ſunt affecti) templa irreuerenter diripiebant, ſuiſque ornamentis ſpoliabant, multas quidem amulas ſacras, ſiue vaſa luſtralia & aſpergilla ex puro auro, quamplurimos etiam calices & acerras, & quæcunque myſticis cæremoniis peragendis erant conſecrata, ſpoliantes, propriis ſuis poſſeſſionibus adſcribebant. Sed ne his quidem rebus contenti, tecta ipſa ſacrorum templorum diruebant, & fundamenta ſubuertebant, cruoréque & ſanie delubra circumfluebant, aruа etiam ſegetéſque polluebantur, cùm per eas paſſim cadauera inſepulta iacerent. Et inferiùs meminit vatum Alemannicorum, ita vt cuncta flagitia, quæ Procopius in vniuerſam Francorum nationem refundit, à ſolis commiſſa ſint Alemannis, qui ſub poteſtate Theodoberti degebant in exigua prouincia Chriſtianæ Religioni nondum ſubdita. Nec omittendum quod ad Francicæ gentis commendationem de ſperanda conuerſione Alemannorum ſcribit iam ſæpè laudatus Agathias [a]. *Porrò conſuetudo, quam cum Francis habent, ipſis conducit, in melius transferens & quodammodò pertrahens cordatiores, & breui, vti ſpero, tempore hoc ipſum apud omnes euincet. Opinionis enim abſurditas & veſania etiam ab ipſis arbitror, qui eâ imbuti ſunt, niſi planè ſtolidi ſint, cognoſcitur & cernitur, faciléque iis eximi poſſit.* Etrat autem idem Agathias [b], cùm ſcribit Alemannos poſt Theodorici patris mortem à Theodoberto ſubactos fuiſſe, Alemanni enim à temporibus Clodouei Regis in poteſtatem Francorum deuenerant.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

ALEMANNI IDOLOLATRÆ.

[a] Lib. 1.

[b] Lib. 1.

XII.

Theodoberti Regis profectionem in Italiam, & reditum in Galliam perſtringit Lætus Diaconus apud Ionam in vita [c] S. Ioannis Abbatis Reomaenſis, teſtaturque multos peſtifero morbo tunc laboraſſe, quos idem Ioannes Abbas ſanitati reſtituit miſſis eulogiis. *Latere*, inquit, *neminem ſuſpicor, qualis quantúſque peſtifer morbus illis diebus latè longéque populos patriámque depopulatus ſit. Huius morbi infeſtatione germanus meus Fidamiolus longo iam tempore quartano tabeſcebat incommodo. At cùm mihi compertum eſſet, eum abſque vlla ſpe vitæ iacere præmortuum, continuò ad notum recurrens præſidium, non aliter ad Ioannem quàm ad cæleſtia præſidia pro re peritura iamiamque feſtinanti deuotus, ſtatímque eulogiarum munus acceptum, ſanè lautiſſimum, vnum paximatium, & quinque pomula noctu tranſcurrens languido deportabam. Dúmque adhuc procul abeſſem, non tam meum quàm ſanitatis ſuæ aduentum ſenſit ægrotus, ac percunctari à circumſtantibus cæpit, vbi eſſem, meóque me nomine vocans, paximatium illud quod deferebam, quaſi præſentem aſpiceret, depoſcebat. Paulò pòſt ergo veniens, plangentis ſum turbæ exceptus officio. Atque ita ingreſſus domum, in qua æger iacebat, vt & vidi germanum meum iamiamque præcipitanter rapi in mortem, in apertos ſingultus lachrymáſque prorumpens, munus illud quod exhibueram protuli. Igitur tres particulas benedicti panis*, ſeu paximatij, *vini infuſione madefactas, in os illius ipſe inſerui, ſtatimque corroboratis artubus in ſtratum reſedit ac reſpirauit. Deinde paulatim huius eduly perceptione corroborari, atque ad vſum ſuum cæperunt membra reuerti, donec incolumitati priſtinæ redditus, turbâ omni inſpectante ſurrexit. Nam nec hoc prætereundum videtur, quòd amico ſuo, imò parenti, valetudine periclitanti huius morbi, cuius ſe nouerat ægritudine laboraſſe, partem illius muneris, per quod ſanus effectus fuerat, ſimilem ſibi efficere cupiens, detulit. Quo & ipſe accepto, proſperitati nuper amiſſæ reſtituitur. Nam & harum eulogiarum munuſcula ſancti Ioannis benedictione ſanctificata crebras ſuper infirmitates egere ſanitates.* Paximatium ſeu paxamacium panis fuit minutus ſex vnciarum, nam duo paxamacia vix vnius libræ pondus habent apud Caſſianum [d], cuius hæc ſunt verba. *Diſcutientes continentius diuerſorum, qui vel ſolis leguminibus vel oleribus tantùm, vel pomis, vitam iugiter exigebant, præpoſuere cunctis illis refectionem ſicci panis, cuius æquiſſimum modum in duobus paxamaciis ſtatuerunt, quos paruulos panes vix vnius libræ pondus habere certiſſimum eſt.* Voſſius libro tertio [e] de vitiis & gloſſematis Latino-barbaris, vocem hanc ſuſpicatur à Monachis Ægyptiis ad alios tranſiiſſe. Eâ non ſemel vſi ſunt, è Græcis Palladius, è

[c] Lib. 2. c. 3.

EVLOGIÆ IOANNIS ABBATIS REOMAEN. SANANT ÆGROS.

QVID SIT PAXIMATIVM.

[d] Lib. 2. coll. c. 19.

[e] Cap. 33.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

Latinis Rufinus & Luitprandus. Paxima, cuius diminutiuum est paximatium, vsurpauit sanctus Columbanus in Regula [a] quam Monachis præscripsit, *olera, legumina, farinæ aquis mixtæ, cum paruo pane paximate, ne venter oneretur, & mens suffocetur.*

[a] Cap. 6.

XIII. Per illud tempus, vt Gregorius Turonensis testatur [b], *Asteriolus & Secundinus magni cum Rege* Theodoberto *habebantur. Erat autem vterque sapiens & Rhetoricis imbutus literis. Sed Secundinus plerumque legationem Imperatori à Rege missus intulit. Et ob hoc iactantiam sumpserat, ac nonnulla contra rationem exercebat.* Is Secundinus non alius nobis videtur ab illo Secundino, de quo stupendam prorsus historiam narrat Lætus Diaconus apud Ionam, in vita [c] sancti Ioannis Abbatis Reomaensis. *Quâdam die*, inquit, *extitit caussa, quâ ad Secundinum Patricium epistolam sancti Ioannis pro quodam pauperculo deferebam. Quam epistolam Secundinus Patricius manibus comprehensam, vt cognouit cuius causæ obtentu delata fuerat, pedibus conculcandam proiecit, mihíque minas conabatur intentare, ac tumenti ceruice rabidos intentare sermones, scabellum pede ferire, palmâque collidere femur. Verè tibi fateor, quia vidi hominem insanire. At ego nec in totum Euangelici immemor præcepti, excusso puluere de pedibus meis, abscessi. Continuóque pauore nimio ac tremore Secundinus concutitur, ac tenebrosâ quodammodò caligine circumdatur, & velut vndique præcutis esset fudibus circumactus, ita totum in diuersis modis partibúsque corpus illius cerneres contorqueri. Obstupesco rei miraculum. Quàm citò commutati artus in vsum alium transierunt! Ita vt qui dudum nimio iactantiæ furore succensus, scabellum pede feriebat, femúrque palmâ illiserat, iam, vt credo confidóque, Angelo ingruente exterritus, imò nimio tremore contortus intellexit se ob sancti Ioannis epistolæ contemptum ista perferre. Itaque per internuncios fidos veniam precabatur, omnimodis se S. Ioannis iussionibus præbiturum asserens famulatum, vniuersa quoque quæ iusserat statim decreuit esse complenda, tantùm vt pro se Dominum deprecaretur. Quo facto & ille recepit sospitatem, & hic quod rogauerat impetrauit.*

[b] Lib. 3. c. 33.

[c] Lib. 2. c. 1.

SECVNDINVS OB SPRETAM IOANNIS REOMAEN. EPISTOLAM PVNITVR.

XIV. Monachus Reomaensis Author coætaneus, cui longè potior quàm Ionæ fides haberi debet, prædictarum narrationum neutram attigit, & Ionas apud Rouerium non videtur sibi constare, nam capite tertio libri secundi Ioannem, cuius obitus quinto Kalendas Februarij contigit, testatur in viuis superstitem fuisse cùm Theodobertus Rex ex Italiâ reuersus est, & capite vltimo eiusdem libri scribit Ioannem obiisse anno cycli Victoriani quingentesimo duodecimo, quem huic anno quo Theodobertus Rex in Italiam profectus est, siue anno Christi quingentesimo vndequadragesimo constat illigari. Quæ de Secundino Patricio relata sunt à nobis, Italico bello, quod Theodobertus Rex hoc anno suscepit, præponuntur à Ionâ, gerique potuerunt ante hunc annum qui quintus Theodobertini regni fuit. Quæ verò descripta sunt de morbo Fidamioli, vel commentitia sunt, vel citiùs contigerunt quàm narrantur à Ionâ, cùm Theodobertus Alpes nondùm superasset, posterior hæc sententia non displicet. Monachus Reomaensis Ioannem mortuum tradit temporibus Iustiniani Augusti & Theodoberti Regis. Vagus est hic Character, nec annum indicat quo Ioannes obiit, Theodobertus enim ab anno Christi quingentesimo tricesimo quarto ad quingentesimum duodequinquagesimum regnauit per annos quatuordecim, totóque illo tempore imperauit in Oriente Iustinianus, qui & Imperium priùs iniit quàm Theodobertus Theodorico patri succederet, & eidem Theodoberto superstes diù vixit. Ionas in editione Rouerianâ Ioannem ex hac vitâ migrasse scribit anno cycli Victoriani quingentesimo duodecimo, id est, hoc anno, Theodoberti Regis quinto, Christi quingentesimo vndequadragesimo, vt paucis ostensuri sumus.

XV. CONTENTIONES DE PASCHAT. SVB LEONE M.

Sub Leonis Magni Pontificatu bis orta est contentio super die quo Pascha celebrandum esset, annis videlicet quinti seculi quadragesimo quarto & quinquagesimo quinto. Leo Romanus Antistes habente anno Christi quadringentesimo quadragesimo-tertio, vt occurreret controuersiæ, quam anno

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

sequenti futuram præuidebat, ab Alexandrino primùm Episcopo Cyrillo, tum etiam à Paschasino Lilybæi in Siciliâ Episcopo, recenter è captiuitate Vandalicâ reducto, sententiam exquisiuit. Respondit vterque Pascha proximo anno, Christi CCCCXLIV. celebrandum esse die vicesimâ tertiâ Aprilis, quamuis Latini celebrandum contenderent die vicesimâ-sextâ Martij, Lunâ suâ vicesimâ-secundâ. Acquieuit Leo. Ideóque Prosper ad illum annum *Theodosio* XVIII. *& Albino Consulibus*, ita scribit. *Hoc anno Pascha Domini* IX. *Kalendas May celebratum est, nec erratum est, quia inde* XI. *Kalendarum Maiarum dies Passionis fuit, ob cuius reuerentiam Natalis Vrbis Romæ sine Circensibus transiit.* Causa dissidij hæc erat. Alexandrini caput mensis Paschalis à die octauâ Martij ad quintam Aprilis inclusiuè, vt & hodie Ecclesia Catholica, Latini verò à die quintâ Martij inclusiuè ad tertiam Aprilis exclusiuè propagabant. Anno autem Christi quadringentesimo quadragesimo-quarto, nouilunium Latinorum incidit in diem quintam Martij, aperuitque mensem Paschalem, & quia Latini ab Alexandrinis biduo in constituendo nouilunio discrepabant, nouilunium Alexandrinorum incidit in diem septimam Martij, nec initium fecit mensi Paschali: hinc vnius mensis nata discordia. Alterius generis extitit contentio de Paschate anni quadringentesimi quinquagesimi-quinti, non enim vnius mensis sed vnius duntaxat hebdomadæ fuit. Latini Pascha celebrandum aiebant die decimâ-septimâ Aprilis Lunâ suâ decimâ-sextâ, Alexandrini die vicesimâ quartâ Aprilis Lunâ suâ vicesimâ-primâ. Tota ratio dissensionis hæc erat. Die Aprilis decimâ-septimâ, Latinis Luna erat decima-sexta quâ Pascha celebrari nihil vetabat, eâdem autem die ob prædictum bidui dissidium Alexandrinis Luna erat decima-quarta, cúmque prohibitum esset Pascha celebrare Lunâ decimâ-quartâ, cogebantur Alexandrini reiicere Paschalem solemnitatem in proximam diem Dominicam, siue in diem vicesimam-quartam Aprilis, atque in Lunam suam vicesimam-primam. Leo summus Pontifex anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-tertio literas super eâ materiâ scripsit ad Martianum Augustum & ad Eudociam Augustam Hierosolymis tunc agentem, necnon ineunte anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-quarto ad Iulianum Coensem Episcopum suum apud Imperatorem Constantinopoli Legatum. Proterius Alexandrinus Patriarcha Papæ rescripsit anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-quarto, & Pascha anni quadringentesimi quinquagesimi-quinti die Aprilis vicesimâ-quartâ celebrandum asseruit. Peruicit Leonis authoritas vt Orientalibus cederent Occidentales, ipsáque etiam Romana quæ reluctari videbatur Ecclesia. Prosper ad annum Christi quadringentesimum quinquagesimum-quintum. *Valentiniano* VIII. *& Anthemio Consulibus* illâ de re sic disserit. *Eodem anno Pascha Dominicum die* VIII. *Kalendas May celebratum est pertinaci intentione Alexandrini Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putauerunt, quamuis sanctus Papa Leo* XV. *Kalendas May potiùs obseruandum protestaretur. Extant eiusdem Papæ epistolæ ad clementissimum Principem Marcianum datæ, quibus ratio veritatis sollicitatæ euidenter patefacta est, & quibus Ecclesia Catholica instrui potest, quòd hæc persuasio studio vnitatis & pacis tolerata sit potiùs quàm probata; nunquam deinceps imitanda, vt quæ exitialem attulit offensionem, omnem in perpetuum perdat auctoritatem.* Cùm Leo pacis potiùs studio quàm veritatis persuasione Proterio Alexandrino ceterisque Orientalibus Episcopis cessisset, ne quid inposterum simile contingeret, per quempiam è suis, Paschalem Canonem nouum iuxta Latinorum regulas edere constituit, quem cyclo Theophili Alexandrini iampridem edito & saltem in Oriente recepto atque à Cyrillo nuper aucto opponeret docerétque probè constare. Cui rei cùm per se ipse, muneris more grauatus, intendere non posset, negotium Hilaro Archidiacono tunc suo commisit, qui onus omne in Victorij Aquitani Lemouicis *, Romæ tunc agentis, humeros imposuit. Extant literæ Hilari ad Victorium cum hoc titulo. *Dilectissimo & ho-*

CYCLVS VICTORII.

* *Limosin.*

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

norabili sancto fratri Victorio Hilarus Archidiaconus vrbis Romæ. Extant & literæ Victorij ad Hilarum cum hoc titulo. *Domino verè sancto ac venerabili in Christo fratri Hilaro Archidiacono Victorius.* Hic præstitit quod ab Hilaro iussu Leonis Pontificis iniunctum fuit opus, scripsitque cyclum annorum quingentorum triginta duorum, vt Gennadius [a] Author illius temporis testatur his verbis. *Victorinus natione Aquitanus calculator scripturarum, inuitatus à sancto Hilaro vrbis Romæ Episcopo* (Hilarum vocat Episcopum quia post sanctum Leonem in Apostolicâ Cathedrâ sedit) *composuit Paschalem cursum indagatione cautissimâ post quatuor priores, Hippolytum, Eusebium, Theophilum & Prosperum, & protendit annorum seriem vsque ad quingentesimum trigesimum-secundum, itaut quingentesimo trigesimo tertio anno Paschalis reincipiat solemnitas eodem mense & die, eâdem & Lunâ, quâ primùm passio Domini facta est.* Marianus Scotus fortè Gennadij textu deceptus existimauit Victorium, quem perperam cum Gennadio Victorinum vocat, Paschalem cyclum edidisse sub Pontificatu Hilari quem Hilarium appellat, sic enim scripsit ad annum Christi quadringentesimum sexagesimum-tertium Basilio & Viuiano seu Bibiano Consulibus. *Victorinus iubente Papâ Hilario scripsit Paschalem circulum 532. annorum.* At ipsemet Victorius in suis ad Hilarum Archidiaconum literis testatur editum à se Canonem Paschalem Constantino & Rufo Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-septimo, & annum illum, quo Constantinus & Rufus Consules fuerunt, sui cycli quadringentesimum tricesimum numerat. Hinc annum cycli Victoriani primum cum anno Christi duodetricesimo, & annum eiusdem cycli quingentesimum duodecimum, quo Ioannes Abbas Reomaensis mortuus apud Rouerium legitur, cum anno Christi quingentesimo vndequadragesimo comparamus.

[a] De vir illust. cap. 68.

XVI. Aduersus hunc calculum duæ res obiici possunt. Prima sumitur ex Victorio, altera ducitur ex Monacho Reomaensi & ex Gregorio Turonensi quibus recentiores astipulantur.

XVII. COMPARATVR CVM ANNIS CHRISTI. Victorius cyclum suum orditur à passione Dominicâ & à Consulatu Geminorum. Christus, vt in apparatu Chronologico diximus, passus est anno Incarnationis tricesimo-quarto, & Consulatus Geminorum cum anno eiusdem Incarnationis tricesimo-primo coincidit. Hinc statim concludes annum cycli Victoriani primum aut Consulatui Geminorum siue anno Christi tricesimo-primo, aut anno Passionis Dominicæ siue anno Christi tricesimo-quarto illigari; annum verò eiusdem cycli quingentesimum duodecimum cum anno Christi comparari vel quingentesimo quadragesimo-secundo vel quingentesimo quadragesimo-quinto. Neutrum tamen intendit Victorius, annum enim Dominicæ Passionis à Consulatu Geminorum non distinguit, ipsumque Consulatum Geminorum cum anno Christi duodetricesimo confert. Non pauci reperti sunt olim, qui Christum duobus Geminis Consulibus crucifixum putarent, hos in suo Chronico redarguit Prosper, & tertios à duobus Geminis Consules Dominicæ Passioni adscribendos ita docuit. *Quidam putant Dominum nostrum Iesum Christum* XV. *anno regni Tiberij Cæsaris, id est, duobus Geminis Consulibus crucifixum, quo anno secundùm indubitabilem Lucæ Euangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, & Euangelium regni cælorum prædicare cæpisse. Secundùm verò Ioannis Euangelium festinitati Paschæ Iudæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus, vt appareat tertium fuisse illud Pascha quod verus Agnus suo sanguine consecrauit. Proinde Consules quidem à Manifestatione Domini, id est, à Rufino Gemino & Rubellio Gemino Consulibus inchoamus, sed tertios ab iis Consules Dominicæ Passioni adscribimus, sequentes quod auctoritas tradidit & ratio.* Ægidius Bucherius Paschalem Victorij Canonem erudito commentario illustrauit, obseruauitque vitiosos admodum esse Consules apud eundem Victorium. In illos Consules inquirere non est nostrarum partium, nihil enim ad nos attinet, vtrùm benè vel malè Victorius à duobus Geminis vsque ad Consulatum Constantini & Rufi per annos quadringentos

ac triginta procedat; hoc quippe loco satis est annotasse, quibus Consulibus, quóue anno sui cycli scripserit Victorius, vt deprehendas annum Incarnationis Dominicæ, qui per annum quadringentesimum duodecimum cycli Victoriani designatur. Victorius Paschalem Canonem condidit Constantio & Rufo Consulibus, annúmque illum, qui fuit Incarnationis Dominicæ quadringentesimus quinquagesimus septimus, cycli sui quadringentesimum tricesimum pronuntiauit, ita vt nemini dubium esse debeat, quin annus quingentesimus duodecimus cycli Victoriani cum anno Christi quingentesimo vndequadragesimo conueniat. Hanc sententiam egregiè confirmat Bucherius in Commentario iam laudato, annum enim centesimum octogesimum primum secundæ periodi Victorianæ cum anno Christi septingentesimo quadragesimo comparat.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

XVIII. IOANNES ABBAS REOMAEN. MORITVR.

Ioannes Abbas, si Reomaensi Monacho fides est, *migrauit ad Dominum circiter centum viginti annorum, quinto Kalendas Februarij, plenus ætate corporis & decore Religionis: non oculis caligauit, non damna dentium sensit, memoriæ vigorem tenaciter retinens.* Aut, vt legere est apud Gregorium Turonensem capite octogesimo-septimo libri de gloria Confessorum, *vixit vir hic iustus & vir religiosus, sicut legislator Moyses, centum viginti annis, cuius nec oculus caligauit, nec dens motus est.* Hinc facilè tibi persuadebis Ioannem vixisse vltra hunc annum, Christi quingentesimum vndequadragesimum, quia teste præcitato Monacho, natus est *tempore Valentiniani Cæsaris atque Martiani Imperatoris, qui post Theodosium Iuniorem Monarchiæ dignitatem obtinuit*, & ab anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, quo Martianus imperare cœpit, ad annum Christi quingentesimum vndequadragesimum non effluxerunt anni circiter centum viginti, sed anni duntaxat nouem supra octoginta. Existimamus in Monacho Reomaensi delenda esse hæc verba, *circiter centum viginti annorum.* Sensus adhuc integer remanebit hoc modo. *Migrauit ad Dominum quinto Kalendas Februarij, plenus ætate corporis & decore Religionis: non oculis caligauit, non damna dentium sensit, memoriæ vigorem tenaciter retinens.* Virum ætate corporis plenum seu senectute grauem rectè dixeris, qui pertenerit ad annum ætatis ferè nonagesimum. Hoc loco Gregorius Turonensis nullius est auctoritatis, quia fuit interpolatus, & in Codice Thuaneo desideratur caput istud octogesimum septimum libri de gloria Confessorum, quod in vulgatis exemplaribus circumfertur, totúmque est de Ioanne primo Abbate Reomaensi. Sanè Ioannes, cùm nec natus sit ante Martiani Principatum siue ante annum Christi quadringentesimum quinquagesimum, nec superfuerit Theodoberto Francorum Regi, cuius obitus in annum Christi quingentesimum duodequinquagesimum incidit, haud vixit annos circiter centum ac viginti. Rouerius [a] ait Characterem Martiani, qui legitur in vita sancti Ioannis, non designare annum quo natus est Ioannes, sed adiectum fuisse vt Valentinianus tertius à ceteris eiusdem nominis discerneretur. Ridiculum est hoc effugium. Valentinianus tertius duos in Imperio Collegas habuit, primo Theodosium Iuniorem, deinde Martianum. Vtrumque nouit Monachus Reomaensis, & quia Ioannem imperante Martiano natum credidit, eum vixisse dixit *à tempore Martiani Imperatoris, qui post Theodosium Iuniorem Monarchiæ dignitatem obtinuit*, aliter locutus esset, si natum existimasset Theodosio Iuniore Imperium administrante. Sed nec Valentiniani tertij nomen retineri debet, si Ioannes annos vixit centum circiter ac viginti, vitamque clausit anno cycli Victoriani quingentesimo duodecimo, Christi quingentesimo vndequadragesimo, hæc enim si vera sunt, Ioannes natus est anno Christi circiter quadringentesimo vndeuicesimo, cùm superstes in viuis erat Honorius Augustus.

[a] Not. 6.

XIX. Monachus Reomaensis vitam sancti Ioannis ita claudit. *Inerat in eo omnium virtutum fragrantia, corporis castigatio, ieiunia & orationes æquè vt iuuenili ætate tulerat, eo modo & senili portabat. Exemplo subditos edocens, vt castrimargiæ, id est, gulæ; cænodoxiæ, id est, elationis; arrogantiæ, id est, superbiæ,*

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

vitia maxima, per quæ compererat Adam in paradiſo deceptum, omnibus modis cauerent. Sempérque habens profundæ humilitatis inconcuſſa fundamina, ab omni lubricæ impulſionis incurſu animum inhibuit, & ita paulatim ex contemplatione diuina ac ſpiritali intuitu meruit ſublimari. Sollicitudinem rerum carnalium præter certas neceſsitates generaliter abſcidit, & nullius negotij cauſæve non ſolùm curam ſed ne memoriam quidem penitùs admiſit. Detractionem, vaniloquia ſeu multiloquia & ſcurrillitates pariter amputauit. Summóque conamine ſatagebat, vt his imbuerentur diſciplinis, in quibus ipſe ab ineunte ætate excitatus ad culmen perfectionis euaſerat. Nec verò quanquam fatiſcentibus artubus à prædicationis ceſſabat officio, quin ea quibus diſcipuli erudirentur, infatigabiliter ac ſalubriter prædicaret. Denique imminente tempore, quo largitor omnium bonorum inuitaret eum ad regna cælorum, res Monaſterij optimè diſponens, & cuncta ſapienter ac caritate ordinans migrauit ad Dominum circiter centum viginti annorum, quinto Kalendas Februarij, plenus ætate corporis & decore Religionis: non oculis caliganit, non damna dentium ſenſit, memoriæ vigorem tenaciter retinens. Et vt in pleriſque fieri ſolet, nequaquam ætas decrepita, omiſſo largitatis vſu, auaritiæ vnquam ſuccubuit, ſed omnibus rebus bonis, quibus ætas iuuenilis ſuccubuerat, æquè & ſenectus pollebat. Sepultúſque eſt haud procul à Cœnobio infra terminos Monaſterij, loco quem ipſe prædixerat. Vbi ad oſtenſionem præcellentiſſimi meriti ſui, corporalibus ac ſpiritualibus quotidie coruſcat miraculis, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto per infinita ſecula ſeculorum. Amen. Ionas hunc textum variis auxit interpolationibus, & in duo poſtrema poſterioris libri capita diſtinxit, quorum alterum eſt de veneratione ac virtutibus ſancti Ioannis ad extremam ætatem, alterum de obitu ſancti Ioannis. Præterea in exemplaribus Ionæ non eadem eſt vltima periodus. Apud Bollandum concipitur modo ſuprà citato. *Sepultúſque eſt haud procul à Cœnobio infra terminos Monaſterij, loco quem ipſe prædixerat. Vbi ad oſtenſionem*, &c. Apud Rouerium ſic. *Sepultúſque eſt haud procul à Cœnobio infra terminos Monaſterij in loco quem prædixerat, annò Domini quingenteſimo duodecimo, iuxta quod in cyclo beati Victurij Epiſcopi numeratur.* De Charactere hoc Chronologico fusè diſputauimus. Quod attinet ad locum ſepulturæ, Rouerius Ioannem, qui ſepultus fuit *haud procul à Cœnobio infra terminos Monaſterij*, tumulatum ait in Eccleſia Corporis ſancti, qui vicus eſt in agro Reomaenſi, atque inde ad Eccleſiam Clauſtri tranſlatum affirmat, & Cœnobium à Monaſterio ſic diſtinguit, vt Cœnobij nomine Clauſtrum in quo Monachi degunt, Monaſterij nomine ſignificetur ager contiguus in quem poſſeſſio & iuriſdictio Monachorum extenditur.

LOCVS SEPVLTVRÆ.

XX. AN IOANNES CANONICVS FVERIT. AN MONACH. BENEDICT.

Dionyſius Ghinius Ioannem cenſet inter Canonicos. At quando ille, aut vbi Canonicum profeſſus eſt, qui à prima adoleſcentia monaſticam & quidem μοναζιχωτάτην illam Ægyptiorum aſcetarum legibus aſtrictam vitam egit? Rectiùs eum Benedictinis adnumerant Wion, Dorganius, Menardus, non quòd Benedictinum arbitremur fuiſſe, qui priùs obiit quàm Maurus in Galliam veniret, ſed quòd Reomaenſe Monaſterium Ordini ſancti Benedicti poſtcà traditum ſit, vt & plura veterum illorum varij inſtituti Monachorum domicilia, in quibus Benedictini religioſæ vigore diſciplinæ feruentes collapſam ſanctimoniam reſtaurarunt.

XXI. VARIIS INSCRIBITVR MARTYROL.

Ioannes Abbas, qui Cœnobium Reomaenſe condidit, ſacris faſtis aſcriptus eſt quinto Kalendas Februarij. Martyrologiorum veterum ac recentium dabimus verba, prout apud Bollandum leguntur, vt quia mendis nonnulla eorum nuper aſperſa ſunt, ea quæ de Ioanne & Cœnobio Reomaenſi diximus, certiùs adſtruantur. Vſuardus, *in Monaſterio Reomenſi depoſitio ſancti Ioannis Presbyteri, viri Dei.* Idem habet Ado, niſi quod Monaſterium *Reomaenſe* vocet, vti & Molanus in prima Vſuardi editione, Notkerus in quo pro Ioanne *Hicanes* ponitur, Caniſius, Beda manuſcriptus, nam vulgatus *Leomanenſe* appellat. Manuſcriptum Martyrologium Monaſterij Tornaci, *& in*

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

Burgundiâ S. Ioannis Abbatis. Manuſcriptum Centulenſe, *in territorio Lingonenſi, Monaſterio Reomenſi, ſancti Ioannis Abbatis, magnifici viri, qui baſiliſcum ſuâ oratione extinxit.* Manuſcriptum Florarium, *in Monaſterio Reomenſi S. Ioannis Presbyteri & Abbatis. Hic baſiliſcum ſuâ oratione extinxit, & puteum in quo latebat, Monachorum vſibus dereliquit.* Manuſcriptum domus profeſſæ Societatis Ieſu Antuerpiæ, Bedæ nomine prætitulatum, *in territorio Lingonicæ ciuitatis, caſtro Tarnodoro, Monaſterio Robonicenſi natale S. Ioannis Presbyteri & Abbatis, qui primus habitator ipſius loci ac diuerſorum Pater Monachorum extitit, ac longo confectus ſenio clarus virtutibus requieuit, ſepultus eſt non longè à Monaſterio.* Mendum à librariis irrepſit in Martyrologium Romanum, ita enim ſcriptum, *in Monaſterio Rhemenſi depoſitio S. Ioannis Presbyteri, viri Dei.* Eàdem ratione Bellinus in editione Pariſienſi anni milleſimi quingenteſimi viceſimi-primi, vetuſtior editio Veneta *Reomenſe* Monaſterium appellat. *Remenſe* in duobus manuſcriptis Vſuardi dicitur, in Monaſtico quodam *Remanenſe.* Maurolycus, *in agro Remenſi, caſtro Tornodoro, S. Ioannis Presbyteri, viri Dei:* Galeſinius, *Tornodori in Rhemorum finibus S. Ioannis Presbyteri viri Dei.* Ferrarius *Rhemenſe* pro Rheomenſi ſeu Rheomontenſi ſcriptum fatetur, & alibi ſic ſcribit de Tornodoro déque Monaſterio Reomacenſi. *Tornodorum oppidum Galliæ Celticæ in Burgundiæ & Briæ confinio, in Diœceſi Lingonenſi; Comitatus Tornodorenſis, vbi Monaſterium Reomacenſe, non longè inter Antiſiodorum * ciuitatem & Caſtellionem * oppidum ad Sequanam, ab Antiſiodoro in ortus ad decem millia paſſuum Gallicorum diſitum.* Reomaus, Tornodorum * & Lingones procul abſunt à finibus Remorum. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius mentem ſuam non explicuit in notis ad Martyrologium quinto Kalendas Februarias, tamen quid cenſeret, attentè legenti ſatis indicauit, Ioannes enim non plures quàm duos, quorum geſta in libro [a] de gloriâ Confeſſorum à Gregorio Turonenſi enarrantur, in medium protulit, alterum ortu Britonem qui non Remis ſed Turonis ſepultus eſt, diuerſum dixit ab eo de quo Martyrologium loquitur, alterum velut digito demonſtrauit citato ſupradicti libri capite octogeſimo-ſeptimo, quod totum eſt de Ioanne Abbate Reomaenſi, cenſerique debet ſuppoſititium, quia deſideratur in Codice Thuaneo vt ſuprà monuimus. Ceterùm ab illo Ioanne primo Abbate, Reomaenſe Monaſterium hodie vocatur Monaſterium ſancti Ioannis, vulgò *Monſtier S. Iean.*

* *Auxerre.* * *Chaſtillon ſur Seine.* * *Tonnerre*

[a] Capp. 13. 87.

XXII. SVCCEDIT SILVESTER

Petrus *Royer* elogium Silueſtri protulit ex Codice Reomaenſi cum hoc exordio. *Poſt obitum glorioſiſſimum Domni Ioannis ſuffectus eſt in locum eius Abbas, Silueſter nomine, quem ipſe anteà viuens fratrum cœtui præeſſe præceperat.* Et in notis [b] ad illum textum obſeruauit quidem non ſatis explicatè ſignificari præcitatis verbis, an ſanctus Ioannes præceperit viuens vt ſanctus Silueſter ſe ſuperſtite præeſſet fratrum cœtui, ſecundo poſt Abbatem loco; an vt ſibi vitâ functo ſuccederet Abbas; an denique vt ſuum ſuperſtitis & dignitate cedentis locum occuparet; poſtremam tamen ſententiam amplectendam iudicauit motus authoritate Regij Præcepti, quod à Clotario Rege, cùm Sueſſione degeret, in gratiam Cœnobij Reomaenſis emiſſum publicauit hoc modo. *Clotarius Rex Francorum vir inluſtris. Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, & illuſtribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Graſionibus, Centenariis, vel omnibus Iunioribus veſtris, tam præſentibus quàm & futuris. Si petitionibus Sacerdotum, quod ad profectum Eccleſiarum pertinet, auditum mente deuotâ præſtamus, retributorem omnium bonorum Ieſum Chriſtum ex hoc nos habere confidimus. Igitur notum ſit omnibus, quoniam ſicut diuæ memoriæ genitor noſter Clodoueus Monaſterium Domini noſtri Ioannis ex dono ipſius ſub ſuâ emunitate recepit, tenuit & honorauit, ſuíſque poſteris Regibus per Præceptum hæreditarium reliquit, ita & nos venerabilem Silueſtrum Abbatem ipſius loci, & Domini Ioannis noſtri generis peculiaris Patroni & Oratoris diſcipulum ac ſucceſſorem ſub noſtrâ & noſtrorum ſucceſſorum Regum emunitate & defenſione recipimus & reuocamus, decernentes vt ſemper ſub nobis & Regibus noſtris ſucceſſoribus tam Abbas quàm Monachi, quámque omnes*

[b] Not. 87.

AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. R R. 28. THEOD. R. 5.

qui pro ipsâ casâ Dei aut ipso Abbate spectare videntur, seu in reliquum esse debent, semper maneant, & ex suis Abbatem constituant. Nullâsque requisitiones nec nos nec publici iudices ab ipso loco, vel à dominis eiusdem Monasterij requiramus. Sumptus verò quos genitor noster Monachis ad vestiendum, calciandumque, & victum, præbuit, similiter & nos nostríque successores Reges ex nostrâ camerâ vel fiscalibus reditibus Abbati Siluestro, eiúsque Monachis & successoribus liberaliter conferemus, vt pro nobis nostróque progenitore & regno Dominum iugiter exorent. †. *Signum inclíti Regis Chlotarij. N. Ego attuli, obtuli & subscripsi. Datum sub die* VIII. *Kal. Maij anno* V. *Regni nostri, Actum Sueßionis.* Rouerius, vt authoritatem huic Præcepto conciliaret, nonnullas explicuit voces, in quibus aut obscuritatem aut suspicionem falsitatis esse censuit. Hæc verba, *vel omnibus Iuniori-*

[a] Not. 89. *bus vestris*, interpretatus est [a] de Iudicibus inferioris gradus, & assertionem suam variis comprobauit antiquarum legum formulis quas consule. Ne quis Ioannem, qui tunc in viuis degebat, à Clotario Rege Patronum & Oratorem vocatum miraretur, allatis exemplis ostendit vsu receptum fuisse, vt illustres viri Patronos appellarent Episcopos ac viros religione pietatéque insignes, & Christiani suos Oratores apud Deum quasi legatos & intercessores in illius poscendâ pace ac veniâ dicerent viros sanctos tam viuentes quàm sublatos ex hac vitâ. Hincmarus enim in vitâ sancti Remigij Clodoueum Regem sancto Remigio loquentem sic inducit, *Patrone, est hoc regnum Dei quod mihi promittis?* Carolus Caluus in diplomate Sandionysiano, *Monachi*, inquit, *eiusdem sanctæ Congregationis deuotißimi Oratores nostri suggesserunt*

[b] Lib. 3. c. 26. *Serenitati nostræ.* Et Hincmarus apud Flodoardum [b] Gerardo Comiti scribit, vt *qui pro amore sanctæ Dei genitricis & sancti Remigij, res ipsas in suâ tuitione susceperat, sicut bene cœpit, ita viriliter de cætero agere procuret, quoniam in Remensi Ecclesiâ per decem Monasteria tam Canonicorum quàm Monachorum atque Sanctimonialium amplius quàm quingenti pro ipsius præsenti & perpetuâ salute, in Psalmis & Canticis spiritualibus, atque sacris oblationibus continui Oratores existant.* At alia sunt in eodem Præcepto, quæ difficultatem non minorem patiuntur. Siluestrum Abbatem fuisse superstite in viuis Ioanne non arbitramur, quia Monachus Reomaensis iam citatus de Ioanne sic disserit. *Imminente tempore, quo largitor omnium bonorum inuitaret eum ad regna cælorum, res Monasterij optimè disponens & cuncta sapienter ac caritate ordinans migrauit ad Dominum, quinto Kalendas Februarij, plenus ætate corporis & decore religionis*, hocque textu satis innuit curam Monasterij penes Ioannem fuisse donec vltimum spiritum exhalauit. Deinde attentè considerandum est, quomodò Clotarius credi possit Præceptum in gratiam Cœnobij Reomaensis dedisse *Sueßionis sub die* VIII. *Kal. Maij*, vel *sub die* VIII. *Cal. Martij*, vt habet alia editio apud Stephanum Perardum, *anno* V. *regni*. Rouerius annum regni

[c] Not. 87. Clotariani quintum numerat [c] post extinctum regnum Burgundiæ, quo tempore suspicatur Reomaum in potestatem Francorum primùm veniisse cum totâ Diœcesi Lingonensi, sed Reomaum cum pago Tornodorensi sub dominatione Francicâ priùs fuisse iam docuit Clodoueus in Præcepto quod ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum-sextum retulimus, & Author Præcepti quod examinamus ab eâ sententiâ non recedit, cùm Clotarium Clodouei filium exhibet ita loquentem. *Notum sit omnibus, quoniam sicut diuæ memoriæ genitor noster Clodoueus Monasterium Domini nostri Ioannis ex dono ipsius sub suâ emunitate recepit, tenuit, & honorauit, suísque posteris Regibus per Præceptum hæreditarium reliquit.* Quis enim Reomaense Monasterium ex dono Ioannis Abbatis à Clodoueo Rege sub emunitate receptum credat, si Reomaus ad regnum Burgundiæ tunc pertinuit? Rectiùs igitur quis Clotarij regnum ordietur à morte Theodobaldi Regis, annúmque quintum illigabit anno Christi quingentesimo sexagesimo, cùm Clotarius esset in procinctu belli Britannici. Sic enim multæ difficultates euanescent, Siluester curam Monasterij regnante Theodoberto susceptam geret adhuc post Theodobaldi Regis

Regis obitum, & Clotarius Rex Ioanni iam mortuo Patroni atque Oratoris appellationem attribuet. AN. CH. 539. CHILDEB. CLOTAR. RR. 28. THEOD. R. 5.

Elogium sancti Siluestri Reomaensis Abbatis apud Rouerium ex Codice Reomaensi sic inchoatur. *Post obitum gloriosissimum Domni Ioannis suffectus est in locum eius Abbas, Siluester nomine, quem ipse anteà viuens fratrum cœtui præesse præceperat, qui & religionis formâ & Regulæ tenore per vestigia Magistri gradiens longæuo floruit tempore. Diligebatur autem à Clotario atque Childeberto Christianissimis Regibus Francorum, ob meritum eius sanctitatis.* Quandiu præfuerit Siluester, haud probè scitur. Ab hoc anno, quo præfecturam Monasterij susceperit, ad annum vsque Christi quingentesimum-octogesimum, quo Mummolus ex Abbate Reomaensi factus est Episcopus Lingonensis, effluxerunt anni quadraginta & vnus, quorum potior pars Siluestro tribui debet, altera Mummolo qui Diœcesim Lingonensem diu gubernauit, certa enim Megetij successoris memoria non occurrit ante annum Christi nonum supra sexcentesimum. Monachus Reomaensis sanctum Ioannem, cui Siluester successit, testatur longæuo floruisse tempore, partim sub Romanis Imperatoribus, partim sub Regibus Francorum, Clodoueo videlicet, Theodorico & Theodoberto. Hinc colligere est Siluestrum vixisse sub eodem Theodoberto eiusque successoribus. Anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo Theodobertus obiit relicto regni hærede Theodobaldo filio. Anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto Clotarius propatruus in Theodobaldi regnum successit. Anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo ditiones Clotarij patris diuiserunt inter se quatuor filij, Charibertus, Guntchrammus, Chilpericus & Sigibertus. Pagus Tornodorensis, vbi Reomaus, obtigit Guntchrammo, vt patebit infrà. Floruit igitur Siluester Abbas sub Regibus Theodoberto, Theodobaldo, Clotario & Guntchrammo. Quamuis autem mentionem non faciamus Childeberti, qui post Clodoueum patrem in parte Franciæ per annos quadraginta septem ad annum vsque Christi quingentesimum duodesexagesimum regnauit, nolumus hunc Regem, qui loca Reomao vicina tenuit, ex eorum numero delere, qui Siluestrum Abbatem singulari benenolentiâ coluerunt.

XXIII. LAVS SILVESTRI ABBAT.

Sequanus Abbas Segestrensis, quem sæpè iam laudauimus, superuixit sancto Ioanni Abbati Reomaensi, quot annis incertum; locum obtinet in tabulis Ecclesiasticis decimo-tertio Kalendas Octobres, & à Gregorio [a] Turonensi donatur hoc elogio. *Magnæ virtutis fuit & ille Sequanus * Lingonici Abbas territory, qui viuens sæpè homines à vinculo diabolici nexus absoluit, & post obitum ad sepulchrum suum ergastulari cathenâ reuinctos liberos meritis suis abire permisit.* Exemplum suo loco referemus, quod sub Guntchramno Rege contigit.

XXIV. SEQVANVS ABB. SEGESTR.

[a] De glor. Conf. c. 28.
* Sene.

AN. CH. 540. CHILDEB. CLOTAR. RR. 29. THEOD. R. 6.

ANNVS CHRISTI 540. CHILDEBERTI R. 29. CLOTARII R. 29. THEODOBERTI R. 6. INDICTIO 3.

I. S. GOLVENVS NASCITVR.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo Iustinus Consularum [a] gessit. Tunc Glandanus vir pius & egregius, vxórque Gologuena quæ prægnans erat relictâ Britanniâ, transmissóque mari ad quemdam Armoricæ pagum, cui nomen Odena in agro Leonensi, applicuerunt, vbi cùm multos dies mansissent Gologuena Goluenum in lucem effudit. Glandanus aquam erumpente fonte diuinitus impetrauit, vt filius baptizari posset. Quod videntes loci habitatores Glandanum eiusque vxorem in magno pretio & honore habuerunt. Vnde & Godianus vir opulentissimus eis omnia ad victum necessaria ministrabat, Goluenum quoque, iam sacro baptismate regeneratum adoptauit in filium, eumque in moribus & literis erudiendum curauit. Parentibus defunctis mirum in modum proficiebat Goluenus * tum in virtutibus, tum etiam in studiis literarum. Adhuc in pueritiâ constitutus edebat miracula, & sanabat ægrotos solâ manuum impositione. Verùm timens ne vanæ gloriæ stimulis titillaretur, fugit in eremum, & cùm ibi construxisset cellulam ex virgultis & arborum foliis, cœpit corpus suum vigiliis & ieiuniis affligere. In hoc autem deserto per multa annorum curricula hominibus incognitus mansit, pane hordeaceo & herbarum radicibus ad vitæ vtebatur sustentationem. Lege illius vitam [b], in quâ fusiùs hæc describuntur.

[a] Victor. Marius.

* *Goluen.*

[b] Ap. Gonon. l. 1 Albert. d. 1. Iul.

II. S. VERANI PRIMORDIA.

His circiter temporibus Veranus, qui posteà Cauellicensem Pontificatum gessit, factus est Clericus Ecclesiæ Gabalitanæ, cui per multos annos ministrauit, donec declinandæ humanæ existimationis affectu, cùm sanctitatis famâ iam polleret, Cabellionem * perfugit. Lege illius vitam [c]. Natus est Gabalis in Aquitaniâ, parentes habuit genere nec minimos nec præcelsos, quorum studio nutritus haud procul à territorio Gabalitano. A primâ ætate in Dei cultu & amore efloruit In festo sancti Priuati Martyris, quod in Diœcesi Gabalitanâ singulis annis solemni celebratione recolebatur, insomnem noctem aliquando duxit, nec ab eo voluit loco discedere quo se collocauit ad expectandas vigilias, in eâque statione non minùs stetit mente quàm corpore, nam mane facto reuerenter occurrit Episcopo, & ab eo petiit obtinuitque, vt delectis comis in Clericorum numerum adscriberetur. Hæc fuerunt Verani primordia sub Gabalitanis * Pontificibus Hilario & Euanthio, quorum posterior illum Clero accensuit.

* *Canaillon.*

[c] Tom. 2. Biblioth Labb. Martyr Gallic. D. 14. Nou.

* *Euesques de Lauaulx.*

ANNVS CHRISTI 541. CHILDEBERTI R. 30. CLOTARII R. 30. THEODOBERTI R. 7. INDICTIO 4.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus-primus solum habuit Consulem Basilium, qui hoc honore vltimus omnium in Occidente functus est, anni enim sequentes ab eius Consulatu computantur in fastis. I.

[a] Victor. Marius.

Hoc anno celebrata est quarta Synodus Aurelianensis, triennio scilicet post tertiam, vt ex Canone vicesimo-septimo constat, id est, anno Childeberti Regis tricesimo, suffragantur Indictio quarta & Basilij Consulatus in vulgatâ subscriptione Leontij Burdigalensis Episcopi, sed nullius sunt authoritatis vt alibi diximus. II. SYNODVS AVRELIANENS. IV.

Ad Concilium Aurelianense quartum ex tripertito Franciæ Regno conuenerunt Episcopi triginta & octo, cum Presbyteris vndecim & Abbate vno directis à totidem Episcopis. III.

In illo Concilio conditi sunt Canones triginta & octo, confirmatáque præcedentium Synodorum decreta paucis additis, vt ex ipsâ Canonum lectione manifestum fiet. IV. DECRETA.

I. Canon. *Placuit Deo propitio, vt sanctum Pascha secundùm laterculum Victorij ab omnibus Sacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ festiuitas annis singulis ab Episcopo, Epiphaniorum die, in Ecclesiâ populis denuntietur. De quâ solennitate quoties aliquid dubitatur, inquisita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apostolicâ sacra constitutio teneatur.* Victorij Aquitani loco Victorem Episcopum Capuanum in hoc Concilio restituendum putauit illustrissimus Cardinalis Baronius [b], sed Synodus hæc Aurelianensis celebrata fuit, antequam Victor Capuanus operi suo manum admoueret, habitum est enim Concilium Aurelianense quartum anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, Victor autem scripsit nono pòst anno, siue anno Christi quingentesimo quinquagesimo, vt ex eius verbis [c] apertissimè colligimus, quia Dominicam Resurrectionem eo anno celebratam docent octauo Kalendas Maias, currente Indictione decima-tertiâ. *Cùm*, inquit, *Paschalis veneranda solennitas quanam die potissimùm proueniret, per anni præsentis Indictionem tertiam-decimam à nobis sollicitè quæreretur, & iuxta Patrum venerabilia constituta octauo Kalendarum Maiarum diceremus Resurrectionem Domini proculdubiò celebrandam, aliquibus minimè rationabilis visa est nostra responsio, eò quòd Victorius quidam in circulo Paschali quem edidit, aliter diem Dominicæ Resurrectionis affixerit, licet & hunc designauerit, quem nos celebrandum pariter profitemur.* In primo igitur Canone Synodi Aurelianensis quartæ nomen Victorij Aquitani meritò retinemus, & in vulgatis exemplaribus nomen Victoris Episcopi Capuani * debet expungi. Plura de Victorio diximus ad annum Christi quingentesimum vndequadragesimum in obitu sancti Ioannis Abbatis Reomaensis. V. DE CELEBRATIONE PASCHÆ.

[b] Ad ann. 545. num. 18.

[c] Ap Scalig. l. 1 de emend. temp.

* De Capuæ VI. DE IEIVNIO QVADRAGESIMÆ.

II. Canon. *Hoc etiam decernimus obseruandum, vt Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur, neque Quinquagesimam aut Sexagesimam ante*

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere. Sed neque per Sabbata abſque infirmitate quiſquam ſoluat Quadrageſimæ ieiunium, niſi tantùm die Dominico prandeat, quod ſic fieri ſpecialiter Patrum ſtatuta ſanxerunt. Si quis hanc Regulam irruperit, tanquam transgreſſor diſciplinæ à Sacerdotibus cenſeatur. Hoc Canone redarguuntur duo genera hominum. Alij contra quos Aurelianenſis Concilij primi Canon viceſimus-quartus iam ſtatutus fuerat, caput ieiunij ſumebant à Quinquageſima, & diebus Sabbati non ieiunabant. Alij nouum iugum fidelibus imponere volebant initio ieiunij ducto à Quinquageſima aut etiam à Sexageſima.

VII. DE FESTIVITATIB. IN CIVITATE CELEBRANDIS.

III. Canon. *Quiſquis de prioribus ciuibus Paſcha extra ciuitatem tenere voluerit, ſciat ſibi à cuncta Synodo eſſe prohibitum ſed principales feſtiuitates ſub præſentia Epiſcopi teneant, vbi ſanctum decet eſſe conuentum. Tamen ſi aliquis certâ neceſſitate conſtringatur, vt hoc implere non poſſit, ab Epiſcopo poſtulet commeatum. Quòd ſi hoc poſtulare deſpexerit, in eodem loco, id eſt, in feſtiuitate præſenti, vbi tenere voluerit, ſuſpendatur.*

VIII. DE OBLATIONE CALICIS.

IV. Canon. *Vt nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, & hoc aquâ mixtum offerre præſumat, quia ſacrilegum indicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit.*

IX. DE CONSECRATIONE EPISCOPI.

V. *Id etiam regulariter eſſe perſpeximus decernendum, vt Epiſcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur ordinandus, in ſua Eccleſia cui præfuturus eſt conſecretur. Sanè ſi ſubitò neceſſitas temporis hoc implere non patitur, licet melius eſſet in ſua Eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia Metropolitani, aut certè cum eius auctoritate intra prouinciam omninò à comprouincialibus ordinetur.*

X. DE CLERICIS PAROCHIANIS.

VI. *Parochiani Clerici à Pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta Canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi, vel populi, quæ pro ſalute eorum decreta ſunt, excuſent poſtmodum ignoraſſe.*

XI. DE CLERICIS PEREGRINIS.

VII. *Vt in Oratoriis Domini prædiorum minimè contra votum Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos Clericos intromittant, niſi forſitan quos probatos ibidem diſtrictio Pontificis obſeruare præceperit.*

XII. DE LAPSIS IN HÆRESIM.

VIII. *De his qui poſt Baptiſmi Sacramentum ad hæreſis lapſum carne ſuadente deſcendunt, & agnoſcentes reatum ad vnitatem fidei Catholicæ venire deſiderant, in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformentur.*

XIII. DE REBVS ECCLESIÆ ALIENATIS.

IX. *Vt Epiſcopus qui de facultate propria Eccleſiæ nihil relinquit, de Eccleſiæ facultate ſi quid aliter quàm Canones loquuntur obligauerit, vendiderit aut diſtraxerit, ad Eccleſiam reuocetur. Sanè ſi de ſeruis Eccleſiæ libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio Eccleſiæ non recedant.*

XIV. DE BIGAMIS.

X. *Si quis Epiſcoporum ſciens aut bigamum, aut incernuptæ maritum, ad officium Leuiticæ dignitatis, ſiue Presbyterij, contra ius Canonum promouere præſumpſerit, nouerit ſe vnius anni ſpatio ab omni officio Sacerdotij eſſe ſuſpenſum. Qui ſi fortè ſententiæ ſubiacere contempſerit, à communione eius vſque ad aliam Synodum,* vt habetur in Codice Remenſi, *ſe fraternitas vniuerſa ſuſpendat. Illi verò qui illicitè promoti ſunt, regradentur.*

XV. DE BONIS ECCLESIÆ.

XI. *Si quid Abbatibus, aut ſacris Monaſteriis, aut Parochiis pro Dei fueris contemplatione collatum, in ſua proprietate hoc Abbates vel Presbyteri minimè reuocabunt, nec alienare quod cunctis fratribus debetur, quacumque occaſione præſumant. Quibus ſi fuerit neceſſarium vt ſtatuta conuellant, non aliter valeat, niſi fuerit Epiſcopi ſui ſubſcriptione firmatum.*

XVI. DE LITIBVS EPISCOPORVM.

XII. *Si inter Epiſcopos de rebus terrenis, aut poſſeſſionibus, ſub repetitionis aut retentationis titulo naſcatur contentio, intra anni ſpatium pro ſtudio caritatis, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epiſtolas fratrum affectuosè commoniti, aut inter ſe, aut in præſentia electorum iudicum ſanare feſtinent. Quòd ſi diſtulerint, donec ipſa cauſatio abrogetur à caritate fratrum, qui diſtulerit, habeatur extraneus, quia iniuſtum eſt, vt qui cunctis præſunt, inter ſe quâcumque cauſatione diſſentiant.*

XIII. *Si quis iudicum Clericos de quolibet corpore venientes, atque altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula Ecclesiæ teneantur inscripta, publicis actionibus applicare præsumperit, si à Sacerdote commonitus emendare noluerit, cognoscat se pacem Ecclesiæ non habere. Similiter & à tutelæ administratione Pontifices, Presbyteros atque Diaconos ideò excusatos esse decreuimus, quia quod lex sæculi etiam paganis Sacerdotibus & ministris ante præstiterat, iustum est vt erga Christianos specialiter conseruetur.*

XIV. *Quæcumque Ecclesiis aut Pontificibus sub competenti ac iusto documento fuerint derelicta, ab hæredibus legitimis dignum est vt Dei contemplatione seruentur.*

XV. *Si quis post acceptum Baptismi Sacramentum ad immolata dæmonibus sumenda tanquam ad vomitum reuertitur, si commonitus à Sacerdotibus ex hac præuaricatione se noluerit reuocare, à communione Catholica pro emendatione sacrilegij suspendatur.*

XVI. *Si quis Christianus, vt est gentilium consuetudo, ad caput cuiuscumque feræ vel pecudis, innocatis insuper nominibus paganorum, fortasse iurauerit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à consortio fidelium vel Ecclesiæ communione pellatur.*

XVII. *Vt Sacerdotes siue Diaconi cum coniugibus suis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortij Religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priscos Canones ab officio regradentur.*

XVIII. *Quicumque Clericus aliquid de iure Ecclesiastico, seu verbo, seu per scripturam acceperit ad vtendum, & postmodum hoc alienare quácumque ratione præsumpserit, non valebit, quia secundùm Canonum statuta proprietatem Ecclesiæ non violat in alios quamuis longa possessio. Sed in Pontificis potestate consistat, qualiter pro conseruando iure Ecclesiastico rem possessam inter Clericos debeat communicare.*

XIX. *Quicumque pro deuotione sua oblationis studio aliquid in campellis, vel in vineolis, etiam absque scriptura, probatur Ecclesiæ contulisse, si postmodum vel ipse vel hæredes eius quacumque occasione auferre à iure hoc Ecclesiæ vel alienare voluerint, quoadusque à tali intentione discedant, aut peruersa restituant, à communione Ecclesiastica suspendantur.*

XX. *Vt nullus secularium personarum, prætermisso Pontifice, seu Præposito Ecclesiæ, quemquam Clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat, vel damnare. Sed & Clericus, si pro causa ad petitionem cuiuscumque fuerit ab Ecclesiastico ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, & respondere nullâ calliditate dissimulet. Sed quæcumque causatio quoties inter Clericum & secularem vertitur, absque Presbytero aut Archidiacono, vel si quis esse Præpositus Ecclesiæ dinoscitur, iudex publicus audire negotium non præsumat. Sanè si causam habentibus placuit ire ad iudicium fori ex voluntate communi, permittente Præposito Ecclesiæ, Clerico licentia tribuatur.*

XXI. *Si quis necessitatis impulsu ad Ecclesiæ septa confugerit, & Sacerdote vel Præposito Ecclesiæ prætermisso atque contempto, eam quisque de locis sacris vel atrijs seu vi seu dolo abstrahere aut sollicitare fortasse præsumpserit, vt inimicus Ecclesiæ ab eius limitibus arceatur, quousque iuxta Pontificis districtionem digna per indictam pœnitentiam emendatio subsequatur, eo tamen, qui abstractus est, priùs Ecclesiæ restituto.*

XXII. *Vt nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne coniugium, quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captiuitas iudicetur. Sed sicut est prohibitum non admittatur; in his qui perpetrauerint, excommunicationis seueritas pro modo piaculi imponatur.*

XXIII. *Vt seruis Ecclesiæ vel Sacerdotum, prædas & captiuitates exercere non liceat, quia iniquum est, vt quorum Domini redemptionis præstare solent suffragium, per seruorum excessum disciplina Ecclesiastica maculetur.*

XXIV. *Quæcumque mancipia sub specie coniugij ad Ecclesiæ septa confuge-*

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

XVII. De publicis actionibus et tutelis.

XVIII. De rebus Ecclesiæ.

XIX. De iis qui vtuntur immolatis.

XX. De iurantibus ad capita animalium.

XXI. De castitate Clericorum.

XXII. De rebus Ecclesiæ.

XXIII. XXIV. De causis Clericorum.

XXV. De asylo Ecclesiæ.

XXVI. De coniugiis.

XXVII. De seruis Ecclesiæ.

XXVIII. De mancipiis.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

rint, vt per hoc credant posse fieri coniugium, minimè eis licentia tribuatur, nec talis coniunctio à Clericis defensetur, quia probatum est, vt sine legitimâ traditione coniuncti, pro religionis ordine, statuto tempore ab Ecclesiæ communione suspendantur, ne in sacris locis turpi concubitu misceantur. De quâ re decernimus, vt parentibus aut propriis dominis, prout ratio poscit personarum, acceptâ fide excusati sub separationis promissione reddantur, postmodum tamen parentibus atque dominis libertate concessâ, si eos voluerint propriâ voluntate coniungere.

XXIX. DE BONIS ECCLESIÆ.

XXV. *Si quis Clericus aut laicus, sub potentum nomine atque patrocinio, res ad ius Ecclesiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere seu possidere præsumpserit, primùm admoneatur quæ abstulit ciuiliter reformare, aut certè iudicium Sacerdotis sui opperiri vt posit sacra religio. Quòd si in persuasionis pertinacitate subsistat, tamdiu ab Ecclesiæ liminibus arceatur, donec cum satisfactione iustissimâ peruasa aut occupata restituat.*

XXX. DE PAROCHIIS IN DOMIBVS POTENTVM CONSTITVTIS.

XXVI. *Si quæ parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, vbi obseruantes Clerici ab Archidiacono ciuitatis admoniti, secundùm qualitatem ordinis sui, fortassè quod Ecclesiæ debent, sub specie domini domus implere neglexerint, corrigantur secundùm Ecclesiasticam disciplinam. Et si ab agentibus potentum, vel ab ipsis rei dominis, de agendo officio Ecclesiæ in aliquo prohibentur, auctores nequitiæ à sacris cæremoniis arceantur, donec subsecutâ emendatione in pace Ecclesiasticâ reuocentur.*

XXXI. DE INCESTIS CONIVNCTIONIBVS.

XXVII. *De incestis coniunctionibus id statuimus obseruandum, vt si quis post Synodi Aurelianensis ante hoc triennium constituta, illicita tori iura præsumpserit, circa eum secundùm statuta Epaonensium Canonum à Sacerdotibus Ecclesiæ seueritas teneatur.* Concilium Epaonense celebratum fuit anno Christi quingentesimo decimo-septimo sub Sigismundo Burgundiæ Rege, Canonem tricesimum qui totus est de coniunctionibus incestis, retulimus ante triennium, cùm Synodi Aurelianensis tertiæ Canonem decimum elucidaremus. Obserua obiter Synodos Aurelianenses tertiam & quartam à nobis rectè consignari, illam anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, hanc anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, quia triennium duntaxat inter vtramque intercessit, priorque habita reperitur *anno* XXVII. *regni Domni Childeberti Regis.*

XXXII. DE HOMICIDIO.

XXVIII. Canon. *Quisquis homicidium voluntate commiserit, ita vt occidere audeat innocentem, si à Principibus aut à parentibus, quacumque re se reddiderit absolutum, pro modo pœnitentiæ distringendus in Sacerdotis potestate consistat.*

XXXIII. DE ADVLTERIO.

XXIX. *Si quæ mulieres fuerint in adulterio cum Clericis deprehensæ, Clericis districtione adhibitâ, mulieres ipsæ, prout Sacerdoti visum fuerit, districtioni subiaceant, & à ciuitatibus, vt Sacerdos præceperit, repellantur.*

XXXIV. DE MANCIPIIS CHRISTIANIS APVD IVDÆOS.

XXX. *Cùm prioribus Canonibus iam fuerit definitum, vt de mancipiis Christianis, quæ apud Iudæos sunt, si ad Ecclesiam confugerint, & redimi se postulauerint, etiam ad quoscumque Christianos refugerint, & seruire Iudæis noluerint, taxato & oblato à fidelibus iusto pretio, ab eorum dominio liberentur; ideò statuimus, vt tam iusta constitutio ab omnibus Catholicis conseruetur.*

XXXV. DE IVDÆIS.

XXXI. *Hoc etiam decernimus obseruandum, vt quicumque Iudæus proselytum, qui aduena dicitur, Iudæum facere præsumpserit, aut Christianum factum ad Iudaïcam superstitionem adducere; vel si Iudæus Christianam ancillam suam sibi crediderit sociandam; vel si de parentibus Christianis natum, Iudæum sub promissione fecerit libertatis, mancipiorum amissione multetur. Ille verò, qui de Christianis natus Iudæus factus est, si sub conditione fuerit manumissus, vt in ritu Iudaïco permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit, quia iniustum est, vt ei libertas maneat, qui de Christianis parentibus veniens Iudaïcis vult cultibus adhærere.*

XXXVI. DE GENERE SERVILI.

XXXII. *De genere seruili id decreuimus obseruandum, vt descendens inde posteritas, vbicumque, quamuis post longa spatia temporum, reperiatur in loco, cui auctores eius constat fuisse deputatos, reuocata studio Sacerdotis, in eâ quæ constituta est à defunctis conditione permaneat. Cui præcepto si quis secularium humanæ*

cupiditatis impulsu crediderit obuiandum, quousque se corrigat, ab Ecclesiâ suspendatur. AN. CH.

XXXIII. *Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere Diœcesim, primùm & terras ei deputet sufficienter, & Clericos qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur.* 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30.

XXXIV. *Quisquis agellum Ecclesiæ in diem vitæ suæ pro quacumque misericordiâ à Sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum, quæcumque ibi profecerit, alienandi nullam habeat potestatem, nec sibi parentes sui ex eâ re aliquid existiment vendicandum.* THEOD. R. 7.

XXXV. *De substituendo Antistite si fortassè mora extiterit, & voluntas decessoris antè fuerit reserata, quàm successor accedat Ecclesiæ, non impediat successorem. Si quispiam Clericorum aliquid de facultate illâ præsumpserit, in potestate sit aduenientis Episcopi, vtrùm audire an reiicere decessoris sui debeat voluntatem, nec Ecclesiæ in obiecto veniant tempora legibus constituta, dum non extitit persona quæ de vtilitate Ecclesiæ attentiùs cogitaret.* XXXVII. DE ORATORIO IN AGRO.

XXXVI. *Si quis Episcopus alterius Ecclesiæ Clerico de facultatibus suæ Ecclesiæ aliquid sub titulo quocumque donauerit, post eius obitum qui acceperit, ad Ecclesiæ ius, de cuius facultate discesserat, reuertatur, quia iniquum est vt sub hac specie damnum Ecclesia, quæ multis subuenit, patiatur.* XXXVIII. DE REBVS ECCLESIÆ.

XXXVII. *Placuit præterea, vt cuncti Metropolitani de comprouincialibus suis in prouinciâ suâ annis singulis Synodum debeant congregare, vt dum in vnum se fraternitas iungit, semper & censura teneatur & caritas.* XXXIX. DE VLTIMA VOLVNTATE DEFVNCTI EPISCOPI.

XXXVIII. *Quapropter auxiliante Domino quæ Synodus sancta constituit, decernimus vt à cunctis fratribus hæc definitio sancta conseruetur. Quòd si quis quæ salubriter perspicit instituta, indecenter transgredi quacumque occasione tentauerit, nouerit se Deo & cunctæ fraternitati culpabilem esse futurum, quia iustum est vt per vnitatem Antistitum & Ecclesiastica fulgeat disciplina, & inconuulsa maneat constitutio Sacerdotum.* XL. DE BONIS ECCLESIÆ. XLI. DE SYNODIS. XLII. DE CANONVM OBSERVATIONE.

Huic Concilio subscripserunt, ex prouincia Lugdunensi prima duo Episcopi, Placidus Matiscensis & Agricola Cabillonensis. XLIII. SVBSCRIPTION. EPISCOPORVM

Ex Lugdunensi secundâ, Flauius Episcopus Rotomagensis Metropolitanus & Passiuus Episcopus Sagensis; præterea Presbyteri quatuor ab Episcopis missi, Theodorus à Leucadio Episcopo Baiocassino, Escupilio à Lautone Episcopo Constantiensi, Baudastes à Perpetuo Episcopo Abrincatino, & Edebius à Theudobaude Episcopo Lexobino. XLIV.

Ex Lugdunensi tertiâ tres Episcopi, Iniuriosus Turonensis Metropolitanus, Innocentius Cenomanensis & Eumerius Namnetensis. XLV.

Ex Lugdunensi quartâ, Ætherius Episcopus Carnotensis, Eleutherius Episcopus Autissiodorensis, Rusticus Episcopus Niuernensis, Marcus Episcopus Aurelianensis, & Amphilochius Abbas ab Amelio Episcopo Parisiensi directus. XLVI.

Ex Lugdunensi quintâ duo Episcopi, Gramatius Vindonissensis, & Vincentius qui nomen sedis suæ reticuit, nec nobis videtur alius à Vincentio Belicensi qui Concilio Parisiensi secundo post aliquot annos subscripsit. XLVII.

Ex Viennensi primâ Toribius Presbyter missus ab Episcopo Genauensi. XLVIII.

Ex Viennensi secundâ septem Episcopi, Cyprianus Tolonensis, Alethius Vasensis, Heraclius Tricastinensis, Vindemialis Arausicanus, Lucretius Deensis, Clementius Carpentoratensis & Firminus Vceciensis. XLIX.

Ex Aquitaniâ primâ quatuor Episcopi, Ruricius Lemouicensis, Gallus Aruernensis, Dalmatius Rutenicus & Euanthius Gabalitanus cum duobus Presbyteris Probiano & Minutulo, quorum ille directus est ab Arcadio Episcopo Bituricensi Metropolitano, hic à Sustratio Episcopo Cadurcensi. L.

Ex Aquitaniâ secundâ duo Episcopi, Leontius Burdigalensis Metropolitanus & Danihel Pictauensis; item duo Presbyteri, Egerius directus à Lupicino Episcopo Inculismensi, & Ausonius missus ab Episcopo Sanctonensi, qui nobis non videtur alius ab Eusebio de quo egimus iam in Concilio Aurelia- LI.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

nensi secundo, agemusque iterùm in Concilio Aurelianensi quinto.

Ex Aquitaniâ tertiâ quatuor Episcopi, Aspasius Elosanus Metropolitanus, Iulianus Bigerricus, Proculcianus Auscensis, & Carterius Aquensis.

Ex prouinciâ Alpium Graiarum, Rufus Episcopus Octodorensis.

Ex prouinciâ maritimarum Alpium, Gallicanus Episcopus Eberodunensis Metropolitanus, Deuterius Episcopus Vincensis, Simplicius Episcopus de Sanctio & Benenatus Presbyter missus à Claudio Episcopo Glannatensi.

LII. LIII. LIV. LV. LVI. EPISCOPI SANCTITATE CONSPICVI.

Ex prouinciâ Narbonensi secundâ, Maximus Episcopus Aquensis Metropolitanus, Prætextatus Episcopus Aptensis, Euterius Episcopus Antipolitanus, Auolus Episcopus Sigestericensis, & Gratianensis Presbyter directus à Desiderio Episcopo Foroiulienti.

Gallus Episcopus Aruernorum, Agricola Episcopus Cabillonensis, Eleutherius Episcopus Autissiodorensis, & Lauto Episcopus Constantiensis catalogo Sanctorum in Martyrologio Romano ascribuntur, vt ante triennium in Concilio Aurelianensi tertio notauimus, his adde Firminum Episcopum Vcecensem, cuius nomen in iisdem tabulis Ecclesiasticis legitur die vndecimâ Octobris. Hunc Firminum inter Episcopos prouinciæ Viennensis secundæ retulimus, quia sicut Ecclesia Tolosana Bituricensi Metropolitanæ subiecta mansit, ita Vcecensis quæ priusquàm intra Franciæ fines includeretur, æquè ac Tolosana Narbonensi summittebatur, Arelatensi subiacuit postquàm Ostrogothi Francis Arelatem cesserunt, quapropter Ferreolus ipsius Firmini successor ab Episcopis Arelatensi, Auenionensi & Auracensi * ordinatus est Episcopus, vt in eiusdem Firmini vitâ legitur, nec aliâ opus est probatione.

* d'Orange.

LVII. ARCADIVS EP. BITVR. OBIT.

Arcadius Episcopus Bituricensis, quamuis Martyrologio Romano non sit inscriptus, ob eximiam sanctitatem coli meruit à posteris, agitur enim eius memoria Kalendis Augustis in Breuiario Bituricensi, & festum fit in Ecclesiâ sancti Vrsini cum ritu duplici. Aurelianensi Concilio per vicarium interfuit, laborabat enim graui morbo, quo tandem consumptus est Kalendis Augusti. Successit in Episcopatu Desideratus cognomento Theodulus, de cuius obitu agemus post nouennium, eóque loco demonstrabimus initium Pontificatus, quem gessit, huic anno conuenire.

LVIII. EPISCOPI BVRDIGAL.

Arnaldus Oihenartus [a] in notitiâ vtriusque Vasconiæ, vbi catalogum Burdigalensium Antistitum exhibet, post Cyprianum qui Conciliis Agathensi & Aurelianensi primo interfuit, subiicit duos Leontios, quorum epitaphia leguntur apud Fortunatum [b]. Sammarthani in Gallià Christianâ medium inter Leontios collocant Cyprianum. Robertus Leontios longè maiori separat interuallo, nam Leontio primo subrogat Gallicinum, Amelium, Cyprianum, tum Leontium secundum seu iuniorem. Sententiis adeò diuersis locum dederunt Sidonius Apollinaris & Venantius Fortunatus variè explicati.

[a] Lib. 3. c. 7.

[b] Lib. 4. capp. 9. 10.

LIX.

Apud Fortunatum [c] hoc legitur carmen, quo docemur angustam primùm Basilicam in honorem sancti Dionysij Martyris ab Emelio siue Amelio Episcopo, deinde aliam longè spatiosiorem à Leontio erectam fuisse.

[c] Lib. 1. c. 11.

Qui cuius egregij structorem noscere templi,
Tam pia non patiar vota latere tibi.
Longiùs hinc olim sacra cùm delubra fuissent,
Et plebs ob spatium sæpè timeret iter.
Exiguam dederat hîc Præsul Emelius arcem,
Christicolam populum nec capiente loco.
Quo vitæ claudente diem dehinc prole gradúque
Venit ad hæredem hoc opus hicque locus.
Fundauitque piam dehinc Papa Leontius aulam,
Obtulit & Domino splendida dona suo.
Quam venerandus habet propriam Dionysius ædem,
Nomine sub cuius sanctificata nitet, &c.

Ex

Ex illis versibus Sammarthani concludunt Amelio Leontium proximè succesſiſſe, cúmque volunt eſſe Leontium ſeniorem, cui iampridem Epiſcopo Sidonius [a] ſub initium ſui Præſulatus epiſtolam ſcripſerit cum tali exordio. *Etſi nullis hortatibus primordia noſtræ profeſſionis animatis, neque ſitim ignorantiæ hactenùs ſæcularis vllo ſuperno rigatis imbre doctrinæ, non ego tamen tantùm mei meminens non ſum, vt à meis præſumam partibus æquali officiorum lance certandum. Nam cùm noſtra mediocritas ætate vitæ, tempore dignitatis, priuilegio loci, laude ſcientiæ, dono conſcientiæ veſtræ facilè vincatur, nullum meremur, ſi par expectamus alloquium.* At Fortunati carmen, vt legenti videre eſt, Leontium non declarat immediatum Amelij ſucceſſorem, & epiſtola Sidonij citata non Burdigalenſi ſed Arelatenſi Leontio inſcribitur, vt inferiùs probaturi ſumus.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7. LX.

[a] Lib. 6. ep. 3.

Robertus rectè Fortunatum interpretatus eſt de Leontio iuniore, alterum verò Leontium Gallicino malè præmiſit, nec aliâ videtur deceptus opinione, quàm quòd crediderit Sidonium nondum Epiſcopum de Leontio Epiſcopo Burdigalenſi locutum eſſe, ſed Sidonij locus de Leontio Arelatenſi Metropolitano, non de Burdigalenſi debet intelligi. LXI.

Omnium optimè Oihenartus Cypriano vtrumque Leontium ſuffecit, in eo tamen eſt corrigendus, quòd exiſtimauit Leontium iuniorem Aurelianenſi Concilio quarto interfuiſſe, tunc enim Leontium ſeniorem in viuis fuiſſe ſuperſtitem mox oſtendemus ex Fortunato, poſtquàm Sidonij textus aliquos expenderimus. LXII.

Leontius, à quo Sidonius Epiſcopus loco iam citato mediocritatem ſuam facilè vinci ſcribit *ætate vitæ, tempore dignitatis, priuilegio loci, laude ſcientiæ, dono conſcientiæ*, non alius eſt à Leontio Arelatenſi Metropolitano, cuius meminit in literis [b] ad Baſilium Aquarum * Sextiarum Epiſcopum, vbi Baſilium illum dicit *ſacratiſſimorum Pontificum Leontij, Fauſti, Græci, vrbe, ordine, caritate, medium inueniri*, Leontij videlicet Arelatenſis, Fauſti Reienſis & Græci Maſſilienſis, inter Arelatem enim, Reios * & Maſſiliam medio propè ſpatio ſitæ ſunt Aquæ Sextiæ. Sidonius Epiſcopatum adeptus eſt anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, ſiue, vt ipſemet in literis [c] ad Lupum Epiſcopum Trecenſem teſtatur, cùm idem Lupus, qui anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo ſeptimo Pontificatum iniit, *in Apoſtolica Sede nouem iam quinquennia* exegiſſet, ſub initium autem ſui Præſulatus ſcripſit Leontio Antiſtiti, vt hæc verba ſatis indicant, *etſi nullis hortatibus primordia noſtræ profeſſionis animatis*, an is Leontius eſſe poteſt Burdigalenſis in ſententia Sammarthanorum, qui Leontium Amelio ſubrogant, Amelium Gallicino, cuius ſedem collocant *circiter annum Domini* CCCCLXXIV? LXIII.

[b] Lib. 7. ep. 6.
* d'Aix.
* Riez.
[c] Lib. 6. ep 1.

Ætas vtriuſque Leontij reſtat exploranda. Senior vixit annos quinquaginta ſeptem, Iunior vixit annos quinquaginta quatuor. De Seniore ſic Fortunatus [d], LXIV.

[d] Lib. 4. c. 9.

Luſtra decem pollens, ſeptem quoque vixit in annos,
Mox vrgente die raptus ab orbe fuit.

De Iuniore [e] ſic,

[e] Lib. 4. c. 10.

Luſtra decem felix, & quatuor inſuper annos
Vixit, & Auroræ lumine raptus obit.

Iunior, cùm in primo iuuentutis flore poſitus, & annis paruus eſſet, meruit in regiis Childeberti caſtris anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-primo, vt ſuo loco probatum eſt, ac teſte Gregorio [f] Turonenſi vixit aliquot annos ſub Chariberto Rege, qui Principatum anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo inchoauit. Porrò ſi anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-primo, quo in Septimaniam cum Childeberto Rege profectus eſt, annum ætatis duodeuiceſimum vix abſoluebat, anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo primo quo Concilium Aurelianenſe quartum celebratum fuit, ætatem Epiſcopatui gerendo idoneam nondum attigerat, ideóque Leontium, qui Conci- LXV.

[f] Lib. 4. c. 16.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

lio Aurelianensi quarto subscripsit, explicamus Seniorem, cuius memoria celebris est apud Burdigalenses duodecimo Kalendas Septembris [a]. De Iuniore, qui Seniori successit & Vincentium Presbyterum ad Synodum Aurelianensem quintam direxit, sermonem sæpiùs habituri sumus suis locis.

[a] Supplem. Martyr. Gall. die 21. Aug

LXVI. MVLTI ANACHORETÆ IN CENOMANIA. LEONARDVS.

Præterea Innocentius Cenomanorum Episcopus à Diœcesanis colitur decimo tertio Kalendas Iulias. In Cenomania sub illius Pontificatu magno numero floruerunt insignes Anachoretæ, Carilephus, Gallus, Fronto, Almirus, Boamirus, Vlfacius, Boamaldus, Frambaldus, Constantianus, Alneus & Erneus, de quorum aduentu in Diœcesim Cenomanicam iam diximus. His adde Leonardum & Richomerum. Leonardus patriâ Tungrensis fuit, relictâ paternâ domo Cenomanum venit, & locum quærens quo cellulam sub regulari ordine ædificaret, dono accepit quendam locum à sancto Innocentio Episcopo in eremo super fluuium Sartham *, quæ cellula Sancti Leonardi * nominatur vsque in hodiernum diem. Coruaisierus obseruat loco nomen olim fuisse Vandoperam *. Ibi eodem Innocentio adiuuante erexit Ecclesiam in honorem Sancti Petri Apostoli, & per tres annos, dum illa cellula construeretur, incredibilis populi concursus fuit, ita vt nihil deesset. Hæc ex Breuiario Cenomanensi & ex Coruaisiero in vita Innocentij Episcopi, cetera suis locis. Richomerus * natus est in pago * Sonnensi, qui pertinet ad Episcopatum Cenomanensem; puer sub Launido Sacerdote plurimùm profecit; ab Innocentio Episcopo Presbyter ordinatus liberam facultatem accepit prædicandi verbum Dei per vniuersam Diœcesim; templum vbi sacrificia Dæmonibus fieri consueuerant, in Ecclesiam conuertit, vbi Deus verus inposterum coleretur; Trudam prædiuitem fœminam, quæ graui morbo laborabat, sacro oleo quo caput illius vnxit, & precibus quas pro illius incolumitate fudit, ad pristinam valetudinem reuocauit. Treneſtina Trudæ filia, quæ sæpè Richomerum de rebus diuinis colloquentem audierat, vbi marrem nouo prodigio sanitati redditam vidit, illicò secularibus pompis nuntium remittere decreuit, & Richomerum secuta dum ad nuptias quærebatur, in eremo aliquandiu delituit. Eâ re detectâ Richomerus quasi fictæ pietatis dolo puellam decepisset ac constuprasset, vocatus est in iudicium cum Treneſtinâ coram Childeberto Rege, apud quem cùm vterque suam innocentiam non sermonibus modò sed & miraculis comprobasset, Richomerus Innocentium Episcopum adiit, abeóque vallem subligneam siue Subligniacum * obtinuit, vbi Oratorium construxit cum duabus aut tribus cellulis pro totidem sodalibus tertiâ leucâ ab vrbe primaria Cenomaniæ, Treneſtinæ verò Innocentius inter Sartham fluuium ipsámque ciuitatem locum concessit, vbi in honorem beatissimæ Virginis ac Stephani protomartyris erectum primò fuit Oratorium, deinde Monasterium virginum, cui parentes Treneſtinæ Haregarius & Truda facultates suas concesserunt iis legibus, vt Moniales peregrinos, qui sanctorum Geruasij ac Protasij Basilicam orationis causâ ex remotis oppidis ac pagis adibant, hospitio exciperent, eorumdémque, si fortè in morbum inciderent, curam singularem haberent, ac præterea tergendis lauandisque ipsius Basilicæ ornamentis sedulò inuigilarent. Lege Coruaisierum in Innocentio Episcopo, & obserua eo loci Clotario, qui perperàm ex Scriptoris calamo cecidit, expuncto Childebertum à Bondonneto ritè restitui, quia quandiu Innocentius apud Cenomanos sedit, Cenomania * Childeberto Regi morem gessit.

* La Sarthe.
* S. Leonard des bois.
* Vandœure.
* Rigomer.
* Le Sonnois.
RICHOMERVS.
* Souligné sous vallon.
* Le Mans

LXVII. DALMATIVS EP. RVTEN.

Dalmatius Episcopus Rutenensis in Sanctorum numero æquè habetur. Cùm ad Synodum Aurelianensem proficisceretur, energumenum in agro Bituricensi liberauit. Absoluto Concilio Turonos ad Basilicam sancti Martini perrexit, Dæmonum turbâ frustrà nauem eius *in dirarum seu Syrtium scopulos caruleíque gurgitis alta* compellente. Hæc Auctor vitæ scribit in Codice Mossacensi, subditque illustre miraculum de reo cui vita non potuit adimi. *In Brinatensem* * *vicum Aruernæ ciuitatis oppidum Dalmatius sanctus aduenit, vbi à quodam Tribuno reus ad patibulum vltimo damnatus supplicio ducebatur, rogare*

* Brioude.

Tribunum beatus Antistes pro vitæ huius indulgentiâ cœpit instanter. Qui omninò negauit, nec voluit iusti preces Confessoris accipere, sed durum peragi præcepit imperium. Ille tamen Dominum pro eius vitâ fideliter exorauit. Horâ penè diei secundâ reus ad damnationem perducitur. Diem hunc nox pepulit, noctem crastinam lux seclusit, reus semper pependit in patibulo, & qui iam olim credebatur mortuus, viuens ab eis in crastino qui ad eum sepeliendum venerant inuenitur. Perculsa est tanto plebs vniuersa miraculo, vt cuius exequias orbi parentes, vxor vidua lamentatione solitâ prosequebantur, & illi nouum se credebant edidisse filium, & illa quominus noua nupta procedat in gaudio. Apud Saussaium Idibus Nouembris in supplemento Martyrologij Gallicani aliter illa miracula narrantur, quasi sanctus Dalmatius *Ligerim fluuium pedibus* traiecerit, & *mortuum ad vitam* reuocarit. Sed ab antiquo scriptore potiùs standum, qui verbis superiùs citatis subtexuit prolixam comparationem sanctorum Martini & Dalmatij, quorum ille mortuum suscitauit, hic precibus obtinuit ne reo ad mortem damnato vita eriperetur. *Ille vitam reuocauit in corpore, iste continuit. Ille iam vagantem animam homini reddidit, iste fecit in corpore viuere tumulatam. Ille absolutum spiritum à corpore remisit in corpore, iste damnatum in corpore absolui non permisit à corpore. Par est vtriusque virtus & gloria.* Duo præterea corrigi debent in Saussaio, neque enim Dalmatius, vt ille vult, beato Amantio successit, aut Alaricum Gothorum Regem plurimis signis à tyrannide compescuit. Beati Amantij loco restitue sanctum Quintianum, & expuncto Alarico repone Amalaricum. In ceteris haud discrepamus. Dalmatium *ante mortem stupendis signis* emicuisse non negamus, captiuorum vincula solâ eius oratione disrupta testatur author vitæ.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 50. THEOD. R. 7.

Ex Pontificibus, qui Concilio Aurelianensi quarto interfuerunt in suis Ecclesiis coluntur etiam Gallicanus Eberodunensis & Cyprianus Tolonensis, de quibus ad annum Christi quingentesimum tricesimum sextum iam disseruimus. Celebris est & memoria Flauij Rotomagensis Episcopi. LXVIII.

Lucretius Diensis Episcopus, qui eidem Synodo Aurelianensi subscripsit, plurimùm commendatur in vitâ sancti Marij Bodanensis * Abbatis, vbi hæc leguntur. *Cùm autem vt mos est Religiosorum, in Quadragesimâ vir Dei Marius in cellâ retrusus, parciùs solito viueret, Lucretius Diensis * Episcopus ad eum visitandum assiduè veniebat, tum quia eiusdem viri Dei Monachus & nutritius fuerat, eumque patris loco venerabatur & colebat, tum quia eius dulcibus alloquiis semper refici appetebat. Vnâ itaque dierum cùm ad ostium cellæ eius pulsaret Antistes, audiuit ab eo vt recederet, post diem tertium rediturus, & in illo spatio nullus ei victum nullúsque accessum præberet. Recessit Pontifex & post triduum reuertens ad virum Dei est ingressus. Cui vir Dei. Ductus fui in spiritu, vidíque cælos apertos & maiestatem Dei, cuius claritatis splendorem mei mortales oculi vix poterant sustinere, vidíque beatam & Virginem & Dei genitricem Mariam cum Angelis ad eius vestigia prostratam, pro pace Italiæ supplicantem. Sed diuina pietas ita temperauit responsum, vt nec Matrem petentem offenderet, quòd autem Italia & multæ aliæ prouinciæ indeclinabilem interitum mererentur, respondit.* Diuturno sanè bello fatigata fuit Italia, nec expers calamitatis fuit vicina pars Galliarum, vbi situm erat Monasterium Bodanense, quod iacuit dirutum priusquàm Dynamius res ab Abbate Mario præclarè gestas scriberet. Alia quoque prophetiæ signa in eadem beati Marij vita commemorantur, de quibus inferiùs sermonem faciemus. LXIX.

LVCRETIVS DIEN. EP.
* de Bétions.
* de Die.

Ætherius Carnotensis Episcopus in vita sancti Leobini laudatur, & inter Sanctos à Saussaio recensetur in catalogo Sanctorum, Beatorum ac Piorum, qui proprias historias aut Natales non habent. In vico, qui duabus leucis à ciuitate Carnotensi distat, & beati Prisci * nomen hodie gerit, ad Auduram * fluuium reliquias eiusdem sancti Martyris reperit, & in Ecclesia quam ibidem construxit, honorificè collocauit. Lege Rolliardum in historia Carnotensi [a]. LXX.

* S. Prest.
ÆTHERIVS EP. CARN.
* L'Eure.
[a] Cap. 10.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7. LXXI.

Leo Senonensis Episcopus Concilio Aurelianensi quarto non interfuit, odium enim Childeberti Regis incurrerat, eò quòd Ecclesiæ suæ iura constantissimè defenderet, & Episcopum in castro * Meledunensi ordinare nollet. Extat [a] ad Childebertum ipsius Leonis epistola, quâ deprecatur ne Meleduni in Diœcesis suæ parochiâ, vbi numquam fuit, nouus fiat Episcopus. Ex illis literis quas recitabimus, colligere est vrbem Senonum, quæ Metropolitani Episcopi sede nobilitabatur, in potestate Theodoberti Regis fuisse, Melodunum verò quamuis in eodem Episcopatu situm esset, non eidem Theodoberto sed eius patruo Childeberto paruisse. Eâ de causâ Childebertus Episcopatum Senonensem in duos diuidi volebat, & cùm Leonem iurium suorum acerrimum propugnatorem experiretur, nec eum nec eius nomine Visitatorem venire in castrum Meledunense permittebat. Inde Leonis Episcopi querelæ. *Domno inlustri, gloriosissimo domno, & , in Christo , filio, Childeberto Regi Leo Episcopus. Literas celsitudinis vestræ honore quo dignum est me indico suscepisse , vbi sperare dignamini, vt ad ordinandum Mecledonensem Episcopum aut præsentia nostra adesse debeat , aut consensus. Quam rem valdè admiratos nos gloria vestra cognoscat , quòd primùm sine iussu gloriosissimi Domni Principis nostri , filij vestri Theudoberti Regis , cuius sumus regni ordinatione subiecti , iniungitis vt ea quæ anteacto tempore facta non sunt , nunc præsentiâ nostrâ aut consensu debeant inchoari. Præcipuè nunquam nec suspicari , nec credere potuimus , quod hanc aut ordini nostro , aut etiam temporibus vestris velletis iniuriam generari , vt Diœcesim nostram à Deo nobis commissam , & vsque nunc Pontificali ordine Deo propitio custoditam , tanquam negligentes ac desides , ad alterius permittamus potestatem transire , aut sollicitudinem inrationabili deliberatione transferri. Vnde salutantes digno ac debito in Deo caritatis affectu rogamus ac contestamur , ne vllus Pontificum contra statuta Patrum audeat facere , vnde possit Synodali examinatione conuictus de inlicitâ præsumptione culpari. Illa tamen vestris debent fieri , Deo inspirante , temporibus , vnde & pax inter Sacerdotes esse possit , & plebs non permittatur à Pastoris propry custodiâ per nouam & inlicitam ordinationem diuelli. Custodite , quæso , statuta Patrum , & Canonum seueritate constricti , non patiamini sicut scribitis ad petitionem eius plebis superstite proprio Sacerdote alterum Episcopum ordinari. Quia si hoc petunt , quod nefas est credi, desertores potiùs iudicandi sunt quàm fideles. Et non eorum preces facilè audiri debent à Principe , quorum petitionibus potiùs generentur scandala , quàm pax Deo amata seruetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes , ita væ his dictum est per quos venit scandalum. Qui si fortassè ob hoc alterum Episcopum sibi fieri rogant , quia nos intercluſis itineribus ad eos nec Visitatorem mittere possumus nec venire , ista culpa nos non respicit , quia si iter à vestra parte , sicut optimè nostis, intercluſum tanto tempore non fuisset , quamuis senes aut infirmi , populum nobis Ecclesiasticâ disciplinâ commissum requirere potueramus , aut certè Visitatorem , sicut Canones statuunt , destinare. Nam gloria vestra optimè debet & credere & scire , quia si contra statuta Canonum quicumque Episcoporum sine consensu nostro Mecledone Episcopum voluerit ordinare , vsquè ad Papæ notitiam vel Synodalem audientiam, tam hi qui ordinauerint , quàm qui ordinatus fuerit , à nostrâ erunt communione disiuncti.*

[a] Tom. 1 conc. Gall. LEONIS EP. SENON. AD CHILDEB. REG. LITERÆ.

* *Melun.*

OBITVS.

Leo in illis literis senem se dicit atque infirmum, nec diu superstes in viuis fuit, *Episcopali officio dignè functus*, vt decimo Kalendas Maias in Breuiario Senonensi legitur, *& præmia æterna consecutus, sepultus est in Ecclesiâ Sanctorum Gerualij & Prothasij in suburbio Senonensi , ad cuius inuocationem multas ægrorum curationes & miracula Deus operatus est. Vnde factum vt ea Ecclesia in* LXXII. *paræcialem titulum euadens , ipsius sancti Leonis nomine fuerit deinceps appellata.*

EPISCOPATVS ALETENSIS ERIGITVR.

Circa hunc annum Machutes factus est Episcopus Aletensis * teste Alberto in eius vitâ. Hæc origo fuit Episcopatus Aletensis qui posteà Macloniensis * dictus fuit. *Machutes*, vt Author vitæ apud Boscium testatur, *cum Aarone*, de quo sermonem ante triennium fecimus, *tamdiu mansit , donec Episcopatus ciuitatis Britannicæ , quæ vocatur Aleta , eidem diuinitus est aperitus & destinatus , idémque ipsius ciuitatis Præsulatum digniter est indeptus. Non enim erat*

* *d'Aleth.*

* *De sainct Malo.*

eadem ciuitas longè ab insulâ Aaronis, super litus quidem maris sita, habens ex vno latere fluuium nomine Rinctus *, *ab alterâ verò parte mare alluebat. Quibus in locis nondum erant Britanni penitus Christiani. Quocirca cæpit celeberrimus Machutes Antistes edocere ac instruere populum, & ad viam veritatis ciere & attrahere. Sanctus verò Samson eadem in suâ salubri ac salutiferâ agebat operâ, qui patruelis felicis Machutis atque Maglorij geminâ conditione existebat.* Ex illo textu non temerè concludes Samsonem tunc Episcopum fuisse. In Breuiario Namnetensi miracula quæ Maclouius in Episcopatu gessit, paucis ita perstringuntur, *hinc Antistes factus puellam à dæmone possessam liberat, Ducem etiam propter scelera cæcitate percussum, sed pœnitentem oleo oculos eius fouens, videre fecit.* Pluribus exponuntur apud Boscium. Maclouius sub initium sui Pontificatus Aaronem Abbatem sibi charissimum ex hac vitâ sublatum honorificentissimè sepeliuit, in Diœcesi Maclouiensi memoria sancti Aaronis celebratur quot annis die vicesimâ secundâ Iunij, vt Albertus in eius vitâ obseruauit.

AN. CH. 541. CHILDEB. CLOTAR. RR. 30. THEOD. R. 7.

* *La Rance.*

Hic annus belli Gothici septimus fuit, quo Totilas teste Procopio [a] creatus est Rex Ostrogothorum. LXXIII.

[a] Lib. 3. de bell. Goth. c. 2.

ANNVS CHRISTI 542. CHILDEBERTI R. 31. CLOTARII R. 31. THEODOBERTI R. 8. INDICTIO 5.

542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus-secundus notatur in fastis [b] post Consulatum Basilij, Indictione quintâ. Sub Aptonio Pontifice, qui Lupicino in Episcopatu Inculismensi successerat, Eparchius * hoc anno prope Inculismam est reclusus, obiit enim post annos reclusionis suæ triginta nouem, vt Author vitæ coætaneus prodit, anno Christi quingentesimo octogesimo-primo, vt suo loco probaturi sumus. Vnde corrigas Gregorij Turonensis [c] interpolatorem, qui anno quidem eodem quo diximus mortem Eparchij consignat, Childeberti scilicet Regis cognomento Iunioris anno sexto, sed perperam ait eum in reclusione annos vixisse quadraginta quatuor, neque enim Eparchus reclusionem appetiit ante Pontificatum Aptonij, cuius præcessor Lupicinus Concilio Aurelianensi quarto per vicarium subscripsit anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo. Eparchij autem primordia in eius vitâ sic enarrantur. *Eparchius in Petragoricensi vrbe*, id est Vesunnæ quæ Petrachoriorum ciuitas erat, *natus patrem habuit Felicem cognomento Aureolum, matrem verò Principiam. Cùm iam autem septennis ferè esset, in eâdem vrbe adhibitus est literis addiscendis, cúmque Dominus suam illi gratiam adspirante, benè esset eruditus, ab auo suo Felicissimo Comite est accitus, vt apud ipsum Cancellarij officio fungeretur, quod quidem adhuc adolescens maiori ille integritate & morum honestate præstitit, quàm eius ætatis ferret voluntas. Sed cùm annos quindecim apud illum Comitem egisset, relictâ seculari militiâ, insciis omnibus, Sedacianum expetiit Monasterium, Abbatisque Martini pedibus aduolutus, petiit se in Monachum recipi, intercedentéque Dei misericordiâ, licet inuitis parentibus, quod denotè postulauit, obtinuit.* Posteà varias peregrinationes obiit, quas mi-

I.

[b] Marius.

EPARCHIVS RECLVSVS.

* *Cybar.*

[c] Lib. 6. c. 8.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

raculis illustrauit, & cùm Inculismam * veniſſet, Aptonius vrbis illius Epiſcopus *multo ad eius conſpectum gaudio perfuſus, properatiſſimâ animi benevolentiâ cum ſuſcepit, cognitaque accuratiùs voluntate eius non permiſit eum aliò commigrare, ſed multo cordis amore eum complexus, locum optatum ei oſtendit, qui erat inſtar deſertæ cuiuſdam ſolitudinis. Eo conſpecto vir Dei non tantum ore deprompſit, quantùm animo lætabatur, quòd locus eſſet remotus, & procul à ciuitate, & ſupernè è montis vno latere perſpicuus manaret fons, ab alio verò Carantonus * fluuius.* In illo tamen loco noluit includi, niſi priùs Epiſcopus Petragoricenſis & Abbas Sedacianus annuiſſent. *Quamobrem vir Domini Aptonius miſit legatos ſuos, Frontonium Archipresbyterum, qui poſtea eſt Epiſcopi dignitatem adeptus, Arthemium Archidiaconum, qui per omnia ſe verum Chriſti ſeruum declarauit, itémque Arthemium Defenſorem, vt ij à Sabaude Epiſcopo & eius Abbate copiam impetrarent faciendi, quod animo deſtinarat Eparchius. Reuerſi tandem illi, agrè ſe potuiſſe obtinere nunciarunt, attamen benignè permiſſum eſſe quod poſtulabatur. Interim viro Dei in vrbe manente, cùm locus congruus ei iam preparatus eſſet, cunctis in domo illâ ſomno oppreſſis, ille clam ſurrexit è lectо, & nocte abiit viſurus locum illi attributum. Abſolutis verò precibus, lapidem ſuppoſuit capiti, vt ſe daret ſopori. Ecce autem cælitus eum Chriſtus alloquitur, iubétque illic manere, nec deinceps aliò vagari." Ad Presbyterij gradum euectus eſt ab Aptonio Epiſcopo.* Superſedemus miraculis, quæ fuſiùs proſequitur Author vitæ. Hic tantùm notamus obiter in Epiſcoporum Petragoricenſium * indice poſt Chronopium, qui duobus primis Conciliis Aurelianenſibus interfuit, locum tribuendum Sabaudi, quem multi ſcriptores in ſuis catalogis omiſerunt.

* Angoul. ſanct.
* La Charente.

* Perigueux.

II. ANACHORETÆ PETRAGOR.

Sub idem tempus Anachoreticam vitam in Diœceſi Petragorica ducere cœperunt Sorus, Amandus & Cyprianus. De ſancto Amando initium vitæ ſolummodò publicauit Labbeus [a], quia cetera deerant in Codice quem nactus eſt ex Abbatia Sancti Martialis Lemouicenſis; integram autem beati Sori vitam edidit ex Bibliotheca Thuanea In vtroque opere percelebris mentio fit ſancti Cypriani, cuius tamen Encomium ex Gregorio Turonenſi [b] potiſſimùm mutuabimur. Ioannes Puteanus * in hiſtoria Petracoricenſi meminit Sanctorum Sori & Amandi ſub Charterio Pontifice, citátque Breuiaria Petrochorenſe & Sarlatenſe, nec ab illo calculo recedent quæ ſuis locis de Charterio Petrochorenſium Epiſcopo dicemus. Aruernus erat Sorus, Lemouix Amandus *, Cypriani patria non proditur Priuſquàm Anachoreticam vitam irent, Monaſticam diſciplinam apud Genoliacum in Epiſcopatu Petragoricenſi ſub Abbate Saualo didicerunt. Audiendus Anonymus in vita ſancti Amandi. *Vir Dei Amandus cùm eſſet miles multùm nobilis ex pago vrbis Lemouicinæ oriundus, montibus videlicet priſtinis, vbi etiam monſtratur illius hereditarius fundus. Ab his digreſſus montibus, relictis facultatibus omnem Monaſticam normam eſt nactus. Nam humilia expetens à montibus ſublimibus ima vallium adiens deſcendénſque agello Petragorico nuncupante Genoliaco, vbi tunc agmina Monachorum degebant ſub Abbate Saualo & Rege Clotario, iuncto ſibi Soro Aruernico viro ſanctiſſimo, atque Cypriano Dei electo, vná deuotione vnanimes, vno diei articulo comam capitis deponentes ſanctæ Religionis ſeſe manciparunt in obſequium, citóque ad virtutum culmen euecti ob theoreticam gratiam ſolitudinem elegerunt. Hic itaque vt à puero cœpit inſigni virtute, in ſancta Religione excreuit. Nam qui puerulus moribus bonis, egregiis virtutibus cœperat prouehi, cœpit etiam Anachoreticus Monachus magis magíſque ad ſanctitatis ſumma ſuſtolli.* Laudatur idem Amandus non tantùm ab obſeruantia Regulæ Monaſticæ, ſed etiam à quatriduanis ieiuniis quibus corpus ſuum macerauit, à charitate quam erga pauperes exercuit, & ab humilitate quam præ ceteris virtutibus amauit. Sori vero primordia ſic in eius vita deſcribuntur. *Sanctus vir Sorus territorio ortus Aruernico, parentibus ſecundùm ſeculi dignitatem non infimis, diuinis tamen legibus & orthodoxæ fidei deditis altus eſt, Chriſtianâ lege edoctus, nutritus in fide Catholica, suum infantiæ gerebat cum induſtria. Exin adoleſcentiæ annos in-*

[a] Tom. 2. Biblioth.
[b] De glor. Conf. c. 100.
* Du Puy.

* Amant.
AMANDVS.

SORVS.

greſſus, totúſque mirum in modum in Dei opere conuerſus, meditabatur iam in ætate iuuenili, quod poſteà deuotus impleuit. Poſtquàm ab Abbate Saualo diſceſſerunt, aliquandiu manſerunt in eadem eremo, donec ob affluentem hominum multitudinem de loco ſecretiore cogitarunt. Huc illúcque diuagati peruenerunt ad Petras erectas, Amandus & Cyprianus itinere feſſi obdormierunt, interim Sorus vbi degeret idoneam reperit ſolitudinem. *Rupes deſuper eminens præbebat obſequium, fons viuaci venâ riuulum euomens amœna loci illius partim irrigabat, cæterùm planitiem Viſera * fluuius ab vndoſo ſatis reduſerat ſinu.* Amandus ad eundem amnem reſedit nec procul à Soro, vbi hodie conſpicitur Abbatia Terraſſonenſis * in Diœceſi Sarlatenſi. Cyprianus ad Dorononiam * ſeceſſit. *Sorus, cùm fama eius circumquaque ferretur, verens hominum confluentium conuentum, arctiùs ſibi interiùs inter rimulas rupis in modum fornicis exiguæ ſpecum conſtruxit, in qua niſi incuruus ſtare non poſſet, in qua etiam ſedile inſtar ſubſelly compoſuit, ac è regione capitis in circuitu clauos infixit. Fecerat etiam oſtiolum ante ſpecum, quod numquam, niſi quando orationis gratiâ noctibus egrediebatur, cuiquam patebat, iuxta quod foramen perexiguum in modum feneſtræ obliquè compoſuit. Iam verò cùm plurimi ad eius magiſterium feſtinarent, ſecum multa voluens, vtrumnam melius eſſet ſolitam ſolummodò vitam ducere, an verbi pabulum vndique confluentibus præbere, & quod iam diu ſolus exercuerat, multorum profectibus militare, ante ipſam cellulam altare ſubpoſuit, ibíque ſacri ordinis Sacerdotem delegit, quatenùs conuenientibus ad ſacri ſermonem verbi, & diuini officium myſtery populis, præcepto quaſi duplicatum de negotio beatus vir lucrum referret, ipſe per inſertam cellulæ feneſtram Sacerdoti ſacra myſteria celebranti, quod ſibi in munere à quibuſque largitum eſſet, proferre ſolitus erat. Vnde quia ita neceſſe erat, ſanctus vir miniſtros in vſus congruos habebat, ex quibus vnus dicebatur Principius, alter verò Bonitus.* Cetera ſuis locis.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

* *La Veſere.*

CYPRIANVS.

* *Terraſſon.*

* *La Dordonne.*

III. Illis temporibus in territorio Coriſopitenſi florebat Balæus Monachus Landt-Teuenecenſis, qui diu ſolitariam vitam duxit in monte, cui nomen *Penn-flour*, vbi Eccleſia in eius honorem erecta conſpicitur, & quarto Idus Iulias magnâ populi multitudine frequentari ſolet. Lege Albertum de monte Relaxo in catalogo Epiſcoporum Coriſopitenſium *.

BALÆVS MONACHVS LANDT-TEVENEC.

* *Corneüaille.*

IV. Res initio huius anni, ſiue exeunte apud Procopium anno belli Gothici ſeptimo geſtas, ſic enarrat idem Procopius [a]. *Dein Totilas Caſenam ac Petram Caſtella cæpit. Aliquantò pòſt in Tuſciam ſe contulit, ac tentatis regionis illius oppidis, cùm ei permittere ſe nemo vellet, traiecto flumine Tyberi, Roma finibus abſtinuit, & in Campaniam ac Samnium repentè ingreſſus, Beneuentum vrbem validam, nullo negotio in poteſtatem ſuam redegit, eiúſque muros æquauit ſolo, ne aduecta Byzantio copia, factis è munito loco eruptionibus, Gothos infeſtarent. Deinde Neapolitanos, ipſum, multa licèt blandiſſimè pollicentem, recuſantes in vrbem accipere à Conone Romanorum & Iſaurorum mille præſidio defenſam, obſidere conſtituit. Atque ipſe quidem haud procul mœnibus caſtra metatus cum maiori parte exercitus manſit; miſſâ verò alterâ ad Cumanum caſtellum & ceteras munitiones, iis potitus eſt, magnámque inde pecuniæ vim collegit. Senatorum coniuges ibi nactus nullâ affecit contumeliâ, imò verò humaniſſimè dimiſit liberas.* Totilas hæc edidit exempla humanitatis ac continentiæ, vt pote mitior redditus ex monitis Abbatis Benedicti, quem Caſini degentem nuperrimè adierat. Congreſſus Totilæ cum beato Benedicto copiosè deſcribitur à Gregorio Papa [b], nec alio tempore contigit quàm cùm Totilas ex Tuſcia Beneuentum per Campaniam hoc anno contendebat, Totilas enim anno belli Gothici ſeptimo quo Rex creatus eſt Campaniam non peragrauit, & ſanctus Benedictus migrauit ad Deum duodecimo Kalendas Aprilis, exeunte anno belli Gothici octauo, ſeu Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-tertio iam inchoato, vt anno ſequenti in aduentu beati Mauri cis Alpes probabimus.

[a] De bello Goth. l. 3. c. 6.

TOTILAS ADIT CASINVM.

[b] Lib. 2. dial. capp. 14. 15.

V. Ex illâ ſupputatione patet ab Epiſcopo Cenomanenſi directos hoc anno Legatos, qui Monachos in Cenomaniam adducendos Caſino poſtularent, re-

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

ditum enim in Franciam aggressi sunt die quintâ Epiphaniorum, & in pago Altissiodorensi pridie obitum sancti Benedicti iam versabantur, vt legitur in beati Mauri vitâ, cui fides vt in deprauatis locis denegari, sic in ceteris haberi debet.

VI. VITA S. MAVRI.

Vitam beati Mauri sub Bonifacio Tertio Papâ literis tradidit Faustus testis oculatus, interpolauit Odo Glannafolienſis Abbas sub Carolo Caluo Rege. Scripsit Faustus anno Christi sexcentesimo-sexto, quo Bonifacius Pontificatum iniit absoluitque. Odo anno Christi octingentesimo sexagesimo-tertio reliquias sancti Mauri ex Andegauiâ in Burgundiam transtulit, cumque rediret, à Clerico Abrincatino *, qui Româ reuertebatur, fortuitò nactus est opus Fausti, quod & inculto sermone & vitio scriptorum corruptum ratus, vt emendaret, *viginti dierum plùs minùs* laborem consumpsit, sicque non correctum vt putauit, sed re verâ deprauatum Almodo siue Adelmodo Archidiacono Cenomanensi transmisit anno Christi octingentesimo vndeseptuagesimo. Si pepercisset operæ suæ, alleuasset & nostram, nobis enim in examinando purgandóque, quem publicauit ac mendis aspersit, Fausto non esset immorandum. Huic negotio, quoties res postulabit, diligenter vacabimus, interim ne probatione careant quæ præmisimus, accipe literas [a] Odonis ad Almodum.

* *d'Aurauches.*

[a] Ap Bolland. d. 15. Ian.

VII. INTERPOLATA AB ODONE.

*Vinculo sanctæ dilectionis visceraliter nexo, reuerendo viro Almodo sanctæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ Archidiacono, Odo Abbas Monasterij, quod in præripio ripa Ligeris fluminis situm, Glannafolium * ex antiquo appellatur, munusculum. De repertione vitæ sancti Mauri, nobilisque eius conuersationis, morum & actuum perfectione, vnde frequens, vt recolis, inter nos sermo habitus est, certam cupiens reddere tuam fraternitatem, sicut te crebrò poposcisse reminiscor, ne petitionis tuæ frustrari videaris effectu, scripto tamen plenâ fide percurrere disposui: quâ occasione indaginem huius rei eatenus & à nobis, & à nostris penitus ignotæ ac inauditæ consecutus sum. Valdè siquidem tuis etiam in hac re congratulor studiis, dum sollicitè perquirere te perpendo, qualiter & quomodò nobis comperta existant, quæ de hoc beatissimo viro in manibus habentes, patrem luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum desursum descendit, collaudamus, quem à Pontifice sanctæ Sedis, cui Deo auctore deseruis, beato scilicet Bertichranno, totius sanctitatis decus insigne nostris, vt nosti, adscitum gaudemus prouinciis. Cùm circumcircà cuncta penè loca nobis contigua effera natio Normannorum ferali rabie depopulans, incendióque concremans vastaret, nosque vis & atrocitas barbarica optatâ pepulisset tellure, ac pristinis miserabiliter primasset sedibus, nec vllus vspiam refugy nobis tutus supereſſet locus, consilio tandem seruandæ vitæ, cum corpore eiusdem Mauri, partes Burgundiæ petere decreuimus. Cúmque in prædium illustris viri Audonis Co-*

* La Saone.

*mitis citra fluuium, quem Ararim * vocant, deueniſſemus (quod nobis ob reuerentiam & amorem sancti corporis, siue etiam pro æternâ remuneratione aliquandiu ad habitandum concesserat) benigno fauore ibidem commorantium, ac munificâ largitate excepti, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo-tertio, Indictione vndecimâ, digno cum honore, congruo illud & apto condidimus loco. Ordinatis igitur fratribus, prout rei suppetebat opportunitas, qui sacro thesauro inhærentes debito famulatu inseruirent, liberi & expediti paternum censuimus solum repetendum. Et cùm iam propinqua littora prædicti fluminis legeremus, offendimus frequentiam virorum non ignobilium, qui dudum Romam petentes, sanctáque loca orationis gratiâ peragrantes, genuinam reuisere festinanter accelerabant glebam. Cúmque ob laborem tanti itineris sarcinulis animalia releuantes, ac fessi in littore nobiscum nauigium opperientes resedissent, amicâ quadam desiderabilique curiositate de sanctorum locorum positione & ornatu, sanctitatisque ac religionis custodiâ, diuinorum etiam cultuum assiduitate, atque Ecclesiasticorum frequentatione officiorum, Catholicorúmque studio & elucidatione dogmatum, plurima ab eis scisscitans, atque, vt à talibus moris est, pluriora audiens, repperi in sportulâ cuiusdam Clerici, qui Petrus, vt asserebat, vocabatur, quíque ante biennium, vt fatebatur, illuc*

ex

ex pago Abrincatino, de loco sancti Angeli Michaëlis, qui ad duas vocatur Tumbas *, *perrexerat, quaterniunculos nimiâ penè vetustate consumptos, antiquariâ & obtunsâ olim conscriptos manu, vitam sancti Benedicti, ac quinque discipulorum eius continentes, Honorati videlicet, Simplicy, Theodori, Valentiniani atque Mauri, quos vix emerui datis non paucis redimere nummis. Et quia tam inculto sermone, quàm vitio scriptorum depravati videbantur, vitam beati Mauri, prout potui, corrigere satagens, viginti dierum plùs minùs consumpto labore, salvâ fide dictorum ac miraculorum inibi repertorum, sicut nunc habetur, apertiorem eam legentibus reddidi & expressi. Cui etiam, sicut tua postulavit industria, libellum subindere cupio, de restauratione iam dicti Cœnobij, regularisque in eo reparatione religionis, sive etiam de mirabilibus, quæ ibidem ostensa sunt, & quæ adhuc superstites ac non minimùm reverendæ adstipulantur personæ. De visionibus quoque cælitus ibi per Angelicam administrationem demonstratis, necnon & de his, quæ à die translationis eius usque nunc tam in itinere quàm in diversoriis multiplicum repausationum, per eundem servum suum, in laudem & gloriam nominis sui divina operari dignata est maiestas. Hæc omnia tuo dicans nomini, utilia legentibus fore, nostrisque potissimùm, arbitratus sum. Quos per eam, quæ est in* IESV, *deprecor veritatem, ut veris & absque fuco à me prolatis fidem adhibentes, religiosiorib vita studiis sollicitè operam dare non negligant; quatenus fructum laborum suorum in die retributionis à pio Domino recipientes, perennis vitæ præmiis cum eo, cuius & audiunt & legunt virtutes, participare mereantur.*

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

* Tumbelaine.

VIII.

Huic epistolæ subiecit Odo librum de restauratione Monasterij Glannafolienſis, & de translationibus beati Mauri, in cuius fine habetur annus, quo prodierunt in lucem eiusmodi scripta. *Cùm verò*, inquit, *& illic*, nempe Glannafolij ad Ligerim, *creberrimis & improvisis paganorum deterreremur eruptionibus, secundùm quod in epistolâ huic opusculo præpositâ continetur, hoc sancti viri corpus citra fluvium Ararim à nobis deportatum, digno cum honore (prout temporis & loci permisit opportunitas) reconditum ac collocatum in fundo Audonis Comitis est, vbi per tres semis annos custoditum, sexdecim notissimarum personarum sanitate celebre nomen eius circumcircà divulgatum, assiduâ populorum frequentatione venerari cœpit & excoli. Nam primo adventus sui ad eundem locum anno, frequentibus claruit virtutibus, quas enumerare longissimum est. In quibus clariùs ea, quæ suprascripta est, emicuit curatio sexdecim personarum, quarum aliquanti cæci, nonnulli claudi, quidam verò surdi, aliquanti autem muti fuerunt. Exinde illud iuxta tenorem præfationis huius libelli in Monasterium Fossatense* * *deportavimus, & (sicut pleniter ibi prosecutum est) venerabiliter in Ecclesiâ beati Petri recondentes, in ipsis Idibus Novembris collocavimus. Adquem locum glorioſissimus ac clementissimus Rex Carolus, à partibus Burgundiæ regrediens, per semetipsum dignatus est accedere, Christi protectionem ante lecticam sancti viri, summâ deposcens devotione, die Nonarum Februariarum, hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus sexagesimus-nonus, regni verò eius vicesimus-nonus, indictione secundâ.*

* Des Fossez.

IX. EMENDATVR.

Primum mendum, quod in Odonis scriptis occurrit, versatur circa nomen Episcopi Cenomanensis, qui legatos in Italiam ad Benedictum Abbatem Casinensem hoc anno direxit. Odo Pontificem illum vocat Bertichrannum in literis ad Almodum suprà recitatis, & Bertigrannum in vitâ sancti Mauri. *Legati*, vulgatus inquit Faustus, *ad nostrum venerunt Monasterium, missi à beatissimo Bertigranno, Cenomanicæ civitatis Episcopo. Nam idem sanctissimus Pontifex, auditâ famâ sanctitatis eximiæ Patris nostri, Flodegarium Archidiaconum & Hardradum Vicedominum suum, strenuissimos scilicet atque clarissimos viros, à latere suo cum magnis xeniis ad eundem Patrem nostrum transmisit, omnibus eum exorans precibus, vt illi perfectos dirigeret Fratres, qui Monasterium illi secundùm regularis ordinem observationis in fundo Ecclesiæ, quam regebat, ædificare deberent.* Bertchramnus seu Bertichramnus ante annum Childeberti Regis Iunioris vndecimum, Christi quingentesimum octogesimum-sextum non

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

sedit. Existimamus nomen Episcopi, quod Faustus reticuerat, ab Interpolatore temerè additum. Aimoinus, suppresso Pontificis nomine Legatos asseruit à ciuitate Cenomanica directos ad Abbatem Casinensem, regnante Theodoberto. *Huius Principis temporibus*, inquit[a], *à Cenomanica vrbe Legati ad castrum Casinum profecti, beatissimum Patrem Benedictum, post heremiticam vitam in illo sancto degentem Cœnobio, omnigenâ poposcerunt prece, vt fratres in Monastica probatos conuersatione ad Occidentales dirigeret partes, à quibus leni iugo Regulæ illis ab ipso traditæ Gallicana subderetur ceruicositas.* Certè tunc apud Cenomanos non alius erat Episcopus quàm Innocentius, qui Concilio Aurelianensi quarto anno priori subscripserat, & eius loco præ ceteris in vita sancti Mauri suffectus est ab Odone Bertichramnus ob singularem beneuolentiam quâ Monachos Ordinis Benedictini prosecutus dicitur. Aimoinus autem, quod præterea maximè obseruandum est, cùm Legatos ait Casinum Cenomano missos temporibus Theodoberti Regis, non contendit Theodobertum in Cenomania tunc regnasse, sed eo viuente obitam legationem, cúrque Theodoberti potiùs meminerit quàm Childeberti, cui Cenomania parebat, occurrunt duæ rationes, altera sumitur à narrationis contextu, priùs enim agebat de rebus à Theodoberto in Italia gestis; altera petitur ex actis beati Mauri, cuius aduentus in Franciam notatur sub Theodoberto Rege, quia Glannafolij consedit ad Ligerim in Andegauia, vbi Theodobertus, Childeberti ex Theodorico quondam fratre nepos, dominabatur. Mendo, quo Faustum Odo in exprimendo Cenomanensis Antistitis nomine deturpauit, sublato; & Aimoino, qui Lectorem minùs cautum decipere potest, explicato; iam videamus qualem erga Legatos Cenomanenses Abbas Benedictus se gesserit.

[a] Lib. 2. c. 22.

X. LEGATIO EP. CENOMAN. AD S. BENED.

Sanctissimus Deóque carissimus, ait Faustus in præfatione sui operis, *mox vt legatione Cenomanici Antistitis conuentus & exoratus est, continuò summæ religionis virum euocans Maurum, cum consilio totius Congregationis, Legatis eum ipsius assignat Præsulis, dans illi socios & cooperatores, Simplicium & Antonium ac Constantinianum, me quoque laboris eorum & peregrinationis, non dico operum perfectorum, comitem deputans.* Tantæ festinationis ratio peti debet à reuelatione quæ præcesserat. Nam cùm Benedictus Abbas Cœnobij, quod in Casino castro construxerat, futuram euersionem diuinitùs agnouisset, & super ea calamitate plurimùm tristaretur, hoc consolationis oraculo meruit recreari. *Noli probatissime ac dilectissime Benedicte, pro his quæ huic euentura sunt loco, mœstum vllo modo gerere animum, quoniam quod semel præfixum atque decretum inscrutabili summæ Deitatis consilio est, intransibile atque irreuocabile patrabitur, solis tibi tuo merito cunctorum concessis habitantium animabus. Sed aderit omnipotentis quamnuperrimè propitia consolatio, quæ & locum hunc in pristinum, imò in ampliorem, quàm nunc videtur, tuis nihilominùs meritis, restituet gradum, & aliis perinde nationibus huius lumen religiositatis de hoc eodem irradiabit loco. Pro quo vt interpellatus, vel potiùs efflagitatus fueris, extemplò quos probabiliores in huius grege sanctæ habes Congregationis, quò deposceris mittere maturato, sciens proculdubiò quoniam laboris eorum fructus vberrimus, & tibi ad cumulum recipiendorum augmentabitur præmiorum, & illos ad habitationem perennis introducet beatitudinis.* Eiusdem reuelationis meminit iterùm cùm agit de Mauri missione in Gallias. *Perfectissimus*, inquit, *Pater noster, iuxta rationem & reuelationem, quæ in præfatione huius operis à nobis pleniter est exposita, quanquam finem dierum suorum iamiámque sciret imminere, secundùm quod Spiritu sancto reuelante didicerat, Legatis supradicti Antistitis tam beatissimum Maurum, quàm nos quatuor, quorum nomina proœmio inseruimus, assignauit, præcipiens nobis, vt non minùs ipsi beatissimo Mauro, quem nobis Magistrum constituebat, quàm ei eatenùs, in omnibus pareremus.* De beati Mauri sociorúmque itinere agemus anno sequenti, quo ineunte susceptum fuit.

XI. Sanctissimi Præsulis Innocentij pietas eò magis elucet, quòd cùm Diœce-

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. R R. 31. THEOD. R. 8.

sis Cenomanica tot illustribus Monachis adhuc abundaret, beati Benedicti discipulos primus ex Italia cis Alpes euocarit. Sanè in dubium reuocari non potest quin Boamaldus, Constantianus, Alneus, Almirus, Erneus, Leonardus & Richomerus Innocentio superstites vixerint. De Carilepho, Vlfacio & Frambaldo, quorum iam meminimus, idem non audemus asserere, quia in eorum actis nulla deprehenditur epocha, quæ citiùs aut seriùs Innocentio mortuos attestetur, ideóque quidquid de illis dicendum restat, in hunc locum simul congeremus.

MONACHI CENOMAN.

XII S. CARILEPHVS.

Carilephus possessiones ab Vltrogode-Regina oblatas respuit, abstinentiâ & castitate fuit admirabili, vetuit ne Monasterium vlla mulier ingrederetur, nudis pedibus in quacunque aëris inclementia incedebat, obiit Kalendis Iulius, quo die consule Breuiarium Cenomanense, sepultus fuit post altare in Basilica, quam Domino construxerat, & in honorem sanctorum Petri Apostoli ac Martini Confessoris ab Innocentio Episcopo dicatam obseruat Coruaisierus. Mulier Gunda nomine, virili sumptâ veste in sancti Carilephi Monasterium ingredi conata est, vt probaret an verum esset illius vaticinium, quo prædixerat sexui fœmineo numquam datum iri copiam in illud intrandi, sed iusto Dei iudicio, priusquàm vel Cœnobij clausos aditus aspiceret, à Diabolo arrepta retrorsum ruit. Lege Authorem vitæ apud Surium [a].

[a] Die 1. Iul.

XIII. SS. VLFACIVS ET FRAMBALDVS.

Vlfacius sepultus fuit in Oratorio sancti Petri, quod ad ripam Brigiæ construxerat, hodie est parœcia sancti Vlfacij. Frambaldus miraculis clarus admodùm prædicatur, migrauit ad Deum decimo-octauo Kalendas Septembres, illius festum, quia cum Assumptione beatissimæ Virginis concurrit, in sequentem diem transfertur Hìc ista sufficiant de Diœcesi Cenomanica, cuius historiam à Coruaisiero & Bondonnetto scriptam consule.

XIV. SPERVS EP. MET. OBIT.

Sperus siue Hesperius Episcopus Metensis, cùm sedisset annos septemdecim, vt habet Codex sancti Symphoriani Metensis, obiit decimo Kalendas Septembres, quo die colitur in supplemento Martyrologij Gallicani.

XV. CÆSARII AREL. EP. MORS.

Messianus Presbyter & Stephanus Diaconus à Cypriano, qui librum vnum de vita sancti Cæsarij Arelatensis Episcopi scripserat, rogati alterum addiderunt, in quo mortem illius ita describunt. *Cùm septuagesimum-tertium gereret totius vitæ tramitis annum, è quibus quadragesimum in Pontificatu verteret circulus gyrum, & animaduerteret per spiritum imminere sibi transitus diem, inter non modicos quos patiebatur dolores sciscitatus est, quamproximè esset beatissimi Augustini depositionis dies, & cùm imminere commemorationem eius didicisset, confido, ait, in Domino, quòd meum transitum non longè diuisurus est ab ipsius Patris Augustini natali, quia, vt ipsi scitis, quantùm dilexi eius catholicissimum sensum, tantùm me, etsi discerpantem meritis, minimè tamen reor distantiâ longiore depositionis meæ diem ab eius obitu tempore sequestrari. Interea accessit propiùs exitus Israël de terra Ægypti, id est, animæ sanctæ de hoc mundo corporalis vitæ migratio. Iubet ergo se in Monasterio Virginum, quod ipse fundauerat, sellâ famulantium manu gestari, quasi consolaturus anxias, quibus suspicio transitus sui abstulerat somnum & cibum obliuio. Alloquitur primam, quasi amore & dulcedine suæ, ducentarum puellarum venerabilem Cæsariam matrem, & consolatur, atque ad palmam tendere supernæ vocationis hortatur, & vt teneant Regulam, quam ipse ante aliquot annos instituerat, monet, sed taliter succedentibus etiam sibi Episcopis & reliquo Clero, Præfecturæ vel Comitibus seu ciuibus testamento suo per epistolas suas commendauit easdem, quatinùs minimè perferrent tempore pòst futuro laborem. Erat constitutio Monasterij ipsius eo tempore annis plenarijs triginta. Dat ergo eis orationem & benedictionem, vale vltimum dicens, illis rugientibus, ad Ecclesiam reuertitur. Tertiâ namque die post sancti Genesij festum, id est, VI. Kl. Septembris, ante diem depositionis sancti Augustini, & post diem dedicationis Monasterij sui, cùm iam vale dixisset pridie cunctis, imminente horâ primâ, inter manus qui aderant Pontificum & Presbyterorum ac Diaconorum beatam animam latus emisit ad Christum.* Ita Codex manuscriptus quem Surius [b] expoliuit.

[b] Die 17. Augusti.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8. XVI.

Ex illo textu non mensis tantùm vel dies, quo sanctus Cæsarius ex hac vita discessit, sed & annus deprehenditur. Nam si migrauit ad Deum sexto Kalendas Septembres, siue *post diem dedicationis Monasterij sui*, & *erat constitutio Monastery ipsius eo tempore annis plenarijs triginta*, vel, vt habet Surius, *erant constitutionis Monastery ipsius eo tempore anni pleni triginta*, mors beatissimi Præsulis collocánda est hoc anno, vt Monasterij dedicatio, quæ septimo Kalendas Septembris facta est, cadat in diem Dominicum, anno Christi quingentesimo duodecimo, eóque bissextili, qui literâ Dominicali G per mensem Augustum præditus fuit. Id non satis accuratè perpendunt qui beati Cæsarij obitum in annum sequentem aut etiam post biennium reiiciunt. Eius sepulturam sic prosequuntur Messianus & Stephanus iam laudati. *Sancti corporis vestimenta ita à diuersis lamentantibus vel fidelibus populis piâ violentiâ deripiebantur, vt ab assistentibus nobis Presbyteris ministrisque vix potuerit vel à suscipiendorum reliquorum patientia reuocari, de quibus iugiter Deo præstante infirmorum curationes creberrimè celebrantur. Sepultus est in Basilica sanctæ Mariæ, quam ipse condiderat, vbi sacra Virginum corpora de Monasterio suo conduntur.* Eiusdem Ecclesiæ meminit quoque Cyprianus. *Disposuit*, inquit, *fabricare triplicem in vna conclusione Basilicam, cuius membrum medium in honorem sanctæ Mariæ Virginis cultu eminentiori construxit, ex vno latere sancti Ioannis, ex alio sancti Martini subiecit.*

SEPVLTVRA.

XVII. SCRIPTA.

Sanctus Cæsarius de variis rerum diuinarum argumentis scripsit homilias, quæ tomo secundo Bibliothecæ Patrum editæ Parisiis continentur, & priùs excusæ prodierant Coloniæ sub nomine Feliciarij Arelatensis Episcopi, Cæsarius enim in Feliciarium vitio Typographi abierat. Scripsit & alia opuscula quæ tomo quinto eiusdem Bibliothecæ reperiuntur, cum duabus Regulis, quarum alteram quæ spectat ad Moniales, ipse scripsit, alteram verò quæ pertinet ad Monachos, Sanctus Teridius Presbyter ipsius Cæsarij nepos ab eo dictatam & per diuersa Monasteria transmissam dixit. *Prædicationes*, ait Cyprianus, *compunctissimis temporibus vel festiuitatibus congruentes instituit pariter & inuexit.* Et inferiùs. *Prædicationes quoque congruas festiuitatibus & locis, sed & contra ebrietatis ac libidinis malum, contráque discordiam & odium, contráque superbiam & iracundiam, contra sacrilegos & aruspices, contra Kalendarúmque paganissimos ritus, contráque augures, lignicolas, fonticolas, diuersorumque vitia fecit, eásque ita paranit, vt si quis aduenientium peteret, non solùm non abnueret impertiri, sed & si minimè suggereret, vt deberet accipere, offerret ei tamen, & importunè ipse legeret. Longè verò positus in Franciâ, in Galliâ, atque in Italiâ, in Hispaniâ, diuersísque prouinciis constitutis transmisit per Sacerdotes, quid in Ecclesiis suis prædicari facerent, vt proiectis rebus frivolis & caducis iuxta Apostolum bonorum operum fierent sectatores*, &c. *Adiecit etiam hoc vt numquam in Ecclesiâ suâ Diaconum ordinaret ante trigesimum ætatis eius annum. Verùm & hoc addidit, vt nec in qualibet maiori ætate vnquam ordinaretur, nisi quatuor vicibus in ordinem libros veteris testamenti legeret, & quatuor, noui. Viros occurrentes sibi, tantæ charitatis affectu excepit, cùm & dulci colloquio affatus est, vt partem se æternæ benedictionis percipere crederet, quicumque eius expetiit præsentiam. Mulieres tamen intra domum Ecclesiæ, non ad salutandum, non qualibet causâ, nec religiosæ, nec propinquæ ancillæ, nulla omnino fœminarum introeundi habuit licentiam.* Hæc Codex manuscriptus, quem supra laudauimus.

XVIII.

In Bibliothecâ Patrum occurrunt homiliæ sancti Cæsarij sex & quadraginta. Sed ex iis nonnullæ Cæsario suppositæ sunt, vt quadragesima-secunda, in quâ Gregorius Papa & Isidorus Hispalensis Episcopus ætate iuniores citantur. De paganis ritibus Kalendarum Ianuariarum, de lignicolis, fonticolis, aliorúmque criminum reis, quos Cæsarius insectatus est, agemus aliis locis commodiùs, cùm de Faustino Episcopo Nouiomensi verba faciemus ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quintum, de Synodo Turonensi ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-sextum, de Con-

cilio Altissiodorensi ad annum Christi quingentesimum octogesimum-sextum, & de concionibus sancti Eligij ad annum Christi sexcentesimum vndesexagesimum. Tria tantùm hic obseruabimus ex homiliis Cæsarij; vnum ex octauâ, in quâ loquitur de pœnâ purgatorij; alterum ex duodecimâ, in quâ redarguit eos, qui discedunt ex Ecclesiâ priusquàm diuina mysteria compleantur; tertium ex vicesimâ-quintâ, in quâ Monasterium Lirinense, cuius alumnus olim fuit, magnis laudibus afficit.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

XIX. DE IGNE PVRGATORII.

Homiliâ octauâ Cæsarius duo genera peccatorum distinguit, alia minuta seu venialia, alia capitalia seu mortalia; deinde docet quomodò vtraque, si non fuerint in hoc seculo per pœnitentiam deleta, punienda sint in futuro, illa igne purgatorio, hæc æterno; tum subiungit egregiam enumerationem bonorum operum, quibus in præsenti vitâ redimi possunt. *Multi sunt*, inquit, *qui lectionem istam*, nempe caput tertium epistolæ primæ ad Corinthios, vbi Apostolus Dominum, quale sit vniuscuiusque opus, igne probaturum asserit, *malè intelligentes, falsâ securitate decipiuntur, dum credunt quod cùm supra fundamentum Christi crimina capitalia ædificant, peccata ipsa per ignem transitorium possunt purgari, & ipsi postea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iste, fratres charissimi, corrigendus est, quia ipsi se seducunt, qui sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus, [ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem] non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et paulò pòst. *Quicumque aliqua de istis peccatis*, capitalibus *in se dominari cognouerit, nisi dignè (si habuerit spatium) longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit, sed æternâ illâ flammâ sine vllo remedio cruciabitur.* Et inferiùs. *Hæc & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ enumerari vix possint, & à quibus non solùm omnis populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis, licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam pustulis & quasi horrendâ scabie repentè deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius cælestis sponsi, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De quo scriptum est.* [*Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam.*] *Et ideo continuis orationibus, & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemosynis, & per indulgentiam eorum, qui in nobis peccant, assiduè redimantur, ne fortè simul collecta cumulum faciant, & demergant. Quicquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo Apostolus dixit.* [*Quia in igne reuelabitur, & cuius opus arserit, detrimentum patietur.*] *Aut enim dum in hoc seculo viuimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certè volente aut permittente Deo multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur, & si Deo gratias agimus, liberamur. Quod ita fit, si quotiens maritus aut vxor aut filius moritur, vel substantia nobis, quam plusquàm oportet amamus, aufertur, licet plùs Christum quàm ipsam substantiam diligamus, &, si necessitas fuerit, malumus ipsam substantiam perdere, quàm Christum negare, tamen quia (sicut iam dixi) si plùs eam quàm debemus diligimus, amittere eam, aut dum viuimus, aut dum morimur, sine grandi dolore non possumus, & tamen si Deo, qui illa auferre velut pius pater permittit, tanquam boni filij gratias agimus, & minùs nos pati quàm meremur, cum verâ humilitate proferimus, ita peccata ipsa in hoc seculo purgantur, vt in futuro ignis ille purgatorius aut non inueniat aut parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus ipsa peccata redimimus, tamdiu in illo purgatorio moras habebimus, quamdiu supradicta minuta peccata, tanquam ligna & fœnum & stipula consumantur. Sed dicit aliquis, non ad me pertinet quamdiu moras habeam, tantùm vt ad vitam æternam perueniam. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid potest pœnarum in hoc seculo aut cogitari, aut videri, aut sentiri. Et cùm de die iudicij scriptum sit, quod erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus, vnde scit vnusquisque vtrùm diebus aut mensibus, an fortè etiam & annis per illum ignem sit*

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

transiturus ? Et qui modò vnum digitum suum in ignem mittere timet, quare non timeat ne necesse sit tunc non paruo tempore cum animâ & corpore cruciari ? Et ideo totis viribus vnusquisque laboret, vt & capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ista operibus bonis redimere, vt aut parum ex ipsis, aut nihil videatur remanere, quod ignis ille possit absumere. Illi enim qui capitalia peccata committunt, si ea, dum viuunt, emendare pœnitentiæ lamento & medicamento noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus, [ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem,] venire non poterunt, sed magis illam duram & irrenocabilem sententiam audituri sunt. [Discedite à me maledicti in ignem æternum.] Et ideò qui & ab istâ perpetuâ pœnâ, & ab illâ purgatoriâ desiderant liberari, capitalia crimina non admittant, aut si iam commiserunt, fructuosam pœnitentiam agant, & illa parua vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, plenius vobis insinuare desidero. Quotiens infirmos visitamus, in carcere positos requirimus, discordes ad concordiam reuocamus, indicto in Ecclesiâ ieiunio ieiunamus, hospitibus pedes abluimus, ad vigilias frequentius conuenimus, eleemosynam ante ostium pratereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris quotiens petierint indulgemus, istis operibus & his similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addenda sunt lachrymæ, & rugitus & gemitus, continuata & longo tempore procrastinata ieiunia, largiores eleemosynæ, etiam plusquàm nos ipsi valere possumus, eroganda, vltro nos ipsos à communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitiâ multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes, quia iustum est, vt qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat. Ad extremum non est impossibile vel graue quod suggero, vel sic lugeamus extinctam animam nostram, quomodò alienam carnem mortuam plangimus, si aut vxor aut filius aut maritus mortui fuerint, in terrâ se collidunt homines, capillos trahendo, & tundendo pectora, in luctu, in abstinentiâ, in lachrymis non paruo pectore perseuerant. Rogo vos, fratres, exhibeamus nostræ animæ, quod illi exhibent alienæ carni. Hunc sancti Cæsarij textum attentè legant hæretici, qui purgatorium ignem inter fabulosa commenta reiiciunt, legant & multi Catholici, qui bonis operibus, dum possunt, peccata sua non redimunt, imò, quod flagitiosissimum est, ab iis abstinere minimè student.

XX. DE AVDIENDA MISSA INTEGRA.

Homiliam duodecimam, in quâ populum monet, vt Missam integram audiat, sic auspicatur Cæsarius. *Rogo vos, fratres charissimi, & paternâ pietate commoneo, vt quotiens aut in die Dominico, aut in aliis maioribus festiuitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesiâ discedat, donec diuina mysteria compleantur.* Et inferiùs, quid sit *Missas ad integrum celebrare* sic exponit. *Qui vult Missas ad integrum cum lucro suæ animæ celebrare, vsquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populi detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesiâ continere.* Multi recitatis Lectionibus ab Ecclesiâ discedebant, eos autem sic redarguit. *Rogo vos, fratres, vt humilitatis nostræ suggestionem non solùm patienter sed etiam libenter accipiatis. Si enim diligenter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando diuina Lectiones in Ecclesiâ recitantur, sed quando munera offeruntur, & Corpus vel Sanguis Christi consecratur. Nam Lectiones, siue Propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis. Consecrationem verò Corporis & Sanguinis Christi, non alibi nisi in domo Dei audire vel videre poteritis.* Et paulò pòst. *Cùm maxima pars populi, imò quod peius est, penè omnes recitatis Lectionibus exeunt de Ecclesiâ, cui dicturus est Sacerdos, sursum corda ? Nunquid respondere possunt, quando deorsum in plateis & corpore simul & corde discedunt ? Vel qualiter cum tremore simul & gaudio clamabunt ; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Benedictus qui venit in nomine Domini ? Aut quando Oratio Dominica dicitur, quis est qui humiliter & veraciter clamet ; dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris ? Cùm enim etiam illi qui se in Ecclesiâ continent, si non dimiserint debita debitoribus, ad iudicium magis quàm ad remedium Orationem Dominicam proferunt*

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

ex ore, quam implere non probantur in opere, & sine causa dicunt, libera nos à malo, quando ipsi non desinunt reddere malum pro malo. Si ergo etiam illi periclitantur qui intùs sunt, si implere noluerint quod promittunt, quid de se cogitant illi, quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor seculi istius ita detinet implicatos, vt eos vnius horæ momento stare in Ecclesia non permittant? Quibus non sufficit quòd per totam hebdomadam, aut pro necessitate, aut fortè (quod verius est) pro cupiditate ingiter occupantur. Adhuc insuper post vnius aut duarum horarum spatium, quo videntur magis corpore quàm corde ad Ecclesiam conuenire, mittentes dorsa sacrificiis vel Sacerdotibus Dei, ad amplexandam voluptatem seculi huius, sine mora aliqua reuertuntur, non agnoscentes quid expetant, quid relinquant. Sequuntur tenebras, & deserunt lucem, amplectuntur vmbram, & despiciunt veritatem; dimittunt dulcedinem Christi, & requirunt amaritudinem mundi, diligentes vanitatem & quarentes mendacium. Verè ignorat, quantùm boni in celebrandis Missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur. Prohibet Cæsarius, ne qui Missas audiunt, ab Ecclesia priùs discedant, quàm *Oratio Dominica dicatur, & Benedictio populo detur.* Synodus Aurelianensis tertia, quam ad annum Christi quingentesimum duodequadragesimum retulimus, vndetricesimi Canonis initio, cuius explicationem in hunc locum idcircò reiecimus, eandem rem sic vetuit. *De Missis nullus laicorum antè discedat, quàm Dominica dicatur Oratio, & si Episcopus præsens fuerit, eius Benedictio expectetur.* Haud aliò abeunt Synodi Aurelianensis primæ anno Christi quingentesimo vndecimo habitæ Canon vicesimus-sextus, quo statuitur, vt *cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, & vbi Episcopus fuerit, Benedictionem accipiat Sacerdotis*, & Synodi Agathensis anno Christi quingentesimo sexto celebratæ Canon quadragesimus-septimus, quo *Missas die Dominico à sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipitur, ita vt ante Benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Oratio Dominica, cuius expressa mentio fit in Synodo Aurelianensi tertia & in homilia beati Cæsarij, post consecrationem in Missa recitari super corpus Christi consueuerat. Id constat ex Gregorio Papa in libro Sacramentorum, & ex Missa Gallica de qua inferiùs ad annum Christi primum supra sexcentesimum. Maior difficultas oritur circa Benedictionem, cuius meminerunt præcitatæ Synodi, Agathensis atque Aurelianenses prima & tertia, necnon Cæsarius Episcopus. Hæc Benedictio à solo dabatur Episcopo, numquam à Presbytero, id aliàs obseruauimus ad XXVI. Canonem Synodi Aurelianensis primæ. Cùm audis benedictionem à Presbytero non solitam dari, caue ne credas absente Episcopo egressum ab Ecclesia populo licitum fuisse post Orationem Dominicam. Plebs enim iubebatur in Ecclesia manere, donec diuina mysteria complerentur, id est, donec Episcopus aut benediceret si adesset, aut benedicturus esset si non abfuisset. Quoniam autem populus huic decreto ægrè obtemperabat, & per Episcopi absentiam in Ecclesia post Orationem Dominicam à Presbytero vix retineri poterat, inde factum putamus subsequentibus seculis, vt Episcopi, cùm abessent, populo benedictionem à Presbyteris dari permiserint. In antiquo Missæ ordine, quem Hugo Menardus in Notis ad Sacramentale sancti Gregorij citat ex Codice Tilliano, *cantant Postcommunionem Cantores, vt ostendant Christum in populo Corpore & Sanguine corroborato manere. Et hinc à Presbytero postulatur æterna Benedictio, quia Christus coram discipulis manducans & bibens cùm surrexisset à mortuis, reliquias eis dedit, eleuatisque manibus ipsis benedixit.* Benedictionem illam in fine Missæ consuetam dari confirmat Amalarius[a] in Ecclesiasticis Officiis. *Dominus ante Ascensionem in cælos, duxit discipulos in Bethaniam, ibíque benedixit eos, & ascendit in cælum. Hunc morem tenet Sacerdos, vt post omnia Sacramenta consummata benedicat populo, atque salutet. Deinde reuertitur ad Orientem, vt se commendet Domini Ascensioni. Dicítque Diaconus. Ite, Missa est.* Et Rabanus[b] in Clericorum Institutione sic. *Post Communionem ergo, & post eiusdem nominis Canticum, datâ Benedictione à Sa-*

[a] Lib. 3. c. 36.

[b] Lib. 1. c. 33.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

cerdote ad plebem, Diaconus prædicat Missa Officium esse peractum, dans licentiam abeundi. De populo Arelatensi, cuius prauam consuetudinem redarguebat, triumphauit tandem Cæsarius, nam teste Cypriano vitæ Scriptore, *sæpissimè ostia lectis Euangeliis occludi iussit, donec Deo propitio, ipsi gratularentur eâ coërtione se profeciisse, qui solebant esse fugitiui.*

XXI. DE LAVDIB. MON. LIR.

Homiliâ decimâ-quintâ Cæsarius Insulam Lirinensem, vbi Monachum olim induerat, sic commendat. *O fælix & beata habitatio Insula huius, vbi tam sanctis quotidie & tam spiritalibus lucris gloria Domini Saluatoris augetur, & tantis damnis Diaboli nequitia minoratur. Beata, inquam, & fælix Insula Lirinensis, quæ cùm paruula & plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscitur. Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes prouincias erogat Sacerdotes; ac si quos accipit filios, reddit patres; & quos nutrit paruulos, reddit magnos; quos velut tyrannos excipit, Reges facit. Quæ res cùm penè in cunctis habitatoribus loci istius fuerit fæliciter consummata, tamen resistentibus meritis meis in me non probatur impleta. Cùm enim paruitatem meam hæc sancta Insula, velut præclara mater, & vnica ac singularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit, & non paruo spatio educare vel nutrire contenderit, licèt reliquos ad virtutum culmina euexerit, à me tamen, quia cordis duritia contradicit, omnes negligentias auferre non potuit. Et ideò cum omni humilitate supplico, & totâ cordis contritione deposco, vt quod negatur meritis meis, vestris orationibus suppleatur. Et ego peculiaris alumnus vester, sic precum vestrarum suffragiis adiuuari merear, vt hoc ipsum quòd in isto loco sancto nutritus sum, non mihi iudicium pariat, sed profectum.* Cæsarius, cùm annum ætatis vicesimum ageret, Lirinum profectus est, ibique *vltra triennium*[a] Monasticam vitam duxit sub Abbate Porcario. Sed cùm inter Abbates Lirinenses floruerint duo Porcarij, prior antequàm regnum Francorum ad mare Mediterraneum protenderetur, posterior verò temporibus Caroli Martelli, non defuerunt qui Cæsarium huic coæuum comminiscerentur, imò & Gennadium, quem crediderunt Cæsario superuixisse, quoniam in illustrium virorum catalogo, quem Gennadius edidit, ex interpolatorum Codicum vitio Cæsarium inter Faustum & Seruum Dei repererunt. At de tempore, quo Cæsarius & Monachum & Pontificem egit satis superque iam disputauimus, quidque de Gennadij ætate sentiendum sit, aliâ occasione post biennium dicemus.

[a] Vita MS. Cæsarij.

XXII.

Habuit & Cæsarius Episcopus exhortationem ad custodiendam charitatem. Scripsit etiam epistolam ad quosdam adolescentes, qui Monasticam vitam susceperant, Tractatum quoque de decem Virginibus edidit. Hæc opuscula leguntur in Bibliotheca Patrum, cum Regulis Monachorum ac Monialium, quas ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum explicuimus.

XXIII. TESTAMENTVM.

[b] Ann. 508. n. 31. & seqq. [c] N. 30.

Apud Baronium in Annalibus[b] Ecclesiasticis, & apud Saxium[c] in Pontificio Arelatensi extat hoc sancti Cæsarij testamentum. *Pax Ecclesiæ Arelatensi. Cæsarius Episcopus Presbyteris, Diaconibus, sanctæ ac venerabili Cæsariæ Abbatissæ, quam Dominus per meam paruitatem in Monasterio nostro præposuit, ac vniuersæ Congregationi, quam ibi Dominus suâ gratiâ collocauerit, in Domino æternam salutem. Cùm Ecclesiastica pietas consuetudinis suæ rem faciat, ordinabiliter scilicet, quò peregrinis & destitutis opem largitionis impendat, quantò magis cùm opportunitas aut necessitas fuerit, vt sanctis quibusque & Deum timentibus aliqua largiatur, amplius debet pia misericordiæ viscera dilatare? Et ideò iuxta hanc Epistolam, quam manus nostræ subscriptione roborauimus, cuique diem & Consulem subtus adiecimus, Deo dispensante hoc testamentum meum condidi, vel manu propriâ subscripsi, atque iure prætorio, vel iure ciuili, & ad vicem illorum codicillo firmaui. Ego Cæsarius peccator cùm debitum humanæ carnis reddidero, cunctum Monasterium Arelatense S. Ioannis, quod ego condidi, sub potestate Arelatensis Pontificis canonicè sit, haredémque meum esse volo ac iubeo. Cæteri cæteræve exheredes sint. Totum quod cuique aut per hoc testamentum meum dedero, legauero, derive iussero, vt detur fiat.*

Cæterùm

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. R R. 31. THEOD. R. 8.

Cæterùm autem, Arelatensem Episcopum coheredem meo Monasterio relinquo, quósque liberos, quasque liberas esse iussero, liberi liberæve sint omnes. Ego tamen cùm nihil de parentum bonis habuerim, hoc testamentum meum præsumere erubui. Illa tamen me sententia compulit, vt plerosque, Saluatoris formidanda, quâ iniqui audituri sunt dicentem [ite in ignem æternum] pietatis affectu aliquid Ecclesiæ meæ contulisse. Et ne fortè post obitum meum aliqui de parentibus meis, exceptis iis rebus, quas illis pro eulogiis donaro, inquietare præsumant, cui præsum, Ecclesiam; ideo hanc voluntatem meam tractare amplius desideraui, quâ de parentibus meis ne apud ipsum Monasterium prefatum, vel Pontificem Arelatensis Ecclesiæ, prater id quod illis dedero, ac dederim, præsumant requirere. Sancto & Domino meo Archiepiscopo, qui mihi indigno dignè successerit, licet omnia in suâ potestate sint, tamen si lubet & dignum ducit, indumenta Paschalia, quæ mihi data sunt omnia illi seruiant simul cum casulâ villosâ & tunicâ, vel galnape quod melius dimisero. Reliqua verò vestimenta mea excepto birro amiculari, mei tam Clerici quàm laici, cum gratiâ vel ordinatione Domini Archiepiscopi, sibi ipso iubente imò donante diuidant. Ea verò quæ Monasterio antè per donationem contuli nunc affirmo, & si cui aliquid per epistolam, aut per pittacium, aut verbo, pietatis intuitu contuli valere volo. Hoc etiam assuetè precor, quatenus cellam, quam bonæ memoriæ Augustus Subdiaconus in atrio Sancti Stephani euntibus parte dextrâ habuit, prouisoribus Monastery propter custodiam illorum firmam D. Archiepiscopus perpetuo dignetur iure concedere; ita vt eam sibi succedendam Monastery prouisores habeant. Et hoc specialiter volo, & ita Domine Archiepiscope precor, siue prouisorem ad Monasterium, siue Presbyterum ad Basilicam sanctæ Mariæ, nullum alium habeat congregatio Sancta, nisi quem ipsa elegerit vel ordinari petierit. Et licet de tuâ, D. Archiepiscope, pietate præsumam, tamen ne fortè contra Monasterium nostrum aliquorum suggestiones importunas habeatis, adiuro vos per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per tremendum diem iudicij, ne vnquam apud vos præualeat hostis antiquus, aut ancillas vestras contristari acquiescatis, aut aliquid illis auferri de iis, quæ possident eísque contulimus permittatis; quia Deo propitio non sine discretione vel iustitiâ quibuscumque secularibus iure directo res Ecclesiæ vendidimus, nisi hoc tantùm quod Ecclesiæ minùs vtile & infructuosum est. Et quod animabus sanctis & Deo vacantibus cum Sanctorum fratrum consensu vel subscriptione tribuimus, perpetuo illis iure permaneat. Vos verò Domina filiola per Sanctam Trinitatem inseparabilem & per Domini nostri Iesu Christi aduentum adiuro, vt Pontificem, qui mihi indigno, ordinante Deo, successerit dignè, omni affectu vt Dominum rogetis ac purâ mente diligatis, & ne per vestram contristetis inobedientiam. Confidimus enim de Dei misericordiâ, quòd ita omnibus Sacerdotibus, quibus religionis collatio est, castum amorem impendat, vt nihil vobis, quod ad sustentandum corpusculum opus est deesse permittat. Te iterum atque iterum, Pontifex optime, rogo gratiâ diuinâ prefati Monasterij vt curam maximam habeas, & familiam illarum cum grandi pietate satagas prouideri. Quòd si alicuius persona iniustum tibi dederit consilium, cum auctoritate respondendum deprecor, quia hoc quod Episcopi agitur verbo, non solùm aufferri non debet, verùm etiam nec omnino potest. Tum præcipuè quia & hoc ipsa S. Papæ Vrbicani suasit auctoritas, vt hoc de sancto & Domino meo Pontifice credam. Numquam enim apud te præualebit tam iniqua suggestio, vt contra iustam voluntatem qualiscumque Antistitis pro meo studio substantia ad te multùm profecerit, & prope duplicata sit. Additur ad hoc quòd Deus misericors per paruitatem meam, etiam immunitatem tributorum, tam iuxta vrbem & infra, quàm etiam in suburbanis, & villis ex maximâ parte concessit. Agellum igitur Auchrianum, vnde paruam particulam Monasterio dedimus, multa seruamus, nam plùs minùs centum aripennes vineæ, & trecentorum modiorum campos reseruauimus, ita quòd supradictum Monasterium, tantùm modiatas de terrâ quam ego plantaui, habeat modiatas quadraginta, & de vetere vineâ vix triginta aripennes contulimus. Agellum Gallicumanum, Mercloanum, vel agellum Gemellos cum stagnis & paludibus cum omni iure & termino suo; & pascua in campo lapideo, vel si qua alia sunt, vel

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

campum in Trifinitio ſuper viam munitam, vel reliqua quæcumque ſunt; agellum Oruedum & agellum Martiniatis, & agellum Siluanum, in quo eſt ſita Eccleſia ſanctæ Mariæ de Ratis, & agellum Miſſiamanum cum omnibus ſibi pertinentibus paſcuis, paludibus cum omni iure & termino ſuo, ſanctæ tuæ Eccleſiæ reſeruauimus in ſtipendiis earum. Vnde te ſancte Pontifex adiuro, vt ſi Deus omnipotens per manus ſe timentium ſanctæ matri Eccleſiæ, Monaſterio ſanctarum virginum aliquod maius bonum dederit, tua ſancta dilectio vnum ab altero non diſiungat. Si verò (quod Deus non patiatur) congregatio ibi aut congregata non fuerit, aut fortè poſtea (quod abſit) cùm congregata non fuerit, aut eſſe deſierit, ad matrem Eccleſiam reuertantur. Hæc quidem ego, vt timori meo ſatisfacerem, ſcripſi. Nam abſit vt de tuâ, piiſſime Pontifex, inſcitiâ inculperis, quia (vt ſupra iam dixi) pietas diuina conceſſit, vt per meam humilitatem immunitas Eccleſiæ in tot capitibus daretur. Quod Monaſterio cum fratrum conſenſu dedimus, per hanc voluntatem meam confirmo. Aucillæ noſtræ Cæſariæ Abbatiſſæ Mantum maiorem quem de cannabe fecit, dari volo. Domino meo Cypriano Epiſcopo Mantum & cunctorum meliorem dari volo. Quidquid ſeruo meo Briciano contuli, nunc per hoc teſtamentum meum confirmo. Agritia puella mea propria libentiſſimè Monaſterio & Cæſariæ Abbatiſſæ ſeruiat, & verè gariolas, quas illis vel parentibus eorum dedi confirmo. Omnes cubicularios meos tibi, Domine Epiſcope, coram Deo & Angelis eius commendo. Cetera deſiderantur, notæ videlicet temporis cum ipſius Cæſarij teſtiúmque ſubſcriptionibus.

XXIV. In illo teſtamento Cæſarius futurum ſucceſſorem vocat *Epiſcopum, Pontificem, Archiepiſcopum*. Circa duas priores voces nulla occurrit difficultas, tertiæ non eſt par ratio. Archiepiſcopi loco Epiſcopum reſtitue vel Archiepiſcopum interpellare Primatem cui conceſſus erat vſus pallij, ſic enim vocabulum, quod apud Flodoardum ex teſtamento Remigij Remenſis Antiſtitis expunxeris, in teſtamento Cæſarij ſynchroni retinebis obſeruatâ hac differentiâ, quòd in Remigij teſtamento interpolato Metropolitæ Galliarum omnes dicebantur Archiepiſcopi, in Cæſarij teſtamento ſolus Arelatenſis, tutior tamen ac ſecurior ea nobis videtur ſententia, quæ non *Archiepiſcopum* ſed *Epiſcopum* ſuadet legendum, quoniam ipſemet Cæſarius ſe vocat Epiſcopum, & ſucceſſorem non ſemper Archiepiſcopum ſed Epiſcopum nonnumquam appellat. Extant Hormiſdæ Romani Pontificis literæ [a], quæ Cæſarij teſtamento plurimùm auctoritatis ac fidei conciliant. Ad illas alludit Cæſarius, cùm *S. Papæ Vrbicani*, id eſt, Antiſtitis Romani meminit. Epiſtolæ Cæſarij ſic reſpondet Hormiſda. *In Arelatenſi Eccleſiâ, ſuper Clericorum & Monachorum excubias conſuetas, puellarum quoque Dei nouiter choros inſtituiſſe te, directis literis indicaſti, poſcens vt in præfato puellarum Monaſterio à te nuper condito nullam poteſtatem ſucceſſores quandoque tui habere penitus permittantur, quatenus ſacratæ Deo virgines ab omni inquietudine vel moleſtiâ abſolutæ, omnipotenti Deo liberis mentibus valeant iugiter famulari. Petitionibus fraternitatis tuæ libentiſſimè annuentes, Apoſtolicâ auctoritate firmamus atque decernimus, vt nullus Epiſcoporum, ſucceſſorum quoque tuorum, in antedicto Monaſterio audeat ſibi poteſtatem aliquam penitus vindicare, niſi tantùm pro Dei intuitu paſtoralem ſollicitudinem gerens, familiam Chriſti Domini ibidem poſitam, congruis quibuſque temporibus (iuxta quod condecet) ſincero animo cum ſuis Clericis ſtudeat viſitare.* Et inferiùs, *Quòd autem venditionem ad dilectionem tuam* (rectiùs *à dilectione tuâ*) *donationémque in Monaſterio earumdem puellarum Dei antè factam, noſtrâ poſtulas auctoritate roborari, ſperans vt Eccleſiaſticorum alienatio prædiorum non præſumatur inpoſterùm, noſtris interdicta decretis, probamus propoſitum tuum, & deſiderium in tantùm fatemur eſſe laudabile, vt gaudeamus vobis quoque eadem non licere. Sed non oportuit diſtrahi, quod Eccleſiæ ſeruituris de Eccleſiæ ſubſtantiâ ratio ſuadebat prorſus emptione concedi, boni operis fructum decet eſſe gratuitum. Expectanda eſt recti ſtudy merces potiùs quàm petenda, ne per vtilitatem venditionis imminuatur remuneratio caritatis. Confirmamus tamen circa Monaſterium virginum à vobis vel venditum vel donatum, & ſub eâdem viâ alienationem Eccleſiaſticorum prædiorum decretis præſenti-*

[a] Ap Bolland. d. 12. Ian.

bus exhibemus, quod per Sacerdotes omnes ad caritatis vestræ Diœcesim pertinentes, sub vestra dispositione perferte. Hormisdæ diplomati consentanea scribit Cæsarius in suo testamento. *Hoc specialiter volo*, inquit, *& ita, Domine Archiepiscope* (meliùs Episcope) *precor, siue prouisorem ad Monasterium, siue Presbyterum ad Basilicam sanctæ Mariæ nullum alium habeat congregatio sancta, nisi quem ipsa elegerit vel ordinari petierit.* Deinde eundem successorem adiurat ne quid Monialibus auferri permittat de iis quæ possident, *quia Deo*, ait, *propitio non sine discretione, vel iustitia quibuscumque secularibus iure directo res Ecclesiæ vendidimus, nisi hoc tantùm quod Ecclesiæ minùs vtile & infructuosum est.* Denique Romani Præsulis auctoritate sic se tuetur. *Te iterùm atque iterùm, Pontifex optime rogo, gratiâ diuinâ præfati Monastery vt curam maximam habeas, & familiam illarum cum grandi pietate satagas prouideri. Quòd si alicuius persona iniustum tibi dederit consilium, cum auctoritate respondendum deprecor, quia hoc quod Episcopi agitur verbo, non solùm auferri non debet, verùm etiam nec omninò potest. Tum præcipuè quia & hoc ipsa S. Papæ Vrbicani suasit auctoritas, vt hoc de sancto & Domino meo Pontifice credam.* Sancto Cæsario successit Auxanius.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

XXV. CYPRIANVS EP. TOLON.

Cyprianus Episcopus, qui nominatur in testamento sancti Cæsarij, non alius est ab Antistite Tolonensi iam laudato, cuius successor Palladius suâ subscriptione Concilium Aurelianense quintum anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo communiuit. Guesnayus in Annalibus Massilienſibus sæpè manuscriptos citat Codices quos perantiquos putat & authenticos, cùm tamen longè recentiores sint nulliúsque prorsus fidei. Tale est Encomium Cypriani Tolonensis Episcopi, quod ad annum Christi quingentesimum vndecimum recitat ex tabulis à Gilberto Prouinciæ Comite quondam probatis, asseritque ab Anonymo conscriptum fuisse *anno 570. testibus & obsignatoribus Desiderio Episcopo, & Clero Telonensi vniuerso.* Desiderium anno Christi quingentesimo septuagesimo in Tolonensi Cathedra sedisse non inficiamur, eius enim subscriptio Parisiensi Concilio subiicitur, quod anno Christi quingentesimo septuagesimo tertio celebratum fuit. Sed illis temporibus in publicis instrumentis anni non numerabantur ab Incarnatione Dominica. Vnde colligimus nec Anonymi scripto, quo vita Cypriani continetur, appositum fuisse à Desiderio Episcopo annum Christi quingentesimum septuagesimum, nec Cypriani mortem anno Christi quingentesimo quinquagesimo-sexto consignatam fuisse ab Authore qui Toloni * anno Christi quingentesimo septuagesimo sub Pontificatu Desiderij vixerit. Annum quidem deprehendere nondum potuimus quo Cyprianus Episcopus ad Deum feliciter migrauit, ex Concilio tamen Aurelianensi quinto cui Palladius Cypriani successor anno Christi quingentesimo quadragesimo-nono subscripsit, constat ipsum Cyprianum nec ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum-sextum peruenisse, nec occisum fuisse à militibus Alboini Longobardorum Regis, cuius aduentus ex Pannonia in Italiam à Mario scriptore synchrono collocatur *anno III. Consulatus*, id est, Imperij, *Iustini Iunioris Augusti, Indictione* 2. siue anno Christi quingentesimo vndeseptuagesimo. Vitiosæ sunt igitur Tolonenses tabulæ, quæ Cypriani res gestas ita concludunt. *Post mortem sancti Cæsarij, Cyprianus in Episcopatu suo remansit in pace, qui vitam eiusdem Cæsarij fideliter scripsit, sed paulò pòst Alboinus Longobardorum Rex cum magno exercitu ex parte Galliæ venit, armis & igne, ferè omnes vrbes Galliæ Narbonensis inuasit, eiúsque milites magnam partem populi multósque Episcopos necauerunt, effusione sanguinis Christianorum gaudentes, & vna eorum turba iuxta Tolonum venit, irruens in vrbem sicut leones in prædam, dictíque milites in templum Dei ambulauerunt, & beatum Cyprianum inuenerunt cum sociis Mandriano & Flauiano, eiecerunt eos de templo, & in agro necauerunt eos, sicut oues Christi, anno Domini 556. 5. Idus mensis Augusti.* Toloni coluntur tres Cypriani, quorum mentio fit in supplemento Martyrologij Gallicani quinto Nonas Octobris hoc mo-

GVESNAYVS REFELLITVR.

* Toulon.

TRES CYPRIANI COLVNTVR.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

do. *Telone Martio in ora Prouinciæ ſancti Cypriani Abbatis, qui patriâ Maſilienſis, religioſæ vitæ magiſterium apud Telonenſes exhibuit; omnis Euangelicæ perfectionis factus tam verbo, quàm opere didaſcalus, quo munere ad cumulum adimpleto, multorum pater Aſcetarum religioſiſſimorum, hâc palæſtrâ exceſſit, & ad præmium perrexit ſibi à Domino in cælis repoſitum, relinquens memoriam in Telonenſi matrice Eccleſia, abhinc ſacris faſtis celebratam; in qua viget etiam perenni cultu, percolenda recordatio beati Cypriani Martyris, à Saracenis Gallias inuadentibus illic ad altare perempti. Necnon & ſancti Cypriani Eccleſiæ illius Telonenſis Epiſcopi, qui vitam ſancti Cæſarij conſcripſit, inque Conciliis aliquot magnus & clarus doctrinâ & moribus ſanctis emicuit.* Porrò cùm Eccleſiæ Gallicanæ, eo tempore quo Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus obiit, nullam perſecutionem paſſæ ſint, ipſum Cyprianum Martyrio coronatum haud putamus, ſed ab iis qui Tolonenſes tabulas longè poſt illius mortem publicarunt, cum Martyre eiuſdem nominis confuſum fuiſſe. Opinioni noſtræ non parùm fauet charta Gilberti Comitis Prouinciæ, qui anno Chriſti nonageſimo ſexto ſupra milleſimum Eccleſiam beatæ Mariæ *de Sedis* Tolone ſuis ſumptibus extruxit à fundamentis *ad honorem Dei & Virginis Mariæ atque ſanctorum, Cleonis, Gratiani, Vtherij, Cypriani, Mandriani, Flauiani, & Venantij, & aliorum qui commemorantur in dicta Eccleſia Toloni.* Ibi enim Gratianus, qui Tolonenſem Eccleſiam rexit, Epiſcopus vocatur. *Quod etiam*, inquit Gilbertus, *volumus ſit factum de corpore B. Gratiani Epiſcopi dictæ vrbis, cuius quidem corpus ſepultum eſt in capella B. Cypriani cum aliis.* Cyprianus verò qui Martyrium Toloni ſubiit, Epiſcopi titulo nuſquam honoratur, quin & eius ſocij Mandrianus & Flauianus dicuntur Eremitæ, decreuit enim Comes Gilbertus *quòd in dicta Capella S. Cypriani ad honorem Dei & Virginis Mariæ atque B. Cypriani, & aliorum ſanctorum ſit celebratum Officium vnoquoque die propter honorem illorum ſanctorum, & memoriam de morte B. Cypriani, in quo loco necatus fuit cum ſuis ſociis Mandriano & Flauiano, ordine Heremitanis, ſecundùm tenorem MS. lecti & auditi, in pergameno deſcripti.* Codex ille dubioprocul alius fuit ab eo, qui præcitatam beati Cypriani Tolonenſis Epiſcopi vitam Gueſnayo ſuppeditauit, cùm in hoc idem Cyprianus & Martyr & Epiſcopus appelletur, in illo Cyprianus Martyr Pontificalibus infulis careat. Idem Gueſnayus Gilberti Comitis chartam recitat integram, eámque datam ait *anno* 1096. *die Iouis*, 13. *menſis Auguſti*, ſed diei decimæ-tertiæ loco repone decimam-quartam, anno enim milleſimo nonageſimo-ſexto, qui propter biſſextum duabus litteris Dominicalibus, F videlicet & E, præditus fuit, dies Auguſti decima-tertia in feriam quartam incidit. Non poſſumus adſtipulari tabulis Tolonenſibus & Martyrologio Gallicano ſuprà citatis, aliiſque Scriptoribus, qui vitam ſancti Cæſarij à Cypriano Epiſcopo Tolonenſi conſcriptam volunt. Cyprianum, qui vitam ſancti Cæſarij retulit in literas, à Tolonenſi Præſule diſtinguendum remur. Rationem petimus ex eadem vita. Author humiliter ac modeſtè de ſe, magnificè atque encomiaſticè de Tolonenſi Antiſtite loquitur. Sic enim de ſe [a]. *Cernere in beato viro* Cæſario *licebat virtutes omnes, virginitatem cum ſynceritate coniunctam, modeſtiam cum verecundia, prudentiam cum ſimplicitate, ſeueritatem cum manſuetudine, eruditionem ſiue ſcientiam cum humilitate, denique vitam immaculatam, vitam nulli reprehenſioni obnoxiam, vitam ſui ſemper ſimilem. Va mihi miſero Cypriano, qui ad diſcendum tam tepidus fui, vt modò & agnoſcam & doleam me de tanti fontis vbertate non tantùm hauſiſſe quantùm mea poſtulabat auiditas.* Et paulò pòſt [b]. *Sanctæ conſcientiæ ſuæ teſtis ſum ego peccator Cyprianus, quia quicquid aut aliis præcepit aut ipſe fecit, omnia*, &c. Sic autem de Tolonenſi Epiſcopo [c]. *Præſantiſſimos*, inquit, *viros de Epiſcopis cum Presbyteris & Diaconis, inter quos etiam Cyprianus Tholonenſis Epiſcopus Antiſtes magnus & clarus enituit*, &c. Certè multùm diſcriminis inter ſe atque Epiſcopum Tolonenſem ponit, miſerum ſe dicit ac peccatorem, Epiſcopum verò Tolonenſem Antiſtitem magnum & clarum appellat. In Codice manuſcri-

S CÆSARII VITA NEC A CYPRIANO EP. SCRIPTA.

[a] Cap. 17.

[b] Cap. 28.

[c] Cap. 30.

pto, quem sæpè citauimus, operi Cypriani, Messiani & Stephani, præfigitur hic titulus. *Vita sancti Cæsarij.* In editionibus [a] Surianis, quæ Chronologiæ Lerinensis editionem anteceſſerunt, sola Cypriani lucubratio nec integra reperitur, hícque titulus eius præfationi præponitur. *Præfatio Authoris ad Cæsariam Abbatissam & sororem S. Cæsarij.* Anno Christi milleſimo sexcenteſimo decimo-tertio, in Chronologia Lerinensi vita sancti Cæsarij publicata est duobus libris, quorum prior est Cypriani, posterior Messiani & Stephani. Seruatus est in illa editione titulus præfationis qui priùs legebatur apud Surium. Transiit & idem titulus ex prædicta Chronologia in posteriores editiones Surij. Turpiter hallucinati sunt Surius & Barralis. Distinguendæ sunt enim duæ Cæsariæ. Senior, quæ sancti Cæsarij soror fuit, ipso fratre Cæsario superstite deceſſit, & pridie Idus Ianuarias coli solet. Iunior, cui Vita sancti Cæsarij dicata est à Cypriano, seniori succeſſit in Arelatensis Monasterij regimen, & sancto Cæsario superstes vixit. Hæc suprà iam probauimus [b]. Ab obitu beati Cæsarij ad mortem vsque iunioris Cæsariæ quot interceſſerint anni, non produnt historiæ. Suffecta fuit huic Cæsariæ Liliola, quæ carminibus Fortunati [c] laudata reperitur, obiitque anno Christi quingenteſimo septuageſimo quarto, vt ad illum annum obseruaturi sumus.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

[a] Die 17. Aug. NEC IPSIVS CÆSARII SORORI DICATA.

[b] Ad ann. 536. n. 45.

[c] Lib. 8. c. 4.

Cùm sanctus Cæsarius obiit, Ægidius, eius quondam discipulus, degebat in Septimania prope Rhodanum. Hinc profectus est aliquando in Franciam inuitatus à Rege, quem neoterici Carolum perperam vocant. Caroli loco reſtitue Childebertum. In itinere, cùm Aureliam peruenisset, in Basilicâ Sanctæ Crucis dæmoniacum liberauit, à Rege susceptus est humaniſſimè, tamen vbi liberum ei fuit, in Septimaniam statim rediit. Hæc Codex manuscriptus, quem sæpè iam citauimus. Cetera non pertinent ad nostros Annales, quia gesta sunt extra Franciam aut in Italia aut in Septimania. Symphorianus Guyonus sexto seculo [d] Historiæ Aurelianensis, Regem, quem Ægidius adiit, interpretatus est Guntchramnum, qui regnare cœpit anno Christi quingenteſimo sexageſimo-primo, sed ætas Ægidij vix suadere potest, vt eius profectionem in Franciam ad illa tempora differamus.

XXVI. ÆGIDIVS ADIT CHILDEBERTVM REG.

[d] NN. 56. 57.

Seuertius agnoscit hoc anno Leontium Episcopum Lugdunensem, cuius Pontificatui tribuit annos duntaxat duos. Sedit Leontius post Sanctum Lupum, cuius meminimus ad Concilium Aurelianense tertium, & anteceſſit Sanctum Sacerdotem qui Concilio Aurelianensi quinto subscripsit.

XXVII. LEONTIVS EP. LVGD.

In Diœceſi Lugdunensi situm est Monasterium Iurense, cuius Abbates in auctiore Galliâ Christianâ recensentur. Illius inclyti Cœnobij locupletiſſimam Historiam iampridem pollicetur Petrus Franciscus Chiffletius Societatis IESV Presbyter Vesontinus. Vtinam hoc opus in lucem iam prodiiſſet, nam prælaudatus Abbatum Iurensium catalogus à tempore quo Franci Burgundiam subegerunt, vsque ad annum Christi sexcenteſimum octogeſimum-sextum quo Sanctus Claudius Iniurioso Abbati in præfecturam Monasterij succeſſit, adeò destituitur Characteribus Chronologicis, vt vix notet Dagamodum Abbatem fuiſſe sub Childeberto Clotarioque Regibus. In tantâ Chronologicorum numerorum penuriâ, donec alia occurrant monumenta quibus iuuari possimus, Iurensem Chronologiam sic instituendam ducimus, vt tot annos, quot tribui solent, singulis Abbatibus assignemus, & Talasij, cui Dagamodus subrogatus est, mortem referamus anno Christi quingenteſimo nonageſimo-tertio, quo Childebertus in Burgundiâ post obitum Guntchramni patrui regnare cœpit. Habitâ illius calculi ratione, Antidiolus Abbas, de quo sermonem fecimus ante annos octo, cùm Franci Burgundiam in suam poteſtatem redigerent, hoc anno migrauit è vitâ, postquam Cœnobium annis quatuordecim rexiſſet. Succeſſit Olympius, qui præfecturam Monasterij gesſit annis triginta tribus, & conditor dici potest vrbis cognominis, quia conceſſit primus certis conditionibus, vt prope Cœnobium, domus & plateæ pro laïcis extruerentur.

XXVIII. ABBATES IVRENSES.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

Hiſce temporibus, cùm Theodobertus apud Francos imperabat, & Netharius ſeu Nectarius Æduorum * Eccleſiam regebat, ex Italiâ venit in Franciam Emanus Cappadox, in cuius vitâ, quam ex Codice Monaſterij Vindocinenſis * deſcriptam legimus, vnum duntaxat deprehendimus eſſe corrigendum, nempe quòd è Cappadociâ Romam, Româque Mediolanum poſt annos ſeptem profectus dicitur, quando *beatus Leo Apoſtolicali Cathedræ præſidebat*. Sederunt enim Leo Primus quinto ſeculo, Leo Secundus ſeptimo, neuter horum vixit ſeculo ſexto, in quod Theodoberti Principatus, Nectarij Pontificatus, omnéſque inciderunt peregrinationes Emani, qui biennio duntaxat Mediolani manſit, priuſquàm Alpes ſuperaret Itineris cis Alpes ſuſcipiendi hæc ratio fuit. *Mediolanenſem vrbem adiit, atque in Eccleſiâ, vbi Sancti corpus Nazary requieſcit, duobus annis perſtitit. Interim autem dum inibi cohabitaret, ſupernâ viſione commonetur, vt ad Auguſtudunenſem * Galliarum vrbem S. Symphoriani ſuffragium imploraturus, accelerando diſponeret itinerari. Nam & ibidem tunc temporis per beatum Symphorianum omnipotens Deus plurima miraculorum prodigia exercebat. Quâ ſcilicet vir Dei commonitus viſione, feſtinabat quantocyùs diuinis obſequi mandatis. Tandem itaque eo iter accelerare cupiente, omnium conſolator auxilium conſolationis ei prouidit. Et quia ſemper adeſt ſperantibus in ſe, cunctis in ſe credentibus quæ iuſta ſunt piè ſubminiſtrat. Eodem itaque tempore venerandus Netharius, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, Sanctum Nazarium eodem voto causâ orationis adiens, inuenit ibi virum Dei Emanum. Quem de eius natiuitate, aut vnde duxiſſet originem, percunctans, placido eius alloquio didicit eum de Cappadociâ prouinciâ natum. Atque interrogationi interrogationem ſubiungens inquirit ab eo quò pergeret. Cui vir Dei Emanus reſpondit. Nocturnâ viſione commonitus ſum, vt in Gallias ad Sanctum Symphorianum Martyrem eam orare, cuius ſacrum corpus foris murum Eduæ ciuitatis humatum quieſcit. Subiunxit ei beatus Netharius, dicens. Ego, quamuis indignus, Epiſcopus ſum loci illius. Sed ſi tuæ voluntatis ſpes eſt, gradiamur ſimul, eróque ſocius itineris tui. Factus itaque vir Dei Emanus comes itineris Epiſcopi, peruenit ad limina ſancti Symphoriani, vt imperatum erat illi.* Manſit Auguſtoduni per aliquot annos, vt conſtat ex eodem Authore, qui Theodobertum in Franciâ tunc regnaſſe ſic ſubiungit. *Eâdem tempeſtate præcellentiſſimus Rex Theodebertus regnum Francorum ſtrenuè adminiſtrabat, qui non ſolùm in cauſis ciuilibus, verùm etiam in Eccleſiaſticis diſponendis valdè ſtudioſus erat; huius ergo inclyti Regis tempore, hic vir beatiſſimus in Gallias Domino ducente peruenit.* Apud Francos imperabant tres Reges, Childebertus & Clotarius fratres, eorúmque nepos ex fratre Theodobertus; tres Diœceſes, quas Emanus incoluit, Auguſtodunenſis, Aurelianenſis & Carnotenſis in regno Childeberti erant. Cur autem Emani aduentum in Gallias Author Theodoberto potiùs quàm Childeberto Principe conſignarit, hæc vna ratio poteſt afferri, quòd præ manibus haberet vitam ſancti Germani Pariſienſis Antiſtitis à Fortunato tunc Preſbytero conſcriptam, in quâ mentio fit cùm Nectarij Auguſtodunenſis Epiſcopi qui Germanum Monaſterio beati Symphoriani Abbatem præpoſuit, tum Theodoberti Regis quem Cabilone commorantem Germanus Abbas adiit *pro villis Auguſtudunenſis Eccleſiæ*. Ad illa Fortunati verba certè videtur reſpexiſſe, cùm Theodobertum *non ſolùm in cauſis ciuilibus, verùm etiam in Eccleſiaſticis diſponendis valdè ſtudioſum* prædicauit. Cæterùm ex eo quòd Emanus habitauit *aliquot annis* Auguſtoduni, & *per biennium* Carnoti *, ſuperſtite Theodoberto, cuius obitus anno Chriſti quingenteſimo duodequinquageſimo contigit, rectè coniicimus & Emanum circa hæc tempora in Galliam ex Italiâ veniſſe, & Agrippino cuius beata mors ante annum Chriſti quingenteſimum vndequadrageſimum referri non poteſt, in Epiſcopatum Auguſtodunenſem proximè ſucceſſiſſe Nectarium, qui Pontificatum priùs gerere cœpit quàm Emanus Mediolano diſcederet.

XXIX. EMANVS VENIT IN FRANCIAM

* *Autun.*

* *De Vendoſme.*

* *Autun.*

* *Chartres.*

XXX. Marius & Continuator Marcellini Comitis, hunc annum in ſuis Chronicis

notant primum post Consulatum Basilij, & annum sequentem numerant annum secundum post eundem Basilij Consulatum, & sic de ceteris annis. Victor Episcopus Tununensis annos post Basilij Consulatum aliter supputat, hunc enim annum, qui post Consulatum Basilij proximus fuit, appellat annum secundum post Basilij Consulatum, ac deinceps in numeris annorum post eundem Basilij Consulatum anno vno à prædictis Auctoribus differt. Hanc discrepantiam obseruamus, quia Victor Tununensis *post Consulatum Basily* v. c. *anno secundo*, id est, hoc anno, ad marginem sic auctus reperitur. *Hoc anno Francorum Reges numero quinque per Pampelonam * Hispanias ingressi Cæsaraugustam * venerunt, quam obsessam per tres dies omnem seu Tarraconensem prouinciam depopulatione triuerunt.* Apud Wisigothos in Hispania tunc regnabat Teudis Arianus, de quo hæc leguntur in Isidori Chronico. *Iste Francorum Reges quinque Cæsaraugustam obsidentes, omnémque ferè Tarraconensem prouinciam bello depopulantes, misso Duce Theudiscio fortiter debellauit, atque à regno suo non pace sed armis exire coëgit.* Illustrissimus Cardinalis Baronius [a] ista suspicatur ad Isidorum à recentiore apposita, quia tres tantùm in Francia Reges, Childebertus, Clotarius & Theodobertus eo tempore dominabantur, & Theodobertus Italicis rebus intentus in historiis Francorum de bello trans Pyrenæum montem gerendo non legitur vnquam cogitasse. Isidorus editus à Philippo Labbeo [b] commemorat bellum illud Hispaniense, sed à quot quibúsve Francorum Regibus susceptum sit, non exponit. *Eo*, inquit, *regnante*, nempè Teude, *dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Spanias conuenissent, & Tarraconensem prouinciam valdè popularent, Gothi duce Theudiscio obicibus Hispaniæ intercluſis Francorum exercitum multa cum admiratione victoriæ prostrauerunt.* At nihil repugnat Childebertum & Clotarium in Hispaniam perrexisse cum tribus eiusdem Clotarij filiis, quos antiqui Scriptores regio cohonestarint titulo, quia Regis filij erant, quemadmodum Gregorius Turonensis [c] Chramnum eiusdem Clotarij Regis filium viuente patre Regem appellauit. *Intendebat*, inquit, *& ipse Rex Chramnus minas.* Certè Chilpericus Clotarij Regis & Aregundis filius in exercitu patris fuit, cùm Franci superatis Pyrenæorum montium iugis Pampelonem vniuersámque Vasconiam subegerunt, id enim apertè declarat Fortunatus [d] hoc disticho ad eundem Chilpericum,

Quem Geta, Wasco tremunt, Danus, Scytha, Saxo, Britannus,
Cum Patre quos pridem te domitasse patet.

Clotario, priusquàm Chilpericum ex Aregunde susciperet, nati iam erant ex Ingunde quatuor filij, Guntharius, Childericus, Charibertus & Guntchramnus, è quibus duos vnà cum Chilperico patrem secutos esse nil vetat. Iam verò res gestas in illa expeditione consideremus.

Childebertus Rex, vt Gregorius Turonensis [e] testatur, *in Hispaniis abiit, qui ingressus cum Chlothachario Cæsaraugustanam ciuitatem cum exercitu vallant atque obsident. At illi in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti ciliciis, abstinentes à cibis & poculis, cum tunica beati Vincentij Martyris muros ciuitatis psallendo circuirent. Mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissolutâ cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur. Et ita totam spem locus ille ad Domini misericordiam retulit, vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari, nec æstimaretur aliud posse fieri, nisi eorum precibus diuina misericordia flecteretur. Hi autem qui obsidebant, nescientes quid obsessi agerent, cùm viderent sic murum circuire, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc adprehensum vnum de ciuitate rusticum ipsi interrogant, quid hoc esset quod agerent? qui ait. Tunicam beati Vincentij deportant, & cum ipsa vt eis Dominus misereatur exorant. Quid illi timentes, se ab ea ciuitate remouerunt, tamen, acquisitam maximam Hispaniæ partem, cum magnis spoliis in Gallias redierunt.* Apud Authorem [f] qui gesta Regum Francorum scripsit, Childebertus rusticum sic alloquitur. *Vade, dic Episcopo ciuitatis, vt cum fiducia veniat ad nos nihil du-*

AN. CH. 542.
CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.
FRANCI IN HISPANIA.
XXXI.
XXXII.
OBSIDENT CÆSARAVGVST.

[a] Ann. 542. n. 8.
[b] Tom. 1. Biblioth.
[c] Lib. 4. c. 13.
[d] Lib. 8. c. 1.
[e] Lib. 3. c. 29.
[f] Cap. 26.
* Pampelone.
* Sarragoce.

AN. CH. 542. CHILDEB. CLOTAR. RR. 31. THEOD. R. 8.

bitans. Ille verò cùm hæc Episcopo nnntiasset, ipse cum muneribus statim occurrit eis. Childebertus quoque postulauit, vt ei reliquias beati Vincenty daret. At ille dedit ei stolam eius. Tunc memorati Reges adquisitâ maximâ parte Spaniæ cum multis thesauris & spoliis reuersi sunt. Childebertus verò Parisius veniens Ecclesiam in honore beati Vincenty Martyris ædificauit. Aimoini interpolator [a] stolam malè interpretatur tunicam, & hanc Aimoini phrasim, *Pontifex nihil moratus eiusdem inclyti Leuitæ & Martyris stolam Regibus offert*, ita deprauat, *Pontifex nihil moratus, eiusdem inclyti Leuitæ & Martyris stolam, id est, tunicam, Regibus offert.* Cæsaraugustani tunicam & stolam beati Vincentij apud se habebant, tunicam penes se retinuerunt cuius præsidio ex obsidione tam graui fuerant erepti, Francorum verò Regibus dederunt stolam nec integram, si fides est Hispanis Scriptoribus partem asserentibus etiamnum ostendi Cæsaraugustæ, materiâ byssinam, auro intertextam, colore candidam, ac cruore Martyris respersam, vt Saussaius in Panoplia Sacerdotali scribit [b].

[a] Lib. 2. c. 19.

[b] P. 1. l. 5. c. 10. n. 4.

XXXIII. Quantam partem Hispaniæ Franci subegerint, non obscurè docent, si simul conferantur, Victor, Fortunatus, Fredegarius & vetus Codex Cœnobij Mossacensis in lucem editus à Ducheſnio. Occuparunt inprimis Pampilonam teste Victore Tununensi iam citato, hàc iter erat Cæsaraugustam, Victori suffragatur Fortunatus distícho suprà laudato, Vasconum enim eâ tempestate duæ tantùm erant ciuitates in prouincia Tarraconensi sitæ, Pampilona scilicet & Calagurris *, quarum vnaquæque caput Vasconiæ nuncupatur ab iis qui duas in Hispania Vasconias distinguunt, vt cùm Rechiarius Sueuorum Rex apud Idatium *auspicatus initium Regni Vasconias depræda tur.* Reges Francorum obsidione Cæsaraugustæ solutâ non redierunt in Galliam, sed mole belli aliò translatâ penetrarunt ad Minium * amnem, in eâque regione victi sunt, vt legitur in Mossacensi Chronologia siue seric Gothorum Regum, qui tam in Gallia Gothica quàm in Hispaniis vsque ad Caroli Martelli tempora regnarunt. Ex itinere Francorum liquet eos non Wisigothis modò sed etiam Sueuis bellum intulisse, Cantabria enim & Gallæcia erant in potestate Sueuorum, quos in societatem Gothorum vocarant & commune periculum & hæresis Ariana quam Reges vtriusque gentis profitebantur. Fredegarius in suo Chronico testatur Cantabriam sub dominatione Francorum fuisse, nam capite tricesimo-tertio, vbi prouinciam illam à Sisebodo Wisigothorum Rege præoccupatam asserit, meminit Francionis Ducis, *qui Cantabriam in tempore Francorum rexerat, & tributa Francorum Regibus multo tempore impleuerat.* Reges igitur Francorum, quamuis transitu Minij prohibiti sint, res suas in Hispania firmiter stabiliuerunt Vasconiâ & Cantabriâ sub iugum missis. Quid hoc loco per Vasconiam, quid per Cantabriam intelligi debeat, Petrus *de Marca* distinctè dilucidéque admodùm docet in historia Benearniæ [c]. Recentiora prouinciarum nomina cum veteribus ita confert, vt Comitatum Aragoniæ, Nauarram vltramontanam, Lepuscoam *, Viscaiam *, Alauam *, Riuogiam * & Bureuam * duabus Vasconiis, Asturiarum verò partem cis Sellam * amnem attribuat Cantabriæ, laudatâ in primis diligentiâ Oyhenarti egregiè refutantis Garibaium aliósque, qui Viscaiam hodiernam, aut Lepuscoam, aut Alauam, aut Riuogiam in antiqua Cantabria collocarunt.

SVBIGVNT VASCONIAS

* *Calahorra.*

* *Le Minho.*

ET CANTABRIAM.

[c] Lib. 1. c. 19. & seqq

* *Le Guipuscoa.*

* *La Biscaye.*

* *Le pays d'Alana.*

* *La prouince de Rioja.*

* *Le pays de Bureua.*

* *La Sella.*

XXXIV. Quod attinet ad Ecclesiasticum statum illarum prouinciarum. In singulis Vasconiis singuli erant Episcopatus, in Boreali Vasconia Pampilonensis, in Australi Calagurritanus. Cantabria pertinebat ad Episcopatum Lucensem *. Episcopatus Pampilonensis teste Sandouallo claudebatur Gallico * amne ab ortu, Deuâ * fluuio ab occasu, vnde concludas Viscaiam, Alauam, Bureuam & Riuogiam cum Nauarræ parte Calaguritano cessisse. Apud Garsiam Loaisam in Notis ad Concilium Lucense sub Theodomiro Rege Sueuorum ex libris manuscriptis Ecclesiarum Toletanæ & Ouetensis, Episcopus Lucensis obtinet *totas Asturias per Pyrenæos montes, & per flumen magnum Oue, & per totum littus maris Oceani vsque Biscaiam.* Metropolitano Tarraconensi * suberant Episcopi

* *de Lugo.*

* *Le Gallego.*

* *La Dena.*

* *de Tarragone.*

scopi Pampilonensis & Calagurritanus, Metropolitano Bracarensi * subiacebat Lucensis Episcopus. * de Braga.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. R R. 32. THEOD. R. 9.

ANNVS CHRISTI 543. CHILDEBERTI R. 32. CLOTARII R. 32. THEODOBERTI R. 9. INDICTIO 6.

I.

ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus tertius in fastis apud Marium & apud Continuatorem Marcellini est annus post Consulatum Basilij secundus, & notatur Indictione sextâ.

II. ITER S. MAVRI IN FRANCIAM

Maurus Monachus Casinensis ac Leuita, Benedicti Patris osculo & benedictione susceptis, egressus Casino * *quintâ Epiphaniorum* die rectà contendit in Galliam cum quatuor sociis, Constantiniano, Antonio, Simplicio & Fausto, duces itineris erant Flodegarius Archidiaconus & Harderadus Vicedominus ab Innocentio Cenomannorum Episcopo directi. *Quinquagesimo quinto die* peruenerunt Vercellas *, vbi manserunt dies quatuordecim, *quintodecimo die* inde digressi quamcelerrimè perrexerunt ad Ecclesiam sancti Mauritij sociorúmque Martyrum in Agauno. Hac ingressus in Franciam fuit clarus miraculo. Linus ex matris vtero cæcus quotidianum victum ab annis fermè vndecim pro foribus basilicæ mendicabat, Maurus signo nostræ redemptionis in oculos edito visum ei restituit, deinde præcepit vt numquam ab ipsâ Ecclesiâ discederet, sed iugiter ibi Domino ac sanctis Martyribus deseruiret. Quod ipse posteà in officio clericatus ad decrepitam vsque senectutem deuotissimè impleuit. In locis Iurensibus Maurus Eligium adolescentem, qui duobus iam diebus sine sensu & voce iacuerat, vltimúmque flatum trahebat, matri viduæ & in nimium fletum effusæ sanum ita reddidit, vt ille continuò de lecto surgens Ecclesiam intrarit, in quâ Maurus matutinos Hymnos cum sociis decantabat, idem Eligius posteà in Monasterio Lirinensi Monachum induit. *Appropinquante solemnitate Paschali*, ita vulgatus Faustus prosequitur, *cùm quotidie profectionem acceleraremus, eo die quo Dominica celebratur Cœna, in pagum deuenimus * Autisiodorensem. Audiens autem Beatus Maurus opinionem sancti Romani Monachi, qui beatissimo Patri nostro Benedicto in initio adiutor & cooperator extitit, vt in Historiâ vitæ eius plenissimè inuenitur, quíque per reuelationem Gallias petens, Cœnobium in eodem pago, in loco, qui Fonsrogi * nuncupatur, ædificabat; petiit duces itineris nostri, vt eò diuertentes ibidem sacrosanctum Pascha celebraremus. Hoc autem beatus Maurus maximè ideircò expetebat, quia & sequenti die transitum sanctissimi Magistri nostri complendum esse sciebat, & colloquio beati Romani desiderabiliter perfrui cupiebat. Ductores verò itineris nostri, petitionibus viri Dei libenter annuentes, concito gressu illuc tendere festinarunt. Die itaque Parasceue horâ illuc sextâ peruenientes, deuotissimè à beato Romano suscepti sumus. Cumque omnes nos, qui cum beato Mauro pergebamus, ad ea quæ opus ad diem festum erant, præparanda vel emenda occupati essemus, ipsi sanctissimi viri dulcia inuicem perennis vitæ ferebant colloquia. Et cùm iam vespertina hora post solenne officium, quod specialiter, vtpote annuatim eo celebratur die, appropinquaret, vir Dei sanctus Maurus beato Romano dixit. Crastinâ*

* Mont Cassin.
* Vercell.
* L'Auxerrois.
* Font-rouge.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

die beatissimus Pater noster Benedictus, terreno depositi corporis onere cælestem gaudens & hilaris scandet ad patriam. Quod audiens sanctus Romanus, illicò in lacrymas resolutus, flere inconsolabiliter cœpit. Quem beatus Maurus consolari cupiens aiebat. Gaudere potiùs quàm flere, ideò de eius migratione debemus, quia & magnum Patronum præmittimus, & præsentiorem eum nunc, quam si in carne viueret, sumus habituri. Hæc tamen dicens, nec ipsè à fletu se poterat cohibere. Noctem verò illam, quæ duodecimo Kalendas Aprilis habebatur, & quâ sacratissimum vigiliarum Paschæ illucescebat Sabbatum, tam beatissimus Maurus ac nos qui cum eo thamus, quàm sanctus Romanus cum aliquibus discipulis suis, ieiuni peruigilem duximus, vnusquisque nostrum secretò apud se, vt in illis diebus in Ecclesiâ Romanâ mos erat, Psalmos & Orationum preces deuotè pro exitu eiusdem Patris nostri Dei dilectissimi Benedicti consummantes. Cùm verò transactâ iam horâ quasi tertiâ ipsius sacratissimæ diei, beatissimus Maurus in Ecclesiâ consistens transitum eius, qualicumque eueniret horâ, orando & psallendo præmunire, longè licet positus satageret, séque pauimento in orationem dedisset, raptus in spiritu, subitò se transpositum in loco de quo egressi fueramus, vidit, conspexítque viam pallijs stratam, ac innumeris coruscam lampadibus, recto Orientis tramite ab eius cellâ in cælum vsque tendentem. In quâ etiam visione duos congregationis nostræ Fratres socios habuit, cum quibus simul eandem visionem conspexit. Itaque cùm viam quam cernebant, mirarentur attentiùs, venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Quod illi se nescire professi sunt. Quibus ille ait. Hæc est via qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit. Hanc visionem vnus ex illis duobus fratribus nostris qui simul cum beato Mauro viderunt, in nostro morabatur Cœnobio, alter verò, vt scribit beatus Gregorius, longiùs positus vidit. Mox verò vt beatus ad se reuersus est Maurus, ocyus sanctum Romanum ac nos euocans, cuncta quæ viderat, lucidè nobis per ordinem retulit. Diem illam & sequentem Dominicam, quâ specialiter triumphus Resurrectionis Dominicæ celebratur, solemnem & celebrem cum omni gaudio ac lætitiâ peregimus. Emendum crassissimum, hoc enim in loco non tantùm Faustus ab Odone sed & Odo à recentiore deprauatus fuit.

III. Sabbatum ante Pascha illius anni, quo sanctus Benedictus obiit, Faustus non scripsit in diem duodecimum ante Kalendas Aprileis incidisse, nam Paschalis computus & astronomicæ tabulæ docent Paschalem solemnitatem ab anno Christi quingentesimo-nono vsque ad sexcentesimum-quartum vndecimo Kalendas Aprileis haud celebratum fuisse. Quis autem sancti Benedicti mortem & anno Christi quingentesimo-nono posteriorem, & anteriorem anno Christi sexcentesimo-quarto ex supradictis non censeat? Addequòd Gregorius Magnus, qui Romæ sedere cœpit anno Christi quingentesimo-nonagesimo, cùm dialogorum libros anno Pontificatus quarto scriberet, vitam recensuit & obitum sancti Benedicti, sæpéque demonstrauit ab eiusdem sancti Benedicti morte vsque ad eam dialogorum scriptionem multùm temporis interceßisse. Ex Victorij Aquitani cyclo, quem ante biennium Patres Concilij Aurelianensis quarti laudarant, & ex Clauio ac Bucherio, quorum authoritas in hac materiâ plurimùm valere debet, constat festum Paschæ hoc anno celebratum fuisse Nonis Aprilibus. Præterea Clauius obseruat Lunam decimam-quintam incidisse in Nonas Aprileis, quibus Pascha celebratum fuit, illóque exemplo vtitur aduersus eos, qui si Luna decima-quarta in Sabbatum caderet, Paschalem solemnitatem non sequenti Dominicâ sed octauo pòst die recolendam dicebant. Ex hac autem obseruatione liquet neminem fuisse, qui diem Martij vicesimum-secundum Paschali festiuitati consecraret hoc anno, neque enim Pascha circa nouilunium quis vnquam celebrandum contendit, idque dictum esto contra nonnullos, qui, vt beatum Benedictum in vigiliâ Paschæ duodecimo Kalendas Aprileis mortuum probent, sat putant esse, si affirment controuersiam illo anno motam fuisse de celebratione Paschæ, quod alij vndecimo Kalendas Aprileis, alij alio die celebrarint. Anno

Christi quingentesimo quadragesimo-tertio, qui literâ Dominicali D præditus fuit, dies duodecimus ante Kalendas Aprileſ qui natalis sancti Benedicti consignatur in omnibus Martyrologiis, incidit in sabbatum, atque inde concludimus genuinum Fausti textum, in quo nulla Paschalis solemnitatis mentio fiebat, interpolatum fuisse ab Odone, qui feriam quintam quâ Maurus in pagum Antisiodorensem deuenit, feriam sextam quâ Monasterium sancti Romani subiit, sabbatum quo beatum Benedictum in cælum ascendisse diuinâ reuelatione cognouit, & diem Dominicam quam cum beato Romano transegit, interpretatus est feriam quintam in Cœnâ Domini, feriam sextam in Parasceue, sabbatum sanctum, & Dominicam Resurrectionis seu Pascha, vnde factum vt posteri beatum Benedictum sabbato sancto mortuum crediderint. Aimoinus ab Odonis sententiâ non recessit, quam reddidit his [a] verbis. *Inclytus Domini Leuita Maurus iter ad Gallias agens, dum in pagum deuenisset Antisiodorensem, die quâ Dominicæ Cœnæ ex more in terris celebrabatur sacra solemnitas ad Monasterium sancti Romani, nutricij quondam Patris Benedicti diuertit. Cuius gratuitâ collocutione laborem longinqui itineris alleuans, ei in proximo esse denuntiauit diem, quo beatus Pater cælestem gaudens scanderet ad patriam, & ecce nocte illâ quæ sanctum præcedebat diem sabbati, quo vigilia Resurrectionis colitur Christi, scilicet* XII. *Kalend. Aprilis, subitò raptus in spiritu vidit viam palliis stratam ac innumeris coruscam lapidibus, ab eius cellâ ad cælum vsque pertendere, quódque eo tramite dilectus Domino cælum Benedictus scanderet, Angelum sibi dicentem audiuit.* Nonnulli cùm ex Paschali computo colligerent ab anno Christi quingentesimo-nono vsque ad annum Christi sexcentesimum-quartum vndecimo Kalendas Aprileſ haud celebratum fuisse Pascha, mortem beati Benedicti, quæ duodecimo easdem Kalendas in omnibus Martyrologiis notatur, in annum Christi sexcentesimum-quartum reiiciendam putarunt. Chronologiam necesse est adeò remotam à vero calculo ineant qui beatum Benedictum duodecimo Kalendas Aprilis in vigiliâ Paschæ obiisse contendunt. Alij volunt beatum Benedictum ad Deum migrasse anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio, sabbato sancto, pridie Nonas Aprilis, & ex II. *Non. April.* librariorum errore factum suspicantur XII. *Kal. April.* Opinionem suam vt tueantur, non incongruè obseruant ex se corruere calculum eorum, qui ex Fausti vulgati authoritate dicunt beatum Maurum ad fontem Rogi in pago Altisiodorensi peruenisse decimo tertio Kalendas Aprileſ, nam Maurus teste eodem vulgato Fausto egressus est Casino *quintâ Epiphaniorum*, id est, die decimâ Ianuarij, Vercellas aduenit *quinquagesimo-quinto die*, id est, tertio Nonas Martij, ibi moratus est *quatuordecim dies* donec Harderadus qui præceps ex altâ turri deciderat sanitatem recuperasset, *quinto-decimo demum die*, id est, decimo tertio Kalendas Aprilis Vercellas reliquit, ad Agaunense Monasterium atque inde in pagum Altisiodorensem, & ad fontem Rogi contendit, non autem eo die & Vercellis exire & ad fontem Rogi peruenire potuit? At cùm in veteribus monumentis obitus sancti Benedicti constantissimè ponatur duodecimo Kalendas Aprileſ, non videtur in alium diem differendus, sed corrigi potiùs debet textus in quo Maurus dicitur Vercellas aduenisse *quinquagesimo quinto die* postquàm egressus esset Casino, non enim opus est tanto temporis spatio vt iter Casino Vercellas conficiatur, diésque qui detrahentur sufficient itineri quod Vercellis residuum erat ad fontem Rogi, nam diebus sex & quinquaginta Casino ad fontem Rogi facilè quis venire potest. Nec Faustum, nec Odonem qui ex Fausto malè intellecto beatum Benedictum sabbato sancto mortuum finxit, existimamus adeò stolidum vt scriberet Maurum eodem die & Vercellis & in pago Altisiodorensi ad fontem Rogi fuisse, error qui reperitur in vitâ sancti Mauri circa numerum dierum quibus iter Casino Vercellas habuit, profectus est à recentioribus qui textum ipsius Odonis deprauarunt. Obseruationibus eiusmodi præmissis iter Mauri Casino in Cenomaniam venientis relegamus.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

[a] L. 2. c. 11.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9. IV.

Quinque Monachi Casinenses, Maurus, Constantinianus, Antonius, Simplicius & Faustus cum Flodegario Archidiacono & Harderado Vicedomino Legatis Innocentij Cenomanensis Antistitis egressi sunt Casino quarto Idus Ianuarias, seu die quinto Epiphaniorum, & in Casinensis Monasterij villâ, quæ Euchæia nuncupabatur & iter Sabbati Casino distabat, primam mansionem habuerunt. Sequenti nocte cùm officium diuinarum laudum celebrabant, duo è fratribus superuenerunt Honoratus & Felicissimus ab Abbate Benedicto missi cum literis & capsula eburnea, in qua reconditæ erant *tres portiunculæ ligni salutiferæ Crucis, & reliquiæ sanctæ Dei Genitricis, sanctíque Michaelis Archangeli ex palliolo rubeo sanctæ scilicet eius memoriæ, sancti quoquè Stephani protomartyris, ac beati Confessoris Christi Martini*, quibus acceptis Maurus & comites iter prosecuti sunt, felicitérque Vercellas aduenerunt. Illic dum biduo ab ipsius ciuitatis Clericis detenti fuissent, Harderadus graui lapsu per gradus altissimæ turris corruens, in vltimum vitæ periculum adductus est, dextera eius scapula cum brachio & manu inflatione nimiâ intumuit, nec alia spes recuperandæ salutis reliqua visa est quàm vt medicus ferro & igne armatus accederet. Flodegarius tam dirum dilectissimi amici casum misertus, Oratorium in quo Maurus orationi vacabat, concitus irrupit, obtestatúsque est eum vt suis precibus infirmo subueniret. Maurus rogantis lacrymis, ægri doloribus & itineris retardatione ad fletum vsque permotus ante altare in modum crucis se prosternens suspiriis & crebro singultu misericordiam Domini implorauit, acceptâque sacrarum reliquiarum capsulâ quam illi beatus magister direxerat, ad lectum perrexit ægroti, quem præmissâ rursus oratione à scapula vsque ad vngulas manuum salutifero Crucis ligno signauit, móxque omnis excoctio sanguinis, quâ brachium totum intumuerat, per tria loca decurrere cœpit. Flodegarius tanto viso miraculo lacrymas præ gaudio continere non potuit. Agebatur tum dies ab aduentu in illam ciuitatem decimustertius, Harderadus Maurum deprecatus est vt sequenti etiam die ibidem morarentur, quousque per omnes orationis domos omnipotenti Deo debitas pro tam insigni beneficio gratias egisset. *Quintodecimo demùm die* Vercellas prætergressi sunt. In ipso Alpium transitu Maurus Sergij famuli equo lapsi confractum pedem signo Crucis sanauit. Adierunt Agaunum, & superato monte Iurâ descenderunt in Galliam Lugdunensem. Vtrobique Maurus miraculis refulsit vt expositum est suprà. Deuenerunt in pagum Autisiodorensem decimo-quarto Kalendas Aprilis, feriâ quintâ, & ad Fontem Rogi die sequenti feriâ sextâ, ibique biduo integro, nempè Sabbato quo Maurus obitum sancti Benedicti cælitùs reuelatum cognouit, & die Dominico manserunt cum Romano qui Cœnobium construebat.

V. MORS INNOCENTII EP. CENOMAN.

Feriâ secundâ, id est, decimo Kalendas Apriles Maurus cum sociis à Fonte Rogi digressus recto calle Aureliam * venit, vbi per aliquot dies morari coactus est, quia duces itineris auditâ Cenomanensis Episcopi morte & alterius electione, Cenomanum * celeriter aduolarunt, vt nouo Antistiti causam legationis, quam apud sanctum Benedictum obierant, notam facerent, & voluntatem eius super tali negotio rescire possent, *Audierunt*, inquit vulgatus Faustus, *certis deferentibus nuntiis B. Bertchramnum* (lege Innocentium) *Episcopum iam migrasse ad Dominum, aliúmque in loco eius iam substitutum Pontificem. Tunc nobilissimus vir Harderadus, cùm ad latus beati resideret Mauri, ita exorsus talia proferre cœpit. Dignum mihi atque conueniens, Pater sancte ac religiosi Fratres, esse videtur, vt nos, qui legatione huius rei functi sumus, propter quam tot ac tanta perlustrantes terrarum spatia, laborem hunc iussu nostri Pontificis assumpsimus, istum nouum atque incognitum nobis adeamus Antistitem, & causam itineris nostri notam illi ex ordine facientes, voluntatem eius super tali negotio rescire valeamus, simul etiam & nostri sollicitudinem apud eum gerere nos oportet. Tu verò, Pater venerande, cum fratribus quos tecum habes, nostrum ad vos expectare reditum debes, qui infra octo, vt reor, consummabitur dies.*

* *Orleans.*
* *Le Mans.*

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9. VI.

Ad annum superiorem iam obseruauimus Bertigramni loco nomen Innocentii legendum esse. Hic occurrit alia difficultas circa diem quo sanctus Innocentius ad Deum migrauit. Cenomanenses anniuersariam illius memoriam recolunt decimo-tertio Kalendas Iulias, atque inde Bondonnetus coniicit eum non hoc anno mortuum, quo Maurus in Franciam venit, sed priori, quo Legati ex vrbe Cenomanica in Italiam profecti sunt. Verùm quomodo hæc opinio stare potest cum textu Fausti? *Ex eo loco*, inquit, id est, ex Fonte Rogi, *recto calle Aurelianis cùm veniſſemus, graviſſimus duces itineris noſtri mœror inuaſit. Audierunt ſiquidem certis deferentibus nuntiis B. Bertchramnum* (restitue Innocentium) *Epiſcopum iam migraſſe ad Dominum, aliúmque in loco eius iam ſubſtitutum Pontificem.* Certum est Legatos Cenomanenses anno priori se viæ commisisse, sed non liquet vtrùm iter ante diem decimam-nonam Iunij susceperint, imò probabilis admodùm coniectura est eos Cenomano seriùs egressos esse, nemo enim facilè credet sex menses consumptos in profectione, cùm tres reditui sufficerint, nec est cur quis diuturnam in Monasterio Casinensi moram fingat, nam Benedictus Abbas petitionibus statim assensus est, & Maurus mediâ hyeme die scilicet decimâ Ianuarij properè cum sociis itineri se dedit. Licèt autem supponeremus Legatos anno superiori profectos Cenomano ante mensem Iunium, quis sibi persuadeat Innocentium Episcopum illo mense mortuum, istiúsque mortis nuntium ad Legatos non peruenisse nisi decem fermè mensibus exactis? Obiit proculdubiò sanctus Innocentius hoc anno, tempore Quadragesimali, cùm Maurus Cenomanum contenderet, sed quia per Quadragesimam olim festa Sanctorum non celebrabantur, Cenomanenses anniuersariam eius memoriam cum sanctis Martyribus Geruasio & Protasio, quos ille summoperè coluerat, vnâ festiuitate peragendam censuerunt decimo-tertio Kalendas Iulias.

TEMPORE QVADRAGESIMALI.

VII.

In Concilio Laodiceno [a] Patres decernunt, *quòd non oportet in Quadrageſimâ Martyrum natales peragere, ſed ſanctorum Martyrum facere commemorationes in ſabbatis & Dominicis.* Habet Sanctorum commemoratio iucunditatem & lætitiam, ieiunij verò dies mœrore ac luctu transigi par est. Ibi autem soli Martyres nominantur, quia nondum apud antiquos memoria Confessorum adeò celebris erat. Ex Synodo Trullensi [b], quæ anno exeunte sexcentesimo octogesimo-primo ac sequenti ineunte habita est, constat Annuntiationem beatissimæ Virginis primam omnium festiuitatum coli cœptam tempore Quadragesimali. Nondum id moris receptum erat Erâ sexcentesimâ nonagesimâ-quartâ siue anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, quo Patres Concilij Toletani decimi [c] condiderunt sequentem Canonem. *Quoniam diem quâ inuenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & nuntiaſſe verbis & indidiſſe miraculis, eadem feſtiuitas non poteſt celebrari condignè, cùm interdum Quadrageſimæ dies vel Paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum ſolemnitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, conuenit celebrari, cùm etiam & ipſam Incarnationem Verbi non conueniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat idipſum Verbum poſt mortem carnis gloriâ Reſurrectionis attolli, ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, vt ante octauum diem, quo natus eſt Dominus, Genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, vt ſicut natiuitatem filij ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtiuitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolennitas. Nam quid feſtum eſt matris, niſi Incarnatio Verbi, cuius feſtum ita debet eſſe ſolenne, ſicut eſt & eiuſdem Natiuitas Verbi? Quod tamen nec ſine exemplo decentis moris, qui per diuerſas mundi partes dignoſcitur obſeruari, videtur inſtitui. In multis itaque Eccleſiis, à nobis & ſpatio remotis & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Proinde, vt de cetero, quicquid eſt dubium, ſit remotum, ſolennitas Dominicæ matris die decimo-quinto Kalendarum Ianuariarum omnimodò celebretur, & natiuitas filij eius Saluatoris noſtri die octauo Kalendarum earumdem, ſicut mos eſt, ſolemnis in omnibus habeatur.* Gregorius Magnus ex hac vitâ migrauit anno Christi sexcentesimo-quarto, die

[a] Can. 51.

[b] Can. 52.

[c] Can. 1.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

duodecimâ Martij, tamen illius festiuitas diu celebris fuit tertio Nonas Septembres, quo die in summum Pontificem fuerat ordinatus, nec aliam rationem reddit Radulphus [a], quàm quòd Quadragesimali tempore de Sanctis agi vetitum esset. Nam postquam ex antiquis Conciliis asseruit nullum olim festum in Quadragesimâ seruari consueuisse, statim hæc subiungit de festis Sanctorum, Gregorij, Ambrosij & Benedicti. *Propterea antiquitus festa Gregorij & Ambrosij ad dies ordinationis eorum transferebantur, Gregorius scilicet ad diem tertium Septembris, & Ambrosius ad octauam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis siue in Iulio. Sed posteà Annunciatione in Romanâ Ecclesiâ ad locum suum redeunte, similiter aly apud vos redierunt. Et exinde retenta est translatio Benedicti, Ambrosius tamen apud Romanos & Mediolanenses remanet in octauâ. Sic igitur in istis quatuor festis, memoratis Conciliis est generaliter derogatum.* Hæc annotata volumus, vt intelligas mirum non esse, si sanctus Innocentius, cuius obitus in Quadragesimâ contigit, à Cenomanensibus decimo-tertio Kalendas Iulias cum sanctis Martyribus Geruasio & Protasio colatur.

[a] Propos. 16.

FESTVM EXTRA QVADRAGESIMAM.

VIII. LAVDES.

Antonius Coruaisierus & Ioannes Bondonnetus obseruarunt sancti Innocentij studium erga Sanctos Martyres Geruasium & Protasium, quorum reliquias, quas ab Episcopo Mediolanensi petierat, ad se transmissas non tantùm in Cathedrali Cenomanorum Ecclesiâ, quæ beatissimæ Virgini ac Principibus Apostolorum dicata fuerat, summo cum honore collocauit, sed eandem præterea Basilicam de nominibus prædictorum Martyrum dici voluit deinceps Ecclesiam Sanctorum Geruasij & Protasij.

IX.

Idem Innocentius alia templa vel à fundamentis erexit, vel amplificauit, vel collabentia reparauit. Oratorium, cui posteà Childebertus Rex & Vltrogodis Regina multas facultates contulerunt, in honorem constructit sancti Georgij *, cuius brachium ibi depositum, hodie est parœcia eiusdem nominis. Deinde restaurauit, auxitque Ecclesiam quam vocant à Prato * prope muros ciuitatis. Iuxta illam ædem condidit Cœnobium Monialium, & præter Oratorium, vbi cum Victorio ac Victore Præsulibus antecessoribus suis, quos eò transtulerat, ipse quoque sepeliri voluit, in eâdem regione Xenodochium addidit in gratiam peregrinorum, qui ex remotis prouinciis ad tumulos Cenomanensium Episcoporum frequentissimè concurrebant. Lege Authores supra laudatos.

* *S. George du Bois.*
* *L'Eglise du Pré.*

SEPVLTVRA.

X. SCIENFREDVS PSEVDOEPISC.

Post obitum sancti Innocentij vacauit Episcopatus Cenomanensis, neque enim Scienfredus, qui sedem inuasit, vnquam legitimè sedit. Interpontificium agnoscunt omnia Chartularia, tempus quo durauit non exprimunt. Inter obitum Innocentij & electionem Domnoli diuturnum interpontificium fuisse testatur is, qui Haduini Episcopi iussu vitam sancti Domnoli conscripsit. *Iampridem*, inquit, *beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris sui erat præmia consecutus, in eius verò locum necdum alius subrogatus fuit.* Quæ de Domnolo vulgatus Faustus narrat in vitâ sancti Mauri, debent intelligi de Scienfredo.

XI. MAVRVS IN ANDEG.

De morâ quam Maurus Aureliæ fecit, déque itinere quod in Andegauiam posteà suscepit, hæc subiungit idem Faustus. *Aptissimam mansionem nobis in eâdem vrbe* Aurelianensi *iuxta Ecclesiam beati Petri Apostoli assignauerunt* Flodegarius & Harderadus, *deputatis ad custodiam nostri quos honoratiores in suo habebant famulatu, simul & præcipientes eis, vt non minùs obsequiis tam beati Mauri ac nostris, quam illorum sollicitè inuigilarent. Hæc itaque honorificè cùm ordinassent cum benedictione sancti Mauri profecti sunt. Cúmque Cenomanis venissent, & Episcopo nuntiati fuissent, honorificè ab eo susceptí sunt, atque in propriis restituti officiis, amplificatis sibi etiam ab eodem Præsule priorum possessionum honoribus. Sed cùm causam legationis suæ ei enarrassent, ac quid ipse super hac re vellet, inquirerent, respondit se propriis magis quàm aliorum velle insistere cæptis, ne supra alienum ædificare videretur fundamentum; præsertim, inquit, cùm incumbat nobis nunc ordinatio ac dispositio tam proprsiorum negotiorum, quàm & Ecclesiarum*

pernigil sollicitudo. Hoc autem agebatur secundùm dispositionem occulti iudicy Dei, qui locum, quem beati Mauri magisterio, atque institutione doctrina regularis sublimandum esse decreuerat, nullomodo obtentu alterius differri vel ad modicum volebat loci. Siquidem locus ille, qui à beato Bertigramno (lege *Innocentio*) *ad construendum Cœnobium pronisus ac delegatus fuerat, non admodum aptus vel congruus regulari erat religioni, vt nobis nostri dicebant ductores, nam ex ipso nomine, quo Rupiacus vocabatur, deformis à nobis & scabrosus æstimabatur. Harderadus proinde certissimè compertens, quòd Domnolus Episcopus* (expuncto Domnolo sufficiendus est Scienfredus pseudopontifex) *nihil de hac re facere vellet, latissimus effectus, licentiam ab eo ad nos reuertendi petiit. Quâ sibi concessâ, nepotem suum strenuæ iuuentutis virum, nomine Hademarum, beato transmisit Mauro, mandans illi, vt nullo modo mœstum gereret animum, sed quantocyus posset cum omnibus, quos cum eo dimiserat, Andegauensem adire festinaret regionem, quò ille nobis se occurrere per nuncium designauerat. Cùm itaque tam beatus Maurus quam & nos omnes, qui cum eo remanseramus, alacriores tali effecti nuntio fuissemus, decimo die, postquam Aurelianis ciuitatem fueramus ingressi, iter arripientes, tendere quò iussi fueramus, summoperè certabamus. Quinto tandem die ad locum, qui Restis nuncupatur, peruenientes, honorabilem virum Harderadum & vxorem eius ac filios, aduentum nostrum iam per biduum ibi præstolantes inuenimus. Qui cùm honorificè nos suscepissent, post abundantissimam quam nobis præparauerant refectionem, supradictus vir Harderadus cum coniuge suâ, Cæciliâ nomine, secretiorem expetens locum, omnia illi quæ cum suo inuenerat Episcopo, per ordinem nuntiauit.* Faustus Antistitum Cenomanensium nomina reticuerat, Odo pro arbitratu suo Bertigramnum & Domnolum apposuit, sed eorum loco Innocentium & Scienfredum reponendos esse iam probauimus. Emendandus etiam apud Faustum videtur numerus dierum, quibus Aureliæ Maurus cum sociis substitit, nam iuxta nostrum calculum discesserunt à fonte Rogi feriâ secundâ in hebdomadâ passionis, sequenti die peruenerunt Aureliam, vnde nefas est profectos putare decimo pòst die, seu feriâ sextâ in parasceue, tunc quidem Aureliam Cenomano aduenire potuit Hademarus ab Harderado missus, pios autem Monachos Aureliâ non existimamus exisse, vt iter in Andegauiam haberent illis diebus qui Dominicæ Passioni ac Resurrectioni consecrantur, ideóque non *decimo die*, vt ex vulgatis exemplaribus retulimus, sed die decimo-quinto postquàm Aurelianum ingressi fuissent, eos inde in Andegauiam * abiisse suspicamur, quinto itineris die conuenerunt Harderadum, qui Cenomano profectus eos à biduo iam expectabat in loco cui nomen Restis *. Erat Harderadus Vicedominus Episcopi Cenomanensis, id est, Oeconomus domus Episcopalis. Quamuis autem Vicedomini ab initio Clerici fuerint, ea tamen dignitas in secularem postèà degenerauit, idque patet in ipso Harderado, quem textus suprà recitatus vxoratum exhibet.

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

* *l'Anion.*

* *Reste.*

XII. Maurus audito Scienfredi consilio, conuersus ad Harderadum, *quid nobis*, inquit, *nunc agendum, vir illustrissime, vel potiùs eligendum esse decernis? Ille amabiliter, vt vir iucundissimi erat vultus, respondit. Est mihi consobrinus, nomine Florus, magnis tam in his, quàm in aliis regionibus, possessionibus pollens, qui primus inter primos totius regni Francorum Proceres, decentissimè omnia iussus à Rege Palatina disponit moderamina. Hic itaque ab ineunte ætate, in seculari licet habitu constitutus, omnipotenti Deo sollicitè semper placere studuit. Cui ex amissâ coniuge, quam vt acciperet, inuitum eum tam Rex, quam nostri coegere parentes, vnus tantummodò supererat filius, qui si alicubi perfectos in hac religione posset inuenire viros, in suâ propriâ possessione, quæ ei de paternâ euenit hæreditate, Monasterium construere desiderat, filiumque suum ibidem Deo offerre cupit, ac sic demum relictis omnibus, quæ sunt huius mundi, negotiis, Deo in eodem deseruire, liber ex omnibus, exoptat Cœnobio. Ad hunc ergo Missum nostrum directum habeo, qui illi aduentus vestri causam pleniter enarrare valeat, vel si in deliberatione animi sui perseuerat, explorare. Nos tamen, si placet, vsquedum aut ipse, aut ille*

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

quem ei direximus, reuertatur, locum ipsum, de quo loquimur, inspicere & considerare habeamus. Hoc beatus Maurus audiens, gaudio gauisus est magno, & statim alterâ die cum eodem honorabili viro pergit ad considerandum locum. Eo tempore Theodebertus Rex nobiliter regni Francorum apicem gubernabat. Cui supradictus clarissimus vir Florus ita familiaris & carissimus in omnibus erat, vt quicquid in omni ditione eius facere vellet, absque alicuius contradictione permissus à Rege obtineret. Qui cùm relatu nunty, quem ei Harderadus direxerat, tam beatum Maurum, quam & nos aduenisse cognouisset, & quia Cenomanicus Antistes recipere nos noluisset, illicò accedens ad Regem, causſam ei aduentus nostri pleniter enarrauit, ac voluntatem suam, quam de ædificando Cœnobio habebat, ei aperuit, petiitque ab eo vt nos eius permissu suscipere mereretur, quatenus ei Monasterium, sicut desiderabat, construeremus. Hæc Faustus. Regnante Theodoberto Maurum in Galliam venisse testatur etiam Gauzlinus Abbas apud Odonem in historiâ de euersione & restauratione Cœnobij Glannafolienſis, vbi ait anno Christi octingentesimo quadragesimo-quinto, cùm reliquiæ beati Leuitæ transferrentur, vetustissimam membranulam in arcâ inuentam esse his exaratam verbis. *Hic requiescit corpus beati Mauri Monachi & Leuitæ, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venit, & octauodecimo Kalendas Februarij migrauit à sæculo.*

XIII. ANNVENTE THEODOBERTO REGE.

Theodobertus Rex annuit Flori postulationibus. *Non ita nobis*, inquit, *hactenus seruisti, vt aliquid tibi negare, aut contradicere possimus, vnde perge quantocyùs, & nostrâ comitatus gratiâ, ac roboratus auctoritate, eosdem sanctissimos viros cum omni suscipe reuerentiâ, peragens cum eis desiderium, quod animo tuo superna inspirauit dignatio; simul & deprecare illos, vt pro nobis ac liberis nostris*, nempe Theodobaldo, Raginttude & Berthoarâ, *populóque totius regni à Deo nobis collati, ipsius assiduè exorare dignentur misericordiam, paratissimos etenim nos atque promptissimos in omni suo inuenient obsequio, si formam huius religionis ita ab eis obseruari compererimus, sicut iam famâ vulgante ab eorum magistro arduè satis eam traditam audiuimus. Tuum verò erit, artifices illuc ad operandum, vbicúmque eos in omni nostrâ inueneris potestate, adducere & adunare, vt opus ipsum celeriùs possit expleri. Nec nostra iuxta voluntatem & consilium tuum regia loco illi deerit largitas, si aptè eum constructum & conuenienter perspexerimus ordinatum. Talibus ac tantis Regis promissionibus nobilissimus vir Florus roboratus, concitus ad prædium possessionis suæ, quod Glannafolium * dicebatur aduenit. Cuius aduentu Harderadus audito, cum beato Mauro ante fores portarum in eius pergit occursum. Videns verò Florus beatum Maurum humillimo monachili indutum habitu stantem, de equo, cuius tergo insederat, perniciter desiliuit, ac tertiò antequam ei appropinquaret, toto corpore in terram se prosternens, cùm ab eo humiliter receptus, ac modestè, vt didicerat, eleuatus fuisset, diutiùs se inuicem complexantes, ac alterutrum constringentes, lacrymas quoque præ gaudio inuicem infundentes immorati sunt. Tunc deinde prædictus vir, osculatis nobis omnibus, apprehendens iterum dexteram beati Mauri manum, & strictim eam exosculans ait ad illum. Benè te venisse gaudemus, serue Dei excelsi, & discipule sancti viri Benedicti, cuius honor & nomen, quod in sanctâ emeruit senectute, penè iam omni seculo innotuit, & benedictum nomen Domini glorioſum, qui te ac commilitones tuos, istos reuerendos viros, ad adiutorium nobis in istam misit prouinciam. Et hæc dicens, ducebat eum ad domum, præcedente nos Harderado & filiis eius. Die verò aliâ cùm post matutinale officium in vnum conueniſſemus, aperuit beato Mauro voluntatem suam, quam de constructione Cœnoby habebat, simul & Regis referens promissionem ac deprecationem, quâ eum & pro se ac filiis, omnique populo Dominum attentiùs implorare expetebat. Tunc beatus Maurus ait ad illum. Obseruatio ordinis nostri summam deposcit quietem & securitatem. Quapropter si nobilitati generositatis tuæ videtur non esse contrarium, primum omnium res, quas Deo eiusque famulis tradere pro remedio, vt asseris, animæ tuæ desiderus, simul perlustrantes inspicere debemus. Inde verò facto testamento, te tradente nobis coram testibus, recipere eas in nostram*

* *Glanfueil.* CONDIT MONASTER. GLANNAFOL.

conuenit dominationem. Cui cùm assensum suum Florus præbuisset, ascensis equis post diem tertium, inspectis omnibus, ad supradictum reuersi sunt locum. Tunc clarissimus vir Florus scripto, iuxta consilium beati viri, testamento, tradidit ei omnia, & de suo iure in eius deleganit potestatem atque dominium. Obtulit etiam ipso die Domino filium suum nomine Bertulfum, puerulum octo circiter annorum, nutriendum & instituendum doctrinâ & magisterio beatissimi Mauri, sicut & ipse à sanctissimo magistro suo Benedicto educatus in omni nostra fuerat obseruatione. Post cuius oblationem ait beato Mauro. In hoc, sanctissime vir, & te & qui tecum sunt, certos tam de hoc loco, quàm & de rebus ibi à me collatis esse conuenit, cùm & filium meum seruiturum Deo per vestrum obtulerim magisterium, & meipsum, si vita comes Deo propitio fuerit, opusque perfectum, relictis omnibus, quæ sunt huius mundi, in hoc eodem diuinis mancipandum seruitiis polliceor loco. Diu viguit in Ecclesia hæc praxis, vt liberi Monasticæ vitæ manciparentur à parentibus. In Concilio Aurelianensi quinto [a], cuius Canones infrà post sexennium recitabimus, duplex statuitur classis Monialium, aliæ *propriâ voluntate Monasterium expetunt*, aliæ *à parentibus offeruntur*, & in Concilio Toletano quarto [b], quod Erâ sexcentesimâ septuagesimâ primâ sub Sisenando Rege celebratum fuit, *Monachum aut paterna deuotio aut propria professio facit.*

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

[a] Can. 19.

[b] Can. 48.

XIV.

Florus, cùm in omni regno Theodeberti Regis summam obtineret potestatem, ac vice Comitis in Andegauensi fungeretur pago, peritissimos vndique illuc (nempe Glannafolium) *conuenire fecit artifices tam lignarios quàm cementarios, quámque etiam in aliis doctos artibus.* Id testatur Faustus. Glannafolium ex aula regia venit Florus exeunte Aprili vel ineunte Maio. Huius anni supererant octo menses, quibus nihil operis cœptum vix nobis persuademus, eáque de causa cùm apud vulgatum Faustum legimus, Maurum obiisse *octauo-decimo Calendarum Februariarum*, post quàm in Monasterio Glannafolicnsi commoratus esset *annis quadraginta, diebus quatuordecim*, arbitramur obliteratum fuisse mensium numerum, quis enim non videat Flori zelo iniuriam fieri, si primordia illius Cœnobij post octo menses in Kalendas Ianuarias anni subsequentis reiiciantur.

XV.

ROMANVS ABBAS.

Quod attinet ad Romanum Abbatem, quocum Maurus triduum ad Fontem Rogi transegit, super eo duæ mouentur quæstiones, an vnus idémque sit cum Romano Monacho qui sancto Benedicto adhuc adolescentulo ministrauit in specu, & cum Romano Episcopo qui sancto Eleutherio in Altissiodorensi Cathedra successit. Si sanctus Benedictus vixit annos nonaginta sex, vt quidam scribunt, Romanus cui notus in adolescentia fuit, Maurum in Gallias venientem anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio non excepit, vtpote qui centenario longè maior tunc extitisset, multò minùs Pontificatum gessit post Eleutherium, qui Concilium Aurelianense quintum anno Christi quingentesimo quadragesimo-nono authoritate suâ roborauit. Si sanctus Benedictus, vt alij sentiunt, vixit annos duntaxat sexaginta duos, Romanus qui senior illo videtur fuisse plùs minùs annis octodecim, in viuis superstes esse potuit annos natus circiter octoginta, cùm Maurus ad Fontem Rogi peruenit anno Christi quingentesimo quadragesimo tertio, sed Eleutherio, qui Diœcesim Altissiodorensem post Mauri aduentum annis duodeuiginti rexit, in Episcopatu non successisse, quis enim Præsulem in senectute adeò decrepita electum credat? Vulgatus Faustus Romanum in Italia Monachum à Romano Abbate Fontis Rogi non distinguit. *In pagum*, inquit, *deuenimus Autissiodorensem, audiens autem beatus Maurus opinionem sancti Romani Monachi, qui beatissimo Patri nostro Benedicto in initio adiutor & cooperator extitit, vt in historia vitæ eius plenissimè inuenitur, quique per reuelationem Gallias petens, Cœnobium in eodem pago, in loco, qui Fons Rogi nuncupatur, ædificabat, petiit duces itineris nostri*, &c. & inferiùs, vt sibi cohæreat, Romanum testatur tunc senem fuisse, Mauro enim abeunti sic loquentem introducit. *Si absque animæ periculo locum hunc deserere potuissem, melius tecum, amantissime frater, cuperem*

AN. CH. 543. CHILDEB. CLOTAR. RR. 32. THEOD. R. 9.

habitare, quàm alicubi finem vitæ terminare. Sed quia & hos deserere periculosum est, & vltimus mihi iamiamque imminet dies, perge fælix quò mitteris, ac prosperè fælici vtere sorte. De Romani Monachi profectione in Galliam ne verbum quidem legitur in vitâ sancti Benedicti, vtque rei ex se non adeò probabili firmam fidem habeamus, non satis valida videtur auctoritas Fausti, cuius textus eâ potissimùm deprauatus est parte, quâ Mauri iter Casino Glannafolium describitur, tamen si mordicùs adhærere cupis opinioni recentiorum, quos Odo in suas partes pertraxit, vt pertinaciam tuam antiquo monumento non expugnabimus, ita dubitationis nostræ causam, quæ ex lectione Fausti proficiscitur, argumento certiore non tolles. Quamcunque autem sententiam sequaris, caue ne Romanum Abbatem, qui Cœnobium ad Fontem Rogi construxit, eundem putes cum Romano Episcopo Altissiodorensi, in tabulis enim Ecclesiasticis coluntur diuersis diebus, prior vndecimo Kalendas Iunij, posterior pridie Nonas Octobris; ille Abbas tantùm, hic & Episcopus & Martyr. Quantùm temporis post aduentum Mauri vixerit Romanus Abbas, haud scitur. Obiit vndecimo Kalendas Iunias. Sepultus fuit in suâ ipsius Basilicâ, crescente deinde fidelium deuotione corpus de loco primariæ sepulturæ ad vrbem Antissiodorensem delatum atque in Ecclesia beatissimi Amatoris honorificè conditum est, vt Gislebertus Monachus asserit apud Ioannem Boscium in Bibliotheca Floriacensi.

XVI. VILLICVS EPISC. METENS.

Hoc anno, mense Februario, cùm Episcopatus Metensis sex mensibus vacasset, electus est in Pontificem Villicus, qui sedit annos viginti quinque, menses duos, obiitque decimo-quinto Kalendas Maias, vt ad annum Christi quingentesimum duodeseptuagesimum ex sancti Symphoriani Metensis Codice repetemus.

XVII. AVXANIVS EP. ARELAT.

Hoc eodem anno Auxanius Episcopus Arelatensis Ioannem Presbyterum & Teredium Diaconum Romam direxit cum literis, vt docet epistola Vigilij Papæ, decimo-quinto Kalendas Nouembres ad ipsum Auxanium data, cuius initium tale est. *Scripta de ordinatione caritatis vestræ, Ioanne filio nostro Presbytero, sed & Teredio Diacono deferentibus, cum animi spiritali gratulatione suscepimus.* Auxanius vsum pallij aliâque multa petiit, quorum concessionem Vigilius distulit, quoad Imperatorem Iustinianum certiorem fecisset, epistolam enim suam, quæ numero sexta est, his clausit verbis. *De his verò quæ caritas vestra tam de vsu pallij quàm de aliis sibi à nobis petiit concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi Domini filij nostri Imperatoris hoc, sicut ratio postulat, voluissemus perficere notitiâ, Deo auctore, vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei eius seruasse cum competenti reuerentia iudicemur. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data* X V. *Kalend. Nouembres, iterùm P. C. Basilij V. C.* Ceterùm ex Auxanij Pontificatu obserua turpiter eos hallucinari, qui beatum Cæsarium ipsius Auxanij decessorem Ordini sancti Benedicti in Gallia nondum noto ascribunt.

XVIII. NICETIVS FIT PRESBYTER.

Nicetius, qui sancto Sacerdoti in Episcopatu Lugdunensi postèà successit, hoc anno Presbyterij honorem suscepit *ætate iam tricenariâ*. Natus erat ex Senatorio genere, patrem habuerat Florentinum, matrem Arthemiam. *Defuncto patre*, vt Gregorius [a] Turonensis scribit, *cum genitrice iam Clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propriâ laborabat, intelligens commotiones corporeas non aliter nisi laboribus & ærumnis opprimi posse. Quodam verò tempore, cùm adhuc in domo ipsa degeret, orta est ei pustula mala in facie. Quod virus inualescens ac excoquens fecit puerum desperatum. Sed mater eius iugiter, inter Sanctorum nomina, beati Martini nomen pro eius salute peculiariùs inuocabat. Cúmque per biduum puer iacuisset in lectulo clausis oculis, & nullum verbum consolationis matri lamentanti proferret, sed potiùs ipsa genitrix inter spem metúmque titubans, iuxta ritum exequiarum necessaria funeris præpararet, secundâ die ad*

[a] De vit. patr. c. 8.

vesperum aperiens oculos ait, quò iuit mater mea? Quæ statim adueniens ait. Ecce adsum, quid vis fili? Et ille, ne timeas, inquit, mater, beatus enim Martinus super me crucem Christi faciens, surgere me fecit incolumem. Hæc effatus statim surrexit à lectulo, geminauitque virtus diuina miraculi huius gratiam, vt & Martini panderetur meritum, & hic, quia futurus erat Pontifex, à contagio saluaretur. Testis enim fuit huius causæ visa cicatrix eius in facie. AN. CH. 543.

ANNVS CHRISTI 544.

CHILDEBERTI R. 33.

CLOTARII R. 33.

THEODOBERTI R. 10.

INDICTIO 7.

544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

ANno Christi quingentesimo quadragesimo-quarto, qui notatur à Mario & à Continuatore Marcellini tertius post Basilij Consulatum cum Indictione septima, & decimus belli Gothici fuit, Iustinianus Imperator Belisarium à Persico bello reuocatum in Italiam rursùm mittere coactus est, vt Procopius [a] testatur.

I. BELISARIVS REDIT IN ITALIAM.

[a] De bel. Gothic l. 3. capp. 9. 10.

Ab hoc eodem anno, qui post Mauri aduentum in Andegauiam secundus numeratur, *nobiles ad eum viri conuenire vndique cæperunt, ac se omnipotentis Dei seruitio tradentes, eius cohabitationem expetere, nonnulli verò filios suos Deo per eius magisterium instituendos offerre*, vt Faustus in eius vita scribit.

II. MAVRVS MONACHOS CONGREGAT.

Maurus Regulam sancti Benedicti, vt pote magistri sui, profitebatur. Extant huius Regulæ capita septuaginta tria.

III. REGVLA S. BENEDICTI.

Capite primo, sanctus Benedictus quatuor genera Monachorum sic enumerat. *Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum, Cœnobitarum, hoc est, monasteriale, militans sub Regula vel Abbate. Deinde, secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum; horum, qui non conuersionis feruore nouitio; sed Monasterij probatione diuturnâ didicerunt contra Diabolum multorum solatio iam docti pugnare, & benè instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi iam sine consolatione alterius, solâ manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium verò Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nullâ Regulâ approbati, vel experientiâ magistrâ, sicut aurum fornacu; sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine Pastore, non Dominicis sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis desideriorum voluptas, cùm quidquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus est Monachorum, quod nominatur gyrouagum, qui totâ vitâ suâ per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi & nunquam stabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaïtis, de quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere quàm loqui.* Cassianus [b], à quo sanctus Benedictus non pauca mutuatus est, Monachos Ægyptios in Cœnobitas, Anachoretas & Sarabaïtas ita distinguit. *Tria sunt in Ægypto genera Monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis euitandum. Primum est Cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter*

IV. DE GENERIBVS MONACH.

[b] Collat. 18. c. 4.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur, cuius generis maximus numerus Monachorum per vniuersam commoratur Ægyptum. Secundum Anachoretarum, qui priùs in Cœnobiis instituti, iámque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegere secreta. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est. De Cœnobitis & Anachoretis egimus suprà [a]. Cùm Religio Christiana duabus his professionibus Cœnobitarum & Anachoretarum gauderet, *exemplo, quod in Ananiam & Sapphiram Apostolicâ districtione punitum est, à nonnullorum contemplatione paulatim longâ incuriâ & temporis obliteratione substracto, emersit,* vt Cassianus [b] ait, *istud Sarabaitarum genus, qui ab eo quòd semetipsos in Cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt, de illorum numero procedentes, qui Euangelicam perfectionem simulare potiùs quàm in veritate arripere maluerunt, æmulatione scilicet eorum vel laudibus prouocati, qui vniuersis diuitiis mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum imbecillo animo rem summæ virtutis affectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodò nomine Monachorum absque vlla studiorum æmulatione festinant, Cœnobiorum nullatenùs expetunt disciplinam, nec seniorum subiiciuntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti suas discunt vincere voluntates, nec vllam sanæ discretionis regulam legitimâ eruditione suscipiunt, sed ad publicam tantummodò, id est, ad hominum faciem renunciantes, aut in suis domiciliis sub priuilegio huius nominis iisdem obstricti occupationibus perseuerant, aut construentes sibi cellulas, eásque Monasteria nuncupantes suo in eis iure ac libertate consistunt, nequaquam Euangelicis præceptionibus succumbentes, vt nullâ scilicet quotidiani victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur.* Et paulò pòst. *Districtionem Cœnobij declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti Abbatis curâ atque imperio gubernari, sed hoc præcipuè procurantes, vt absoluti à seniorum iugo, exercendi voluntates suas, & procedendi, vel quò placuerit euagandi, agendive quod libitum fuerit, habeant libertatem, etiam ampliùs in operibus diurnis, quàm hi, qui in Cœnobiis degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non eâ fide eodémque proposito. Hoc enim isti faciunt, non vt fructum sui operis subiiciant dispensatoris arbitrio, sed vt acquirant pecunias quas recondant.* Alij nomen Sarabaitarum non ab Ægyptia deriuant lingua, sed aut ab Hebræa radice *Sarab*, quæ refractarium seu rebellem significat, aut à pudenda voce Græca σάραξ. Sanctus Isidorus sententiæ Cassiani coniungit etymologiam Hebraïcam, quos enim ait Ægyptiâ linguâ vocari Sarabaïtas, hos Latinâ Renuitas appellat. *Ægyptiorum*, inquit [c], *linguâ Sarabaïtæ, siue Renuitæ nuncupantur.* Facilis est Latini nominis interpretatio. Renuitæ dicti sunt à renuendo, quòd Monasticæ disciplinæ iugum renuerent. Vnde hæc apud sanctum Odonem [d] Abbatem Cluniacensem. *Nos miseri, non sumus Monachi, aut falsò nominamur, sed Sarabaitæ, id est, Renuitæ, qui iugum disciplinæ renuimus.* Sanctus Benedictus, cùm Sarabaïtas genus Monachorum non *deterrimum*, vt Cassianus vocauit, sed *teterrimum*, id est, fœdissimum ac turpissimum, nominat, alludere videtur ad vocabulum Græcum, quod indicauimus suprà. Cur ipsis Sarabaïtis adhuc deteriores dicat Gyrouagos, quos in postrema Monachorum, seu potiùs Pseudo-monachorum classe collocat, tres hæ rationes afferuntur [e]. *Primò, quia Sarabaïtæ cellas ædificant, & manent firmiter in eis; Gyrouagi verò non sic, sed tanquam hospites diuersas prouincias percurrunt. Secundò, quia licèt Sarabaïtæ sint mali, nihilominùs de labore proprio viuunt; Gyrouagi de laboribus alienis, imò quod multo tempore & labore quæsitum aut congregatum est, breui horâ isti consumunt. Tertiò, isti per diuersa loca discurrunt, plurimos malæ vitæ exemplo perdunt & corrumpunt.*

[a] Ann 536 n. 170.
[b] Collat. 18. c. 7.
[c] Lib. 2. de off Eccles. c. 15.
[d] Coll. 3.
[e] Turrecremat. tractat. 8. in Reg S. Benedict.

V. DE ABBATE.

Capite secundo, Sanctus Benedictus proponit *qualis debeat Abbas esse*, & inter plurima, quorum partem omittimus, hæc habet. *Cùm aliquis susceperit nomen Abbatis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis ampliùs quàm verbis ostendat, vt capacibus discipulis mandata Domi-*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

ni verbis proponat, duris verò corde & simplicioribus, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, &c. *Non ab eo persona in Monasterio discernatur, non vnus plùs ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus aut obedientiâ inuenerit meliorem. Non conuertenti ex seruitio præponatur ingenuus, nisi alia rationabilis causa existat,* &c. *Æqualis sit ab eo omnibus caritas, vna præbeatur omnibus, secundùm merita, disciplina. In doctrinâ suâ Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare in quâ dicit.* [*Argue, obsecra, increpa*] *id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare. Negligentes & contemnentes vt increpet & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt cæperint oriri, radicitus ea, vt præualet, amputet memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos primâ vel secundâ admonitione verbis corripiat, improbos autem & duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat,* &c. *Meminere debet semper Abbas, quod est; meminere, quod dicitur; & scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur; sciátque quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus, & secundùm vniuscuiusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia, ne dissimulans aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, plùs gerat solicitudinem de rebus transitoriis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est,* &c. Iuxta præcitatam sancti Benedicti Regulam in Monasterio non tantùm ingenui sed etiam serui suscipiuntur, eâ tamen inter vtrosque intercedente differentiâ, vt in ingenuis legitimam ætatem adeptis spontanea duntaxat voluntas, in seruis præter spontaneam eorum voluntatem consensus Dominorum requiratur.

VI. DE ADHIBENDIS AD CONSILIVM FRATRIBVS.

Caput tertium Regulæ Benedictinæ totum est *de adhibendis ad consilium fratribus*, ita tamen vt Seniorum in minoribus rebus, totius congregationis in maioribus audito consilio, penes Abbatem sit eligere quod salubrius vtiliúsque videatur. *Quotiens aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vnde agitur, & audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpè iuniori Dominus reuelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, & non præsumant protaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire Magistro, ita & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab eâ temerè declinetur à quoquam. Nullus in Monasterio proprij sequatur cordis voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intus aut foris Monasterium contendere, quòd si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione Regulæ omnia faciat, sciens se proculdubiò de omnibus iudiciis suis æquissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est.* [*Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.*]

VII. DE INSTRVMENTIS BONORVM OPERVM.

Capite quarto, Sanctus Benedictus recenset bonorum operum instrumenta septuaginta duo ex vtróque Testamento collecta, vt ipsorum locorum, vnde sumpta sunt, citationes probant ad marginem appositæ, in omnibus fermè editionibus quas consuluimus. *Inprimis, Dominum Deum diligere ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute. Deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere. Non adulterari. Non facere furtum. Non concupiscere. Non falsum*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

testimonium dicere. Honorare omnes homines. Et quod sibi quis fieri non vult, alij ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Corpus castigare. Delicias non amplecti. Ieiunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. Infirmum visitare. Mortuum sepelire. In tribulatione subuenire. Dolentem consolari. A seculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi praponere. Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reseruare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Caritatem non derelinquere. Non iurare ne fortè periuret. Veritatem ex corde & ore proferre. Malum pro malo non reddere. Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem pro iustitiâ sustinere. Non esse superbum. Non vinolentum. Non multùm edacem. Non somnolentum. Non pigrum. Non murmuriosum. Non detractorem. Spem suam Deo committere. Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet non sibi. Malum verò semper à se factum sciat & sibi reputet. Diem iudicij timere. Gehennam expauescere. Vitam æternam omni concupiscentiâ spiritali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectum habere. Actus vitæ suæ omni horâ custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere & seniori spirituali patefacere. Os suum à malo vel praua eloquio custodire. Multùm loqui non amare. Verba vana aut risui apta non loqui. Risum multum aut excussum non amare. Lectiones sanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cetero emendare. Desideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odire. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat, memores illud Dominicum præceptum, [quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.] Non velle dici sanctum antequàm sit, sed priùs esse, quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Castitatem amare. Nullum odire. Zelum non habere, inuidiam non exercere. Contentionem non amare. Elationem fugere. Seniores venerari. Iuniores diligere in Christi amore. Pro inimicis orare. Cum discordante ante Solis occasum in pacem redire. Et de Dei misericordiâ nunquam desperare.

VIII. DE OBEDIENTIA.

Caput quintum, quod est de obedientiâ, sic inchoatur. *Primus humilitatis gradus est obedientiâ sine morâ.* Mirum sanè videtur, quòd sanctus Benedictus hoc loco primum humilitatis gradum statuit obedientiam, capite septimo timorem Dei. Apud Hugonem Menardum [a] obedientia non est primus humilitatis gradus ordine, sed vtilitate potior, quia, teste sancto Hieronymo [b], *est salus omnium fidelium, genitrix omnium virtutum, cibus omnium Sanctorum, per quam Martyres ad palmam meriti peruenerunt*, vel vt eodem Hieronymo posterior scribit Smaragdus in diademate [c] Monachorum, *obedientia salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni cælorum inuentrix est, cælum aperiens, hominem de terrâ eleuans; obedientia cohabitatrix est Angelorum, obedientia Sanctorum omnium cibus est, ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.* Qualis autem esse debeat obedientia, sic docet sanctus Benedictus eodem capite quinto. *Hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepidè, non tardè, aut cum murmure vel cum responso nolentis efficiatur, quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.*

[a] In not. ad concord. regul cap. 8. paragr. 1.
[b] Ap. Trithen. in not. ad c. 1. reg. S Bened.
[c] Cap. 13.

IX. DE TACITVRNITATE.

Caput sextum inscribitur de taciturnitate, damnatque scurrilitates, verba otiosa & risum mouentia, necnon multiloquium, *nam loqui & docere magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit, & ideò si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate & subiectione reuerentiæ requirantur.*

X. DE GRADIBVS HVMILITATIS.

Caput septimum est de humilitate. A Cassiano [d] decem humilitatis gradus statuuntur, à sancto Benedicto duodecim, quorum priores septem ad interiorem hominem, quinque posteriores ad exteriorem pertinent, vtrosque Ioannes Trithemius [e] duodecim versibus ita complectitur.

[d] Lib. 4. c. 39.
[e] In not. ad c. 7. reg. S Bened.

Iustorum graduum primus timet Omnipotentem.
Illecebris carnis submittit fræna secundus.

Tertius Abbati ſupponit ſe reuerenter. AN. CH.
Conuitiis ſpretis quartus patienter obedit. 544.
Abbati referat quintus penetralia cordis. CHILDEB.
Vilis & indignus conſtat ſe Iudice ſextus. CLOTAR.
Cunctis ſe credit fore ſeptimus inferiorem. RR. 33.
Scit nihil octauus niſi quod fert Regula cella. THEOD.
Non loquitur nonus, dum non interrogat alter. R. 10.
Proſcribit riſum decimus damnátque cachinnum.
Vndecimus loquitur rationis paucula verba.
Spectat humum ſemper duodenus vertice flexo.

XI. *Primus itaque humilitatis*, auctore ſancto Benedicto, *gradus eſt, ſi timorem Dei ſibi ante oculos ponens, obliuionem omninò fugiat, & ſemper ſit memor omnium quæ præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum gehenna de peccatis incendat; & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper euoluat; & cuſtodiens ſe omni horâ à peccatis & vitiis, id eſt, cogitationum, linguæ, manuum, pedum, voluntatis propriæ, ſed & deſideria carnis amputare feſtinet. Æſtimet ſe homo de cælis à Deo ſemper reſpici omni horâ, & facta ſua in omni loco ab aſpectu diuinitatis videri, & ab Angelis omni horâ renuntiari.* Rupertus ad illum locum Apocalypſeos [a], *& primus Angelus tubâ cecinit*, appoſitè hæc habet. *Ab Angelis nobis deputatis, quotidie die noctuque Domino factori noſtro opera noſtra nunciantur. Si ergo magnum ſit opus quod agimus, dum annunciatur, ipſa annunciatio quaſi cantus tubæ eſt, quaſi magnus clamor. Sine pergrande peccatum, ſiue oratio ſit vehemens, ante Deum clamor eſt.* [a] Cap. 8.

XII. *Secundus humilitatis gradus eſt, ſi propriam quis non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere, ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis.* [*Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me.*] *Item dicit ſcriptura. Voluntas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.* Hic gradus apud Caſſianum [b] primus collocatur his verbis. *Primò, ſi mortificatas in ſe habeat omnes voluntates.* Sanè de ſolis deſideriis carnis non debet explicari, quamuis ita capiatur à Ruthardo, à Trithemio aliiſque, quibus iſta lectio, *voluptas habet pœnam*, magis placet, quàm hæc vulgata & à nobis retenta, *voluntas habet pœnam*. Ceterùm hæc ſententia, *voluntas habet pœnam & neceſſitas parit coronam*, non habetur in ſacrâ ſcripturâ, & iſta verba, *item dicit ſcriptura*, quæ præmiſſa ſunt à ſancto Benedicto, non de ſacrâ ſcripturâ ſed de alicuius ſapientis ſcripto ſunt intelligenda. [b] Lib. 4. c. 39.

XIII. *Tertius humilitatis gradus eſt, vt quis pro Dei amore omni obedientiâ ſe ſubdat maiori.* Hic gradus eſt quartus apud Caſſianum, qui ſic ſcribit [c]. *Quartò, ſi in omnibus ſeruet obedientiam, manſuetudinem & patientiæ conſtantiam.* [c] Lib. 4. c. 39.

XIV. *Quartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſâ obedientiâ duris & contrariis rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis iniuriis, tacitâ conſcientiâ*, id eſt, quieto animo & ſine murmuratione, *patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſeſcat vel diſcedat, dicente ſcripturâ. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Huic gradui quintus apud Caſſianum [d] ſic reſpondet. *Quintò, ſi non ſolùm iniuriam inferat nulli, ſed ne ab alio quidem ſibimet irrogatam doleat atque triſtetur.* [d] Lib. 4. c. 39.

XV. *Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo.* Hic gradus apud Caſſianum [e] eſt ſecundus, & his verbis exprimitur. *Secundò, ſi non ſolùm actuum ſuorum, verùm etiam cogitationum, nihil ſuum celauerit Seniorem.* Idem Auctor Monachos Pachomianos non ſemel laudauit, quòd Seniori ſuo nihil de cogitationibus ſuis ſubtraherent. *Inſtituuntur*, inquit [f], *nullas penitùs cogitationes prurientes in corde perniciosâ confuſione celare, ſed confeſtim vt exortæ fuerint, eas ſuo patefacere Seniori, nec ſuper earum iudicio quicquam ſuæ diſcretioni committere, ſed illud credere malum eſſe vel bonum, quod diſcuſſerit ac pronunciauerit Senioris examen. Ita fit vt in nullo circumuenire inue-* [e] Lib. 4. c. 39. [f] Lib. 4. c. 9.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

nem callidus inimicus velut inexpertum ignarúmque præualeat, nec vllâ fraude decipere, quem præuidet non suâ sed Senioris discretione muniri, & suggestiones suas velut ignita iacula, quæcumque in cor eius iecerit, vt Seniorem celet, non posse suaderi. Aliter quippe subtilissimus Diabolus illudere vel deiicere inniorem non poterit, nisi cùm eum seu per arrogantiam siue per verecundiam ad cogitationum suarum velamen illexerit. Generale namque & euidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronunciant, si eam Seniori confundamur aperire. Item [a]. *Benè cœpisse nihil proderit, nec pleno feruore renunciationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendauerit atque concluserit, Christique humilitas atque paupertas, quam nunc coram ipso professus es, vsque ad extremum vitæ, quemadmodum arrepta est, à te non fuerit custodita. Quod vt possis implere, tu eius* (serpentis) *capita, id est, cogitationum principia semper observa, ad Seniorem scilicet mox ea deferens. Ita enim disces pernicioſa eius initia conterere, si nihil ex eis Seniori tuo erubueris reuelare.* Lege & secundam [b] collationem, in qua primam humilitatis probationem hanc esse ait, si Seniorum examini atque iudicio vniuersæ cogitationes animi subiiciantur. *Humilitatis hæc erit prima probatio, si vniuersa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, Seniorum reseruentur examini, vt nihil quis suo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solum per veram discretionis viam iuuenem recto tramite docebit incedere, verùm etiam cunctis fraudibus & insidiis inimici seruabit illæsum. Nullatenùs enim decipi poterit quisque, si non suo iudicio sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorationis eius callidus hostis illudere, qui vniuersas cogitationes in corde nascentes perniciosâ verecundiâ nescit obtegere, sed eas maturo examine Seniorum vel reprobat vel admittit. Illicò namque, vt patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit. Tandiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quandiu celantur in corde.* Ad quintum humilitatis gradum, de quo iuxta ordinem in Regula sancti Benedicti positum nunc agimus, referri potest & hic tertius Cassiani [c]. *Tertiò, si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius,* nempè Senioris, *vniuersa committat, ac monita eius sitiens ac libenter auscultet.*

a Lib. 4. c. 37.

b Cap. 10.

c Lib. 4. c. 39.

XVI. *Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate vel extremitate contentus sit Monachus, & ad omnia, quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicet & indignum.* Hæc sanctus Benedictus desumpsit ex Cassiano [d], qui septimum humilitatis, vt vocat, indicium ita delineat. *Septimò, si omni vilitate contentus sit, & ad omnia, quæ sibi præcipiuntur, velut operarium malum se iudicauerit & indignum.*

d Lib. 4. c. 39.

XVII. *Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm suâ linguâ pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu.* Iisdem penè verbis præiuit Cassianus [e], cùm octauum humilitatis indicium sic depinxit. *Octauò, si semetipsum cunctis inferiorem non superficie pronunciet labiorum, sed intimo credat affectu.*

e Lib. 4. c. 39.

XVIII. *Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.* Hic gradus humilitatis sextus est Cassiano [f], apud quem hæc leguntur. *Sextò, si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis Regula, vel maiorum cohortantur exempla.*

f Lib. 4. c. 39.

XIX. *Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem non loquatur.*

XX. *Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis & promptus in risu.* Iisdem prorsus verbis vsus est Cassianus [g]. *Decimò, si non sit facilis ac promptus in risu.*

g Lib. 4. c. 39.

XXI. *Vndecimus humilitatis gradus est, si cùm loquitur Monachus, leniter & sine risu, humiliter & cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce.* Habet quædam his non absimilia Cassianus [h] in nono humilitatis

h Lib. 4. c. 39.

militatis indicio, de quo sic scribit *Nonò, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce.*

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solùm corde Monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est, in opere Dei, in Oratorio, in Monasterio, in horto, in via, in agro, vel vbicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus reum se omni horâ de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei representari existimet.

Capite octauo Regulæ Benedictinæ, quod *de Officiis diuinis in noctibus*, id est, de Vigiliis inscribitur, annus in duas diuiditur partes, in hyemalem à Kalendis Nouembribus vsque ad Pascha, & in æstiuam à Pascha vsque ad Kalendas Nouembres. Hyemali tempore, Monachi iubentur ad Vigilias horâ noctis octauâ surgere, postquàm per sex horas & aliquantò ampliùs quieuerint. *Hyemis tempore, id est, à Kalendis Nouembribus vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis, octauâ horâ noctis surgendum est, vt modicè ampliùs de media nocte pausetur, & iam digesti surgant.* Vt dies, ita nox horis constabat duodecim. Completorium sub initium noctis, siue horâ noctis primâ dicebatur, tum fratres ibant cubitum, quiescebántque sex horis integris & ampliùs, surgebant enim ad Vigilias horâ noctis octauâ. Interstitium autem, quod à fine Vigiliarum vsque ad Matutinos, id est, vsque ad Laudes intercedebat, hi, qui Psalterij & Lectionum ignari erant, in earumdem rerum meditatione seu lectione insumebant, vt rudiores discerent rectè legere & pronunciare Lectiones & Psalterium atque etiam interpretari, imò & ipsum Psalterium memoriæ mandarent si possent. Et hic est sensus istorum verborum, quæ præcitato textui proximè subiiciuntur. *Quod verò restat post Vigilias, à fratribus, qui Psaltery vel Lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur.* Æstatis verò tempore, quia noctes tunc breuiores erant quàm in hyeme, Vigiliæ & Laudes dicebantur, paruo tantùm, quod ad requisita naturæ sufficiebat, interuallo interiecto. *A Pascha autem*, subdit sanctus Benedictus, *vsque ad supradictas Kalendas Nouembres, sic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodito, mox Matutini, quà incipiente luce agendi sunt, subsequantur.*

Capite nono, hyemales Vigiliæ sic ordinantur. *Hyemis tempore supràscripto inprimis dicatur versus.* [*Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina,*] *&,* [*Gloria.*] *Deinde tertiò*, id est ter, *dicendum est* [*Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam,*] *cui subiungendus est tertius Psalmus, &* [*Gloria.*] *Post hunc, Psalmus nonagesimus-quartus cum Antiphona aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex Psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas, & sedentibus omnibus in scamnis legantur vicissim à fratribus in Codice super analogium*, id est, super pulpitum seu lectorium ac lectrum *, *tres Lectiones, inter quas tria Responsoria* * *Le Lutrein.* *cantentur. Duo Responsoria sine* [*Gloria*] *dicantur. Post tertiam verò Lectionem qui cantat dicat* [*Gloria,*] *quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus surgant ob honorem & reuerentiam sanctissimæ Trinitatis. Codices autem legantur in Vigilijs diuinæ auctoritatis, tam veteris Testamenti quàm noui, sed & expositiones earum, quæ à nominatis & Orthodoxis Catholicísque Patribus factæ sunt. Post has verò tres Lectiones cum Responsoriis suis, sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluja cantandi. Post hos Lectio Apostoli sequatur ex corde*, seu memoriter, *recitanda, & versus, & supplicatio Litaniæ, id est, Kyrie eleison, & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.* Eiusmodi Vigiliæ diuiduntur in duos duntaxat Nocturnos, quibus præmittuntur duo versus cum totidem Psalmis & Hymno. Singuli Nocturni constant sex Psalmis, priori Nocturno subiiciuntur tres Lectiones cum tribus Responsoriis, posteriori subiicitur vna tantùm Lectio cum versu & *Kyrie eleison.* De duodenario Psalmorum in Nocturnis dicendorum numero, de Antiphonis, de Lectionibus, necnon de Responsoriis alibi disse-

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R. R. 33. THEOD. R. 10.

XXII. XXIII. DE VIGILIIS DIERVM PRIVATARVM.

XXIV. PER HYEMEM.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

ruimus. De Versibus, Psalmis & Hymno, qui præcedunt Nocturnos, agemus infrà.

XXV. PER ÆSTATEM.

Capite decimo, æstiuæ Vigiliæ sic præscribuntur. *A Paschâ autem vsque ad Kalendas Nouembres, omnis, vt suprà dictum est, psalmodiæ quantitas teneatur, excepto quòd Lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur, sed pro ipsis tribus Lectionibus vna de veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia vt suprà dictum est impleantur, id est, vt nunquam minùs à duodecim Psalmorum quantitate ad Vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio & nonagesimo-quarto Psalmo.* Hi duo Psalmi tertius & nonagesimus-quartus, præter alios duodecim qui pertinent ad Nocturnos, dici iubentur in Vigiliis cùm hyemalibus tum æstiuis. Tertius, *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* implorat diuinum auxilium, & in eandem postulationem conspirant duo versiculi præmissi, *Deus, in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*, &, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Posterior hic versus in Regulâ Magistri vocatur *versus apertionis* ab apertione labiorum propter illa verba, *Domine labia mea aperies.* Ope autem Dei sic imploratâ, Fratres ad Laudes Deo persoluendas mutuò se excitant Psalmo nonagesimo-quarto, *venite, exultemus Domino*, qui Psalmus inuitatorius ideò nuncupatur. Appositè sequitur Hymnus seu Carmen de ipsis Dei laudibus, Ambrosianum appellat sanctus Benedictus de nomine beati Ambrosij Mediolanensis olim Antistitis. Isidorus Hispalensis antiquissimos ac præcipuos Hymnorum Auctores agnoscit Sanctissimos Doctores Hilarium & Ambrosium. *Sunt*, inquit [a], *diuini Hymni, sunt & ingenio humano compositi. Hilarius autem Gallus, Episcopus Pictauiensis, eloquentiâ conspicuus, Hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Mediolanensis Episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo, & clarissimus Doctor in Ecclesiâ, copiosus in huiusmodi carmine claruisse cognoscitur. Atque inde Hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur, quia eius tempore primùm in Ecclesiâ Mediolanensi celebrari cœperunt, cuius celebritati deuotio posthac per totius Occidentis Ecclesias obseruatur. Carmina autem, quæcumque in laudem Dei dicuntur, Hymni vocantur.* Patres Concilij Toletani [b] quarti, quod paulò pòst regnante Sisenando celebratum est, laudarunt eosdem Hymnos, *quos beatissimi Doctores Hilarius & Ambrosius ediderunt.* Sanctus Benedictus vir Italus Hymnos Ambrosianos Hilarianis, aut saltem Ambrosianum nomen Hilariano prætulit, Ambrosianorum enim vocabulo complexus videtur Hymnos quoscumque cani consuetos in Ecclesiâ, siue à sancto Hilario, siue à sancto Ambrosio vel ab aliis ad eorum imitationem compositi fuissent.

[a] De Offic. Eccles. lib 1. c. 6.

[b] Can. 13. edit. 2.

XXVI. DE VIGILIIS DIERVM DOMINICARVM.

Capiti vndecimo Regulæ Benedictinæ præfigitur hic titulus, *qualiter diebus Dominicis Vigiliæ agantur.* De priuatis igitur diebus intelligi debent tria priora capita, in quibus agitur etiam de tempore ac modo agendarum Vigiliarum. Inter vtrásque autem Vigilias id discriminis intercedit, quòd diebus Dominicis augetur Officium nocturnarum Vigiliarum, ideóque temporiùs, id est, citiùs, ad easdem Vigilias surgendum est. En verba sancti Benedicti. *Dominico die temperiùs surgatur ad Vigilias, in quibus Vigiliis teneatur mensura, id est, modulatis, vt suprà disposuimus, sex Psalmis & versu, residentibus cunctis dispositè & per ordinem in subsellijs, legantur in codice, vt suprà diximus, quatuor Lectiones cum Responsorijs suis, vbi tantùm in quarto Responsorio dicatur à cantante Gloria; quam dum incipit, mox omnes cum reuerentiâ surgant. Post quas Lectiones sequantur ex ordine aly sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & versus. Post quos iterùm legantur aliæ quatuor Lectiones cum Responsorijs suis, ordine quo suprà. Post quas dicantur tria Cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas, quæ Cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento, ordine quo suprà. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo dicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omni-*

bus. Quâ perlectâ respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum, Te decet laus, & datâ benedictione incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum, omni tempore tam æstatis quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè, quod absit, tardiùs surgant, & aliquid de Lectionibus breuiandum est, aut Responsoriis, quod tamen omnino caueatur ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat Deo in Oratorio, per cuius eucnerit neglectum. Diebus Dominicis prolixiores Vigilias quàm diebus priuatis instituit sanctus Benedictus. Id etiam præstiterunt alij Regularum monasticarum conditores. Exemplo iam fuit beatus Cæsarius in Regula Monachorum. Nam capite vicesimo duos Nocturnos trésque duntaxat Missas seu Lectiones in Vigiliis à mense Octobri vsque ad Pascha priuatis diebus ita præscripsit. *Ad Vigilias* (præpositionem *ad*, quæ desideratur in exemplaribus, restituendam esse iam [a] monuimus) *à mense Octobri vsque ad Pascha duos Nocturnos faciant & tres Missas.* Deinde capite vicesimo-primo numerum Missarum seu Lectionum in Vigiliis dierum Dominicarum duplicauit, sex enim Missas seu Lectiones fieri sic præcepit. *Omni Dominicâ sex Missas facite. Prima Missa semper Resurrectio legatur; dum Resurrectio legitur, nullus sedeat. Perfectis Missis dicite Matutinos*, id est, Laudes. Sanctus Aurelianus & S. Columbanus, quorum Regulas suis locis exponemus, in Vigiliis dierum Dominicarum, numerum aut Lectionum aut Psalmorum pariter auxerunt. Consule & Regulam [b] sancti Isidori, si lubet. Die Dominicâ producendas esse Vigilias suasit ipsius eminentia diei. Priuatis diebus Vigiliæ longiores erant in hyeme quam in æstate, quia in hyeme post primum Nocturnum tres Lectiones totidémque Responsoria dicebantur, in æstate vna duntaxat Lectio cum breui Responsorio. Diebus Dominicis cùm in hyeme tum in æstate multò longiores erant adhuc Vigiliæ. Quatuor auctiones hîc obserua. Primò, priuatis diebus post Psalmos primi Nocturni in Vigiliis æstiuis vna dicebatur Lectio, quam breue Responsorium sequebatur, in Vigiliis hyemalibus tres Lectiones cum totidem Responsoriis, diebus verò Dominicis in Vigiliis, tam æstiuis quàm hyemalibus Lectiones quatuor cum suis Responsoriis. Secundò, priuatis diebus post Psalmos secundi Nocturni in Vigiliis cùm æstiuis tum hyemalibus vna tantùm Lectio fiebat ex corde seu memoriter, & absque Responsorio, diebus verò Dominicis Lectiones quatuor nec pauciora Responsoria dicebantur. Tertiò, priuatarum dierum Vigiliæ cùm in æstate tum in hyeme duobus tantùm Nocturnis constabant, dierum verò Dominicarum Vigiliæ per totum annum tribus constabant Nocturnis, quorum postremum conficiebatur ex tribus Canticis & ex quatuor Lectionibus cum totidem Responsoriis. Quartò, in Vigiliis dierum Dominicarum post vltimum Responsorium tertij Nocturni adduntur Hymnus, *Te Deum laudamus*, Lectio de Euangelio, Hymnus, *Te decet laus*, & Benedictio, quorum Hymnorum, Lectionis ac Benedictionis nulla prorsus mentio fit in Vigiliis priuatarum dierum. De auctionibus, quæ consistunt in Lectionibus, in Responsoriis & in Canticis, nihil hîc dicemus, quia quid sit Lectio, quid Responsorium, quid Canticum, explicuimus alibi. De Hymno, *Te Deum laudamus*, locuti quoque sumus ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum [c], cùm sanctionem de matutinis Laudibus dierum Dominicarum à Sancto Cæsario in Regula [d] Monachorum latam interpretaremur. Illum igitur Hymnum commendarunt Sancti Cæsarius & Benedictus, canique voluerunt Sanctus Cæsarius in fine Laudum, Sanctus Benedictus in fine Vigiliarum. Vnde appositè Gabriel Bucelinus obseruat libro tertio [e] Menologij Benedictini, quòd *idem* Sanctus Benedictus *ex SS. Ambrosio & Augustino Hymnum, Te Deum laudamus, primus Matutinis*, siue, vt vsitatiùs hodie loquimur, Matutino, id est, Vigiliis *adiecit*. Hymnus ille Sanctis Ambrosio & Augustino solet adscribi. Non desunt qui totum Hymnum, quia dialogismo caret, vni tribuant Ambrosio. Legitur pro titulo *Hymnus Sancti Abundij* in Breuiario manuscripto Collegij Aniciani de Vrbe antiquissimo, vt in Bre-

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] Ad an. 536. n. 143.

[b] Cap. 7.

[c] Nu. 155. 158.

[d] Cap. 11.

[e] D. 11. Mart.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

uiarij rubricis [a] obseruauit Gauantus, qui viros eruditos consuluit, nec à quoquam didicit quis hic possit esse sanctus Abundius. In Psalterio Latino-Gallico, cuius meminit Iacobus Vsserius Armachanus in Tractatu de Symbolo Romanæ Ecclesiæ, reperitur nomen sancti Nicetij, *sed an hic fuerit Treuirensis aut Lugdunensis Episcopus*, apud Ioannem Bonam in Tractatu [b] de diuina Psalmodia *non liquet*. Certè Nicetius Lugdunensis Episcopus, cuius decessor Sacerdos anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo Concilium Aurelianense Quintum suâ subscriptione communiuit, haberi non debet auctor operis, cuius mentionem Sancti Cæsarius & Benedictus in suis Regulis fecerunt. Ætas Nicetij Treuirensis Episcopi non ita repugnat, Episcopatum enim suscepit anno Christi quingentesimo vicesimo-septimo, cùm Sancti Cæsarius & Benedictus florebant, ille in Galliis, hic in Italia, sed occurrit aliunde scrupulus, quia Nicetius Treuirensem Pontificatum diutissimè gessit, obiit enim regnante iam in Austrasia Sigiberto Clotarij filio, superstésque Sanctis Cæsario & Benedicto vixit annos circiter viginti, nec censendus est Hymnum condidisse de quo loquimur, nisi dicatur in eam rem incubuisse sub initium sui Præsulatus, atque adeò feliciter, vt paucis pòst annis (id autem vix quisquam facilè credat) eodem Hymno diuinum Officium auxerint in Galliis & in Italia celeberrimi Regularum monasticarum conditores, Cæsarius Arelatensis Episcopus & Benedictus Abbas Casinensis. Idem etiam Hymnus in Psalterio manuscripto Basilicæ sancti Petri in Vaticano inscribitur *Hymnus S. Sisibuti*. Testem illius tituli habes Ioannem Bonam iam laudatum, qui proximè subiungit nec etiam constare *quis fuerit ille Sisibutus*. In alio Codice, quem præ manibus habuimus, legitur quoque nomen Sisebuti, ísque Sisebutus non Sanctus sed Monachus tantùm appellatur, prædictus enim Hymnus inscribitur *Hymnus Sisebuti Monachi*. Allatus est hic Codex ex Italiâ, complectitur Breuiarium ac Rituale Ordinis Benedictini, seruatúrque in Bibliotheca nostræ Congregationis in Parisiensi suburbio Sancti Michaelis. Scriptus videtur anno Christi circiter millesimo-centesimo, cùm Romæ sedebat Paschalis Secundus Papa, Monasterio Casinensi præerat Abbas Odorisius, & Orientis Imperium tenebat Alexius Comnenus. Exhibet enim indiculum de sex ætatibus ab orbe condito vsque ad Alexium Comnenum Imperatorem, item catalogum Romanorum Pontificum à Sancto Petro vsque ad Paschalem Secundum, necnon seriem Abbatum Casinensium à Sancto Benedicto vsque ad Odorisium. Quis autem Sisebutus ille Monachus fuerit, haud prodit, nec aliunde potuimus deprehendere. Quapropter in tanta tot Scriptorum tótque Codicum discrepantia, qui prælaudato Hymno adeò diuersos auctores attribuunt, donec aliud pro certo constet, facilè imus in Lorini [c] Bonæque [d] sententiam, qui non existimant à recepta traditione recedendum. Post Hymnum, *Te Deum laudamus*, sequitur in Regula sancti Benedicti Lectio de Euangelio, tum Hymnus, *Te decet laus*, & Benedictio quâ Vigiliæ clauduntur. Circa Lectionem de Euangelio tria sunt annotanda. Præcipit Sanctus Benedictus vt Abbas illam Lectionem legat; vt Abbate Lectionem illam legente stent omnes cum honore & tremore; vt lectâ illâ Lectione omnes respondeant, Amen. Ad hunc locum rectè scribit Smaragdus, quòd quamuis Sanctus Benedictus dixerit vt Abbas Euangelium legat, *tamen non hoc omnes debent valéntque facere Abbates. Sunt enim, qui aut impediente culpâ non debent, aut impossibilitate nocente non valent*. Posterioris generis est Abbas, qui non est Presbyter aut Diaconus. *Sunt Abbates, qui nec Sacerdotij*, inquit idem Smaragdus, *nec Leuitæ funguntur ministerio, ideò nec sacrosanctum legere possunt Euangelium*. Mos standi, dum Euangelium legitur, antiquior est S. Benedicto. Anastasius enim Papa, qui Pontificatum gerebat anno Christi quadringentesimo, statuit *vt quotiescumque Euangelia sancta recitantur, Sacerdotes non sederent, sed cum ſtarent*. Lege illius vitam apud Anastasium Bibliothecarium, & reuerentiam sancto Euangelio debitam obserua. In

[a] Sect. 5. c. 19.
[b] Cap. 16. paragr. 12. n. 3.
[c] In Psalm. 17.
[d] Cap. 16. paragr. 12. n. 3.

fine Lectionis, omnes respondent, *Amen*, id est, verè, quia Euangelio se credere profitentur. Hoc enim vocabulum, vt Vrbanus Quartus Pontifex Maximus notat[a], accipitur nominaliter, aduerbialiter & verbaliter. Cùm nominaliter sumitur, nomen Dei significat hoc modo. *Hæc dicit Amen testis fidelis.* Cùm sumitur aduerbialiter, significat *verè*, vt hoc loco, & passim in Euangeliis, *Amen, Amen dico vobis*, id est, *verè, infallibiliter, ita est sicut dico vobis.* Cùm sumitur verbaliter, idem est ac fiat, & hoc sensu in fine Orationum seu Collectarum ponitur, nec non in fine quorumdam Psalmorum ingeminatur, quia vbi nos legimus, *fiat, fiat*, in Hebraïco habetur, *Amen, Amen.* Haestenus [b] posteriorem Hymnum, cuius initium est, *Te decet laus*, desumptum suspicatur ex Constitutionibus quæ sancto Clementi tribuuntur. Ibi enim hæc inueniuntur [c]. *Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria, Deum Patrem per Filium in Spiritu sancto, in sæcula sæculorum Amen.* Sequitur Benedictio, id est, Oratio seu Collecta, *vtroque* enim *nomine, id est, Benedictionis & Orationis, vocatur Oratio Sacerdotis*, vt Amalarius [d] testatur. Hæ sunt auctiones, quibus sanctus Benedictus Vigilias dierum Dominicarum à Vigiliis priuatarum dierum distinxit, vt longiores tantóque solemniores essent, atque ob eandem causam præcepit, vt diebus Dominicis Monachi *temperiùs*, siue vt quidam Codices elegantiùs habent, *temporiùs*, id est, citiùs, ad Vigilias celebrandas è lecto surgerent.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] In Psal. 50.

[b] Lib. 7. tract. 6 disquis. 8.

[c] Lib. 7. c. 49.

[d] Lib. 1. c. 9.

XXVII. DE LAVDIBVS IN DIEBVS DOMINICIS.

Capite duodecimo Regulæ Benedictinæ præscribitur ordo Matutinorum seu Laudum diebus Dominicis. *In Matutinis Dominico die inprimis dicatur sexagesimus-sextus Psalmus sine Antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluja. Post quem dicatur centesimus decimus-septimus & sexagesimus-secundus. Inde Benedictiones & Laudes, Lectio de Apocalypsi vna ex corde, & Responsorium, & Ambrosianum, & Versus, & Canticum de Euangelio, Litania, & completum est.* In Matutinis Laudibus iidem Psalmi eadémque Cantica hodiéque iuxta ritum Romani Breuiarij dicuntur diebus Dominicis à Septuagesima vsque ad Pascha. Dicitur enim Psalmus quinquagesimus, *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.* Dicitur Psalmus centesimus decimus-septimus, *Confitemini Domino quoniam bonus.* Dicitur Psalmus sexagesimus-secundus, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Dicitur Psalmus sexagesimus-sextus, *Deus misereatur nostri & benedicat nobis.* Dicuntur Benedictiones, id est, Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dicuntur Laudes, id est, Psalmus centesimus quadragesimus-octauus, *Laudate Dominum de cælis*, cum duobus sequentibus, *Cantate Domino canticum nouum, laus eius*, &c. & *Laudate Dominum in sanctis eius.* Dicitur & Canticum de Euangelio, id est, Canticum Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israël.* Aliis verò diebus Dominicis non dicitur Psalmus quinquagesimus, *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*; & Psalmus centesimus decimus-septimus, *Confitemini Domino quoniam bonus*, dicitur ad Primam. De Oratione Dominica, quâ sanctus Benedictus matutinas Laudes claudit, ad caput Regulæ decimum-tertium acturi sumus infrà.

XXVIII. DE LAVDIBVS IN DIEBVS PRIVATIS.

Capite decimo-tertio præscribitur ordo Matutinorum seu Laudum diebus priuatis seu ferialibus. *Diebus autem priuatis Matutinorum solemnitas ita agatur, id est, vt sexagesimus-sextus Psalmus dicatur sine Antiphona protrahendo morosè sicut die Dominico, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alij duo Psalmi dicantur secundùm consuetudinem, id est, secundâ feriâ quintus & trigesimus-quintus; tertiâ feriâ quadragesimus-secundus & quinquagesimus-sextus; quartâ feriâ sexagesimus-tertius & sexagesimus-quartus; quintâ feriâ octogesimus-septimus & octogesimus-nonus; sextâ feriâ septuagesimus-quintus & nonagesimus-primus; Sabbato autem centesimus quadragesimus-secundus & Canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias, nam ceteris diebus Canticum vnumquodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur Laudes, deinde Lectio vna Apostoli memoriter reci-*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

tanda, Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litania, & completum est. Planè Agenda matutina vel vespertina non transeant aliquando, nisi in vltimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius orationis sponsionem, quâ dicunt, [Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] purgent se ab huiusmodi vitio. Ceteris verò Agendis vltima pars eius Orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur [Sed libera nos à malo.] Vt die Dominico sic omnibus feriis & Sabbato dicuntur initio matutinarum Laudum Psalmi, sexagesimus-sextus & quinquagesimus. Diebus Dominicis post nocturnas Vigilias nullâ interpositâ morâ dicuntur Laudes matutinæ, nec ad eas illis diebus tardè quis venire potest : secùs priuatis diebus, quia post nocturnas Vigilias Congregatio dimittitur, iterúmque sub Auroram ad matutinas Laudes conuocatur, inter vtrumque Officium intercedente temporis interuallo, nunc longiore, nunc breuiore, noctes enim longiores sunt in hyeme, breuiores in æstate. Sanctus Benedictus, vt priuatis diebus omnes occurrant ad Psalmum quinquagesimum, qui post sexagesimum-sextum in matutinis Laudibus dicitur, eundem Psalmum sexagesimum-sextum, à quo matutinæ Laudes incipiuntur, iubet priuatis diebus dici *protrahendo morosè sicut die Dominico.* Hinc collige correptioni subiacere Monachum, qui veniat ad matutinas Laudes Psalmo sexagesimo-sexto iam finito, & Officium diuinum diebus Dominicis ac festiuis multò grauiùs ac lentiùs dici quàm priuatis. Præterea obserua matutinis Laudibus optimè conuenire prædictos Psalmos sexagesimum-sextum & quinquagesimum, qui singulis diebus ad illam horam iuxta sanctionem suprà recitatam dicuntur. Sexagesimus-sextus hoc habet initium, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri*, & aptè sub Auroram in matutinis Laudibus dicitur, quòd iam die illucescente mens nostra illuminanda sit à Deo. Quinquagesimus, cuius principium tale est, *Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*, initio diei conuenientissimè canitur à peccatore, qui serò peccatum suum agnoscens petit culpæ remissionem, *Miserere mei Deus*, &c. deinde postulat infusionem gratiæ, *Asperges me hyssopo*, &c. postremò promittit satisfactionem, *Docebo iniquos vias tuas*, &c. Cunctis autem diebus, seu festis seu priuatis, ad Laudes matutinas dicuntur hi duo Psalmi, quia nihil æquius videtur, quàm vt homo quotidie primo mane cupiat illuminari à Deo, seque peccatorem humillimè coram eo fateatur. Hos Psalmos, singulis diebus, excepto Sabbato, excipiunt alij duo, qui non minùs appositè conueniunt matutinis Laudibus. Die Dominico dicuntur centesimus decimus-septimus, *Confitemini Domino quoniam bonus*, & sexagesimus-secundus, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Prior omnes ad Dei laudem inuitat, dieique Dominico competit ob hunc [a] versiculum, *Hæc dies, quam fecit Dominus : exultemus & lætemur in ea.* Posterior conuenit Officio matutinarum Laudum vel ex hoc primo Versu, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, cui iunge & septimum, *In matutinis meditabor in te : quia fuisti adiutor meus.* Secundâ feriâ dicuntur Psalmi, quintus, *Verba mea auribus percipe Domine*, & triceſimus-quintus, *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso.* Prior assiduitatem orationis commendat his versibus [b], qui tempus matutinum designant, *Quoniam ad te orabo Domine : manè exaudies vocem meam.* Et, *Manè astabo tibi, & videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Posterior Psalmus bonitatem Dei, quam quisque, ne videatur ingratus, primo mane debet prædicare, demonstrat adeò copiosam esse in omnes, vt etiam ipsos nefarios homines terræque animantia complectatur, moueátque, ac continuis donis & beneficiis afficiat. Tertiâ feriâ dicuntur Psalmi, quadragesimus-secundus, *Iudica me Deus*, & quinquagesimus-sextus, *Miserere mei Deus, miserere mei.* Prior accommodatur matutinis Laudibus, anima enim diuinam opem, quam poscit, versu tertio lucem sic appellat, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Posterior hominem

[a] Vers. 24.

[b] 5.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

introducit, qui misericordiam Dei rursùm implorat, *Miserere* [a] *mei Deus, miserere mei*; Deinde exauditus, *Misit* [b] *Deus misericordiam suam*, in gratiarum actionem effunditur, *Exaltare* [c] *super cælos Deus*. Quartâ feriâ dicuntur Psalmi, sexagesimus-tertius, *Exaudi Deus, orationem meam cùm deprecor*, & sexagesimus-quartus, *Te decet hymnus Deus in Sion*. Prior est instar orationis quâ fideles quique suam Deo causam commendant, talisque precatio conuenientissimè fit sub Auroram. Posterior vel ex primo versiculo, *Te decet hymnus Deus in Sion*, congruenter admodùm canitur ad Laudes. Quintâ feriâ dicuntur Psalmi LXXXVII. *Domine Deus salutis meæ*, & LXXXIX. *Domine, refugium factus es nobis*. In priori legitur hic versiculus, *Mane oratio mea præueniet te*, iste in posteriori, *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ*, vterque matutinis Laudibus aptissimè congruit. Sextâ feriâ dicuntur Psalmi, LXXV. *Notus in Iudæa Deus*, & nonagesimus-primus, *Bonum est confiteri Domino*. Prior pertinet ad Laudes, nam Deo laudes persoluit ob partam in Assyrios victoriam. Habet enim talem titulum, *In finem carminibus canticum ad Assyrios Psalm. Asaph*. Et huius tituli sensus est. Psalmus, quem fecit Asaph, *in finem*, scilicet in Christum, nos dirigit; est *in carminibus*, id est, in laudibus de victoria Iudæis à Deo data; est *canticum*, quia gratias agit Deo de victoria, éstque *ad Assyrios*, id est, aduersus Assyrios, quoniam agit de persecutione illorum à Deo miraculosè factâ. Posterior Psalmus aptatur matutinis Laudibus ob hunc [d] maximè versiculum, *Ad annunciandum manè misericordiam tuam* nam *mane* initium diei significat, & eo tempore mens ad diuina largiùs haurienda videtur aptior, vt ad illum Psalmum obseruat Ioannes Baptista Folengius. Sabbato dicitur Psalmus centesimus quadragesimus-secundus, *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*. Hic Psalmus, teste Michaële Ayguano, *intentionem mouet ad pœnitentiam & deuotam orationem*. Aliam causam ne quæras cur matutinis Laudibus attribuatur, æquum enim est, vt quisque singulis dierum exordiis in memoriam sibi reuocet & agendam pœnitentiam & orationem deuotè fundendam esse. Nota die Dominico, singulisque feriis ad matutinas Laudes duos peculiares assignari Psalmos, vnum Sabbato. Tota differentiæ ratio procedit ex subsequente Cantico Deuteronomij, id est, ex Cantico Moysis, *Audite cæli quæ loquor*, quod habetur capite Deuteronomij trigesimo-secundo. Hoc enim Canticum, quia longius est, separatur in duas partes, & istâ partitione vicem omissi Psalmi supplet; diuiditur, inquit S. Benedictus, *in duas glorias*, id est, in duas partes, & vtraque pars clauditur glorificatione beatissimæ Trinitatis, *Gloria Patri*, &c. Hæc de Psalmis matutinarum Laudum, quos sanctus Benedictus Cantico præmisit. Iuxta ritum Romanum ante Canticum in matutinis Laudibus etiamnum dicuntur quatuor Psalmi, quorum duo posteriores, nempe sexagesimus-secundus, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, & sexagesimus-sextus, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis*, dicuntur quotidie, subque vnâ glorificatione: secus est de duobus prioribus. Nam diebus Dominicis & festiuis dicuntur nonagesimus-secundus, *Dominus regnauit, decorem indutus est*, & nonagesimus-nonus, *Iubilate Deo omnis terra*, diebúsque priuatis quinquagesimus, *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*, & vnus ex iis quos sanctus Benedictus assignat, nempè feriâ secundâ quintus, *Verba mea auribus percipe Domine*; feriâ tertiâ quadragesimus secundus, *Iudica me, Deus*: feriâ quartâ sexagesimus-quartus, *Te decet hymnus*; feriâ quintâ octogesimus-nonus, *Domine, refugium factus es nobis*; feriâ sextâ centesimus quadragesimus-secundus, *Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*, quem Sabbato sanctus Benedictus attribuit; Sabbato nonagesimus-primus, *Bonum est confiteri Domino*, quem vice versâ sanctus Benedictus attribuit feriæ sextæ. Post Psalmos in matutinis Laudibus sequitur Canticum. Die Dominico dicitur Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; Sabbato Canticum Deuteronomij, *Audite cæli quæ loquor*; ceteris diebus priuatis Cantica ex Prophetis.

[a] Vers. 1.
[b] Vers. 6.
[c] Vers. 7.
[d] Vers. 2.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Tum Laudes, id est, Psalmus centesimus quadragesimus-octauus, *laudate Dominum de cœlis.* Deinde Lectio, die quidem Dominico ex Apocalypsi, diebus verò priuatis ex Apostolo. Denique quotidie Responsorium, Hymnus, Versus, Canticum Zachariæ, *Benedictus Dominus Deus Israël*, & Litaniæ, id est, *Kyrie eleison.* Sicque terminantur matutinæ Laudes additâ orationè Dominicâ, quæ clarâ & distinctâ voce pronunciatur à Priore *propter scandalorum spinas*, id est, propter iurgiorum difficultates, quæ oriri solent in Monasterio, vt Monachi *conuenti* siue interpellati per ipsius orationis sponsionem, quâ dicunt, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, purgent se ab huiusmodi vitio. Ceterùm hæc oratio quotidie non tantùm dicitur in fine matutinarum Laudum, sed etiam in fine cuiuslibet *Agendæ*, id est, cuiuslibet Officij diuini cùm nocturni tum diurni, si solas Vigilias Dominicarum excipias, nam sanctus Benedictus illis finitis datâ benedictione, id est, dictâ Oratione seu Collectâ, iubet incipi Matutinos, vt obseruauimus [a] suo loco. Non autem dicitur eodem modo in fine omnium horarum, in Agendis enim matutinâ & vespertinâ tota recitatur à Priore clarâ voce, in aliis autem horis submissâ voce dicitur vsque ad illa verba, *& ne nos inducas in tentationem*, quæ clarâ voce proferuntur à Priore, ceteris respondentibus *sed libera nos à malo.*

[a] Ad c. 11.

XXIX. DE VIGILIIS IN NATALITIIS SANCTORVM ET IN SOLEMNITATIBVS.

Capite decimo-quarto sanctus Benedictus redit ad Vigilias, eásque in natalitiis Sanctorum & in omnibus Solemnitatibus agendas docet vt diebus Dominicis, excepto quòd dicantur Psalmi, Antiphonæ & Lectiones quæ ad ipsas Solemnitates ipsáque natalitia Sanctorum pertineant. *In Sanctorum*, inquit, *festiuitatibus, vel omnibus Solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur, excepto quòd Psalmi, aut Antiphonæ, vel Lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur. Modus autem suprà scriptus teneatur.*

XXX. DE ALLELVIA.

Capite decimoquinto statuit quibus temporibus dici debeat Alleluia. *A sancto Paschâ vsque ad Pentecosten sine intermissione dicatur Alleluia, tam in Psalmis quàm in Responsoriis. A Pentecoste vsque ad caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis tantùm ad Nocturnos dicatur. Omni verò Dominicâ extra Quadragesimam, Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nonáque cum Alleluia dicantur. Vespera verò cum Antiphonis, Responsoria verò nunquam dicantur cum Alleluia, nisi à Paschâ vsque ad Pentecosten.* Rupertus [b] caput Quadragesimæ Septuagesimam interpretatur, vt Regulam sancti Benedicti concilier cum Romanâ Ecclesiâ, quæ à multis seculis *Alleluia* in Septuagesimâ deponit. Sed huic opinioni refragatur vsus, qui diutiùs in Monasteriis Benedictinis & in multis Ecclesiis viguit, vt *Alleluia* caneretur in Septuagesimâ, nec ante primam Dominicam Quadragesimæ intermitteretur.

[b] De reg. S. Bened. lib. 2. cap. 13.

XXXI. DE HORIS DIVRNIS.

Capite decimo-sexto, sanctus Benedictus horas diurnas, quas à nocturnis distinguit, reducit ad septenarium numerum, nominat enim Matutinos, Primam, Tertiam, Sextam Nonam, Vesperam & Completorium. Textus talis est. *Vt ait Propheta.* [*Septies in die laudem dixi tibi.*] *Qui septenarius sacratus numerus à nobis sic implebitur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his diurnis horis dixit* [c], [*septies in die laudem dixi tibi.*] *Nam de nocturnis Vigiliis idem ipse Propheta ait.* [*Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.*] *Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperâ, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.*

[c] Psalm 118.

XXXII. Caput decimum-septimum, in quo sanctus Benedictus agit de Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperâ & Completorio, commodè diuidi potest in quatuor partes. Prima transitionem complectitur à Nocturnis & Matutinis, id est, à Vigiliis & Laudibus, quæ superiùs expositæ sunt, ad horas subsequentes, de quibus in hoc capite sanctiones eduntur. *Iam de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem psalmodiæ, nunc de sequentibus horis videamus.* Secun-

da

da pars, quomodò Prima, Tertia, Sexta & Nona sint agendæ, sic edocet. *Primâ horâ dicantur tres Psalmi singillatim, & non sub vnâ Gloriâ. Hymnus eiusdem horæ post Versum, [Deus in adiutorium meum intende] antequàm Psalmi incipiantur. Post expletionem verò trium Psalmorum recitetur Lectio vna, Versus, & Kyrie eleison, & Missæ sint. Tertia verò, Sexta & Nona eodem ordine celebretur, id est, Versus, Hymni earumdem horarum, terni Psalmi, Lectio & Versus, Kyrie eleison, & Missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis; si verò minor, in directum psallantur.* In agendis igitur quatuor illis horis hic ordo modúsque seruatur. Primò dicitur Versus, *Deus in adiutorium meum intende*, cum glorificatione beatissimæ Trinitatis, *Gloria Patri*, &c. tum Hymnus. Hæc enim initio capitis duodecimi leguntur. *Inprimis dicatur Versus, Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina; & Gloria. Inde Hymnus cuiusque horæ.* Editio Duacensis prædicto Versui sic Orationem præmittit, *Tertia verò, Sexta, & Nona, item eodem ordine celebretur, Oratio, Versus, Hymni earumdem horarum.* In editionibus Colonienſi & Parisiensi Oratio & Versus non distinguuntur, *Oratio, id est, Versus.* In editione Romanâ, quam secuti sumus, non legitur vox *Oratio*, reperitur autem in manuscripto Codice, qui vocabula prænominatarum horarum profert in obliquo casu, textumque sancti Benedicti sic deprauat. *Tertiæ verò, Sextæ & Nonæ eodem ordine celebretur Oratio, id est, Versus, Hymni*, &c. Horæ igitur prædictæ inchoantur à præcitato Versu, cui non incongruè nomen Orationis tribuitur, est enim oratio quâ diuinum auxilium efflagitatur. Hunc Versum, cui glorificatio indiuiduæ Trinitatis annectitur, sequitur Hymnus. Hymnum excipiunt tres Psalmi, qui psalluntur ad Primam cum Antiphonis; ad Tertiam verò, Sextam & Nonam, si maior sit Congregatio, *cum Antiphonis*, si minor, *in directum*, in Monasteriis enim minoris Congregationis minorisque substantiæ, graue admodum esset has horas solemni cantu persoluere, cùm pauci Monachi remanere possint in choro propter opera, quibus alij necessariò detinentur occupati. Post Psalmos recitatur vna Lectio, tum Versus & Kyrie eleison. Deinde Missæ sunt seu fiunt. Inquirendum hoc loco, quid apud Sanctum Benedictum significent hæ loquendi formulæ, *Missæ sint* & *Missæ fiant*, quarum altera in fine Primæ subsequentiúmque horarum diurnarum collocatur. Smaragdus duas interpretationes ita profert. *Quod in aliis locis dicit, & completum est; hâc in clausulâ, & Missæ sunt, dicit, &, Missæ sunt, repetit. Orationes enim officij, quæ à nobis sunt completæ, Deo sunt missæ, quia in illius honore sunt celebratæ. Aliter, Orationes, id est, Collectæ, quæ in fine cursus à Sacerdote dicuntur, Missæ, id est, Deo missæ vocantur.* Posterior explicatio magis arridet. Horæ igitur, Prima, Tertia, Sexta & Nona sic clauduntur. Post *Kyrie eleison* dicitur Oratio Dominica eo quo suprà expositum est modo, tum Missæ seu Collectæ. Tertia pars capitis, quod examinamus, agit de Officio Vespertino. *Vespertina autem synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur, post quos Psalmos Lectio recitanda est, inde Responsorium, Ambrosianum; Versus, Canticum de Euangelio, Litaniæ, & Oratio Dominica, & fiant Missæ.* Quamuis in hoc textu nec Versus nec Hymnus Psalmis præmittatur, initium Vesperarum petere debes à Versu, *Deus, in adiutorium meum intende*, & à glorificatione beatissimæ Trinitatis, quibus subiiciantur quatuor Psalmi. Prædictus Versus exordium est omnium horarum, si Matutinos excipias, in quorum exceptionem inquiremus capite sequenti. Hymnus in Vesperis dicitur post Psalmos, imò inter Psalmos & ipsum Hymnum, quem sanctus Benedictus *Ambrosianum* vocat, recitantur Lectio & Responsorium. Porrò duodenarium Psalmorum numerum, quem Cassianus [a] in Vespertinis Officiis laudat, sanctus Benedictus reducit ad quaternarium, quia superaddit Completorium, de quo mox acturi sumus. Psalmos Vespertinos excipiunt Responsorium, Ambrosianum siue Hymnus, Versus, Canticum de Euangelio, id est, *Magnificat*, Litaniæ siue Kyrie eleison, Oratio Dominica de quâ suprà, & Missæ seu

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

DE PRIMA. TERTIA, SEXTA, NONA.

VESPERA.

[a] Lib. 2. c. 6.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Collectæ. Completorium, de quo postrema pars huius capitis instituitur, ordinatur hoc modo. *Completorium autem trium Psalmorum dictione terminetur. Qui Psalmi directanei sine Antiphona dicendi sunt. Post quos Hymnus eiusdem horæ, Lectio vna, Versus, Kyrie eleison, & Benedictio, & Missæ fiant.* Completorium, seu Completa, vel Completæ, vt Latinis placet, à sancto Basilio [a] dicitur ἄϋπνοις, pertinétque ad initium noctis, καὶ πάλιν ἡ νυκτὸς δεχομένη, ἡ ἄϋπνοις. Hæc hora vix in Oriente celebrata reperitur ante sanctum Basilium, nec in Occidente ante sanctum Benedictum. Nuncupatur ἄϋπνοις, id est, Petitio, quia in ea petitur à Deo quies noctis secura & placida. Vocatur & Completorium, quia complet seu claudit Officium diuinum. Sic autem ordinatur. Dicitur versus, *Deus in adiutorium meum intende*, cum glorificatione sanctæ Trinitatis, deinde tres Psalmi sine Antiphonis, sequuntur Hymnus, Lectio vna, Versus, Kyrie eleison, Oratio Dominica, Benedictio & Missæ seu Collectæ. Singula notantur in ipso textu, si primum Versum & Orationem Dominicam excipias de quibus suprà. Quod attinet ad Benedictionem, illa Completorio peculiaris est vt horarum Canonicarum postremæ, nec conuenientius quid statui potest, quàm vt in fine diuini Officij detur Benedictio.

ET COMPLETORIO.

[a] Reg. disp. interr. 37.

XXXIII. DE PSALMIS.

Capite duodeuicesimo, cui titulus *quo ordine ipsi Psalmi dicendi sunt*, ad horas videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperam & Completorium, sanctus Benedictus duo exequitur. Primùm enim præcipit, vt illarum Horarum quælibet inchoetur Versu, *Deus in adiutorium meum intende.* Deinde Psalmos per singulas horas distribuit. *In primis*, inquit, *dicatur Versus, Deus in adiutorium meum intende; Domine ad adiuuandum me festina; & Gloria. Inde Hymnus cuiusque horæ.* Versus prædictus & glorificatio beatæ Trinitatis præmittuntur Psalmis ad singulas horas prænominatas, Hymnus autem in Vesperis & Completorio post Psalmos differtur, vt obseruatum est suprà. Notabis hic etiam obiter singularum horarum cùm nocturnarum tum diurnarum initio prædictum eundem Versum dici, si solos Matutinos excipias, quorum exordium facit Psalmus sexagesimus-sextus, & illius exceptionis rationem à Menardo [b] proferri, quòd Psalmi sexagesimi sexti primus hic versus, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri*, implicitè contineat quicquid hoc exprimitur Versu, *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.* Præterea, vt Psalmorum per horas distribuendorum ordinem, qui sequitur, capias faciliùs, aduerte Psalmum centesimum duodeuicesimum, *Beati immaculati in via*, constare Versibus centum septuaginta sex, distinguique in Capitula viginti duo, quorum vnumquodque Versus octo complectitur, & maiusculâ literâ designatur in Breuiario Benedictino manuscripto à nobis iam citato. Hâc obseruatione præpositâ, quid de Psalmodia sanctus Benedictus ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam diei Dominicæ statuat, audi. *Deinde Primâ horâ Dominicâ, dicenda sunt quatuor Capitula Psalmi centesimi octaui decimi. Reliquis verò horis, id est, Tertiâ, Sextâ & Nonâ, terna Capitula supradicti Psalmi centesimi octaui decimi dicantur.* Sic horâ Primâ diei Dominicæ dicitur prælaudatus Psalmus à capite vsque ad Versum tricesimum-tertium, *Legem pone mihi Domine*; horâ Tertiâ à Versu tricesimo-tertio vsque ad quinquagesimum-septimum, *Portio mea Domine*; horâ Sextâ à Versu quinquagesimo-septimo vsque ad octogesimum-primum, *Defecit in salutare tuum anima mea*; & horâ Nonâ à Versu octogesimo-primo vsque ad centesimum-quintum, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; supersunt residui Versus duo supra septuaginta, de quibus infrà. Priuatis verò diebus, seu feriis ac Sabbato ad Primam Psalmi sic ordinantur. *Ad Primam autem secundæ feriæ dicantur tres Psalmi, id est, primus, secundus & sextus. Et ita per singulos dies ad Primam vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni Psalmi vsque ad nonum-decimum Psalmum, ita sanè vt nonus Psalmus & septimus-decimus partiantur in binas Glorias, & sic fiat, vt*

[b] In not. ad concord. Reg append 4. ad cap. 13.

AD PRIMAM DIEI DOMINICÆ,

AD TERTIAM,

AD SEXTAM,

AD NONAM,

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

ad Vigilias Dominicas ſemper à vigeſimo incipiatur. Id eſt, ad Primam ſecundæ feriæ dicantur Pſalmi, primus, *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum*, ſecundus, *Quare fremuerunt gentes*, & ſextus, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, miſerere mei Domine.* Ad Primam tertiæ feriæ dicantur Pſalmi, ſeptimus, *Domine Deus meus in te ſperaui*, octauus, *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum*, priórque pars noni, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua*, vſque ad Verſum viceſimum-ſecundum, *vt quid Domine receſſiſti longè*, ab hoc enim Verſu Hebræi decimum Pſalmum auſpicantur. Ad Primam quartæ feriæ dicatur altera pars noni Pſalmi ſeu poſteriores viginti Verſus cum Pſalmis, decimo, *in Domino confido*, & vndecimo, *Saluum me fac Domine.* Ad Primam quintæ feriæ dicantur Pſalmi, duodecimus, *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem?* decimus-tertius, *dixit inſipiens in corde ſuo*, & decimus-quartus, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Ad Primam ſextæ feriæ dicantur Pſalmi, decimus-quintus, *conſerua me Domine*, decimus-ſextus, *Exaudi Domine iuſtitiam meam*, cum priori parte decimi-ſeptimi, *Diligam te Domine*, vſque ad Verſum viceſimum-ſextum, *cum ſancto ſanctus eris.* Ad Primam Sabbati dicatur altera pars Pſalmi decimi-ſeptimi, ſeu poſteriores Verſus viginti-ſeptem, cum Pſalmis, decimo-octauo, *Cæli enarrant gloriam Dei*, & decimo-nono, *Exaudiat te Dominus.* Iiſdem diebus priuatis, ad Tertiam, Sextam & Nonam Pſalmi ſic diſtribuuntur. *Ad Tertiam, Sextam & Nonam ſecundæ feriæ, nouem Capitula, quæ reſidua ſunt de centeſimo octauo-decimo Pſalmo, ipſa terna Capitula per eaſdem horas dicantur. Expenſo ergo Pſalmo centeſimo octauo-decimo duobus diebus, id eſt, Dominico & ſecundâ feriâ, tertiâ feriâ iam ad Tertiam, Sextam & Nonam, pſallantur terni Pſalmi à centeſimo-nono decimo, vſque ad centeſimum vigeſimum-ſeptimum, id eſt Pſalmi nouem. Quíque Pſalmi ſemper vſque ad Dominicam per eaſdem horas itidem repetantur, Hymnorum nihilominùs, Lectionum vel Verſuum diſpoſitione vniformi cunctis diebus ſeruatâ, & ita ſcilicet, vt ſemper Dominica à centeſimo octauo-decimo incipiatur.*

RR. 33. THEOD. R. 10. AD PRIMAM 2. FERIÆ. 3. FERIÆ, 4. FERIÆ, 5. FERIÆ, 6. FERIÆ. SABBATI.

Id eſt, ad Tertiam ſecundæ feriæ dicantur Capitula decimum-quartum, decimum-quintum & decimum-ſextum Pſalmi centeſimi decimi-octaui, à Verſu ſcilicet centeſimo quinto, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, vſque ad Verſum centeſimum viceſimum nonum, *Mirabilia teſtimonia tua.* Ad Sextam eiuſdem feriæ dicantur eiuſdem Pſalmi Capitula decimum-ſeptimum, decimum-octauum & decimum-nonum, à prædicto Verſu centeſimo viceſimo nono vſque ad centeſimum quinquageſimum-tertium, *Vide humilitatem meam.* Ad Nonam eiuſdem feriæ dicantur eiuſdem Pſalmi tria poſtrema Capitula, viceſimum, viceſimum-primum & viceſimum-ſecundum, ſeu poſtremi Verſus viginti quatuor initio ducto à centeſimo viceſimo-nono præcitato. Ad Tertiam ſubſequentium feriarum, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, & Sabbati, dicantur Pſalmi, centeſimus decimus-nonus, *Ad Dominum, cum tribularer clamaui*, centeſimus viceſimus, *Leuaui oculos meos in montes*, & centeſimus viceſimus primus, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi.* Ad Sextam earumdem feriarum & Sabbati dicantur Pſalmi, centeſimus viceſimus-ſecundus, *Ad te leuaui oculos meos*, centeſimus viceſimus-tertius, *Niſi quia Dominus erat in nobis*, & centeſimus viceſimus-quartus, *Qui confidunt in Domino.* Ad Nonam earumdem feriarum & Sabbati dicantur Pſalmi, centeſimus viceſimus-quintus, *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*, centeſimus viceſimus-ſextus, *Niſi Dominus ædificauerit domum*, & centeſimus viceſimus-ſeptimus, *Beati omnes qui timent Dominum.* Ad Veſperam Pſalmi ſic ordinantur. *Veſpera autem quotidie quatuor Pſalmorum modulatione canatur. Qui Pſalmi incipiantur à centeſimo nono vſque ad centeſimum quadrageſimum-ſeptimum, exceptis his, qui in diuerſis horis ex eis ſequeſtrantur, id eſt, à centeſimo decimo ſeptimo vſque ad centeſimum vigeſimum-ſeptimum, & centeſimo trigeſimo tertio, & centeſimo quadrageſimo ſecundo. Re-*

AD TERTIAM 2. FERIÆ. AD SEXTAM. AD NONAM. AD TERTIAM CETERARVM FERIARVM ET SABBATI. AD SEXTAM. AD NONAM. AD VESPERAM.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

liqui omnes in Vesperâ dicendi sunt. Et quia minùs veniunt tres Psalmi, ideò diuidendi sunt, qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, id est, centesimus trigesimus octauus, & centesimus quadragesimus-tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus-decimus, quia paruus est, cum centesimo quintodecimo coniungatur. Psalmorum Vespertinorum primus ponitur centesimus nonus, postremus centesimus quadragesimus septimus. Si centesimus nonus omnésque subsequentes vsque ad centesimum quadragesimum septimum Vesperis destinarentur, essent Psalmi Vespertini numero triginta nouem. Sed excipiuntur tredecim, nempe centesimus decimus septimus qui dicitur in Matutinis seu Laudibus diei Dominicæ, centesimus decimus octauus, qui separatus in viginti duo Capitula propter suam prolixitatem solus ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam diei Dominicæ, necnon ad Tertiam, Sextam & Nonam secundæ feriæ dicitur; centesimus decimus nonus centesimus vicesimus & centesimus vicesimus primus, qui dicuntur ad Tertiam aliarum feriarum & Sabbati; centesimus vicesimus secundus, centesimus vicesimus tertius & centesimus vicesimus quartus, qui dicuntur ad Sextam earumdem dierum; centesimus vicesimus quintus, centesimus vicesimus sextus & centesimus vicesimus septimus, qui ad Nonam earumdem etiam dierum dicuntur; centesimus trigesimus tertius, qui quotidie dicitur ad Completorium; & centesimus quadragesimus secundus, qui Sabbato dicitur ad Matutinos, id est, ad Laudes. Residui sunt igitur sex duntaxat & viginti, & ex iis duo, nempe centesimus decimus quintus, *credidi propter quod locutus sum*, & centesimus decimus sextus, *laudate Dominum omnes gentes*, simul coniunguntur sub vnâ glorificatione Trinitatis, quia posterior adeò breuis est, vt duobus tantùm versibus constet, sicque Psalmi Vespertini plures non recensentur quàm viginti quinque. Verùm, cùm supra illum numerum tres alij desiderentur, & ad Officium Vespertinum requirantur duodetriginta, quia septem diebus componitur hebdomada diebúsque singulis ad Vesperam quatuor Psalmi dici debent, antedictâ sanctione præcipitur, vt tres, qui *fortiores*, id est, prolixiores, inueniuntur, singuli diuidantur in duos, scilicet centesimus trigesimus octauus feriâ quintâ, centesimus quadragesimus tertius feriâ sextâ, & centesimus quadragesimus quartus, cuius pars feriâ sextâ, pars altera Sabbato dicitur. Nam iuxta Regulam quam explicamus, Psalmorum Vespertinorum hæc est per singulos dies distributio. Ad Vesperam die Dominico dicuntur Psalmi, centesimus nonus, centesimus decimus, centesimus vndecimus, & centesimus duodecimus; feriâ secundâ centesimus decimus tertius, centesimus decimus quartus, centesimus decimus-quintus cum centesimo decimo sexto sub vna *gloria* coniunctus, & centesimus vicesimus octauus; feriâ tertiâ centesimus vicesimus nonus, centesimus tricesimus, centesimus tricesimus primus, & centesimus tricesimus secundus; feriâ quartâ centesimus tricesimus quartus, centesimus tricesimus quintus, centesimus tricesimus sextus & centesimus tricesimus septimus: feriâ quintâ, centesimus tricesimus octauus diuisus in duas *glorias*, centesimus tricesimus nonus, & centesimus quadragesimus; feriâ sextâ centesimus quadragesimus primus, centesimus quadragesimus tertius in duos separatus, & prior pars centesimi quadragesimi quarti; Sabbato pars altera centesimi quadragesimi quarti, cum centesimo quadragesimo quinto, centesimo quadragesimo sexto, & centesimo quadragesimo septimo. De ceteris, quæ pertinent ad Vesperas, nihil de nouo statuit in hoc capite sanctus Benedictus. *Digesto ergo*, inquit, *ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua, id est, Lectiones, Responsoria, Hymni versus vel Cantica, sicut suprà taxauimus, impleantur.* Ex horis diurnis superest Completorium, de quo sic præcipit. *Ad Completorium verò quotidie iidem Psalmi repetantur, id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius.* Hi tres Psalmi Completorio sub initium noctis optimè conueniunt. Quartus enim, cuius initium est, *cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitia mea*, hoc versu

DIEI DOMINICÆ,

FERIARVM,

ET SABBATI.

AD COMPLETORIVM.

clauditur, *in pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Deinde quam horam Latini Completorium vocant, sanctus Basilius [a] αἴτησιν, seu Petitionem appellat, in eâque Psalmum nonagesimum necessariò recitandum esse testatur, λεγομένου καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ὥρᾳ διαλογάδην τὸν ἐννενηκοστὸν ψαλμόν. Hic enim Psalmus [b] hominem, qui sperat in Domino, *à timore nocturno* ceteriſque malis tutum esse & Dei beneficio eripiendum docet, ac postremò omnibus bonis cumulatum iri ipsius Dei verbis confirmat, nec aliud tempus occurrit, quo magis deceat admirabilem eorum qui Deo nituntur fiduciam, & singularem Dei protectionem à quoquam prædicari, quàm cùm monetur ineunte nocte, vt humanæ debilitati consulat, fractásque vires reparare per somnum contendat. Denique Completorio rectè adaptatur Psalmus centesimus tricesimus tertius [c], cuius tertius Versus hic est, *in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Horarum diurnarum psalmodiâ idoneè ordinatâ, sanctus Benedictus redit ad Vigilias, & Psalmos, qui supersunt, in septem noctes ita diuidit, vt cuique nocti duodenarium numerum iam laudatum assignet. At quia pauciores residui sunt, eos qui prolixiores occurrunt, in duos partitur, sicque numerum assequitur Psalmorum requisitorum, & inæqualitem Nocturnorum deuitat. Totius sui consilij rationem hanc reddit, quod vnaquâque hebdomadâ psalterium integrum dici cupiat. *Dispositio*, inquit, *ordine psalmodia diurna, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium Vigilias, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi, & duodecim per vnamquamque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit, dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomadâ psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad Vigilias, quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minùs psalterio cum Canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, cùm legamus sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè impleſſe, quod nos tepidi vtinam septimanâ integrâ persoluamus!* Laudanda sanè humilitas sancti Benedicti, qui non ita commendauit ordinem suum, vt alieno magis iudicio quàm suo stare noluerit. Anno Christi milleſimo sexcenteſimo duodecimo Paulus Quintus Pontifex Maximus Breuiarium pro omnibus sub Regulâ sancti Benedicti militantibus instituit, in eóque psalterij dispositionem, quam eadem Regula præscribit, illibatam seruari voluit. Illud si consulas, in Officio Vigiliarum nocturnarum inuenies nouem Psalmos, qui singuli, quoniam longiores sunt, in duos diuiduntur. Hi sunt, tricesimus sextus, *noli æmulari*, qui dicitur in primo Nocturno feriæ secundæ; sexagesimus quintus, *iubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini eius*, qui dicitur in primo Nocturno feriæ quartæ; septuagesimus octauus, *saluum me fac Deus*, qui dicitur in secundo Nocturno eiusdem feriæ; septuagesimus septimus, *attendite*, qui dicitur in primo Nocturno feriæ quintæ; octogesimus octauus, *misericordias Domini*, qui dicitur in primo Nocturno feriæ sextæ, centesimus secundus, *benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt*, & centesimus quartus, *confitemini Domino & invocate nomen eius*, qui dicuntur in primo Nocturno Sabbati; centesimus quintus, *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, quis loquetur potentias Domini?* & centesimus sextus, *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius, dicant qui redempti sunt à Domino*, qui dicuntur in secundo Nocturno earumdem Vigiliarum. Ceterùm ista integri Psalterij per hebdomadam distributio supponit non incidere dies festos, ad quos proprij Psalmi pertineant, vt ad caput decimum-quartum iam notauimus.

Capite decimonono sanctus Benedictus, vt disciplinam psallendi commendet, hos adducit textus Prophetæ. *Seruite* [d] *Domino in timore. Psallite* [e] *sa-*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

[a] In reg. disput. interrog. 37.

[b] Psalm. 90. *Qui habitat*

[c] Psalm. 133. *Ecce nunc benedicite.*

AD VIGILIAS.

XXXIV. DE PSALMODIA.

[d] Psalm. 2.

[e] Psalm. 46.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

pienter. *In conſpectu* [a] *Angelorum pſallam tibi.* Deinde ſubiungit hanc illationem. *Ergo conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu diuinitatis & Angelorum eſſe, & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.*

[a] Pſalm. 137.

XXXV. DE ORATIONE.

Caput viceſimum eſt de reuerentiâ orationis. *Si, cùm hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate & reuerentiâ, quantò magis Domino Deo vniuerſorum cum omni humilitate & puritatis deuotione ſupplicandum eſt? cùm non in multiloquio, ſed in puritate cordis & coniunctione lachrymarum nos exaudiri ſciamus. Et ideò breuis debet eſſe & pura oratio, niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto ſigno à Priore, omnes pariter ſurgant.* Hoc capite ſanctus Benedictus diſtinguit duplicem orationem, priuatam & publicam; vtramque vult breuem eſſe; priuatam, ſi protendatur, excuſat aliquando, publicam numquam. Monachus, cùm priuatim apud ſe orat, orationem ſine ſcandalo poteſt protrahere, nec tamen debet, niſi affectus diuinæ inſpirationis accedat. Cùm verò publicè orat in conuentu fratrum, facto ſigno debet ocyùs cum ſodalibus ſurgere, ne congregationem ac ſynaxim interturbet. Sanctus Benedictus hoc loco alludit ad orationes & genuflexiones, quas Monachi Ægyptij faciebant in fine atque interſtitiis Pſalmorum, vt Caſſianus libro ſecundo de nocturnis orationibus teſtatur. *Prædictas*, inquit [b], *orationes hoc modo incipiunt atque conſummant, vt finito Pſalmo non ſtatim ad ſincurnationem genuum corruant*, &c. *ſed antequam flectant genua, pauliſper orant, & ſtantes in ſupplicatione maiorem temporis partem expendunt. Itaque poſt hæc puncto breuiſſimo procidentes humi, velut adorantes tantùm diuinam clementiam, ſummâ velocitate conſurgunt, ac rurſus erecti expanſis manibus, eodem modo quo priùs ſtantes orauerant, ſuis precibus intentiùs immorantur*, &c. *Cùm autem is, qui orationem collecturus eſt, è terrâ ſurrexit, omnes pariter eriguntur, ſtant nullus, nec antequàm inclinetur ille, genuflectere, nec cùm è terrâ ſurrexit, remorari præſumat, ne non tam ſecutus fuiſſe illius concluſionem, qui precem colligit, quàm ſuam celebraſſe credatur*, &c. *Vtilius cenſent* [c] *breues quidem orationes ſed creberrimas fieri, illud quidem vt frequentiùs Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere poſſimus. Hoc verò, vt inſidiantis diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè, cùm oramus, inſiſtit, ſuccinctâ breuitate vitemus. Et ideò ne Pſalmos quidem ipſos, quos in congregatione decantant, continuatâ ſtudent pronunciatione concludere, ſed eos pro numero Verſuum duabus vel tribus interciſionibus cum orationum interiectione diuiſos diſtinctim particulatimque conſummant.*

[b] Cap. 7.

[c] Capp. 10. 11.

XXXVI. DE DECANIS.

Caput viceſimum-primum eſt de Decanis Monaſterij. *Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis fratres boni teſtimonij & ſanctæ conuerſationis, & conſtituantur Decani, qui ſolicitudinem gerant ſuper Decanias ſuas in omnibus ſecundùm mandata Dei & præcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua, & non eligantur per ordinem, ſed ſecundùm vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam. Quíque Decani, ſi ex eis aliquâ fortè quis inflatus ſuperbiâ repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel & iterum, atque tertiò, ſi emendare noluerit, deiiciatur, & alter in loco eius, qui dignus ſit, ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.* Diximus multa de Decanis, cùm locuti ſumus [d] de Regulâ Caſſiani, quem de iiſdem Decanis diſſerentem conſule libro quarto de inſtitutis renuntiantium. Hic tantùm obſeruamus Decanum, quamuis Senior plerumque nuncupetur, haud eligendum eſſe *per ordinem*, nempe receptionis aut ingreſſus in Monaſterium, ne ſi ratio ſolius antiquitatis habeatur, inutilem vtili præponi, malum bono præferri contingat.

ET PRÆPOSITO

[d] Ad an. 516. n. 40.

XXXVII. DE LECTISTERNIIS.

Capite viceſimo-ſecundo ſanctus Benedictus varias edit ſanctiones, quæ caſtitati & honeſtati per noctem cuſtodiendæ multùm conſulunt. *Singuli per ſingula lecta dormiant. Lectiſternia pro modo conuerſationis ſecundùm diſpenſationem Abbatis ſui accipiant. Si poteſt fieri, omnes in vno loco dormiant; ſin autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum Senioribus, qui ſuper eos ſoliciti ſint, pauſent. Candela iugiter in eâdem cellâ ardeat vſque mane. Veſtiti dormiant, & cinctis cin-*

gulis aut funibus, & cultellos ad latus suum non habeant, dum dormiunt, ne fortè per somnium vulnerentur dormientes. Et vt parati sint Monachi semper, & facto signo absque morâ surgentes festinent inuicem se præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modestiâ. Adolescentiores fratres iuxta se non habeant lecta, sed permixti cum senioribus, surgentes verò ad opus Dei inuicem se moderatè cohortentur propter somnolentorum excusationes.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Caput vicesimum-tertium. *Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in alio contrarius existens sanctæ Regulæ & præceptis seniorum suorum, contemptor repertus fuerit, hic secundùm Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundò secretè à senioribus suis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.* Hoc caput & quinque proximè sequentia vix vllâ indigent annotatione, excommunicationes enim & alias pœnas, quas in Monachos contumaces inobedientésque decernunt, explicuimus suprà.

XXXVIII. DE POENIS INFLIGENDIS.

Caput vicesimum-quartum. *Secundùm modum culpæ, excommunicationis vel disciplinæ mensura debet extendi; qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur. Priuati autem à mensæ consortio ista erit ratio, vt in Oratorio Psalmum aut Antiphopham non imponat, neque Lectionem recitet vsque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat, mensurâ vel horâ, quâ præuiderit Abbas ei competere, vt si verbi gratiâ fratres reficiunt Sextâ horâ, ille frater Nonâ; si fratres Nonâ, ille Vespertinâ, vsquedum satisfactione congruâ veniam consequatur.*

XXXIX. OB LEVIORES CVLPAS.

Caput vicesimum-quintum. *Is autem frater, qui grauioris culpæ noxâ tenetur, suspendatur à mensâ simul & ab oratorio. Nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis traditum huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat, mensurâ vel horâ, quâ præuiderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.*

XL. OB CVLPAS GRAVIORES.

Caput vicesimum-sextum. *Si quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis sui excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.*

XLI. DE IIS QVI SE IVNGVNT EXCOMMVNICATIS.

Caput vicesimum-septimum. *Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non opus est sanis medicus sed malè habentibus. Et ideò vti debet omni modo, vt sapiens medicus, immittere synpectas, id est, seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem, & pronocent ad humilitatis satisfactionem, & consolentur eum, ne abundantiori tristitiâ absorbeatur, sed sicut ait Apostolus* [*confirmetur in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus.*] *Magnopere enim debet solicitudinem gerere Abbas & omni sagacitate & industriâ curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat.* Collusor συμπαιχτὴς, συμπαίχτωρ, συμπαικτης & συμπαίκτωρ à Græcis appellatur, hoc igitur loco synpectas Monachos eos existima, qui iussu Abbatis adeunt excommunicatos, séque eorum amicitiæ veluti colludentes insinuant, vt eosdem ad sanam mentem faciliùs reuocare possint.

XLII. DE CVRA ABBATIS ERGA EXCOMMVNICATOS.

Caput vicesimum-octauum. *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpâ, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correptio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ita correxerit, aut fortè, quod absit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, etiamsi viderit nihil suam præualere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quòd si nec isto modo sanatus fue-*

XLIII. DE CONTVMACIBVS.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

rit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait Apostolus. [*Auferte malum ex vobis.*] *Et iterum.* [*Infidelis, si discedit, discedat.*] *ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.* Alibi iam notauimus ita visum priscis rei monasticæ Patribus, vt qui nullâ arte emendari possent, è Monasterio penitùs eiicerentur.

XLIV. DE FRATRIBVS EGRESSIS E MONASTERIO.

Caput vicesimum-nonum. *Frater, qui proprio vitio egreditur de Monasterio, si reuerti voluerit, spondeat priùs omnem emendationem vitij, pro quo egressus est, & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc humilitas comprobetur. Quòd si denuò exierit, vsque tertiò ita recipiatur, iam posteà sciens omnem sibi reuersionis aditum denegari.*

Caput tricesimum. *Omnis ætas vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideóque quotiens pueri vel adolescentiores ætate, aut qui minùs intelligere possunt quanta pœna sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut ieiuniis nimiis,* id est, multis, *affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, vt sanentur.*

XLV. DE CORREPTIONE PVERORVM.

XLVI. DE CELLERARIO.

Caput tricesimum-primum. *Cellerarius Monasterij eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni Congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus; sine iussione Abbatis nihil faciat. Quæ iubentur, custodiat; fratres non contristet. Si quis frater ab eo fortè aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illud Apostolicum, quia qui benè ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperúmque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterij, cunctámque substantiam, ac si altaris vasa sacrata, conspiciat. Nihil ducat negligendum, neque auaritiæ studeat, neque prodigus sit, & exstirpator substantiæ Monasterij, sed omnia mensuratè faciat & secundùm iussionem Abbatis sui. Humilitatem ante omnia habeat, & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est.* [*Sermo bonus super datum optimum.*] *Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua; à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mora offerat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur, qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quæ danda sunt & petantur quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.* Ex Appendice, quam Regulæ sancti Cæsarij eiúsque Recapitulationi neotericus quispiam subiecit, hoc caput, quod masculino genere in fœmininum mutato insertum erat, iam resecuit Lucas [a] Holstenius in editione Romana. Nec approbare possumus sententiam Hugonis [b] Menardi, qui quoniam sanctus Cæsarius sancto Benedicto æqualis fuit, & aliquandiu in Italia commoratus est, Regulam sancti Benedicti visam arbitratur à sancto Cæsario, qui exinde hoc caput in Regulam Monialibus à se præscriptam transtulerit. Sancti Cæsarius & Benedictus non ideò censendi sunt inter se consentire, quòd alter ab altero sanctiones suas acceperit, sed quòd vterque scripta sancti Augustini & Cassiani præ manibus habuerit exscripseritque.

[a] Part. 3. cod. Regul.
[b] In not. ad concord Regul c. 40. § 1.

XLVII. DE REBVS MONASTERII.

Capite tricesimo-secundo, sanctus Benedictus præscribit, vt Abbas substantiæ Monasterij prouideat, eligátque Monachos vitâ & moribus insignes, quorum curæ res omnes Cœnobij committat. *Substantiæ Monasterij in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breue,* siue indicem, *teneat, vt dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur; si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.*

XLVIII. Capite tricesimo-tertio prohibet, ne Monachi proprium quid habeant, in eâque

eâque sanctione non pauca mutuatur à Cassiano [a]. *Præcipuè hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propriâ potestate. Omnia verò necessaria à Patre sperare Monasterij, nec quicquam liceat habere quod Abbas non dederit aut permiserit. Omniáque omnibus sint communia, nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat. Quòd si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterùm; si non emendauerit, correptioni subiaceat.*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] Lib. 4. c 11. DE CAVENDA PROPRIETATE.

Capite tricesimo-quarto proponit, vtrùm omnes æqualiter debeant accipere necessaria, & iuxta Regulam [b] sancti Augustini sic decernit. *Scriptum est.* [*Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.*] *Vbi non dicimus quòd personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minùs indiget, agat Deo gratias & non contristetur; qui verò plùs indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordiâ, & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causâ in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat. Quòd si deprehensus fuerit, districtiori disciplinæ subdatur.*

XLIX. DE CONSIDERATIONE PERSONARVM.

[b] app. l. c.

Caput tricesimum-quintum, quod est de Septimanariis coquinæ, diuiditur in quatuor partes. Prima proponit paucas admodum causas, propter quas ab officio coquinæ quis excusari possit. *Fratres sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causâ grauis vtilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde maior merces & caritas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitiâ hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundùm modum congregationis aut positionem loci*, id est, secundùm numerum Monachorum & situm coquinæ, nam quò plures sunt in Monasterio Fratres, & quò longiùs quærendæ sunt aquæ, herbæ, ligna & similia, eò grauior est in coquinâ labor, & Septimanarius solatiis, hoc est, auxiliis, eò potioribus indiget. *Si maior fuerit congregatio, Cellerarius excusetur à coquinâ, vel si qui, vt diximus, maioribus vtilitatibus occupantur, ceteri sibi sub caritate inuicem seruiant.* Altera pars opera quædam exhibet, in quibus humilitatem exercet Septimanarius in fine septimanæ seu Sabbato. *Egressurus de septimanâ Sabbato munditias faciat*, id est, verrat Monasterium. *Lintea, cum quibus sibi fratres manus ac pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quàm ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda & sana Cellerario reconsignet. Qui Cellerarius item intranti consignet, vt sciat quid dat, aut quid recipit.* Tertia pars agit de refectione Septimanariorum. *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem, vt horâ refectionis sine murmuratione & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus tamen solemnibus vsque ad Missas sustineant.* Biberis, vt alibi notauimus, vas est potorium. Refectio non sumitur hoc loco strictè pro cœnâ quæ fit in die ieiunij, sed latè pro qualibet refectione, siue dies sit ieiunij siue non sit; & seu prandium fiat seu cœna. Monachi si non ieiunant, prandent ad Sextam, cœnant ad Vesperam; si verò ieiunant, semel reficiunt, ad Nonam extra Quadragesimam, ad Vesperam in Quadragesimâ. Sanctus Benedictus ob leuandum laborem Septimanariis permittit, vt diebus priuatis, vnâ horâ priusquàm congregatio prandeat aut cœnet, singuli singulos biberes seu vini scyphos & panem accipiant de statutâ mensurâ, id est, de heminâ vini & de libra panis, quæ fusiorem sermonem inferiùs à nobis exposcent [c]. Diebus verò solemnibus, Dominicis videlicet ac festis vult eosdem Septimanarios expectare donec Missæ completæ sint, Missarumque nomine sacrificium Liturgicum intelligit, vt optimè obseruatum est à Menardo [d]. Illis diebus, quia ieiunium haud imperabatur, post Officium horæ Tertiæ inchoabatur Missa, eâque completâ superesse non poterat interstitium horæ integræ vsque ad Sextam, quâ fratres pransuri erant. Postrema pars huius capitis exponit, quo ritu post

L. DE SEPTIMANARIIS COQVINÆ.

[c] Ad Capp 39. 40.

[d] In not. ad concord. reg. c. 44 parag. 1.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Matutinos, id est, post Laudes, diebus Dominicis in Oratorium procedere debeant hebdomadarij, tam ipsi qui egrediuntur de septimanâ, quàm illi qui ingrediuntur in septimanam. *Intrantes autem & exeuntes Hebdomadarij in Oratorio mox Matutinis finitis Dominicâ omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimanâ dicat hunc Versum.* [*Benedictus es Domine, qui adiuuisti me, & consolatus es me.*] *Quo dicto tertiò, acceptâ benedictione egrediens, subsequatur ingrediens & dicat.* [*Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.*] *Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus, & acceptâ benedictione ingrediatur.* Benedictionem illam seu Collectam ita tradit Smaragdus. *Deus, qui dixisti, venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, hos famulos tuos ministrationum suarum præmio reficite sempiterno. Per Dominum*, &c.

LI. DE INFIRMIS.

Caput tricesimum-sextum est de infirmis fratribus. *Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit.* [*Infirmus fui, & visitastis me.*] *Et.* [*Quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis.*] *Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate suâ contristent fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac solicitus. Balneorum vsus infirmis, quoties expedit, offeratur. Sanis autem & maximè iuuenibus tardiùs concedatur. Sed & carnium esus infirmis omninò debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas, ne à Cellerariis aut seruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quicquid à discipulis delinquitur.*

LII. DE SENIBVS ET INFANTIBVS.

Caput tricesimum-septimum. *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum, tamen & Regulæ auctoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas Canonicas.* Sanctus Benedictus Monachos, qui annum vitæ suæ decimum-quintum nondum attigerunt, promiscuè vocat *infantes, pueros, adolescentiores* ac *minores ætate*. Illis æquè ac senibus, quos vires deficiunt, in hoc capite duo priuilegia concedit. Vnum est, vt *nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis*, nempe quoad qualitatem, nam quantitas statuitur capite tricesimo-nono. Sensus igitur est, vt pueris & senibus ad recreandum stomachum succulentiores & delicatiores apponantur cibi. Alterum priuilegium, vt *præueniant horas Canonicas*. Hora Canonica prandij assignatur Sexta; cœnæ modò Nona, modò Vespera. Illarum autem horarum præuentio duplici fit modo. Primò, si pueri senésque cibum citiùs accipiant. Secundo, si bis sæpiúsque quotidie manducent. Vtraque pueris & senibus indulgentia necessaria est, nam parum illis prodesset horarum anticipatio, si frequenter refectio non permitteretur. De infantibus sanctus Fructuosus in Regulâ [a] monasticâ communi sic statuit. *A sancto Paschâ vsque* VIII. *Kalendas Octobris manducent per singulos dies, quatuor vices. Ab octauo Kalendas Octobris vsque ad Kalendas Decembris tres vices. A Kalendis Decembribus vsque ad sanctum Pascha in potestate sit ipsius Cellerarij.*

[a] Cap. 6.

LIII. DE LECTORE AD MENSAM.

Caput tricesimum-octauum, quod est de Hedomadario Lectore diuiditur in tres partes. Prima est de præparatione ad lectionem, secunda de ipsa lectione, tertia de refectione Lectoris. Præparatio Lectoris hæc est. Die Dominicâ, peracto Missæ sacrificio, cùm omnis Congregatio discessura est ex Oratorio, tunc accedit is qui per totam septimanam lecturus est, prostratúsque coram fratribus, ne cadat in vitium elationis ac superbiæ, preces eorum humiliter exposcit, & dicit hunc Psalmistæ [b] Versiculum. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Eodémque Versu ter ab adstantibus Monachis repetito, acceptâque benedictione discedit officio suo vaca-

[b] Psalm. 50.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

turus. *Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet, nec fortuito casu qui arripuerit Codicem, legere audeat ibi, sed lecturus totâ hebdomadâ, Dominicâ ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & Communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic Versus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipso tamen incipiente.* [*Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.*] *Et sic acceptâ benedictione ingrediatur ad legendum.* Benedictionem illam seu Collectam ita tradit Smaragdus. *Auerte, quæsumus, Domine, ab hoc famulo tuo spiritum elationis, vt humiliter legens, sensum & intellectum capiat lectionis. Per Dominum nostrum,* &c. Silentium, de quo sæpiùs ad alias Regulas iam locuti sumus, lectionis tempore sic imperatur. *Summum fiat silentium ad mensam, vt nullius mussitatio, vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potiùs petatur, quàm voce. Nec præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquam repetere, ne detur occasio,* nempè aliquid dicendi, *nisi fortè Prior,* id est, Abbas, *voluerit pro ædificatione aliquid breuiter dicere.* Lector, antequàm legat, accipit mixtum, factâque lectione cibum sumit cum coquinæ septimanariis & seruitoribus. *Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum, priusquàm incipiat legere, propter Communionem sanctam, & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadariis & seruitoribus reficiat.* Super *mixti* significatione non omnes hoc loco consentiunt. Si vocabuli propria vis attenditur, iuxta priscos Auctores probatæ notæ, *mixtum* apud Latinos est vinum aquâ dilutum. Smaragdus & Ruthardus qui nono seculo Regulam Benedictinam explicuerunt, *mixtum* interpretati sunt panem & vinum, obseruarúntque panem & vinum quod super altare offertur, *mixtum* in multis prouinciis vocari. Posterior hæc sententia non displicet. Mixtum pro haustu vini frustóque panis accipiendum videtur. Probantur & duæ sumendi mixti quæ proferuntur causæ; vna propter Communionem sanctam, *ne* Lector, vt Smaragdus loquitur, *aliquid inde sumptum excreans proiiciat in sputo;* altera propter ieiunium, ne soluendi post lectionem ieiunij grauior ei sit mora. Lectores autem sibi non debent inuicem per ordinem succedere, quia ille tantùm assumendus est ad id officij, qui possit audientes ædificare. Sic enim hoc caput clauditur. *Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui ædificent audientes.*

LIV. DE MENSVRA CIBORVM.

Caput tricesimum-nonum, de mensura ciborum. *Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam Sexta quàm Nona omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diuersorum infirmitates, vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant, & si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio, siue prandij & cænæ. Quòd si cænaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario seruetur, reddenda cænaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remotâ præ omnibus crapulâ, & vt nunquam subrepat Monacho indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster.* [*Videte ne grauentur corda vestra in crapula.*] *Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas, sed minor quàm maioribus, seruatâ in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles & ægrotos.* Præcipua difficultas huius capitis versatur in libræ pondere. Iacobus *du Breul* Monachus Benedictinus triplicem libram distinguit, Romanam, mercatoriam & Benedictinam. Primam dicit esse duodecim vnciarum, alteram sexdecim, tertiam triginta trium & semis, quia textum Regulæ Benedictinæ præcitatum Monachi Casinenses in suo Declaratorio sic aliquando sunt interpretati. *Cùm pondus libræ, vt habuimus à Monasterio Casinensi, sit vnciarum triginta trium & semis, vt vix tantùm panis vnus frater die vnâ manducare possit, volumus consuetudinem nostram seruari, vt scili-*

AN. CH. 544 CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

cet apponatur panis quantùm satis est. Prætereà Burdigalæ in Monasterio S. Crucis, quod est Ordinis Benedictini, seruatur libra ex ære Cyprio cum hac inscriptione, *Mensura panis S. Crucis Burdeg.* cuius pondus est vnciarum octo & viginti. Sanctus Benedictus, cùm Italus esset, eam proculdubiò libram intellexit, quæ per Italiam tunc vsitabatur, & vnciis duodecim constabat. Apud Cassianum, quem in multis ducem secutus est, occurrit præualidum huius sententiæ munimentum. Collatione secundâ Moyses Abbas à Germano de continentiæ refectionisq; mensura interrogatus, optimum cibi quotidiani modum ait esse duo paximacia, seu duos paruulos panes qui pondus vnius libræ vix habeant. *Super hac re,* inquit [a], *inter maiores nostros frequenter nouimus habitum fuisse tractatum. Nam discutientes continentias diuersorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantùm, vel pomis vitam iugiter exigebant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cuius æquissimum modum in duobus paximatiis statuerunt, quos paruulos panes vix libræ vnius pondus habere certissimum est.* Panes autem huiuscemodi, qui paxamates à Palladio vocantur, à Cassiano paximatia, singuli sunt vnciarum sex in historia Lausiaca, capite duodetricesimo, quod de vita Abbatis Pauli Simplicis inscribitur. Ibi enim hæc habentur de conuiuio, quod sanctus Antonius cum eodem Paulo celebrauit. *Fert panes Antonius, & imponit mensæ quatuor paxamates, sex vnciarum, & sibi quidem vnum madefecit, erant enim sicci, illi autem,* nempe Paulo, *tres.* Φέρει ἄρτους ὁ Ἀντώνιος, καὶ ἐπιτίθησι τῇ τραπέζῃ παξαμάτας τέσσαρας ἑξαγίας ὡς ἀπὸ ἓξ ὀγκιῶν, καὶ ἑαυτῷ μὲν ἔβρεξεν ἕνα, ξηρὸν γὰρ ἦσαν, ἐκείνῳ δὲ τρεῖς. Nec mirum, quòd tres paxamates seu tria paximatia vel paxamidia beatus Antonius apposuerit Paulo, sibique vnum duntaxat reseruarit, nam Paulus integram hebdomadam ieiunus permanserat. Alardus Gazæus in Notis ad prælaudatum textum Cassiani commendat discretionem ac moderationem, quâ sanctus Benedictus erga suos Cœnobitas vsus est, cùm præter quotidianam illam panis libram, mensuram videlicet à Patribus statutam & seruatam, duo etiam eis pulmentaria concesserit. Obseruare potuit & mensuram panis, quæ Monacho in die sufficiat, à sancto Benedicto non libram simpliciter, sed libram dici *propensam*, quæ inclinata præponderet, nam propensus est inclinatus, nec audiendi sunt Smaragdus & Ruthardus, qui propensam exponunt priùs pensam, quia vocem hanc, *propensam,* barbarâ compositione semigræcam & semilatinam faciunt, finguntque deriuatam à Græca præpositione πρὸ, quæ *priùs* significat, & à verbo Latino *pendo*. Itaque iuxta nostram explicationem libra, quæ panis mensura statuitur, vncias duodecim excedit. Prætereà si Monacho grauior labor incubuerit, & expediat mensuram panis augeri, S. Benedictus id Abbatis arbitrio relinquit, monétque cauendam summoperè crapulam vel potiùs ingluuiem, crapulam enim, quæ nimiam potationem sequitur, hoc loco sumit impropriè cùm de mensura ciborum agat.

[a] Cap. 19.

LV. ET POTVS.

Caput quadragesimum de mensura potus. *Vnusquisque proprium habet donum ex Deo; alius sic, alius verò sic. Et ideò cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus aliorum constituitur, tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quòd si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis ampliùs poposcerit, in arbitrio Prioris,* id est, Abbatis, *consistat; considerans in omnibus ne surrepat satietas aut ebrietas. Licèt legamus vinum omnino Monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad satietatem bibamus sed parciùs, quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprascripta mensura inueniri possit, sed multò minùs, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc omninò admonentes, vt absque murmurationibus sint.* Apud eruditos super heminæ mensura non leuis est controuersia, quia Isidorus Hispalensis,

quo teſte lis omnis dirimi deberet, libro decimo-ſexto [a] Originum, cùm Dragmam, Vnciam, Cyathum, Acitabulum, Cotulam & Heminam deſcribit, ſibi non conſtat. *Dragma*, inquit, *octaua pars Vnciæ eſt, & denary pondus argenti tribus conſtat ſcrupulis. Vncia conſtat Dragmis* VIII. *id eſt, Scrupulis* XXIIII. *Quod proinde legitimum pondus habetur, quia numerus ſcrupulorum eius horas diei noctiſque metitur, vel quia libram efficit duodecies computatus. Cyathi pondus decem Dragmis appenditur. Acitabulus quarta pars Heminæ eſt,* XII. *Dragmas appendens. Cotula Hemina eſt habens Cyathos ſex. Hemina ſextarij in duo æqua inciditur, & Cotulam facit. Hemina autem appendit Libram vnam, quæ geminata Sextarium facit.* Hæc quomodò quadrare poſſunt? Si Hemina ſex habet Cyathos, & Cyathus decem Dragmis conſtat, Hemina ſexaginta Dragmis componitur; &, ſi Dragma pars octaua eſt Vnciæ, in Heminâ ſunt Vnciæ duntaxat ſeptem cum dimidiâ. Hæc computatio cæteris præfertur à Menardo. Altero Iſidori calculo, ſi Acitabulus quarta pars eſt Heminæ, appenditque Dragmas duodecim, ſunt in Heminâ Dragmæ tantùm duodequinquaginta, id eſt, Vnciæ ſex, nec à quoquam minor Heminæ menſura ſtatuitur. Neutro autem computo Hemina adæquat libram Vnciis conſtantem duodecim. Multi tamen Neoterici, ſolo permoti textu quem citauimus ex Iſidoro, heminam æquant libræ. Venerabilis Petrus *du Mas*, qui Monaſterium ſuum Caſalis * Benedicti reformauit, vnde prodiit Congregatio ſub nomine Caſalis Benedicti, de qua ſuo loco, heminam addito quadrante maiorem ſic conſtituit. *Hemina, ſicut à quibuſdam expoſitoribus Regulæ accepimus, eſt quædam menſura continens vnam libram cum quarta parte alicuius liquoris. Et eſt quaſi tertia pars quarta vini Pariſienſis. Quæ menſura ſatis eſt conſona & ſufficiens Religioſis. Ideò hanc menſuram volumus & ordinamus cuilibet Religioſo Monaſterij noſtri dare.* Qui libram panis, de qua ſuperiori capite locuti ſumus, vnciarum triginta trium eſſe voluerunt, ij heminam vini fecerunt vnciarum viginti quinque. Ad illam menſuram alludere videntur ſtatuta Congregationis Sanctæ Iuſtinæ, cùm ad caput quadrageſimum Regulæ Benedictinæ, quod explicamus, ſic habent. *Hemina vini eſt multò plus quàm communi neceßitati vnius Monachi ſufficiat. Ideò de vino damus vnicuique quantùm ſufficiat. Ita tamen vt iuxta Regulam ebrietas & ſatietas non ſubrepat.* Facilè imus in ſententiam Menardi, quamuis hemina, quæ ſeptem duntaxat vnciis & ſemis conſtet, hodie minor videatur, quàm vt Monacho per diem ſufficiat. Nec improbare poſſumus allatas ab eodem Auctore rationes. Prima eſt, quòd Monachis iuxta Apoſtoli ſententiam modico vino, cóque multâ aquâ diluto ſit vtendum, imò ſanctus Benedictus præmittit vinum omninò non eſſe Monachorum, ſi veterum Patrum quæ leguntur exempla ſequi velint, ſuorúmque temporum infelicitatem deflet, quòd id Cœnobitis perſuaderi non ampliùs poſſit, vſum igitur vini ex indulgentia tantùm concedit, & vt Monachi non vſque ad ſatietatem ſed parciùs bibant. Secunda ratio eſt, quòd ſanctus Benedictus de ſua potiſſimùm patria loquitur, hoc eſt, de Italia generoſorum vinorum feraciſſima, quæ multam aquam, remanente ſufficiente ſapore & viribus, ferre poſſunt. Tertia eſt, quòd idem Patriarcha lubenter annuit, vt præter heminam Abbas addat ampliùs vini, ſi loci neceſſitas, aut labor, aut ardor æſtatis expoſtulet. Neceſſitas autem loci duobus explicatur modis, nempe ſi regionis, in qua ſitum Monaſterium, vina ſunt debilia, & ſi natio illa eſt ſiticuloſa.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] Capp. 14. 25.

* *Cheſal-Benoiſt.*

Caput quadrageſimum-primum de tempore refectionis. *A ſancto Paſchâ vſque ad Pentecoſten ad Sextam reficiant fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem totâ æſtate, ſi labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quartâ & ſextâ feriâ ieiunent vſque ad Nonam, reliquis verò diebus prandeant. Quæ prandij Sexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit prouidentiâ. Et ſic omnia temperet atque diſponat, qualiter & animæ ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque iuſtâ murmu-*

LVI. DE TEMPORE REFECTIONIS.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10

ratione faciant. Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadrageſimæ ad Nonam ſemper reficiant. In Quadrageſimâ verò vſque ad Paſcha ad Veſperam reficiant. Ipſa tamen Veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, ſed luce adhuc dici omnia conſummentur. Sed & omni tempore, ſiue cœnæ ſiue refectionis hora ſic temperetur, vt cum luce fiant omnia.

LVII. DE SILENTIO POST COMPLETORIVM.

Caput quadrageſimum-ſecundum, quod eſt de ſilentio poſt Completorium, orditur Sanctus Benedictus à commendatione ſilentij per nocturnas horas quocumque tempore, duóque tempora, vnum prandij, alterum ieiunij, ſic diſtinguit, vt prandiis opponat ieiunia, quia non ieiunantes prandebant, ieiunantes verò minimè. *Omni*, inquit, *tempore, ſilentio debent ſtudere Monachi, maximè tamen nocturnis horis, & ideò omni tempore, ſiue ieiuny, ſiue prandy.* Deinde vtroque tempore, quid Monachus poſt Veſperam debeat agere, donec eat cubitum, ſic exponit. *Si tempus fuerit prandy, mox vt ſurrexerint à cœnâ, ſedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes vel Vitas Patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes, non autem Eptateuchum*, id eſt, Heptateuchum, quod ſeptem libros, nempe Geneſeos, Exodi, Leuitici, Numerorum, Deuteronomij, Ioſue & Iudicum complectitur, *aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit vtile illâ horâ hanc ſcripturam audire, alias verò horis legantur.* Hac ſanctione caſtitati Monachorum conſulit, quia in Heptateucho & in libris Regum deſcribuntur quædam Hiſtoriæ, quæ Cœnobitis imperfectis obſcænas imaginationes ſecundùm quietem offerre poſſint, maximè ſi ſerò legantur. *Si autem ieiuny dies fuerit, dictâ Veſperâ, paruo interuallo mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantùm hora permittit (omnibus in vnum occurrentibus, etiam per hanc moram lectionis, ſi quis forte in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus) omnes in vnum poſiti compleant, & exeuntes a Completoriis, nullâ ſit licentia denuò cuiquam loqui aliquid.* Huius periodi, cuius textum ex Menardo reſtituimus, ſenſus eſt, vt lectis quatuor vel quinque foliis, aut quantùm tempus permittit, omnes in vnum poſiti dicant Completorium, vtpote qui ad illam Lectionem omnes occurrerint, propter eiuſdem Lectionis moram ne quidem excepto eo, qui fortè in aliquo opere ſibi commiſſo ſit occupatus, & ob breue ſpatium, quod inter Veſpertinam ſynaxim & hanc Lectionem intercedit, ipſius Lectionis initio ægrè adeſſe poſſit, dictóque Completorio nemini liceat alteri quidquam loqui. Sequitur aduerſus delinquentes pœna. *Quòd ſi inuentus fuerit quiſquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, graui vindictæ ſubiaceat, excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſuperuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iuſſerit. Quod tamen & ipſum cum ſummâ grauitate & moderatione honeſtiſſimè fiat.*

LVIII. DE TARDE OCCVRRENTIBVS AD OFFICIVM DIVINVM.

Capite quadrageſimo-tertio, pœnæ ſtatuuntur aduerſus eos, qui tardè vel ad diuinum Officium, quod per excellentiam opus Dei nuncupatur, vel ad menſam occurrunt. *Ad horam diuini Officy, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus, quælibet ſuerint in manibus, ſummâ cum feſtinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non ſcurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod ſi quis in nocturnis Vigiliis poſt gloriam Pſalmi nonageſimi quarti, quem propter hoc omnino protrahendo* (ita editio Duacenſis, quæ ceteris, in quibus legitur *ſubtrahendo*, præſtat hoc loco, multorúmque Codicum manuſcriptorum auctoritate fulcitur) *& morosè volumus dici, occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in choro, ſed vltimus omnium ſtet, aut in loco quem talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas, vt videatur ab ipſo, vel ab omnibus, vſquedum completo opere Dei, ſatisfactione publicâ*, nempe proſternendo ſe coram omnibus, *pœniteat. Ideò autem eos in vltimo aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipsâ verecundiâ ſuâ emendentur. Nam ſi foris Oratorio remancant, erit fortè talis qui ſe aut recollocet & dormiat, aut certè ſedeat ſibi foris, vel fabulis vacet, & detur occaſio maligno. Sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei poſt Verſum & Gloriam primi Pſalmi qui poſt Verſum dicitur, non occurrerit, lege quâ ſu-*

prà diximus in vltimo ſtet, nec præſumat ſociari choro pſallentium vſque ad ſatisfactionem, niſi fortè Abbas licentiam dederit permiſſione ſuâ, ita tamen vt ſatisfaciat reus ex hoc. Ad menſam autem, qui ante Verſum non occurrerit, vt ſimul omnes dicant Verſum & orent, & ſub vno momento temporis *accedant ad menſam, qui per negligentiam ſuam aut vitium non occurrerit, vſque ad ſecundam vicem pro hoc corripiatur. Si dennò non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium reſiciat ſolus, ſublatâ ei portione ſuâ de vino vſque ad ſatisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui etiam ad illum Verſum non fuerit præſens, qui poſt cibum dicitur. Et ne quis præſumat ante ſtatutam horam vel poſteà quidquam cibi vel potus ſumere, ſed & ſi cui offertur aliquid à Priore & accipere renuerit, horâ quâ deſiderauerit, hoc quod prius recuſauit, aut aliud omninò nihil percipiat, vſque ad emendationem congruam.* AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10. ET AD MENSAM.

Caput quadrageſimum-quartum eſt de ſatisfactione eorum, qui excommunicantur ſeu pro grauioribus culpis ſeu pro leuibus. *Qui pro grauioribus culpis ab Oratorio & à menſâ excommunicatur, horâ quâ opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratory proſtratus iaceat, nihil dicens, niſi tantùm poſito in terrâ capite ſtratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus ſe proiiciat. Et hoc tamdiu faciat, vſquedum Abbas indicauerit ſatisfactum eſſe. Qui dum iuſſus ab Abbate venerit, voluat ſe ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigiis, vt orent pro ipſo. Et tunc ſi inſſerit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine, quo Abbas decreuerit, ita ſanè vt Pſalmum, & Lectionem, vel aliud quid non præſumat in Oratorio imponere, niſi iterùm Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, proiiciat ſe in terra in loco, in quo ſtat, & ſic ſatisfaciat vſquedum ei iubeat iterùm Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantùm à menſâ, in Oratorio ſatisfaciant vſque ad iuſſionem Abbatis, & tamdiu hoc perficiant vſquedum benedicat & dicat, ſufficit.* Hæc ſanctio non eget interpretatione, modò tibi conſtet quid ſit Pſalmum, Lectionem, Antiphonam imponere. Falluntur ſanè, qui Pſalmum, Lectionem, Antiphonam imponere, volunt idem eſſe ſancto Benedicto, ac Pſalmum, Lectionem, Antiphonam incipere. Factâ collatione aliarum Regularum, facile eſt deprehendere, quòd in Benedictinâ Pſalmum, Lectionem, Antiphonam imponere nihil aliud ſit quàm Pſalmum, Lectionem, Antiphonam pronuntiare, ſiue cantu id fiat ſiue recitatione. Sanctus Benedictus capite viceſimo-quarto ſic loquitur. *Priuati autem à menſæ conſortio iſta erit ratio, vt in Oratorio Pſalmum aut Antiphonam non imponat, neque Lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem.* Hanc ſanctionem Regula cuiuſdam Patris, quæ citatur in Concordiâ Regularum, quadam velut paraphraſi ſic exponit [a]. *Sicut à menſâ ſuo loco priuatur, ita & in Eccleſiâ ſegregetur, vt in loco, in quo anteà fuit, nec Pſalmum cantet, nec vllum ordinem teneat, vſquedum ſatisfactione humili cum cordis contritione ab Abbate vel à Senioribus veniam mereatur.* Rurſum ſanctus Benedictus capite ſexageſimo-tertio ſic habet. *Ergo ſecundùm ordines, quos* Abbas *conſtituerit, vel quos habuerint ipſi fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad Pſalmum imponendum.* Et Auctor præcitatus ſenſum eundem ita reddit. *In curſu verò poſiti, prout ab Abbate fuerint ordinati, ad Pſalmum canendum, vel ad Lectiones recitandas, vel etiam ad communicandum euntes ſuum ordinem ſeruent.* Vtrobique apud anonymum idem eſt *Pſalmum canere* ac *Pſalmum imponere* apud ſanctum Benedictum. Quod ad Lectionem attinet, eam Lector integram ſemper recitauit, numquam incepit, vt chorus perſequeretur.

LIX. DE EXCOMMVNICATIS.

[a] Cap. 19.

Caput quadrageſimum-quintum eſt de iis qui falluntur in Oratorio. *Si quis pronuntiat Pſalmum, Reſponſorium, Antiphonam vel Lectionem, & fefellerit, niſi ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentiâ deliquit. Infantes autem pro tali culpâ vapulent.*

LX. DE IIS QVI FALLVNTVR IN ORATORIO.

Capite quadrageſimo ſexto ſtatuitur, vt qui delinquit in aliis quibuſlibet rebus, *ſi non veniens continùo ante Abbatem vel Congregationem, ipſe vltrò*

LXI. ET IN ALIIS QVIBVSLIBET REBVS.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

satisfecerit, & prodiderit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa fuerit latens, tantùm Abbati aut spiritalibus Senioribus patefaciat, qui sciant curare sua & aliena vulnera, non detegere & publicare.

LXII. DE SIGNIFICANDA HORA DIVINI OFFICII. ET CANTORIBVS ET LECTORIBVS.

Capitis quadragesimi-septimi duæ sunt partes. Prior est de hora diuini Officij cùm diurni tum nocturni significanda. *Nuntianda hora operis Dei die nocteque sit cura Abbatis. Aut ipse nuntiet, aut tali solicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur.* Posterior est de Cantoribus & Lectoribus, vt nullus in Officio diuino, nisi iussus ab Abbate fuerit, Cantoris aut Lectoris partes exequatur. *Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant. Cantare autem aut legere non præsumat, nisi qui potest ipsum Officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate & grauitate & tremore fiat, & cui iusserit Abbas.* Consentanea est alia sanctio, quâ caput duodequadragesimum suprà clausum est, *fratres non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes*, quamuis hæ phrases, *non per ordinem legant*, & *Psalmos vel Antiphonas post Abbatem ordine suo imponant*, inter se pugnare videantur, contraria sunt enim cantare *non per ordinem*, & cantare *ordine suo*. Facilè soluitur tota difficultas, si consilium scriptoris attendatur. Statuit enim in vtroque capite arcere à cantu Monachos, quicumque ad canendum minimè idonei reperiuntur, ideóque præcipit capite duodequadragesimo, vt fratres non per ordinem continuum legant aut cantent, sed illis qui non apti sunt ad legendum & canendum prætermissis, soli legant aut cantent, qui lectione aut cantu audientes ædificent, & capite quadragesimo-septimo, quod in eandem sententiam recidit, iubet vt soli Monachi, quibus iussum seu permissum fuerit, Psalmos & Antiphonas post Abbatem imponant ordine suo, id est, seruato inter eos qui lecturi aut cantaturi sunt ordine ingressionis in Monasterium, ceteris, qui nec ad legendum nec ad canendum idonei videntur, vt suprà prætermissis.

LXIII. DE OPERE MANVVM.

Caput quadragesimum-octauum est de opere manuum quotidiano. Sanctus Benedictus tres distinguit anni tempestates, vnam à Pascha constituit ad Kalendas Octobres, alteram à Kalendis Octobribus ad initium Quadragesimæ, tertiam ab initio Quadragesimæ ad Pascha. *A Pascha*, inquit, *vsque ad Kalendas Octobres, manè exeuntes à Prima vsque ad horam penè Quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem Quarta vsque ad horam quasi Sextam lectioni vacent. Post Sextam autem surgentes à mensa pausent in lectis suis cum omni silentio, aut fortè qui voluerit legere, sibi sic legat, vt alium non inquietet, & agatur Nona temperiùs, mediante Octauâ horâ, & iterùm quod faciendum est, operentur vsque ad Vesperam. Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè Monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt, sicut & Patres nostri & Apostoli, omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes. A Kalendis autem Octobribus vsque ad caput Quadragesimæ, vsque in horam Secundam plenam lectioni vacent. Horâ Secundâ agatur Tertia, & vsque ad Nonam omnes in opus suum laborent, quod eis iniungitur. Facto autem primo signo Nonæ horæ, dissiungant se ab opere singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus à mane vsque ad Tertiam plenam lectioni vacent, & vsque ad Decimam horam plenam operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos Codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui Codices in capite Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacet otio aut fabulis, & non sit intentus lectioni, & non solùm sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat*, id est, auferat seu subducat ab opere. *Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel & secundò; si non emendauerit, correctioni Regulari subiaceat taliter, vt ceteri timeant. Neque frater*

frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico item die lectioni vacent omnes, exceptis his qui variis officiis deputati sunt. Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit aut non possit meditari aut legere, iniungatur ei opus quod faciat vt non vacet. Fratribus infirmis aut delicatis talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur vt effugentur, quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est. Anni circulum capite quadragesimo-primo, cùm de tempore refectionis ageret, in quatuor partes suprà distinxit, primam à Pascha collocauit ad Pentecosten, secundam à Pentecoste ad Idus Septembres, tertiam ab illis Idibus ad caput Quadragesimæ, quartam ab initio Quadragesimæ ad Pascha. Per Idus autem Septembris, capite quadragesimo-primo, vbi sic habet, *ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ*, & per Kalendas Octobres, capite duodequinquagesimo, vbi sic loquitur, *à Kalendis autem Octobribus vsque ad caput Quadragesimæ*, vnum eundémque terminum designat, ab Idibus videlicet Septembris exclusiuè, & à Kalendis Octobris inclusiuè, id est, à die decimo-octauo ante Kalendas Octobris siue à postridiano Iduum Septembrium. Nam Kalendæ primum mensis diem non semper significant; sed aliquando pro præcedentium Iduum postridiano sumuntur, quia postridie Iduum dies à Kalendis proximi mensis incipiunt denominari. Sicque Kalendæ Octobres in textu præcitato denotant diem Septembris XIV. qui postridianus est Iduum Septembrium, & decimus-octauus ante Kalendas Octobres, id est, ante initium mensis Octobris. Sententiam nostram confirmat sanctus Fructuosus, qui Regulam sancti Benedicti ferè secutus, de ieiuniis inter alia sic statuit [a]. *A Pentecoste vsque ad* XVIII. *Kalendas Octobris interdiana ieiunia retinenda sunt*, &c.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] Cap. 18.

LXIV. DE QVADRAGESIMA.

Capite vndequinquagesimo sanctus Benedictus hortatur Monachos, vt austeriùs & districtiùs in Quadragesima viuant, nihil tamen agant agendúmve suscipiant absque Abbatis voluntate, *quia quod sine permissione Patris spiritalis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi.*

LXV. DE FRATRIBVS LABORANTIBVS LONGE AB ORATORIO.

Capite quinquagesimo loquitur de Monachis, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sunt, opúsque Dei ab vtrisque agi iubet horis constitutis. *Fratres, qui omninò longè sunt in labore, & non possunt horâ competenti occurrere ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed vt possunt, agant ibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.*

LXVI. ET IN VIAM DIRECTIS.

Capite quinquagesimo-primo sancit, vt *frater, qui pro quouis responso dirigitur, & eâ die speratur reuerti ad Monasterium, non præsumat foris manducare, etiamsi omninò rogetur à quouis, nisi fortè ei ab Abbate suo præcipiatur. Quòd si aliter fecerit, excommunicetur.*

LXVII. DE ORATORIO.

Capite quinquagesimo-secundo, de Oratorio Monasterij sic statuit. *Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt frater, qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi secretiùs orare, simpliciter intret & oret; non in clamosa voce, sed in lachrymis & intentione cordis.*

LXVIII. DE HOSPITIBVS SVSCIPIENDIS.

Capite quinquagesimo-tertio, sic decernit de hospitibus suscipiendis. *Vt nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore*, id est, ab Abbate, *vel à fratribus cum omni officio caritatis, & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace, quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissâ, propter illusiones diabolicas. In ipsâ autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terrâ, Christus in eis adoretur qui & suscipitur. Susceptis autem hospites ducantur ad orationem, & posteà sedeant cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina vt addiscatur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium à Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus sit ille dies ieiunij qui non*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum sequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det, pedes hospitibus omnibus tam Abbas quàm cuncta congregatio lauet, quibus lotis hunc versum dicant. [*Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*] *Pauperum autem & peregrinorum maximè susceptio omni curâ solicitè exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur, nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hospitum per se sit, vt incertis horis superuenientes hospites, qui numquam desunt Monasterio, non inquietent fratres. In quâ coquinâ ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium benè compleant, quibus, vt indigent, solatia administrentur, vt absque murmuratione seruiant. Et iterùm quando occupationem minorem habent, exeant, vbi eis imperatur, in opera. Et non solùm in ipsis, sed & in omnibus officiis Monasterij ista sit consideratio, vt, quando indigent, solatia accommodentur eis, & iterùm, quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lectisternia sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur, sed si obuiauerit, aut viderit, salutatis humiliter, vt dictum est, & petitâ benedictione, pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.*

LXIX. DE LITERIS ET MVNERIBVS NEC MITTENDIS NEC ACCIPIENDIS SINE LICENTIA ABBATIS.

Capite quinquagesimo-quarto prohibet, ne Monachus literas, eulogias, quælibet munuscula vel accipiat vel tradat absque præcepto Abbatis, eúmque, qui secus fecerit, vult *disciplina regulari* subiacere.

LXX. DE VESTIMENTIS. CALCEAMENTIS.

Capite quinquagesimo-quinto, agit de vestimentis & calceamentis Monachorum, déque stramentis lectorum. *Vestimenta fratribus secundùm locorum qualitatem vbi habitant, vel aerum temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minùs. Nos autem mediocribus*, id est, temperatis, *locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam & tunicam; cucullam in hyeme villosam*, id est, grossioris panni, cuius villi seu filamenta prominent, *in æstate puram*, id est, tenuem, *aut vetustam, & scapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in Prouincia, quà degunt, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensurâ prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus, sed mensurata. Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas & duas cucullas habere propter noctes & propter lauare ipsas res. Iam quod superfluum est amputari debet. Et pedules, & quodcúmque est vetus reddant, dum accipiunt nouum. Femoralia ij, qui diriguntur in viâ, de vestiario accipiant, qui reuertentes lota ibi restituant. Et cuculle & tunicæ sint aliquantò à solito, quas habent, modicè meliores, quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, & reuertentes restituant.*

ET STRAMENTIS LECTORVM

Hactenus de vestibus & calceamentis. Sequuntur stramenta lectorum. *Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena, & capitale* seu ceruical. *Qua tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt propter opus peculiare, ne inueniatur.* Postremò pœnæ statuuntur aduersus Monachum, qui quippiam habeat peculiare, & ne quid ei desit, res omnes, quas ab Abbate debeat accipere, sic declarantur. *Si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissima disciplina subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum.* [*Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat.*] *Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, & non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudiciis suis Dei retributionem cogitet.* Quamuis autem sanctus Benedictus de vestium colore nihil decreuerit, eius discipulis color niger adeò familiaris fuit, vt inde Monachi nigri vulgò nuncupati reperiantur. Nihil quoque statuit de longitudine cucullæ, quapropter Monachis Benedictinis varia fuit olim cucullæ mensura, vt in his Annalibus diuersa demonstrabunt exempla. Duas cucullas totidémque tunicas vnicuique Monacho concessit, tum quia voluit

eas lauari, tum quia iudicauit alias vsui fore per diem, alias per noctem, diurnis enim vestibus depositis Monachi nocturnas assumebant, quibus induti dormiebant, vt parati essent atque expediti, cùm ad Vigilias excitabantur. AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

LXXI. DE MENSA ABBATIS.

Caput quinquagesimum-sextum est de mensâ Abbatis, trésque sanctiones amplectitur. Prima est, vt *mensa Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper.* Secunda, *vt quotiens minùs sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius* Abbatis *sit potestate.* Tertia, vt Abbas *seniores vnum aut duos semper cum fratribus dimittendos procuret propter disciplinam*, illis videlicet diebus, quibus propter hospites frangit ieiunium, & horâ reficitur sextâ, cùm fratres reficiendi sint horâ nonâ.

LXXII. DE ARTIFICIBVS MONASTERII.

Caput quinquagesimum-septimum est de artificibus Monasterij. *Artifices, si sunt in Monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit Abbas. Quòd si aliquis ex eis extollitur pro scientiâ artis suæ, eò quòd videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsâ arte, & denuò per eam non transeat, nisi fortè humiliato ei iterùm Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem Monasterio facere præsumant. Memorentur semper Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in animâ patiantur. In ipsis autem pretiis non subrepat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis secularibus dari potest, vt in omnibus glorificetur Deus.*

LXXIII. DE NEOPHYTIS ADVLTIS.

Caput quinquagesimum-octauum est de disciplinâ suscipiendorum fratrum. *Nouiter veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus* [*Probate spiritus si ex Deo sunt.*] *Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cellâ hospitum paucis diebus. Posteà sit in cellâ nouitiorum, vbi meditetur, & manducet & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit, si reuerà Deum quærit, si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera per quæ itur ad Deum. Si promiserit de stabilitatis suæ perseuerantiâ, post duorum mensium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, sub qua militare vis; si potes obseruare, ingredere; si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterùm probetur in omni patientiâ. Et post sex mensium circuitum legatur ei Regula, vt sciat ad quod ingreditur. Et si habitâ secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se iam sub lege Regulæ constitutum, quòd ei ex illâ die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo Regulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit aut excusare, id est, recusare, aut suscipere. Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate suâ, & conuersione morum suorum, & obedientiâ, coram Deo & Sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. De quâ promissione suâ faciat petitionem*, id est, *scripturam* obligatoriam, *ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu suâ scribat, aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat. Et ille nouitius signum faciat, & manu suâ eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse nouitius mox hunc versum.* [*Suscipe me, Domine, secundùm eloquium tuum, & viuam; & non confundas me ab expectatione meâ.*] *Quem versum omnis Congregatio tertiò respondeat, adiungentes,* [*Gloria Patri, &c.*] *Tunc ille frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo, & iam ex illâ die in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut factâ solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus, quippe qui ex illo die nec propriæ corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

in vestiario conseruanda, vt si aliquando suadente diabolo consenserit, vt egrediatur de Monasterio, quod absit, tunc exutus rebus Monastery proiiciatur. Illam tamen petitionem, quam de super altare Abbas tulit, non recipiat, sed in Monasterio reseruetur. Ratio palam est, nam receptâ illâ petitione se esse Monachum negaret, grauissimáque sequerentur incommoda, si vel vxorem ducere vel in militiam adscribi vellet, nec ab Abbate cogi posset, vt ad Monasterium rediret. Formulam petitionis accipe ex Archiuo [a] Bellilocensi. *Ego frater Geraldus promitto stabilitatem meam loci istius, secundùm Regulam sancti Benedicti & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in præsentiâ Domini Geraldi Abbatis & ceterorum fratrum, & cedo aliquid de rebus meis ad istud Monasterium, quod est constructum in honorem sancti Petri, vbi vir venerabilis Geraldus Abbas præesse videtur.* Cetera hoc caput habet pleraque conformia Cassiano [b] à nobis ad annum Christi quingentesimum tricesimum sextum laudato, totúmque debet intelligi de adultis, nam quod proximè sequitur, agit de impuberibus, qui Deo à parentibus offeruntur.

[a] Chart. 111.

[b] Lib. 4. capp. 3. 5. 6. 7.

LXXIV. DE NEOPHYTIS IMPVBERIBVS.

Caput igitur quinquagesimum nonum est de pueris, quos Deo parentes offerunt in Monasterio. Tres eorum classes distinguit sanctus Benedictus, in prima collocat filios nobilium, in alterâ filios pauperiorum, in vltimâ filios parentum nihil habentium omninò. Totam sanctionem de filiis nobilium seu diuitum ad tria reducit capita, nempe ad petitionem seu scripturam obligatoriam, ad ritum offerendi, & ad exhæredationem. De petitione sic decernit. *Si quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam suprà*, capite videlicet superiori, *diximus.* De ritu offerendi sic. *Et cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuoluant in pallâ altaris, & sic eum offerant.* De exhæredatione sic. *De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in elecmosynam Monasterio pro mercede suâ, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio, donationem, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit, (quod absit) quod experimento didicimus.* Eadem statuit de filiis pauperiorum, seu quorum mediocres sunt facultates. *Similiter autem*, inquit, *& pauperiores faciant.* At de filiis eorum, qui nihil habent, omissâ exhæredatione, sic præcipit. *Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.* Quoniam eiusmodi oblationes puerorum siue infantium abrogatæ sunt, multi hodie stupent ad lectionem huius capitis, cuius sanctiones in vsu quondam fuisse vix sibi persuadere possunt. Viguit tamen multis seculis hæc Ecclesiæ Monasteriorumque praxis, vt pueri siue infantes à parentibus oblati perpetuo astringerentur Monachatui, nec eis liceret hunc vitæ statum ante vel post pubertatis annos repudiare. De Italis locuples testis est sanctus Benedictus vir Italus suprà citatus, cuius Regulam non tantùm Casinenses in Italiâ, sed etiam alij in diuersis regionibus Monachi susceperunt. De Francis, qui latè per Germaniam vniuersámque fermè Galliam dominabantur, idem asseruerunt anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo Patres Synodi Aurelianensis quintæ, qui Canone decimo-nono puellas, quæ propriâ voluntate Monasterium expetebant, ab aliis, quæ Deo à parentibus offerebantur, ita distinxerunt. *Quæcumque etiam puellæ, seu propriâ voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsâ quâ intrauerint veste permaneant.* Apud Wisigothos, quibus Hispania parsque Galliarum parebant, eundem morem laudarunt sequenti seculo Patres Concilij Toletani quarti, nam Canone duodequinquagesimo Monachos in duplici posuerunt differentiâ, quorum alios paterna deuotio faceret, alios propria professio. *Monachum*, inquiunt, *aut paterna deuotio aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus. Per parentes, qui Deo pueros aut infantes offerunt, iuxta propriam vim vocabuli, non alij, quàm pater & mater intelligendi sunt, sed iuxta latiorem significationem, Auctoribus sancto Benedicto coætaneis familiarem, affines quoque & consanguinei designantur. Inde quæstioni locus, vtrùm in Regula Benedictina, parentum nomine, pater duntaxat & mater comprehendantur, nec ab aliis infantes aut pueri Deo in Monasteriis offerri possint. Si Christophoro *Iustel*, & Marco Antonio *Dominicy* fidem habemus, fratres à fratribus oblati sunt aliquando. Hanc enim formulam ex Bellilocensis Abbatiæ Chartulario depromptam, & à Christophoro Iustello suppeditatam Marcus Antonius Dominicyus in Anſberti familia rediuiua [a] iam publicauit. *Cùm legaliter sancitum, antiquitúsque teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini Domino feliciter seruituros, proculdubiò hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Idcircò nos Gauffredus & Benedictus hunc fratrem nostrum nomine Petronem, cum oblatione atque petitione, altaris pallâ in manu eius inuolutâ, ad nomina Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & Frodoini Abbatis, & omnis Congregationis, tradimus coram testibus regulariter permansurum, ita vt ab hac die non iam liceat collum de sub iugo Regulæ excutere, & vt nostra traditio inconuulsa permaneat, promittimus sub iureiurando coram Deo & Angelis eius, quia nunquam per nos, vel quolibet modo per rerum nostrarum facultates egrediendi ei aliquando de Monasterio tribuamus occasionem, & vt hæc nostra traditio inconuulsa permaneat, manu nostrâ eam subterfirmauimus, & testibus tradidimus roborandam.* Non inficiamur in manus Iustelli venisse Chartularium Bellilocense, quo sæpè vsus est ad probandum genus Vicecomitum * Turenensium, in quorum Dynastia situs est Bellus * locus haud procul à dextera Dordoniæ * ripa. Sed cur Dominicyum hoc loco decipere voluerit, cúrque Petronem, quem parentes, nempè Gausfredus eius pater, & Folcusa mater, obtulerunt, à Gauffredo & Benedicto fratribus suis oblatum finxerit, haud capimus. Attentè legimus idem Chartularium Bellilocense, quod chartis centum ac nonaginta constat. Inter eas quæ numero est octogesima secunda, ipsam Petronis oblationem à prædictis eius parentibus Gausfredo & Folcusa factam ita repræsentat. *Cùm legaliter sancitum antiquitùs teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini Domino fideliter seruituros, proculdubiò hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim est iudicium Creatori nostro de nobis reddere fructus. Idcircò nos in Dei nomine Gausfredus & vxor mea Folcusa hunc filium nostrum nomine Petronem cum oblatione in manu atque petitione altaris pallâ inuoluta ad nomen Sanctorum, quorum reliquiæ hic continentur, & in præsentia Frodoini Abbatis & omnis Congregationis tradimus coram testibus regulariter permansurum; ita vt ab hac die non iam luceat ei collum de sub iugo Regulæ excutere. Et vt nostra traditio inconuulsa permaneat, promittimus sub iureiurando coram Deo & Angelis eius, quia nunquam per nos vel quolibet modo per rerum nostrarum facultates egrediendi ei aliquando de Monasterio tribuamus occasiones. Et vt hæc nostra traditio inconuulsa permaneat, manu nostrâ eam firmauimus, & testibus tradidimus roborandam. Cedimus autem cum ipso filio nostro terram, quam Galferius tenet. Totum & ad integrum dimitto Deo & beato Petro hoc quod habeo vel visus sum habere. S. Gausfredi. S. Folcusæ. S. Archambaldi. S. Geraldi. Facta est charta ista in mense Ianuario, regnante Philippo Rege.* Eandem Chartam viderunt Sammarthani, sic enim de Frodoino Abbate Bellilocensi loquuntur in auctiore Gallia Christiana. *Frodoinus, Philippo regnante, mense Ianuario.* Est & in Archiuo Bellilocensi alia Charta [b], per quam Geraldus & Vterna coniuges Geraldum filium suum offerunt *in Monasterio S. Petri Bellilocensis Cœnoby in præsenti Congregatione cum oblatione atque petitione, pallâ altaris manu suâ inuolutâ, ad nomina Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, ad supradictam Congregationem* tradunt *coram testibus regulari-*

[a] Part. 1. c. 7.

* *Vicomtes de Turene.*
* *Beaulieu.*
* *La Dordongne.*

[b] Chart 91.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

ter permansurum, ita vt beati Patris Benedicti cognoscat se æternaliter instituta seruare, & Domino Deo cum cæteris fratribus gratanti animo militare. Huius Chartæ proœmium tale est. *Cùm legaliter sancitum antiquitùs teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini fideliter seruituros, proculdubio hoc de nostris faciendum nobis salubriter præbetur exemplum.* Idem est hoc proœmium cum superiori, quod Iustellus Dominicyo communicauit. Parentibus autem, qui filios suos offerunt, aptissimè conuenit; fratribus verò, qui fratres, nequaquam. Petrus Blesensis in literis [a] ad Pictauiensem Archidiaconum, qui neptem suam Adelitiam inuitam ad Monasticen compellebat, docet vocabulo parentum, neminem intelligendum esse præter patrem ac matrem. Post allatam enim rationem ætatis legitimæ atque adultæ, quæ liberam animi sui facultatem Adelitiæ tribuebat, constantissimè negat eam post patris mortem in alienam potestatem recidisse. *Nec astringit*, inquit, *ipsam paterna deuotio, quia non est in sacris patris, sed quasi emancipata per patris mortem, & in alienam potestatem non recidens liberam animi sui adepta est facultatem.* Ab hac interpretatione non existimamus recedendum. Pueri, qui parentibus suis, patre videlicet ac matre, orbati sub aliorum patrocinio ac tutelâ erant, ab ipsis patronis ac tutoribus non poterant offerri, sed propriâ voluntate Monasterium expetere licitum illis erat, eâ tamen lege vt donec annum ac diem in Monasterio transegissent, ab iisdem patronis ac tutoribus iure repeterentur. Id liquet ex Concilio [b], quod Triburiæ ad dexteram Rheni ripam supra Moguntiam celebratum est. *Quæcunque virgo sub patrocinio ante annos duodecim non coacta, sed propriâ voluntate sacrum velamen sibi imposuerit, annúmque & diem nullo repetente velata permanserit, ab eodem sancto habitu vlteriùs non recedat, sed sponsa vero Regi Christo, immaculato agno, vlteriùs incorrupta & immaculata deseruiat. Si verò idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere; secundùm præstituta Canonum præiudicemus, vt vires non obtineat, sed Christo Regi suam sponsam relinquat.* Hoc decretum à Gratiano sic refertur [c]. *Puella si ante* XII. *annos ætatis sponte suâ sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes eius vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum & diem, id dissimulando consenserint, vlteriùs nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* A Concilio Triburiensi differre non parùm videtur Gratianus. Agit Synodus de solis patronis, Gratianus de parentibus simul ac de patronis quos tutores appellat. Multùm autem discrepant vtrorumque iura. Nihil tamen statuit Gratianus, quod sanctioni Triburiensi repugnet. Hoc vnum sanciunt Patres Concilij Triburiensis, vt in Monialium congregatione permaneat puella, quæ parentibus orbata, subque aliorum tutela & patrocinio constituta Monasterium infra legitimam duodecim annorum ætatem propriâ voluntate expetiit, ibique annum integrum diémque egit nemine repetente. Gratianus hoc decretum extendit etiam ad puellas, quæ viuis parentibus Monasterium infra legitimam ætatem ingrediuntur. Præterea ius, eiusmodi puellas è Cœnobio quod ingressæ sunt, statim reuocandi, tam parentibus quàm tutoribus attribuit. Denique negat parentibus potestatem esse prohibendi, ne puella legitimam ætatem adepta secedat in Monasterium. Duo hæc postrema, quæ proferuntur à Gratiano, nec leguntur in præcitata sanctione Triburiensi, sunt illorum temporum vsui consentanea, nullámque patiuntur difficultatem. Puella, quæ legitimam ætatem attigerat, inuitis etiam parentibus Monasticen amplecti poterat. Ea verò, quæ nondum erat in ætate legitima, censebatur adhuc sub parentum aut tutorum potestate, qui statim è Monasterio reducerent si vellent. At Gratianus, cùm in sanctione Triburiensi * præter puellas, quæ parentibus orbatæ Monasterium infra legitimam ætatem ingrediuntur, eas etiam comprehendit, quæ viuis parentibus idem faciunt, morem eorumdem temporum non benè videtur assecutus.

[a] Epist. 54.

[b] Can. 14.

[c] p. 1. c. 20. q. 2. c. 1.

* *De Triburiensi.*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Dispar enim vtrarumque puellarum erat conditio, quia puellæ parentibus orbatæ, de quibus solis Concilium Triburiense loquitur, donec in Monasterio annum integrum diémque traduxissent, repeti poterant à patronis seu tutoribus; aliæ verò, quas etiam Gratianus in suo decreto complectitur, intra spatium temporis multò breuiùs, nisi repeterentur à parentibus, liberam facultatem ad secularem habitum reuertendi penitùs amittebant, vt Patres Concilij Toletani decimi declararunt [a] his verbis. *Si in qualibet minori ætate, vel Religionis tonsuram, vel Religione debitam vestem in vtroque sexu filiis aut vnus aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus vel nescientibus sese, susceptam non mox visam in filiis abdicauerint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palámque in conuentu eosdem filios talia habere permiserint, ad secularem reuerti habitum, ipsis filiis quandoque penitùs non licebit, sed conuicti quòd tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad Religionis cultum habitúmque reuocentur, & sub æternâ districtione huiuscemodi obseruantiæ inseruire cogantur.* Iidem Patres eodem Canone annos infra legitimam ætatem ad denarium numerum redegerunt. *Parentibus sanè filios suos Religioni contradere, non amplius quàm vsque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit esse. Posteà verò, an cum voluntate parentum, an suæ deuotionis sit solitarium votum, erit filiis licitum Religionis assumere cultum.* Ita legitur in vulgatis editionibus & apud Garsiam Loaisam. Multi tamen Canonistæ, vt prædictum Concilium, quod seculo septimo celebratum est, suis ætatibus accommodent, annum duodecimum aut etiam decimum-quartum reponunt. Sic enim habet Iuo [b], qui Carnotensem Diœcesim anno Christi centesimo supra millesimum administrabat. *Parentibus sanè filios suos Religioni contradere non amplius quàm vsque ad duodecimum ætatis eorum annum licentia poterit esse.* Secutus videtur auctoritatem Synodi Triburiensis, quæ ferè sesquiseculo post prælaudatam Toletanam celebrata est anno Christi octingentesimo nonagesimo-quinto vltra Rhenum in Orientali Francia. Gratianus vir Italus, Iuone recentior, qui medio duodecimo seculo superstes in viuis adhuc erat, eandem Synodum Toletanam ita citat [c]. *Parentibus sanè filios suos Religioni contradere non amplius quàm vsque ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit esse.* Alexander Tertius Papa, qui vitam & Pontificatum anno Christi millesimo centesimo octogesimo-primo clausit, amplexus est Gratiani sententiam, & initium ætatis legitimæ post annum decimumquartum assignauit, vt patet ex duabus eius epistolis, quarum altera extat libro tertio [d] Decretalium, altera Concilio Lateranensi tertio subiecta reperitur. Quandiu deinceps in Ecclesia viguit hic vsus, vt infantes aut pueri Deo in Monasteriis à parentibus offerrentur, patria potestas post annum decimumquartum soluta est. Ex his Toletanæ Synodi verbis superiùs allegatis, *(si aut vnus, aut ambo parentes dederint)* liquet oblationem firmam stabilémque permanere, si facta sit ab altero parentum. Id verò sic exponendum putamus, vt patri liceret offerre filios absque consensu matris, huic nequaquam absque illius consensu, alterutri autem si mors alterius interessisset. Formulam petitionis, quâ Gausfredus & Folcusa coniuges Petronem filium suum obtulerunt, habes suprà ex Chartulario Bellilocensi, accipe & alteram ex eodem Archiuo. *Cùm legaliter sancitum antiquitùs teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini fideliter seruituros, proculdubiò hoc de nostris faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Idcircò in Dei nomine Geraldus & vxor mea nomine Vterna hunc præsentem filium nostrum offerimus nomine Geraldum in Monasterio Sancti Petri Bellilocensis Cœnobij in præsenti Congregatione cum oblatione atque petitione, palli altaris manu suâ inuolutâ, ad nomina Sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, ad supradictam congregationem tradimus coram testibus regulariter permansurum, itaut beati Patris Benedicti cognoscat se æternaliter instituta seruare, & Domino Deo cum ceteris fratribus gratanti animo militare. Et vt hæc traditio inconuulsa permaneat, promittimus sub iureiurando coram Deo & Angelis eius*

[a] Can. 6.

[b] part. 7. c. 17.

[c] Decret. p. 1. c. 20. q. 1. c. 1.

[d] Tit. 31. c. 8.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

& beato Petro Principe Apostolorum, quia numquam per nos neque per suppositam personam aliquando de Monasterio egrediendi tribuamus occasionem. Et vt hæc petitio firma permaneat, manu nostrâ propriâ subter firmari desiderauimus. Denique ego Geraldus & vxor mea Vterna, qui offerimus filium nostrum nomine Geraldum, Domino & sancto Petro cedimus hodie pro eodem puero ad hunc locum, qui dicitur Bellus locus, de rebus proprietatis nostræ, hoc est, vnum mansum cum vno molendino, & in alio loco qui vocatur ad illa poiada quatuor denaria de vineâ cum terris quas ibi habeo, quas Petrus Dedrocoleus tenet. Hoc verò totum & ad integrum Deo & sancto Petro offerimus cum filio nostro Geraldo, vt rectores istius loci possideant & teneant nullo contradicente. Facta cessio ista in mense Martio, regnante Henrico Rege. S. Geraldi qui cessionem istam fieri firmarique rogauit. S. Petri. S. Stephani. S. Eboli. S. Gausberti. Si plures cupis, consule Smaragdum in commentariis ad Regulam sancti Benedicti, & Auctorem Chronici Noualegiensis qui petitionem exhibet Widilonis filium suum Ambulfum offerentis tempore Caroli Magni. Præter petitionem oblatio cum pueri manu in altaris pallâ inuoluebatur. Oblatio consistebat in pane & vino in Missâ solitis offerri. Apud Ruthardum [a], Monachum primò Benedictinum, deinde Episcopum Halberstadiensem, qui nono seculo regnantibus in Franciâ tribus Ludouici Pij filiis floruit, pater ponit *in dextrâ manu filij sui oblatam*, id est, hostiam seu panem, *cum mappulâ, in sinistrâ autem ampullam vini.* Apud sanctum [b] Lanfrancum, qui vixit vndecimo seculo, & ex Abbate Cadomensi factus est Archiepiscopus Cantuariensis, *offerendus puer manibus portat hostiam & calicem cum vino.* Apud eundem Auctorem, oblatione à Sacerdote susceptâ, parentes inuoluunt manum pueri *in pallâ, quâ altare coopertum est, & cuius pars anteriùs pendet.* Hic textus apertè demonstrat, quid per altaris pallam hoc loco intelligendum sit. Circa exhæredationem obseruandus occurrit præcipuè modus, per quem hæreditatis possidendæ spes omnis puero præscindebatur. Parentes iuxta sancti Benedicti Regulam aut promittebant sub iureiurando se nullum vnquam auxilium puero daturos ad hæreditatem eiusve portionem occupandam, aut, si nollent id iuramento polliceri, Monasterio donationem ipsius hæreditatis faciebant vsufructuario sibi reseruato, bona enim, quæ post eorum obitum ad ipsum puerum hæreditario iure peruentura erant, ad alium quempiam non poterant pro arbitrio suo transferre, puérque non cadebat suo iure in hæreditatem obuenturam, sed amittebat tantùm liberam facultatem eâ postquàm obuenisset vtendi in proprium commodum. Cùm autem ius huius sanctionis extendi nequeat ad filios eorum qui nihil habent, sanctus Benedictus omissâ exhæredatione statuit, vt *qui ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.* Adhibentur testes, ne fortè parentes liberos repetant, aut pueri reclament. Ceterùm quia suprà cùm de diuitum filiis sermo fuit, nulla mentio facta est testium, quidam suspicati sunt hæc verba, *coram testibus*, non ad parentes, qui vel nobiles vel mediocris essent fortunæ, sed ad eos tantùm referri, qui nihil haberent omninò. Verùm, vt aliter sentiamus, nos impellunt exempla, quæ iam protulimus ex Chartulario Bellilocensi. Gausfredus enim & Folcusa filium suum Petronem, Geraldus & Vterna filium suum Geraldum *coram testibus* obtulerunt. Hic ritus explicatur apud Ruthardum. Is qui puerum offert ita loquitur. *Volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad seruiendum sibi in hoc Monasterio.* Deinde dicit Abbas testibus. *Auditis, fratres, & videtis, quid iste dicat.* Illi autem respondere debent. *Audimus & videmus.*

[a] In comment. ad reg. S Benedicti.

[b] Constit. 17.

LXXV.

[c] Lib. 1. in reg. S. Bened.

DE SACERDOTIBVS ET CLERICIS MONASTERIVM EXPETENTIBVS.

Caput sexagesimum est de Sacerdotibus & Clericis, qui monasticen profiteri volunt. Rupertus [c] Sacerdotum nomine solos Episcopos intelligit, adde Presbyteros, déque his sermonem præcipuè fieri puta, Clericos autem interpretare eos qui sunt inferioris gradus à Presbyteris. Sanctus Benedictus Sacerdoti nec facilè Monasterium patere, nec de Regulæ disciplinâ quidquam vult relaxari. *Si quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi roganerit,*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10. RII.

vit, non quidem citiùs ei assentiatur. Tamen si omninò perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem Regulæ disciplinam seruaturum. Nec aliquid ei relaxabitur. Hoc vnum ei priuilegium concedit, vt in Ecclesiâ pro reuerentiâ Sacerdotij post Abbatem stet, & benedicat, Missásque celebret, si Abbas ipse iusserit. *Concedatur tamen ei post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere, si tamen iusserit ei Abbas; sin aliàs, nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et si fortè ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est Monasterium, non illum qui ei pro reuerentiâ Sacerdotij concessus est.* Clericis mediocrem locum assignat. *Clericorum autem si quis eodem desiderio Monasterio voluerit sociari, loco mediocri conlocetur, & ipse tamen si promittat de obseruatione regulæ vel propriâ stabilitate.*

LXXVI. DE MONACHIS PEREGRINIS.

Capite sexagesimo-primo sanctus Benedictus distinguit duo genera Monachorum peregrinorum, alij enim de prouinciis longè remotis, alij de vicinis seu notis Monasteriis veniunt. Vtrosque suscipit hospitio, priores etiam, si digni videntur, sociandos ait Congregationi, posteriores nequaquam, nisi consensus Abbatis, è cuius Cœnobio discesserunt, aut literæ intercedant commendatitiæ. *Si quis Monachus peregrinus de longinquis prouinciis superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci quam inuenerit, & non fortè superfluitate suâ perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua sanè rationabiliter & cum humilitate caritatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè pro hoc ipso eum Dominus direxerit. Si verò posteà voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè quia tempore hospitalitatis potuit eius voluntas dignosci. Quòd si superfluus, aut vitiosus inuentus fuerit tempore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori Monasterij, verùm etiam dicatur ei honestè vt discedat, ne eius miseriâ etiam alij vitientur. Quòd si non fuerit talis, qui mereatur proiici, non solùm, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus, verùm etiam suadeatur vt stet, vt eius exemplo alij erudiantur, quia in omni loco vni Domino seruitur, & vni Regi militatur. Quem si etiam talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulùm constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus Sacerdotum vel Clericorum, stabilire potest Abbas in maiori, quàm ingreditur loco, si eius talem prospexerit esse vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis eius aut literis commendatitiis, quia scriptum est.* [*Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*] Monachus peregrinus in vltimo loco statuebatur, idque satis apertè colligitur ex facultate, quæ Monasterij posterioris Abbati relinquitur, vt si dignum iudicauerit, eiusmodi Monachum ad altiorem locum promoueat.

LXXVII. DE SACERDOTIBVS MONASTERII.

Caput sexagesimum-secundum est de Sacerdotibus Monasterij. *Si quis Abbas sibi*, id est, Ecclesiæ suæ, *Presbyterum vel Diaconum ordinare petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subditum, nec occasione Sacerdotij obliuiscatur Regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium, præter officium altaris, etsi fortè electio Congregationis & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis vel Præpositis constitutam sibi seruandam sciat, quòd si aliter præsumpserit, non vt Sacerdos sed vt rebellis iudicetur. Et sæpè admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quòd si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis proiiciatur de Monasterio, si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi aut obedire Regulæ nolit.* Presbyter à ceteris Monachis discernitur, non tantùm quia nec flagellis subiicitur nec excommunicationi, sed etiam quia priùs è Monasterio non est proiiciendus quàm contumaciæ reus arguatur coram Episcopo.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

LXXVIII. DE ORDINE CONGREGATIONIS.

Caput sexagesimum-tertium inscribitur *de ordine Congregationis*, & in tres partes commodè distinguitur. Prima cuilibet Monacho suum ordinem attribuit non ab eius ætate, sed à tempore conuersionis, nisi aliter Abbas iustâ de causâ statuerit. *Ordines suos in Monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus & vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi liberâ vtens potestate iniustè disponat aliquid, sed cogitet semper, quia de omnibus iudiciis & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundùm ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad Psalmum imponendum, in Choro standum. Et in omnibus omninò locis ætas non discernat ordines, nec præiudicet, quia Samuel & Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. Ergo, exceptis, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit, certis ex causis, reliqui omnes, vt conuertuntur, ita sint, vt verbi gratiâ qui secundâ diei horâ venerit in Monasterio, iuniorem se nouerit illo esse, qui primâ horâ dies venit, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit.* Secunda pars est de honore quo Monachi se mutuò inuicémque prosequi debent. *Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Iuniores igitur priores suos honorent, priores minores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine, sed priores iuniores suos fratres nominent, iuniores autem priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem, quia vices Christi creditur agere, Dominus & Abbas vocetur, non suâ assumptione sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicumque autem sibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petat. Transeunte maiore minor surgat, & det ei locum sedendi, nec præsumat iunior considere, nisi ei præcipiat senior suus, vt fiat quod scriptum est.* [*Honore inuicem præuenientes.*] Monachorum alij seniores sunt, alij iuniores, vtrique subsunt Abbati. Seniores iunioribus dilectionem, hi reuerentiam illis, vtrique obedientiam Abbati exhibere debent. Hinc oriuntur appellationum differentiæ; iuniores à senioribus fratres, seniores à iunioribus Nonni, rectores Monasteriorum ab vtrisque Domini & Abbates nuncupantur. Seniores suum erga iuniores amorem fraterno nomine idoneè demonstrant. Iuniores, vt senioribus honorem impertiantur, eos vocant Nonnos, Nonnus enim est honoris nomen, significátque patrem, maiorem, seniorem. In textu S. Benedicti suprà citato Nonnus *intelligitur paterna reuerentia*, id est, pater. De Nonnis ita Papias. *Nonnos vocamus maiores ob reuerentiam. Nam intelligitur paterna reuerentia.* In Glossis Arabico-Latinis, *Nonnus* explicatur *maior*. Monachi cùm seniores tum iuniores eum, qui Monasterio præest, Domnum aut Dominum appellant & Abbatem. Exigunt hi tituli promptam obedientiam, quam subditi Principibus, filij parentibus præstare debent. Abbas enim deriuatur à voce Chaldaïca, quæ patrem significat, vt obseruant Interpretes ad illud Euangelistæ [a], *Abba, pater*. Et Dominus nomen est Regium atque Imperatorium, quod etiam Augustus recusauit. *Nam cùm eodem spectante ludos*, inquit Orosius [b], *pronuntiatum esset à quodam mimo, ô Dominum æquum & bonum, vniuersique, quasi de ipso dictum esset, exultantes approbauissent, statim quidem manu vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto, Dominúmque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel seriò vel ioco passus est.* Præterea iuniores, vt honorem senioribus impendant, ab occurrentibus benedictionem petunt assurgúntque transeuntibus. Ritus benedicendi sic notatur in epitome Ludouici Imperatoris [c]. *Cùm sibi obuiant fratres, vbicumque iunior dicat priori, inclinato capite, benedicite.* Senior respondebat, *Deus*. Id declarat Magister [d] in sua Regula, nam interrogatus à discipulo, quomodo debeat frater excommunicatus tractari, sic ait, *petenti benedictionem nullus respondeat, Deus*. Postrema pars huius capitis est de pueris. *Pueri parui vel adolescentes in Oratorio vel ad mensam cum disciplina ordines suos consequantur*, iuxta tempus ingressionis suæ in Monasterium, nec solùm inter se sed etiam inter alios Monachos. *Foris autem, vel vbi vbi*, id est,

[a] Luc. c. 14.

[b] Lib. 6. c. 22.

[c] Sup. Regul. S. Bened.,

[d] Cap. 13.

vbicumque, *custodiam habeant & disciplinam, vsquedum ad intelligibilem etatem perueniant.*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Caput sexagesimum-quartum est de Abbatis electione, déque virtutibus quæ sunt Abbati necessariæ. *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, secundùm timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua Congregationis saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientiæ doctrinâ eligatur, qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine Congregationis. Quòd si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam peruenerint Episcopi, ad cuius Diœcesim pertinet locus ipse, vel Abbatibus aut Christianis vicinis clarucrint, prohibeant prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè*, id est, sine corruptela, *& zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum incursuros si negligant.* Hæc de Abbatis electione. Sequitur enumeratio virtutum eidem Abbati perneccssariarum, vt officio suo ritè defungatur. *Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ, sciatque sibi oportere prodesse magis quàm præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege diuinâ, vt sciat & sit vnde proferat noua & vetera, castum, sobrium, misericordem, & semper superexaltantem misericordiam iudicio vt idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis, ne dum nimis eradere cupit aruginem, frangatur vas, suámque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, sed prudenter & cum caritate ea amputet, vt viderit cuique expedire, sicut iam diximus, & studeat plùs amari quàm timeri. Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspicionsus quia nunquam requiescet. In ipsis imperiis suis sit prouidus & consideratus, siue secundùm Deum, siue secundùm seculum sint. Opera, quæ iniungit, discernat & temperet, cogitans discretionem S. Iacob dicentis. Si greges meos plùs in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vnâ die.*

DE ABBATIS ELECTIONE.

ET VIRTVTIBVS.

Caput sexagesimum-quintum inscribitur *de Præposito Monasterij*. Præpositus est alter ab Abbate. Primum in Monasterio locum Abbas, secundum tenet Præpositus, quem Abbatis Vicarium iure nuncupaueris. Eiusmodi Vicarios Abbatum seu Præpositos haud probat S. Benedictus, quia sæpissimè secundos Abbates se putant, inflatique superbiâ sibi tyrannidem assumunt. Mauult per Decanos, de quibus suprà locutus est, omnem vtilitatem Monasterij iuxta dispositionem Abbatis ordinari, quia, cùm plures in partem solicitudinis vocantur, cauetur superbia, quæ facilius irrepit in vnius animum, qui ceteris se prælatum intuetur. Tamen, si locus exigat, aut Congregatio petat, & Abbas expedire iudicet, annuit vt constituatur Præpositus, sed eius electionem ab Abbate loci cum fratrum consilio vult fieri, damnátque summoperè prauam quorumdam Monasteriorum consuetudinem, in quibus Abbatem & Præpositum idem Episcopus iidémque Abbates solent ordinare. *Sæpiùs quidem contigit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in Monasterijs oriantur, dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos esse Abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote*, id est, Episcopo, *vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum facilè aduertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes. Et dum contraria sibi inuicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari, & y, qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores. Ideóque nos præsidemus expedire propter pacis caritatisq-*

LXXX. DE PRÆPOSITO.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

que concordiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui. Et, si potest fieri, per Decanos ordinetur, vt antea dispositum, omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcumque elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Deinde, quomodò Præpositus se gerere debeat, ita præscribit. *Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentiâ, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem aut ordinationem faciens, quia quantùm prælatus est ceteris, tantùm eum oportet solicitiùs obseruare præcepta Regulæ.* Postremò pœnas in Præpositum delinquentem sic decernit. *Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbire, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater, si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis. Quòd si neque sic correxerit, tunc deiiciatur de ordine Præposituræ, & alius, qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd si & postea in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem, ne fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam.* Confer hoc Caput cum vicesimo-primo, vt obseruare possis differentiam in correptione Decani & Præpositi, nam priusquàm deponantur, Decanus corripitur tantùm *semel & iterum atque tertio*, Præpositus verò admonetur verbis *vsque quater*, semélque corripitur *regulari disciplinâ*.

LXXXI. DE OSTIARIO.

Capitis sexagesimi-sexti duæ sunt partes. Prior est de Ostiario Monasterij. *Ad portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum & reddere, & cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui Portarius cellam debet habere iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut Benedic, & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum feruore caritatis. Qui Portarius, si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat.* Hæc sanctio genere masculino in fœmininum mutato claudit Appendicem, quam sancti Cæsarij Regulæ eiúsque Recapitulationi Neotericus quispiam subiecit, vt ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum [a] iam notauimus. Distinguit autem duo genera hominum ad Monasterij ianuam accedentium, de quibus egregiè sic Smaragdus. *Eleganter hîc duas venientium beatus posuit Benedictus personas, vnam potentis, qui si ianuam Monasterij inuenerit clausam, manu vel fuste pulsat eam, aliam verò pauperis posuit, qui non pulsat, sed tantùm humiliter ad ianuam clamat. Quibus & satis apta à Portario respondenda composuit responsa, videlicet vt voce pauperis auditâ, Deo gratias agat, potenti verò occurrens obuiam humiliter ab eo benedictionem petat.* Ideóque sublatâ voce *Benedicat*, quæ vulgò in textu Benedictino legitur, restituimus *Benedic* ex Codicibus Vindocinensi & sancti Germani, quos Hugo Menardus [b] allegauit. Posterior pars huius capitis est de modo, quo Monasterium constitui debet, vt Monachis nulla necessitas occurrat vagandi foras. *Monasterium autem, si fieri potest, ita debet constrni, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sæpiùs volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantiâ se excuset.*

[a] Num 112.

[b] In not. ad concord regul c. 1. paragr. 1.

LXXXII. DE FRATRIBVS IN VIAM DIRECTIS.

Caput sexagesimum-septimum *de fratribus in viâ directis* inscribitur. Inprimis sanctus Benedictus præcipit, vt fratres in viam dirigendi se fratrum omnium atque Abbatis orationi commendent, &, quamdiu abfuerint, quotidie preces pro eis *ad orationem vltimam operis Dei* seu post Completorij collectam fiant. *Dirigendi fratres in viâ omnium fratrum vel Abbatis orationi se commendent, & semper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat.* Fratres in viam dirigendi se prosternebant ante altare, poscebántque ab omnibus orationem, vt docet Smaragdus, qui & preces dicen-

das ita profert. *Fratribus in viam dirigendis & ante altare proſtratis, & ab omnibus orationem poſcentibus dicat Sacerdos hos Verſus, ipſo incipiente & aliis reſpondentibus. Saluos fac ſeruos tuos; Deus meus ſperantes in te. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis; vt non moueantur veſtigia mea. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine: & lumen ſemitis meis. Angelis ſuis Deus mandauit te: vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Tunc Sacerdos orationis dicat collectam. Angelus Domini bonus comitetur vobiſcum, vt peracto obedientiæ caſu ad nos iterum reuertamini cum gaudio. Per Chriſtum*, &c. Idem Auctor hanc tradit formulam orationis, quæ pro fratribus abſentibus in fine Completorij fiebat. *Priuſquam quinquageſimus inchoetur Pſalmus, à Sacerdote dicatur. Oremus pro fratribus noſtris abſentibus; fratribus reſpondentibus. Saluos fac ſeruos tuos, Deus meus, ſperantes in te. Proſequatur Sacerdos & dicat. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Fratréſque reſpondeant. Et de Sion tuere eos. Item Sacerdos dicat. Domine exaudi orationem meam. Reſpondeant fratres. Et clamor meus ad te veniat. Et tunc ſubſequatur quinquageſimus Pſalmus ab omnibus decantandus.* Sanctus Benedictus quomodò fratres ſic gerere debeant eo die, quo redeunt in Monaſterium, ſic ſubiungit. *Reuertentes autem de viâ, ipſo die quo redeunt, per omnes Canonicas horas, dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo Oratorij, ab omnibus petant orationem propter exceſſus, ne quid fortè ſubripuerit in viâ viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis.* Eiuſmodi orationis formulam habet Smaragdus. *Reuertentibus*, inquit, *de viâ, & ſolo Oratorij proſtratis, orationémque petentibus, hanc eis Collectam Sacerdos dicat. Quæſumus, omnipotens Deus, vt his famulis tuis, quos ad nos incolumes de viâ redire feciſti, quicquid illic impediente fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimittas. Per Chriſtum*, &c. Poſtremò ſanctus Benedictus pœnas decernit cùm aduerſus fratres, qui de viâ reuerſi res vanas ac futiles, quas aut viderint aut audierint, aliis narrant, tum aduerſus eos qui vel egrediuntur ex Monaſterio abſque Abbatis licentiâ, vel non proficiſcuntur rectà quò mittuntur, vel in itinere quidpiam agunt quod non fuit iniunctum. *Nec præſumat quiſpiam aliis referre quæcumque foris Monaſterium viderit aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra Monaſterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamuis parvum, ſine Abbatis iuſſione facere.*

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Capite duodeſeptuageſimo ſanctus Benedictus docet, quid agere debeat frater, cui grauia vel impoſſibilia iubentur. *Si cui fratri aliqua fortè grauia aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientiâ. Quòd ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & oportunè ſuggerat, non ſuperbiendo, aut reſiſtendo, vel contradicendo. Quòd ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſuâ ſententiâ prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ita ſibi expedire, & ex caritate confidens de adiutorio Dei obediat.*

LXXXIII. DE FRATRIBVS QVIBVS IMPOSSIBILIA INIVNGVNTVR.

Capite ſexageſimo-nono prohibet, ne quis in Monaſterio ſontem, iniuſtè; vel inſontem, proteruè tueatur. *Præcauendum eſt, ne quauis occaſione præſumat alius alium defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri, etiamſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præſumatur, quia exinde grauiſſima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quòd ſi quis hæc tranſgreſſus fuerit, acriùs coerceatur.*

LXXXIV. DE IIS QVI ALIOS DEFENDERE PRÆSVMVNT.

Capite ſeptuageſimo multa ſtatuit ad omnis præſumptionis occaſionem in Monaſterio vitandam. *Vt vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio, conſtituimus, vt nulli liceat quemquam fratrum ſuorum excommunicare aut cædere, niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt ceteri metum habeant. Infantibus verò vſque ad quintumdecimum annum ætatis, diſciplina diligentia adhibeatur & cuſtodia ſit ab omnibus. Sed & hoc cum omni menſurâ & ratione. Nam in ſortiori ætate, qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis infantibus ſine diſcretione exarſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat, quia ſcriptum eſt.* [*Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.*] Obſerua pec-

LXXXV. DE CORREPTIONE.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

cantes arguendos quidem esse coram omnibus vt ceteris metus inferatur, sed priùs à senioribus suis semel atque iterùm admonendos esse, alioquin hoc caput pugnaret cum vigesimo-tertio, quo priuatæ monitiones obiurgationi publicæ præmittuntur. Deinde, cùm disciplinæ diligentia & custodia infantibus vsque ad annum ætatis decimum-quintum *ab omnibus* adhibenda sit, obserua hoc loco non omnes intelligi qui decimum-quintum ætatis annum expleuerunt, sed tantùm Abbatem, Præpositum, Decanos, Sacerdotes, Diaconos, Seniores, aliósque, qui ad eam ætatis maturitatem peruenerunt, vt tempus, rationem & modum discretæ correctionis cognoscere valeant.

LXXXVI. DE OBEDIENTIA.

Capite septuagesimo-primo sic commendat obedientiam. *Præmisso Abbatis aut Præpositorum qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi, de cetero omnes iuniores prioribus suis omni caritate & sollicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa ab Abbate vel a quocumque priore suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscumque contra se iratum vel commotum, quamuis modicè, mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsquedum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.*

LXXXVII. DE ZELO.

Capite septuagesimo-secundo explicat zelum, quem habere debent Monachi. *Honore se inuicem præueniant. Infirmitates suas siue corporum siue morum patientissimè tolerent. Obedientiam sibi certatim impendant. Nullus quod sibi vtile iudicat sequatur, sed quod magis alij. Caritatem fraternitatis casto impendant amore. Deum timeant. Abbatem suum sincerâ & humili caritate diligant. Christo omninò nihil præponant.*

LXXXVIII. DE VTILITATE REGVLÆ.

Capite septuagesimo-tertio, quod est instar epilogi, Regulam hanc aptat initio conuersionis siue conuersationis, vt habent vulgata exemplaria, eos verò, qui festinant ad perfectionem, remittit ad sacros libros vtriusque Testamenti, ad vitam & doctrinam antiquorum Patrum, necnon ad Regulam sancti Basilij, quam nihilominùs in plerisque locis secutus est. *Regulam*, inquit, *hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasteriis aliquatenùs, vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Ceterùm ad perfectionem conuersationis qui festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina; aut quis sermo diuinæ auctoritatis veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Necnon & Collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, sed & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis & malè viuentibus atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice, & tunc demùm ad maiora, quæ suprà commemorauimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente peruenies.* Huc vsque de Regula sancti Benedicti, quam beatus Maurus in Franciam primus intulit.

LXXXIX. * S. Astier. S. ASTERIVS.

Vt autem in Andegauiam ad Maurum Abbatem, sic & in agrum Inculismensem ad Eparchium recluſum hisce temporibus varij se contulerunt discipuli, quos tanti magistri fama commouebat, inprimis Asterius * annorum circiter quindecim adolescens, patriâ Petrachorius, cuius vitam Ioannes Puteanus in historia Petracoricensis Ecclesiæ descripsit ex Codice ante sexcentos annos exarato, sed obitum malè consignauit anno circiter sexcentesimo, nam si vixit annos octoginta, & annum ætatis decimum-quintum haud excesserat cùm in agrum Iuculismensem ad Eparchium post annum Christi quingentesimum quadragesimum-secundum se contulit, certè vitam post annum Christi sexcentesimum produxit. Eius Encomium ex antiquiore vita iam laudata Ioannes Bordus eleganti Carmine sic delineauit.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

*Ortus Petrocoris, Podiíque à Ponte * profectus,*
Artibus incubui vix puer ingenuis.
Sed virtutis amor quo sanctus Eparchius ardet,
Et pietas patrio me pepulere solo.
Cuius vbi imbutus monitis diuellor ab illo,
Ad patries Christo me reuocante lares.
Expellóque Deos, & numina falsa parentum,
Quótque aderant vndis purgo salutiferis.
His actis, cessíque bonis, montémque petiui,
Herba vbi sola famem sustulit vnda sitim.
Delituíque diu cunctis ignotus, & errans
Diuino hîc aliquis me videt indicio.
Ex illo me multi hominum visere, nec vllus
Non nisi propitio numine latus abit.
Quin & fama volans Reginam excipit ab Austro,
Qua bona cùm dederit plurima, plura tulit.
Ast vbi vicenos quater impleuêre Decembres,
Membráque deseruit fessa labore vigor.
Mens tamen ipsa viget, nec victa labore quiescit,
Donec ad athereas connocor ipse dapes.
Corpus humum repetit celebri comitante caterua,
Spiritus Angelico fertur ad astra choro.

* *Pug. de Pont.*

Inter discipulos sancti Asterij numeratur à plerisque sanctus Aquilinus *, cuius meminit Ioannes Puteanus in historia Petracoricensi sub Episcopo Saffario, qui Diœcesim Petracoricam regebat anno Christi quingentesimo vndenonagesimo. At sanctum Aquilinum quem Petracoricenses colunt, sancto Asterio antiquiorem, & beato Eparchio æqualem putamus, neque enim alium arbitramur ab eo quem aliquando ex Sedaciaco Monasterio beatus Eparchius inuisit, vt ex eius vita constat, quam Surius [a] ex Auctore synchrono, Gononus [b] ex Breuiario & antiquis manuscriptis Codicibus Engolismensis Cœnobij, Labbeus [c] ex Sanctorali Bernardi Guidonis pluribúsque aliis manuscriptis Codicibus ediderunt.

XC. * *S. Aquily.* S. AQVILINVS.

[a] Die 1. Iul.
[b] In append. ad vit. pp. occ.
[c] Tom. 2. Biblioth.

Obiit hoc anno Ætherius siue Eutherius aut Hetherius Carnotensis Episcopus, cui Rolliardus annos sexdecim Pontificatus attribuit, Numero sanctorum ascribitur à Saussaio in Catalogo Sanctorum, Beatorum ac Piorum, qui proprias historias vel Natales non habent in Martyrologio Gallicano eiúsque supplemento, sed in gestis Sanctorum, quorum nomina in illo opere conscripta sunt, cum laude pietatis commemorantur. *Cùm de successore varia esset inquisitio, Rex cæli Dominus, in cuius manu cor Regum est, Childeberti Regis cor ita suâ inspiratione inflexit, vt de beato Leobino* Abbate Braiacensi *in successorem eligendo regale daret decretum. Vniuersi itaque qui aderant, beatum Leobinum non solùm à Rege, sed à Deo esse electum, alacri corde latantes, consono ore & concordi voto conclamare cæperunt eum in Cathedra Episcopali in successione affore dignum. In hac ergo electione cùm vniuersus assentiret populus, quod non absque liuore inuidiæ actum esse credimus, quidam Episcoporum cæperunt resistere, & contradicere eius ordinationi, eò quòd modica pars naris quondam incumbente cancri ægritudine mutilata videretur, sed voce omnium vnanimiter conclamantium, oppressâ inuidiæ illatione, & penitùs frustratâ, vir sanctus secundùm Dei dispensationem ordinandus decernitur. Interea quidam illorum scientes beatum Leobinum ad Episcopatus non velle conscendere dignitatem, consilio inito inter se ad eum miserunt, vt aliquem de suis Monachum Pontificali infulâ dignum eis transmitteret ordinandum. At ille libenter confestim eorum dictis obtemperans deputat vnum ex discipulis suis tantæ ordinationi inuehendum instruens & docens qualiter se in regimine agere deberet & in sanctitatis apice exhibere. Sed frater nolens solus sine Abbatis sui præsentia illi concilio properare, obnixè postulauit eum, vt cum ipso illuc pariter pergeret.*

XCI. MORITVR ÆTHERIVS CARNOT. EP. SVCCEDIT LEOBINVS.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

Surgens igitur senex profectus est simul & peruenit Carnotis, quemadmodum fuerat deprecatus. Qui cùm in quadam mansione hospitaretur, & vidisset nocte in somnis panimentum nucibus stratum, diuinâ vt credimus iussione ei iniunctum est, quatenus emundatis testis nucleum sibi nitidum reseruaret. Transacto itaque noctis tempore cùm in crastinum vellet offerre Monachum, vt ab eo postulatum fuerat, Episcopum ordinandum, & populi consensus non esse deceneret recipiendum, Regis edictum illicò in medium est prolatum, & inde recitatum. Quòd ad Regis imperium, & totius populi votum, Leobinum oporteret Episcopum ordinari. Ipse verò renuens, & se indignum iudicans tanti regiminis suscipere curam, ad pedes Episcoporum porrectus extenditur, excusationem apponens illud quod imponebant, nec implere posse, nec perficere opus; sed reluctantibus omnibus atque eius excusationi non acquiescentibus, somnium quod viderat congruâ interpretatione conicitur, scilicet quòd per nucleum à suis testis emundatum, populus esset ab eo regendus, qui depositâ austeritatis rigiditate quandóque esset suo regimine corrigendus, nectareóque sui dogmatis pabulo nutriendus. Exinde sine morâ plaudentibus populis ac Domino in excelsis maximas referentibus odas, Leobinus, quem votis omnibus postulabant, Carnotenæ vrbis Ecclesiæ præficitur Episcopus, & contra callida antiqui hostis machinamenta constituitur Pastor egregius, qui posteà rigorem sui propositi indifferenter seruans, sine pompæ ostentatione Monachum se, vt ante fuerat, in suo proposito perseuerabilem demonstrabat. Susceptâ igitur Pontificali reuerentiâ, qualiter quantúmve se gesserit in lege mandatorum Dei, verborum affluentiâ non facile est differendum. Hæc descripta sunt ex eius vitâ [a], quam consule, si cupis scire quot & quantis miraculis in Episcopatus administratione coruscarit.

[a] Ap Labb. Tom. 2. Biblioth.

XCII. FLAVIVS ROTOM. EP. MORITVR.

Hoc eodem anno transiit ad Deum Flauius Episcopus Rotomagensis. Sanctorum numero accensetur apud Tallepedium [b] & in antiquis tabulariis quæ citantur à Sammarthanis in auctiore Galliâ Christianâ, vocatúrque corruptè *Sainct Filleul*, tamen eius natalis nec in Breuiario Rotomagensi nec in Martyrologio Gallicano recolitur, quamuis Saussaius illum *sanctitatis illustrationibus micuisse* non difficeatur in elogio, quod sancto Euodio scribit octauo Idus Octobris. Successit in Episcopatu Prætextatus, qui teste Orderico [c] tenuit Pontificatum annis duobus & quadraginta, subiitque Martyrium anno Christi quingentesimo octogesimo sexto, vt suo loco probaturi sumus. Illo calculo refelluntur Dadræus & Sammarthani, qui sancto Flauio sanctum Euodium * subrogant. In veteribus elenchis Euodius sedisse creditur, priusquàm Rotomagum sub potestate Francorum esset, numeratur enim decimus Episcopus Rotomagensis, mediúsque inter Innocentium ac Siluestrum collocatur. Eiusmodi indices à se visos non negat Dadræus, nihilominus Euodij Pontificatum decennalem ab anno Christi quingentesimo vicesimo ad quingentesimum-tricesimum circumscribit, quia in quibusdam Actis legit illum sub Clotario Rege floruisse, sed esto, Præsulatum regnante Clotario gesserit, obiitne anno Christi quingentesimo-tricesimo, si successit Flauio qui Concilio Aurelianensi quarto subscripsit anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo? Sammarthani Euodium promotum ad Episcopatum volunt post annum circiter Clotarij Regis vicesimum-quartum, sed nec ea potest stare sententia, quia Flauius anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, quocum annus Clotarij Regis tricesimus coincidebat, prædictum Aurelianense Concilium quartum suâ subscriptione communiuit. Saussaius cùm ex collatis simul Aurelianensibus Conciliis, secundo, tertio & quarto, quibus Flauius interfuit, Orderico Vitale qui Pontificatum Prætextati in catalogo Rotomagensium Antistitum ad annos duos supra quadraginta prorogauit, & Gregorio Turonensi qui Prætextatum anno Christi quingentesimo octogesimo-sexto mortuum variis Characteribus Chronologicis ostendit, animaduerteret locum Euodio Flauium inter & Prætextatum non esse, ipsum Euodium Flauij decessorem finxit. *Euodius*, inquit [d], *Sancti Gildardi successor, locum quem sanctitate ornatum reperit, propriæ sanctitatis radijs decoratum Flauio dimisit,*

[b] Cap. 19.

[c] Lib. 5.

* S. Iued.

[d] D. 8. Octobr.

dimiſit, qui eum in Præſulatu ſecutus eſt, nouis illuſtrationibus quibus itidem micuit ſanctitatis, cumulandum. At nec Gildardo ſucceſſit Euodius, nam Gildardus Epiſcopus Rotomagenſis Lautonem Epiſcopum Conſtantienſem ordinauit paulò ante Concilium Aurelianenſe Secundum, cui Flauius Epiſcopus Rotomagenſis interfuit. Antiquis igitur catalogis probatiſque Scriptoribus, qui Girardo Flauium, Flauio Prætextatum ſuffecerunt, anteponenda non arbitrati ſumus Acta, quæ recentioris ſunt Anonymi, fideique adeò dubiæ, vt illorum authoritate Dadræus & qui Dadræo aſtipulantur, Euodium ſub Rege Clotario creatum Pontificem, alij velint in lucem editum, vt teſtantur hi verſus [a] de laudibus Gerardi Branenſis Abbatis, qui ſacrum beati Euodij apud Branam in Diœceſi Sueſſionenſi quieſcentis feretrum anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo-quarto adornandum curauit.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

[a] Gall. Chriſt. Tom. 4. Brana Abb.

*Præſule Rothomago, ſed & hoſpite Brana * beato*
Gaudeat Euodio, capsâ præſente locato.
Quem Florentinus Celinaque, regna regente
Gallica Chlotario, Domino genuere fauente.
Hîc vas feciſti gemmis auróque decorum,
Anno milleno ducenteno quoque quarto
Cum quadrageno Domini pariter ſociato.

* *Braine.*

XCIII. Vaſæus in Chronico Hiſpanico refert paſſum hoc anno Laurianum Hiſpalenſem Epiſcopum, plerique non notant annum determinatè, ſed eius Martyrium contigiſſe tradunt exeunte Theudis regno, quem ineunte anno Chriſti quingenteſimo duodequinquageſimo è viuis exceſſiſſe conſtat. Nos verò ſatis ſupérque iam probauimus beato Lauriano necem illatam fuiſſe ante annos ſex ac viginti, cùm Theodoricus Oſtrogothis imperaret in Italiâ ditionéſque Wiſigothorum in Hiſpaniâ propter iuniorem Amalarici nepotis ætatem tutorio nomine regeret. Diſputauimus etiam de loco Martyrij, refutauimúſque opinionem eorum, qui Laurianum Maſſiliæ interemptum ſcribunt. Anno Chriſti quingenteſimo duodeuiceſimo, quo Laurianum in agro Bituricenſi palmâ Martyrij donatum diximus, Maſſilia Francis nondum parebat, & extra noſtrum inſtitutum fuiſſet inquirere de Epiſcopo, qui Præſulatum illius vrbis tunc gerebat. Hic autem meritò diſcutiemus, vtrùm Authores qui Laurianum Maſſiliæ circa hæc tempora interfectum euulgarunt, rectè obſeruarint quis eſſet Epiſcopus Maſſiliæ, cùm Totilas apud Oſtrogothos, apud Wiſigothos Theudis, apud Francos Childebertus, Clotarius & Theodobertus imperabant. Illâ ætate Antoninum Ruffius, Gennadium Gueſnayus in Maſſilienſi Cathedrâ ſediſſe ſcribit. Ruffium Gueſnayo lubenter anteponimus, quis enim cum Gueſnayo vitam Gennadij producere audeat vſque ad annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum? Gennadius illuſtrium virorum catalogum edidit paulò poſt Zenonis Imperatoris obitum, elogium enim Theoduli in Cœleſyriâ Preſbyteri ſic abſoluit. *Moritur hic ſcriptor ante triennium regnante Zenone.* Obiit autem Zeno anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-primo. Atque inde colligimus Gennadium, ſi ad annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum peruenit, poſt elucubratum illuſtrium virorum catalogum annos vixiſſe circiter octoginta. Id verò ſi ſupponis, Gennadius annos vitæ, quod rariſſimè contingere ſolet, longè plures quàm centum expleuit, cúmque multos libros in lucem emiſiſſet, à ſcribendo per annos octoginta, quod ſibi nemo vnquam perſuadebit, penitus abſtinuit, totóque illo tempore, quo Scriptores non pauci floruerunt, illuſtrium virorum catalogum ne vno quidem apice auxit. Certè ſanior eſt eorum ſententia, qui Gennadium mortuum affirmant, cùm Anaſtaſius Auguſtus in Imperio poſt Zenonis obitum vix aliquot annos egiſſet, & Maſſilia Francis nondum obtemperaret. Ideóque hic ex Ruffij calculo reſtituendum putamus Antoninum, *cuius ſacra lipſana*, vt Gueſnayus atteſtatur, *thecis argenteis incluſa religioſiſſimè aſſeruantur, & palam Maſſiliæ in ore*

EPISCOPI MASSIL.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. R R. 33. THEOD. R. 10.

atque oculis omnium veneranda proponuntur in templo maiori quò magna cum ceremonia & solenni comitiorum precatione ex oppido S. Cannati translata sunt anno 1277. Eius festum olim agebatur decimo-septimo Kalendas Nouembris, vt Sammarthani notarunt. Gononus verò in appendice ad vitas Patrum Occidentis, obseruat simul cum solemnitate sancti Cannati celebrari etiam festiuitatem sancti Antonini Massilientis Episcopi, & festum sancti Cannati quod anteà scripserat octauo Idus Octobris recoli, asserit ipsis Idibus Octobris cum Octauis solemnibus Massiliæ peragi, tamen memoria sancti Cannati fit octauo Idus Octobris in antiquis Breuiariis Ecclesiarum Aptensis, Tricastrinensis, & Cauallicensis, vt Guesnayus tradit, & Saussaius quinto Nonas Octobris in supplementò Martyrologii Gallicani meminit sancti Canalis Massilienſis Episcopi, qui non alius censetur à beato Cannato. Sanctum Antoninum sancto Cannato recentiorem omnes affirmant. Sancti Cannati vitam ex Breuiario Ecclesiæ Massilienſis retulit Gononus, & à Gonono descripsit Guesnayus paucis omissis breuitatis causâ nulloque sensus detrimento, sed additâ sub finem interpolatione, quæ, cùm Lectorem facilè decipere possit, palàm oculis omnium est exponenda. Apud Gononum vita sancti Cannati clauditur hâc periodo. *Ingrediente illo in suam ciuitatem noua lux oriri visa est, & subditorum curam sollicitiùs adimplebat, hæreticeque pestis adinuentiones mortiferas condemnauit, & ciuitatem suam muniuit, & templi diruta resarciuit, & sic demùm vitâ & miraculis clarus migrauit ad Dominum.* Apud Guesnayum hâc paulò auctiore. *Ingrediente illo in suam ciuitatem noua lux oriri visa est, & subditorum curam sollicitiùs adimplebat, hæreticeque pestis adinuentiones mortiferas condemnauit, scilicet Iconoclastarum, quibus faniſſe videbatur decessor eius Serenus, & ciuitatem suam muniit, & templi diruta resarcinit, & sic demùm vitâ & miraculis clarus migrauit ad Dominum.* Vides insertas à Guesnayo fraudulenter has voces, *scilicet Iconoclastarum, quibus fauere videbatur decessor eius Serenus*, vt incautis persuadeat Serenum Episcopum, cui Gregorius Magnus non semel scripsit, decessorem fuisse S. Cannati, & à se rectè constitui annos septimi seculi vicesimum-primum & quadragesimum-septimum, vnde sumantur initia Pontificatuum, quos sancti Cannatus & Antoninus gesserunt. Caue iam ne ad suas partes eo te dolo pertrahat interpolator, & donec validâ te premat auctoritate, assentire potiùs iis, qui sanctum Cannatum asserunt sedisse, priusquàm Massilia in Francorum potestatem venisset, sanctum autem Antoninum Totilæ ac Theudi Ostrogothorum Wisigothorúmque Regibus coætaneum fuisse, atque antecessorem sancti Theodori, de quo multa inferiùs ex Gregorio Turonensi narraturi sumus.

XCIV. Belloforest Dupleix Mezer. & alii. RADEGVNDIS FIT DIACONA.

Hoc anno Radegundis Regina, quam sex duntaxat annis cum Clotario Rege vixisse multi [a] scribunt, facta est Diaconissa. Qui breue temporis interuallum à Radegundis aduentu in Franciam, siue ab anno Christi quingentesimo vicesimo-nono, vsque ad eiusdem Radegundis nuptias collocant, non aduertunt hoc calculo detrahere se plurimùm laudi piæ fœminæ, quam innuunt scorti non vxoris loco ab adultero Rege habitam, quia Ingundis legitima Clotarij vxor in viuis tunc erat, & marito Sigibertum filium peperit anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto. Vitam Clotarij quò attentiùs intueor, eò magis adducor, vt credam Radegundem ab illo Rege ductam in vxorem fuisse anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, ab eóque post sexennium recessisse anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto, nam Clotarius tres legitimas habuit coniuges, primò Ingundem, quæ anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto superstes adhuc viuebat, deinde Chunsenam, postremò Radegundem, quæ nuncium seculo remisit priusquàm Medardus Nouiomensis Episcopus moreretur.

XCV. [b] Lib 1. c. 7. POST CÆDEM FRATRIS.

Gregorius Turonensis eodem capite [b], quo bellum Thuringicum describit, nuptias Radegundis & causam cur aulâ relictâ secesserit in Monasterium, paucis ita perstringit. *Chlothacharius rediens, Radegundem filiam Berthary Re-*

Eis secum captiuam abduxit, sibique eam in matrimonio sociauit. Cuius fratrem postea iniustè per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conuersa, mutatâ veste, Monasterium sibi intra Pictauensem vrbem construxit. Vtrumque fusiùs explicat Fortunatus in vita Radegundis manuscripta, de nuptiis nihil repetemus, cetera sic prosequitur. *Quoniam frequenter aliquâ occasione, diuinitate prosperante, casus redit ad salutem, vt hæc religiosiùs viueret, frater interficitur innocenter. Directa igitur à Rege, veniens ad beatum Medardum Noniomi supplicat instanter, vt ipsam mutatâ veste Domino consecraret. Sed memor Apostoli dicentis, si qua ligata sit coniugi, non quærat dissolui, differebat Reginam, ne veste tegeret Monacham. Ad hoc etiam beatum virum perturbabant Proceres, & per Basilicam ab altari graviter retrahebant, ne velaret Regi coniunctam. Quo sanctissima cognito intrans in sacrarium monachicâ veste indnitur, & procedens ad altare beatissimum Medardum his verbis alloquitur, dicens. Si me consecrare distuleris, & plus hominem quàm Deum timueris, de manu tua à Pastore ouis anima requiratur. Quâ ille contestatione concussus, manu superpositâ consecranit Diaconam.* Fortunatus, quia modum non explicat quo nex fratri Radegundis illata est, videtur Regis nomini famæque peperciſſe. Ne verò videatur à Gregorio dissidere, vocem *(innocenter)* quâ vtitur, refer ad Radegundis fratrem, qui cùm innocens esset interfectus est, non autem ad ipsam cædem, quæ nequaquam illata est innocenter. Cererùm ex illo casu concessum sorori fuit mutare vestem, Deóque totam se dicare.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

Radegundis, annuente Rege Clotario, Suessione Nouiomum profecta est. Id testantur verba Fortunati iam recitata, *Directa igitur à Rege, veniens ad beatum Medardum Noniomi supplicat instanter*, quapropter facilè nobis persuademus, antequàm velaretur, assensum Regis accessisse. Quominùs autem fieret Diacona, defectus ætatis ex Concilio Aurelianensi secundo poterat obiici, nondum enim annum ætatis quadragesimum attigerat, sed sanctiones Concilij Aurelianensis secundi, cui nullus ex Præsulibus Belgicarum prouinciarum subscripsit, apud Belgas non obseruabantur, aut si custodiebantur, Antistes Nouiomensis super ætate dispensauit propter excellentiam ac dignitatem personæ quæ castitatem Deo vouebat.

XCVI. ANNVENTE REGE.

In scripris antiquorum Patrum occurrunt quatuor genera mulierum Deo consecratarum, quæ ad perpetuæ virginitatis vel castitatis obseruationem tenebantur, virgines, viduæ, vxores Clericorum & Diaconæ. Virgines virginitatem, castitatem vouebant viduæ & vxores Clericorum, illæ post maritorum obitum, hæ cùm mariti ad Ecclesiasticos ordines promouebantur. In ordinem Diaconarum ascribi poterant non tantùm virgines cum viduis & vxoribus Clericorum, sed etiam mulieres purè laicæ putà Radegundis vxor Clotarij Regis, eâ tamen lege, vt si mulier coniugata in Diaconam ordinabatur, eius vir castitatem voueret, quemadmodum mulier castitatem vouebat, si vir eius Ecclesiasticis ordinibus initiabatur, Nullo officio in Ecclesia fungebantur virgines, viduæ, & vxores Clericorum, secùs sentiendum de Diaconissis, ordinabantur enim, & ad Clerum pertinebant, ideóque sanctus Basilius Diaconam fornicantem statuit esse puniendam more Clericorum, recipiendam scilicet ad communionem precum siue consistentiam cum fidelibus, priuandam tamen propter sceleris grauitatem Eucharisticâ communione septem annis, *Ad communionem*, inquit[a], *recipienda est, ad oblationem autem septimo anno admittetur, scilicet si in castitate vitam agat.* In ordine Romano habetur *Missa ad Diaconam consecrandam.* Diacona ordinatur ad altare inter Missarum solemnia post Epistolam & Graduale. Peractâ consecratione ponit Episcopus Orarium in collo eius, dicens, *Stolâ iucunditatis induat te Dominus*, ipsa autem imponit velamen capiti suo, palam omnibus de altari acceptum; deinde datur illi annulus, posteà torques in capite, tandem Euangelium legitur & Missa completur. Initio ritus ante principium Missæ hæc habetur adnotatio: *Episcopus cùm Diaconam benedicit, Orarium in collo eius ponit. Quando autem ad Ecclesiam*

XCVII.

[a] Cap. 44.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

procedit, portat illud super collum suum, sic verò vt summitas orarij ex vtráque parte sub tunicâ sit. Ordinatio Diaconissæ dicitur χειροτονία & χειρωσία, Diaconissa dicitur per illam manus impositionem gratiam Dei suscipere, & muliebris ille Diaconatus dicitur ἀξίωμα, dignitas. Eo sensu scripsit Epiphanius [a] *Ecclesiasticum ordinem sine officium vsque ad Diaconissas tantùm necessarium fuisse.* Instituendarum à primo Ecclesiæ exordio Diaconarum iustæ causæ fuerunt. *Euenire solet aliquando in quibusdam domibus*, inquit Author constitutionum [b] quæ sancto Clementi tribuuntur, *vt non possis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere verò possis Diaconissam propter cogitationes improborum. Ad multa enim indigemus Diaconissâ.* Præcipua Diaconissarum ministeria sic exponuntur ab eodem scriptore, *Diaconissa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, nisi quòd ianuas custodit, & Presbyteris ministrat cùm mulieres baptizantur, idque propter decorum & honestatem.* Consentanea scribit sanctus Epiphanius iam laudatus, *quamquam*, ait *Diaconissarum in Ecclesiâ ordo sit, non tamen ad Sacerdotij functionem, aut vllam eiusmodi administrationem institutus est, sed vt muliebris sexus honestati consulatur, siue vt baptismi tempore adsit, siue vt inspiciat si quid passa sit aut molestia pertulerit, siue vt cùm nudandum est mulieris corpus interueniat, ne virorum qui sacris operantur aspectui sit exposita, sed à solâ Diaconissâ videatur, qua Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur. Quâ in re cùm ordinis illius modestiæ, tum Ecclesiasticæ disciplinæ prudenter admodum ex Canonis præscripto est consultum.* De Diaconissis sermonem iam fecimus in baptismo Clodouei. *Illæ quidem vniuiræ & continentes esse debent, vel post vnas nuptias Viduæ, vel perpetuæ Virgines*, vt testatur idem Epiphanius in professione fidei quæ extat in fine Panarij. Ioannes Morinus noster in Commentario de sacris Ecclesiæ Ordinationibus exercitationem decimam tertiæ partis inscripsit de Diaconissis, illam consule si plura cupis, hæc sufficiant occasione Radegundis, quam Medardus Episcopus Nouiomensis *manu superpositâ consecrauit Diaconam.*

[a] Hær. 79.
[b] Lib. 3. c. 15.

OFFICIA DIACONAR.

XCVIII. RADEGVNDIS IT PICTAV.

Fortunatus describit iter Radegundis Diaconissæ Nouiomo Turonos ad Basilicam sancti Martini, ad vicum Condatensem obitu sancti Martini percelebrem, & ad villam Suedas iuxta prædictum vicum in territorio Pictauiensi; nec omittit munera, quæ singulis locis largissimè tribuit. Porrò *cùm* Radegundis *in villâ ipsâ* quam Suedas vocant, *adhuc esset, fit sonus, quasi eam Rex iterum vellet, se dolens graue damnum pati, qui talem & tantam Reginam permisisset à latere suo discedere, & nisi eam reciperet, penitus viuere non optaret. Hæc audiens beatissima, nimio terrore perterrita se amplius cruciandâ tradidit cilicio asperrimo, ac tenero corpori aptauit, insuper & ieiuny cruciatum indixit. Vigiliis pernoctans in oratione se totam diffudit, despexit sedem patriæ, vicit dulcedinem coniugij, exclusit charitatem mundalem, elegit exul fieri ne peregrinaretur à Christo. Adhuc de regali secum habens ornamento scyphum fusum ex auro, & gemmis vel margaritis factum, habentem in se auri solidos mille, cum viro venerabili domino Iohanni recluso in castello Cainone * per Nonnam suam Fridonigiam, quam proximam habebat cum suis fidelibus, vt pro eâ oraret, ne iterum ad seculum reuerteretur, rogans vt vestem ei cilicinam transmitteret, vnde corpus suum limaret, transmisit ei & rachinam cilicinam, vnde & interius & superius fecit sibi indumentum. Et si quid de causâ quam timebat, in Spiritu sancto sentiret, eam certiorem redderet. Quòd si hoc Rex vellet, ipsa magis optaret vitam finire quàm Regi terreno iterum iungi, quia iam Regis cælestis copulabatur amplexibus. Vir ergo Domini totâ nocte in vigiliis & orationibus pernoctans, inspirante sibi diuinâ potentiâ in crastinum mandauit ei hoc Regis esse voluntatem, sed Dei non esse permissum, anteà enim Rex Dei iudicio puniretur, quàm eam in coniugium acciperet. Post hoc dictum, supradicta Domina mens intenta ad Christum Pictauis inspirante & cooperante Deo per ordinationem præcelsi Regis Clothary Monasterium construxit. Quam fabricam vir Apostolicus Pientius Episcopus & Austrapius Dux per ordinationem Dei celeriter fecerunt. In quo Monasterio sancta Regina mundi falsa blandimenta respuens*

* Chiron.

CONSTRVIT MONASTER.

gaudens ingressa est, vbi perfectionis ornamenta conquireret, & magnam congregationem puellarum Christo numquam morituro sponsò aggregaret. Huc vsque Baudoniuia in eius vitâ iam laudatâ. AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10. XCIX.

Tunc in loco, cui Coloniacus nomen, vitam ducebat beatus Iunianus, cui statim Radegundis propter eius sanctitatem tantâ cohæsit familiaritate, vt nullum sibi tam socium támque familiarem crederet. Sancti Iuniani vitam à Boëtio Wlfino Episcopo sub Ludouico Pio scriptam publicauit Labbeus tomo secundo suæ Bibliothecæ, cùm nonnulla eius fragmenta priùs edidisset Duchesnius tomo primo Scriptorum coætaneorum, epitomen vero cum notis Menardus in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum. Ortus est Iunianus in territorio Pictauiensi, in pago Briosscio *, prædio Campaniaco *, nobilissimis parentibus, à quibus liberalibus disciplinis traditus est. Adolescens positâ comâ vitam anachoreticam tentare cœpit. Aliquando enim ab æqualium consuetudine se subducebat, vt quasi furtiuis orationibus vacaret. Otium tanquam vitiorum omnium scaturiginem oderat. In studium sacrarum scripturarum sedulò incumbebat. Sanctorum Patrum gesta & Martyrum palmas assiduè voluebat. Iuuenis anachoreticam vitam seriò arripuit, seque in cellâ veluti reum in ergastulo conclusit, vbi adhuc delitescebat, cùm Radegundis Pictauium peruenit. Paulò pòst autem multis ad eum proficiscentibus vt monasticis disciplinis imbuerentur, coactus est è latebris emergere, Cœnobium ædificare & Sacerdotalem ordinem suscipere. Adeptus tantæ dignitatis officium, quotidie cordis contriti & agni immaculati hostiam Deo Patri offerebat. Carnem durius tractabat. Veste cilicinâ, quam Radegundis in modum caracallæ seu cappæ texuerat, induebatur, quæ candida & integra supererat ætate Boëtij Wlfini. Vicissim Radegundis à Iuniano catenam ferream accepit, quâ corpus suum ad exitum vsque vitæ constrinxit. Nonnulli turpiter hallucinantur, dum beatum Iunianum qui Radegundi notus fuit, confundunt cum altero sancto Iuniano eremitâ, de quo sub Clodoueo Rege & Roricio Episcopo Lemouicensi sermonem fecimus. Prior patriâ Cameracensis fuit, posterior Pictauiensis; prior in Episcopatu Lemouicensi degit, posterior in Pictauiensi; prior ad obitum vsque solitarius vixit, posterior egressus è cellulâ Monasterium construxit rexitque; prior ex hac vitâ discessit cùm Ruricius Lemouicinæ Diœcesi præerat, posterior Ruricio diutissimè superstes fuit, peruenit enim ad annum Christi quingentesimum octogesimum-septimum, & teste Gregorio Turonensi [a] Lemouicensem Ecclesiam anno quarto Childeberti Regis siue anno Christi quingentesimo septuagesimo-nono iam regebat Ferreolus successor Exochij qui post Ruricium annis quindecim teste Fortunato sederat; prior colitur decimo-septimo Kalendas Nouembres, posterior Idibus Augustis; prior in Diœcesi Lemouicensi decessit sepultúsque fuit ad Vigennam fluuium vbi oppidum nomen sancti Iuniani nunc etiam seruat; posterior obiit in Episcopatu Pictauiensi conditúsque fuit Mariaci * vnde postea translatus est Nobiliacum vt suo loco dicemus.

* *Brion.*
* *Champagné.*

PRIMORDIA S. IVNIANI.

[a] Lib. 5. c. 19.

* *Mairé.*

Natus est hoc anno Georgius Florentius Gregorius, qui post Eufronium in Episcopatu Turonensi sedere cœpit anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio, mense Augusto, cùm *fermè tricennalis* esset, vt Clerici Turonenses in eius vita testantur. Omittere non debuimus ortum illustris viri, quem Historiæ Francicæ parentem meritò nuncupaueris. Scripsit Historiam Ecclesiasticam Francorum ad sua vsque tempora, quam à Neoterico quopiam interpolatam esse questi sumus sæpiùs queremúrque. Ex decem libris, quibus vniuersum opus constat, sex priores, vt ab Auctore publicati sunt, iampridem nacti sumus, nondum autem incidimus in quatuor posteriores, quamuis eos nostrâ & amicorum operâ multùm quæsiuerimus. Ad annum Christi quadringentesimum decimum-septimum, quo Faramundus regnare cœpit, operæpretium duximus in Gregorianum interpolatorem studiosiùs inquirere,

C. NASCITVR GREGORIVS TVRONENSIS.

AVCTOR HISTORIÆ ECCLESIAST. FRANCORVM.

AN. CH. 544. CHILDEB. CLOTAR. RR. 33. THEOD. R. 10.

quia deinceps Historiâ Ecclesiasticâ Gregorij frequentissimè nos vsuros sciebamus. Breuem capitum interpolatorum indicem texuimus, probauimúsq; nullum ex illis capitibus notum fuisse Fredegario, qui sex ipsos priores Gregorij libros in epitomen redegit. Præter hoc argumentum, quod ad confutandam interpolatoris audaciam validissimum est, occurrit aliud non contemnendum, quod ex Gregorianis editionibus hactenùs vulgatis erui potest.

CI. HACTENVS EDITÆ CVM INTERPOLATIONIBVS.

Guillelmus *Paruy*, Doctor Theologus Ordinis Sancti Dominici, priusquàm ad Episcopatum Trecensem promoueretur, Auctores non paucos typis mandandos curauit. Ob illam causam in Catalogo Episcoporum Trecensium à Camuzato sic laudatur. *Nec verò præterendum est eum, antequàm Tricassinus Antistes creatus esset, eximios libros typis mandandos procurasse, cuiusmodi sunt Gregorij Turonum Episcopi opera, aliáque quamplurima illustrium Scriptorum monumenta.* Historiam Francicam Gregorij Turonensis Episcopi, libros sex Pauli Diaconi de gestis Longobardorum, libros totidem Luitprandi de rebus per Europam gestis, Historiam Francicam Aimoini siue Annonij, vt vocat, & Chronicon Sigeberti primus publicauit. Vsus est operâ Henrici Stephani & Iodoci Badij Ascensij. Chronico Sigeberti præfigi voluit hanc inscriptionem. *Sigeberti Gemblacensis Cœnobitæ Chronicon ab anno 381. ad 1113. cum insertionibus ex Historia Galfridi & additionibus Roberti Abbatis montis, centum & tres annos complectentibus, promouente egregio Patre, D. G. Paruo, Doctore Theologo, Confessore Regio, nunc primùm in lucem emissum Parisiis per Henricum Stephanum an. 1513.* Et post excusum Luitprandum, à Iodoco Badio Ascensio in Epistola dedicatoria laudatus est præcipuè, quòd *quatuor luculentos Historiographos penè situ victos* in lucem emiserit; *Gregorium Turonensem Episcopum & Annonium Monachum de Francorum; Paulum Diaconum de Longobardorum; & Luitprandum seu Liudbrandum, hunc de Principum Europæ gestis.* Eruditi iam norunt quot quantisque interpolationibus auxerit cùm Historiam Aimoini, tum Chronicon Sigeberti, questique sunt non immeritò quòd legitimo Luitprandi fœtui adulterinum adiunxerit. Aubertus Miræus Decanus Antuerpiensis, in cuius manus Gemblacensis * Codex peruenit, nostrâ ætate genuinum Chronicon Sigeberti Monachi Gemblacensis excudendum curauit, non amputauit interpolationes, sed eas, vt ab ipsa Sigeberti lucubratione facilè distingui possent, notauit minori charactere, monuitque vel in Gemblacensi Codice domestico non reperiri vel recenti manu esse agglutinatas. Consule illam editionem, si cupis scire quid scriptum sit à Sigeberto, quídue illius scriptis insertum. Nonnullas interpolationes iam refutauimus, in quibus vulgatum Sigeberti Chronicon ab historica veritate discrepat. Plures infrà suis locis examinabimus refellemúsque. Lege quæ suprà dicta sunt ad annum Christi quadringentesimum vndecimum. Franciscus Ducheſnius Geographus Regius, expunctis interpolationibus, anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-primo, veram Aimoini Monachi Floriacensis historiam vulgauit [a] ad manuscriptos Codices diligenter emendatam; annóque Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo Philippus Labbeus tomo secundo dissertationis philologicæ de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos Bellarminus attigerat, peculiarem Diatribam adiecit *de Aimoino historiæ Francicæ Auctore eiusque Continuatore & Interpolatore Monacho S. Germani Parisiensis.* Inde liquidò constat, vt Chronicon Sigeberti, sic & historiam Aimoini publicatam fuisse à Guillelmo *Paruy* cum multis interpolationibus. Vt autem ab eo nec Sigebertus nec Aimoinus absque interpolationibus editus est, ita nec Gregorius Turonensis. Hactenus quidem feliciùs actum est cum Sigeberto & Aimoino quàm cum Gregorio, Sigebertum enim Miræus, Aimoinum Ducheſnius ad fidem manuscriptorum Codicum purgarunt insititiis auctionibus, Gregorium verò, licèt sæpè typis excusus sit, talem adhuc habemus, qualem Guillelmus *Paruy* primus edidit, id est, non tantùm variis auctum interpolationibus instar Sigeberti & Aimoini, sed etiam mutato stylo sibimetipsi

* *De Gemblours.*

[a] Tom. 1. Collect hist. Franc.

multùm dissimilem. Certè stylus Gregorianarum editionum elegantior est, quàm vt tribui possit ipsi Gregorio, qui prout ad annum Christi quadringentesimum decimum-septimum iam obseruauimus, in Præfatione libri de gloria Confessorum fatetur Grammaticæ leges à se penitùs ignorari; nomina non discerni; sæpiùs pro masculinis fœminina, pro fœmininis neutra, & pro neutris masculina commutari; præpositiones loco debito plerumque non locari; pro ablatiuis accusatiuos, & rursùm pro accusatiuis ablatiuos poni. Non recedunt autem ab illo Gregorij stylo Codices manuscripti, quos citare consueuimus. Quod attinet ad interpolationes, illarum par est ratio in Gregorio ac in Sigeberto & in Aimoino, pleræque enim Auctoribus coætaneis refragantur, vt ad annum sequentem in obitu sancti Medardi Nouiomensis Antistitis, & in electione sancti Domnoli Cenomanensis Episcopi, necnon ad alios annos non rarò probabimus.

AN. CH. 544. [a] Num. 9.

ANNVS CHRISTI 545. CHILDEBERTI R. 34. CLOTARII R. 34. THEODOBERTI R. 11. INDICTIO 8.

545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus quintus est in fastis quartus post Consulatum Basilij, consignatúrque Indictione octauâ. I.

Hoc anno sanctus Germerius Episcopus Tolosanus, *cùm per triginta & sex annos diuini verbi pabulo, vitæ exemplo, paternâque solicitudine gregem fouisset, discessit è vita, ad Murellum oppidum sepultus est, vbi ipsius ac sociorum reliquiæ religiosè coluntur*, vt in Breuiario Tolosano legitur decimo-septimo Kalendas Iunias, quo die colitur: per socios intellige Dulcidium & Pretiosum, quorum nomina ibidem recitantur. II. GERMERIVS EP. TOLOS. OB.

Extant Vigilij Papæ ad Auxanium Episcopum Arelatensem literæ vndecimo Kalendas Iunias, hoc anno, post Basilij Consulatum quarto datæ, quibus huic Episcopo suas vices delegat, vsúmque Pallij concedit. In Auxanij gratiam scripserat Childebertus Rex Francorum, epistolam enim suam sic inchoat Pontifex. *Sicut nos pro tuæ caritatis affectu, & pro glorioßißimi filij nostri Regis Childeberti Christianâ deuotione mandatis, vices nostras libentißimâ voluntate contulimus, ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ Sedis auctoritate dignâ conuersatione vti, atque disponere vt bonis artibus innotescens rectum circa caritatem tuam indicium nostræ dilectionis ostendas.* Deinde Vicariatus partes sic explicat. *Si quæ ergo inter fratres & Coepiscopos nostros in locis vestræ caritati præsenti auctoritate commißis, seminante illo auctore ex antiquâ iniquitate zizaniæ, dissensiones emerserint, adhibitis vobiscum Sacerdotibus numero competenti, causas canonicâ & Apostolicâ æquitate discutite, ea modis omnibus prolato iudicio finituri, quæ Deo placitis decessorum nostrorum possint regulis conuenire. Si qua verò certamina aut de religione fidei (quod Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non posßit, euenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discußâ, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda seruate, & vniuersis à fraternitate vestra competenti ratio-* III. VIGIL. PP. SCRIBIT AD AVXANIVM EP. ARELAT.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

ne dispositis, pax quæ Salvatoris voce collata est Ecclesiæ Dei, quæ una est in toto orbe diffusa, stabili firmitate seruetur, nec antiqui hostis possit taxatione vexari, in illius petra Christi Dei Domini & Salvatoris nostri erectione firmatâ stabilitate persistens. Quæ cuncta vt fraternitas vestra melius per Dei gratiam possit implere, vniuersis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostræ est serie declaratum. Nullus ergo de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis, sicut & ad eos data loquitur præceptio, in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solemni more, sicut decessore nostro decessori vestro similiter concedente consueuerant, formatam vestra caritatis acceperit. Et sub epistolæ finem Auxanium admonet, vt pro Imperatore Deum oret, pacémque inter ipsum & Childebertum Regem conseruare studeat. *Oportet ergo fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, vt domnos filios nostros clementissimos Principes Iustinianum atque Theodoram suâ semper protectione custodiat, qui pro his vestræ caritati mandandis, suggerente gloriosissimo & excellentissimo filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos conuenit exorare, piâ præbuerunt deuotione consensum. Hortamur quoque vt Sacerdotali operâ inter gloriosissimum virum Childebertum Regem, sed & antedictum clementissimum Principem, conceptæ gratiæ documenta paternâ adhortatione seruetis, &c. Et quia dignâ credimus ratione compleri, vt agenti vices nostras Pally non desit ornatus, vsum tibi eius, sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri sanctâ auctoritate concedimus. Ea verò quæ de præsenti ordinatione nostrâ directâ præceptione signauimus, ad vniuersos Episcopos per caritatem tuam volumus peruenire. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data* XI. *Kalend. Iunias.* IV. *P. C. Basilij V. C.*

IV. AD EPISC. REGNI CHILDEB.

Vigilius ad Episcopos, quos sub potestate Primatis Arelatensis esse vellet, literas eodem quoque die scripsit, quarum apex talis est. *Dilectissimis fratribus, vniuersis Episcopis omnium prouinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filij nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiquâ consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopo, Vigilius.* Duplicis igitur generis Episcopos Arelatensi Primati subiicit, putà eos qui de regno sunt Childeberti, & eos qui ab ipso solent consecrari, siue Childeberto, siue aliis Francorum Regibus Clotario & Theodoberto subdantur. Cùm autem Primatum Arelatensem adeò exactè describit, palam ostendit ei non obnoxios fuisse ceteros Galliarum Episcopos, quorum Diœceses erant extra regnum Childebetti, extráque Prouincias in quas Episcopus Arelatensis, Metropolita primi ordinis, ius Metropoliticum exercebat. In illis literis munus Vicarij per partes exponit, declarátque quibus in rebus Episcopos ei parere velit. *Auxanio*, inquit, *fratri & coepiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti, vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat, vt si aliqua, quod absit, fortassis emerserit contentio, congregatis ibi fratribus & Coepiscopis nostris, causas Canonicâ & Apostolicâ auctoritate discutiens Deo placitâ æquitate diffiniat. Contentiones verò si quæ, quas Dominus auferat, in fidei causâ contigerint, aut emerserit fortè negotium, quod pro magnitudine sui Apostolicæ Sedis magis iudicio debeat terminari, ad nostram discussâ veritate perferat sine dilatione notitiam. Et quia necesse est, vt aptis Deo propitiante temporibus Arelatensis Episcopus nostris vicibus fungatur, quotics iudicauerit expedire, vt pro faciendâ consolatione communi, Episcoporum debeant congregari personæ, nullus inobediens eius fortè mandatis sit. Quòd si fuerit, à congregatione suspendatur, nisi aut corporalis infirmitas, aut iusta causa cum excusatio venire prohibeat, ita tamen, vt si se, quominùs occurrat, rationabili potest exceptione defendere, ad Synodum pro suo Presbyteri aut Diaconi dirigat loco personam, quatenus quæ à nostro Vicario congregatis fratribus definitâ sententiâ fuerint terminata, ad eius qui absens est per suos perducta notitiam, sincerâ & inuiolabili stabilitate seruentur, &c. Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam Episcoporum sine prædicti fratris & Coepiscopi nostri formatâ ad longinquiora loca audeat proficisci, quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas libentissimè contulerunt, sancta sic definiunt iussiones, &c. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.*

carißimi. Data XI. *Kalend. Iunias.* IV. *P. C. Baſilij V. C.* Harum literarum in Hiſtoria Eccleſiaſtica meminit Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Dominus Antonius *Godeau* Vincienſis Epiſcopus, indéque rectè obſeruat Auxanium è Francis primum Epiſcopum fuiſſe, qui Pallium à Romano Pontifice poſtularit. Sed earumdem ſenſum in duobus locis non aſſequitur. Primò, cùm Primatui Auxanij per Gallias attribuit eas tantùm Galliarum Prouincias, quæ Wiſigothorum dominationi tunc ſubiiciebantur, quæve ſuberant Epiſcopis ab eo ſolitis ordinari. Deinde, cùm per Epiſcopos, quos Vigilius abſque formatis Auxanij literis ad longinquiora loca proficiſci vetat, intelligit Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis & Epiſcopos Prouinciæ Narbonenſis ſecundæ. Ipſemet epiſtolæ titulus ſatis dilucidè Primatum Auxanij circumſcribit Prouinciis, in quas Arelatenſis Epiſcopus ius Metropoliticum exercebat, regnóque Childeberti quod per diuerſas Galliarum Prouincias extendebatur, nec vllam mentionem facit Septimaniæ ſeu Prouinciæ Narbonenſis primæ, quæ ſola inter tot Prouincias Galliæ nondum acceſſerat imperio Francorum, gentiſq; Wiſigothicæ Regibus Arianis adhuc ſubdita remanebat. Longè alia facies erat Galliarum, quàm cùm Primates à Symmacho Papa conſtituebantur, in Regno Clodouei Remigius Metropolitanus Remenſis, & in ditionibus Gothicis Cæſarius Arelatenſis Metropolitanus. Lege quæ ſuprà de vtroque diximus ad annum Chriſti quingenteſimum-octauum [a]. A Primatu Cæſarij ad Auxanij Primatum non licet argumentari, licet Auxanius in Epiſcopatum Cæſario proximè ſucceſſerit. Cæſarius vices egit Symmachi Papæ per ditiones Gothicas in Gallia & in Hiſpania, id eſt, in Prouinciis quæ cùm in Gallia tum in Hiſpania ſiue Oſtrogothis ſiue Wiſigothis parebant. Eodem autem Cæſario adhuc ſuperſtite, cis Alpes defecit regnum Oſtrogothorum, & ab iis ad Francos tranſiit Ciuitas Arelatenſis cum aliis viginti quatuor inter Alpes & Rhodanum ſitis. Abhinc Primatus Arelatenſis ceſſauit in ditionibus Gothicis cùm Gallicanis tum Hiſpanienſibus, vt in Gallicanis anteà plurimùm imminutus iam fuerat aucto Francorum per Gallias imperio, nec Auxanius alibi Vicariatum Romani Pontificis exercuit, quàm in Prouinciis ſibi ſubditis tanquam Metropolitæ primi ordinis, & in omni Regno Childeberti Regis, cui Ciuitas Arelatenſis obtigerat in diuiſione Prouinciarum ac Ciuitatum, quas Oſtrogothr Francis ante aliquot annos vltrò ceſſerant. Quod attinet ad Epiſcopos, quos Papa ſine formatis Auxanij literis ad longinquiora loca proficiſci vetuit, hi proculdubiò non alij cenſendi ſunt, quàm qui præerant Eccleſiis intra Primatum Arelatenſem, ſiue intra Prouincias Arelatenſem, Aquenſem, Ebredunenſem, regnumque Childeberti conſiſtentibus. Plura de Pallio déque illius vſu dicemus ad Canonem iſtum Matiſconenſem [b]. *Vt Archiepiſcopus ſine Pallio Miſſas dicere non præſumat.*

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

[a] Num. 57. & ſeqq

[b] Conc Matiſc. 1. can. 6.

V.

ITEM AD AVXANIVM IN CAVSA PRÆTEXTATI EP. CABELL.

Vigilius eodem die tertiam epiſtolam ſcripſit ad Auxanium de cognoſcenda cauſa Prætextati Epiſcopi, qui laicum ante conuenientem probationem ſacris ordinibus initiarat. Literæ ſunt eiuſmodi. *Dilectiſſimo filio fratri Auxanio, Vigilius. Licet fraternitati veſtræ Apoſtolicæ Sedis vicibus attributis, quas directâ auctoritate commiſimus, generaliter emergentium cauſarum ſit diſcutiendarum licentia, tamen quia filij noſtri Ioannis Presbyteri ſed & Teredy Diaconi, qui ad nos à tuâ caritate directi ſunt, de Prætextati exceſſu eſt porrecta petitio, neceſſarium valdè credidimus, ſpecialiter memorati negoty examinationem præſenti vobis auctoritate mandare. Quapropter caritati, quâ in Chriſto iungimur, reddentes fraternæ alloquia viſitationis, hortamur vt adhibitis vobiſcum fratribus & Coepiſcopis noſtris numero competente, diſcuſsâ ratione Canonicâ veritate, ea ſapienti ordinatione diſponat, quæ deceſſorum noſtrorum conueniant ſtatutis, caritas veſtra ratione proſpiciens, ne aliquem facilè ex laicis ad ſacros ordines ſaltu præcipiti cuiquam Sacerdotum liceat aggregare. Deus te incolumem cuſtodiat frater cariſſime. Data* XI. *Kalend. Iunias*, IV. *P. C. Baſilij V. C.* Is Prætextatus Epiſcopus fuit Cabellicus in prouinciâ Viennenſi ſecundâ ſiue Arelatenſi, eius nomine

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

Optatus Abbas Concilio Aurelianensi quinto post quadriennium subscripsit.

VI. IT IN SICILIAM.

Vigilius, postquàm huiusmodi literas ad Auxanium scripsit, Romæ diu non degit, Constantinopolim enim profecturus abiit in Siciliam, ibique per aliquot menses mansit, tempus expectans opportunum, vt Romanis à Totilâ obsessis famé que laborantibus frumentum transmitteret. Lege apud Procopium [a] res gestas anno vndecimo belli Gothici.

[a] Lib. 1. de bell Goth. c. 16.

Auxanius Episcopus Arelatensis breui admodùm temporis spatio Vicariatu Sedis Apostolicæ gauisus est, anno enim sequenti alius ab eo diuersus inuenitur Arelatensis Episcopus nomine Aurelianus, de quo plura suis locis.

VII. VIII. GVRGVIDVS SOROREM OCCIDIT.

Hoc anno Gurguidus * Haudæ sorori suæ insonti, quam prostitutæ pudicitiæ ream putabat, caput abscidit præcipiti furore. Lege Albertum in Armorica Sancta decimo-quarto Kalendas Decembres, quo die nomen Haudæ celebre est in veteribus Breuiariis Diœceseon Leonensis & Corioſopolitanæ. Beata Hauda * sepulta fuit apud *Landunnez*, & multis post miraculis coruscauit. Frater admissi flagitij pœnitentiâ ductus adiit Paulum Leonensem Episcopum, à quo ablegatus est in eremum, vt lachrymis, ieiuniis, macerationibus crimen suum deleret, peracto tempore quo solitariam vitam ducere iussus fuerat rediit ad eundem Pontificem, Paulus igneum globum super caput eius conspexit, & in admirationem tanti prodigij raptus non Gurguidum sed Tanguidum * deinceps appellari voluit, quia *Tan* idiomate Britannico ignem sonat. Tanguidus, vt prolixiorem pœnitentiam ageret, Monachum induit in Batha * insula, deinde cùm Paulus Monasterium Gerberense * condidisset, nouo Cœnobio primus Abbas ab eo præpositus fuit.

* *Gurguy.*
* *Haude.*

PŒNITENTIAM AGIT IN EREMO.

* *Tanguy.*
* *Baaz.*

FIT PRIMVS ABBAS GERB.

* *de Gerber.*

IX. MEDARDI EP. NOVIOMENS. MORS.

De anno, quo Medardus Nouiomensium & Tornacensium Episcopus obiit, variæ circumferuntur sententiæ. Præcipuas hallucinandi causas dederunt duo Scriptores, quorum prior gesta Regum Francorum sub Theodorico Quarto Rege, posterior vitam S. Medardi post annum Christi millesimum scripsit. In Gestis Regum Francorum postrema Chramni defectio mórsque describuntur capite vicesimo-octauo, deinde caput vicesimum-nonum ab obitu sancti Medardi sic inchoatur. *Tunc quoque in illis temporibus beatissimus Medardus Episcopus, plenus virtutibus præclaris & gloriâ, migrauit ad Dominum*, eodémque capite mors Clotarij Regis proximè subiicitur. Hanc lucubrationem ob oculos habuit is qui prædictam S. Medardi vitam post annum Christi millesimum literis commendauit, ideóque asseruit Medardum in morbum quo extinctus est incidisse cùm Clotarius victor è Britannia post interitum Chramni reuertebatur. *Cùm autem*, inquit [b], *beatus hic Pontifex vitæ appropinquaret ad exitum, contigit Clotarium Regem, postquàm Chramnum filium sum cum vxore sua ac filiabus combusserat, à regione reuerti Britannorum. Cognitâ verò huius infirmitudine Pontificis, ad eum visendum humiliter festinauit.* Multi duobus hisce Scriptoribus innixi Medardum Episcopum & Clotarium Regem, cuius obitus in annum Christi DLXI. incidit, eodem anno mortuos affirmarunt. Anonymus præcitatus qui vitam beati Medardi post annum Christi millesimum scripsit, vt annum designet quo sanctus Medardus ad Deum transiit, alio adhuc vtitur Charactere Chronologico qui non pauciores fefellit. Vult Medardum Episcopum obiisse anno decimo-quinto postquàm beato Eleutherio in Episcopatum Tornacensem successerat. *Sanctus Pontifex Medardus ferocem illam Flandrensium gentem suæ Nouiomensi Ecclesiæ associauit, & per quindecim annorum spatium, licèt aliquo itineris interuallo remoti essent, ad diuinum eos cultum informare indesinenter elaborauit. Quindecim annis commissam sibi diuinitùs insedit cathedram, eo in tempore non sine multo labore incredulos & infideles ad fidem educauit Catholicam, reædificatis Ecclesiis eos, qui Deo inibi seruirent, non sine sana manus impositione decenter consecrauit, & quicquid Deo placitum nouerat, incessabiliter & inexcogitabili deuotione ordinauit. Huius ergo temporis transacto spatio, sanctum Dei Pontificem grauissimâ contigit deprimi corporis infirmitate, & inualescente morbo corporeos eius sensus de die in diem paulatim defice-*

[b] Apud Sur. d. 8. Iun.

re. Inde promanarunt etiam variæ sententiæ, quia super anno quo beatus Eleutherius ad Deum migrauit, vt & super anno quo Clotarius Rex è Britanniâ post extinctum Chramnum rediit, non vnanimis est Authorum consensus. Fortunatus, cuius iudicio dirimi debet omnis hæc controuersia, vitam sancti Medardi regnante Theodoberto secundo literis commendauit, quindecim autem annos quibus Medardus Episcopus sedit non auspicatus est ab obitu beati Eleutherij Tornacensis Antistitis, sed à morte Viromandensis Episcopi cui Medardus in Præsulatu primùm successit. *Cùm iam multimodis virtutum fulgeret studiis, famáque eius per diuersa orbis spatia, gratiâ crescente, præcelleret, defuncto Viromendensium vrbis Pontifice, in eius loco consecratur Episcopus. Vbi conuersatione cælesti ter quinis annorum circulis in sanctimonia ipsius officij Sacerdos extitit pretiosus.* Hæc Fortunatus. Alia beati Medardi vita, quam in Bibliotheca Floriacensi Ioannes Boscius edidit, annos quindecim à Medardo in Episcopatu actos æquè confirmat istis verbis. *Ter quinis annorum circulis Pontificatus sui officium feliciter administrauit, sícque corporali percussus molestiâ, vsque ad extrema vitæ suæ perductus est tempora.* Totus igitur cardo disputationis in hoc vertitur, vt deprehendatur annus, quo Medardus Ecclesiam Viromandensem regendam suscepit. Obiit Eleutherius Tornacensis Episcopus pridie Kalendas Iulias anno Christi quingentesimo tricesimo-secundo sub Bonifacio Papa. Medardum biennio ante Eleutherij mortem Viromandensis Ecclesiæ Præsulem ordinatum diximus, quia res ab eo in Pontificatu ante Eleutherij obitum gestæ breuiori temporis spatio circumscribi non possunt. Vt autem Medardi assumptio in Antistitem Viromandensem post annum Christi quingentesimum tricesimum reiici nequit, sic nec eius obitus differri potest post annum Christi quingentesimum quadragesimum-quintum, qui decimus-quintus post annum Christi quingentesimum tricesimum numeratur. Si quis verò contendat Medardum Ecclesiæ Viromandensis Episcopum fuisse consecratum ante annum Christi quingentesimum tricesimum, necesse est vt in annis hallucinetur quos cum Clotario Rege tres legitimæ coniuges Ingundis, Chunsena & Radegundis exegerunt, nam Radegundis ante annum Christi quingentesimum quadragesimum-quartum à Medardo Nouiomensium Pontifice velum non accepit. Atque ita concludimus Medardum nec alio Christi anno quàm quingentesimo tricesimo creatum Præsulem Viromandensium, nec alio Christi anno mortuum quàm quingentesimo quadragesimo-quinto. In vulgata Gregorij Turonensis historia, caput decimumnonum libri quarti, quod totum est de sancto Medardo, & eius mortem post Theodobaldi Regis obitum reiicere videtur, superstite adhuc Childeberto Rege, nullam habet auctoritatem, quia suppositititium est, omittitúrque in Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi.

AN. CHR. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 54. THEOD. R. 11.

X.

Sancti Medardi mortem, funus & sepulturam copioso sermone sic describit Auctor publicatus à Surio [a]. *Clotarius Rex cognitâ huius infirmitate Pontificis, ad eum visendum humiliter festinauit, eius se non diffidens contra Diabolicas infestationes benedictione muniri, & intercessione apud diuinam Maiestatem reconciliari. Cùm ergo in hac regali visitatione, in conspectu eiusdem & Principum de sepultura Pontificis tractaretur, suorum assensu filiorum, suâ se in sede Sanctus ipse præordinauit sepeliendum. Cuius sententiæ obstinato Rex animo resistens, Suessionis eum constituit transferendum, asserens se super corpus eius Basilicam decenter ædificaturum, & ad laudem & gloriam diuinæ Maiestatis cœnobialem seruorum Dei Regulam ordinaturum. Cessit igitur beatissimus Pontifex regiæ dispositioni, & indefessè se suósque Domino commendans, finitâ oratione, spiritum exhalauit. Mox certissimo eorum, qui aderant, testimonio cæli aperti sunt, & diuina luminaria ferè per duarum horarum spatium ante Sancti apparuere præsentiam, de tenebris eum transitoriis ad lucem designantia pro certo transisse perpetuam. Hoc tanto beatissimi Præsulis animati miraculo, maiori, vt eum transferrent, accensi sunt desiderio. Corpore itaque sancto composito ac delato ad Ecclesiam, nocte illâ exe-*

[a] Die 8. Iun. FVNVS.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

quialem cum multâ deuotione celebrauerunt vigiliam. Mane verò facto, cùm Episcopi, quibus interesse contigerat, suum defuncto celebrassent officium, inopinabilis multitudo conuenit nobilium, de castellis & ciuitatibus, de agris, & municipiis adiacentibus inestimabilis accurrit conuentus, aly eius deuotè desiderantes interesse exequiis, aly admodum lugentes patrem separari à filiis. Per medias ergo plorantium lacrymas Rex irrumpens cum Episcopis & Optimatibus, suis ipsius humeris corpus sustulit sanctissimum, Suessionis, sicut prædixerat, efferre volens ad sepeliendum. Eâ nimirum horâ, quibus interesse contigit, ineffabilem lugentis populi expauere gemitum, dum non modò in illa Ecclesia, sed & per totam ciuitatem & in suburbio, per vicos quoque & plateas vnam & eandem vocem audirent plorantium. Recolebant siquidem vrbis illius indigena patris sanctissimi, quâ eatenus informati fuerant, benignissimam prædicationem; dolebant vero & vehementer angebantur, quia cùm patrem amisissent, patris etiam sepulturâ, Regis & Procerum violentiâ, frustrabantur. Compatiebantur qui superuenerant ad tantam plebis illius compunctam illachrymationem, verùm quia regia vrgebat dignitas, ad sanctissimi corporis intentè insudabant translationem. Vix ergo & non sine multo labore patre mœrentibus & lugentibus filiis erepto, sicut à Rege susceperant, iter aggrediuntur. Huius auditâ translatione sanctissimi Confessoris, & non desperans de tanti clementiâ intercessoris, intra portantium cuncos cæcus quidam feretro se humillimè submisit, & protinus secundum fidem suam, quia bene sperauerat, per sancti Medardi meritum visum gratuito munere recepit. Quid plura? Qui priùs in ciuitate tantam audierant deuotionem lugentium, & tunc super hac cæci illuminatione tantum Dei & sancti Pontificis perspiciebant miraculum, vlnas libentissimè sanctæ illius cuccioni supponunt. Magnâ se credidit ditandum remuneratione, cui etsi non gestare, saltem illud Sancti feretrum quoquo modo licuit attrectare. Episcopi & Optimates ad id se officy hilariter cohortantur, & onus illud leue sentientes, ex præcepto Regis apud Attipiacum * villam fluuium Axonam nauigio transgrediuntur. Postmodùm iter dirigentes contra eiusdem fluminis vndam, sicut Rex præordinauerat, iter ad vrbem flectunt Suessionicam. Dei & sancti Pontificis gratiâ Bandaredus Suessionensis Episcopus, cum debitâ processione reuerenter occurrit, ac sanctissimum corpus, prout decebat, honorificè susceptit. Sic solenniter felix illa Suessionensium ciuitas sanctum Dei susceptit Confessorem, amplexata est festiuè patronum, amodo proprium habitura defensorem. Inter hos properantium cuncos quidam se ingessit, aurium diutius frustratus officio, cui mox vt peplum, quo sacrum tegebatur corpus, osculando deuote attigit, fraudati sensus vsum illico sancti Pontificis intercessione suscipere promeruit. Gratulatur admodum Rex, gratulantur etiam Pontifices cum Optimatibus, magnum sit in cælis gaudium, & adstantes vniuersi Deum ex toto corde non sine lachrymis compuncte venerantur. Retransmeant ex præcepto Regis prædictum flumen Axonam, perueniuntque in prædium, vbi Rex sancti Pontificis præordinauerat sepulturam. Ibi, Deo disponente qui cuncta præuidet & prænoscit, lecticam, quâ sanctum illius corpus euehebatur, nescio quâ de causâ contigit deponi. Et ecce iterato miracula geminantur, & in vniuersali conspectu adstantium sanctissimi Præsulis merita glorificantur. Cùm enim sanctissimam eius glebam ex iniuncto sibi officio ad sepulturam deportare vellent, diuino nutu tanti eam ponderis persenserunt, vt nullo modo corpus sancti à loco, vbi eum deposuerant, mouere possent. Aly aliis succedentes, ad cuccionem totis viribus elaborabant, aly alios tamquam inualidos & impotentes increpabant. Verùm licet alios tanquam imbecilles causarentur, ipsi tamen cùm ad id sese præparassent, desiderio suo ex toto frustrabantur. Rex & qui aderant, diligenter causa huius recensentes cuentum, cùm penitus quid res hæc pretenderet ignorarent, Dei solius suppliciter super hoc exorabant subsidium. Tumultus non minimus super hac retardatione perstrepebat in populo, dicentibus aliis, quia de sede suâ tanquam captiuus abductus fuerat, hoc diuinitus fieri & meritò; aliis autem obiicientibus, Regem corpus sanctum reuerenter transtulisse & vera deuotionis studio. Rex nimiùm attonitus, ad sancti loculum non sine multâ deuotione appropinquauit, & solenni factâ traditione, villa illius regalis Croiciaci, in quâ Sanctus ipse sepeliendus erat,

* Attichy sur la riuiere d'Aisne.

medietatem sancto eidem perenniter habendam sigilli regalis impressione confirmauit. Contigit illico res mirabilis & laudabiliter recitanda. Mox enim vlnis suppositis, onus illud sanctissimum parte quidem ex alterâ sine difficultate sublenare potuerunt, parte verò ex alterâ incredibilis ponderis & penitus immobile persenserunt. Ad hæc Rex iucundo satis vultu tantam Dei retractans gratiam, quàm citiùs potuit, ad sanctissimi Confessoris dominium illam, quam sibi retinuerat, iussit resigillari partem residuam. Nec mora, Dei adeo gratiâ Sanctum mox sustulere leuiatum, vt quod eatenus desperauerant, sine vllâ difficultate à paucis deportaretur ad sepulchrum. Defertur igitur corpus sanctum ad sepulturam, verùm illo in itinere Dominus preciosissimam suam non est dedignatus clarificare margaritam. Antequàm enim terræ corpus sanctum conderetur, quidam vastis catenarum loris brachia surásque deuinctus, per medius sese properantium turmas non sine multâ difficultate iniecit. Cui mox vt sancti Confessoris concessum est tangere operimentum, omnia mox dissiluere repagula catenarum, diruptisque compedum vinculis, liberrimè cum multâ gratiarum actione sequebatur munerarium suum. Peruentum est tandem ad eam, quam ei Rex non sine Dei prouidentiâ præordinauerat, sepulturam. Episcopi cum Abbatibus, peractis priùs quæ Dei erant, sanctissimum illud corpus terræ decentissimè commendant. Ecce iteratur sancta Sancti gloria. Nam cùm eius sacratissima membra tumulo clauderentur, cælum apertum est, & duæ columbæ visæ sunt descendisse quasi nubes, ac de ore sancti egressa est columba candida tanquam nix. Peractis celeberrimè beatissimi Dei Athletæ inferiis, Rex Clotarius supra venerabile Sancti corpus paruum ad tempus iussit ædificari tugurium, quousque ad faciendam inibi Ecclesiam necessaria pararet expensarum. Contractâ verò vndecunque potuit non paruâ pecuniâ, sanctum illud Dei habitaculum instanter ordiri præproperabat, & plerisque negotiis postpositis ad hoc perficiendum enixiùs elaborabat, feciſsétque paruo in tempore quod benevolâ conceperat mente, nisi secundum quod vnicuique imminet, rebus cum humanis nimis intempestiuè contigisset excessisse. Author ille, vt suprà monuimus, Medardum Episcopum & Clotarium Regem eodem anno mortuos putauit, in errorem tractus est ab Anonymo, qui gesta Regum Francorum scripsit, & morte Chramni narratâ sermonem conuertit ad Medardi Pontificis obitum, cui mortem Clotarij Regis proximè subiunxit. At Clotarius Rex Antistiti Medardo superuixit annis sexdecim. Illo temporis spatio, in loco vbi sepultus fuit beatus Medardus, erecta est primùm cellula minutis contexta virgultis, deinde nobilissimum templum quod à Clotario patre inchoatum Sigibertus Rex absoluit. Vtriusque operis ita meminit Gregorius Turonensis in libro [a] de gloria Confessorum. *Priusquàm templum ædificaretur, erat super sepulchrum Sancti cellula minutis contexta virgultis, & dedicato templo hæc fuit amota.* Locus, vbi Basilica illa erecta est, *fiscus Croüjacus* in antiquo Codice manuscripto vocatur, vicúsque Croüjacus * pertinet etiamnum ad Abbatiam sancti Medardi, nec ab ea procul est remotus. Ne verò fiscum Croüjacum à villa regali Croiciaco, cuius mentio fit in vita sancti Medardi suprà citata, distinguendum putes, lege Historiam [b] Suessionensem haud pridem editam à Claudio *Dormay* in Abbatia sancti Ioannis de Vineis Presbytero & Canonico Regulari, qui locum eundem, vbi Monasterium sancti Medardi hodie visitur, in veteribus chartis à se lectis, *Croiciacum, fiscum Croüjacum & Croniacum* promiscuè vocatum testatur. Sæpè nomina propria diuersis modis scripta reperiuntur. Deinde ædes regiæ, hortique cum adiacente sylua facilè potuerunt occupare totum agrum, qui medius a Monasterio sancti Medardi porrigitur vsque ad vicum Crõüjacum, penes quem vetus villæ regalis nomen in perpetuum regiæ liberalitatis monumentum feliciter permanſit. Agemus plerumque de Cœnobio sancti Medardi. Templo nondum ædificato, cùm ibi erat tantùm cellula minutis contexta virgultis, ipsius ligni tenuitas claruit miraculis. *Sæpè de eo*, inquit Gregorius [c] Turonensis, *hastulæ factæ parumper acutæ dolori dentium remedia contulerunt. Hæc audiens Charimeris, dum de hoc dolore laboraret, Basilicam Sancti expetiit, vt sumpturus ex ligno a virtute Sancti medicinam mereretur.*

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. R R. 34. THEOD. R. II.

SEPVLTVRA.

[a] Cap. 95.

* *Le Village de Croüy.*

[b] Lib 3. c. 14.

[c] De glor. Conf. c. 95.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. R R. 34. THEOD. R. 11.

tur accipere, sed veniens ostium reperit obseratum. Confisus ergo quia virtus Beati vbique sit presens, extracto cultro hastulam excutit ab ostio, statimque vt dentes attigit, noxius dolor abscessit. Porrò Charimeris ille, cùm Gregorius librum de gloria Confessorum scribebat, Referendarius erat Childeberti Regis, & sancto Agerico in Episcopatu Virodunensi posteà successit. Ipsemet Agericus Episcopus, cùm beatum Medardum singulari pietate coleret, in illius honorem prope ciuitatem Virodunensem erexit Basilicam, quæ, quoniam priùs illic Oratorium in honorem sancti Ioannis Baptistæ conditum fuerat à sancto Mauro eiusdem vrbis secundo Pontifice, promiscuè dici cœpit Ecclesia sancti Medardi & Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ, repertos ibi cineres sanctissimorum Antistitum Mauri, Saluini & Aratoris decenter eleuauit idem Agericus, vt in eius vita scribit Wasburgius.

XI. S MONEGVND.

Gregorius Turonensis reliquias sancti Medardi testatur translatas ad vicum vrbis Turonicæ cui nomen est Euena, sic enim scribit [a] in vita sanctæ Monegundis coniugatæ, patriâ Carnotensis, quæ relicto natali solo sancti Martini Turonensis quondam Episcopi Basilicam adiuit. *Cùm iter cœptum carperet, venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomen est Euena, in quo Medardi Suessionici Confessoris reliquiæ continentur, cuius & vigiliæ eâ nocte celebrabantur.* Hic textus à Neotericis malè intellectus plerosque decepit, qui Medardum Suessionicum Confessorem interpretati sunt Episcopum Suessionensem, cùm tamen Gregorius Medardum Suessionicum Confessorem ea tantùm de causa nuncuparit, quòd ad ciuitatem Suessionensem sepultus iaceret, ibique multis miraculis à Deo insignitus coruscaret. Meminit præterea Gregorius sanctæ Monegundis in libro [b] de gloria Confessorum. Vtrumque locum legit Saussaius, & vitam sanctæ Monegundis in epitomen sic redegit sexto Nonas Iulij. *Turonis sanctæ Monegundis sanctimonialis, quæ proles Carnotenæ vrbis, cùm ex parentum arbitrio, viro nobili copulata, duas quas ex coniugali commercio tulerat filias mors præmatura abripuisset, nullam de hoc dilectæ admodum sobolis suæ occasu admitteret consolationem, tandem ad se reuersa, apud Christum se hoc immoderato mœrore & luctu offendisse agnoscens, primùm ad eius beneplacitum sese totam composuit, ac seculi amoris rerumque caducarum affectus profusiorii pœnitens, diuinis prorsùs obsequiis, sese æternùm mancipare constituit. Itaque de viri sui licentiâ, exutâ veste lugubri, iussit sibi cellulam paruulam præparari, in quâ tantummodò feneſtellam, per quam modicum lumen posset cernere, præcepit aptari. Ibi contempto mundi ambitu vnà cum puellulâ degens inclusa, soli Deo, in quem omnem amorem transfuderat, sedulò vacabat, fundensque orationem pro suis & populi peccatis, eâ pastus potusque tenuitate victitabat, vt ex farinâ hordeaceâ cinere permixto massam conficiens, corpusculum longam post inediam reficeret, haustúque aquæ parcissimo sitim temperaret, reliquam domus substantiam post viri obitum in egenos dispensans. Matta decumbebat, miráque duritiâ sibi omnia vitæ lenimenta subtrahebat. At verò quantò sibi seuerior, tantò in proximos existebat benignior, quibus quæ poterat solatia sedula impertiebatur. Deinde peregrinationis deuotione incensa, ad sancti Martini, quem peculiarem colebat tutelarem, sepulchrum Turones perrexit, aliquandiúque in cellula, quam prope sacram ædem construxerat, consistens, vbi deuotos beato Confessori exoluisset famulatus, primum ad locum rediit, aliquot collegit Moniales, quas magnis vitæ religiosæ exemplis informauit. Túmque gratissimæ Deo seruitutis insignia prodidit, nam signis promicare cœpit permaximis. Oratione siquidem è silice aquam eduxit, signo Crucis duabus cæcis faminis visum restituit, surdo auditum piâ prece refudit, paralyticum erexit, multáque alia patrauit stupenda opera, at numquam alia quàm afflictis proximis vtilia, quibus & medicamenta quæ salutari signaculo sanctificabat impertiens, medelam præstabat aduersus languores quosque efficacem. Vnde cùm iam ad obitum eam vergere Sanctimoniales conspexissent, obnixè illam deprecatæ sunt, vt benedictorum pharmacorum eiusmodi quicquam sibi in suum & infirmorum aliorum solatium, antequam excederet, conficere ac relinquere dignaretur. Illa verò oleo benedicto & sale, tradidit eis refertum vas-*

[a] De vit. pat. c. 19.

[b] Cap. 24.

culum, quod lætæ ſuſcipientes diligentiſſimè ſeruauerunt, cóque vtentes poſteà magnam ſanitatum opem conſecutæ ſunt, atque aliis cum fide petentibus hoc ſe leniri liquore, impenderunt luculenta ſubſidia. Demùm beata Monegundis, conſummato vitæ adeò ſanctæ admirabili decurſu, æternam, quam ardenter ſemper concupierat, euolauit ad patriam, multíſque poſt glorioſum tranſitum ſe inpoſterùm virtutibus oſtendit & apud Deum felicem, & inpios clientes munificam. Vſuardus ſexto Nonas Iulij Monegundem vocat virginem. *Turonis depoſitio ſanctæ Monegundis virginis.* Molanus eodem die viduam appellat. *Turonis depoſitio ſanctæ Monegundis viduæ.* Rayſſius in hierogazophilacio Belgico viduam nominat ac ſanctimonialem, & quia ſanctimonialis obiit, ob id virginis nomenclaturâ dicit ab Vſuardo decorari. Porrò ſancta Monegundis non colitur ſolùm Turonis, ſed etiam Chimaci * in Hannonia, vbi Collegiatam habet Eccleſiam, & pridem aliquot eius reliquiis, quæ in loculo argenteo deaurato à duobus Canonicis in ſolemnibus proceſſionibus circumferebantur, & nunc vſque eius titulo ac tutelâ conſpicuam. Lege Molanum, Rayſſium & Sauſſaium locis citatis.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. II.

* *Chimay.*

XII. BANDARICVS SVESSION. EP. OB.

Bandaricus Sueſſionenſium Epiſcopus, cùm per ſeptennium exulaſſet, & per eius abſentiam ſterilitas atque aëris intemperies morboſa totam Diœceſim plurimùm afflixiſſet, miſſis in Angliam nunciis à Rege Clotario reuocatus eſt. In reditu cùm ad locum peruenisſet, quæ Artheſia dicitur, & ab vrbe Sueſſionenſi diſtat ſex millibus paſſuum, ibi ſitienti populo fontem aquæ ſuis precibus à Deo impetrauit, ac paulò poſt reditum funus ſancti Medardi cum multis aliis ſuâ præſentiâ celebrauit, paucíſque pòſt diebus febre correptus Kalendis Auguſtis vitâ exceſſit. Hæc leguntur in Breuiario Sueſſionenſi poſtridie eaſdem Kalendas, quo die colitur ſanctus Bandaricus *, à nonnullis dictus Bandaridus, Bandaredus & Bandarinus, corruptè Bodardus. In vtraque editione Galliæ Chriſtianæ & in Martyrologio Gallicano beatus Bandaridus dicitur exequiis interfuiſſe Clotarij Regis, cuius obitum anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo conſignabimus. Argumenta quibus hæc opinio nititur, nullius ſunt authoritatis. Primùm, quòd abundè iam refutauimus, ſupponit Medardum Epiſcopum & Clotarium Regem eodem anno mortuos eſſe. Alterum, quod inferiùs diluemus, verum atque indubium agnoſcit priuilegium quod Monaſterio ſancti Medardi quinto Idus Martias anno Dominicæ Incarnationis quingenteſimo ſexageſimo-ſecundo à Ioanne Tertio Papa conceſſum circumfertur. Donec validiores occurrant rationes quæ nos à ſuſceptâ primùm ſententiâ reuocent, ſanctiſſimos Præſules Medardum & Bandaricum eodem anno, illum ſexto Idus Iunias, hunc Kalendis Auguſtis, ſublatos ex hac vita propalabimus.

* *S. Bandry.*

XIII. FAVSTINVS NOVIOM. EP.

Vixit beatus Medardus annos plùs minùs nouem & octoginta, nam puer puerum, ſocius conſocium vidit Eleutherium, quem anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo-ſexto natum conſtat. De ſucceſſore ſic differit Buzelinus. *Aliquandiù eligendi ius repetebant Tornacenſes Canonici. Contra Nouiomenſes illud ſibi vendicabant. Sed hi tantùm, Epiſcopum dicendi poteſtatem obtinuere. Igitur ab his in Medardi locum ſuffectus eſt Auguſtinus, quem perperàm Fauſtinum Meyerus nominat. Quòd rariſſimè tamen ageret Tornaci, ingens hìc in eum populi tumultus exortus eſt. Eámque ob cauſam diù pòſt cum ſucceſſoribus eius inimicitiæ graues exercitæ.* Imò Fauſtinus vocabatur S. Medardi ſucceſſor, nec alius fuit à Fauſtino Epiſcopo, cuius ſermonem in Kal. Ianuarij Bollandus ex membranis Accincti Monaſterij deſcriptum publicauit. Vt ita de Fauſtino ſentiamus ſuadent habitæ ſuper eadem materia conciones à beato Eligio qui ſequenti ſeculo eaſdem Diœceſes Nouiomenſem & Tornacenſem rexit. Kalendis Ianuariis Ethnici & quidam Chriſtiani ſuperſtitioſis vacabant obſeruationibus, plerique monſtruoſas induebant figuras, nonnulli muliebrem habitum aſſumebant. Nefandos eiuſmodi ritus ita redarguit Fauſtinus. *In iſtis diebus miſeri homines, & quod peius eſt, etiam aliqui baptizati, ſumunt*

SVPERSTITION. KAL. IANVAR. REDARG.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. II.

formas adulteras, sumunt species monstruosas. In quibus quidem quæ primùm videnda ac potiùs dolenda sint nescio. Quis enim sapiens credere poterit inueniri aliquos sanæ mentis, qui cerulum facientes in ferarum se velint habitus commutari? Alij vestiuntur pellibus pecudum, aly assumunt capita bestiarum, gaudentes & exultantes si taliter se in ferinas species transformauerint, vt homines non esse videantur. Ex quo indicant ac probant non tam se habitum belluinum habere quam sensum. Nam quamuis similitudines diuersorum animalium exprimere in se velint, certum est tamen in his magis cor pecudum esse quàm formam humanam. Iam verò illud quale vel quàm turpe est, quòd viri nati tunicis mulieribus vestiuntur, & turpissimâ demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant, non erubescentes inserere tunicis muliebribus militares lacertos? Barbatus facies præferunt, & videri se feminas volunt, & meritò virilem iam fortitudinem non habent, qui in muliebres habitus transierunt. Iusto enim iudicio Dei euentisse credendum est, vt militarem virtutem amitterent, qui feminarum specie se deformassent. Et paulò pòst. *Sunt qui in Kalendis Ianuariis ita auguria obseruant, vt focum de domo suâ vel aliud quodcumque beneficium cuicúmque petenti non tribuant. Diabolicas enim strenas & ab aliis accipiunt, & ipsi aliis offerunt. Aliqui etiam rustici mensulas suas in istâ nocte, quæ præteriit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum sunt necessariæ, componentes, totâ nocte sic compositas esse volunt, credentes quòd hoc illis Kalendæ Ianuariæ præstare possint, vt per totum annum conuiuia illorum in tali abundantiâ perseuerent. Et quia sicut scriptum est, modicum fermentum totam massam corrumpit, etiam ista vel alia his similia, quæ longum est dicere, quæ ab imperitis aut parua aut nulla peccata esse creduntur, à vestris ordinate famulis remoueri, & hoc præcipite, vt sic Kalendas istas colant, quomodò aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de paganorum consuetudine in istis diebus obseruare voluerint timendum est ne eis nomen Christianum prodesse non possit.* Eadem paucioribus verbis apud Audoenum [a] sic complectitur Eligius. *Auguria nolite obseruare*, &c. *Nullus in Calendis Ianuarij nefanda & ridiculosa, vetulas aut cerulos faciat, neque mensas super noctem componat, nec strenas aut bibitiones superfluas exerceat.* Has etiam superfluas bibitiones infectatus est Faustinus, & in earum damnationem ieiunium ab Episcopis illo die salubriter institutum fuisse sic declarauit. *Sancti antiqui Patres nostri considerantes maximam partem generis humani diebus istis gulæ vel luxuriæ deseruire, ebrietatibus & sacrilegis salutationibus insanire, statuerunt in vniuerso mundo, vt per omnes Ecclesias publicum indiceretur ieiunium, vt agnoscerent miseri homines in tantum se malefacere, vt pro illorum peccatis necesse esset omnibus Ecclesiis ieiunare. Ieiunemus ergo, fratres charissimi, in istis diebus, & cum verâ & perfectâ caritate stultitiam miserorum hominum lugeamus, vt vel sic intelligant malum suum, dum nos pro se publicum vident obseruare ieiunium. Neque enim desperandum est, quòd illos Deus non possit vestrâ oratione corrigere, qui per Apostolum suum ineffabili pietate promisit dicens, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Agemus iterum de illo ieiunio ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-sextum in obseruationibus ad Synodum Turonensem secundam. Denique Faustinus vetat, ne quis vllam humanitatem ineptis hominibus ita bacchantibus impendat, aut eorum stultitias spectet. *Qui in istis*, inquit, *Kalendis stultis hominibus luxuriosè ludentibus aliquam humanitatem impenderit, peccatis eorum participem se esse non dubitet. Nam qui de salute animæ suæ fideliter cogitat, magis de illis debet dolere vel flere, quàm cum illis vel de illis ad infelicem risum suum animum relaxare. Vos verò, fratres, qui Deo propitio quotidie clamare consuestis* [*oculi mei semper ad Dominum,*] *& iterum* [*ad te leuaui oculos meos,*] *non oportet vt oculi vestri, qui assiduè in Ecclesiâ vigilantes Deo sanctificantur, videndo luxuriam stultorum hominum polluantur, magis dedignari debetis atque despicere opus diaboli, vt in vobis integra permaneat caritas Christi. Clamate ergo cum Prophetâ dicentes,* [*auerte oculos meos ne videant vanitatem,*] *timentes illud quod ait Apostolus,* [*non potestis mensæ Dei participes esse & mensæ dæmoniorum, non potestis*

[a] Lib. 1. c. 15.

testis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum.] Totum hunc Faustini sermonem, necnon Canones Conciliorum Turonensis secundi & Altisiodorensis sub Aunachario Episcopo, concionésque sancti Eligij quarum mentionem Audoenus in eius vitâ fecit, attentè perlegant, qui flagitia Kalendis Ianuariis ab ethnicis degeneribúsque Christianis olim committi solita non erubescunt nostrâ ætate ante initium quadragesimalis ieiunij per plures dies aut etiam per plures hebdomadas perpetrare. AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. R R. 34. THEOD. R. 11.

XIV.

Sanctus Bandaricus sepultus est extra ciuitatem Suessionensem ad sanctum Crispinum maiorem, vbi tunc erat Sedes Episcopalis. De successore non leuis est controuersia. Apud Robertum [a] Episcopi, qui Diœcesim Suessionensem post beatum Bandaricum administrarunt, hoc recensentur ordine, Dratgisilus seu Droctigisilus, Anectarus, Theobaldus, Taudulphus, Landulphus, Ansericus, quorum sola supersunt nomina, si Droctigisilum excipias, cuius meminit Gregorius Turonensis anno decimo-quarto Childeberti iunioris, id est anno Christi quingentesimo vndenonagesimo, & Ansericum qui Synodo à Sonnatio habitæ anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto interfuit. Præter hosce duos Characteres, quos Gregorius [b] Turonensis & Flodoardus [c] Authores optimæ notæ suppeditarunt, nullum reperies, quo Chronologia Suessionensium Pontificum fulciri queat ab anno Christi quingentesimo quadragesimo-quinto quo Bandaricus Antistes Suessionensis funus sancti Medardi curauit, vsque ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum quo Ansericus Præsul Suessionensis Synodo à Sonnatio Episcopo Remensi conuocatæ subscripsit. Elogium Anserici Suessionensis Episcopi sic ordiuntur Sammarthani [d]. *S. Ansericus exemptionis priuilegium S. Medardi à Banderedo concessum D. Gregorio primo obtulit, vt iterum ratum haberet, quod patet ex bullâ ipsius Gregorij lib. 13. registri veteris in Conciliorum generalium editione insertâ.* Deinde Abbatum qui Cœnobium sancti Medardi rexerunt, seriem sic auspicantur [e]. *Dansel primus Abbas anno 562. post quem desunt aliqui. Geraldus anno 600.* Hisce textibus satis innuunt sibi suppositicia non videri Priuilegia, quæ sancti Medardi Monasterio dicuntur à Ioanne Tertio & Gregorio Magno Romanis Pontificibus concessa, vnum quinto Idus Martij anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo sexagesimo-secundo, alterum septimo Kalendas Iunij anno ab Incarnatione Domini quingentesimo nonagesimo-quarto; cúmque de talium rescriptorum fide non dubitent, Anectarum, Theobaldum, Tondulphum & Landulphum Droctigisilo præponunt, eidémque Droctigisilo immediatè sufficiunt Ansericum circa annum Christi sexcentesimum secundum, meliùs tamen in eorum sententiâ mors Droctigisili & subrogatio Anserici collocarentur anno circiter quingentesimo nonagesimo-secundo, Anserici enim iam Episcopi mentio fit in diplomate Gregoriano, quod anno Christi quingentesimo nonagesimo-quarto datum supponitur. At quia suis locis ostendemus esse commentitia quæ Romanorum Pontificum Ioannis ac Gregorij pro sancti Medardi Cœnobio Priuilegia circumferuntur, longè aliam cogimur inire Chronologiam, quæ cum Gregorij Turonensis ac Flodoardi scriptis optimè quadret. Successorem igitur sancto Bandarico damus Anectarum, quem secuti sunt Theobaldus, Droctigisilus, Tondulphus, Landulphus & Ansericus. Quot anni singuli sederint haud sciri potest, ab anno enim quingentesimo quadragesimo-quinto quo mortem sancti Bandarici consignamus, vsque ad annum Christi quingentesimum vndenonagesimum quo Droctigisilus sedebat, & ab illo anno vsque ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum quo Ansericus Synodo cum Sonnatio Remensi Metropolitano aliisque Pontificibus interfuit, certa non occurrit epocha. Robertus Anectarum, qui & aliis nominibus Anetharius, Antecharus, & Autcarus dictus reperitur, confundit cum Vrsmaro, & ex Abbate Lobiensi factum putat Episcopum Suessionensem, annos ei Pontificatus tribuit duodequinquaginta, mortuúmque tradit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-

[a] Gall. Christ. EPISCOPI SVESSIONENSES.

[b] Lib. 9. c. 37.
[c] Lib. 2. c. 5.

[d] Gall. Christ. Tom. 3.

[e] Gall. Christ. Tom 4.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

tertio. Apud Sammarthanos Anectaro nihil est commune cum sancto Vrsmaro ac Monasterio * Lobiensi, & obitus eiusdem Anectari refertur anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio, regere quidem potuit Episcopatum per annos octo secundùm Sammarthanos, qui vitam beati Bandarici vsque ad annum circiter quingentesimum sexagesimum-quintum prorogant, aut per annos duodecim secundùm eos qui sanctos Prætules Medardum & Bandaricum Regémque Clotarium anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo mortuos asserunt, vel per annos duodetriginta secundùm nostram supputationem, quia beati Bandarici mortem anno Christi quingentesimo quadragesimo-quinto illigamus, tamen cùm magna suspicio sit Sammarthanos, vt Anectari mortem anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio illigarent, non aliâ motos esse ratione, quàm quòd Roberti calculum, quem vitiosissimum aduertebant, arbitrati sint facilè corrigi posse, si centenarius numerus demeretur, malumus ingenuè fateri de Anectaro eiúsque successore Theobaldo seu Thenebaldo nihil ad nostram notitiam veniisse præter nuda nomina. Dicemus plura de Droctigisilo suis locis.

* *L'Abbaye de Lobbes.*

XV. EMANVS ADIT CARNOTVM.

Beatus Emanus, cùm apud Æduos, vt Auctor vitæ testatur, *aliquot annis* moratus esset, adiit Carnotum, ibique *per biennium* mansit, superstite adhuc in viuis Theodoberto Rege. Rerum, quas illo biennio præclarè gessit, hæc nominatissima fuit. *Quidam venerabilis Diaconus suæ causâ necessitatis cum suo Clerico deuenit ad vicum qui vocatur* * *Celsiacus. Perfectísque omnibus pro quibus illuc venerat, factum est cùm exinde regrederetur, super ripam fluminis cui vocabulum est Audura* * *se repausare, & equos suos herba pabulo aliquantisper refocillare diuerteret. Accidit verò vt in eodem loco à quibusdam latronibus cum socio suo interficeretur, & in ipsam aquam proiicerentur. Post paucos denique dies apparuerunt per visum viro Dei Emano, dicentes. Veni serue Christi, leua corpuscula nostra de aqua, quia ibi piscium cibi sumus, sed & lupi nos penitùs deuorandos inde extrahere conantur. Significantes ergo ei locum, continuò disparuerunt. Diluculo igitur vir Dei Emanus consurgens, venit ad fluuium, in quo proiecti fuerant. Fusâ ergo pro eis oratione, corpuscula eorum de aqua protulit, & ad vrbem deuecta foris murum ciuitatis condignè sepelinit.*

* *Celsiacus.*

* *Eure.*

XVI. DOMNOLVS FIT EPISC. CENOMAN.

Hoc anno Domnolus Episcopus Cenomanum venit, susceptique Pontificatum Cenomanensem v t. Idus Iunij, tenuit enim annis sex & triginta, mensibus quinque, diebus viginti quatuor, siue vt apud Bondonnetum manuscriptus Codex refert, *floruit vltimo tempore Childeberti & Clotarij, & primo tempore Chilperici filij ipsius Clotarij qui fuerunt Francorum Reges*, id est, ab hoc anno, quo Cenomani Childeberto parebant, vsque ad annum Christi quingentesimum octogesimum-primum, quo Chilpericus apud Cenomanos regnabat.

XVII.

Aduersus hanc Chronologiam obiiciuntur manuscriptus Codex Ecclesiæ Cenomanensis, qui Domnolo tribuit in Pontificatu annos quadraginta sex, menses quinque, dies viginti quatuor, & Gregorius Turonensis, qui capite nono libri sexti Domnolum mortuum tradit anno sexto Childeberti Iunioris, siue anno Christi quingentesimo octogesimo-primo, *post viginti duos Episcopatus annos.*

XVIII.

At manuscriptus Codex, qui laudatur à Coruaisiero, mendosus est hoc loco, quis enim Domnolum Episcopum Cenomanensem constituat anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, cùm Innocentius Domnoli antecessor Synodo Aurelianensi quartæ anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo subscripserit. Maiorem fidem non meretur caput nonum libri sexti Gregoriani, totum enim abest à Codicibus Corbeiensi & Metensi, réspue multas continet historicæ veritati valdè contrarias, vt ostensuri sumus ex Auctore synchrono, qui vitam sancti Domnoli conscripsit [a].

[a] Ap. Sur. die 16. Maii.

XIX. INTERPOLATOR GREG. TVRON.

Apud Gregorium Turonensem, in vulgatis editionibus historiæ Ecclesiasticæ, sic habetur caput nonum libri sexti, quod totum est de sancto Domno-

lo Cenomanensium Antistite. *Domnolus verò Cenomannorum Episcopus ægrotare cœpit. Tempore enim Chlotharij Regis apud Parisius apud Basilicam sancti Laurentij gregi Monasteriali præfuerat. Sed quoniam Childeberto seniore vincente semper Chlothario Regi fidelis extitit, & nuncios illius ad speculandum missos crebrius oculebat, præstolabatur Rex locum, in quo Pontificatus honorem acciperet. Migrante autem Auennicnsis ciuitatis Pontifice, istum illuc dare deliberauerat. Sed beatus Domnolus hæc audiens, ad Basilicam sancti Martini Antistitis, quo tunc Chlotharius Rex ad orationem venerat, accessit, & nocte totâ in vigiliis excubans, per priores qui aderant Regi suggestionem intulit, vt non quasi captiuus ab eius elongaretur aspectu, nec permitteret simplicitatem suam inter Senatores Sophisticos ac Iudices Philosophicos fatigari. Ad hæc Rex annuens, migrante Innocentio Cenomannorum Episcopo, ipsum Ecclesiæ illi Antistitem destinauit. Iam adsumpto Episcopatu, talem se tantúmque præbuit, vt in summæ sanctitatis culmen erectus, debili vsum gressuum, cæco restitueret visum. Qui post viginti duos Episcopatus annos, dum se cerneret morbo regio calculóque grauissimè fatigari, Theodulphum Abbatem in locum suum præelegit. Cuius adsensui Rex præbuit voluntatem. Sed non multum post tempus mutatâ sententiâ, in Badegisilum domus Regiæ Maiorem transfertur electio. Qui tonsuratus, gradus quos Clerici sortiuntur ascendens, post quadraginta dies migrante Sacerdote successit.* Tredecim autem priora sexti libri capita res enarrant gestas anno sexto Childeberti Iunioris, id est, anno Christi quingentesimo octogesimo-primo, ita vt Domnolus, quem præcitatus textus illo anno mortuum post annos Episcopatus duos ac viginti testatur, ex eodem calculo Pontificatum anno Christi quingentesimo vndesexagesimo suscepisse credatur.

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

XX. AB AVCTORE VITÆ DOMNOLI.

Anonymus sancto Domnolo quondam familiarissimus vitam eius scripsit hortante atque impellente Haduino siue Hadoino Cenomanensium Antistite, vnde sic proloquitur. *Sanctæ & individuæ Trinitatis freti auxilio, omniúmque Sanctorum precibus fulti, tum etiam præcedentium Patrum incitati studiis, denique reuerendissimi Præsulis nostri Haduini hortatu confirmati, beatissimi Patroni nostri Domnoli, Cenomanicæ vrbis Episcopi, vitam illustrem, multorum vtilitati profuturam, ipso nobis opitulante, scribendam suscipimus.* Additque paulò pòst. *Neque id facimus nostrâ temeritate adducti, sed, vt iam antè dictum est, voluntate & mandato venerandi Pontificis nostri Haduini, qui nos beatissimi Domnoli Episcopi vitam iussit vel rudi exarare stylo. Cuius, tanquam vrbis nostræ Antistitis, iussioni libenter morem gerentes, eius fulti precibus, ad scribendum nos accingimus supplices inuocantes beatissimi Domnoli habitatorem Spiritum sanctum, vt qui illi gratiam largitus est miracula & admirandas patrandi virtutes, nobis copiam tribuat & facultatem eas enarrandi ad laudem & gloriam suam & fidelium ædificationem, vt facta eximij Patroni nostri, si tamen id fieri potest, dictis exæquemus, qui cum eo in hac vitæ mortalis peregrinatione plurimùm conuersati sumus.* Finito prologo, vitam sic orditur. *Beatissimus Domnolus, vrbi Cenomanicæ à Deo destinatus Episcopus, virtutum omnium floribus redimitus, in alia regione ex generosis parentibus, quod eius probi mores & nobilis conuersatio testabantur, est procreatus. Vt enim ex radice fructus proficiscitur, ita ex fructus sapore radicis natura intelligitur, & quemadmodum fructus arboris, etiamsi procul absportetur, non tamen amittit suauitatem quam ex radice accepit, sic etiam hic sacratissimus vir, vndecumque siue quibuscumque ex partibus ad nos aduenerit, sanctæ nobilitatis suæ dulcedinem nos celare non potuit. Etsi verò apud nos in Episcopum consecratus non fuit, ad nos tamen in multorum salutem diuinitùs est transmissus. Nam ad imitationem Abrahæ Patriarchæ, cui à Deo dictum est, [Egredere de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi,] iam ordinatus alibi Episcopus, relictâ patriâ & parentibus, cunctísque rebus, quas possidere videbatur, Romam profectus est, limina beatissimorum Apostolorum orationis gratiâ visitaturus. Vbi cùm animi sui deuotioni fecisset satis, post longa itineris emensa spatia, Domino gubernante, ad Cenomanos appulit, quos propter obitum sui Pontificis ma-*

AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

gno offendit animi mœrore affectos. Iampridem enim beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris sui erat præmia consecutus, in eius verò locum necdum alius subrogatus fuit. Cùm igitur hunc virum sanctissimum conspexissent, eumque iam Episcopum ordinatum didicissent, tam Proceres & Principes quàm Clerus vniuersus & populus non solùm vrbanus sed etiam ruricola, diuino id instinctu agente, vno ore eâdémque animi sententiâ obnixè eum deprecabantur, vellet ipsos ipsorumque ciuitatem & patriam non inuitus gubernandam suscipere. Quamuis autem eâ in re valdè se difficilem præberet, ad extremum tamen aliud agere non potuit, quàm quod populus Deo inspirante postulauit. Suscepit igitur, sed sanè inuitus & compulsus, Episcopi ministerium cùm multâ humilitate, Dominóque cooperante, toto vitæ suæ tempore, non parum illis, quibus præerat, contulit. Denique qualem se quantúmque illic præstiterit, eius vitæ finis declarauit, in quo laus omnis tutò canitur. Hoc textu refelluntur multa, quæ scripta sunt ab interpolatore Gregoriano.

XXI. DISSIDET IN MVLTIS.

Primò, euanescunt omnia quæ de Domnolo Abbate commemorantur. Nam Domnolus nec Monasterio sancti Laurentij nec alij cuipiam Cœnobio præfuit antequàm in Episcopum Cenomanensem assumeretur. *Sociâ charitate*, inquit Author vitæ, *ac mutuâ benevolentiâ coniunctus fuit Germano, sanctissimo Parisiorum Antistiti, quem & creberrimè inuisere consuevit, & ab illo itidem non rarò visitatus est.* Ob singularem illam amicitiam, quæ Germanum inter ac Domnolum Episcopos intercessit, Gregorianus interpolator Domnolum Abbatem apud Parisios facilè finxit. Errorem autem hunc, qui leuior cuique visus fuisset, auxit plurimùm, cùm Abbatem exhibuit iniquum ac nefariæ proditionis reum, qui *Childeberto seniore viuente semper Chlothario Regi fidelis extitit, & nuncios illius ad speculandum missos crebriùs occulebat.* Hæc fabulis accensenda sunt. Domnolus enim non tantùm in Episcopatu sed & ante Episcopatum sanctissimam vitam duxit, & prædictus interpolator quia res ante Pontificatum gestas non probabat, illius commendationem auspicatus est seriùs ab assumpto Episcopatu. *Iam adsumpto*, inquit, *Episcopatu, talem se tantúmque præbuit, vt in summæ sanctitatis culmen euectus, debilis vsum gressuum, cæco restitueret visum.*

XXII.

Secundò, fabulosa sunt quæ de Pontificatu Auenionensi déque obitu Innocentij Cenomanensis Episcopi narrantur. Innocentius enim Childeberto Regi non superuixit, & cùm idem Innocentius ad Deum migrauit, sedem Auenionensem vacasse non legimus. Anonymus, qui vitam sancti Domnoli scripsit, Auenionensis Cathedræ nullâ mentione factâ, de Domnoli aduentu ad Cenomanos déque promotione ad Episcopatum Cenomanensem sic disseruit. *Post longa itineris emensa spatia, Domino gubernante, ad Cenomanos appulit, quos propter obitum sui Pontificis magno offendit animi mœrore affectos. Iampridem enim beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris sui erat præmia consecutus, in eius verò locum necdum alius subrogatus fuit. Cùm igitur hunc virum sanctissimum conspexissent, eúmque iam Episcopatum ordinatum didicissent, tam Proceres & Principes, quàm (clerus vniuersus & populus non solùm vrbanus, sed etiam ruricola, diuino id instinctu agente, vno ore eâdémque animi sententiâ obnixè eum deprecabantur, vellet ipsos ipsorúmque ciuitatem & patriam non inuitus gubernandam suscipere. Quamuis autem eâ in re valdè se difficilem præberet, ad extremum tamen aliud agere non potuit, quàm quod populus Deo inspirante postulauit.* Post sancti Innocentij siue Innocentis obitum, quem anno Christi quingentesimo quadragesimo-tertio consignauimus, in Chartulariis sequitur interpontificium, Scienfredus enim, qui Cenomanensem Cathedram tunc inuasit, numquam legitimè sedit. Quot annis Episcopatus vacarit, in nullo Codice proditur. Si Domnolus iuxta interpolatoris Gregoriani sententiam Childeberto Rege mortuo Clotarióque apud Cenomanos regnante Pontificatum Cenomanensem suscepit, post sanctum Innocentium cessauit Episcopatus annis sexdecim. Quis ad tantum interstitium sub Childeberto Rege non obstupescat? Multò breuiorem sedis vacationem subindicat textus proximè cita-

tus ex vitâ ſancti Domnoli, confirmátque Codex à Bondonneto allegatus. Nam Domnolus teſte illo Codice floruit ſub Childeberto Rege, & teſte vitæ Scriptore cùm ad Cenomanos peruenit, eos *propter obitum ſui Pontificis magno offendit animi mœrore affectos, iampridem enim beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris ſui erat præmia conſecutus, in eius verò locum necdum alius ſubrogatus fuit.* Domnolum exiſtimamus poſt annos duos menſeſque tres ab obitu ſancti Innocentij datum fuiſſe Pontificem Cenomanenſibus, quos annis rexerit XXXVI. non autem XXXXVI. vt Coruaiſierus in deprauato Codice reperit. Hac emendatione adhibitâ Domnolus per annos tredecim & ampliùs ſedebit ſuperſtite Childeberto, Codicique manuſcripto, quem Bondonnetus allegauit ac temerè improbauit, ſua fides ſtabit integra. AN. CH. 545. CHILDEB. CLOTAR. RR. 34. THEOD. R. 11.

Tertio, interpolator, vt ex prædictis patet, in eo corrigendus eſt quod annos in Epiſcopatu Cenomanenſi duos duntaxat ac viginti Domnolo tribuit. Agemus de huius Antiſtitis obitu ac ſucceſſore ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-primum. *Adſumpto Epiſcopatu*, inquit interpolator, *talem ſe tantúmque præbuit, vt in ſummæ ſanctitatis culmen euectus, debili vſum greſſuum, cæco reſtitueret viſum.* Horum miraculorum neutrum impugnamus, vtrumque enim recitat Author vitæ, diſtinctiſque nominibus claudum qui ſanatus eſt Rainarium vocat, cæcum qui viſum recuperauit Siagrium appellat, additque Siagrium ſæpiùs à ſe viſum fuiſſe, & Rainarium cæcum etiam & ſurdum extitiſſe ac mutum. *Puerulus quidam Rainarius nomine, à parentibus oblatus eſt ſancto viro. Is puer & cæcus & ſurdus & mutus & claudus erat. Vnxit autem eum vir Dei oleo benedicto, & crucis ſigno eum communiuit, & totus reualuit.* Alterum miraculum fuſiùs deſcribit. *Quodam die Dominico, cùm peracto officio ſolenni ad menſam pranſurus ex more accederet, illatámque aquam miniſter in eius manus infunderet, & lotis manibus malluuium abſportaret, cæcus quidam Siagrius nomine ei venit obuiam, & aquam quæ de manibus Pontificis defluxerat, ſibi dari petiit, eâ ſuos oculos abluturus. Miniſter id paruipendens, dedit ei aquam vt petierat. Eâ cæcus ſuos perfudit oculos, & in Chriſti nomine meritis ſancti Domnoli mox reſtituto viſu lætus abſceſſit. Quem quidem cæcum ſæpiùs ego vidi, multíque è ſociis noſtris, atque ab illo tum iſtud, tum plura alia ſancti viri miracula didici.* De Domnolo ſermonem ſæpè faciemus. Hic ſufficiat inquiſiſſe in Gregorianam interpolationem, quæ multas res perperam de illo comminiſcitur. XXIII.

ANNVS CHRISTI 546. CHILDEBERTI R. 35. CLOTARII R. 35. THEODOBERTI R. 12. INDICTIO 9.

546. CHILDEB. CLOTAR. RR. 35. THEOD. R. 12.

ANNVS Chriſti quingenteſimus quadrageſimus-ſextus notatur in Faſtis quintus poſt Conſulatum Baſilij, currente Indictione nonâ, & octauus ante mortem beati Galli Aruernenſis Epiſcopi computatur. Eo anno, *cùm lues illa quam inguinariam vocant, per diuerſas regiones deſeuiret, & maximè tunc Arelatenſem prouinciam depopularetur, ſanctus Gallus non tantùm pro ſe quantùm* I. LVES INGVIN.

AN. CH. 546. CHILDEB. CLOTAR. RR. 35. THEOD. R. 12.

pro populo ſuo trepidus erat. Cúmque die noctúque Dominum deprecaretur, vt viuens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem quàm veſtem in ſimilitudine niuis candidam afferebat, & ait ei. Benè enim te, ô Sacerdos, proſpectat diuina pietas pro populo tuo ſupplicantem. Ideóque ne timeas, exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nullúſque te viuente in regione iſta ab hac ſtrage deperiet; nunc autem noli metuere, poſt octo autem annos expletos migrabis à ſeculo. Quod poſteà manifeſtum fuit, expergefactus autem & Deo gratias pro hac conſolatione agens, quòd eum per cæleſtem nuncium confortare dignatus eſt, Rogationes illas inſtituit, vt mediâ Quadrageſimâ pſallendo ad Baſilicam beati Iuliani Martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia CCCLX. *Cùm autem regiones alias lues illa conſumeret, ad ciuitatem Aruernam, ſancti Galli intercedente oratione non attigit. Vnde ego non paruam cenſeo gratiam, qui hoc meruit, vt Paſtor poſitus oues ſuas deuorari defendente Domino non videret.* Hæc apud Gregorium

[a] De vit. patr. c. 6.

Turonenſem [a] leguntur in vita ſancti Galli, & ab interpolatore tranſlata ſunt in hiſtoriam Eccleſiaſticam, conficiúntque in editione Ducheſniana totum penè quintum caput libri quarti, quod abeſt à Codicibus Bellouacenſi, Corbeienſi, Regio ac Metenſi. Remenſis populus in eodem periculo conſtitutus, cùm lues inguinaria primam Germaniam deuaſtaret, ad ſepulchrum ſancti

[b] De gl. Confeſſ. c. 79.

Remigij cucurrit, *accenſis cereis*, inquit idem Gregorius [b], *lychníſque accenſis non paucis, hymnis, pſalmíſque cæleſtibus per totam excubat noctem. Manè autem facto quid adhuc precatui deſit in tractatu rimatur. Reperiunt etenim, reuelante Deo, qualiter oratione præmiſſâ, adhuc maiore propugnaculo vrbis propugnacula munirentur. Aſſumptâ igitur pallâ de Beati ſepulchro, componunt in modum feretri, accenſíſque ſuper cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt vrbem cum vicis, nec prætereunt vllum hoſpitium, quod non hâc circuitione concludant. Quid plura? non poſt multos dies fines eius ciuitatis lues adgreditur memorata. Verumtamen vſque ad eum locum accedens, quò Beati pignus acceſſit, ac ſi conſtitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modo non eſt auſa, ſed etiam qua in principio peruaſerat, huius virtutis repulſu reliquit.* Nicetius Treuirorum Epiſcopus ſub illud tempus vrbem Treuirenſem ab eodem morbo fuſis apud Deum precibus liberauit, *Cùm lues inguinaria*, inquit quoque Gregorius Tu-

[c] De vit. patr. c. 17.

ronenſis [c], *Treuericum populum in circuitu ciuitatis valdè vaſtaret, & Sacerdos Dei pro ouibus commiſſis Domini miſericordiam imploraret, aſſiduè factus eſt ſonus de nocte magnus tanquam tonitruum validum ſuper pontem amnis, ita vt putaretur vrbs ipſa dehiſcere. Cúmque omnis populus exterritus in lectulis reſediſſet, lethiferum eis interitum opperiens, audita eſt in medio rumoris vox vna ceteris clarior, dicens. Et quid hic, ô ſocy, faciemus? Ad vnam enim portam Eucharius Sacerdos obſeruat, ad aliam Maximinus excubat, in medio verſatur Nicetius, nihil hic vltrà præualere poſſumus. Itaque ſinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hâc voce auditâ ſtatim morbus quieuit, nullúſque ab eo vltrà defunctus eſt.*

II. VIGILIVS PP. SCRIBIT AVRELIANO EP. ARELAT.

[d] Epiſt. 10.

Extant Vigilij Papæ ad Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem literæ [d], decimo Kalendas Septembres, hoc anno poſt Conſulatum Baſilij quinto datæ, quibus, vt quondam Auxanio, ſic Aureliano eius ſucceſſori vices ſuas in Regno Childeberti delegat, & Pallij vſum concedit, admonens quoque vt pacem inter Iuſtinianum Imperatorem & Childebertum Regem conſeruare ſtudeat. Literis illis ſuperſedemus, quia ſimillimæ ſunt iis quas anno priori recitauimus, cùm de Auxanio ageremus. In fine additur commendatio Beliſarij, *& hoc quoque*, ait Papa, *veſtrum facere deſideramus affectum, vt glorioſo viro filio noſtro Patricio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro laborem ad clementiſſimum Principem abſtulit tranſeundi, ſed mox vt reſponſum recepit, nobis ſuis literis indicauit.*

III. ET ALIIS EPISCOP. GALL. IN REGNO CHILDEB.

[e] Epiſt. 11.

Præterea Vigilius per alias literas [e] vniuerſis Epiſcopis qui ſub Regno Childeberti Regis erant, mandauit vices ſuas Aureliano ſe delegaſſe, & vt eidem obtemperarent iniunxit eodem planè modo quo priùs præceperat vt

obedientiam Auxanio præberent. In illis literis id notandum maximè, quòd Aurelianus in Auxanij loco succeſſiſſe dicitur, vnde corrigas eos qui Auxanio Præſayum, deinde Oſanium, ac tertio loco Aurelianum ſucceſſorem tradunt. AN. CH. 546.

Vigilius, poſtquàm prædictas epiſtolas ſcripſit, ſoluit è Sicilia, nauigauitque Conſtantinopolim, quò peruenit in Vigilia Natalis Domini. Diem notat Anaſtaſius, annum Procopius [a] belli videlicet Gothici duodecimum, quo Totilas Oſtrogothorum Rex Romam cepit, partem murorum euertit, Romanos ipſos in Campaniam captiuos abduxit. CHILDEB. CLOTAR. RR. 55. THEOD. R. 12.

Iniurioſus Epiſcopus Turonenſis, cùm ſediſſet *annos ſexdecim, menſes vndecim, dies viginti ſex, obiit, & ſepultus eſt in Baſilica ſancti Martini*. Lege Gregorium Turonenſem capite vltimo ſuæ hiſtoriæ. Nec omittendum quod de eodem Epiſcopo ahbi ſcribit [b] idem Auctor. *Chlotharius Rex indixerat, vt omnes Eccleſiæ Regni ſui tertiam partem fructuum diſſoluerent. Quod licèt inuiti, cùm omnes Epiſcopi conſenſiſſent atque ſubſcripſiſſent, viriliter hoc beatus Iniurioſus reſpuens ſubſcribere dedignatus eſt dicens, ſi volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet, quia iniquum eſt vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua repleantur. Et iratus contra Regem nec vale dicens abſceſſit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati Martini, miſit poſt eum cum muneribus, veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, ſimulque rogans vt pro ſe virtutem beati Martini Antiſtitis exoraret.* De Baudino Iniurioſi ſucceſſore ſic loquitur idem Gregorius in Catalogo Turonenſium Pontificum. *Baudinus ex Referendario Chlotharij Regis ordinatur Epiſcopus, habens & filios, multis eleemoſynis præditus. Aurum etiam quod deceſſor eius reliquerat, ampliùs quàm viginti millia ſolidorum, pauperibus erogauit. Huius tempore alter vicus Nouiliacus ædificatus eſt. Hic inſtituit menſam Canonicorum.* Et libro primo [c] de miraculis ſancti Martini aſſerit eundem Baudinum inuocato beati Martini auxilio, cùm nauis quâ vehebatur penè mergeretur, littori redditum fuiſſe.

IV. APPELLIT CONSTANTINOP.

[a] Lib. 3. de bel. Goth. c. 16.

V. EPISCOPI TVRON.

[b] Lib. 4. c. 2.

[c] Cap. 9.

Hoc anno Diœceſim Aptenſem regebat Euſebius, qui cùm multos Scriptores fugiſſet, nouiſſimè reſtitutus eſt à Sammarthanis ex Aptenſis Eccleſiæ tabulario.

VI. EVSEBIVS EP. APT.

Obiit hoc eodem anno Vincentius Trecenſis Epiſcopus, quem alij volunt annos ſediſſe x. ab anno Chriſti quingenteſimo triceſimo ſexto, alij annos viginti, vel vnum ac viginti, ab anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſexto, vel ab anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quinto. B. Cameliani Pontificatum ad annum vſque quingenteſimum triceſimum-ſextum prorogauimus, attulimúſque rationes, quibus hæc aſſertio ſolidè niti videtur, & alteri probatur anteponenda. Præter Pithæum & Chenutium qui Vincentium anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-ſexto admotum infulis ſcribunt ac mortuum anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſexto, ſententiam noſtram non parùm confirmant Seuertius aliique qui Vincentio decem duntaxat annos Epiſcopatus attribuunt, quamuis in annis Chriſti connectendis à nobis diſſideant. Sepultus fuis Vincentius in Baſilica quam ſubtus vrbem Tricaſſinam in honorem ſancti Auentini Abbatis erexerat. Ea Baſilica nunc intra ciuitatem eſt. Ante illius Chorum ad dexteram viſitur tumulus Vincentij, medio pede ab ſolo extans, ſaxo tectus, cui quaternæ impoſitæ columellæ, híſque aliud ſaxum incumbit, moles vniuerſa ternos quaternóſve pedes alta, quò ſacro depoſito reuerentia ſit, neu calcari pedibus queat, quod caueri antiquâ religione conſueuit, vt teſtatur Deſguerroiſius. Licèt autem anniuerſaria Vincentij celebritas non agatur, abſolutâ Sancti nomenclaturâ decoratur à multis Scriptoribus, & in Sanctorum numero habetur à Bollando pridie Nonas Februarij, non quidem quòd eo die mortuus credatur, ſed vt iungatur Auentino Abbati in cuius Eccleſia nunc requieſcit, ac coniuncto latere diu requieuit, donec Auentinus in Baſilicam S. Stephani tranſlatus eſt. Sancto Vincentio in Epiſcopatu ſucceſſit Ambroſius, qui Concilio Aurelianenſi quinto poſt triennium interfuit.

VII. VINCENTIVS EP. TREC. MORITVR.

AN. CH. 547. CHILDEB. CLOTAR. RR. 36. THEOD. R. 13.

ANNVS CHRISTI 547. CHILDEBERTI R. 36. CLOTARII R. 36. THEODOBERTI R. 13. INDICTIO 10.

I. ANNVS Christi quingentesimus quadragesimus-septimus est in Fastis sextus post Consulatum Basilij, notatúrque Indictione decimâ. Procopius[a] exeunte belli Gothici anno duodecimo, id est, ineunte hoc anno Romam à Totilâ desertam, recuperatam ac munitam à Belisario, frustráque à Totilâ denuò cinctam obsidione scribit.

[a] Lib. 3. de bell. Goth.

II. In vitâ sancti Mauri leguntur multa, quæ videntur aduersari Chronologiæ, nisi mens Authoris accuratè perpendatur. Faustus vel eius interpolator Odo testatur Monasterium Glannafolienſe dicatum fuisse anno octauo post aduentum Mauri in Andegauiam, subditque Theodobertum Regem ad Maurum posteà se contulisse cùm Florus Monachum induit. Caue ne statim credas obitum Theodoberti reiiciendum esse in annum octauum ab aduentu Mauri in Galliam seu post Glannafolienſis Cœnobij dedicationem. Temporum enim ordinem scriptor inuertit non alio consilio, quàm vt narrationem de Glannafolienſis Monasterij constructione semel inchoatam absolueret. Simili modo ne sermonem de Floro iam institutum interrumperet, priùs eius obitum narrauit quàm mortem Theodoberti Regis, quamuis fateatur ipsum Florum inter Monachos vixisse *annis duodecim, mensibus tribus ac diebus totidem*, constétque Theodobertum è viuis excessisse anno Christi quingentesimo quadragesimo-octauo. Nos verò vt illa quo gesta sunt ordine referamus, hoc anno qui Regis Theodoberti mortem præcedit, Flori ingressum in religionem collocamus, dedicationem autem Monasterij post obitum Theodoberti Regis in annum octauum ab aduentu Mauri in Franciam differemus. Bondonnetus Florum Glannafolienſibus Monachis ascribit anno Mauri in Gallia degentis secundo, sed longè probabilior est nostra sententia, quia Cœnobium iam fermè constructum erat, & grex Monachorum quadragenarium numerum excedebat, vt patebit ex sequenti narratione.

III. FLORVS FIT MONACHVS GLANNAFOL. *Florus non immemor promissionis, quam Deo vouerat, pergens ad Theodobertum Regem, licentiam ab eo expetiit, vt ei regularem liceret suscipere habitum, & peccata sua, quæ plurima in seculari contraxerat conuersatione, ieiuniis & orationibus, ceteríſque Spiritus Sancti fructibus redimere. Quam cùm ei Rex negare nequiuisset, tristis licet & mœrens, pro eo quòd ab eo separari nollet, permisit illi quæ deposcebat implere, cúmque aliquantis diebus secum in palatio retinens, de virtutibus quas per beatum Maurum fieri audiebat, interrogare cæpit, vel qualiter ipse cum discipulis suis in sanctâ viueret religione, seu quantus iam fratrum numerus ibi adunatus esset. Quæ cùm illi omnia Florus enarrasset, prout ea ipse certissimè sciebat, Rex dixit illi. Si placere hoc ipsi Dei seruo scirem, multum tam eum quàm locum illum videre cuperem, cúmque nostro Regio honorare munere. Cui Florus respondit. Quæratur primùm, si vestræ placet Celsitudini, super hoc viri Dei voluntas, & tunc demùm, sicut ipse ordinauerit, ea quæ vultis, implere poteritis. Dimittens ergo eum Rex, cùm in eius osculis diutiùs immoratus fuisset, dixit ad illum.*

Qua

AN. CH. 547. CHILDEB. CLOTAR. RR. 36. THEOD. R. 13.

Quæ cum viro Dei de noſtrâ ad locum illum inueneris profectione, citiùs nobis remandare ſatage. Multùm enim vellem, ſi poſſibile eſſet, die quo capitis comam depoſueris, ibi præſens adeſſe. Veniens ergo ad Monaſterium Florus cum multis Optimatibus ac nobilibus viris, qui eum de Palatio Regis fuerant ſecuti, viro Dei voluntatem Regis aperuit. Qui cùm ei reſpondiſſet, nil loco officere, ſed potiùs in meliorationem eius ipſius ad eum aduentum, quantùm ipſe intelligere poterat, proficere, certum diem Regi Florus, quo ad Monaſterium venire deberet, mandauit. Quò cùm veniſſet, & magnificè, vt Regiam decebat ſublimitatem, à Beato Mauro & Congregatione, cuius ſanctiſſimus grex iam quadragenarium exceſſerat numerum, ſuſceptus fuiſſet, poſt orationem in conuentum fratrum pergens Regiámque dignitatem paruipendens Beato ſe Mauro ac Congregationi, Regali indutus purpurâ, humiliter proſtrauit, vt pro illo Dominum exorare dignarentur, lacrymis perfuſus precabatur. Cúmque eum vir Dei à pauimento eleuaſſet, Rex ait ad eum. Celebre nomen Magiſtri veſtri Benedicti ad noſtram olim delatum fuerat notitiam, cuius ſanctitatis & virtutis opera inſignia, quæ de illo audiuimus, per vos quotidie fieri, gaudio lætamur non modico. Tunc Rex Beatum Maurum petiit, vt fratres eum in ſuam recipere dignarentur ſocietatem, & nomen eius inter ſua ſcribere nomina, filiúmque ſuum Theodebaldum ſancto viro ac fratribus commendabat attentiùs, præcipiens ipſi, vt ſemper deuotus erga locum illum eſſet, ac in omnibus ſanctæ illi Congregationi adiutor & defenſor exiſteret. Interrogauítque virum Dei, quinam illi fratres eſſent qui cum illo venerant. Qui cùm nos, inquit Fauſtus qui ex illorum numero erat, *digito illi deſignaſſet, in parte nos ſtare præcipiens, intuebatur attentiùs, nomen vniuſcuiuſque ab eo ſciſcitans. Quæ cùm didiciſſet, oſculatus eſt nos, deinde omnem Congregationem. Videns autem Bertulfum adoleſcentem inter reliquos fratres ſtantem, interrogabat quis eſſet. Cui Beatus Maurus cùm hunc eſſe Flori filium indicaſſet, vocans eum ad ſe Rex, atque ad pectus ſuum amplexando ſtringens, Beato Mauro eum attentiùs, amore patris eius, commendare cæpit, & vt cariſſimè ab eo nutriretur, depoſcere. Inde cùm omnia habitacula Monachorum circumiens perluſtraſſet, ac conuenienter cuncta conſtructa eſſe laudaſſet, ingreſſus iterum Eccleſiam ſancti Petri, dedit ad ipſum locum fiſcum Regium, qui Boſcus vocatur, cum omnibus villis & reditibus qui ad eum pertinebant. Vocánſque ad eum Anſebaldum, qui ſcriptoribus teſtamentorum Regalium præerat, præcepit ei, vt antequàm de ipſo Monaſterio egrederetur, teſtamentum de eiſdem ſcriberet rebus, ac de annulo eius regali firmaret more, conceſſítque Beato Mauro, vt ſi quid ex illo die apud eum obtinere vellet, ipsúmque ei adire placuiſſet, liberam haberet facultatem introeundi, quocúmque eum ſciret. Poſuit quoque ſuper altare Beati Petri pallium pretioſiſſimum, & Crucem auream cum lapidibus valdè pretioſis. Florus autem accedens ad Regem, deprecatus eſt eum, vt Præceptum regiæ dignitatis facere iuberet ſuper teſtamentum, quod ipſe de propriis rebus, quas loco illi tradiderat, ſcribere rogauerat. Quod Rex libentiſſimè annuit. Tunc in conſpectu Regis allata ſunt munera non modica in auro & argento, gemmis quoque & diuerſarum veſtium multiplicitate, quæ idem vir eo die Domino & ſanctis eius obtulit. Dimiſit etiam viginti ex ſeruis ſuis liberos, priùs eos ditans magnis donis. Deinde veniens ante ſacroſanctum altare, adſtante Beato Mauro & omni Congregatione, Rege quoque ex alterâ parte cum populi numeroſitate, quæ cum illo venerat, ac cingulum militiæ, quo eatenus vſus fuerat, deponens ſuper altare miſit. Cui, iubente viro Dei, Rex primus poſt cum de comâ capitis eius totondit, deinde quicúmque ex Optimatibus eius voluit. Rex verò gaudio lacrymas effundebat, congaudens deuotioni animi eius, vocánſque ad ſe nepotem ipſius Flori, nomine Landramnum, dedit ei per ſceptrum regale, quod manu geſtabat, quæcúmque Florus patruus eius ex regali poſſederat dono. Poſthæc ſanctus Domini deprecatus eſt Regem, vt domum, quæ hoſpitibus ſuſcipiendis aptiſſimè omni compendio ac decore conſtructa fuerat, intrare dignaretur. Quam cùm ingreſſus fuiſſet Rex, antequam vir Dei pedibus eius toto corpore proſtratus fuiſſet, ab eo cum nimio eleuatus pauore, ac inquiſitus quid vellet, reſpondit dicens. Hæc eſt petitio, quam à veſtrâ, vice omnium ſeruorum Dei qui in hoc degunt Cœnobio, expoſco ſublimitate, vt veniat Rex cum*

AN. CH. 547. CHILDEB. CLOTAR. RR. 36. THEOD. R. 13.

seruis suis, & alimenta cibi ac potus, quæ ei deuotione & seruitio sunt præparata Monachorum, percipiat cum gratiarum actione. Quod cùm Rex renuere cæpisset, seque, ne id fieret, humiliter vellet excusare, vnus ex Consiliariis eius, vir sapientissimus, nomine Ebbo, dixit ei. Perpendere tibi, Domine mi Rex, conuenit, quorum deprecatione istam sumere deposceris refectionem, si enim hi, qui ita Deo, sicut tua conspicit Celsitudo, deseruiunt, tuâ aliquo modo tristes effecti fuerint contradictione, Deum propitium habere non poteris. Quod Rex audiens, illicò quod petebatur annuens impleuit. Cúmque abundantissimè cum suis omnibus qui cum eo venerant, refectus fuisset, antequàm egredi à Monasterio cæpisset, Florum amantissimum sibi virum ad se adduci præcepit. Qui cùm ei Monachili iam indutus habitu adductus fuisset, Rex vsque ad suffusionem multis lachrymis permotus ait illi. Gratias omnipotenti Deo pro tuâ reformatione conuersione, sed tibi sollicitè procurandum, ac summoperè peruigilandum est, vt sicut in seculari constitutus habitu strenuè semper ac nobiliter absque dedecore conuersatus es, ita nunc quoque in hac sanctissima, quam expetisti, religione sine reprehensione Deo semper placere satagens, proficias quotidie de virtute in virtutem, quousque Deum deorum in Sion felici cernere possis exultatione. His dictis, diutius in osculis eius immoratus, ac benedictione, quam expetierat, beati Mauri roboratus, Andegauis ipso die reuersus est, decimoquinto scilicet Kalendas Iunias, nam vt idem Auctor subiungit, *Florus cùm annis duodecim, mensibus tribus ac diebus totidem, sanctissimè in omni vixisset religione, duodecimo Kalendarum Septembrium feliciter migrans ad Dominum, diem clausit vltimum.* Theodoberto Rege Andegauum reuerso, *beatus Maurus alterâ die ad inuisendum recipiendumque fiscum, quem idem Rex ad ipsum contulerat Monasterium, est egressus. Cúmque per biduum ibi commoratus fuisset, paralyticus quidam, qui in eadem villa per septem iam annos toto corpore destitutus in lecto absque sensu iacebat, ei deportatus atque oblatus est. Super quem cùm vir Dei benedictionem suam dedisset, ita sanus effectus est, ac si nihil vnquam mali de ipsa pertulisset destitutione. Inde reuersus ad Monasterium, sollicitè more Magistri sui singulorum secum habitantium mores & vitam perscrutans, ac verbum vitæ publicè & priuatim eis annuncians, atque antiqui hostis versutissimas & multiplices insidias detegens, proficere eos ad meliora quotidie hortabatur.* Huc vsque Faustus.

IV. AGERICVS FIT CLERICVS.

Agericus, cùm annorum esset triginta, in Clericum attonsus est à Desiderato Virodunensium Episcopo, & per triennium, donec ipsi Desiderato succederet, in Ecclesia sanctorum Petri & Pauli cum reliquis Clericis eruditione plurimùm profecit, teste Wasburgio [a].

[a] Lib. 1.

V. MORS S. VVEVROCI.

[b] Die 17. Feb.

Circa hunc annum, vt Albertus in vita [b] sancti Weuroci scribit, idem Weurocus, cùm parœcias Leonensis Diœceseos visitaret, obiit decimo-tertio Kalendas Martias in oppido, cui nomen *Land-Ternok*. Corpus à Monachis, qui eò accurrerant vt opem ferrent, annuente Paulo Episcopo delatum est in Monasterium quod prope Kerfeunteum aliàs construxerat rexeratque integro sexennio.

VI. EPISCOPI SILVANECT.

Nonnulus Siluanectensis Episcopus obiit hoc anno cùm sedisset annis duodetriginta, vt Annalista Siluanectensis tradit. Successit Gotogernus, de quo pluta inferiùs, variis enim Conciliis interfuit.

VII.

Illis temporibus in prouincia Lugdunensi quarta Diœceses regebant, Carnotensem Leobinus, Meldensem Medoueus, Parisiensem Saffaracus, qui Concilio Aurelianensi quinto post biennium interfuerunt. Quibus annis Medoueus & Saffaracus Pontificatum inierint nos latet. Anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, vt ex subscriptionibus quartæ Synodi Aurelianensis constat, superstes adhuc in viuis erat Amelius Episcopus Parisiensis. Medoueus ad Episcopatum Meldensem priùs promotus est quàm Saffaracus ad Parisiensem. Vetus enim Auctor [c], qui vitam beati Leobini scripsit, obseruat pontem Parisiis aliquando conflagrasse, *dum beatus Leobinus cum Medoueo consacerdote à Rege Parisius fuisset inuitatus, & dies Paschæ vice Pontificis*

[c] Tom. 1. Collect. hist. Franc.

illius loci defuncti Episcopaliter transegisset. In illo autem textu per Pontificem defunctum non alius videtur intelligendus quàm Amelius, quia Saffaracus eius successor ab Episcopatu depositus fuit, nihilque vetat quominùs suspicemur Eusebium, qui Saffaraco non mortuo, sed exauctorato subrogatus est, Medoueo superstitem vixisse, nam post Saffaraci damnationem, quam anno Christi quingentesimo quinquagesimo-primo illigamus, de Medoueo nihil ampliùs occurrit idoneâ temporis notâ consignatum. Hæc quoad Chronologiam, nunc quomodo Leobinus post Amelij Præsulis obitum Parisiis incendium extinxerit, ex eius vita describamus. *Quodam alio tempore dum beatus Leobinus cum Medoueo consacerdote à sæpedicto Rege* Childeberto *Parisius fuisset inuitatus, & dies Paschæ vice Pontificis illius loci defuncti Episcopaliter transegisset, à parte Basilicæ beati Laurentij noctu edax ignis exiliens, domos pendulas, quæ per pontem constructæ erant, exurere cæpit, & non solùm ex vicino fluuio incessanter aquâ superfusâ non adquieuit, sed etiam ciuitati proximus, ciuibus, vt vniuersa consumeret, magnum rumorem incussit. Vt autem Rex ob clamorem populi expergefactus, sopore quietis abrupto, causam tumultus agnouit, confestim ad beatum Leobinum dirigit missum, vt celerrimè veniens succurreret ciuitati. Sed dum multis hortantibus, vt ante eum iret locum, quo magnum flagrabat incendium, ait. Viri fratres, illic occurrendum est nobis, vnde contra flammæ globum diuinum potiùs quàm humanum imploretur auxilium. Qui cùm pergeret ad Ecclesiam, & in terram prostratus diuinum efflagitaret suffragium, fretus oratione, vnà cùm consacerdote ad ignem properauit impiger. Mox ignis eius oratione compressus in semetipso deficit, & vires, quas incendendo ædificia assumpserat, obliuiscitur, & ita flamma eius interuentu consumitur, vt in semetipsa mortua penitùs consopiretur.* Tunc Monasterium Sancti Laurentij extra ciuitatem positum erat, nec videtur à minore Ponte Parisiorum procul abfuisse in Australi suburbio, aliquando enim, teste Gregorio[a], *tantam inundationem Sequana Matronáque circa Parisius intulerunt, vt inter ciuitatem & Basilicam sancti Laurentij naufragia sæpè contingerent.* Falluntur igitur, qui sibi persuadent Basilicam sancti Laurentij fuisse, vbi nunc Laurentij Martyris parœcialis Ecclesia est, vel vbi sancti Lazari Monasterium cernitur, quæ loca in Aquilonari suburbio posita sunt, procúlque absunt à ciuitate atque à flumine Sequana, nec admodùm vetera videntur. Rex autem Childebertus, cùm in Palatio Thermarum habitaret, clamore populi suburbani facilè potuit excitari. Ecclesiam, quam Leobinus adiit, vt opem diuinam implotaret, maiorem Ecclesiam seu Sedem Pontificis interpretamur, quæ, provt Hadrianus Valesius in disceptatione[b] de Basilicis quas primi Francorum Reges condiderunt eruditè probat, exeunte quarto seculo iam tum Lutetiæ Parisiorum, vbi hodiéque posita visitur, in capite Insulæ fuit, auctáque magnificentiùs est à Childeberto de quo loquimur, quapropter Fortunatus[c] postquàm illam descripsit, hæc subiungit ad eiusdem Regis commendationem.

[a] Lib. 6. c. 25.

[b] Cap. 1.

[c] Lib. 2. c. 11.

Hæc pius egregio Rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu diuini cultus adhærens,
Ecclesiæ iuges amplificauit opes.
Melchisedech noster meritò Rex atque Sacerdos
Complenit laïcus religionis opus.
Publica iura regens, & celsa Palatia seruans,
Vnica Pontificum gloria, norma fuit.

AN. CH. 547. CHILDEB. CLOTAR. RR. 36. THEOD. R. 13.

EXTINGVITVR INCENDIVM PARIS.

VIII. EMANVS FIT CLERICVS.

Hoc anno, Emanus cùm Carnoti per biennium degisset, Augustodunum rediit *ob festiuitatem sancti Symphoriani, ac inibi in orationibus pernoctans, vt meritum sanctitatis eius quoquo locorum diuulgaretur, cæpit per energumenos proprio nomine manifestari.* Tunc Nectarius Episcopus *cæpit illi suggerere, vt honorem Clericatus acciperet. Móxque adquiescens consilio eius, perceptâ benedictione caput sibi tonderi in Clericali honore fecit. Itaque intempestæ noctis silentio cùm se*

AN. CH. 547. CHILDEB. CLOTAR. RR. 36. THEOD. R. 13.

sopori dediſſet, vidit ſanctum ac venerabilem Vercellenſium Epiſcopum nomine Euſebium cum adoleſcentulo quodam in albis veſtibus aſtantem & dicentem ſibi. Surge, benedicte Emane, redi ad vrbem Carnotum, indéque ad locum ipſius pagi qui vocatur Sibernia, & oſtendam tibi vbi Eccleſiam in nomine Domini inibi conſtruere debeas. Nam de reliquo ibidem commoraturus, verbum Dei illis in partibus te oportet prædicare. Euigilans itaque vir Dei à ſomno, immenſas omnium creatori pro oſtensâ ſibi viſione gratias reddidit, & iter ſuæ progreſſionis mox acceleranit. Cúmque reuerteretur ab Auguſtudunenſi oppido, vt ad locum ſibi demonſtratum veniret, Aurelianenſem ciuitatem ingreſſus eſt, ac tunc temporis eiuſdem ſedis Epiſcopi, nempe Marci, qui falsò pòſt accuſatus exulauit, *aſpectibus ſe præſentauit. Quem benigniſſimè ſuſcipiens, omni humanitatis gratiâ erga eum vſus eſt. Cognoſcens itaque eum ſapientiâ & Spiritu ſancto repletum, ad ordines Eccleſiaſticos promouit, ſed & ordine Sacerdotij ſublimauit. Denique inde progreſſus, peruenit ad vrbem Carnotum. Tunc & ad locum, qui ei reuelatus fuerat, perueniens ædificauit Eccleſiam, ac inibi deinceps verbum Dei prædicans cohabitauit.* Quot annos in eo loco vixerit haud ſcimus. Multa Deo auctore patrauit miracula quibus ſuperſedemus. In Martyrologio Gallicano colitur decimo-ſeptimo Kalendas Iunij cum Peregrino, in eius autem vitâ quam non ſemel citauimus, nullâ mentione Peregrini factâ, ſocij martyrij tribuuntur Maurilius & Almarus hoc modo. *Quadam die vir Dei cum ſuis ſociis Maurilio & Almaro deambulabat, per ipſa opaca ſolitudinis ſuæ cellulæ contigua loca. Erat autem illic in locis abditis latronum turba commorans non modica, eiuſdem ſancti viri ſtudiis & prædicationi ſemper infeſta, qui & ſperabant eum plurimas penes ſe habere pecunias. Qui ſpeculatim agnitâ eius profectione, ei continuò occurrunt armati. Tunc vir Domini eos eminùs appropinquare conſiderans, eis conſtanter obuiam proceſſit. Cæpit autem eos miti affatu hortari, vt deſiſterent à malis, & viam apprehenderent Chriſti. Cúmque eius ſalutaribus doctrinis nequaquam adquieſcerent, iracundiæ facibus vt iam diu conceperant ſuccenſi, eum repentè cum prædictis ſociis pro fide religionis peremerunt. Sícque ſanctus athleta Chriſti ob Dei fidem vel prædicationem innocenter cum prædictis ſocius paſſus, glorioſum ſumpſit Martyrium ſeptimâ decimâ die Kalendarum Iuniarum. Quorum ſanctæ animæ ab Angelis in cælos euectæ, & inter ſacra beatorum Martyrum conſortia ſunt ſuſceptæ. Sepulti ſunt autem præfati Martyres à viris religioſis ibidem in vicinià Iſlaris * cellæ, vbi vſque in præſentem diem meritis eorum omnipotens Deus plurimas virtutes operatur ad laudem nominis ſui. Poſt multa denique annorum curricula, tranſlatum eſt corpus beati Emani in ciuitatem Carnotum, vbi ab vrbis eiuſdem Chriſticolis in maximâ veneratione habetur.* Hodie requieſcit in Eccleſiâ Collegiatâ ſancti Mauritij Martyris ſuburbanâ, vt Sauſſaius [a] obſeruat.

* *Illiers.*

[a] Die 16. Maij.

---

548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

ANNVS CHRISTI 548. CHILDEBERTI R. 37. CLOTARII R. 37. THEODOBERTI R. 14. INDICTIO 11.

I. ANNVS Chriſti quingenteſimus quadrageſimus-octauus cum ſeptimo poſt Baſilij Conſulatum & decimo-quarto belli Gothici necnon cum vndecima Indictione coincidit. Anno autem belli Gothici decimo-quarto, vt

Procopius [a] teſtatur, *Antonina Beliſarij coniux Byzantium mittitur, maiorem ad hoc bellum apparatum rogatura Auguſtam. Verùm Theodora Auguſta iam morbo obierat, exactis in Imperio annis vno & viginti, ac menſibus tribus.* Obſeruabis ex illo Procopij calculo quàm rectè procedat noſtra Chronologia, belli enim Gothici annum decimum-quartum, cuius initium à vere petitur, illigamus anno viceſimo-ſecundo Iuſtiniani, cuius Imperium ducitur à Kalendis Aprilibus ſub Maturij ſeu Mauortij Conſulatu, quem Marcellinus & Marius cum Indictione quinta, id eſt, cum anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo comparant.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

[a] De bell. Goth lib. 3. cap. 10.

Anno belli Gothici decimo-quarto, vt ex Procopio conſtat, in Italia tripertito Imperio dominabantur Romani, Franci & Gothi, cùm Franci non tutandis ampliùs Gothis ſed rebus ſuis augendis inuigilarent. *Franci*, inquit [b], *maximam agri Veneti partem occuparunt nullo negotio, cùm nec Romani illos arcere, nec Gothi vtríſque arma inferre poſſent.* Inter Francos & Oſtrogothos multùm amicitiæ deperiit, poſtquàm Beliſarius Romam à Totila deſertam recepit ac muniuit, tunc enim Totilas quòd Vrbem à ſe captam tueri non potuiſſet, apud Francos in contemptum venit. Id egregiè Procopius docet ad annum belli Gothici decimum-quintum, quo Gothi Romam Iſaurorum proditione recuperarunt, teſtatur [c] enim repudiatas à Rege Francorum fuiſſe petitiones Totilæ, qui *non ita pridem*, id eſt, hoc anno, belli Gothici decimo-quarto, cùm Theodobertus in viuis adhuc ſupereſſet, regiam puellam in vxorem ſibi dari directâ in Franciam legatione popoſcerat. *Non ita pridem Totilas, miſsâ ad Francorum Regem legatione, eius filiam ſibi petierat in matrimonium. Is verò abnuerat, negans illum Italiæ Regem eſſe vel futurum vnquam, qui Romam captam retinere neſciuiſſet, ac parte eius dirutâ, illam iterum permiſiſſet hoſtium poteſtati.* Procopius nec Regis Francorum cuius gener volebat eſſe Totilas, nec filiæ cuius nuptiæ ambiebantur, nomen expreſſit, vtrumque reliquit inueſtigandum. Regnabant in Francia tres Reges, Childebertus, Clotarius & Theodobertus, vnicuique plures erant filiæ, coniectura tamen eſſe non poteſt de filiabus Childeberti vel Clotarij, quia neuter eorum ſe rebus Italicis immiſcuit, eâque de cauſâ credimus indicari Ragintrudem Theodoberti filiam natu maiorem.

II. STATVS RERVM ITALIC.

[b] De bell. Goth l. 1. c 33.

[c] De bell. Goth. l. 3. c 37.

FRANCI TOTILAM SPERNVNT.

Iuſtinianus Imperator, vt Francos à fœdere Gothico magis reuocaret, eis partem Galliarum vltrò conceſſit ratus hoc beneficio amicitiam eorum Romanis conciliari poſſe. Procopius, apud quem Franci ſeruato priſcæ originis nomine Germani dicuntur, illa de re ſic ad annum belli Gothici decimum-quartum ſcribit [d]. *Belli huius initio, Gothi totâ Galliæ parte ſibi ſubditâ Germanis ceſſerant, illis ac Romanis reſiſtere ſe ſimul non poſſe rati. Quod ne fieret, adeò non impedire Romani potuerunt, vt Iuſtinianus Auguſtus id confirmauerit, ne ab his barbaris, ſi hoſtiles animos induerent, turbaretur. Nec verò Franci Galliarum poſſeſſionem ſibi certam ac ſtabilem fore putabant, niſi illam Imperator ſuis literis comprobauiſſet. Ex eo tempore Germanorum Reges Maſiliam Phocenſium coloniam, ac maritima loca omnia, adeóque illius maris imperium obtinuerunt. Iámque Arelate præſident equeſtri certamini, & nummos cudunt ex auro Gallico, non Imperatoris, vt fieri ſolet, ſed ſuâ impreſſos effigie. Numiſma quidem argenteum Perſarum Imperator arbitratu ſuo cudere conſueuit, aureum verò, neque ipſi, neque aliy cuipiam barbarorum Regi, quamuis auri Domino, vultu proprio ſignare licet, quippe eiuſmodi numiſma commercio vel ipſorum barbarorum excluditur.* In illo textu duo ſunt, quæ per adulationem videntur in gratiam Iuſtiniani dicta. Nam cùm Imperatoris nomen excuſſo dudum Romanorum iugo vix in Galliis tunc audiretur, quis credat Reges Francorum haud ratos ſe tutò Gallias poſſeſſuros, niſi Iuſtinianus vt Francicæ ditionis futuras perpetuò confirmaſſet? Deinde cùm Reges Francorum ab Imperio Romano liberi omninò eſſent, quid mirum ſi ſuam in regno ſuo non autem Imperatoris effigiem aureis nummis impoſuerint? Exiſtimauit fortè Procopius extra Romanum Impe-

III. CVDVNT AVREOS NVMMOS.

[d] De bell. Gothi. l. 3. c. 33

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. R R. 57. THEOD. R. 14.

rium solos Francorum Reges aureis nummis imaginem suam impressisse, quia ceterarum gentium auream monetam non viderat in vsu quà Romanum Imperium patebat, & hoc priuilegium esse potuit ab Imperatore concessum ad gloriam Francorum, vt in ditionibus Romanis cuique fas esset vti nummis ex auro in sola Francia non apud alias exteras nationes cusis cum imaginibus Principum illic regnantium.

IV. BELISARIVS REDIT CONSTANTIN.

Hoc anno, qui belli Gothici decimus-quartus apud Procopium [a] numeratur, *Belisarius Byzantium indecorè profectus est, cùm Italiâ quinquennio sic fuisset exclusus, vt nequiuisset certis itineribus progredi, sed toto hoc tempore fugitiuus clanculùm, & ab vno maritimo præsidio ad aliud nauigans oram continenter legisset.*

[a] De bel. Goth. l. 3. c. 15.

V. OBITVS THEODOBERTI REGIS.

Hoc eodem anno, siue vt Marius Auenticensis scribit, *post Consulatum Basilij anno septimo, Indictione vndecimâ Teudebertus Rex Magnus Francorum obiit.* Vixit igitur paucis duntaxat mensibus postquàm Totilæ legatos ab aula sua dimisit. Gregorius Turonensis [b] à Mario non dissentit, asserit enim Theodobertum è viuis excessisse *quartodecimo regni sui anno*, & ex eiusdem Authoris calculo *à transitu Chlodouechi vsque in transitum Theodoberti computantur anni triginta septem.* Obiit Theodobertus cùm Cabilone Remos proficisceretur. Florebat tunc apud Augustodunum Germanus Abbas Monasterij sancti Symphoriani constitutus à Nectario illius vrbis Episcopo. *Contigit autem*, ait in eius vitâ Fortunatus Pictauorum pòst Episcopus, *vt pro villis Augustodunensis Ecclesiæ Theodeberto Regi Cabilone occurreret, memórque sancti Symphoriani, in ingressu Palatij ita, spiritu Dei in se redundante, piè locutus est, vt antè Rex annueret, quàm verba petitor explicaret. Cui & ore prophetico finem dixit de transitu. Nam paucis interim diebus, dum Rhemis remearet, in ipso itinere Rex extremâ sorte defecit, quasi sancti viri sermo dictus fuisset ab Angelo.*

[b] Lib. 3. c. 37.

VI. [c] Lib. 1.

Agathias [c] Author Græcus res præclarè gestas à Theodoberto sinistrè interpretatus, consilio nihil aut animi magnitudini, sed audaciæ cuncta tribuit ac temeritati. *Erat summoperè*, inquit, *& periculorum præter modum amans. Cùm itaque Romanis bellum aduersus Totilam Gothorum Ducem esset ortum, Theodibertus hoc animo agitabat, summáque diligentiâ procurabat, vt interea dum in Italia Narses pariter & exercitus laborarent occupatique essent, ipse fortissimis validissimísque copiis coactis in Thraciæ regionem penetraret, eâque totâ vastatâ & subiugatâ Byzantium regiam vrbem bellum transferret. Hoc verò consilium suum adeò grauiter re ipsâ tantóque apparatu est persecutus, vt etiam ad Gipedas & Langobardos, aliásque nonnullas finitimas gentes legationem instituerit, vt & hi in societatem belli venirent. Neque enim tolerandum esse censebat, quod Imperator Iustinianus in edictis Imperatoriis Francici & Alamannici, necnon Gipedici & Langobardici, aliósque huiusmodi titulos sibi vendicaret, perinde ac si omnes hasce gentes subiugasset. Quocirca & ipse grauiter hanc iniuriam ferebat, & alios vt communi secum iniuriâ contumeliâque affectos, ad indignationis societatem sollicitabat. Ego verò ita statuo, si hanc ille expeditionem suscepisset, audaciam ei suam nulli bono futuram fuisse, sed siue in Thraciam siue in Illyrios venisset, in præsidiarias iis in locis Romanorum legiones incidisset, turpitérque periisset. Sed hoc ipsum quod eiusceemodi consilium animo concepisset, & vellet & optaret, omnémque quod ad se attinet, ad hoc lapidem monisset, euidentissimo argumento esse potest, qualis ille vir, quámque ferox & arrogans fuerit, quippe qui furorem temeritatémque fortitudinem esse existimabat. Nisi enim vitæ finis conatus ipsius anteuertisset, expeditionem hanc aggressus fuisset. Nunc verò cùm venatum iuisset, taurus ingens, & excelsis cornibus praditus occurrit, non domito cuidam & aratori tauro similis, sed syluester & montanus, & quidquid obuium habet disperdens. Rubales, vti arbitror, gens illa appellat, plurimos verò fert illa regio, densissima enim in ea syluæ, horridi montes, & tractus frigidissimi, quibus omnibus gaudere solet hoc animal. Quem quidem taurum conspicatus Theodibertus è saltu quodam prosilientem, atque in se irruentem, constitit tanquam hastâ occursurus. Taurus verò iam propior factus, im-*

petu cursus delatus in arborem quandam non ita magnam, fronte & cornibus eam ferit, & subuersâ totâ arbore & in solum depressâ, maximus quidam ex iis qui inde confracti erant ramus violentissimo ictu ita eius caput sauciauit, vt lethali intolerabilique plagâ acceptâ confestim supinus prociderit, egréque à suis domum reportatus, eodem die è vita discesserit. Hæc Agathias. Sed assentiendum potiùs Gregorio Turonensi [a], qui Theodobertum diuturno morbo consumptum tradit. *Theodobertus Rex ægrotare cœpit, ad quem medici multa studia impenderunt, sed nihil valuit, quia cum iam Dominus vocari iubebat. Ergo cum diutissimè ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiens reddidit spiritum.* Fredegarius [b] Theodobertum febre correptum extinctúmque ait. Assentiuntur Auctor [c] de gestis Regum Francorum, & Aimoinus [d], nec illi dissentiunt à Fortunato iam laudato, Theodobertus enim cùm diuturno morbo iam fatigatus Cabilone Remos se conferret, in itinere deficere potuit. Procopius [e] Theoderti mortem in annum belli Gothici decimum-septimum, quo Narses ab Imperatore contra Gothos directus est, perperàm reiecit, & in errorem traxit Agathiam, qui provt ex textu suprà recitato patet, æstimauit Theodobertum obiisse, cùm Narses in Italia iam occupatus esset.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

[a] Lib. 3. c. 36.

[b] In hist epit. cap. 46.

[c] Cap. 16.

[d] Lib. 2. c. 2[illegible].

[e] De bello Goth. lib. 4. c. 24.

Theodobertus à Fortunato egregiè commendatur his versibus [f],

Ecclesiæ fultor, laus Regni, Pastor egentum,
Cura sacerdotum, promptus ad omne bonum.
Cuius dulce iugum nullus gemuisse fatetur,
Vinis adhuc meritis Rex in amore tuis.

VII.

[f] Lib. 2. c. 12. ELOGIVM.

Reliquit tres liberos, Theodobaldum, Ragintrudem & Berthoaram. Theodobaldus in regno successit. *Qui quidem*, inquit Agathias [g], *tametsi iuuenis admodùm, atque adhuc sub magistri curâ institutioneque esset, patria tamen lex eum ad regnum vocabat.* Fortunatus [h] Berthoaram laudat in Carmine de Baptisterio Moguntiæ. Auentinus [i] meminit Ragintrudis, eámque Theodoni Boiorum Duci nuptam tradit.

VIII.

[g] Lib. 1. LIBERI.

[h] Lib. 2. c. 12.

[i] Lib. 5.

Mortuo Theodoberto Rege, *Franci*, vt Gregorius Turonensis [k] scribit, *cùm Parthenium in magno odio haberent, pro eo quod eis tributa antedicti Regis tempore inflixit, eum persequi cœperunt. Ille verò in periculum se positum cernens, confugium ab vrbe facit, ac duobus Episcopis suppliciter exorat, vt eum ad vrbem Treuericam deducentes, populi sæuientis seditionem suâ prædicatione comprimerent. Quibus euntibus, nocte dum in stratu suo decumberet, subitò per somnium vocem magnam emittit dicens, Heu! heu! succurrite qui adestis, & auxilium ferte pereunti. A quo clamore expergefacti qui aderant, interrogant, quid hoc esset? Respondit ille. Ausanius amicus meus cum Papianilla coniuge quos olim interfeci, ad iudicium me arcessebant dicentes. Veni ad respondendum, quia causaturus es nobiscum coram Domino. Zelo enim ductus ante aliquos annos coniugem innocentem amicúmque peremerat. Igitur accedentibus Episcopis ad antedictam vrbem, cum strepentis populi seditionem ferre non possent, eum in Ecclesia abdere voluerunt, scilicet ponentes eum in arca, & desuper sternentes vestimenta quæ erant ad vsum Ecclesiæ. Populus autem ingressus perscrutatúsque vniuersos Ecclesiæ angulos, cùm nihil reperissent, frendens egrediebatur. Tunc vnus ex suspicione locutus ait. En arcam, in qua non est inquisitus aduersarius noster, dicentibus verò custodibus nihil in ea aliud nisi ornamenta Ecclesiæ contineri, illi clauem postulant aientes, nisi reseraueritis velociùs ipsi eam sponte confringemus. Denique reseratâ arcâ, amotis linteaminibus inuentum extrahunt plaudentes atque dicentes. Tradidit Deus inimicum nostrum in manibus nostris. Tunc cædentes eum pugnis sputísque perungentes vinctis post tergum manibus ad columnam lapidibus obruerunt.*

IX.

[k] Lib. 3. c. 36. PARTHENIVS OCCIDITVR.

Hoc anno sanctus Florentinus institutus est Abbas Arelate, rexit enim Monasterium per annos quinque, obiitque pridie Idus Aprilis, anno duodecimo post Basilij Consulatum, Indictione primâ, quæ cum anno Christi quingentesimo quinquagesimo-tertio coincidit. Extat eius Epitaphium in Arelatensi

X.

FLORENTINVS ABB. ARELAT.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Pontificio Saxij sub Aureliano Episcopo cum hoc titulo, EΠITAΦION S. FLORENTINI ABBATIS, & in Annalibus Ecclesiasticis Baronij ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum-tertium cum isto, EΠITAΦION S. FLORENTINI ABBATIS S. CRVCIS AREL. Saxius non audet asserere cuius loci Florentinus Abbas fuerit, Baronius Abbatem Sanctæ Crucis arbitratur, quia sensum Epitaphij non benè intellexit, ibi enim Florentinus non vocatur Abbas Sanctæ Crucis, sed eius corpus aliundè aduectum *exactis* ab eius obitu *septem lustris* in æde Sanctæ Crucis ab Abbate Constantino tumulatum legitur. Quæstio est, vnde translatæ fuerint hæ reliquiæ. Translatas credimus ex virorum Monasterio quod Childebertus Rex intra muros ciuitatis Arelatensis condidit. Insignis huius operis egregiam mentionem facit Gregorius Magnus in literis [a] ad Vigilium Episcopum Arelatensem. *Gloriosæ*, inquit, *memoriæ Childebertus Francorum Rex Catholicæ Religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium virorum, vt scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum dispositа fuerant turbarentur, quæcumque contulit in ius Monasterij, epistolis suis Apostolicâ petiit auctoritate firmari; hoc quoque suæ petitioni subiungens, vt eidem Monasterio tam in dispositione rerum quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter priuilegia largirentur. Vnde quia effectum & regia voluntas & res valdè desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ Sedis Antistite ad prædecessorem vestrum Aurelianum scripta transmissa sunt, vbi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis libenter annisu firmata sunt.* Perierunt illæ Vigilij Papæ ad Aurelianum literæ. Monasterium, quod Arelate Childebertus Rex extruendum mandauit, ait Saxius *vulgò Monasterium montis maioris* appellari, sed Monasterium montis maioris longè serius conditum fuit, vt optimè docent Sammarthani [b], sitúmque est extra non intra ciuitatem Arelatensem. Præter Cœnobium quod Childebertus Rex erexit, nullum Arelate Monasterium virorum fuit ætate Florentini quapropter huius Monasterij primus Abbas haberi debet. Agemus de illius obitu & Epitaphio post quinquennium. Ioannes Launoius [c] in Assertione inquisitionis in chartam immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur, Priuilegium Arelatensis Cœnobij recitat integrum, & ideò plurimùm laudat, quod totum consistat in duobus capitibus, vt dispositio rerum Monasterij Monasterio ipsi asseratur, nec liceat Episcopo Diœcesano quicquam ex Monasterij bonis detrahere. Vnde prævalidum colligit argumentum aduersus multa alia Priuilegia, quæ longè dissimilia sunt quamuis eodem seculo concessa perhibeantur. Cur autem Aurelij siue Aureliani loco legendum putet Auxanium, non capimus, neque enim Gregorianus textus hâc egere videtur emendatione, cùm Aurelianus siue Aurelius Ecclesiam Arelatensem his ipsis temporibus rexerit, & Ecclesiæ Catholicæ præfuerit Vigilius Papa. Cassianitas Monachos in illud Cœnobium Massiliâ primùm vocatos fuisse scribit Guesnayus in suo Cassiano & in Massilia Christiana. Præterea de situ conuenit cum Saxio, vúltque Monasterium, quod hodie à monte maiori cognominatur, extra muros Arelatenses à sancto Hilario Arelatensi quondam Episcopo conditum fuisse, tum dirutum à Gothis, & restauratum à Childeberto Francorum Rege. Sed hæc sententia stare nequit cum Gregorio Magno suprà citato, qui Monasterium virorum à Childeberto Francorum Rege *intra muros Arelatensis ciuitatis* constitutum testatur. Cassianitas illuc introductos æquè inficiamur, Aurelianus enim Episcopus Monachis, quos in eo Monasterio collocauit, nouam Regulam præscripsit, quæ de illius nomine Regula Sancti Aureliani hodiéque nuncupatur. Hæc constant ex ipsius Regulæ proœmio quod infrà describemus. Sunt tamen in ea Regula non pauca quæ non differunt ab institutis Cassiani, quia sanctus Aurelianus multa mutuatus est à Sancto

CVIVS MONASTERII.

[a] Lib. 7. epist. 117.

[b] Tom. 4. Gall. Christ.

[c] Part. 2. c. 2. sect. 4.

SVB QVA REGVLA.

Sancto Cæsario, qui sanctum Augustinum & Cassianum præuios in plerisque secutus est. AN. CH. 548.

In Codice Regularum, quem Lucas Holstenius ante aliquot annos Romæ publicauit, extant duæ Sancti Aureliani Regulæ. Vna viris inscribitur, altera fœminis. Inter vtramque, præter mutationem masculini generis in fœmininum, certè parùm discriminis intercedit. Atque vt id facilius agnoscas, vtramque subiicimus cum Notis ad quædam Capitula, quæ vel discrepant à sancto Cæsario, vel ab eo penitùs omittuntur. CHILDEB. CLOTAR. RR. 57. THEOD. R. 14.

XI. DVÆ REGVLÆ S. AVRELIANI.

SANCTI AVRELIANI ARELATENSIS EPISCOPI REGVLA AD MONACHOS.

Incipit Proœmium Regulæ S. Aureliani Episcopi.

SANCTIS & in Christo venerandis Fratribus in Monasterio, quod Deo miserante, ac iubente Rege Childeberto fecimus, constitutis, Aurelianus Episcopus. Quia Deo inspirante, qui nos præuenit ineffabili misericordiâ suâ, visum vobis est, vt repudiatis seculi voluptatibus, ac temporalibus gaudiis contemptis simul vel spretis, eligeretis sanctissimæ vitæ nitorem, & virginitatis ac castitatis gratiam complectentes, amorem Dei totâ viscerum & cordis auiditate sectantes, configere timore Dominico carnes vestras, & dicere illud, [Iurani & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ] &, [Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo] dispositimus, iubente Domino, atque operante in nobis velle & perficere, vt Monasterium vobis pro profectu animarum vestrarum construeremus, sicut & fecimus. Et ideò Regulam vobis ac disciplinam instituimus, qua vos ad viam perfectionis rectè faceret gradiri, & ad regna cælorum feliciter peruenire.

Explicit Proœmium.

Incipit institutio sanctæ Regulæ.

Capitulum I.

Hoc iubente Deo inprimis statuimus tenendum, vt si quis ad conuersionem venerit, Regula ei in salutatorio legatur, &, si professus fuerit se omnia impleturum, tunc excipiatur.

Capitulum II.

Exceptus verò vsque ad mortem suam

SANCTI AVRELIANI ARELATENSIS EPISCOPI REGVLA AD VIRGINES.

Incipit Prologus Aureliani Episcopi ad Virgines.

SANCTIS & in Christo venerandis Sororibus in Monasterio beatæ Mariæ, quod Deo iubente intra muros Arelatensis vrbis fecimus, constitutis, Aurelianus Episcopus. Quia Deo inspirante, qui nos præuenit ineffabili misericordiâ suâ, visum vobis est, vt repudiatis seculi voluptatibus, ac temporalibus gaudiis contemptis sine spretis, eligeretis sanctissimæ vitæ nitorem, & virginitatis ac castitatis gratiam complectentes, amorem Dei totâ viscerum & cordis auiditate sectantes, configeretis timore diuino carnes vestras, tenentes illud [Iurani & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ] &, [Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo] dispositimus iubente Domino, atque operante in nobis velle & perficere, vt Monasterium vobis pro profectu animarum vestrarum construeremus, sicut & fecimus. Et ideò Regulam vobis ac disciplinam instituimus, qua vos per viam mandatorum Dei doceret currere, & ad regna cælorum faceret feliciter peruenire.

Explicit Prologus.

Incipiunt Instituta sanctæ Regulæ Aureliani Episcopi.

Capitulum I.

Hoc iubente Deo inprimis statuimus inuiolabiliter tenendum, vt si qua ad conuersionem venerit, Regula in salutatorio legatur, &, si professa fuerit se omnia impleturam, tunc excipiatur. XIII. DE NEOPHYTIS PROBANDIS.

Excepta verò vsque ad mortem suam XIV.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 57. THEOD. R. 14. XV.

nec præsumat nec permittatur de Monasterio egredi, propter illud Propheticum, [*Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*]

Capitulum III.

Vestimenta verò religiosa non accipiat, nisi de omni facultate sua, siue grandi, siue parua, chartas donationis aut venditionis cui voluerit faciat, propter Domini mandatum, vbi dicit, [*Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes.*] *Et,* [*Si quis non reliquerit omnia quæ possidet, non potest esse meus discipulus.*]

nec præsumat nec permittatur de Monasterio egredi, propter illud Propheticum, [*Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*]

Capitulum II.

Hoc Capitulum iisdem prorsus verbis componitur, quibus Capitulum tertium Regulæ viris inscriptæ.

Capitulum IV.

XVI. *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem mittatur, vt ei in testimonio sit. Quòd si tonsuratus aut in habitu religioso venerit, non excipiatur, nisi, vt superius diximus, chartas de eo, quod proprium in seculo habuerat, faciat, vt nihil sibi reseruet quod non à se alienet, & id quod secum exhibuerit totum in potestatem tradat Abbatis, timens exemplum Ananiæ & Saphiræ, qui partem obtulerunt, partem sibi infideliter reseruauerunt.* Lege apud sanctum Cæsarium in Regula Monachorum caput primum, in Regula Monialium capita primum & quartum, necnon in Recapitulatione capita primum & octauum, è quibus Aurelianus illa fermè omnia transcripsit quæ de fratribus sororibúsque suscipiendis suprà sanciuit in suis Regulis. Est tamen sanctus Cæsarius in Regula Monialium [a] aliquantò seuerior sancto Aureliano. Hic enim Regulam in salutatorio semel, ille frequentiùs legi iubet. Hic lectâ Regulâ fœminam, quæ statuta omnia se impleturam profiteatur, sine mora tunc excipiendam pronuntiat, ille post eiusmodi professionem moras addit, eásque aut longiores aut breuiores pro arbitrio Abbatissæ. Præterea Neophytæ vestem laicam seruant iuxta Regulam [b] sancti Cæsarij toto probationis anno, nequaquam verò iuxta Regulam sancti Aureliani, qui hoc locò cum Cassiano magis conuenit. Illis temporibus, vt mulieres, de quibus S. Cæsarius in Regula Monialium [c] loquitur, sic & aliquando viri Monachatum in suis ædibus agebant, vt patet ex verbis [d] Sidonij de Maximo Palatino, qui conuersus vitam in suis ædibus ducebat, ita differentis, *clam percontor astantes, quod genus vitæ de tribus arripuisset ordinibus, Monachum ageret, an Clericum, Pœnitentémne?* nisi enim aliqui Monasticam vitam in priuatis suis sedibus ducerent, an Maximus ageret Monachum, frustrà interrogaret. Quapropter Aurelianus in sua Regula distinguit duo genera virorum, qui Monasticam vitam intra Cœnobiale claustrum ducere cupiunt; vnum laicorum, qui nec capillos nec vestem secularem deposuerunt; alterum eorum, qui comâ detonsâ religioséque habitu sumpto Monasticam vitam agunt in propriis ædibus. Primum sic indicat. *Si quis laicus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem mittatur, vt ei in testimonio sit.* Alterum sic. *Quòd si tonsuratus, aut in habitu religioso venerit.* Neutrum verò censet recipiendum, nisi chartas venditionis aut donationis anteà faciat. Apud S. Cæsarium [e] Neophytus chartas donationis aut parentibus, id est, consanguineis, aut Monasterio; apud sanctum Aurelianum, cui vult, chartas vt venditionis sic & donationis facit. De Monachorum tonsura copiosùm hîc non instituemus sermonem, res duntaxat duas ad textum suprà recitatum obseruabimus, capillos videlicet in testimonium suscepti Monachatus tonderi, & confessionem accipi pro theca seu tabernaculo in alicuius Sancti honorem ex pretiosa quadam materia fabricato, ita vt coma, quam Monachus deponit, Deo Sanctísque consecretur. Sic in Actis sancti Guillelmi Gellonensis legimus barbam & comam depositam Deo consecrari. *Guillelmus Comes auro textis depositis vestibus per Dei gratiam benedicitur, totus*

[a] Cap. 8. recapit.

[b] Cap. 3.

[c] Cap. 4.

[d] Lib. 4. epist. 14.

[e] Cap. 1.

ille in eo sacer ordo perficitur, comâ nobili, barbâ venerabili depositâ, & Deo consecrata.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Capitulum V.

Nihil occultè accipiatis, sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento, aut in auro, vel aliud quodcumque dederit aut transmiserit, in potestate sit Abbatis, & si illi cui transmittitur necesse fuerit, tribuatur, sin verò ille nihil indiget, in commune redactum cui necessarium est tribuatur.

Capitulum III.

In hoc Capitulo, quia Regulæ Monialium accommodatur, Abbatis loco ponitur nomen Abbatissæ. Cetera Regulæ virorum conformia sunt. Quod attinet ad sanctionem, lege sanctum Cæsarium in Regula Monachorum capite primo, & in Regula Monialium capite XLI.

XVII. DE MVNERIBVS OCCVLTE NON ACCIPIENDIS.

Capitulum VI.

Epistolas præcipimus nec dandas nec accipiendas sine scientia aut permisso Abbatis, vel *Abbatissæ*, vt habet Codex Monialium. Eadem autem sanctio reperitur apud sanctum Cæsarium in Regula Monachorum capite decimo-quinto, & in Regula Monialium capite vicesimo-tertio.

Capitulum IV.

XVIII. DE EPISTOLIS OCCVLTE NEC DANDIS NEC ACCIPIENDIS.

Capitulum VII.

Nullus, nempè Monachus, vel *nulla*, nempè Monacha, (diuersa enim lectio est pro differentia Regularum) *circa lectum suum, quod manducare aut bibere possit, reponere præsumat, sed omnes in communi cellario recondant, & si inæqualitas*, id est, morbus, *exegerit, iubente seniore quod necesse fuerit non ei negetur.* Consule sanctum Cæsarium in Regula Monachorum capite vicesimo-secundo, & in Regula Monialium capite duodetricesimo.

Capitulum V.

XIX. DE CAVENDA PROPRIETATE.

Capitulum VIII.

Nulli liceat cellam aut armariolum, aut aliquid huiusmodi, quod peculiariùs claudi possit, habere. Hoc Capitulum, quia vox *nulli* communis generis est, vtrique Regulæ conuenit. Habet autem conformem sanctionem beatus Cæsarius in Regula Monachorum capite tertio, & in Regula Monialium capite septimo.

Capitulum VI.

XX.

Capitula IX. X. XI.

Cap. IX. *Non iuretis, quia Dominus dixit.* [*Nolite iurare.*] *Et alia Scriptura.* [*Vir multùm iurans implebitur iniquitate, & non discedet de domo illius plaga.*] Cap. X. *Non maledicatis, quia scriptum est.* [*Neque maledicti regnum Dei possidebunt.*] Cap. XI. *Mentiri omninò non liceat, quia* [*os quod mentitur occidit animam.*] *Et illud,* [*perdes eos qui loquuntur mendacium.*] Iuramentum, maledictum & mendacium iisdem prorsus verbis prohibentur etiam in Regula Monialium. Nec multùm dispar est sancti Cæsarij stylus in Regula Monachorum, capitibus, quarto, quinto & sexto, adde quòd iuramentum & maledictum velut Diaboli venenum vitari iubet in Regula Monialium capite secundo.

Capitula VII. VIII. IX.

XXI. DE IVRAMENTO, MALEDICTO, ET MENDACIO CAVENDIS.

Capitulum XII.

Iracundiam nullus vsque in aliam diem protrahere præsumat. Quòd si, vt habet humana fragilitas, sermo durior inter fratres ortus fuerit, inuicem sibi veniam petere, & debita relaxare debebunt propter Domini mandatum, vbi dicit. [*Si recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*] *Et* [*Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.*] *Item.* [*Si septies in die peccauerit in te, & conuersus dixerit, pœni-*

Capitulum X.

Iracundiam nulla vsque in aliam diem protrahere præsumat. Et, sicut habet humana fragilitas, si sermo durior inter sorores ortus fuerit, inuicem sibi veniam petere, & debita relaxare festinent propter Domini mandatum, vbi dicit. [*Si recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc venieps offeres munus tuum.*] *Et* [*Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.*] *Item,* [*Si septies in die peccauerit in te, & conuersus dixerit, pœni-*

XXII. DE IVRGIIS ET CONVICIIS CORRIGENDIS.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

tet me, dimitte illi.] *Et,* [*Non dico tibi vſque ſepties ſed vſque ſeptuagies ſepties.*] *Et alia Scriptura,* [*Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.*] *Et Apoſtolus.* [*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*] *Quòd ſi, quod Deus auertat, Diabolo inſtigante ita fuerit quis furore repletus, vt iſta mandata pertinaci corde contemnat, & vnus de illis qui diſcordantes ſunt præuenerit alium, veniam ei petens, ſi ille cui petit non dimiſerit, legitimam diſciplinam accipiat, vt ad caritatem ſe corrigat. Quod ſi ambo deſpexerint, ambo pariter à communione vel à cibo ſuſpendantur, donec inuicem ſibi reconcilientur.* Lege ſanctum Cæſarium in Regula Monachorum, capitibus duodecimo & XIII. & in Regula Monialium capite triceſimo-primo.

tet me, dimitte illi.] *Et* [*Non dico tibi vſque ſepties ſed vſque ſeptuagies ſepties.*] *Et alia Scriptura.* [*Ira viri iuſtitiam Dei non operatur.*] *Et Apoſtolus.* [*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*] *Quod Deus auertat, ſi Diabolo inſtigante fuerit aliqua furore repleta, vt iſta mandata pertinaci corde contemnat, & vna de illis quæ diſcordantes ſunt præueniat aliam, veniam ei petens, ſi illa cui petet non dimiſerit, diſciplinam accipiat, vt ad caritatem ſe corrigat. Et ſi ambæ deſpexerint, ambæ pariter à communione vel à cibo ſuſpendantur, donec inuicem ſibi reconcilientur.* Ambæ ſancti Aureliani Regulæ hoc loco non parùm differunt inter ſe, quia fœminas diſciplinæ ſimpliciter, viros autem diſciplinæ legitimæ ſubiiciunt.

XXIII.

Capitulum XIII.

Frater in fratrem ſi auſus fuerit manum mittere, legitimam diſciplinam accipiat.

Capitulum XI.

Soror in ſororem ſi auſa fuerit manum mittere, diſciplinam accipiat. Seuerior eſt in Monachas ſanctus Cæſarius, nam capite viceſimo-quarto ſuæ Regulæ, non tantùm diſciplinam, ſed diſciplinam legitimam decernit aduerſus eas quæ manus in ſe inuicem mittunt.

XXIV. DE INTROITV IN MONASTERIVM PROHIBENDO.

Capitulum XIV.

Nullus laicus, ſiue nobilis, ſiue ignobilis, in Baſilicam ſiue Monaſterium introire permittatur, ſed ſi quis pro deuotione aut parentela occurrere voluerit, in ſalutatorium Monaſterij occurrat.

XXV.

Capitulum XV.

Mulieres verò, nec religioſæ nec ſeculares, nullæ omninò, nec Abbatis nec cuiuſcumque Monachi mater, aut quælibet propinqua aut nota, ad ſalutandum, aut ad orationem ingredi permittatur, Domini & magiſtri ſequentes exemplum, cùm dixit [*Et quæ eſt mater mea & fratres mei?*] *Et illud.* [*Si quis non reliquerit patrem aut matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*] *Et alia Scriptura.* [*Qui dixerunt patri & matri, non nouimus vos, hi cuſtodierunt præcepta tua Domine.*] Sanctus Cæſarius ingreſſum mulierum in Monaſteria virorum ſimiliter prohibet in Regulâ Monachorum, initio capitis vndecimi.

XXVI. DE COLLOQVIO CVM EXTERNIS.

Capitulum XVI.

Ipſis verò laicis viris, quibus permiſſum dedimus occurrendi, nullum vnquam Monachorum ſine Abbate aut Præpoſito, vel certè alio quocumque ſeniore, cui Abbas præceperit, videant aut loquantur, nec vnquam altiore voce loquantur.

Capitulum XII.

Nulli liceat ad ſalutandum exire, niſi cum Abbatiſſâ aut Præpoſitâ, vel certè aliâ quacumque ſeniore, cui Abbatiſſa præceperit. Et ſic propinquos ſuos videant, aut loquantur, vt ne altiori voce loqnantur.

XXVII. DE ÆTATE NEOPHYTORVM.

Capitulum XVII.

Minori ætate in Monaſterio non excipiantur, niſi ab annis decem aut duodecim, qui & nutriri non egeant, & cauere nouerint culpas. Hoc loco ſanctus Aurelianus non parum diſcrepat à ſancto Benedicto, qui vel ipſos infantes à parentibus offerri patitur.

XXVIII. DE SERVIS, ANCILLIS, ET LIBERTIS.

Capitulum XVIII.

Seruus non excipiatur; libertus tamen, ſi fuerit adhuc adoleſcenti ætate, & cum epiſtolis patroni ſui venerit, in

Capitulum XIII.

Ancilla non excipiatur: liberta tamen, ſi fuerit adhuc adoleſcens ætate, & cum epiſtolis patroni ſui venerit, in Abbatiſ-

Abbatis sit arbitrio si excipi debeat.

sa sit arbitrio si excipi debeat.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 3. THEOD. R. 14.

Capitulum XIV.

Nec viri nec mulieres seculares in Monasterium ingrediantur, præter in Basilicam B. Mariæ, & in Salutatorium.

Caput XIX.

Caput XV.

Prouisores verò Monasterij, si in habitu laico fuerint, nec ipsi permittantur intrare, nisi pro his vtilitatibus, quas in hâc Regulâ statuimus, cum marcionibus aut carpentariis, id est, cum fabris murariis aut ligneis, *si aliquid necesse est fieri aut reparari, aut certâ aliquâ ratione Abbati* (vel *Abbatissæ* vt habet Codex Monialium) *faciendâ introeant. De cetero nullam licentiam aut libertatem habeant introeundi.* Lege sanctum Cæsarium in Regulâ Monialium, capite triceſimo-tertio.

XXIX. DE INTROITV IN MONASTERIVM PROHIBENDO.

Capitulum XX.

Capitulum XVI.

Nullus, vel *nulla* vt in Regulâ Monialium legitur, *infantem de Baptismo excipiat.* Idem prohibetur apud sanctum Cæsarium in Regulâ virorum capite decimo, & in Regulâ fœminarum capite nono.

XXX. DE PROHIBENDA SVSCEPTIONE INFANTIVM EX SPIRITALI LAVACRO.

Capitulum XXI.

Capitulum XVII.

Quibus claues de cellario, canauâ, horreo, posticio, & oratorio credendæ sunt, probatæ sint personæ, & de super altario vel Euangelio eas accipiant, scientes se Deo reddituros (aut *reddituras*) *rationem de ministerio sibi credito.* Statuit similia sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium, capitibus viceſimo-octauo & triceſimo.

XXXI. DE PERSONIS QVIBVS CREDENDÆ CLAVES CELLARII, CANAVÆ, &c.

Capitulum XXII.

In omni ministerio, siue in ordine psallendi, aut legendi, vel operandi, vicibus sibi succedant, absque sancto Abbate, & nimis senibus, & perparuulis infantibus, aut certè ita infirmis, vt surgere omninò non possint; non compellantur facere pro eo quod non prænalent.

Capitulum XVIII.

In omni ministerio siue ordine psallendi, aut legendi vel operandi, vicibus sibi succedant, absque Abbatissâ, vel præter satis senes & parnulas infantes, aut certè ita infirmas, vt surgere omninò non possint: non compellantur facere quod non prænalent. Ab omni ministerio corporali Matrem & Præpositam sanctus Cæsarius iam exemit in Regulâ Monialium capite duodecimo.

XXXII. DE VICIBVS SERVANDIS IN OMNI MINISTERIO.

Capitulum XXIII.

Artificium verò discendum, aut quælibet opera facienda non pro suo libito eligant, sed in arbitrio Abbatis erit, quod vtile prospexerit imperandum.

Capitulum XIX.

Nulla opera pro suo libito eligant facienda, sed quod Abbatissa imperauerit, hoc faciant. Ita statuit & sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium capite sexto, necnon in Regulâ Monachorum capite septimo.

XXXIII. DE OPERE QVOTIDIANO.

Capitulum XXIV.

Capitulum XX.

Per totum diem, cum operamini manibus, meditatio sancta de corde non cesset propter illud Apostoli. [*Psalmis, hymnis, Canticis spiritualibus cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.*] Lege sanctum Cæsarium in Regula Monialium, capite duodetriceſimo.

XXXIV.

Capitulum XXV.

Capitulum XXI.

Nullus (vel *nulla*) *præsumat quicquam suum dicere, aut suum proprium vindicare, sed secundùm actus Apostolorum, sint vobis omnia communia, sit vobis anima vna, & cor vnum in Domino.* Præiuit sanctus Cæsarius in Regula Monachorum capite secundo, & in Regula Monialium capitibus decimo-quinto & duodeviceſimo.

XXXV. DE CAVENDA PROPRIETATE.

Capitulum XXVI.

Capitulum XXII.

Vestimenta alio colore non induatis nisi laia, lactina, & nigra natiua. Ita sanctus Aurelianus in Regulâ Monachorum, sed in Regula Monialium laudat

XXXVI. DE COLORE VESTIVM.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

tantùm *vestimenta laia & lactina*, omittitque *nigra natiua*, ne recedat à sancto Cæsario, qui capite quadragesimo-primo suæ Regulæ præcipit, vt Moniales *omnia indumenta simplici tantùm & honesto colore habeant, nunquam nigra, non lucida, sed tantùm laia vel lactina.*

Capitulum XXVII.

XXXVII. DE PALLIS ALTARIVM

Lectualia secularia de coloribus facta in vsu non habeatis. Palla holoserica ad altaria, de auro aut de gemmis ornata, à vobis nunquam comparentur. Si aliquis de fidelibus pro voto suo obtulerit, & Abbati visum fuerit, aut necessitas exegerit, vendendi faciant vsum. Habet haud absimilia sanctus Cæsarius in Regulâ Monialium capitibus quadragesimo-secundo & quadragesimo-tertio.

Capitulum XXVIII.

XXXVIII. DE PRIMA. [a] Cap. 14. ET TERTIA. [b] Capp. 17. 18.

Post matutinas Orationes ad somnum reuerti non liceat, sed completis Matutinis dicatur Prima, deinde vsque ad horam Tertiam omnes lectioni vacent. Breuiùs sanctus Cæsarius in Regulâ [a] Monachorum. *Omni tempore vsque ad Tertiam legant. Post Tertiam vnusquisque sibi opera iniuncta faciat.* Paulò aliter in Regulâ [b] Monialium. *Omni tempore, duabus horis, hoc est, à mane vsque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo verò diei spatio faciant opera sua, & non se fabulis occupent propter illud Apostoli.* [*Cum silentio operantes.*] *Reliquis verò in vnum operantibus, vna de sororibus vsque ad Tertiam legat.* Sanctum Cæsarium explicuimus suo loco. Differt ab eo præcipuè sanctus Aurelianus, quia Primam, cuius nulla fit apud sanctum Cæsarium mentio, post matutinas Orationes, id est, post Laudes, dici præcipit imitatus Lirinenses Monachos, de quibus suprà. Ceterùm dum prohibet, ne quis post matutinas Orationes ad somnum reuertatur, in memoriam reuocat institutionem horæ Primæ, quæ primitus, vt alibi ex Cassiano docuimus, in Monasterio Bethlehemitico celebrari cœpit ætate ipsiusmet Cassiani, vt occurreretur veterno negligentiorum Monachorum, qui post Laudes matutinas somno ad Tertiam vsque indulgebant.

Capitulum XXIX.

XXXIX. DE CAVENDO SOMNO AD VIGILIAS.

Ad Vigilias dum lectio legitur, aut de sparto aut de canabe, aut aliud huiusmodi operamini, vt non somnus obrepat. Si verò Dominicus aut festi sunt dies, cui somnus venerit, aliis sedentibus iubeatur stare, vt possit à se somni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepidus inueniatur aut negligens.

Capitulum XXIII.

Ad Vigilias nulla dormiat. Si verò Dominici aut festi dies sunt, cui somnus venerit, aliis sedentibus illa stet, vt possit à se somni marcorem repellere, ne in opere Dei aut tepida inueniatur aut negligens. Ex hoc textu corrige caput decimum-tertium sancti Cæsarij in Regulâ Monialium, vbi lâpsu temporis obliterata sunt ista verba, *si verò Dominici aut festi dies sunt*, vt alio loco iam monuimus.

Capitulum XXX.

XL. DE TARDE VENIENTIBVS AD QVODLIBET OPVS.

Capitulum XXIV.

Signo tacto omne opus pretermittatur, & sicut apes prudentissimæ ad aluearium, ita veloci festinatione properare contendite. Si quis (vel *si qua*) *tardiùs venerit, districtioni subiaceat.* Lege sanctum Cæsarium in Regulâ Monachorum capite vndecimo, & in Regulâ Monialium capite decimo.

Capitulum XXXI.

XLI. DE CAVENDE VAGATIONE ANIMI CVM PSALLITVR

Capitulum XXV.

Dum psallitur, studeant animæ vestræ non vagari animo, verùm etiam nec operari aut loqui præsumant, sed [*psallite sapienter*] *sicut dixit Propheta* [*psallam & intelligam*] *& illud,* [*psallam spiritu, psallam & mente*] *metuentes illud* [*maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter.*] Habet similem sanctionem sanctus Cæsarius in Regulâ Monachorum capite octauo, & in Regula Monialium capitibus octauo & vicesimo.

Capitulum XXXII.

XLII. DE LITERIS EDISCENDIS.

Capitulum XXVI.

Literas omnes discant, id est, discant legere. Hæc autem constitutio iisdem verbis habetur apud sanctum Cæsarium in Regulâ Monialium, initio capitis decimi septimi.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Capitulum XXXIII.

Omnes diuisis mancant lectulis. Hæc sanctio isdem etiam verbis habetur apud sanctum Cæsarium in eadem Regula Monialium, capite septimo.

Capitulum XXXIV. *Capitulum XXVII.*

Sanctus Abbas (vel *Sancta Abbatissa*) *extra Congregationem non maneat.*

Capitulum XXXV.

Hoc specialiùs coram Deo monemus custodiri, vt nulli liceat cum alio secretiùs loqui, aut sedere, præcipuè vespertinis & nocturnis horis. Si secretè inuenti fuerint, tanquam si crimen admiserint, seueriſsimè distringantur, absque illis qui probati sunt etate & sanctitate. Sanctus Aurelianus peculiares Monachorum familiaritates prohibet, per quas erga ceteros fratres charitas algeat, secretæque murmurationes aluntur, vnde paulatim clandestina nascuntur peccata, cunctaque regularis obseruatio periclitatur. Hanc autem sanctionem non à sancto Cæsario, sed à Cassiano & à sancto Benedicto videtur accepisse. Sic enim Cassianus libro secundo [a] de nocturnis orationibus. *Summâ obseruantiâ custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè iuniores vel ad punctum temporis substitisse, aut vspiam secessisse, vel manus suas inuicem tenuisse deprehendantur. Si qui verò contra huius Regulæ disciplinam reperti fuerint aliquid ex his, quæ interdicta sunt, admisisse, vt contumaces ac prauaricatores mandatorum, non leuis culpæ rei pronunciati, suspicione etiam coniurationis prauique consilij carere non poterunt. Quam culpam nisi in vnum cunctis fratribus congregatis publicâ diluerint pœnitentiâ, orationi fratrum nullus eorum interesse permittitur.* Et sanctus Benedictus capite quadragesimo-secundo, cui titulus est, *vt post Completorium nemo loquatur*, sic ait. *Omni tempore silentio debent studere Monachi, maximè tamen nocturnis horis.* Et inferiùs. *Omnes ergo in vnum positi compleant, & exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quòd si inuentus fuerit quisquam prauaricari hanc taciturnitatis regulam, graui vindictæ subiaceat.*

XLIII. DE LECTVLIS.

XLIV. DE ABBATE ET ABBATISSA.

XLV. DE CAVENDIS SECRETIORIBVS COLLOQVIIS.

[a] Cap. 15.

Capitulum XXXVI.

Nulli liceat loqui cum illo qui fuerit excommunicatus, præter illum quem ei sanctus Abbas custodem dederit. Ita statuit & sanctus Cæsarius in Regula Monachorum capite vicesimo-tertio, necnon in Regula Monialium capite tricesimo-primo.

XLVI. DE EXCOMMVNICATIS.

Capitulum XXXVII.

Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim peruigilant pro animabus vestris rationem reddentes Deo.

XLVII. DE OBEDIENTIA.

Capitulum XXXVIII. *Capitulum XXVIII.*

Si quis (vel *si qua*) *pro qualibet culpa aut transgressione Regulæ increpatur, aut disciplinam accipit, arguenti respondere non præsumat, quia peccatum, quod hic distringitur, in æterna examinatione non punitur. Et sic debetis animæ curam excipere, quomodo æger curam medici, tenentes illud sanctæ Scripturæ.* [*Qui abiicit disciplinam, infelix est.*] *Et illud.* [*Ego in flagella paratus sum.*] Eadem sanctio reperitur apud sanctum Cæsarium in Regula Monialium, capite vndecimo.

XLVIII. DE SVSCIPIENDA CORRECTIONE.

Capitulum XXXIX. *Capitulum XXIX.*

Lites nullas habeatis, obedientes præcepto Apostoli, vbi dicit. [*Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.*] Habet eadem, necnon plura, sanctus Cæsarius in Regula Monachorum capite duodecimo, & in Regula Monialium capite tricesimo-primo.

XLIX. DE LITIBVS FVGIENDIS.

Capitulum XL. *Capitulum XXX.*

Superbis, inobedientibúsque, & iracundiam protrahentibus nunquam parcendum, donec corrigantur.

L. DE CORREPTIONE SVPERBIÆ, INOBEDIENTIÆ ET IRACVNDIÆ.

Capitula XLI. XLII.

Cap. XLI. *Pro qualibet culpa, si necesse fuerit flagelli accipere disciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, id est, triginta & nouem.* Cap. XLII. *Et quamlibet iusta disciplina teneatur, tamen secundum illud,* [*Bonitatem & disciplí-*

LI. DE LEGITIMA DISCIPLINA NON EXCEDENDA.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

nam,] *paternum affectum sanctus Abbas circa omnes teneat secundùm Apostolum.* [*Tanquam si nutrix foueat paruulos suos.*] *Et*, [*Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem.* Hæ sanctiones absunt à Regula Monialium, quia sanctus Aurelianus fœminas legitimæ disciplinæ, vt pote nimis feueræ, nusquam subiicit.

Capitulum XLIII. *Capitulum XXXI.*

LII. DE BONIS MONASTERII NEC DANDIS NEC VENDENDIS.

Sancto Abbati (vel *sanctæ Abbatissæ*) *non liceat aliquid de facultatibus Monasterij donare aut vendere, nec aliquid contra Regulæ instituta agere. Quod si facere tentauerit, sancto consilio & vno consensu fratrum* (vel *sororum*) *ex nostro permisso non et acquiescatis, & hoc fieri nullâ ratione permittite, quia causam se ante Deum noueris esse dicturum* (vel *dicturam.*) Hoc in pluribus Conciliis Gallicanis sæpè definitum iam obseruauimus.

Capitula XLIV. XLV.

LIII. DE VSV RERVM SVPERFLVARVM, ET VETERVM VESTIVM.

Cap. XLIV. *Si quid verò superfuerit expensis aut vsibus fratrum in auro aut in vestibus vel cellario, sanctus Abbas per manus prouisoris, aut per quamlibet fidelem personam pauperibus peregrinis aut captiuis faciat dispensari.* Cap. XLV. *Vestimenta etiam cùm noua accipiunt, vetera Abbati refundant, incipientibus aut pauperibus eroganda.* De vsu vestium haud alia præcepit sanctus Cæsarius in Regula Monialium, capite quadragesimo-primo.

Capitulum XLVI.

LIV. DE MONACHIS QVI PROMOVENTVR AD SVBDIACON. DIACONATVM, PRESBYTERATVM ET EPISCOPATVM.

Nullus honorem Presbyterij aut Diaconatus accipiat præter Abbatem, id est, præter Abbatis voluntatem. *Si voluerit* Abbas *ordinari Presbyterum & vnum Diaconum vel Subdiaconem, quos ipse voluerit, ordinandi habeat potestatem*, id est, habeat potestatem eos ad Episcopum dirigendi à quo possint ordinari. *Si verò Deo propitio ita profeceritis, vt aliquis ex vobis ad Episcopatum petatur, ipse solus egrediatur*, id est, solus egrediatur è Monasterio, vt habitet in sua Diœcesi, nec vllum Monachorum abducat è Monasterio socium habitationis futurum. Hoc Capitulum vitiosè editum fuit à Luca Holstenio, descriptum reperitur in Concordia Regularum [a], à qua mutuati sumus.

Capitulum XLVII.

LV. DE NEOPHYTIS MINORENNIBVS.

Qui verò minoris ætatis sunt, aut viuis parentibus in Monasterium ingrediuntur, chartas tunc facere compellantur, quando ætate probati fuerint, aut res parentum in potestate habuerint. Sanctio similis est apud sanctum Cæsarium in Regula Monialium, capite quarto. Monachi hoc loco dicuntur *ætate probati*, cùm fuerint ætate ad condendum testamentum competenti ac legitima, id est, cùm annum ætatis decimum-quartum compleuerint, nam teste Vlpiano masculi condere testamentum ante illud tempus non possunt, possunt autem fœminæ duodecimo anno ætatis suæ completo.

[a] Cap. 69. §. 2.

Capitulum XLVIII.

LVI. DE CONVIVIIS.

Conuiuium nulli, vel Episcopis, nec Abbatibus, nec Prouisoribus, nec vlli Religioso aut laico parenti aut propinquo de hac ciuitate in Monasterio fiat. Sed si quis, vt assolet, Abbas, aut peregrini Monachi prætereuntes aduenerint, & Monasterio occurrere voluerint, sit in potestate sancti Abbatis, si eos voluerit ad refectionem inuitare. Quia indesinenter sanctam caritatem vestram orationi & lectioni insistere, & soli Deo vacare volumus, ideò vos ab hac præparatione aut inquietudine liberos esse præcipimus. Lege sanctum Cæsarium in Regula Monialium, capite tricesimo-sexto, & in Recapitulatione, capite quinto.

Capitulum XLIX. *Capitulum XXXII.*

LVII. DE LECTIONE AD MENSAM.

Sedentes ad mensam taceant, & lectio quotidie omni tempore, dum cibus sumitur, legatur, vt vterque homo, & exterior cibo, & interior verbo Dei reficiatur, quia scriptum est. Non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Idem est sensus, eademque fermè verba in Regula Monachorum apud sanctum Cæsarium capite nono. Consule & Regulam Monialium apud eundem Cæsarium capite decimo-sexto.

Capitulum

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

LVIII. DE ABBATE ET ABBATISSA.

Capitulum L.

Sanctus Abbas, (vel *sancta Abbatissa*) *nisi inæqualitate faciente, extra Congregationem non reficiat.* Sanctus Cæsarius in Regula Monialium, capite duodequadragesimo, ad excusandam Abbatissam, quæ cibum extra Congregationem capiat, præter inæqualitatem, addit occupationem. Inæqualitas autem morbum significat, morbum enim inæqualitatem corporis appellant Patres Concilij [a] Carthaginiensis Quarti, & inæqualitatem corpoream anonymus in vita sancti Eugendi [b].

[a] Can. 49.
[b] Ap Bolland. d. 1. Ian.

LIX. DE CIBIS.

Capitulum LI.

Carnes in cibo nusquam sumantur. Pulli verò vel cuncta altilia in Congregatione non ministrentur, infirmis tantùm prouideantur, & accipere liceat. Pisces verò certis festiuitatibus, aut quando sanctus Abbas indulgentiam facere voluerit, tunc procurentur. De carnibus & pullis eadem statuit sanctus Cæsarius in Regula Monachorum capite vicesimo-quarto.

Capitulum XXXIV.

Carnes in cibo nunquam sumantur.

Capitulum XXXV.

Pulli vel cuncta altilia in Congregatione non ministrentur, nisi infirmis tantùm prouideantur & delicatis. Pisces verò certis festiuitatibus, aut quando Abbatissa indulgentiam facere voluerit, tunc procurentur.

LX. DE MENSA COMMVNI.

Capitulum LII.

Extra mensam communem nec quicquam cibi potusve gustare liceat, absque infirmis, & illis ætatibus, quæ adhuc perenutriri indigent, id est, ætatibus senili ac minori. Extraordinariam & furtiuam cibi potúsve sumptionem, quæ legibus abstinentiæ ieiuniique penitus repugnat, ante sanctum Aurelianum vetuerunt Cassianus libro quarto de institutis renuntiantium capite decimo-octauo, & sanctus Benedictus in sua Regula capite quadragesimo-tertio.

Capitulum XXXVI.

Extra mensam communem nihil cibi potúsve gustare liceat, absque infirmis, & illis quæ minoris ætatis sunt, addendum videtur, *aut senilis*, vt hæc sanctio cum Regula Monachorum consentiat.

LXI. DE INFIRMIS.

Capitulum LIII.

Infirmis verò ita obtemperandum est, vt si sancto Abbati (vel *sanctæ Abbatissæ*) *iustum visum fuerit, etiam cellariolum suum in commune, & coquinam sequestratam habeant, & cura illis vel studium impendatur, donec conualescant.* Conformis est sanctus Cæsarius in Regula Monialium capite tricesimo.

Capitulum XXXVII.

LXII. DE OFFICIO DIVINO.

Capitulum XXXVIII.

Cursum diurnum vel nocturnum, id est, Matutinos, Vigilias seu Nocturnos, Vesperam & Duodecimam in Basilica Dominæ Mariæ Congregatio dicat. Quòd si hyems aspera fuerit, Matutinos tantùm, Vesperam & Duodecimam, id est Lucernarium & Vesperas, *in prædicta Basilica dicite. Secundam verò*, (lege *Primam verò*,) *Tertiam, Sextam & Nonam in interiori Oratorio propter illos, qui aut orare cupiunt, aut Abbatissæ occurrunt, aut parentes suas requirunt. Quando aliqua defuncta fuerit, vsque mediam noctem eam pauculæ sorores in Oratorio peruigilent, & Missæ de Apostolo fiant, post mediam noctem quæ vigilauerunt quiescant, & iterùm aliæ virgines, & ponite hoc in notitiam sancto Episcopo, vt eam subeat ad locum, vbi ponenda est, deportari.* Huius capituli duæ sunt partes, prior de Officio diuino, posterior de cura sepeliendarum sororum. Præter Completorium, de quo specialis alibi mentio fit, in Officio diuino hæ numerantur horæ Canonicæ, Vigiliæ seu Nocturni, Matutini seu Laudes, Prima quæ perperam Secunda vocatur in vulgatis exemplaribus, Tertia, Sexta, Nona, Vespera seu Lucernarium & Duodecima seu Vesperæ. Duplex locus notatur, vbi dici potest Officium diuinum; interius Oratorium, cuius aditus solis Monialibus permittitur, & Basilica Beatæ Mariæ, in quam viri mulieresque seculares ingrediuntur, vt habetur suprà capite decimo-quarto huius Regulæ. Prima,

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Tertia, Sexta & Nona semper agendæ sunt in Oratorio, vt viris mulieribúsque secularibus per diem liber aditus sit in Basilicam vicinúmque salutatorium; Matutinum verò, Laudes, Lucernarium, Vesperæ in Basilica nisi hyems sit aspera, nam sæuiente frigore Matutinum in Oratorio dicitur, Laudes autem, Lucernarium & Vesperæ in prædictâ Basilicâ, quæ, quoties in eâ canuntur horæ Canonicæ, solis Monialibus patet. Quod attinet ad sepulturam sororum, in hac sanctione Missas interpretare Lectiones, & obserua cœmiteria olim extra vrbium muros fuisse, ideóque si Monacha migrarit ex hac vita, monendum à ceteris Episcopum, vt mortuæ corpus cœmiterio inferendum curet.

Capitulum LIV. *Capitulum XXXIX.*

LXIII. DE VICTV ET VESTITV.

Et quia Deo propitio digna & sufficiens vobis facultas collata est, quæ sufficere Monasterio vestro possit, coram Deo & Angelis eius te, Sancte frater Abba, & te venerabilis quicunque fueris Præpositus (vel *te sanctam Abbatissam, & te venerabilem, quacunque fueris, Præpositam*) *ammoneo & contestor, vt sancta Congregationi, quæ Deo inspirante & iubente secundùm instituta quæ fecimus regulariter viuit, omnia quæ eis sunt necessaria in vestitu & victu cum sufficientiâ tribuatis. Quam rem si neglexeritis, & illi* (vel *illæ*) *cæperint aliquid necessitate compellente murmurare aut indigere, causam vos ante tribunal Christi noueritis mecum esse dicturos* (vel *dicturas.*) Similia de victu & vestitu statuit S. Cæsarius in Regula Monachorum capite decimo-sexto; Item de vestimentis in Regula Monialium capite vicesimo-quinto, & de qualibet re generalius in Recapitulatione capite decimo.

Capitulum LV. *Capitulum XL.*

LXIV. DE REGVLA OBSERVANDA ET RELEGENDA.

Et vos, sancta Congregatio, per profectum vestrum & per Deum omnipotentem coniuro, vt omnia quæ in hac Regula pro remedio animæ nostræ & pro animarum vestrarum salute constituimus, integra & illibata custodiatis. Et ne per obliuionem aliquid negligatis, semel ea in triginta diebus relegite, id est, in Kalendis. Explicit, vel vt Regula Monialium habet, *semel ea in mense relegite, id est, in Kalendis, ac sic duodecim vicibus in anno.*

LXV. Post Monachorum Regulam sequuntur tria capita, primum de ordine psallendi, secundum de curâ sepeliendorum fratrum, tertium de ordine conuiuij; post Regulam verò Monialium duo, vnum de ordine psallendi, alterum de ordine conuiuij, quia posterior pars capitis tricesimi-octaui tota est de curâ sepeliendarum sororum.

LXVI. DE ORDINE PSALLENDI. Ordo Psallendi, qui Regulis Monachorum ac Monialium subiicitur, in multis non differt ab eo, quem beatus Cæsarius è Regula Monasterij Lerinensis accepit descripsitque.

LXVII. IN PASCHALI HEBDOMADA. Inchoatur à die Paschæ, sicque per omnes dies Paschalis hebdomadæ præscribitur ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, ad Lucernarium, ad Vesperas & ad Vigilias.

AD TERTIAM. *In primo die Paschæ ad Tertiam ter Kyrie eleison, Psalmi duodecim, id est quatuor fratres* (vel *quatuor sorores*) *binos Psalmos & Alleluiaticum tertium dicant. Perdictis Psalmis Kyrie eleison, & Antiphonæ sex, Lectiones tres, vna de Actibus Apostolorum, alia de Apocalypsi, tertia de Euangelio; Hymnus,* [*Iam surgit hora Tertia,*] *& Capitellum, deinde Kyrie eleison. Sic in omni opere Dei tertiâ vice Kyrie eleison dicite, antequàm incipiatis, & Psalmis perdictis, & Capitello perdicto.*

AD SEXTAM. *Ad Sextam idem numerus Psalmorum, Antiphona vna, Hymnus* [*Iam Sexta sensim voluitur,*] *Lectio Euangely & Capitellum.*

AD NONAM. *Ad Nonam ipse ordo teneatur, Hymnus* [*Ter hora trina voluitur.*] *Ad Lucernarium directaneus parunlus, id est,* [*Regna terræ cantate Deo, psallite Domino,*] *aliâ die,* [*Laudate pueri Dominum*] *Antiphonæ tres, Hymnus* [*hic est dies verus Dei*] *& Capitellum.*

AD LVCERNARIVM. *Quem Hymnum toto Paschâ ad Matutinos & ad Lucernarium dicite.*

AD VESPERAS. *Ad Duodecimam in primis directaneus parunlus.* [*Sol cognouit occasum suum,*] *sex fratres* (vel *sex sorores*) *binos Psalmos cum suis Alleluiaticis dicant, Antiphonas tres, Lectiones duas, vnam de Apostolo, aliam de Euangelio.*

AD VIGILIAS. *Ad Nocturnos Paschales ipso numero omnia dicite, sicut in Duodecima designauimus.* Hanc san-

ctionem Paschali hebdomadâ circumscribimus, quoniam apud sanctum Cæsarium ita concluditur, *hoc ordine toti septem dies sunt celebrandi.* Inter præceptiones autem sanctorum Cæsarij & Aureliani, quas simul conferre potes, id discriminis intercedit. Primò, de Kyrie eleison siue de Litania, quam sanctus Aurelianus ad omnes horas ter dici, semel ante Psalmos, iterùm post Psalmos, tertiò post Capitellum, singulisque vicibus ter repeti iubet, nulla mentio fit apud S. Cæsarium. Secundò, apud eundem S. Cæsarium iuxta consuetudinem Monasterij Lirinensis dicuntur *ad Tertiam Psalmi duodecim cum Allelujaticis suis & Antiphonis*, hoc est, Psalmi duodecim, inter quos nonnulli sunt Allelujatici, dicuntur ad Tertiam per Antiphonas duobus choris alternatim canentibus. Sanctus autem Aurelianus iuxta Cassianitarum Regulam Lerinensi recentiorem præcipit, vt quatuor fratres velquatuor sorores Psalmos ipsos duodecim dicant ceteris fratribus vel sororibus auscultantibus, eosdémque Psalmos duodecim adeò æqualiter partitur, vt singuli fratres vel singulæ sorores dicant tres Psalmos, quorum postremus est Allelujaticus. Deinde Psalmis subiungit Litaniam seu Kyrie eleison, vt dictum est suprà, tum Antiphonas sex, circa quas id vnum obserua, quòd cùm duplex sit Antiphonarum acceptio, Antiphonas hoc loco in vna significatione sanctus Cæsarius, in altera sanctus Aurelianus accipit. Tertiò, apud sanctum Cæsarium ad Sextam & ad Nonam dicuntur *Psalmi sex cum Antiphona*, apud sanctum Aurelianum Psalmi duodecim & *Antiphona vna.* Quartò, apud sanctum Cæsarium ad Sextam dicuntur *Lectiones*, apud sanctum Aurelianum *Lectio Euangely & Capitellum.* Quintò S. Cæsarius ad Lucernarium, quod Vesperas præcedit, ponit directaneum breuem, sed, vnde sumendus sit, haud indicat, docet autem sanctus Aurelianus sumendum vnâ die ex Psalmo sexagesimo-septimo, aliâ die ex centesimo duodecimo, allegat enim hos Versus, *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino*, &, *Laudate pueri Dominum.* Sextò, sanctus Aurelianus ad idem Lucernarium meminit Capitelli, quod omittitur à sancto Cæsario. Septimò, sanctus Cæsarius iniungit, vt ad Vesperas Psalmi dicantur *decem & octo.* Sanctus autem Aurelianus præcipit, vt sex fratres vel sex sorores Psalmos ipsos octodecim dicant, ceteris fratribus vel sororibus auscultantibus, eosdémque Psalmos octodecim adeò æqualiter partitur, vt singuli fratres vel singulæ sorores dicant tres Psalmos, quorum vltimus est Allelujaticus. Octauò, sanctus Aurelianus ad Vesperas nullum habet hymnum, habet sanctus Cæsarius istum vno die, *Christe precamur annue*; huncaltero, *Christe, qui lux es & dies.* Hunc inter Ambrosianos decimum-sextum reperies; illum quoque, qui suprà notatur ad Lucernarium dicendus, inuenies vndetricesimum. Nonò, posterior Lectionum, quæ dicendæ sunt in fine Vesperarum, apud sanctum Aurelianum est *de Euangelio*, apud sanctum Cæsarium non tantùm est *Euangeliorum*, sed est *de Resurrectione*, quanquam non dubito, quin sanctus Aurelianus ipso die Paschæ, per Lectionem Euangelij, Lectionem Euangelij de Resurrectione significare voluerit. Decimò, Capitellum, quod à sancto Cæsario ponitur in fine Nocturnorum Paschalium, à sancto Aureliano prætermittitur.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Sequitur apud sanctum Aurelianum ordo Matutinorum, id est, Laudum. *Ad Matutinos inprimis* dicite *directaneum* [*Exaltabo te Deus meus & Rex meus.*] *Inde*, [*Iudica me Deus*,] *&*, [*Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.*] *cum Alleluja. Deinde* [*Confitemini Domino*] *cum Alleluja. Inde* [*Cantemus Domino*] *& ipsum sic. Posteà* [*Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus. Lauda Ierusalem Dominum.*] *totos tres cum Alleluja. Deinde Benedictio dicenda est. Post Benedictionem*, [*Laudate Dominum de cælis. Cantate Domino canticum nouum. Laudate Dominum in sanctis eius.*] *cum Alleluja.* [*Magnificat anima mea Dominum*,] *aut cum Antiphona aut cum Alleluja. Hymnum* [*Gloria in excelsis Deo*] *& Capitellum. Et complete Matutinos ipso ordine toto Paschâ.* De Matutinis sic agit S. Cæsarius post Recapitulationem suæ Regulæ. *Inprimis dicite*

LXVIII. AD LAVDES.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. R R. 37. THEOD. R. 14.

directaneum paruulum, Confitemini cum Antiphona, Cantemus Domino, & omnes Matutinarij cum Alleluijs dicantur, Et inferiùs. *In solemnitatibus verò, ipsis impletis Matutinis & hymnum dicant* [*Te Deum laudamus.*] *In exteriore Oratorio procedendum est, & dicendus est directaneus paruulus. Post hoc, Canticum* [*Cantemus Domino.*] *Deinde Benedictio trium puerorum. Post Benedictionem, hymnus* [*Gloria in excelsis Deo.*] Clariùs & distinctiùs in Regula Monachorum, capite vicesimo-primo. *Dicite Matutinos, directaneo* [*Exaltabo te Deus meus & Rex meus.*] *Deinde* [*Confitemini.*] *Inde* [*Cantemus Domino. Landa anima mea Dominum.*] *Benedictionem,* [*Laudate Dominum de cælis. Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo.*] *& Capitellum.* Sanctus Aurelianus post directaneum, ante *Confitemini,* duos vult dici Psalmos, quos sanctus Cæsarius omittit, nempè quadragesimum-secundum, *Iudica me Deus,* & sexagesimum secundum, *Deus, Deus meus, ad te luce vigilo.* Quomodò Matutinis Laudibus vterque conueniat, expositimus in obseruationibus ad Regulam sancti Benedicti, qui priorem in matutinis Laudibus feriæ tertiæ, posteriorem in matutinis Laudibus diei Dominicæ dici præcipit. Deinde sanctus Aurelianus post Psalmum centesimum quadragesimum-quintum, *Landa anima mea Dominum,* ponit duos proximè sequentes, centesimum quadragesimum-sextum, *Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus,* & centesimum quadragesimum-septimum, *Landa Ierusalem Dominum,* quorum neuter à sancto Cæsario nominatur. Vterque verò matutinis Laudibus conuenientissimus est, quia homines ad Dei laudes primùm excitat, postèà rationes ad hoc allegat, eásque præcipuè sumit ab illius beneficiis quæ plurima sunt & maxima. Similiter post Benedictionem, id est, post Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino,* à sancto Aureliano tres enumerantur Psalmi, centesimus quadragesimus-octauus, *Laudate Dominum de cælis,* centesimus quadragesimus-nonus, *Cantate Domino canticum nouum, laus eius,* &c. & centesimus quinquagesimus, *Laudate Dominum in sanctis eius,* solus autem centesimus quadragesimus-octauus à sancto Cæsario recensetur. Sanctus Benedictus Canticum trium puerorum, *Benedictiones* appellat, & istis Benedictionibus subiungit *Laudes, inde,* inquit[a], *Benedictiones & Laudes,* nec exprimit, quem vel quos Psalmos per Laudes intelligat. Cassianus sanctis Cæsario, Benedicto & Aureliano multùm antiquior docet in matutinis Laudibus decantari Psalmum centesimum quadragesimum-octauum, *Laudate Dominum de cælis,* & *reliquos qui sequuntur,* id est, & duos omnium postremos, nempè centesimum quadragesimum-nonum & centesimum quinquagesimum, qui Psalterium ipsum claudunt. *Hymnos,* ait[b], hoc est, Psalmos, vt ex verbis consequentibus liquet, *quos in hac regione* Seniores *ad matutinam excepere solemnitatem, in fine nocturnarum Vigiliarum, quas post gallorum cantum ante Auroram finire solent, similiter hodiéque decantant, id est, centesimum quadragesimum-octauum Psalmum, cuius initium est* [*Laudate Dominum de cælis*] *& reliquos qui sequuntur.* Hinc colligimus prædictos tres Psalmos à sancto Benedicto sub Laudum nomine comprehendi, primúmque illorum à sancto Cæsario vnicè nominari, quòd olim dici consueuissent sub vna glorificatione sanctissimæ Trinitatis, vt nostrâ etiamnum ætate dicuntur toto tempore Paschali, necnon in solemnitatibus, diebúsque Dominicis & in Natalitiis Sanctorum. Sunt autem matutinis Laudibus aptissimi; centesimus quadragesimus-octauus, quo creaturæ omnes inuitantur ad laudem Dei, primò superiores, *Laudate Dominum de cælis,* &c. secundò inferiores, *Laudate Dominum de terra,* &c. Centesimus quadragesimus-nonus, quo similiter omnes electi prouocantur ad laudem Dei, *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum,* &c. & adducuntur rationes diuinæ laudis, quæ fundatur in hoc præcipuè, quòd Christus in vltimo iudicio bonos præmiis, malos pœnis afficiet, *quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem,* &c. Centesimus quinquagesimus, *Laudate Dominum in sanctis eius,* quo maximè inuitamur ad laudem Dei pro gloria

[a] Cap. 12.

[b] Lib. 3. c. 6.

quam ſanctis tribuit in patriâ, quia ſcilicet Sanctos congregauit, & depoſitâ fragilitate corporis, ſuæ imagini reſtituit, & iam conformes ſuæ gloriæ in beatitudine collocauit. Poſt illos Pſalmos beatus Cæſarius ſubdit Hymnum, *Te Deum laudamus*, ſed eius loco ſanctus Aurelianus ponit Canticum, *Magnificat*, quod à ſancto Benedicto [a] Veſperis attribuitur. Verùm apud ſanctum Aurelianum pro diuerſis anni temporibus ac diebus aduerte triplicem Matutinorum ſeu Laudum ordinem. Primus, qui meminit Cantici *Magnificat*, & à nobis ſuprà deſcriptus eſt, obſeruatur *toto Paſchâ, omni die Dominico, & omnibus maioribus feſtiuitatibus*. Secundus, qui præſcribitur quotidianis diebus, & infrà recitabitur, nec Cantici, *Magnificat*, nec Hymni, *Te Deum laudamus*, mentionem facit. Tertius, de quo nos quoque ſuo agemus loco, pertinet ad Sabbatum, & *omni Sabbato* Hymnum, *Te Deum laudamus*, dici iubet. De hoc Hymno in matutinis Laudibus ad Regulam ſancti Cæſarij diſſeruimus ſuprà. De Cantico, *Magnificat*, id vnum obſerua, quòd in memoriam reuocat Myſterium Incarnationis Dominicæ, cuius recordatio, cùm frequentiſſima eſſe debeat, vt ceteris horis Canonicis, ita matutinis Laudibus aptari poteſt.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

[a] Cap. 17.

LXIX. ITEM AD LAVDES IN DIEBVS DOMINICIS ET MAIORIBVS FESTIVITATIBVS.

Superiorem ſanctionem, quæ tota eſt de matutinis Laudibus Paſchalis hebdomadæ, ſanctus Aurelianus ad omnem diem Dominicum & ad omnes maiores feſtiuitates extendit. *Complete*, inquit, *Matutinos ipſo ordine toto Paſchâ, ſic omni die Dominico, & omnibus maioribus feſtiuitatibus, in quibus ab opere vacabitis.*

LXX. AD VIGILIAS PRIVATARVM DIERVM IN ÆSTATE.

Poſteà de Vigiliis priuatarum dierum in æſtate poſt Paſcha vſque ad Kalendas Octobris ita ſtatuit. *Quotidianis verò diebus ad Nocturnos inprimis directaneus dicatur,* [*miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam,*] *deinde Pſalmi decem & octo, Antiphonæ tres paruulæ, Lectiones Apoſtoli aut Prophetarum duæ, & Capitellum. Completis Nocturnis dicite Matutinos. In æſtate, id eſt, poſt Paſcha vſque Kalendas Octobris ipſe ordo erit.* Poſt Kalendas Octobris, quia tunc longiores ſunt noctes, addet ſecundos Nocturnos. Iubet igitur diebus æſtiuis vnum duntaxat dici Nocturnum, qui Pſalmis conſtet duodeuiginti. Subiungit de Lectionibus nonnulla, quæ partim ad ſextam feriam, partim ad diem Dominicam, necnon partim ad æſtatem, partim ad hyemem pertinent. *Sextâ feriâ verò poſt Nocturnos duæ Miſſæ*, ſeu Lectiones, *fiant in æſtate, in hyeme tres. Nam Dominicâ omni tempore & in æſtate & in hyeme poſt Nocturnos ſex Miſſæ fiant.* Item, quia contingere nonnunquam poteſt, vt Monachi ſeriùs expergefacti (vel Moniales ſeriùs expergefactæ) tardiùs ad Vigilias veniant, iniungit Abbati (vel Abbatiſſæ) vt ad ſingulas Lectiones ei qui (vel quæ) legit pro ſuo lubitu ſilentium imponat. *Si verò euenerit, vt tardiùs ad Vigilias ſurgatur, quantum Abbati* (vel *Abbatiſſæ*) *viſum fuerit, tantum legatur. Quando ſignum Abbas* (vel *Abbatiſſa*) *fecerit, qui* (vel *quæ*) *legit, ſine morâ conſurgat, vt Canonicus Miſſarum numerus poſſit impleri.* Mutuatus eſt iſtam ſanctionem ex Appendice quam beatus Cæſarius Recapitulationi ſuæ Regulæ ſubiecit, ibi enim hæc leguntur. *Si verò euenerit vt tardiùs ad Vigilias conſurgant, ſingulas paginas, aut quantùm Abbatiſſæ viſum fuerit, legant, in cuius poteſtate erit, vt quando ſignum fecerit, quæ legit ſine morâ conſurgat, vt Canonicus Miſſarum numerus poſſit impleri.*

LXXI. AD VIGILIAS PRIVATARVM DIERVM IN HYEMI.

Poſt Kalendas Octobris in hyeme, quia noctes longiores ſunt, Vigilias aliter ordinat. *A Kalendis verò Octobris, aly Nocturni addendi ſunt. Ad primos dicendum eſt* [*Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.*] *Ad ſecundos* [*Miſerere mei, Deus, miſerere mei.*] *Pſalmi decem & octo. Lectiones duæ de Prophetis aut de Salomone. Hymnus ad primos Nocturnos* [*Rex æterne Domine.*] *ad ſecundos* [*Magna & mirabilia.*] *Poſt celebratos ſecundos Nocturnos, quia noctes creſcunt, quotidie ad librum facite Miſſas tres. Vnus frater,* (vel *vna ſoror*) *legat paginas aut tres aut quatuor, quomodo menſura fuerit libri: ſi minutè fuerit ſcriptus aut maiori formâ, tres paginas; ſi minor, quatuor, & fiat oratio. Iterum legat tan-*

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

tùm, fiat alia. Tertiò legat idem tantùm & surgite, dicite Antiphonam de Psalmis in ordine, posteà Responsum, deinde Antiphonam. Iterum legat alius frater (vel *alia soror*) *& sic impletis quatuor Missis dicite Matutinos Canonicos.* Habet eadem fermè sanctus Cæsarius in Appendice prælaudata. *A Kalendis*, inquit, *Octobris vsque ad Pascha addite secundos Nocturnos, id est, Psalmos decem & octo, Lectiones duas, & Hymnum. Ad primos Nocturnos in primo dicite* [*Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.*] *In fine*, [*Rex aterne Domine.*] *Ad secundos Nocturnos* [*Magna & mirabilia.*] *Aliâ nocte ad primum Nocturnum dicendum est* [*Mediæ noctis tempus est.*] *Ad secundum*, [*Æterne rerum conditor.*] *Ad secundos Nocturnos inprimis incipite*, [*Miserere mei, Deus, miserere mei.*] *Post Nocturnos legantur Orationes tres, psallantur Antiphona, & Responsus, & alia Antiphona. Post hoc vsque ad lucem impleantur Missæ quatuor. Si fieri potest, numquam minuantur. Numquam maturiùs, numquam tardiùs excitentur. Post hoc Matutinales Canonici* Et in Regulâ Monachorum [a]. *Ad Vigilias, à mense Octobri vsque ad Pascha, duos Nocturnos faciant & tres Missas. Ad vnam Missam legat frater folia tria, & orate, legat alia tria, & leuet se. Dicite Antiphonam, Responsorium & aliam Antiphonam, Antiphonas ipsas de ordine Psalterij. Post hoc dicant Matutinos.* Lege nostras obseruationes ad illos textus beati Cæsarij. Deinde obserua in fine Vigiliarum, vt à sancto Aureliano præscriptæ nobis videntur, quatuor Lectiones seu Missas fieri, exemplaria enim, quæ sic habebant, *impletis tribus Missis*, ita correximus, *impletis quatuor Missis*. Emendationem hanc incundam suaserunt sancti Cæsarius & Aurelianus, ille enim præcipit vt *vsque ad lucem*, id est, vsque ad matutinas Laudes, *impleantur Missæ quatuor*, hic distinctè quatuor Lectiones enumerat, quarum tres ab vno fratre vel ab vna sorore, quartam ab alio fratre vel ab alia sorore fieri iubet.

[a] Capp. 20. 21.

LXXII. AD LAVDES IN DIEBVS PRIVATIS.

Pergit sanctus Aurelianus, & matutinas Laudes priuatarum dierum in æstate & in hyeme sic describit. *Dicite Matutinarios Canonicos, id est, primò Canticum in Antiphonâ, deinde directaneum*, [*Iudica me Deus. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus. Lauda Ierusalem Dominum.*] *Inde*, [*Laudate Dominum de cœlis. Cantate Domino Canticum nouum. Laudate Dominum in sanctis eius.*] *In Antiphonâ dicite Hymnum* [*Splendor paternæ gloriæ*,] *aliâ die* [*Æterne lucis conditor*,] *& Capitellum, & Kyrie eleison duodecim vicibus. Omnibus diebus quotidianis ita impleatur.* Confer hanc sanctionem cum vnâ ex præcedentibus, quæ tota fuit de matutinis Laudibus Paschalis hebdomadæ, dierum Dominicarum, & maiorum festiuitatum. Inter vtramque id discriminis occurrit. Inchoatur posterior à Cantico, quod omittitur in priore. Psalmi, qui posteriori tribuuntur, tribuuntur & priori, sed plures priori, posteriori pauciores assignantur. Prior subiungit Psalmis Canticum beatissimæ Virginis & Hymnum Angelorum, posterior habet eorum loco, vno die, Hymnum octauum sancti Ambrosij, *Splendor paternæ gloriæ*; alio die istum, *Æterne lucis conditor*. Denique Kyrie eleison non est in priori, repetitur in fine posterioris duodecies.

LXXIII. AD PRIMAM IN DIEBVS PRIVATIS.

Matutinos sequitur Prima, de quâ sic sanctus Aurelianus. *Post Matutinos ad Primam sex Psalmi dicantur, & Hymnus* [*fulgentis auctor æthereis*] *Lectiones duæ, id est, vna de veteri, alia de nouo testamento, & Capitellum.* In Regulâ Monachorum ponuntur duodecim Psalmi, sed ne recedamus à Regula Monialium, quæ senarium numerum non excedit, monet nos sanctus Cæsarius, qui sancto Aureliano præiuit iisdem fermè verbis, sic enim in Appendice statuit de Primâ. *Deinde dicenda est Prima cum Psalmis sex, & Hymnus* [*fulgentis auctor æthereis*] *Lectiones duæ, vna de veteri, alia de nouo testamento, & Capitellum.* Hunc sancti Cæsarij textum explicuimus de Primâ dierum Dominicarum, Sabbatorum & maiorum festiuitatum, ista enim proximè subiiciuntur. *Hoc modo Dominicâ vel Sabbatho & maioribus festiuitatibus fieri debet.* Textus autem sancti Aureliani de Prima priuatarum dierum intelligendus est, quia Monachi vel Moniales post Primam iubentur vsque ad horam Tertiam lectioni,

reliquo diei spatio suis operibus vacare. *Post hæc*, id est, post Primam, *omnes lectioni vacent vsque ad horam Tertiam, de reliquo verò diei spatio faciant opera sua secundùm illud quod Dominus dixit* [*Pater meus vsque modo operatur & ego operor.*] *Et illud Apostoli*, [*Operantes manibus nostris.*] *Et* [*qui non operatur non manducet,*] *quia scriptum est* [*Vitæ otiosorum strata sunt spinis.*] *&* [*Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores.*] Hoc loco differunt sancti Cæsarius & Aurelianus. Apud sanctum Aurelianum, vt dictum est suprà, Monachi & Moniales post Primam vsque ad horam Tertiam lectioni, reliquo diei spatio suis operibus vacant. Apud sanctum Cæsarium Moniales *omni tempore*, id est, tam in æstate quàm in hyeme post Laudes vsque ad horam secundam legunt, posteà faciunt opera sua. *Omni tempore*, inquit sanctus Cæsarius in Appendice, *post Matutinos vsque ad secundam horam legant, posteà verò faciant opera sua.* Et in Regula Monialium[a]. *Omnes literas discant. Omni tempore duabus horis, hoc est, à mane vsque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo verò diei spatio faciant opera sua.* Tota differentia ex eo procedit, quòd sanctus Cæsarius, vt ad eius Appendicem notauimus, Primam, cuius institutio non vbique recepta tunc erat, solis diebus festiuis, sanctus Aurelianus, cuius verba iam descripsimus, priuatis etiam diebus celebrari iussit.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

[a] Capp. 17. 18.

De Tertia, Sexta & Nona priuatarum dierum, eadem fermè, quæ suprà in Paschali hebdomada, si numerum Psalmorum excipias, ita statuit S. Aurelianus. *Quotidianis igitur diebus ad Tertiam sex Psalmos dicite, Antiphonam, Hymnum* [*Iam surgit hora Tertia,*] *Lectionem & Capitellum,* [*Fiat Domine.*] *Ad Sextam ipse numerus Psalmorum tenendus, Antiphona dicenda, Hymnus* [*Iam Sexta sensim voluitur,*] *Lectio & Capitellum. Ad Nonam iste ordo seruandus, Hymnus verò* [*Ter hora trina voluitur.*] Sequimur Codicem Monialium. In Regula Monachorum duplicantur Psalmi, ponuntúrq; duodecim ad singulas horas prædictas. Vt hîc Monialium Regulam alteri præferamus, suadet S. Cæsarius his verbis in Appendice. *Quotidianis verò diebus ad Tertiam, Sextam, Nonam, seni Psalmi cum Antiphonis, Hymnis, Lectionibus, vel Capitellis suis dicantur.*

LXXIV. AD TERTIAM, SEXTAM ET NONAM IN PRIVATIS DIEBVS.

De Lucernario deque Duodecima siue de Vesperis ita prosequitur. *Ad Lucernariam omni tempore, & festis, & quotidianis diebus, inprimis directaneus, posteà Antiphonæ duæ, tertia semper cum Alleluja dicatur, Hymnus vnâ die* [*Deus qui certis legibus,*] *aliâ die* [*Deus creator omnium,*] *& Capitellum. Ad Duodecimam Psalmos decem & octo dicite, Antiphonam, Hymnum, Lectionem & Capitellum.* Prælaudatorum Hymnorum posterior locum decimum quartum inter Ambrosianos obtinet. Lege quæ suprà diximus de Lucernario deque Vesperis in hebdomada Paschali, necnon ad Appendicem Cæsarij, quæ Vesperam siue Lucernarium ita describit. *Ad Vesperam simili modo in exteriori Oratorio directaneus paruulus dicatur, & Antiphonæ tres, Hymnus vnâ die* [*Deus qui certis legibus,*] *alterâ die* [*Deus creator omnium.*]

LXXV. AD LVCERNARIVM. AD VESPERAM.

Nullam Completorij seu Completæ mentionem facit sanctus Cæsarius, horam illam sic præscribit sanctus Aurelianus. *Quando repausaturi* (vel *repausaturæ*) *estis, in schola in qua manetis Completa dicatur, inprimis directaneus & Psalmus nonagesimus dicatur, deinde Capitella consuetudinaria.* Sanctus Aurelianus superstes vixit sanctis Cæsario & Benedicto, huiúsque Regulam præ manibus habuit proculdubiò, illa enim meminit Completorij, & ad istam horam vult dici Psalmum nonagesimum, *Qui habitat in adiutorio altissimi.* Quo de Psalmo disseruimus ad caput duodeviceſimum eiusdem Regulæ Benedictinæ, locum illum adi si plura cupis.

LXXVI. AD COMPLETORIVM.

Priuatarum dierum Officio ritè ordinato, S. Aurelianus redit ad Vigilias & Laudes, & quomodo vtræque celebrandæ sint in Natiuitate Dominica & in Epiphania, sic exponit. *In Natali Domini & in Epiphania, tertiâ horâ noctis surgite, dicite vnum Nocturnum, & facite sex Missas de Isaia Propheta, iterùm dicite secundum Nocturnum, & legantur aliæ sex de Euangelio. In Epiphania ita, inprimis vnum Nocturnum, deinde de Daniele Propheta facite illas sex Missas,*

LXXVII AD VIGILIAS ET LAVDES IN NATALI DOMINI ET IN EPIPHANIA.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

& Nocturnos, & iterùm de Euangelio sex. Matutinos eo ordine, sicut in Paſcha ſcripſimus aut Dominicis diebus. Vigilias iſtarum feſtiuitatum, quæ valdè ſolemnes in Eccleſia ſemper fuerunt, mutuatur ex Appendice ſancti Cæſarij, quæ totidem ponit Nocturnos, totidémque Miſſas ſeu Lectiones & ex iiſdem locis deſumptas, eâ tamen intercedente differentiâ, quòd ſanctus Aurelianus ſingulis Nocturnis Miſſas ſex ſubiicit, ſanctus autem Cæſarius ipſas Vigilias auſpicatur à prioribus ſex Miſſis, tum duos continuò Nocturnos, ac poſtremo loco ſex poſteriores Miſſas ſubdit. *Natalis*, inquit, *Domini, & Epiphaniæ ab hora tertia noctis vſque ad lucem vigilandum eſt, ita vt ante Nocturnos Miſſæ ſex de Prophetia Iſaiæ, & poſt Nocturnos Miſſæ ſex de Euangelio dicantur. In Epiphania ante Nocturnos Miſſæ ſex de Daniele fiant, poſt Nocturnos de Euangeliis Miſſæ ſex.* Lege quæ diximus ad illum textum beati Cæſarij.

LXXVIII. ET IN NATALITIIS MARTYRVM.

A Miſſis ſeu Lectionibus, quæ fiunt in Vigiliis Dominicæ Natiuitatis & Epiphaniæ, tranſit ſanctus Aurelianus ad eas, quæ fieri debent in Natalitiis Martyrum & quâlibet feriâ ſextâ. *In Martyrum feſtiuitatibus tres aut quatuor Miſſæ fiant, primam Miſſam de Euangelio legite, reliquas de paſſionibus Martyrum. Omni ſextâ feriâ poſt Duodecimam ſex Miſſæ ad librum legantur, & poſt Nocturnos, tres.* Habet conformia S. Cæſarius in Appendice: ſic enim ſancit de feſtiuitatibus Martyrum. *Quando feſtiuitates Martyrum celebrantur, prima Miſſa de Euangeliis legatur, reliquæ de paſſionibus Martyrum.* Et de feria ſexta poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten. *Poſt Paſcha verò vſque ad Pentecoſten ſextâ feriâ ſemel reficiendum eſt. Et poſt Duodecimam ſex Miſſæ futuræ ſunt. Poſt Nocturnos verò Miſſæ tres ad librum fieri debent vſque ad lucem.*

ET FERIA SEXTA AD VESPERAM.

LXXIX. AD LAVDES ET AD TERTIAM IN SABBATO.

De Officio Sabbati, id peculiariter præcipit ſanctus Aurelianus, vt ad Laudes dicantur Canticum Moyſis & Iſraëlitarum, *Cantemus Domino*, & Hymnus *Te Deum laudamus*, de quibus nos alibi; ad Tertiam tres Lectiones, prima de Prophetis, ſecunda de Apoſtolo, tertia de Euangelio. *Omni Sabbato ad Matutinos, [Cantemus Domino] & [Te Deum laudamus:] Ad Tertiam tres Lectiones, vna de Prophetis, alia de Apoſtolo, tertia de Euangelio dicantur.* Eaſdem Lectiones Sabbato ad Tertiam ponit ſanctus Cæſarius in Appendice poſt Recapitulationem ſuæ Regulæ. *Dominicâ verò die vel Sabbathorum, ad Tertiam Pſalmi ſex, poſt quos Lectiones tres, vna de Prophetis, alia de Apoſtolo, tertia ex Euangelio, & poſt ipſas Lectiones Pſalmi ſex, Antiphona vna, Hymnus & Capitellum.* Hæ præceptiones oſtendunt Sabbata ſanctis Cæſario & Aureliano ſolemnia fuiſſe, ſi Quadrageſimalia excipias, de quibus agit Synodus Agathenſis, vt ſæpiùs à nobis obſeruatum eſt.

LXXX. AD VIGILIAS ET AD TERTIAM DIEI DOMINICÆ.

Superiori ſanctioni, quæ fuit de Officio Sabbati, ſanctus Aurelianus duas ſubiungit, quæ pertinent ad Officium diei Dominicæ, prior ad Vigilias, ad Tertiam poſterior. Illa talis eſt. *Omni Dominicâ poſt Nocturnos cùm prima Miſſa legitur, id eſt, Reſurrectio, nullus ſedere præſumat, ſed omnes ſtent. Aliâ Dominicâ alia Reſurrectio, & ſic in ordine totæ quatuor Reſurrectiones per ſingulas Dominicas legantur.* Hæc talis. *Poſt Tertiam verò, [Pater noſter] dicite, & pſallendo omnes communicent.* Et extenditur ad feſtiuitates. *Sic & in feſtiuitatibus facite.* Prior in Appendice Cæſarij ſic habetur. *Omnibus verò diebus Dominicis ad Vigilias Euangelia legantur, ſed ſemper in prima Miſſa vna Reſurrectio legatur, alterâ Dominicâ altera Reſurrectio, ſic & tertiâ, ſicque quartâ. Et dùm illa prima Miſſa in Reſurrectione legitur, & ſemper in prima Miſſa vna Reſurrectio legitur, nemo ſedere præſumat. Poſtèà verò in illis quinque Miſſis quæ ſequuntur, omnes ſecundùm conſuetudinem ſedeant.* Poſterior, de qua nihil occurrit in Regulis ſancti Cæſarij, docet quibus diebus & quâ horâ Monachi Monialéſque communicare debeant. Apud Caſſianum[a] Monachi ſolemniter horâ Tertiâ conueniunt in Eccleſiam ad diuina myſteria celebranda & percipienda. *Excepiis*, inquit, *Veſpertinis ac Nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica ſolemnitas, abſque die Sabbathi vel Dominicâ celebratur, in quibus horâ Tertiâ ſacra Communionis obtentu conueniunt.* Quid ſanctus

[a] Lib. 3. c. 2.

ctus Benedictus hac de re statuerit, haud satis constat, tamen ex eo quod præcipit, vt *Septimanarij ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem, in diebus solemnibus vsque ad Missas sustineant*, coniicere est Monachos iuxta illius Regulam *diebus solemnibus* ad sacram Eucharistiam accessisse. Dies solemnes sanctus Aurelianus dies Dominicos & festiuos interpretatur, iniungitque Monachis & Monialibus, vt & orationem Dominicam dicant ante communionem, & psallendo communicent. Æquissimum semper visum fuit, vt fideles, qui Corpus Dominicum sumpturi erant, orationem Dominicam ante communionem recitarent. *Mos Apostolorum fuit*, inquit sanctus Gregorius [a] in literis ad Ioannem Episcopum Syracusanum, *vt ad ipsam solummodò orationem oblationis hostiam consecrarent.* Et teste sancto Hieronymo aduersus Pelagianos [b], *Christus docuit Apostolos suos, vt quotidie in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, &c. S. Ambrosius libro quinto de Sacramentis, breuem init expositionem orationis Dominicæ, quæ post consecrationem à Sacerdote Missam celebrante dici consueuit; per panem quotidianum, quem Christiani postulant sibi dari, panem intelligit vitæ æternæ, id est, Corpus Christi, captâque inde occasione cunctos fideles, vt panem illum quotidie sumant, sic hortatur. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Memini sermonis mei cum de Sacramentis tractarem. Dixi vobis quòd ante verba Christi quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur sed Christi corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominicâ, quæ posteà sequitur, ait, Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideò Græcè ἐπιούσιον dicitur. Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt aduenientem. Quia Græci dicunt τὸν ἐπιοῦσαν ἡμέραν aduenientem diem. Ergo quod Latinus dixit & quod Græcus, vtrumque vtile videtur. Græcus vtrumque vno sermone significauit, Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, vt quotidie mereari accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Sanctus igitur Aurelianus antiquissimum Ecclesiæ morem secutus videtur, cùm præcepit Monachis & Monialibus, vt orationem Dominicam dicerent ante sumptionem Eucharistiæ. Quod autem addidit vt psallerent, id egit ad significandam lætitiam, quam testari debet is qui diuinis sacramentis communicat. Psalmodia enim lætitiæ signum est, ideóque in Regula Magistri [c], *Psalmorum silentium* in die Parasceues indicitur.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

[a] Lib. 7. ep. 64.

[b] Lib. 3. c. 5.

[c] Cap. 53.

Denique caput de ordine psallendi sanctus Aurelianus claudit his verbis. *Missa verò, quando sancto Abbati* (vel *sanctæ Abbatissæ*) *visum fuerit, tunc fiant.* Huius phraseos, quæ, propter varias acceptiones Missæ, multas interpretationes pati potest, genuinum putamus esse sensum, vt ad singulas horas Canonicas cuiuslibet diei, Lectiones quæ toto hoc capite Missæ vocantur, non priùs fiant, quàm Abbas aut Abbatissa signum fecerit.

LXXXI.

Alterum caput est de sepultura Monachorum. *Quando aliquis defunctus fuerit, vsque mediam noctem eum pauci fratres in Oratorio pernigilent, & Missas* seu Lectiones *faciant. Post mediam noctem qui vigilauerunt quiescant, & iterum alij vigilent. Et ponite hoc in notitiam sancto Episcopo, vt eum iubeat ad locum, vbi ponendus est, deportari. Sin verò præstare despexerit, de quacumque Ecclesia Clericos rogate qui eum deducant, & date illis eulogias.* In Regula Monialium hoc loco nullum est verbum est de sepulturâ sororum, quia hæc priùs sancita sunt capite XXXVIII. eiusdem Regulæ. *Quando aliqua defuncta fuerit, vsque mediam noctem eam pauca sorores in Oratorio peruigilent, & Missa de Apostolo fiant, post mediam noctem quæ vigilauerunt quiescant, & iterum aliæ vigilent, & ponite hoc in notitiam sancto Episcopo, vt eam iubeat ad locum, vbi ponenda est, deporta-*

LXXXII. DE SEPVLTVRA MONACHORVM.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

ri. Habet autem consentanea S. Cæsarius in Appendice. *Quando aliqua defuncta fuerit, pauca sorores illam vigilent vsque ad mediam noctem, & legatur Apostolus. Post mediam verò noctem illæ quæ vigilauerunt vsque ad Matutinos requiescant, & reliquæ vigilantes vnam Missam faciant de Euangeliis, reliquas de Apostolo. Et hoc si aliqua senior de hac luce migrauerit. Si verò iunior fuerit, de Apostolo fiant Missæ vsque ad Matutinos. Ante omnia studendum est, vt cùm aliqua de sororibus defuncta fuerit, sancto Episcopo in notitiam deponatur, vt ipse eam vsque ad Basilicam, vbi ponenda est, psallendo pro sancta deuotione deducat, & Clerici de sanctâ Mariâ.*

LXXXIII. DE ORDINE CONVIVII.

Caput vltimum de ordine conuiuij penè totum desumitur ex Appendice sancti Cæsarij, potestque duas in partes diuidi commodissimè. Prior est de numero ferculorum ac potionum, posterior de tempore ieiunij.

LXXXIV. DE NVMERO FERCVLORVM.

De numero ferculorum sanctus Aurelianus in Regula Monachorum ita sancit. *Cibaria cotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cœnam duo.* Diebus ieiunij fit vna comestio, quæ dicitur refectio; aliis diebus duæ, quarum vna prandium, altera vocatur cœna. Sanctus Aurelianus tria fercula vult præparari diebus ieiuniorum ad refectionem; aliis diebus duo ad prandium, totidem ad cœnam. Idem statuerat sanctus Cæsarius in Regulâ Monachorum [a]. *Cibaria in ieiunio tria* (corruptè in exemplaribus hactenus editis, *missas & missus in ieiunio tres*) *in prandio verò & in cœnâ duo tantùm præparentur.* Et in Appendice ad Regulam Monialium. *Cibaria* (prauè *ciborum* apud Bollandum) *omnibus diebus in ieiunio tria, in prandio bina tantummodò præparentur.* Prandium enim hic opponit ieiunio, & vt ieiunij diebus ad refectionem tria cibaria seu fercula, sic & aliis diebus ad singulas comestiones, ad prandium videlicet & ad cœnam, duo concedit. Textus apud sanctum Aurelianum in Regulâ Monialium est deprauatus. *Fercula quotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cœnam duæ bibituriæ.* Sicque restitui debet. *Fercula quotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cœnam duo.* Error promanauit ex vitiosâ interpunctione, nam malè quis apud eundem Auctorem in Regula Monachorum ita legit, *cibaria cotidie ad refectionem tria, ad prandium duo, ad cœnam duo biberes*, cùm vox *biberes* non ad præcedentem sanctionem pertineat sed ad subsequentem in quâ sic de biberibus seu bibituriis.

[a] Cap 21.

LXXXV DE NVMERO POTIONVM IN ÆSTATE.

Biberes ad refectionem, id est, in æstate, merum & tres caldellos, ad prandium tres tantùm, ad cœnam in æstate mensibus Iunio, Iulio & Augusto ternas, reliquis diebus ad cœnam binas bibant. In editione Holstenianâ non *biberes* sed *bibere*, idque corruptè legitur. Sanctio est de diebus æstiuis, à Paschate videlicet ad Kalendas Octobris. Auctor ita statuit. Monachi in æstate, diebus quibus ieiunant, in refectione merum, id est, vasculum vini, sumant cùm tribus caldellis, id est, cum tribus vasculis cerusiæ aut zythi, ceteris diebus abstineant à vino; in prandio tres accipiant caldellos; in cœnâ mensibus Iunio, Iulio & Augusto totidem, duos reliquis mensibus Aprili, Maio & Septembri. Hanc autem differentiam in cœna constituit, quia mensibus Iunio, Iulio & Augusto calores vehementiores esse solent quàm aliis mensibus. Mancus videtur in Regulâ Monialium, nam cùm loqui debeat de cunctis comestionibus quæ fiunt diebus æstiuis, præceptionem suam, quantùm ad refectionem & ad prandium, restringit ad menses Iunium, Iulium & Augustum, &, quantùm ad cœnam, dilatat ad totum annum. *Ad refectionem in æstate, mense Iunio, Iulio & Augusto, caldellos tres, ad prandium tres, ad cœnam omni tempore binos.* Nihil autem occurrit in Appendice sancti Cæsarij, quod ad biberes seu bibiturias in æstate diebus ieiunij pertineat, aliis diebus in eâdem æstate duo ad prandium caldelli sic præscribuntur. *Quotidianis verò diebus in æstate ad prandium binos caldellos accipiant.*

LXXXVI. DE DVLCIAMINIBVS.

Tertia sanctio est de numero ferculorum nonnumquam augendo. Concedit sanctus Aurelianus vt in festiuitatibus & quando Abbas vel Abbatissa voluerit, & numerus ferculorum augeatur, & addantur dulciamina. Sic enim statuit in Regulâ Monachorum. *In festiuitatibus verò & quando Abbas indul-*

gentias voluerit facere, & cibaria quantùm ipſe voluerit, & recentes addantur. Et in Regula Monialium. *Per feſtiuitates verò, & quando Abbatiſſa indulgentias voluerit facere, & cibaria quanta ipſa voluerit ordinet, & recentes addat.* Vitium eſt in vtroque textu, quid enim vox *recentes* ibi ſignificet, haud colligi poteſt. Sanctus Cæſarius, qui plurium ferculorum indulgentiam in ſolis maioribus feſtiuitatibus elargitur, in Appendice ad Regulam Monialium apud Bollandum ſic habet. *In feſtiuitatibus maioribus ad prandium & ad cœnam ferculà addantur, & recentes de dulciamina addenda ſunt.* Vitioſa eſt & hæc editio. Franciſcus Meinardus Anteceſſor Pictauienſis iampridem legendum putauit, *& recedentes de dulciamine augendæ ſunt.* Proſper Stellartius & Lucas Holſtenius poſteà repoſuerunt, *& recedentibus de eâ*, nempe cœnâ, *dulciamina addenda ſunt*, vt velut auctarij loco Moniales in feſtiuitatibus maioribus aliquid dulciaminis accipiant à prandio vel cœnâ recedentes. Sanctus igitur Aurelianus Monachis & Monialibus nonnulla per indulgentiam tribuit aliquando dulciamina, de quibus egimus ſuprà in explicatione Appendicis, quam ſanctus Cæſarius Recapitulationi ſuæ Regulæ ſubiecit.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

LXXXVII. DE QVALITATE FERCVLORVM.

Quarta ſanctio eſt de qualitate ferculorum. *Quotidie verò olera caſeo & oleo ſemper condiantur.* Ita Codex Monachorum. Codex autem Monialium ſic. *Quotidianis verò diebus olera fermatico & oleo ſemper fercula condiantur.* Hæc deſunt in Appendice ſancti Cæſarij.

LXXXVIII. DE NVMERO POTIONVM IN HYEME.

Quinta ſanctio eſt de numero potionum in hyeme. *Biberes binas ad prandium, binas ad cœnam accipiant; ſi ieiunauerint, ternas.* Hæc leguntur apud ſanctum Aurelianum in Regula Monachorum, abſunt à Regula Monialium. Similia tamen in Appendice ſancti Cæſarij reperiuntur. *In hyeme ad prandium binos caldellos, ad refectionem ternos caldellos accipient, ad cœnam verò bini caldelli ſufficiunt.* Ita enim habent editiones Duacenſis & Romana, hoc autem loco manca eſt Antuerpienſis.

LXXXIX. DE TEMPORE IEIVNII.

Alterâ huius capitis parte, quæ ieiunium certis diebus atque hebdomadis præſcribit, ſanctus Aurelianus totum anni circulum in varia tempora partitur.

XC. MENSIBVS SEPTEMB. ET OCTOBR.

Primo, ieiunium per menſes Septembrem & Octobrem indicit feriis ſecundâ quartâ & ſextâ. *Ieiunium verò à Kalendis Septembris vſque ad Kalendas Nouembris* (vitioſè, *Octobris*, in Regulâ Monachorum) *ſecundâ, & quartâ, & ſextâ feriâ.* Id mutuatus eſt ex Appendice ſancti Cæſarij, quæ ſic ſtatuit. *A Kalendis Septembris vſque ad Kalendas Nouembris, ſecundâ, & quartâ, & ſextâ feriâ ieiunandum eſt.*

XCI. NOVEMB. ET DECEMB.

Secundò, à Kalendis Nouembris vſque ad feſtiuitatem Natiuitatis Dominicæ, ieiunium quotidie indicit, exceptis Sabbato & die Dominico. *A Kalendis Nouembris vſque ad Domini Natale quotidie ieiunandum eſt, abſque Sabbato & Dominicâ.* Cæſarius in Appendice feſtiuitates excipit, nec vllam diei Dominicæ mentionem facit. *A Kalendis verò Nouembris vſque ad Natalem Domini, exceptis feſtiuitatibus vel Sabbatho, omnibus diebus ieiunare oportet.* At vterque præter Sabbatum feſtiuitates & diem Dominicam intendit excipere. Sanctus Cæſarius diem Dominicam inter feſtiuitates comprehendit, in Regula enim Monachorum [a] ſæpiùs inculcat die Dominicâ non eſſe ieiunandum. *Ante duas*, inquit, *hebdomadas ante Quadrageſimam, quotidie ieiunandum, exceptâ Dominicâ, in qua non licet penitus ieiunare propter Reſurrectionem Domini. Si quis die Dominico ieiunauerit, peccat.* Et paulò poſt. *Inde poſteà vſque Paſcha, omni die ieiunandum, abſque die Dominicâ. Qui Dominicâ ieiunat, peccat.* Similiter ſanctus Aurelianus per diem Dominicam non tantùm primam cuiuſlibet hebdomadæ diem, quæ Dominicæ Reſurrectioni dicata eſt & Dominica vocari conſueuit, ſed & dies quaſcúmque feſtiuas intelligit. Etenim quemadmodum ſanctus Cæſarius die Dominicâ, ſic & ſanctus Aurelianus ieiunare vetuit in feſtiuitatibus, ordini enim pſallendi nuper inſeruit præceptum, quo Monachi Monialéſque per ſingulas dies Dominicas & in feſtiuitatibus ad ſacram Euchariſtiam tenerentur accedere. Cur autem vterque hoc loco excipiat

[a] Cap. 22.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

Sabbatum, super quo maior difficultas oriri posset, exposuimus suprà.

XCII. AB EPIPHANIA AD PASCHA.

Tertiò, pergit S. Aurelianus. *Ab Epiphania verò vsque ad Pascha quotidie ieiunandum est absque maiori festiuitate, Sabbato ac Dominica.* Aliter statuit sanctus Cæsarius, sic enim præcipit in Appendice. *Ab Epiphania vsque ad hebdomadam Quadragesimæ secundâ, quartâ & sextâ feriâ ieiunandum est.* Et in Regula Monachorum [a]. *A Domini Natale vsque ante duas hebdomadas de Quadragesima, secundâ, quartâ & sextâ* feriâ; *inde posteà vsque Pascha, omni die ieiunandum absque die Dominica.* Istæ sanctiones non parum pugnant inter se, quia sanctus Cæsarius Monachis plura quàm Monialibus indicit ieiunia, & sanctus Aurelianus ieiunium die Sabbati ne quidem in Quadragesima præcipit. Non miramur plura Monachis quàm Monialibus imperari ieiunia, sed cur sanctus Aurelianus à sancto Cæsario super ieiunio Sabbatorum in Quadragesima dissideat, non capimus. Anno Christi quingentesimo-sexto Synodus Agathensis [b], cui regnante tunc Alarico Wisigothorum Rege sanctus Cæsarius præerat, decreuit, *vt omnes Ecclesiæ filij, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato, sacerdotali ordinatione & districtionis comminatione ieiunent.* In Concilio Aurelianensi primo, quod regnante apud Francos Clodoueo celebratum est anno Christi quingentesimo vndecimo, cùm ciuitas Arelatensis in potestate Wisigothorum adhuc esset, par sanctio publicata est, vt probauimus ad illa verba Canonis vicesimi quarti. *Ante Pascha solemnitatem non Quinquagesima sed Quadragesima teneatur.* Et in Concilio Aurelianensi quarto [c], quod habitum est anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, cùm Childebertus & Clotarius filij Clodouei regnarent in Francia cum Theodoberto eiusdem Clodouei nepote, & Arelate Childeberto Regi iam pareret, sancitum est denuò, *ne per Sabbata absque infirmitate quisquam soluat Quadragesimæ ieiunium.* Quis credat sanctum Aurelianum, cùm paucis pòst annis regnante eodem Childeberto in Arelatensi cathedra sederet, sancto Cæsario tótque Synodis ausum adeò apertè refragari? Censemus igitur, aut ex sancti Aureliani præcepto, quod examinamus, expungendam esse hanc vocem *Sabbato*, aut præceptum illud non esse prorogandum ab Epiphania vsque ad Paschа, sed tantùm ab Epiphania vsque ad Quadragesimam, à qua ieiunij Paschalis initium sumatur. Posteriorem hanc emendationem priori præferendam putamus, quia sanctus Cæsarius in Appendice, quam Recapitulationi suæ Regulæ subiecit, sanctionem de ieiunio post Epiphaniam non vlteriùs extendit. *Ab Epiphania*, inquit [d], *vsque ad hebdomadam Quadragesimæ, secundâ, quartâ & sextâ feriâ ieiunandum est*, Textus igitur sancti Aureliani de ieiunio post Epiphaniam sic est restituendus: *Ab Epiphania verò vsque ad hebdomadam Quadragesimæ quotidie ieiunandum est absque maiori festiuitate, Sabbato & Dominica.* Nec est quòd obiicias tali correctione semel receptâ sanctum Aurelianum de ieiunio Quadragesimali penitùs silere. Nam sanctus etiam Cæsarius in Appendice prælaudata, quam sanctus Aurelianus in multis locis penè ad verbum describit, nihil distinctè statuit de ieiunio Quadragesimali. Neuter enim decernendum putat de ieiunio, quod ab Ecclesia fidelibus omnibus indictum nouit. Alibi tamen sanctus Cæsarius totâ Quadragesimâ quotidie ieiunandum docet, exceptâ tantùm die Dominicâ. Sic enim sancit in Regula [e] Monachorum iam citata. *A Domini Natale vsque ante duas hebdomadas de Quadragesima, secundâ, quartâ & sextâ: inde posteà vsque ad Pascha, omni die ieiunandum, absque die Dominica.* Incredibile prorsus videtur sanctum Aurelianum ab hac sancti Cæsarij sententia recessisse super ieiunio Quadragesimali. Tertiæ igitur sanctioni sancti Aureliani de ieiunio, prout à nobis restituta est, sua stet fides, nec existimet quispiam sanctum Aurelianum sancto Cæsario Synodisque Agathensi & Aurelianensibus primæ ac quartæ aduersatum esse, atque iniunxisse Monachis & Monialibus vt ieiunium Sabbato per Quadragesimam soluerent.

[a] Cap. 22.
[b] Can. 22.
[c] Can 1.
[d] Inedit Duac. & Rom.
[e] Cap. 22.

XCIII. POST PASCHA.

Quartò, sanctus Aurelianus à Pascha vsque ad Pentecosten ieiunium indi-

cit quâlibet feriâ sextâ. *Post Pascha verò vsque ad Pentecosten sextâ feriâ tantùm ieiunandum est.* Id accepit ex Appendice sancti Cæsarij, quæ sic habet. *Post Pascha verò vsque ad Pentecosten sextâ feriâ semel reficiendum est.* AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14. XCIV. POST PENTECOSTEN.

Denique sanctus Aurelianus post Pentecosten ad Kalendas vsque Septembres totam ieiuniorum rationem arbitrio Abbatis vel Abbatissæ sic relinquit. *Post Pentecosten mense Iunio, Iulio & Augusto in potestate Abbatis* (vel *Abbatissæ*) *sit de ieiunio aut prandio; sicut viderit possibilitatem fratrum* (vel *sororum*) *ita studeat temperare.* Id quoque mutuatus est à sancto Cæsario, qui ieiunium à Pentecoste vsque ad Kalendas Septembris in Appendice sic præscribit. *Ieiunium à Pentecoste vsque ad Kalendas Septembris. Abhinc eligite quomodo debeatis ieiunare, id est, quomodò virtutem vel possibilitatem viderit Mater Monastery, sic studeat temperare.*

XCV.

Huc vsque de Regulis sancti Aureliani, quarum collationem cum Appendice S. Cæsarij diligenter inundam duximus, quia eidem Appendici, cuius alioquin fides vacillaret, non parùm lucis atque auctoritatis affert.

XCVI. EPISCOPI AVENTIC.

In Auenticensium Episcoporum Catalogo post Superium, qui Pontificatum anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto suscepit, ponitur Marius, qui sedere cœpit anno Christi circiter quingentesimo septuagesimo-sexto. Potuit quidem vnus Antistes eidem Ecclesiæ præesse per annos duos & quadraginta, sed Præsulatum Superij non existimamus adeò diuturnum fuisse, quia in Actis sanctorum Martyrum Vincentij, Orontij & Victoris, qui coluntur vndecimo Kalendas Februarij, duos Auenticæ Ecclesiæ Antistites hactenùs omissos deprehendimus, Ætherium videlicet & Anonymum qui prædictorum Martyrum passionem conscripsit, ipsúmque Ætherium suum in Episcopatu antecessorem laudauit, his autem inter Superium & Marium in Pontificum nomenclatura locum esse concedendum multæ res demonstrant, quas inferiùs exponemus. Prænominati Martyres in Hispania tormenta mortémque subierunt, posteà delati sunt in Gallias, sepultique iuxta muros ciuitatis Ebredunensis à S. Marcellino Episcopo. Ibi constructum fuit insigne Monasterium, cui Beroaldus Abbas præerat cùm partem reliquiarum popposcit impetrauitque Ætherius Episcopus. Hæc omnia in literas retulit successor ipsius Ætherij, atque in illo opere nomen suum reticuit, séque peccatorem more tunc ab Episcopis vsitato & humilitatis causâ nuncupauit. Sammarthani lucubrationem illam non eâ legerunt quâ par fuit attentione: Ætherium enim fingunt Episcopum Ebredunensem; Ætherij successorem Ætherium nomine, cognomine peccatorem, fuisse volunt; sícque duos Ætherios statuunt Ebredunenses Episcopos, vnum quem in Actis Martyrum suprà memoratorum commendari dicunt, alterum quem asserunt priori successisse, prædictorum Martyrum passionem scripsisse, & Synodo Cabilonensi sub Clodoueo secundo Rege interfuisse; præterea Martyrum reliquias non Ætherio Episcopo ab Abbate Beroaldo sed Abbati Beroaldo ab Ætherio Episcopo traditas affirmant, eundémque Beroaldum Abbatem fuisse Monasterij Noualicien-sis in valle Segusiana Taurinensis Diœceseos contendunt. Ab Authoris mente quantùm discrepent facilè disces ex hoc eius textu quem tibi legendum proponimus [a]. *Gesta beatissimorum Martyrum Vincentij, Orontij & Victoris Lerinita (quæ mihi omnium Sacerdotum minimo, relatione succedentium comperta sunt) reticere non audeo. Ætherius namque vir totius prudentiæ atque religionis, Antinciæ Ecclesiæ Antistes (cui Deo authore ego indignus successor extiti) cognitâ crebrâ miraculorum opinione, cupiens aliquam reliquiarum eorumdem Martyrum habere portionem, flagrantissimo æstuans desiderio, misit ad Abbatem Beroaldum, qui tunc illi præerat loco, obnixè deprecans, quò petitioni suæ libenti annueret animo. Qui pristinæ memor amicitiæ, quâ in Christi olim connexi fuerant caritate, sponte, siquidem id permiserit Dominus, se illius precibus spopondit assensum præbiturum. Ieiuniis denique precibusque, vt desiderio præfati Præsulis satisfaceret, ritè peractis, ad locum vbi beatorum Martyrum corpora tumulata fuerant, cum ingenti ingressus est*

[a] Apud Bolland. die 22. Ian.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. R R. 37. THEOD. R. 14.

metu, orans quatenùs placeret illis saltem maximam reliquiarum suarum reuerenter sumi particulam. Quibus sanè fauentibus, duas ex eorum digitis particulas secum detulit, ac pro magno munere petenti direxit Pontifici. Ille igitur hæc audiens, immenso repletus gaudio, cum psallentium choro gratulabundus occurrit, & Deo referens gratias, desiderata dia Sanctorum pignora in loco qui Nouiacus dicitur honestè locauit. Vox *Antinciæ* proculdubiò deprauata est, sed eius loco quis reponat Ebredunum? inter illas voces *Antinciæ & Ebreduni* quid affinitatis est ac conformitatis? Bollandus, cùm aduerteret sermonem haberi de reliquiis, quæ ex Monasterio muris Ebredunensibus adiacenti translatæ sunt in aliam Diœcesim, expuncto *Antinciæ* vocabulo restituendam putauit vnam ex his vocibus, *Diniæ, Sanicy, Niciæ*, quia tres hæ ciuitates Episcopales, Dinia, Sanicium & Nicia, Ebredunensi Metropoli subsunt. Cùm autem nihil obstet quominùs Beroaldus Abbas reliquias Martyrum ad Ætherium Episcopum extra prouinciam Ebredunensem seu maritimarum Alpium transmiserit, eundem Ætherium, qui corruptè *Antinciæ Ecclesiæ Antistes* in textu præcitato vocatur, non Diniæ, non Sanicij, non Niciæ, sed Auenticæ Ecclesiæ Antistitem existimamus. Opinionem nostram hæ duæ res multùm confirmant. Vocabulum *Antinciæ* magis accedit ad vocem *Auenticæ* quàm ad prædictas *Diniæ, Sanicij & Niciæ.* Deinde successor Ætherij testatur Lugdunum se properasse *nauali itinere per Rhodanum*, idque Auenticæ Ecclesiæ Antistiti rectè conuenit, dici verò non potest de Diniæ vel Sanicij aut Niciæ Pontifice. *Cùm ego peccator, qui hanc paginunculam compilaui*, (verba sunt Authoris) *ad Principem Lugduno nauali itinere per Rhodanum properarem.* Vt scriptoris mentem nostramque capias, obserua stylum eius esse barbarum alienúmque à pura Latinitate, cùm enim Ætherius dicitur ad Principem *Lugduno* properasse, si Latina syntaxis attenditur, vox *Lugduno* non locum ad quem Ætherius iter susceperit, sed locum designat à quo profectus est, & Ætherius videtur à ciuitate Lugdunensi digressus vt Principem alibi commorantem adiret. Verùm anonymus, cuius phrasim examinamus, contra Grammaticam non semel peccat, terminum, ad quem itur, enuntiando per sextum casum, vt cùm Martyrum pignora, quæ Beroaldus Abbas Nouiacum ad Ætherium Episcopum transmisit, *Nouiaco deportata* tradit. *Addidit etiam*, inquit, *quo ordine ad se perueniissent eorum pignora, quæ ab Abbate Beroaldo vel Monachis eius, vt supra retulimus, sanctorum sepulchris fuerant ablata, & Nouiaco deportata.* Hinc colligimus ista scripta esse ab Authore, qui non abfuit ab ætate Gregorij Turonensis, nam Gregorius in eiusmodi errorem sæpè lapsus est, sextum casum pro quarto & vice versâ pro sexto quartum non rarò vsurpauit, ideóque in præfatione ad librum de gloriâ Confessorum confessus est imperitum meritò se dici, qui *pro ablatiuis accusatiua & rursum pro accusatiuis ablatiua* poneret. Gregorius Pontificatum Turonensem paucis annis iniit antequàm Marius Auenticensem susciperet. Marius Episcopalem sedem Auentico Lausannam transtulit, quapropter qui post eum sederunt Episcopi Lausannenses appellantur, & Arricus sub Clodoueo secundo Rege Concilio Cabilonensi subscribit *Episcopus Ecclesiæ Lausanensis.* Ætherius igitur illiusque successor, qui Auenticæ, (corruptè Antinciæ) Ecclesiæ Antistites fuisse leguntur, Marium in Episcopatu antecesserunt. Quòd autem Marium immediatè præcesserint, id non obscurè insinuat Ætherij successor, cùm ait se Lugdunum ad Principem properasse, siquidem habitâ ratione cùm Auenticensium Pontificum quorum nomina nota sunt, tum Orthodoxorum Principum quibus Lugdunum paruit, Princeps cuius videndi causâ Præsul Auenticensis Lugdunum perrexit, alius non videtur à Guntchramno Francorum Rege, cui post Clotarij patris obitum in partem hæreditatis obtigit Lugdunum, vt Concilij Lugdunensis anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo celebrati subscriptiones testantur. Ab obitu sancti Chilmegiseli vsque ad beati Marij Pontificatum effluxerunt anni duo circiter ac quadraginta, spatio tem-

poris adeò longo tres ſedere potuerunt Auenticenſes Epiſcopi, quorum vnicuique ſi quatuordecim annos Præſulatus attribuas, hoc anno mors Superij Ætheriique ſubrogatio collocari debent. Ætherius, vt ex ſupradictis patet, vir totius prudentiæ atque religionis fuit, à Beroaldo Abbate Monaſterij Ebredunenſis, in quo ſanctus Vincentius ſociique Martyres quieſcebant, duas ex eorum digitis particulas accepit, honeſtéque depoſuit in loco, cui nomen Nouiacus. Cetera eius acta deſiderantur. Quomodò prædictæ reliquiæ Nouiaco Lugdunum poſteà delatæ fuerint, ſic explicat Ætherij ſucceſſor iam laudatus. *Plurimo ſpatio temporis elapſo, accidit vt vnus è fratribus, Aſtroaldus nomine, inſtinctu diaboli agitatus, ipſas prælibatorum reliquias Sanctorum furtim auferre conaretur. Qui compos voti ſui tandem effectus, quod diu agere nequiter conatus fuerat, opere perpetrauit nefario, aſſumenſque deinde reliquias furtim, vt dictum eſt, ablatas, venit Lugdunum. Ibidem reperiens quendam religioſum virum, nomine Beatum, cui quod audacter egerat cautè confeſſus eſt. Quo ille audito dirâ cum innectione correcens, monuit vt pœnitentiam tanti commiſſi agens, humiliter iam præfatas reliquias ad proprium, vnde eas temerè abſtulerat, referret locum. Quod ille parumpendens atque detrectans agere, non multò poſt à quodam comite ſuo, ferè miliario vno à cellulâ prædicti viri Dei, eſt interfectus.* Eaſdem reliquias recuperauit ſucceſſor Ætherij, cùm forte Lugdunum ad Principem properaſſet, vt infrà dicturi ſumus ſub Guntchramni Regis Principatu. Nouiacus locus erat inſignis Monaſterio, pertinebátque ad Diœceſim Auenticenſem, cui præfuerunt Ætherius eiúſque ſucceſſor qui ſanctorum Vincentij, Orontij & Victoris paſſionem literis commendauit. Sammarthani Nouiacum confundunt cum Noualicio, & quia Ætherium fingunt Ebredunenſem Epiſcopum, ab eóque reliquias Martyrum datas Abbati Beroaldo putant, ipſum Beroaldum loci in quo illa ſanctorum pignora collocata ſunt ſeu Monaſterij Noualicienſis Abbatem fuiſſe ſcribunt. At Beroaldus Abbas fuit in Epiſcopatu Ebredunenſi, reliquias Martyrum non accepit ab Ætherio Epiſcopo, ſed illas ad eundem Ætherium Epiſcopum tranſmiſit, illáſque Nouiacum non autem Noualicium deferendas curauit. Monaſterium Noualicienſe regnante apud Oſtrogothos Theodorico conditum fuit ad radices Cinitij montis, nec procul à flumine Cinitio in valle Seguſianâ Diœceſeos Taurinenſis, euerſúmque à Langobardis anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, cùm vallis Seguſiana ditionibus Francicis nondum acceſſiſſet, vt ad illum annum obſeruabimus, conſule interim Vghellum tomo quarto Italiæ ſacræ in elogio Vrſicini Taurinenſis Antiſtitis, vbi non pauca commemorat de Cœnobio Noualicienſi.

AN. CH. 548. CHILDEB. CLOTAR. RR. 37. THEOD. R. 14.

MONAST. NOVIAC.

ANNVS CHRISTI 549. CHILDEBERTI R. 38. CLOTARII R. 38. THEODOBALDI II. R. 1. INDICTIO 12.

549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

ANNVS Chriſti quingenteſimus quadrageſimus-nonus notatur in faſtis octauus poſt Conſulatum Baſilij, currente Indictione duodecimâ. Belli Gothici numeratur apud Procopium [a] decimus-quintus, quo Totilas Ro-

I.

[a] Lib. 3. de bell. Gothi. cap. 37.

AN. CH. mam cepit, instaurauitque ne ludibrio Francorum obnoxius fieret, deinde cum copiis in Siciliam transfretauit.

549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

Hoc anno, vt ex decima-tertia Vigilij Romani Pontificis epistola constat, Aurelianus Episcopus Arelatensis ad eundem Papam qui Constantinopoli tunc degebat, literas dedit, quæ quidem lapsu temporis perierunt, sed ex ipso Vigilij responso satis patet in iis actum de tribus Capitulis, quorum causâ grauis admodum in Oriente suborta fuerat contestatio.

II. AVRELIANVS EPISC. ARELAT. SCRIBIT AD VIGIL. PP. DE TRIBVS CAPITVLIS.

Errauit vir eruditus, qui à veraci maiorum sententia discedens, nouam de tribus Capitulis rationem sic iniit, vt hæc illa tria putaret esse Capitula, quorum disertam mentionem facit Ioannes Romanus Pontifex Aureno & aliis Senatoribus scribens his verbis. *Iustinianus equidem Imperator filius noster (vt ex eius epistolæ tenore cognouistis) de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significauit. Vtrùm vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit, hoc est, vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona. An Deus Christus carne pertulerit, impassibili Deitate. An propriè & veraciter mater Domini & Dei nostri Iesu Christi Maria semper Virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem*, &c. Ostenditur enim id à veritate alienissimum, vt ista sint tria illa Capitula, propter quæ diro schismate Ecclesia longo tempore laborarit. Etenim cùm constet omnem de tribus Capitulis contentionem inter Catholicos esse obortam, non autem inter Catholicos & hæreticos, quis Catholicorum vnquam negauit Verbum carni vnitum vnam esse personam sanctissimæ Trinitatis, & eundem hominem factum, eundémque Deum vnum de Trinitate perseueransse indiuisâ & inconfusâ atque inconuertibili vnione? Et quis Orthodoxorum aliquando vel leuiter dubitasse reperitur sanctissimam Mariam Virginem verè propriéque Dei matrem in Ecclesia appellatam? Aut quis vnquam pietatem colentium reuocauit in dubium, Deum verè dici passum in carne? Cùm igitur in his inter se Catholici semper consenserint, & pro his aduersus Nestorianos & Eutychianos iunctis manibus animisque certauerint, & posthac nunquam pugnare desierint, nulla esse causa potuit, vt ob tria illa dicta Capitula inter se inuicem, tam in Oriente quàm in Occidente fideles fuerint scissi & schismate separati. Præterea si quis rerum gestarum seriem disponat ordine temporis, inueniet non sub Ioanne illo Papa sed sub Vigilio qui citiùs sedit, de tribus Capitulis quæstionem exortam esse, vnde appareat tria Capitula quæ recitantur in libris Ioannis ad Senatores, longè diuersa esse ab illis de quibus Aurelianus Episcopus Arelatensis ad Vigilium scripsit.

III.

IV. QVÆSTIO DE TRIBVS CAPITVL.

Tria Capitula, de quibus sub Vigilio controuersia fuit, non alia censeri debent, quàm quæ ipse Iustinianus Imperator suis epistolis sæpiùs inculcauit. Primum erat de Theodoro Episcopo Mopsuesteno. Secundum de scriptis Theodoreti Episcopi Cyri contra sanctum Cyrillum. Tertium de epistola Ibæ Episcopi Edessæni. *Nestorij sequaces*, inquit Iustinianus, *propriam impietatem applicare volentes sanctæ Dei Ecclesiæ & non potentes hoc per Nestorium facere, festinauerunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum Doctorem Nestorij, qui multòpeiora Nestorio blasphemauit, & super alias innumerabiles suas blasphemias contra Christum Deum nostrum factas, alium dixit Deum Verbum, alium Christum, necnon & per impia scripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum & duodecim eius Capitula exposuit, & insuper sceleratam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marin Persam scripsisse quæ plena est omni impietate Theodori & Nestorij.*

V.

Theodorus Episcopus Mopsuestiæ in Cilicia multa prauè scripsit, atque inde Nestorius eius discipulus errores suos deprompsit, ipsi fautores Nestorij non ierunt inficias Theodorum errore lapsum esse, verùm recantasse palinodiam dixerunt. Nestorius Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfecturam suscepit *quarto Idus Aprilis Felice & Tauro Consulibus*, vt Socrates [a] scribit, id est, anno Christi quadringentesimo duodetricesimo. Theodorus vitam clausit anno sequenti, historia enim Theodoreti, vt ipsemet in fine testatur, *spatium*

[a] Lib. 7. c. 29.

centum

centum & quinque annorum complectitur, & exitum habet à morte Theodori, initium autem, vt capite primo proloquitur, *ex illo ipso tempore quo ab Eusebio desitum est*, id est, ab vltima Licinij clade, siue ab anno Christi trecentesimo vicesimo-quarto. Libri Nestorij, quòd ex eorum lectione graues in Orientali Ecclesia tumultus concitarentur, damnati sunt annis septem iam exactis post illius ordinationem in Episcopum, id docet Theodosius Imperator in literis ad Leontium Præfectum Prætorio datis Constantinopoli tertio Nonas Augusti ipsomet Theodosio decimùm quintùm Consule, siue anno Christi quadringentesimo tricesimo quinto. Mox Nestoriani cùm blasphemiarum fluenta sic exsiccata contuerentur, ipsum fontem aperuerunt, vnde illa primitùs dimanarant, libros nimirùm Theodori vbique legendos exposuerunt in Syrorum, Armenorum, atque etiam Persarum linguam translatos. Errores Theodori sexaginta capitibus distinctos habes in Constituto Vigilij Papæ de tribus Capitulis ad Iustinianum Augustum.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

VI. Theodoretus è Monasterio, in quo ab incunabulis assueuerat, vocatus est ad Episcopatum Cyri in Syria anno Christi quadringentesimo vicesimo-tertio, in literis enim quas anno Christi quadringentesimo vndequinquagesimo Leoni Papæ direxit, testatus est se iam functum Episcopali munere per annos sex ac viginti. Partam priùs glóriam obumbrauit consuetudine Theodori Episcopi Mopsuesteni, obnubilauit verò ex Nestorij amicitia, obscurauitque penitùs ex susceptо eiusdem hæresiarchæ patrocinio aduersus Cyrillum Episcopum Alexandrinum, sed effulgentibus rursùs in cor eius diuinæ gratiæ radiis iterùm pulcher, glorioſus ac decorus apparuit, errores Nestorianos anathematizauit in Concilio Chalcedonensi, atque in communicatione Catholicæ Ecclesiæ & amicitia sancti Leonis Papæ diem clausit extremum circa annum Christi quadringentesimum quinquagesimum quartum.

VII. Ibas post Rabulam factus est Episcopus Edessæ in Syria, stetit pro Nestorio cum Ioanne Episcopo Antiocheno contra sanctum Cyrillum Episcopum Alexandrinum, totóque illo tempore quo Cyrillus & Ioannes inter se certarunt, cùm à Ioannis parte persisteret, Cyrillum hæreticum dixit, sed initâ inter Cyrillum & Ioannem concordiâ nihil ampliùs locutus est aduersus Cyrillum, imò cum eo amicè commercio literarum communicauit. Extat [a] fragmentum epistolæ, quam dedit ad Marin Persam, in hisce literis cùm ad illam vsque reconciliationem quæcumque gesta essent, historicè narraret, multa scripsit contra sanctum Cyrillum, nec à Theodori Mopsuesteni laudibus abstinuit. Lecta fuit ea epistola in Concilio Chalcedonensi, ex eiúsque lectione Ibas Orthodoxus à Patribus est iudicatus.

[a] Conc. Chalced. act. 10.

VIII. Ortâ contentione de tribus illis Capitibus inter Catholicos, alij tria Capitula defendebant, ne per eorum damnationem Synodo Chalcedonensi derogaretur, in qua Theodoretus & Ibas post abiuratos errores recepti sunt, alij eadem Capitula damnari volebant, ne quis ex occasione epistolæ Ibæ recipiendos Theodori commentarios & scripta Theodoreti contra S. Cyrillum probanda existimaret. Vtrique pro Concilio Chalcedonensi pugnabant. Neutri patrocinabantur hæresibus quæ reperiebantur in libris Theodori, vel erroribus quos Ibas in epistola sua enunciatiuè inseruerat, aut Theodoreti scriptis aduersus sanctum Cyrillum quæ pridem improbata fuerant.

IX. Aucta est plurimùm ista discordia sub Vigilio Papa & Iustiniano Imperatore. Pelagius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, cùm apud Iustinianum Augustum Apocrisarij munere fungeretur, Origenem cum suis erroribus Constantinopoli damnari curauit, Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, quem Liberatus Diaconus [b] Origenis defensorem fuisse testatur, suggessit Imperatori futurum, vt si tria Capitula Concilij Chalcedonensis, nempè Theodorum Mopsuestenum, epistolam Ibæ & scripta Theodoreti aduersus Cyrillum condemnaret, Synodum Chalcedonensem statim susciperent omnes Acephali; erant hæretici quibus id nominis à temporibus Zenonis Im-

[b] In Breuiar. c. 23.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

peratoris inditum fuerat cò quòd sine capite conuenirent seorsum à Petro Mogo pseudoepiscopo Alexandrino & hostium Concilij Chalcedonensis antesignano. Pelagius quandiu in Oriente versatus est, Imperatori consilium Theodori Cæsariensis implere sæpiùs tentanti semper restitit, accepto autem successore Stephano Romam rediit anno Christi quingentesimo quadragesimo-quinto, belli Gothici vndecimo, paulò antequam à Gothis Roma obsideretur vt ex Procopio [a] colligitur, tunc Imperator aduersus tria prædicta Capitula edictum promulgauit valdè prolixum, in quo post Incarnationis diuinæ mysterium longiori enarratum oratione, multa subiunxit de his quæ spectant ad confessionem quatuor Oecumenicorum Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis, itaut quemque Catholicum gaudio afficere potuisset, dum disertis verbis eandem probaret Catholicæ fidei confessionem, quam Acephali hæretici detestati essent, sed cùm quatuordecim posthæc subiecit anathematismos, è quibus tres erant aduersus tria prædicta Capitula, discordias inter Orthodoxos admoto veluti igne magis accendit.

[a] Lib. 1. de bell. Goth. cap 16.

X. Anathematismus aduersùs Theodorum Episcopum Mopsuestenum talis fuit. *Si quis defendit Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus animæ & desiderijs carnis molestias patientem, & ex profectu operum melioratum, & baptizatum in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & per baptisma gratiam Sancti Spiritus accepisse, & affiliationem meruisse, & ad similitudinem Imperialis imaginis in personam Dei Verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omnino factum fuisse, & iterum dixit talem factam esse vnitionem Dei Verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, erunt duo in carne vnâ. Et super alias suas innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quòd post resurrectionem cum insufflasset Dominus discipulis suis, & dixisset, accipite Spiritum Sanctum, non dedit eis Spiritum Sanctum, sed figuratiuè tantummodò insufflauit. Sed etiam confessionem quam fecit Thomas, cùm palpasset manus & latus Domini post resurrectionem, dicens, Dominus meus & Deus meus, inquit non esse dictam à Thomâ de Christo. Nec enim dixit Theodorus Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitauit. Et quod peius est etiam in interpretatione, quam in actis Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni & Manichæo & Epicuro & Marcioni: quòd sicut illorum vnusquisque ex dogmate quod inuenit, suos discipulos fecit vocare Platonicos & Manichæos & Epicureos & Marcionistas, simili modo & cùm Christus dogma inuenisset, ex ipso Christianos vocari. Si quis igitur defendit eundem Theodorum qui talia blasphemauit, & non anathematizat eum, & eius scripta, & eos qui similia illis sapuerunt vel sapiunt; talis anathema sit.*

XI. Anathematismus aduersùs scripta Theodoreti Episcopi Cyri talis fuit. *Si quis defendit conscripta Theodoreti, quæ exposuit pro Nestorio hæretico aduersus rectam fidem & Ephesinam primam sanctam Synodum & sanctum Cyrillum, & duodecim eius Capitula, in quibus sceleratis conscriptis idem Theodoretus effectualem dicit vnitatem Dei Verbi ad hominem quemdam, de quo blasphemans dixit, quòd palpauit Thomas eum qui resurrexit, & adorauit eum qui resuscitauit, & propter hoc impios vocat Doctores Ecclesiæ, qui vnitatem secundùm subsistentiam Dei Verbi ad carnem confitentur, & super hæc Dei genitricem abnegat sanctam & gloriosam semper Virginem Mariam. Si quis igitur memorata scripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea; talis anathema sit. Propter tales eius blasphemias ab Episcopis eiectus est, & postea in sancto Chalcedonensi Concilio compulsus est omnia contraria memoratis suis conscriptis facere, & rectam fidem confiteri.*

XII. Anathematismus aduersùs epistolam Ibæ Episcopi Edessæni talis fuit. *Si quis defendit impiam epistolam, quam ad Marin Persam hæreticum Ibas conscripsisse dicitur, quæ abnegat Deum Verbum hominem factum esse, & dicit non Deum Verbum ex Virgine incarnatum esse, sed purum hominem ex ipsâ esse natum, quem tem-*

plam vocat, vt alius sit Deus Verbum & alius Deus homo; & super hoc iniuriat Ephesinam primam Synodum, quasi sine inquisitione & examinatione ab ipsâ Nestorio condemnato: & S. Cyrillum vocat hæreticum, & duodecim eius capitula impia dicit. Nestorium autem & Theodorum cum impiis eorum conscriptis collaudat & defendit. Si quis igitur (sicut dictum est) eandem ipsam epistolam vindicat, vel rectam esse dicit ipsam vel partem ipsius, sed non anathematizat eam; anathema sit.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Imperator simul ac de fide Edictum promulgasset, sciens eiusmodi Constitutiones nullarum virium esse, nisi ab Episcoporum subscriptione firmitatem acciperent, Apostolicæ Sedis Apocrisarium Constantinopoli degentem Stephanum Diaconum, Mennam Episcopum Constantinopolitanum, aliósque plures Episcopos vt id facerent vehementer rogauit. Sed cùm Mennas ac ceteri primarij Episcopi suam sententiam vsque ad arbitrium Romani Pontificis suspenderent, Iustinianus necessarium fore iudicans vt Vigilius ad Comitatum euocaretur, honorificè eum inuitauit, rogauit, & induxit vt è Siciliâ Constantinopolim proficisceretur anno belli Gothici duodecimo [a], siue anno Christi quingentesimo quadragesimo-sexto. Pontifex Byzantium peruenit in vigiliâ Natalis Domini vt obseruauimus suo loco; Zoilum Episcopum Alexandrinum, qui Edicto Imperatoris subscripserat eâ tamen conditione, si ratum à Romano Pontifice haberetur, de emissâ subscriptione redarguit, & trium Capitulorum acerrimum se defensorem exhibuit scripto quoque ad Mennam Episcopum Constantinopolitanum libello. Posteà cùm maximam inter Episcopos discordiam videret concitatam, & Ecclesiam in summum schismatis periculum adductam ob oculos haberet, mitiùs agere cœpit, pacis arbiter sedit, vt ambarum partium auditor exortos si posset tumultus sedaret, neque id ipse solus agere voluit, verùm eorum qui aderant Synodum triginta Episcoporum collegit, in quâ cùm vehementiùs vtrinque contenderetur, mandauit vt quisque suam sententiam rationibus confirmatam scripto proferret, quâ re peractâ vtrique parti silentium vsque ad Synodum generalem proximè agendam indixit, cum damnantibus tria Capitula interea temporis communicandum ratus, maximè cum non de fide sed de personis duntaxat omnis contentio verteretur. Egit sapientissimè Vigilius, quia Concilio Chalcedonensi vel Catholicæ fidei nihil afferebatur præiudicij quam quis partem tueretur, cùm re verâ omnes æquè damnarent errores qui fuerunt Theodori, Theodoreti & Ibæ, maximum verò damnum accipiebatur ex eo quòd iidem fermè omnes, qui nouæ Imperatoris Constitutioni inhærebant, & in Ecclesiæ Catholicæ communione hactenus retinebantur, iamiam in ipsius Iustiniani gratiam schismate diuidendi essent. Controuersiæ decisionem ad vniuersalis Concilij conuentum singulari cum prudentiâ distulit, vt interim & contentionis ardor deferuesceret, & pax maiore cum tranquillitate tractaretur. Id tamen cùm plerique non aduerterent vel non intelligerent, in eum velut in deserrorem & præuaricatorem insurrexerunt, ab eius communione discesserunt nefario schismate, scriptisque literis palam diuulgarunt eum tria damnasse Capitula, illáque damnatione Chalcedonense Concilium impugnasse. Multi Occidentales Episcopi, ad quorum aures ea fama peruenit, mox Vigilio scripserunt quærentes an quæ spargerentur vera essent, inprimis Aurelianus Episcopus Arelatensis, Apostolicæ Sedis in Childeberti regno Vicarius, illius argumenti literas dedit, quæ Anastasio deferente venerunt in manus Romani Pontificis pridie Idus Iulias hoc anno, Christi quingentesimo quadragesimo-nono, Iustiniani Imperatoris vicesimo-tertio, post Basilij Consulatum octauo; quid Vigilius responderit, anno sequenti ex illius scriptis ostendemus.

[a] Procop. lib. 1. de bell. Goth. cap. 16.

XIV.

Totam illam de tribus Capitulis contentionem, quam paucis contraximus, apud illustrissimum Cardinalem Baronium prolixiori stylo narratam habes ex Constituto Vigilij Papæ, ex Edicto Iustiniani Imperatoris, ex libris Facundi Episcopi, ex Breuiario Liberati Diaconi, ex literis Gregorij Magni & ex

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

collationibus quintæ Synodi Oecumenicæ; si semel aut iterùm ab eius Chronologia recessimus, rationes reddidimus petitas à Theodoreto & Procopio, synchronis Auctoribus, quorum calculos non benè videtur assecutus. Tomo primo Conciliorum Gallicanorum extat epistola, quâ Legatis Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, Italiæ Clerici suggesserunt, vt Vigilio Papæ & Datio Episcopo Mediolanensi, qui in eadem vrbe ob controuersiam de tribus Capitulis ab Imperatore Iustiniano vexabantur, solatio atque auxilio studerent esse. Sub initium harum literarum res à Vigilio Constantinopoli gestæ, donec silentium vsque ad vniuersalem Synodum indixisset, ita describuntur. *Veniens ibi beatissimus Papa Vigilius, magis autem, vt quod verius est dicatur, prope violenter deductus, cæperunt ibi ipsum expectare, vt damnationem aliquorum Capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis, quæ fidem Catholicam insistente tunc beatissimo Papa Leone contra diuersas hæreses vindicauit, modis omnibus solueretur. Sed cum Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere consensum, iam nunc talis violentia facta est, vt publicè in conuentu clamarit, contestor, quia etsi me captiuum tenetis, beatum Petrum Apostolum captiuum facere non potestis; postea tamen tractatu habito prædictus sanctus Papa Vigilius sub aliqua dispensatione ipsam causam ordinauerit, sollicite monendo ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc quod Papa fecerat adquieuerunt Afri & Illyriciani atque Dalmatæ Sacerdotes recipere, tamen cæpit iterùm sæpedictus beatissimus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt absolutè ipsa Capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnaret. Sed Papa non adquiescens hoc facere, & videns se nimium ingrauari, dixit tunc Serenissimo Principi, veniant hic fratres nostri ex omnibus prouinciis quini aut seni Episcopi, & quicquid sub tranquillitate tractatu habito omnibus visum fuerit, cum pace disponemus, quia sine consensu omnium ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus adquiescam. Missi sunt ergo à clementissimo Principe ad Africam & Illyricum vt venire Episcopi debuissent. Sed de Illyrico nullus venire voluit. De Africa verò cùm iam aliqui proximare ciuitati regiæ dicerentur, dixit Papa Vigilius Principi, vt si ei non sufficeret illud quod antè decreuerat, redderet, & tanquam de nouo causam cum his qui venire nuntiati sunt, tractaretur. Præstitit igitur Deus, vt hac ratione sanctus Papa Vigilius Constitutum, quod in ipsa causa fecerat, publicè in conuentu reciperet, denuntians quia si quis Græcorum Episcoporum vsque ad vniuersalis Concily tractatum, de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus adquieuisset, à communione Sedis Apostolicæ alienus existeret, quoniam frequenter ipsi Episcopi Græci ad voluntatem Principis damnauerant Capitula ipsa vnde causa mota est, sed beatissimus Papa manus eorum à Serenissimo Imperatore receperat.* Narrantur postea in iisdem literis multæ calumniæ diræque vexationes, quibus Episcopi Africani exagitati sunt cùm ab Imperatore tum ab iis qui Imperatori fauebant.

XV.

MARCVS EP. AVREL. FALSÒ ACCVSATVS.

In vita sancti Galli Aruernorum Episcopi, quam Gregorius Turonensis[a] scripsit, hæc leguntur de Marco Antistite Aurelianensi. *Apud Aurelianensem vrbem incriminato ab iniquis Marco Episcopo & in exilium truso, magnus Episcoporum conuentus est aggregatus, Childeberto Rege iubente. In qua Synodo cognoscentes beati Episcopi hoc esse vacuum, quod contra cum fuerat mussitatum, cum ciuitati & Cathedræ suæ restituunt.* Quæ quidem de alio Aurelianensi Concilio sumi non possunt quàm de quinto, nam secundo ac tertio, quibus Leontius & Antoninus Aurelianenses Episcopi subscripserunt, Gallus per Vicarios Laurentium & Optardenum Presbyteros interfuit, quarto subscripsit Marcus Episcopus Aurelianensis cum eodem Gallo Aruernensi, quinto autem subscripsit Gallus, Marcus verò nequaquam quia exulabat. Postremum illud Aurelianense Concilium hoc anno celebratum fuisse docebimus inferiùs ex subscriptione Sacerdotis Episcopi Lugdunensis. Quot annos Marcus superstes fuerit, haud scimus, in catalogis enim Aurelianensium Antistitum nulla deinceps epocha certa reperitur vsque ad Synodum Parisiensem cui Launo-

[a] De vit. patr. c. 6.

ueus Presbyter in vicem Ricomeri Aurelianorum Episcopi subscripsit anno Guntchramni Regis duodecimo, id est, anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio. Inter Marcum autem & Ricomerum, quem alij Rigomarum vocant, medij sederunt Treclatus seu Tranclatus & Baudatus. Treclato Saussęyus [a] præposuit Felicem, qui Nannetarum Sedi restitui debet. Cęterùm Marci Episcopi temporibus in Aurelianensi Diœcesi floruerunt viri sanctitate conspicui, Theodemirus, Maximinus cognomento Iunior, Liphardus & Vrbitius, de quibus pauca narrabimus ex Actis præcipuè sancti Liphardi.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1. EPISCOPI AVREL.

[a] Lib. 1 c. 9.

VIRI SANCTITATE CELEBRES IN DIOECESI AVREL.

Quinque priores Abbates Miciacenses hoc ordine ponuntur in catalogo quem Carolus Saussęyus [b] edidit. *Sanctus Euspicius, sanctus Maximinus Senior. Sanctus Auitus. Sanctus Theodemirus. Sanctus Maximinus Iunior.* Theodemirus igitur sancti Auiti successor, & Maximini Iunioris decessor fuit. De illius vita & actibus non habemus aliud quàm eum fuisse virum sanctissimum, Abbatem religiosissimum, sicut vitæ illius catastrophe reliquit testatum. *Cùm enim esset è corpore abiturus, beatus Liphardus*, vt in eiusdem Actis dicitur, *in somnis est admonitus, vt ad officia funeris illi patri præstanda properaret. Euigilans ergo vno è suis secum assumpto ad Monasterium illud profectus est. Cúmque ad eius fores peruenissęt, videt cælestium agminum choros sanctæ illi animæ psallentes occurrere, eámque cum ineffabili gaudio ad cælum deducere. Cantabatur autem hic Psalmi [c] versus* [*Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.*] *Mox vir Dei in cellulam ingreditur, vbi corpus sancti Abbatis exanime iacebat; fratribus debita officia decantantibus, eiusque funus curat. Peracto sepulturæ officio beatum Maximum* (lege *Maximinum*, is est sanctus Maximinus Iunior) *defuncti Abbatis nepotem in eius locum substituit, fusáque oratione ad Dominum, ad cellam suam reuertitur.* Magduni in Ecclesia sancti Liphardi asseruatur corpus sancti Theodemiri, celebratúrque festum decimo-tertio Kalendas Decembres, teste Saussęyo [d] iam laudato.

[b] Lib. 1 c. 6. THEODEMIR ABB. MICIAC.

[c] Psalm. 40.

[d] Lib. 1 c. 19.

Sancti Maximini Iunioris acta perierunt. Agitur eius festum in Cœnobio Miciacensi die Dominicâ infra Octauam Corporis Christi, vt obseruarunt Menardus & Saussaius in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. De Maximini successoribus nihil occurrit vsque ad Drucecindum qui nono seculo floruit.

XVII. MAXIMIN. ABB. MICIAC.

Quod ad sanctos Liphardum & Vrbitium attinet. *Beatus Liphardus apud Aurelianos claris ortus natalibus, in ipsa iuuentute index pro sua prudentia & legum cognitione creatus est. Cùm verò iam quadragesimum ætatis suæ attigisset annum, pertæsus iurgiorum & pacationis vitæ appetens, adiit loci Episcopum, vt eum in Clericorum numerum pateretur adscribi. Clericus ab eo factus, demùm verò Leuita ordinatus, non Clericum modò sed & Monachum cœpit profiteri. Est mons in pago Aurelianensi, quem incolæ regionis Magdunum * nominant, in quo antiquis temporibus fuerat constructum castri ædificium, quod Vandali solo tenus diruerant, ita vt nemoribus hinc inde inter rudera excrescentibus, locus esset solitudo. Ibi Liphardus in solatium solitudinis solum ascisęens Vrbitium, ad fluuiolum Maluam cellulam sibi ex virgis non construxit magis quàm contexuit, vt ibi ab hominum turbis longè semotus, liberiùs ad Deum accederet. Quanta fuerit viri sanctimonia; quanta puritas animi, quàm frequens & familiaris ei rerum cælestium contemplatio, non potest vllus mortalium sermone complecti. Corpus ei præsens in terra, animus inter cælites conuiuebat. Panopliam bonorum operum adcinctus aduersus aërias potestates implacabili duello dimicabat. Angelicam potiùs quàm hominis vitam viuere dixisses, cùm nec manducaret nec biberet. Haud enim consueuerat amplius quàm vnam vnciam panis hordeacei, quem suis ipse pinsebat manibus, singulis diebus sumere; nullo vnquam potu nisi aquæ vsus est, quâ tertio duntaxat die, eáque parcissimè sitim restinguebat. Vestes ei cilicium & saccus, quippe qui elegantiam & mollitiem omnem vestimentorum mundi amatoribus amandasset, diabolum & pompas eius & opera eius summoperè execratus. Superauerat omnium sæcularium mores & vitam studio sanctitatis cùm adhuc in mundo versaretur: sed mo-*

XVIII. LIPHARDVS ABB. MAGDVN.

* Mcun.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

VRBITIVS LIPHARDI DISCIPVLVS.

*nasticen complexus nihil reliquit intactum, quominùs sanctissimorum vbique Monachorum studia non insisteret modò, verùm etiam perfectissimè complecteretur. Sanctitatem etiam eius Dominus miraculorum gloriâ illustrauit. Nam cùm immanis & ingens serpens esset in illâ eremo, vbi morabatur, cuius terrore perculsi incolæ metuebant è fonte aquam haurire, solus eius viuum securè adpropinquantibus Liphardo & Vrbitio, aliquando Vrbitium accitum ad locum ire iubet, in quo nouerat esse serpentem, nihil discipulum admonens, vt eius fidem probaret. Vrbitius dicto citiùs obediens horrendam belluam ad se venire conspicit, consternatur propè exanimus, capessit fugam, confugit ad Liphardum, eique pandit rei gestæ periculum. Tum vir Dei subridens. Cur timuisti, inquit, modicæ fidei? Accipe virgam hanc, & imperterritus memento illam sub aspectum serpentis humi defigere. Abit ille, crucis se se consignat schemate, facit quod iussus est. Interea Liphardus ad arma conuolat orationis, & obtinet vt draco pereat. Simul enim vt oblatam ab Vrbitio virgam conspexit, vt eam rumpere nisus est, illico crepuit. Inclamant dæmones vndique Liphardi nomen, qui bellua extincta è sede suâ expulsi aerem crebris concitant clamoribus. Adcurrunt accolæ, quidnam hoc esset inter se sciscitantes. Vt autem receperunt Sanctum Dei solitis precibus intentum, & enectum humi iacere serpentem, omnes præ gaudio vbertim flere, & in Dei laudes prorumpere. Interea Marcus Aurelianensis Antistes in vico Clariaco *, qui à Magduno tribus distat milliaribus ob certas causas tum residens, cùm viri Dei virtutes audisset, non potuit, inquit, Leuita Dei diutius occultari, declarant eius res gestæ quanti sit meriti apud Deum. Nec mora, è Clariaco Magdunum ad eius domicilium festinat, eúmque post salutaria multa colloquia in Presbyterum ordinat, exiguum illic templum extruens, quod etiamnum extat ad hunc vsque diem. Hinc viri Dei se se fama diffundit in omnem circum regionem, adeò vt permulti libellum repudij mundo facientes Liphardi disciplinæ colla subiectarent. Accidit vt hyeme iam seuiente pauper quidam absconditis in montis angulo indumentis, accederet inuestis ad virum Dei, postulans vt eum vestire dignaretur. Cur voluisti, inquit, miser & mendax me tentare? An non præsens eram, quando facinus hoc animo concepisti? Ita & Liphardus abscondita cognouit, & pauper qui viro Dei voluit illudere, protinus se sensit illusum. Nobilem puellam manus aridas & genua debilia inclamantem, fusis ad Deum precibus benedicto perungens oleo, valetudini restaurauit. Animam beati Theodemiri Abbatis, eo quo diximus modo, vidit supernè inter agmina Angelorum efferri. Tandem cùm sui quoque diem decessus imminere, Deo doctus cognouisset, fratres simul vocat, prædicit præstitutum à Deo ex hac statione decedendi momentum, hortatur, à carnalibus desideriis & mundi oblectamentis abstineant, Euangelica seruent præcepta, contendant per arctam introire portam, per quam ad vitam recta est via, diabolo obluctentur, bono sint animo, si quando eos illa pessima bestia tentare voluerit, memores eius quæ est apud Apostolum [a] sententiæ. [Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.] Hic Vrbitium accersit, quem sibi designat successorem, & inter fratrum suspiria precésque, sancta illa anima feliciter è rebus excedit humanis. Marcus Episcopus auditâ viri morte celerrimè funus ei adcurrit, atque vnà cum fratribus corpus sacrum religiosæ tradit sepulturæ. Vrbitium ipse suâ benedictione futurum confirmat in Monasterio Magdunensi successorem, qui exinde illius structuram fecit excelsiorem, vbi postea meritis B. Liphardi multa patrantur miracula, quæ haud dubium sanctitatis eius apud homines & meritorum apud Deum præbent argumentum.*

* Clery.

[a] Iac. 1.

ET SVCCESSORES.

Huc vsque Acta sancti Liphardi, quæ Saussæyus [b] à Surio primùm descripta politiori stylo reddidit. Ecclesia veteris Monasterij Magdunensis hodie sancti Liphardi nuncupatur, habétque teste eodem Saussæyo [c] *Canonicos viginti, Capellanos multos, dignitates quatuor, Decanatum, Canteriatum, Succentoriatum, & Capiceriatum. Conseruantur porrò in eâ Ecclesiâ corpora Sanctorum Liphardi, Vrbity & Theodemiri. Et Vrbity quidem festum celebratur tricesimâ die May, Liphardi secundâ Iuny, Theodemiri decimâ nonâ Nouembris. Præter hanc sancti Liphardi Magdunensis Ecclesiam, multæ eiusdem nomine nuncupatæ reperiuntur, vna in ciuitate Aurelianensi in loco vbi natus esse*

[b] Lib. 3. capp. 23. 26. 27. 28.

[c] Lib. 3. c. 19.

creditur, altera in pago Buciaci *, *alia Terminiaci* *, *alia Trigani* *, *alia Oynuille* *, *& alia*. Primos Magdunenſes Abbates Liphardum & Vrbitium qui ſub Marco Aurelianenſi Pontifice floruerunt, eorúmque ſynchronos Abbates Miciacenſes Theodemirum & Maximinum Iuniorem Ordini ſancti Benedicti accenſent in ſuis Martyrologiis Authores Benedictini, ſed iis aſtipulandum quis putet cùm ſub eodem Marci Præſulatu Beatus Maurus in Galliam primùm venerit?

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. R R. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Iiſdem temporibus in pago Lemouicino florebat Leonardus inſignis Eremita, cuius vitam Surius [a] & Gononus [b] cum quibuſdam næuis ediderunt, neque enim illa cum Actis ſancti Liphardi ſuprà laudatis conuenit. Leonardus natus eſt in Galliâ, parentes habuit genère claros, de ſacro baptiſmatis fonte ſuſceptus eſt à Clodoueo Rege, ſub diſciplina ſancti Remigij Remenſis Epiſcopi multùm profecit, adſcitus eſt in Clerum, deinde vocatus à Rege venit in Palatium, rogatúſque vt ibi moraretur donec Epiſcopus fieret, abiit Aureliam, atque inde ſeceſſit ad Miciacenſe Monaſterium, vbi Monaſtica regula ſub Abbate Maximino vigebat. Hæc in illius vita leguntur, nec aliena videntur à vero, ſed quæ ſequuntur de Liphardo nullius ſunt auctoritatis & Actis ipſius Liphardi manifeſtiſſimè refragantur. Vtrumque opus ſimul compara. Nulla Leonardi mentio fit in Actis ſancti Liphardi, ſanctus Liphardus apud Aurelianos naſcitur ex nobili proſapia, Iudex in ipſa iuuentute creatur pro ſua prudentia & legum cognitione, fit Clericus annos natus quadraginta, deinde Diaconus, mox ſecedit in eremum Vrbitio in ſolatium ſolitudinis adſcito. In Actis autem ſancti Leonardi, ſanctus Liphardus ipſius Leonardi frater prædicatur necnon indiuiduus comes, donec vtérque perueniat ad Miciacenſe * Monaſterium, vnde Liphardus poſteà Magdunum, Leonardus abit in interiorem Aquitaniam. Inter Sanctos, qui prodierunt ex Monaſterio Miciacenſi, numerantur à Carolo Sauſſeyo [c] Liphardus, Leonardus & Vrbitius, vt ad annum Chriſti duodequingenteſimum [d] iam obſeruauimus. Expungenda fortè quis exiſtimabit Sanctorum Liphardi & Vrbitij nomina, quia in vita ſancti Liphardi de Cœnobio Miciacenſi nullum habetur verbum, & ſanctus Vrbitius in ſolitudinem cum ſancto Liphardo ſeceſſit, eíque ſucceſſit in præfecturam Monaſterij Magdunenſis. At admodùm probabile videtur Liphardum ciuem Aurelianenſem, priuſquàm in eremum Magdunenſem cum ſocio Vrbitio proficiſceretur, in Cœnobio Miciacenſi monaſticam vitam aliquandiu duxiſſe. Nititur hæc opinio quatuor coniecturis. Primam ſuppeditat vicinia Monaſterij Miciacenſis; ſecundam celebris Abbatum ac Monachorum Miciacenſium ob ſanctimoniam fama; tertiam ſingularis illa beneuolentia, quâ Liphardus Abbas Magdunenſis Abbates Monachoſque Miciacenſes ſemper proſequutus eſt, vt ex curato Theodemiri Miciacenſis Abbatis funere ſatis patet; quartam ipſa Regula Monaſterij Magdunenſis, quam Liphardus illius loci primus Abbas ex propinquo Miciaco non immeritò creditur accepiſſe. Quamuis autem Liphardum Monachis Miciacenſibus accenſeamus, non ideo fatemur illum Leonardi fratrem atque indiuiduum comitem fuiſſe, donec vterque cœtui Monachorum Miciacenſium ſe admiſcuit. Leonardus in Chronologia Monachi Altiſſiodorenſis ita commendatur. *Leonardus Aurelianenſis ciuis, vir pietate & religione præcipuus in regno Francorum emicuit. Hic B. Remigij diſcipulus, poſtmodum ad Aquitaniæ partes ſecedens, in Lemouicinæ urbis territorio longo fertur tempore eremiticam vitam duxiſſe.* Non deſunt apud Sauſſeyum [e], qui natum dicant in parœcia de vlmis *, in prædio quod *Courroy* nuncupatur. Eſto, nati ſint apud Aureliam Liphardus & Leonardus, an ideò fratres fuiſſe ſimúlque vixiſſe cenſendi ſunt? Leonardus, priuſquam in Monaſterio Miciacenſi Monachum indueret, vitam egit procul à Leonardo, qui Iudex ab ipſa iuuentute fuit in ciuitate Aurelianenſi. Diſceſſit Leonardus è Monaſterio Miciacenſi, vt eremum incoleret. Iter habuit per agros Bituricenſem & Lemouicenſem, peruenitque

[a] D 6. Nou.
[b] Lib 4. LEONARDVS. DISCIPVLVS S REMIGII FIT MONACHVS MICIACENSIS.
* *De Micy.*
[c] Lib. 3. n. 4.
[d] N. 2.
AN FRATER LIPHARDI?
[e] Lib. 1. ad marg. num. 4.
* *Ormes.*
FIT ANACHORETA.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. I.

in syluam quæ Pauus appellabatur, aberátque à Lemouicum vrbe decem ferè milliaribus. Ibi audiuit clamorem lugentium, occurrit vt solatium ferret, scisscitatus est causam tanti doloris, edoctúsque Reginam in partu periclitari properauit ad ædes regias, suisque precibus obtinuit vt Regina pareret & sana fieret. Tunc habitus est à Rege in magno honore, oblatum sibi nemus integrum recusauit, eámque tantùm partem, quam asello suo vectus nocte circumire posset, petiit sibi dari. Locum illic elegit vbi habitaret, in honorem beatissimæ Virginis condidit Oratorium, in cuius sinistro latere etiam altare alterum construxit in beati Remigij memoriam. Vixit parcissimè; corpus ieiuniis, vigiliis & precibus macerauit. Adiunxit sibi duos Monachos vitâ & moribus religiosos, *vt in eâ Ecclesia perpetim diuina mysteria celebrarent*, quando ipse Sanctorum limina orandi causâ visitaret. Solebat enim pro more adire sæpissimè Basilicam sancti Martialis Episcopi Lemouicensis, & Oratorium suum dum ipse abesset *nolebat esse sine ministro*. Auctor vitæ, cùm ait adscitos à Leonardo duos socios, qui per eius absentiam *diuina mysteria* celebrarent, nec voluisse Leonardum, vt dum ipse abesset, Oratorium quod erexerat esset *sine ministro*, qui videlicet eadem diuina mysteria tunc celebraret, satis ostendit ipsum Leonardum eiúsque socios Presbyteros fuisse. Idem Auctor nomen reticuit cùm Regis à quo Leonardus accitus est antequàm Miciacum se conferret, tum Reginæ pro qua preces fudit, & Regis à quo pro tanto beneficio partem syluæ locúmque ædificando Monasterio idoneum accepit. Natus est Leonardus regnante Clodoueo, diu vixit sub disciplina sancti Remigij regnante tunc Remis Theodorico Clodouei filio. Vocatus est ad aulam, vtrùm à Theodorico, an ab alio Rege, incertum. Coniectura est pro Theodorico, quia Remi sub eius erant potestate, tamen quia Leonardus, cùm in Aquitaniam perrexit, & vultu & nomine Regi cui Lemouices parebant, illiúsque Regis aulicis ignotus erat, interrogatúsque ab eodem Rege cuias esset, Franciam sibi patriam esse respondit, existimamus illum natum esse in Francia Occidentali, quæ absolutè & sine addito Francia sæpiùs ab antiquis Auctoribus appellata est, & affinium suorum atque amicorum relatione notum fuisse Childeberto Regi, cuius Palatium rogatus adierit, reliquerítque monasticæ vitæ studio inflammatus. Mansit per plures annos in Cœnobio Miciacensi, cúmque ibi degeret promotus est ad Presbyteratum. Inde digressus abiit in eremum Lemouicensem. Rex in cuius conspectum venit, & Regina pro cuius felici partu Deum supplex orauit, non alij fuerunt à Theodoberto Rege eiúsque vxore, morem enim Theodoberto gesserunt Lemouices, vt constat ex subscriptione Ruricij Lemouicensis Episcopi, qui Synodum Aruernensem cum aliis quatuordecim Episcopis, ex solis ditionibus Theodoberti Regis, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto celebrauit.

SANAT REGINAM. CONDIT ORATORIVM.

XX. Leonardus locum, in quo solitariam vitam duxit, Nobiliacum dici voluit, quòd à Nobilissimo Rege eum dono accepisset. Aquam, quæ priùs ab vno ferè milliari apportanda erat, suis precibus obtinuit humo instar putei iuxta Ecclesiam quam construxerat effossâ. Multas prouincias famâ suæ sanctitatis impleuit. Variis virtutibus inclaruit, captiuorum præcipuè liberatione quos deinde apud se retentos optimis disciplinis erudiebat. Migrauit ad Dominum octauo Idus Nouembris, sepultúsque fuit in Ecclesia quam in honorem beatissimæ Virginis & sancti Remigij Remensis Antistitis ædificarat. In tabulis Ecclesiasticis eo die quo decessit hoc elogio donatur. *Lemouicis in Aquitania, sancti Leonardi Confessoris discipuli beati Remigy Episcopi, qui nobili genere ortus, solitariam vitam deligens, sanctitate & miraculis claruit, ac præcipuè in liberandis captiuis eius virtus enituit.* Inscribitur Martyrologio Benedictino [a], sed non potiori iure quàm alij, qui monasticen in Cœnobio Miciacensi amplexi sunt, Monachis Casinensibus in Franciam nondum euocatis & Regulâ sancti Benedicti nondum in Gallijs auditâ. Abbas à Trithemio vocatur libro tertio [b] de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti, confunditúrque cum altero Leonardo,

CLARET MIRACVLIS.

PIE MORITVR.

[a] Die 6. Nou.

[b] Cap. 19.

CONFVNDITVR CVM ALTERO LEONARDO.

nardo, qui natus est in pago Tungrensi, relictâque patriâ venit in Diœcesim Cenomanicam, vbi diu vixit, vt constat ex iis quæ de illo iam diximus [a] dicemúsque [b] suis locis. *Leonardus*, inquit Trithemius, *Eremita & Abbas Nobiliacensis ex pago Cenomanico natus, vbi etiam Monasterium construxit, discipulus sancti Remigij, vir sanctissimæ vitæ fuit*, &c. *Moritur octauo Idus Octobris, anno Domini 559. & multis claret miraculis, ad cuius corpus, dum sepeliretur, duo cæci illuminati sunt.* Vtrùm Leonardus Abbas ad illum vsque annum vixerit, haud liquet. Liquet autem de altero Leonardo, qui vitam in Diœcesi Cenomannensi clausit, Regibus Childeberto Clotarióque factus superstes.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Hoc anno, qui Childeberti Regis tricesimus-octauus numeratur, habita est Synodus Aurelianensis quinta, vt patet ex subscriptione Sacerdotis Episcopi Lugdunensis. *In Christi nomine Sacerdos Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis constitutionem nostram relegi & subscripsi. Notani sub die* V. *Kalend. Nouembris, anno* XXXVIII. *regni domni nostri Childeberti Regis.* Additur Indictio decimatertia, quæ rectissimè conuenit, nullius tamen est apud nos auctoritatis.

[a] Ad ann. 511. n. 66.
[b] Ad ann. 559. 561.

XXI. SYNODVS AVRELIANENSIS V.

Hæc Synodus ex tripertito Franciæ regno conuocata est, vt Episcoporum subscriptiones apertissimè demonstrant. In Præfatione tamen vnus duntaxat Childebertus Rex à Patribus laudatus reperitur, quia ciuitas Aurelianensis, vbi Concilium habitum est, sita erat in illius Regis sorte seu ditione. *Ad diuinam gratiam referendum est*, inquiunt Patres, *quando vota Principum concordant animis Sacerdotum, vt dum fit Pontificale Concilium, normam viuendi teneat recapitulatio antiqua Canonum, vel vt locus tempúsque est, in quibuscumque titulis veteribus adhærens noua constitutio sanctionum. Igitur cùm clementissimus Princeps, triumphorum titulis inuictissimus, Domnus Childebertus Rex pro amore sacræ fidei & statu Religionis in Aurelianensi vrbe congregasset in vnum Domini Sacerdotes, cupiens ex ore Patrum audire quod sacrum est, vt quod pro Ecclesiastico ordine auctoritate promeretur Pastorali, & venientibus sit norma, & præsentibus disciplina; qua conueniat à præsenti tempore in posterum custodiri, præsente Deo, signanter est titulis prænotatum.* Sequuntur Canones viginti quatuor.

XXII. LAVS CHILDEBERTI REGIS.

XXIII. DE DAMNATIONE EVTYCHETIS ET NESTORII.

1. *Nefariam sectam, quam auctor malè sibi conscius, & à viuo sanctæ fidei Catholicæ fonte discedens, sacrilegus quondam condidit Eutyches, vel si qua quæ à veneficio similiter impio sunt prolata Nestorio, quas etiam sectas Sedes Apostolica sancta condemnat, similiter & nos easdem cum suis auctoribus & sectatoribus execrantes, præsentis Constitutionis vigore anathematizamus atque damnamus, rectum atque Apostolicum in Christi nomine fidei ordinem prædicantes.* Nestorius Episcopus Constantinopolitanus docuit beatam Virginem non esse matrem Dei; & in Christo duas esse naturas, alteram diuinam, alteram humanam. Malè docuit beatam Virginem non esse matrem Dei; benè docuit in Christo duas esse naturas. Quòd malè doceret beatam Virginem non esse matrem Dei, damnatus fuit in tertia Synodo generali habita Ephesi anno Christi quadringentesimo tricesimo-primo, seu Basso & Antiocho Consulibus, vt Prosper in suis fastis obseruauit. Euthyches Pater Monachorum Constantinopoli agentium, qui tempore Concilij Ephesini aduersus Nestorianos ceteris præstantiùs dimicarant, cùm summo odio in hæresim Nestorij ferretur, eò prosiliit, vt non duas tantùm esse in Christo personas omninò ex Catholicæ fidei præscripto negaret, sed etiam nec duas in Christo naturas vellet asserere, eósque Nestoriano laborare morbo putaret, qui duas confiterentur in Christo distinctas & inconfusè coniunctas esse naturas, damnatus est in IV. Synodo generali celebrata Chalcedone, Marciano Augusto & Adelfio Consulibus, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-primo. Quid statutum esset in Synodis Oecumenicis Ephesina & Chalcedonensi, non ignorabant Patres Aurelianensis Concilij, tamen Apostolicæ tantùm Sedis meminerunt in suo Decreto rati satis esse, si, cùm de fidei dogmatibus agebatur, sanciretur Constitutio, quæ niteretur Romanæ Sedis auctoritate, cui refragari nullus deberet.

DECRETA SYNODI.

XXIV. DE EXCOMMVNICATIONE.

11. Canon Aurelianensis. *Vt nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei homi-*

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. I.

nem pro paruis & leuibus causis à communione suspendat, praeter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesiâ arceri insserunt committentes.

XXV. DE FAMILIARITATE MVLIERVM VITANDA CLERICIS.

III. *Vt nullus Episcopus, Presbyter aut Diaconus, extranearum mulierum intra domum praesumat habere solatium, quibus etiam pro vtilitate suâ aliqua familiarius regenda commitat. Quod etiam & de propinquis feminis horis indecentibus similiter prohibemus, ne sub concessâ sibi licentiâ parentali, ab earum sequipedis memoratorum vita vel opinio polluatur. Quòd si Episcopus nunc vetita vti sub quadam praesumptione voluerit, anno vno à Metropolitano vel à comprouincialibus suis ab officiis suspendatur, Clerici verò à propriis Episcopis modo, qui supra scriptus est, corrigantur.*

XXVI. DE CLERICIS INCONTINENTIBVS.

IV. *Si quis Clericus post acceptam benedictionem cuiuslibet loci vel ordinis, ad coniugalem torum iam sibi illicitum redire praesumpserit, vsque in diem vitae ab honore accepti ordinis, & sicut habent antiquorum Patrum Canones, ab officio deponatur, ei tantummodò communione concessâ.*

XXVII. DE CLERICIS ALIENIS NON ORDINANDIS.

V. *Vt nullus Clericum seu Lectorem alienum sine sui cessione Pontificis, vel promouere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. Quòd si quis hanc constitutionem fuerit quacumque praesumptione transgressus, memoratae personae ab eo cui sunt debitae, seu Ecclesiastico iure, seu proprio reuocatae, quia illicitâ vagatione discesserant, ab honore vel officio suscepto, iuxta arbitrium sui Pontificis suspendantur. Episcopus verò qui ordinauerit, sex mensibus Missas tantùm facere non praesumat.*

XXVIII. DE SERVIS NON ORDINANDIS ABSQVE VOLVNTATE DOMINORVM.

VI. *Vt seruum, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, aut etiam iam libertum, nullus Episcoporum absque eius tantùm voluntate, cuius aut seruus est, aut eum absoluisse dinoscitur, Clericum audeat ordinare. Quòd si quisquam fecerit, is qui ordinatus est à domino reuocetur, & ille qui est collator ordinis, si sciens fecisse probatur, sex mensibus Missas tantùm facere non praesumat. Si verò secularium seruus esse conuincitur, ei qui ordinatus est benedictione seruatâ, honestum ordini domino suo impendat obsequium. Quòd si secularis dominus amplius eum voluerit inclinare, vt sacro ordini inferre videatur iniuriam, duos seruos, sicut antiqui Canones habent, Episcopus, qui eum ordinauit, domino seculari restituat, & Episcopus eum quem ordinauit ad Ecclesiam suam reuocandi habeat potestatem.* Lege Canonem octauum Concilij Aurelianensis primi, de quo suprà disseruimus ad annum Christi quingentesimum vndecimum.

XXIX. DE MANVMISSIS IN ECCLESIA.

VII. *Et quia plurimorum suggestione comperimus, eos qui in Ecclesiis iuxta patrioticam consuetudinem à seruitio fuerint absoluti, pro libito quorumcumque iterum ad seruitium reuocari, impium esse tractauimus, vt quod in Ecclesia Dei consideratione à vinculo seruitutis absoluitur, irritum habeatur. Ideò pietatis causâ communi consilio placuit obseruandum, vt quaecumque mancipia ab ingenuis dominis seruitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc à dominis perceperunt. Huiusmodi quoque libertas si à quocumque pulsata fuerit, cum iustitia ab Ecclesiis defendatur, praeter eas culpas, pro quibus leges collatas seruis reuocare insserunt libertates.*

XXX. DE INTERPONTIFICIO.

VIII. *Vt in ciuitate, vbi Pontifex iure humanae conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem reparati per ordinem successoris, aut in ciuitate, aut per parochias, ordinare Clericos, aut altaria audeat consecrare, vel quicquam de rebus Ecclesiae praeter humanitatem praesumat auferre. Quòd si quisquam temerario ausu statuta transcenderit, conuentus ab instituto Pontifice, verecundiae suae consulens sine dilatione ablata restituat. Si verò suae voluntatis arbitrio, vel quorumcumque precibus actus, quamcumque personam promouere, aut contra interdictum ire praesumpserit, anno integro Missas tantùm facere non praesumat.*

XXXI. DE ELECTIONE ET ORDINATIONE EPISCOPORVM.

IX. *Nullus ex laicis absque anni conuersione praemissâ Episcopus ordinetur, ita vt intra anni ipsius spatium, à doctis & probatis viris, disciplinis & regulis spiritalibus plenius instruatur. Quòd si hoc quisquam Episcoporum transcendere quacunque conditione praesumpserit, anno integro ab officio vel caritate fratrum habeatur extraneus.*

XXXII.

X. *Vt nulli Episcopatum pramiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum vo-*

luntate Regis, iuxta electionem Cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus tenetur scriptum, a Metropolitano, vel quem in vice sua præmiserit, cum comprouincialibus Pontifex consecretur. Quòd si quis hanc regulam huius sanctæ constitutionis per coemptionem excesserit, cum qui per præmia ordinatus fuerit statuimus remouendum.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. R R. 38. THEODOBALDI II. R. 1. XXXIII.

XI. *Item, sicut antiqui Canones decreuerunt, nullus inuitis detur Episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum cines aut Clerici, quod dici nefas est, inclinentur. Quòd si factum fuerit, ipse Episcopus, qui magis per violentiam, quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatus honore in perpetuum deponatur.* Hunc Canonem & præcedentem, qui toti pertinent ad electionem Episcoporum, illustrabimus formulis Marculfi & literis Hincmari. Hincmarus enim, qui nono seculo floruit, *consensu Principis terræ, electione Cleri & plebis, & approbatione Episcoporum prouinciæ* Episcopum ordinari debere scribit [a]. Et apud Marculfum [b] Hincmaro longè antiquiorem extant super eâ re tres formulæ, quarum prima est *Præceptum de Episcopatu*, secunda est *Indiculus Regis ad Episcopum vt alium benedicat*, tertia est *Concessio* vel potiùs Consensio *ciuium pro Episcopatu*. Præceptum ab Indiculo differebat, quòd Præceptum maioris authoritatis diploma esset, manu propriâ Principis subscriptum & annulo munitum, Indiculus verò epistola absque sigillo. Præcepti formula talis est. *Ille Rex, viro Apostolico illi Episcopo. Quamuis nos ad administrandum gubernandumque rerum statum, præcelsis occupationibus regiæ sollicitudinis causa constringat, nihil tamen tam principali quàm Principi dignum est, vt cùm pastorali paululum plebs destituta est præsidio, pro salute animarum, huiusmodi personis, locis celsioribus Pontificalem prospiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter sermo, vt populus magistrum habeat, qui actus Christi imitetur; qui plebem non minùs pietate quàm seueritate constringat: qui sciat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus expolire, & acquisità multiplicatâque gregis sui salute ad ouile dominicum nullis maculis sordidatum valeat præsentare. Et quia cognouimus sanctæ recordationis domnum illum, vrbis illius Antistitem, euocatione diuinâ ab hac luce migrasse: de cuius successore sollicitudinem congruam, vnà cum Pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes, decreuimus illustri viro aut venerabili illi, in ipsâ vrbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem. Quem plerumque apud animos nostros & actio probata commendat, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas vel mansuetudinis & prudentiæ honestas exornat. Qua de re statuta præsentibus ordinamus, vt cùm ordinatorum caterua Pontificum, ad quos tamen nostra Serenitatis deuotio scripta peruenit, ipsum vt ordo postulat benedici, vestra industria studeat voluntatis nostræ deliberationem reseratus oraculus publicare, atque effectum Domino annuente sortiri. Quatenus dum Ecclesiam sibi à dispensatione diuinâ commissam strenuè regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem suffragia largiantur, & ille pro peccatorum nostrorum mole indesinenter immensum Dominum debeat deprecari.* Sequitur Indiculus. *Domino Sancto, Sedis Apostolicæ dignitate colendo, in Christo Patri illi Episcopo; ille Rex. Credimus iam ad vestram reuerentiam peruenisse, sanctæ recordationis illius vrbis Antistitem euocatione diuinâ de præsentis seculi luce migrasse. De cuius successore sollicitudine integrâ, cum Pontificibus vel Primatibus populi nostri pertractantes, decreuimus illustri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatam vrbem Pontificalem regulariter Christo auspice committere dignitatem. Et ideò salutationum iura digno debita honore soluentes, petimus vt cùm ad vos peruenerit, ipsum vt ordo postulat benedici vestra sanctitas non moretur, & iunctis vobis cum vestris comprouincialibus ipsum in suprascriptâ vrbe consecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo almitas vestra, vt & nostræ voluntatem deuotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos quàm ipse pro stabilitate regni nostri iugi inuigilatione plenius exoretis.* Quoniam autem populus conueniens de electione tractabat, & consensu in aliquem facto, eius relationem scriptam & subscriptam ad Regem dirigebat, habes quoque formulam istius Consensionis. *Suggerendo pissimo ac precellentissimo Domino illi Regi, vel Seniori, commune illius*, nempe ciuita-

[a] Ep. 3. c. 9.
[b] Lib. 1. capp. 5. 6. 7.

DE FORMVLIS PRÆCEPTI.

INDICVLI.

CONCESSIONIS.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

tis, à seruis vestris quorum subscriptiones vel signacula subtus tenentur inserta. Principalitatis vestræ circumspecta clementia nouit iusta petentibus adnuere, suo moderaminis iudicio ponderante præsertim, cùm illa deposcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, constat illud ad Ecclesiæ regimen pullulare, quod & ipsum regalis clementiæ prosit saluti pariter ac mercedi. Quoniam sanctæ memoriæ vir Apostolicus ille, illius vrbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migrauit, tempore naturæ complenti, ne destitutæ sint, quod absit, oues decedente Pastore, in loco eiusdem suppliciter postulamus vt instruere dignemini virum illum, aut venerabilem illum, Cathedræ illius successorem, in quo est perspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, charitas locuples, voluntatis irrefragabiliter mann nostrâ hunc consensum decreuimus roborare,

XXXIV. DE EPISCOPO VIVENTI NON SVPERORDINANDO.

XII. Canon. *Nulli viuenti Episcopo alius superponatur aut superordinetur Episcopus, nisi forsitan in eius locum, quem capitalis culpa deiecerit.*

XXXV. DE BONIS ECCLESIÆ.

XIII. *Ne cui liceat res vel facultates Ecclesiis aut Monasteriis vel Xenodochiis pro quacumque eleemosyna cum iustitia delegatas retentare, alienare atque substrahere. Quod quisquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quandiu ab ipso ea quæ sunt ablata vel retenta reddantur.*

XXXVI.

XIV. *Vt nullus Episcoporum aut cuiuslibet ordinis Clericus, vel alia quacumque persona, quibuslibet conditionibus, seu in vno Regno, seu in alio positus, alterius cuiuscumque Ecclesiæ res aut petat aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tandiu habeatur à communione altaris vel omnium fratrum caritate suspensus, donec ipsi Ecclesiæ, cuius directo ordine iuris est, ablata restituat.*

XXXVII DE XENODOCHIO LVGDVNENSI.

XV. *De Xenodochio verò, quod piissimus Rex Childebertus vel ingalis sua Vltrogotho Regina in Lugdunensi vrbe, inspirante Domino, condiderunt, cuius institutionis ordinem vel expensæ rationem, petentibus ipsis, manuum nostrarum subscriptione firmauimus, visum est pro Dei contemplatione iunctis nobis in vnum, permansurâ auctoritate decernere, vt quidquid præfato Xenodochio, aut per supradictorum Regum oblationem, aut per quorumcumque fidelium eleemosynam collatum aut conferendum est, in quibuscumque rebus atque corporibus, nihil exinde ad se quolibet tempore Antistes Ecclesiæ Lugdunensis reuocet, aut ad ius Ecclesiæ transferat. Vt succedentes sibi per temporum ordinem Sacerdotes non solùm aut de facultate Xenodochy ipsius, aut de consuetudine vel institutione nihil minuant, sed dent operam, qualiter ipsius rei stabilitas in nullam partem detrimentum aut diminutionem aliquam patiatur, prouidentes intuitu retributionis æternæ, vt Præpositi semper strenui ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura ægrotantium ac numerus vel exceptio peregrinorum secundùm inditam institutionem inuiolabili semper stabilitate permaneat. Quòd si quis quolibet tempore, cuiuslibet potestatis vel ordinis persona, contra hanc Constitutionem nostram venire tentauerit, aut aliquid de consuetudine vel facultate Xenodochy ipsius abstulerit, vt Xenodochium, quod auertat Deus, esse desinat, vt necator pauperum irrenocabili anathemate feriatur.* Ex illo Canone patet Lugdunum in diuisione Regni Burgundici Childeberto Regi obuenisse.

XXXVIII. DE RAPTORIBVS BONORVM ECCLESIÆ.

XVI. *Quisquis etiam aut maiorum aut mediocrium personarum, quodcumque muneris vel facultatis, Sacerdotibus aut Ecclesiis, aut quibuslibet locis sanctis, studio mercedis cum iustitia pro Dei contemplatione contulerit, aut ea quæ à parentibus donata noscuntur postmodum auferre præsumpserit, superiori sententiâ, vt necator pauperum, communione priuetur.*

XXXIX. DE CAVSIS ECCLESIÆ.

XVII. *Placuit etiam, vt si quæcumque persona contra Episcopum vel actores Ecclesiæ, se proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat caritatis studio, vt familiari aditione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tunc demùm ad Metropolitani audientiam veniatur. De quare cùm literas suas Metropolitanus ad comprouincialem Episcopum dederit, & causa ipsa inter vtrosque quàcumque transactione amicis mediis non fuerit definita, vt ipsi Metropolitano necessarium sit in eodem negotio iterare rescriptum, & secundo admonitus sanare, mittere aut venire distulerit, tamdiu à ca-*

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. R. 1.

ritate Metropolitani sui nouerit se esse suspensum, donec ad præsentiam eius veniens, causa ipsius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quòd si patuerit Episcopum ipsum contra iustitiam fatigatum, is qui eum iniustâ interpellatione pulsauit, anni spatio à communione Ecclesiastica suspendatur. Si verò Metropolitanus à quocumque comprouinciali Episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit, ad proximam Synodum quæ constituetur, negotium suum in Concilio habeat licentiam exerendi, & quidquid pro iustitia à comprouincialibus suis statutum fuerit, studeat obseruare.

XL. DE PŒNIS IN EPISCOPOS QVI NON INTERSVNT CONCILIIS.

XVIII. *Id etiam huic decreto credidimus inferendum, vt si quis de comprouincialibus Episcopis à Metropolitano suo ad Concilium intra suam prouinciam fuerit euocatus, & præter euidentem infirmitatem ad Concilium venire distulerit, atque de Synodali conuentu, antequàm cuncta conueniant, sine commeatu Concilij ipsius discedere fortasse præsumpserit, sicut est præcedentibus regulis statutum, sex mensibus à Missarum officio suspendatur. Quod si Concilium faciendum quæcumque necessitas illata distulerit, à Metropolitano suo veniam postulans, ad Missarum faciendarum gratiam reuocetur.* Hic Canon alludit ad Canones decimum-octauum & decimum-nonum secundæ Synodi Arelatensis conceptos his verbis. *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis, sub sancti Marini tempore legimus celebratum fuisse Concilium atque conuentum. Si quis commonitus infirmitatis causâ defuerit, personam vice suâ dirigat. Si quis autem adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium dissoluatur, crediderit deserendum, alienatum se à fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus.* Eadem repetuntur in Concilio Agathensi, Canone vicesimo-quinto, *si defuerint, sicut prisca Canonum præcipit auctoritas, vsque ad proximam Synodum, caritate fratrum & Ecclesiæ communione priuentur.* Obseruabis obiter vnum & idem esse, suspendi *vsque ad proximam Synodum*, iuxta Synodos Arelatensem & Agathensem, & suspendi *sex mensibus*, iuxta Synodum Aurelianensem, quia Patres Synodi Regensis, quæ Theodosio Augusto decimùm-septimùm & Festo Consulibus, siue anno Christi quadringentesimo tricesimo-nono celebrata est, præceperant conuentus agi *bis in anno*, si quies temporum esset, professique fuerant se id præscribere *secundùm antiquam consuetudinem*, & in Concilio Arausicano primo, quod paulò post habitum fuit, mentio facta reperitur de Patrum statutis, *quibus bis in anno sancitum est conueniri.*

XLI. DE PVELLIS QVÆ IN MONASTERIIS OFFERVNTVR, VEL IN DOMIBVS PROPRIIS CONVERTVNTVR.

XIX. *Quæcumque etiam puellæ, seu propriâ voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa quâ intrauerint veste permaneant, in his verò Monasteriis, vbi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea quâ intrauerint permaneant, & postmodum secundùm statuta Monasterij ipsius, in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quæ si deinceps sacra relinquentes loca propositum sanctum sæculi ambitione transcenderint, vel illæ, quæ in domibus propriis tam puellæ quam viduæ, commutatis vestibus conuertuntur, cum his quibus coniugio copulantur, Ecclesiæ communione priuentur. Sanè si culpam sequestratione sanauerint, ad communionis gratiam reuocentur.*

XLII. DE VISITATIONE INCARCERATORVM.

XX. *Id etiam miserationis intuitu æquum duximus custodiri, vt qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono seu à Præposito Ecclesiæ singulis diebus Dominicis requirantur, vt necessitas vinctorum secundum præceptum diuinum misericorditer subleuetur, atque à Pontifice, institutâ fideli & diligenti personâ, quæ necessaria prouideat, competens eis victus de domo Ecclesiæ tribuatur.*

XLIII. DE SVSTENTANDIS LEPROSIS.

XXI. *Et licet propitio Deo omnium Domini Sacerdotum vel quorumcumque hac cura possit esse fidelium, vt egentibus necessaria debeant ministrare, specialiter tamen de leprosis id pietatis causâ conuenit, vt vnusquisque Episcoporum, quos incolas hanc infirmitatem incurrisse, tam territory sui quàm ciuitatis agnouerit, de domo Ecclesiæ iuxta possibilitatem victui & vestitui necessaria subministret, vt non eis desit misericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis constrinxit inopia.*

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. I.

XLIV. DE SERVIS PRO CVLPA CONFVGIENTIBVS AD ECCLESIAM.

XXII. *De seruis verò, qui pro qualibet culpa ad Ecclesiæ septa confugerint, id statuimus obseruandum, vt sicut in antiquis constitutionibus tenetur scriptum, pro concessa culpa datis à domino sacramentis, quisquis ille fuerit egrediatur de venia iam securus. Enimuerò si immemor fidei dominus transcendisse conuincitur quod iurauit, vt is qui veniam acceperat probetur postmodum pro ea culpa qualicumque supplicio cruciatus, dominus ille, qui immemor fuit datæ fidei, sit ab omnium communione suspensus. Iterum si seruus de promissione veniæ datis sacramentis à domino iam securus exire noluerit, ne sub tali contumacia requirens locum fugæ, domino fortasse dispereat, egredi nolentem à domino eum liceat occupari, vt nullam, quasi pro retentatione serui, quibuslibet modis molestiam aut calumniam patiatur Ecclesia, fidem tamen dominus, quam pro concessa venia dedit, nullâ temeritate transcendat. Quòd si aut gentilis dominus fuerit, aut alterius secta, qui à communi Ecclesiæ probatur extraneus, is qui seruum repetit, personas requirat bonæ fidei Christianas, vt ipsi in persona domini seruo præbeant sacramenta, quia ipsi possunt seruare quod sacrum est, qui pro transgressione Ecclesiasticam metuunt disciplinam.*

XLV. DE SYNODO CELEBRANDA SINGVLIS ANNIS.

XXIII. *His itaque Deo propitio constitutis, quod præcipuè in omnibus Patrum Conciliis habetur scriptum, congruâ definitione sancimus, vt intra anni circulum vnusquisque Metropolitanus Episcopus iunctis in vnum comprouincialibus suis intra prouinciam suam studeat habere Concilium, vt aut si qua accesserint, caritatis emendentur studio, aut si pax regulis vel disciplina in cunctis Deo adiuuante permanserit, auctore bonorum omnium Deo de caritate & præsentia gratulentur.*

XLVI. DE OBSERVATIONE CANONVM.

XXIV. *Hæc ergo Deo propitio constanter & vnanimiter definita seruantes, etiam præteritorum statuta Canonum decernimus vt Christo auctore deinceps inconuulsa vniuersa seruentur, vt manente concordiâ, quæ diuinâ inspiratione salubriter in præsenti tempore definita sunt, à modo & habeant vigorem & custodiant caritatem.*

XLVII. SVBSCRIPTION. EPISCOP.

Concilio Aurelianensi quinto subscripserunt Episcopi quinquaginta, aliorúmque viginti & vnius loco Presbyteri decem, Archidiaconi sex, Diaconi tres, Abbates duo, sic vt subscriptiones reperiantur vna & septuaginta.

XLVIII.

Adfuerunt omnes Episcopi prouinciæ Lugdunensis primæ, subscripserunt enim Sacerdos Lugdunensis Metropolitanus, Placidus Matiscensis, Agricola Cabilonensis, Tetricus Lingonensis & Nectarius Augustodunensis in hisce Annalibus iam noti.

XLIX.

Ex prouinciâ Lugdunensi secundâ subscripserunt Lauto Episcopus Ecclesiæ Constantinæ vel Briouerensis, Passiuus Episcopus Ecclesiæ Sagensis, Theudobaudis Episcopus Ecclesiæ Lexouiensis, Licinius Episcopus Ecclesiæ Ebroicensis, Ægidius Episcopus Ecclesiæ Abrincatinæ, & Theodorus Presbyter directus à Leucadio Episcopo Ecclesiæ Baiocensis.

L.

Ex prouinciâ Lugdunensi tertiâ nemo subscripsit præter Febediolum Episcopum Redonensem, & Sabaudum Abbatem ab Albino Episcopo Andegauensi directum. Nota obiter Febediolum in catalogo Episcoporum Redonensium omitti ab Alberto de Monte Relaxo, & medium illi locum esse tribuendum inter Sanctum Melanium, qui discessit è viuis anno quingentesimo tricesimo, & Victurium qui legitur subscripsisse Synodo Turonensi secundæ anno quingentesimo sexagesimo-sexto.

LI.

Ex prouinciâ Lugdunensi quartâ subscripserunt Constitutus Episcopus Senonensis Metropolitanus, Saffaracus Episcopus Parisiensis, Eleutherius Episcopus Autissiodorensis, Aregius Episcopus Neuernensis, Leubenus Episcopus Carnotensis, Medoueus Episcopus Meldensis & Ambrosius Episcopus Trecensis.

LII.

Ex prouinciâ Lugdunensi quintâ subscripserunt duo Episcopi, Vrbicus Vesuntiensis Metropolitanus & Grammatius Vindonissensis.

LIII.

Ex prouinciâ Belgicâ primâ subscripserunt tres Episcopi, Nicetius Treuirensis Metropolitanus, Desideratus Verodunensis & Alodius Tullensis.

LIV.

Ex prouinciâ Belgicâ secundâ subscripserunt Gonotigernus Episcopus Siluanectensis, Beatus Episcopus Ambianensis, Protadius Archidiaconus dire-

ctus à Mappinio Episcopo Remensi Metropolitano, & Medulfus Archidiaconus missus à Gennobaudo Episcopo Laudunensi. AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Ex prouinciâ Germanicâ subscripsit Domitianus Episcopus Traiectensis, per quem Deus in illa Synodo multa signa ostendit. *Dicitur* enim, inquit Ægidius, *quòd cùm disputaret contra hæreticos qui ibi conuenerant, terra in modum puluinaris assurgens ei sedile præparauit. Contradicentibus & resistentibus verbis fidei hæreticis, cùm contra fidem Catholicam aliquid falsitatis dicerent, plenus Spiritu sancto leuabat manum suam contra ipsos hæreticos, & statim ipsi excæcabantur per diuinam potentiam.*

Ex Aquitaniâ primâ subscripserunt Desideratus Episcopus Bituricensis Metropolitanus, Gallus Episcopus Aruernorum, Maximus Episcopus Cadurcensis, Bantaredus Archidiaconus missus à Ruricio Episcopo Lemouicino, & Viuentius Archidiaconus directus ab Ambrosio Episcopo Albigensi. LV. LVI.

Ex Aquitaniâ secundâ subscripserunt Eusebius Episcopus Ecclesiæ Santonicæ, Bebianus Episcopus Ecclesiæ Agennensis, Aptonius Episcopus Ecclesiæ Ecolismensis, & Vincentius Presbyter directus à Leontio Episcopo Burdegalensi Metropolitano. Is est Leontius Iunior, qui consentiente vxore Placidinâ in Episcopatu Leontio Seniori successerat. LVII.

Ex Aquitaniâ tertiâ subscripserunt Aspasius Episcopus Elusæ Metropolitanus, Liberius Episcopus Ecclesiæ Aquensis, Aletius Episcopus Ecclesiæ Lactorensis, Amelius Episcopus Ecclesiæ Conuenicæ, Proculeianus Episcopus Ecclesiæ Auscensis, & Eleutherius Archidiaconus directus à Theodoro Episcopo Ecclesiæ Consoranicæ. LVIII.

Ex prouinciâ Alpium Graiarum subscripsit Rufus Episcopus Ecclesiæ Octodorensium. LIX.

Ex prouinciâ maritimarum Alpium subscripserunt Basilius Episcopus Glannatensis, Deuterius Episcopus Vincensis, Hilarius Episcopus Diniensis, Probus Diaconus directus à Gallicano Episcopo Metropolitano Ecclesiæ Ebredunensis, & Aetius Presbyter missus à Magno Episcopo Ecclesiæ Cemelensis & Nicaensis. LX.

Ex prouinciâ Viennensi primâ subscripserunt Esychius Episcopus Viennensis Metropolitanus, Gallus Episcopus Ecclesiæ Valentinæ, & Tranquillus Presbyter directus à Pappulo Episcopo Ecclesiæ Genauensis. LXI.

Ex prouinciâ Viennensi secundâ subscripserunt Aurelianus Episcopus Arelatensis Metropolitanus, Palladius Episcopus Ecclesiæ Telonensis, Clematius Episcopus Ecclesiæ Carpentoratensis, Firminus Episcopus Ecclesiæ Vceticensium, Vincentius Presbyter directus à Lucretio Episcopo Ecclesiæ Deensis, Marinus Presbyter directus ab Antonino Episcopo Ecclesiæ Auennicæ, Cautinus Archidiaconus directus à Melanio Episcopo Ecclesiæ Albensis, Optatus Abbas directus à Prætextato Episcopo Ecclesiæ Cabellicæ, & Petrus Presbyter missus à Vindemiale Episcopo Ecclesiæ Arausicæ. LXII.

Ex prouinciâ Narbonensi secundâ subscripserunt Auolus Episcopus Ecclesiæ Aquensis Metropolitanæ, Clementinus Episcopus Ecclesiæ Aptensis, Vellesius Episcopus Ecclesiæ Vappincensis, Agecius Presbyter missus ab Auolo Episcopo Ecclesiæ Segestericæ, Epiphanius Presbyter missus ab Expectato Episcopo Ecclesiæ Foroiulienſis, Claudianus Diaconus missus à Fausto Episcopo Ecclesiæ Regensis, & September Diaconus missus ab Eusebio Episcopo Ecclesiæ Antipolitanæ. LXIII.

Subscripsit & Vitalis Presbyter directus ab Agrestio Episcopo Ecclesiæ Toronnicæ, nisi potiùs Eloronicæ seu Loronicæ nomen reponendum sit in Aquitaniâ tertiâ sub Elusâ Metropoli, neque enim Toronnicæ ciuitatis vlla mentio est in descriptionibus Galliarum. LXIV.

Ex Episcopis, quorum nomina in subscriptionibus Concilij Aurelianensis quinti reperiuntur, decem in Sanctorum numerum ascribunt Ecclesiasticæ tabulæ, Albinum Episcopum Andegauensem Kalendis Martiis, Agricolam LXV.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Episcopum Cabilonensem die decimâ-septimâ Martii, Aurelianum Episcopum Arelatensem die decimâ-sextâ Iunii, Gallum Episcopum Aruernensem Kalendis Iuliis, Eleutherium Episcopum Altissiodorensem, die decimâ-sextâ Augusti, Sacerdotem Episcopum Lugdunensem die duodecimâ Septembris, Leobinum Episcopum Carnotensem die decimâ-quintâ Septembris, Lauronem Episcopum Constantinum die vicesimâ secundâ Septembris, Firminum Episcopum Vcetiæ die vndecimâ Octobris, Nicetium Episcopum Treuirensem die quintâ Decembris. Præterea Lingonenses festum S. Tetrici celebrant die decimâ-octauâ Martii, Traiectenses festum sancti Domitiani die septimâ Maii, Bituricenses festum sancti Desiderati die octauâ eiusdem mensis, Burdigalenses festum sancti Leontii die decimâ-quintâ Nouembris, Æduenses festum sancti Nectarii die decimâ-tertiâ Septembris, Viennenses festum sancti Eusychij die duodecimâ Nouembris, & Niuernenses festum sancti Aregij die decimâ-sextâ Augusti. Sanctorum quoque numero ascribitur Gallicanus Episcopus Ebredunensis. Colitur & Nonis Septembris Genebaudus Episcopus Laudunensis, de quo sic Flodoardus [a]. *Obiit Genebaudus in pace Sanctis Dei connumeratus, tamdiu Episcopatu perfunctus, vt ei successerit Latro filius eius Episcopus & ipse postea Sanctus.*

[a] Lib. 1. c. 14.

LXVI. CONTENTIO INTER EPISC AQVENSEM ET LECTORENSEM.

Maxima orta est aliquando contentio in ciuitate Bigerronum inter Liberium Episcopum Aquensem & Aletium Episcopum Lectorensem, qui Concilio Aurelianensi quinto subscripserunt. *Opponebatur*, ait Sirmundus [a], *à Liberio Episcopatus Aquensis antiquitas, alius primus consecratione primas pratendebat, & tandem maiori Episcoporum suffragio præfertur Liberius.* De vtroque nihil recurret. Imò post Aletium mutilus est Lectorensium Pontificum catalogus. Idémque casus infeliciter excepit Consoranenses, hiatus enim est post Theodorum qui Archidiaconum Eleutherium ad Concilium Aurelianense quintum direxit, & à Gregorio Turonensi [b] laudatus inuenitur, quòd sancti Valerij primi Consoranensium Episcopi reliquias repererit, cùm ingentem Basilicam ædificasset, vbi Oratorium in eiusdem honorem priùs extructum fuerat. *Valerius beatus Confessor Consoranensium primus Episcopus hoc se reuelauit modo. Nam Oratorium super se constructum priùs habuit, sed per incuriam ruens, oblitioni datum est quo in loco quiesceret, hoc tantùm ab incolis ferebatur, quòd fuisset ante sanctum altare sepultus. Adueniens autem Theodorus Episcopus, Oratorium ipsum in maiori spatio ampliatum, magnam effecit Basilicam. Deinde sanctum venerabilis viri corpus inquirens, reperit duo sepulchra, sed nesciebat vtrum esset Sacerdotis illius è duobus. Tunc conuocato Clero, vigilias totâ celebrabat nocte, deprecans vt sibi beatus Confessor quo in loco iaceret exponeret, impleuítque duas ampullas vino, & posuit super vnumquemque tumulum, dicens, in quo falerna fuerint ampliata, ipsam manifestum est esse Valery Antistitis sepulturam; datâ verò luce egressus de Basilica, ostia * sigillis munita, dedit membra sopori. Surgens autem ad horam tertiam, venit ad sanctam Basilicam reseratis ostiis cum Clero & populo, reperit ampullam vnam parumper vini habentem, aliam verò in tantùm ore patulo exundare, vt totum beati Pontificis ablueret monumentum. Per hoc enim cognouit Sacerdos, quis esset Valerij Episcopi tumulus, sed euidentiùs adhuc scire cupiens, detegit monumentum, amotóque operterio reperit venerabile corpus valdè integrum, de quo non cæsaries deciderat, non barba fuerat diminuta, neque aliquid in cute corruptum aspiciebatur, aut tetrum, sed erant omnia inlæsa ac si nuper fuissent recondita, tantúsque odor suauitatis flagrabat è tumulo, vt non dubitaretur ibi quiescere Dei amicum; lauri etiam folia sub se habebas strata, de quibus adsumens Episcopus multis infirmis prabuit medicinam. De vestimentis igitur eius reliquias sumpsit, rursumque operto tumulo, venerandum deinceps Antistitem honorauit, multa miracula de hù pignoribus cernens in posterum.*

[a] Tom. 1. Con. Gallic.

[b] De glor. Conf. c. 84.

TVMVLVS S. VALERII EP. CONSOR.

* Id est, ostiis munitis

LXVII. DONATVS ANACHOR.

Sancto Gallicano Ebredunensi Episcopo, cuius nomen Concilio Aurelianensi quinto subscriptum reperitur, coætanei atque etiam noti fuerunt, qui vitam Anachoreticam in pago Sigisterico ducebat Donatus, & qui Bodanensi Mona-

Monasterio præerat Abbas Marius. Donatus ciuis Aurelianensis, adhuc puerulus à parentibus magistro traditus est à quo literis erudiretur, ab Episcopo in Clerum cooptatus succedente tempore ad Presbyterij honorem inuitè prouectus fuit; sed vir humilis, ne dignitate cresceret aliquando impensiori plebis fauore, clàm Turonos perrexit ad sancti Martini tumulum, vt patrociniis eius munitus quæ animo voluebat ad Dei beneplacitum perficeret. Hinc in eremum se recipere statuit, & postquàm pleraſque prouincias peragrasset, in Diœcesi Sigestericensi locum elegit, qui tantò serpentibus ferisque frequentior erat, quantò remotior ab hominum accessu. Corpus ieiuniis ferè continuis macerabat; agrestes fructus, radices & cortices arborum edebat; terrâ pro lectulo vtebatur. Tandem cùm multos annos in religiosissimo Christi famulatu exegisset, & instaret optatæ vocationis dies, adueniente Mario Abbate, vt ad ipsum accederet, diuinitùs admonito, inter verba diuinæ collaudationis migrauit ad Deum decimo-quarto Kalendas Septembres, quo die colitur in tabulis Ecclesiasticis. Marius Bodanensis Abbas, cuius iam non semel meminimus, multis Prophetiæ signis illustris fuit, vt in eius vita Dynamius testatur. *Quodam*, inquit, *tempore quidam Nemphidius cum Senatore Agricola sanctum Marium comitantes, causâ orationis Parisios ibant, vt* in agro scilicet Parisiensi *sancti Dionysij limina visitarent. In quo itinere Nemphidius viri sanctitatem agnoscens, & de ea mente integrâ confidens, eum rogauit, vt eius precibus filium habere mereretur. Negat sanctus, asserens humiliter se tanti meriti non esse, vt per eum quod petebat Nemphidius posset obtinere. Licet autem, vt iustorum mos est, tantæ petitioni se fauere nequaquam posse simpliciter affirmauerit, post triduum tamen memorato Nemphidio filium certo tempore nasciturum prædixit. Quod autem Sanctus in hoc verus Propheta fuerit, Euodius præmisso tempore Nemphidio natus ostendit.* Marius priusquàm Parisiis egrederetur vt Bodanum * repeteret, incidit in grauem morbum, & ope beati Dionisij mox sanitatem recuperauit, sic enim pergit Dynamius. *Illud etiam dignum duximus annectendum, quòd antequam de ciuitate illa egrederetur, non sine suorum mœstitia multum cœperit infirmari. Nocte igitur insequenti membra languore ferè præmortua lecto collocauit. Sed in ipso noctis spatio, sic diuina ei subuenit clementia, vt summo mane lætus & incolumis surgeret, & socios ad iter agendum hortaretur. Cùm autem omnes qui aderant de eius subita valetudine mirarentur, ait, sanctus Dionysius in illa nocte adme venit, me tetigit, & suâ præsentiâ me pristinæ sanitati restituit.* Apud eundem Scriptorem quæ de beati Donati morte ex Adonis Martyrologio superiùs attigimus, ita narrantur. *Marius cuiusdam Donati serui Dei transitum absens corpore, presens spiritu cognouit, & cognitum fratribus cum lacrymis publicauit. Quidam autem ex his qui aderant, probare volens vtrùm viri Dei visio veritate niteretur, misit ad locum in quo iam dictus Donatus Deo militauerat, & legati assertionibus, vt vir Dei prædixerat, ita esse inuenit.* Obiit Marius sexto Kalendas Februarias, quo die colitur in Tabulis Ecclesiasticis. Sepultus fuit à Lucretio Diensi Episcopo in Ecclesia Bodanensi, è qua postea delatus est in oppidum * Forcalcatiense quod inter Sistaricum & Aptam Iuliam situm est. Sanctus verò Donatus ex eremo in qua primùm ab Abbate Mario tumulatus fuerat, translatus est Sistaricum, deinde pars non modica sacrarum exuuiarum allata est Auenionem, & intra capsam argenteam quæ summo altari imposita est in maiori Ecclesia cum aliis sanctis pignoribus asseruatur.

AN. CH. 549. CLOTAR. CHILDEB. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

MARIVS ABB. BODAN.

* Bénons

* Forcalquier.

In supradicta Synodo Aurelianensi quinta contigerunt ea, quæ de Valentiniano Diacono refert Gregorius Turonensis in vita sancti Galli iam laudata. *Tunc*, inquit, *ad seruitium sancti Galli Valentinianus Diaconus accessit, cumque Episcopo alio Missam dicente, Diaconus ille propter iactantiam potiùs quàm pro Dei timore cantare vellet, a sancto Gallo prohibebatur, dicente sibi. Sine fili, quando Domino iubente nos celebrauerimus solennia, tunc & tu cantare debes. Nunc cum Clerici concinant, qui celebrat Missam. At ille & tunc se posse pronuntiat. Cui sacerdos fac vt libet, nam quod volueris non explebis. Ille igitur negligens mandatum*

LXVIII. VALENTINIAN. DIACON.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Pontificis abiit, & tam deformiter cecinit, vt ab omnibus inriderctur. Adueniente autem aliâ Dominicâ, dicente ſepedicto Pontifice Miſſas, eum iuſſit abire. Nunc, inquit, in nomine Domini quod volueris explicabis. Quod cùm feciſſet, in tantùm vox eius præclara facta eſt, vt ab omnibus laudaretur.

LXIX. SYNODVS ARVERN.

Paulò poſt Synodum Aurelianenſem quintam celebratum eſt in regno Theodobaldi Concilium Aruernenſe ſecundum, in quo eiuſdem Synodi Aurelianenſis quintæ priores quindecim Canones cum decimo-ſeptimo iterùm approbati promulgatique ſunt iiſdem verbis. Subſcripſerunt decem Epiſcopi qui Synodo Aurelianenſi quintæ interfuerunt, Heſychius Viennenſis, Nicetius Treuirenſis, Deſideratus Bituricenſis, Aſpatius Eloſenſis, Agricola Cabilonenſis, Vrbicus Veſuntienſis, Rufus Octodorenſis, Baſilius Glannatenſis, Auolus Aquenſis, Hilarius Dinienſis, omnes è regno Theodobaldi, in cuius poteſtate erat ditio Aruerna. Deeſt in ſubſcriptionibus nota temporis, ſed facilè ſuppleri poteſt, quia Deſideratus Epiſcopus Bituricenſis, qui vtrique Synodo Aurelianenſi & Aruernenſi interfuit, obiit anno ſequenti, die octauâ Maij.

LXX. DESIDERAT. EP. BITVRIC. ET AVDOEN. EP. ROTOMAG. CONFVSI.

Illius Deſiderati vitam à quodam Abbate Bouienſis Eccleſiæ primùm ſcriptam, deinde capiti viceſimo-tertio Patriarchij Bituricenſis à Monacho Sanctulpitiano, *inxta vetus exemplar, mendis fideliter eruderatis*, inſertam Philippus Labbeus tomo ſecundo ſuæ Bibliothecæ publicauit paginâ viceſimâ-ſextâ & duabus ſequentibus, nec improbauit paginâ trecenteſimâ ſexageſimâ-ſeptimâ. Ab ea tamen citanda penitùs abſtinuimus, quia ſi pauca excipias quæ ibi leguntur de quintâ Synodo Aurelianenſi, cui Deſideratus ſubſcripſit, vix quicquam occurrit, quod ex geſtis ſancti Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi deſumptum, & ad Deſideratum Antiſtitem Bituricenſem per inſignem Authoris malitiam qui lectorem decipere voluit, tranſlatum non videatur. Rem ipſam oculis ſubiicimus, vitâ ſancti Audoeni deſcriptâ ex Codice manuſcripto, quem cum Fridegodo editionis Surianæ [a] conferre poteris.

[a] D. 24. Aug.

VITA S. DESIDERATI Auctore Abbate Bouienſi.

VITA S. AVDOENI Auctore Fridegodo Diacono.

CAPVT I.

LXXI.

TEMPORIBVS *Clotarij Principis, tenente illo ſceptra regni Francorum, Sueſſionico oppido, quinque miliariis diſtante ab ipſa ciuitate, nuncupato Sanctiaco, hi tres venerabiles viri, Deſiderius, Deodatus & Deſideratus, patre Augino vito illuſtriſſimo, matre verò Agiâ fœminâ generoſiſſimâ procreati, adeò fuere circa Dei cultum & pacis opera ſtudioſi, vt cuncta, quæ poſſidebant, in diuerſis neceſſitatibus hoſpitum, pauperum, peregrinorum & Monachorum liberaliter impenderent. Erant autem fidei integritate puri, longanimitatis ſpe floridi, ſapientiæ luce conſpicabiles, charitatis non fictæ gratiâ inſignes, in quorum domo non vt aſſolet in quorumdam ſecularium conuiuiis, mimorum vel hiſtrionum carmina fœda, ſed Euangelica &*

TEMPORIBVS *Lotharij glorioſi Principis, filij Hilperici Regis, circiter annum viceſimum tenente illo ſceptra regni Francorum, Sueſſionico oppido quinque miliariis diſtante ab ipſa ciuitate, in loco nuncupato Sanctiaco, orti ſunt venerabiles viri, ex vno videlicet ſemine nobiles generati, gratiâque Dei celitus illuminati, Ado, Dado & Rado. Nati ſunt autem patre Autario, matre verò Aigâ. Cùm eſſent nobiliſſimi carnis origine, fuerunt tamen ſtudioſiſſimi in Chriſtianæ religionis deuotione. Cuncta quæ poſſidebant ſiue in fundis ſiue in diuitiis, neceſſitatibus hoſpitum, peregrinorum, pauperum, Monachorum, ſummo ſtudio impendebant, operantes, ſecundùm Apoſtolum, bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Erant ambo*

Apostolica siue Prophetica personabant Oracula, illum diem ducentes solemnem, quo aliquem verbi diuini præconem hospitio suscipere meruissent.

fidei integritate puri, longanimitatis spe præcipui, caritate non ficti. Verbum vitæ aure percipere, corde retinere à talibus, quorum doctrina & fidei puritas & morum sanctitas commendaret, sine fatigatione satagebant. In quorum domo non vt assolet in quorumdam secularium conuiuiis, mimorum vel histrionum carmina fœda, sed Euangelica vel Apostolica siue Prophetica personabant Oracula. Illum diem sanctum, illum ducentes verè sollempnem, quando aliquem verbi diuini prædicatorem hospitio habere meruissent. AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Caput II.

Contigit autem eo tempore virum Deo dilectum, nomine Columbanum, genere Scotum, &c.

Ex eodem Capite.

Primogenitus itaque Desiderius Monasticam vitam eligens, Martyrio tandem ob fidei Christianæ defensionem coronatus est.

Primogenitus Ado cuncta mundi huius obstacula contemnens, semetipsum abnegans, voluntatibúsque propriis renuntians, perpetualiter diuino beneficio in castris Regis æterni militare elegit, & monasticam appetens vitam, mortiferam mundi huius calcauit dulcedinem. Monasterium Iodarense super fluuium Materna in proprio solo secundùm Regulam sæpedicti almi Columbani, adiuuante beatissimo germano suo Audoeno, ditatum rebus & omnibus bonis Ecclesiasticis viriliter condidit. LXXII.

Deodatus verò thesaurorum regalium summus & fidelis Procurator effectus, quamuis in seculi dignitatibus positus fuisset, religiosam tamen vitam ducebat, iustus, timoratus, amabilis, pius, prudens, largus ac profusus in eleemosynis erogandis. Et hic nocte, dum orationibus inuigilaret, ab æmulis, qui ob bonitatem & eminentiam eius inuidebant, necatus est.

Rado extremum natiuitatis ordinem tenens, thesaurorum regalium summus Procurator effectus est, quos iusto dispensans ordine fideliter & Christianè custodiuit, nihilominùs in seculi dignitatibus sanctæ quoque Religioni subditus, in præceptis Domini iustus & timoratus, in diligendo amabilis, in eleemosynis largus, prouidus militando, iustè piéque viuendo, in commissis sibi Palatinis fascibus, viriliter fidelitérque ministrauit. LXXIII.

Caput III.

Sanctus autem Desideratus Auricularij officium in aula Regis sortitus, ad Edicta regalia signanda, quorum ipse conscriptor erat, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Erat enim sensu prouidus, eloquio dulcis, vultu decorus, & ante omnia in charitate Christi benè fundatus. Denique in tantum Regi & Optimatibus cunctis efficiebatur gratus & amabilis, vt ad illius nutum cuncta gererentur. Palatina negotia, & eius

Sanctus igitur Audoenus, cognomento Dado, Auricularij locum in aula Regis sortitur, ipse etiam ad signanda scripta vel Edicta regalia, quorum ipse conscriptor erat, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Erat autem sensu profundus, eloquio copiosus, consilio prouidus, iudicio iustus, corporis staturâ procerus, vultu decorus, & ante omnia in Christi charitate fundatus. Hinc Regi amabilis cunctísque Optimatibus & Principibus ex- LXXIV.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

consilium tam Rex ipse quàm cuncti Magnates, tanquam diuinum Oraculum exciperent. Denique assiduè Regem hortabatur, vt Regem Christum omnium Conditorem ac Redemptorem (sine quo nullus iustè regnat) diligendo, timendo, cunctisque eius mandatis obediendo coleret, subiectorum populorum se socium magis quàm dominum æstimaret, subditis parceret, superbos debellaret, fines imperij defenderet, & ad abundantiorem Christi Ecclesiæ pacem dilatare contenderet, flagitiosas personas, vtpote fures, homicidas, hæreticos maximè à regno detruderet, admonens sanctorum locorum præ omnibus curam gerere, renouandorum vel construendorum Cœnobiorum operibus studiosè insistere; peregrinis, pauperibus, orphanis, omnibusque necessitatem patientibus piè subuenire, dicens iustum esse & Deo acceptum, vt cunctorum sibi subiectorum necessitatibus compateretur. At glorioſissimus Rex Clotharius huius nominis primus, monitis viri Dei libenter aurem accommodabat. Quamobrem cunctis hostibus fortior extitit, & omnibus Regibus, qui præcesserant, felicior fuit.

titit venerabilis. Ad illius nutum cuncta negotia gerebantur Palatina, & ad eius consilium cuncti Optimates & ipse Rex Dagobertus ceu diuinum attendebant Oraculum. Non enim consilium eius aliud erat, nisi quod Regi conferret vtilitatem & populo. Denique Regem assiduè hortabatur, vt Regem Christum omnium conditorem ac Redemptorem suum, sine quo iustè nullus regnat, vel imperat, diligendo, timendo, cunctisque Domini mandatis obediendo, piè coleret; subiectorum se populorum socium magis quàm dominum putaret; subditis parceret; superbos debellaret; fines Imperij sui, ne ab hoste irrumperentur, strenuè defenderet; ipsosque fines ad abundantiorem Christi Ecclesiæ pacem dilatare contenderet; flagitiosas præterea personas, vtpote fures, latrones, homicidas, maleficos, hæreticos, ceteraſque infames personas regno detruderet. Admonet denique Ecclesiarum & sanctorum locorum præ omnibus curam gerere; renouandorum vel construendorum Cœnobiorum studio insistere; pauperibus, peregrinis, viduis, orphanis, omnibúsque necessitatem patientibus piè subuenire, hoc dicens iustum, vt cunctorum, qui eius subiacent ditioni, debeat compati necessitati. Ipse autem Rex supradictus aurem viro Dei libenter in omnibus quæ suasit accommodabat. Quapropter & cunctis hostibus fuit fortior, & omnibus Francorum Regibus, qui ante se regnauerant, felicior, &c.

LXXV.

Beatus igitur Desideratus inter hæc, licèt in Palatio Regis sub tegmine militari stare videretur, potiùs tamen Monachus quàm laicus ab omnibus nosceba-tur. Nam sæpissimè vestibus ornatus pretiosis & aureo præcinctus baltheo foris apparuit, sed interior eius habitus cilicium asperrimum fuit. Persistebat in orationibus, in ieiuniis, in hospitum susceptione, terrenam patriam vt exul incolebat, cælestem verò vt propriam diligebat. Hâc (inquam) vtebatur vt exul, ad illam tendebat vt ciuis.

Ex eodem Capite.

Ipse etiam beatus Audoenus, *licèt in Palatio Regis sub tegmine militari consistere videretur; Monachus magis quàm laicus ab omnibus noscebatur. Nam sæpissimè vestibus pretiosis, aureo præcinctus baltheo foris emicuit, & subtus cilicio caro tegebatur. Persistebat infatigabiliter in orationibus, in ieiuniis, in vigiliis, in lectione diuina, in hospitum susceptione, in pauperum infirmorum ministerio penè semper deditus erat. Terrenam patriam vt peregrinam, cælestem diligebat vt propriam. Hâc vtebatur vt exul, ad illam tendebat vt ciuis, &c.*

LXXVI.

Porrò ipse meditabatur incessanter, quemodo cunctis seculi dignitatibus relictis, se soli Deo militaturum in Monasterij claustris offerret. Siquidem Rex &

Ex eodem Capite.

Iamque meditabatur, vt cunctis seculi dignitatibus abiectis, soli Deo in Monasterij claustris absque impedimento se ad seruiendum subderet. Resistebant autem

cuncti Optimates ei plurimùm resistebant, dicentes eum potiùs plurimorum utilitati debere consulere, quàm suæ particulari satisfacere devotioni. Itaque vir Deo plenus videns se ratione pariter & regiâ auctoritate astrictum (sciebat enim scriptum omnibus, Potestatibus sublimioribus subditi estote, &, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,) ab hac intentione ad tempus ardentem animum finxit tepuisse, sed qualis intus erat, exterior actio evidentiùs monstrabat.

tam Rex quàm cuncti Optimates eius tunc piæ voluntati, dicentes eum potius plurimorum consulere debere utilitati, quàm suæ tantùm singularitatis facere deliberationem. Videns verò vir Deo dilectus ratione se pariter & auctoritate astrictum (sciebas enim scriptum omnibus, Potestatibus sublimioribus subditi estote, &, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,) ab hac intentione ad tempus ardentem retraxit animum, &c.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Adhærebat autem illis, quos fidei puritas & morum sanctitas commendabat. Hæreticos verò perhorrescens eos grani odio persequebatur. Nam quendam pravi dogmatis assertorem missum ex Asia, qui Heduorum civitatem pestifero doctrinæ suæ veneno infecerat, detexit, & confutatum de regno expulit.

Ex eodem Capite.

Haud multo post tempore unus ipsius pravi dogmatis assertor ex Asia pulsus, in Galliarum civitatem Heduam, quæ nunc Augustodunum dicitur, perfidus apostata pervenit. Cumque in aula Regis Francorum relatum esset anguem tortuosum virus horrendum in supradictæ civitate iam latè vibrasse, multosque ibidem infecisse, illicò Synodalem conventum Sacerdotum apud Aurelianensem civitatem coadunari iussit, ubi tunc Audoenus cum sancto Eligio versutiis ipsius hæretici acvalidissimis obiectionibus obsistebat, cunctisque eius argumentis, quibus se quasi quibusdam foveis occultare nitebatur, detectis, omnibus qui aderant, mortiferum dogma & vitandum & execrandum manifestâ ratione & divinâ authoritate, persuasit. Palmam tamen eiusdem victoriæ beato Saluio Episcopo & Martyri, causâ humilitatis, concessit. Convictus itaque hæreticus, etiam finibus regni Francorum expulsus est, &c. LXXVII.

Simoniacam etiam labem, quæ Arvernensium & Biturigensium, necnon totius penè Aquitaniæ fines polluerat, auxilio Regis & verbo sanctæ prædicationis eliminavit.

Ex eodem Capite.

Instabat autem quotidie magis ac magis, quatenus Ecclesiæ fides intemerata persisteret, & à recto tramite nullâ pravitate deviaret. Videns ergo Simoniacam hæresim nimiùm Francorum in regno invaluisse, quæ ab impia Brunichildis tempore penè cunctas Francorum polluit Ecclesias, cœpit suadere Regi & cunctis Optimatibus, ut patriam tali tabe corruptam, medicinâ liberarent salutari, hortabaturque, ut nullatenus consentirent cuiquam sacros Ordines emere vel vendere, dicens tale commercium diabolicâ fraude repertum, atque ideò penitus ab Ecclesiasticæ fidei puritate fore eliminandum, magis eligendos esse ad fastigia sacrarum Ordinationum, quos non aurum, sed fidei syn- LXXVIII.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1. LXXIX. LXXX.

Interea defuncto beato Archadio vrbis Biturica Archiepiscopo veneratione digno, S. Desideratus tam Regis quàm Principum, Cleri ac populi, fauore, suffragio, electione, ad subeundum pondus Pontificatus compellitur.

Quo quidem suscepto, quùm in sede prima Aquitaniæ aliquandiu resedisset, & grauem ob causam Hispaniarum fines ingressus, comperisset eandem regionem ab annis septem rore cæli & pluuiæ stillicidio penitus caruisse, oratione fusâ ad Deum apertionem cæli & imbrium effusionem à Domino largam obtinuit, subsequente fructuum, arborum & terræ nascentium vbertate maximâ. In quo nimirum facto, morem Sancti Helyæ Prophetæ (cuius ipse in multis extitit sedulus imitator) tenuisse inuenitur; quo orante cælum (quod fuerat peccatis hominum exigentibus clausum ne plueret annos tres & menses sex) dedit pluuiam, & terra fructum suum. Denique iste sanctissimus Præsul non virginitatem Helyæ solùm, sed & zelum in peccantes imitatus, Reges & potentes frequenter liberrimâ increpatione redarguit. Ipsum verò nullius terrores, nullius blandimenta à rectitudinis tramite abducere potuerunt.

ceritas, doctrinæ suauitas & morum probitas commendaret.

Ex eodem Capite.

Interea defuncto Rothomagensis vrbis Episcopo veneratione digno, nomine Romano, beatus Audoenus consensu omnium ad subeundum pondus eiusdem Pontificatus compellitur.

Caput IV.

Cùm autem in Hispanias peruenisset, reperit populos ibidem commorantes, nimiâ siccitate iamdudum laborasse. Siquidem iam septem anni transierant, ex quo nec modicum pluuiæ stillicidium has regiones attigerat. Videns autem vir Deo plenus, quòd si talis incommoditas diutiùs protelaretur, non solùm periculum, sed etiam non exiguum portenderet exitium, gladium quodammodò desuper pendentem, atque ad feriendum paratum, euertere studuit. Prosternens igitur se in oratione obsecrat Deum omnipotentem, vt qui quondam populo Israëli causâ idololatriæ atque impiissimæ Iezabel annis tribus & mensibus sex cælum clauserat, idemque orante beatissimo Eliâ, pluuiâ copiosâ reseranerat, nunc quoque suæ miserationis dona populo pro peccatis propriis iustè afflicto largiri dignetur, pluuiâque salubri terram siccitate squalentem irrigare non differat, quatinus per miraculum forinsecus extensum corda populorum fide torpentia ad laudem Creatoris fortiùs inardescant. Nec mora, viri Dei orationem tanta pluuiæ sequitur abundantia, vt priorem penuriam recompensare videretur. Cerneres, inquam, cælos ibidem rorare, imbres ruere, distillare aera guttulis vberrimis, beneficiis cælorum arua repleri, scatere fontes, agros pingescere, fructibus arbores onerari, plantaria consurgere, campos passim vestiri segetibus, collibus vineta effluere, purpurascentes producere olinas, rosarum liliorúmque odorem suauiùs redolere, necnon etiam agricolas resumptis viribus videlicet terga fatigare iuuencorum. Nec mirum, virum Deo dilectum, more Eliæ, clausum cælum orationibus sacris reserare valuisse, quem constat imitatorem virtutum Eliæ in pluribus extitisse. Siquidem virginitatis priuilegio floruit vt Elias, Reges & potentes delinquentes asperè increpauit vt Elias, nullius quoque

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. I. LXXXI.

terrores vel blandimenta hunc à tramite rectitudinis abducere poterant sicut nec Eliam. Vestibus etiam asperis sæpiùs vtebatur vt Elias. Sicque virtutes beatissimi viri per loca plurima narrantur, & fidei eius meritum latè per orbem terrarum commendatur.

Caput V.

Confœderato igitur populo Hispaniarum, & magnificè confortato in fide, verbo & miraculo, quùm ad sedem suam reuertens per Andegauensem Diœcesim iter ageret, pauper quidam (cuius manui lignum, quo contra præceptum Ecclesiæ molam farinariam rotare die Dominico præsumpserat, tam strictè hærebat vt nullatenus auelli posset) procidens ad vestigia eius miseriam suam peccatúmque lachrymabiliter confessus, rogabat vt Dei seruus sui misereri dignaretur. Nec mora, vbi Pater sanctus homini huic benedictionis munus impendit, manum illius sanauit, ac eam è vestigio pristinæ consuetudini deseruire concessit, ita duntaxat vt Dominicis diebus & festis Sanctorum solemnibus ab opere seruili abstineret, Ecclesiam frequentaret, orationi vacaret, verbum salutis audiret, communionémque sanctam interdum suscipere memineret.

Confirmato igitur populo Hispaniarum, fide, verbo, miraculis, ad sedem propriam iam tandem ire disposuit. Cúmque in reuertendo, per Andegauensem regionem iter ageret, obuium quendam pauperculum habuit, qui cùm Dominicâ die contra vsum Ecclesiasticum opus seruile exerceret, atque in molâ farinam conficeret, manum, quâ lapidem molarem in girum rotauit, aridam subitò & inutilem offendit. Nam pollex manus ipsius ad superiora manus tantò astrictus est, vt sanguis in ipsa fixura pollicis exiret, ipsúmque lignum, quo mola rotabatur, inter pollicem & palmam tam strictè tenebatur, vt auelli nullatenus inde potuisset. Procidens ergo pauper ad vestigia sancti Audoeni, miseriam suam lachrymabiliter deploranit, simul & reatum suum & negligentiam confessus est. At beatus Audoenus signum sanctæ Crucis manui contractæ impressit, & consuetudini pristinæ deseruire & motum naturalem exercere præcepit, admonens tamen ipsum pauperculum, vt Dominicis & festis diebus ad Ecclesiam magis venire, & verbum Dei audire, opere implere, communionem sanctam percipere, quàm molam rotare, aut vllum opus penitus seruile exercere sine summa necessitate meminisset, dicens. Si Iudei, &c.

Caput VIII.

LXXXII.

Non multò pòst vir quidam genere haud ignobili glorioſus, abundè dives apud Biturices tam aduersâ valetudine tenebatur, vt iam exanimis effectus à multis crederetur. Siquidem, vt ipse postea referebat, in extasi positus multa inferni supplicia est contemplatus. Cui tandem apparens Sancta Virgo Eulalia dixit, quòd si in eodem quo ipse ager iacebat loco, Cœnobium Monialium construere vellet, mox acceptâ benedictione S. Patriarchæ Desiderati non solùm morbo eueretur, verùm etiam vitæ eius ad vigesimum vsque annum inde protelaretur. Spopondit itaque quæcunque petebantur

Inter cetera autem virtutum miracula, quæ isdem almificus gessit Præsul, illud omninò prætercundum non est, quòd orationis suæ potentiâ illustrem virum nomine Wanningum optatæ tradidit sanitati. Erat námque isdem Wanningus opum abundantiâ secularíque dignitate præpollens, qui dispositissimo ac misericordissimo Dei iudicio morbo percussus acerbo, in extasi mentis iam penè mortuus rapitur, multáque infernalis supplicij tormenta contemplatur. Qui cùm adhuc eodem quo laborabat morbo teneretur astrictus, à beato Audoeno Pontifice visitatur. Qui venerabilis Pontifex orationem fun-

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEOD. II. R. 1.

se libenter factûrum, sícque illâ visione ab oculis eius disparente, ad se reuersus, multis & assiduis precibus petitâ & obtentâ sui Pontificis benedictione, euestigiò est omni morbo liberatus. Huic tam grandi spectaculo Rex Clotarius & multi alij affuerunt, Dei omnipotentiam admirantes, & amicum Christi beatum Desideratum insigniter probantes, perfecta laudis amplissimum ei testimonium reddiderunt.

LXXXIII. *His ita se habentibus, venerabilis Pater Desideratus Romam caput Orbis proficisci disposuit. Quò cùm peruenisset, prosternens se singulis memoriis sanctorum Apostolorum & Martyrum, sic incumbebat sedulæ precationi, sic compunctione cordis & rerum cælestium contemplatione penitùs obruebatur, vt vbicumque in oratione iacuisset, flumine lacrymarum irrigaret pauimentum. Quo sanè effectum est, vt ipsi apud beatum Petrum psallenti atque dicenti hunc Versum,* [*Exultabunt sancti in gloria*] *responsum sit diuinitùs* [*Lætabuntur in cubilibus suis.*]

dens, benedictionem super eum dedit, atque pristinæ sanitati reddidit, hoc præcipuè dans in mandatum, vt Deo consecraret ipsum, in quo iacebat, locum. Et ne ammonitio tanti Pontificis fieret cassa, monetur iterum iuxta iussionem eiusdem Pontificis in eodem prædio, qui vocatur Fiscannus, vbi dudum iacuerat, Cœnobium construi faciat. Atque, vt in hoc mundo adhuc viginti annos debeat viuere, meruit audire. Qui vitæ redditus, ac sensus sui integritate receptâ, eundem clarissimum Audoenum ad se venire precatur, simúlque cum illo sacerdotem Dei Wandregisilum. Promulgatâ autem eiusdem viri recuperatione, vt sese fama nobilium longè latéque diffundit, plurimi ad eum congratulandi gratiâ confluebant, ob hoc maximè quia audiebant illum oratione & benedictione almi Pontificis vitæ sanitatíque restitutum. Cui spectaculo etiam Rex iuuenis Clotharius, Clodouei Regis filius, necnon cuncti Proceres, & populus, qui tum esse poterat, interfuit. Qui audita oculis experientes Omnipotentis Dei clementiam collaudare atque attentiùs beatum Audoenum excolere ac venerari cœperunt.

Caput X.

Post fundatam dehinc in fide Ecclesiam, post doctrinæ fluenta, post tot Monachorum constructa Monasteria, post pacificatum totum Francorum Imperium, vrbem Romam, caput Orbis & Christianæ Religionis, quam Apostolorum Principes corporibus ornant, caterua Martyrum ossibus sacris decorant, pontificante tunc temporis Sedem eiusdem Ecclesiæ anno quarto Deodato Papâ, adire tandem disposuit. Cúmque hoc longè latéque fama vulgaret, vndique conueniunt Religiosorum innumera multitudines ad virum Dei, portantes auri argentique pondera copiosa, obsecrantes vt ad corpora Sanctorum Apostolorum & Martyrum pro redemptione animarum suarum deferri iubeat, partem etiam pauperibus inibi suis sacris manibus largiretur, eósque orationibus suis Domino pariter commendaret. Multi etiam venerabiles viri & Deo deuoti, vnà cum illo ire gaudebant. Inter quos erat S. Sidonius, genere Scotus, ædificator Monasterij, quod nunc per Metonymiam, sanctum Sidonium dicunt. Comitatus igitur Deo dilectus turbâ sanctorum

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

ctorum, necnon benedictionibus eleemosynarum oneratus, ad limina sanctorum Apostolorum hilaris, vt quondam vas electionis, cùm benedictiones diuersarum Ecclesiarum in ministerium Sanctorum Hierosolymam deferret, peruenit. Prosternens autem se singulis memoriis Apostolorum & Martyrum, vota supplicationis tam pro se quàm pro pace totius Ecclesiæ Catholicæ obtulit, lachrymas tamen magis quàm verba fudit. Vbicumque prostratus in oratione iacebat, flumina lachrymarum pauimentum irrigabant. Vbi denique ad Confessionem Petri Apostoli, cùm hunc Versum inciperet [Exultabunt Sancti in gloria,] diuinitùs responsum est, [Lætabuntur in cubilibus suis.] Quis enim eloqui poterit cum quanta abundantia per Romanas Ecclesias & Sanctorum memorias commissam sibi distribuebat pecuniam? Cumulabantur altaria Sanctorum auro & agento, replebantur pauperum manus, gaudebat tota Vrbs sibi, qui in toto notus erat Orbe, aduenisse. Et, vt breuiter concludam, ita in illius aduentu vel beneficio gratulabantur, ac si fundatores fidei suæ corporaliter corporeis tuerentur obtutibus.

Perfectis autem orationibus pro se & totius Ecclesiæ militantis pace ad sepulchra beatissimorum Apostolorum, venerabilis senex diuinâ reuelatione admonitus, vt ad propriam Sedem reuerteretur, acceptis plurimorum Sanctorum reliquiis, tandem prospero itinere redditur suæ ciuitati, Rege nimirùm exultante, ac cunctis Optimatibus cum vniuerso Clero & populo magnificè D[illegible] gratias agentibus, quòd eorum Pontificem & Patriarcham summum etiam incolumem restituisset.

Perfectis autem orationibus apud loca LXXXIV. *Sanctorum diu desideratis, acceptis diuinis responsis, cum multarum suffragiis reliquiarum, tandem venerabilis senex, altissimis Alpium iugis transmissis, Galliarum remeauit ad solum. Cùm autem peruenisset ad fines Diœcesis suæ, cuncti tam ciues quàm suburbani, maximo gaudio exultantes caternatim occurrunt Pontifici vnà cum Crucibus & lampadibus, gratias agentes Domino, qui eis incolumem reddidit proprium Pastorem atque Pontificem. Iámque felix fama volans regalem peruenit ad aulam. Tunc vnà Rex & Regina, cunctíque Optimates Palatij laudabant Creatorem, qui eis tantum Pontificem & regni tutorem remeare fecit incolumem. Quid dicam de sacerdotibus & agminibus Monachorum? Omnes quippe vnanimiter, manibus in cælum cum voce leuatis, canebant. Gratias agimus tibi Iesu Christe, fili Dei viui, qui exaudisti voces clamantium ad te, & reddidisti nobis Pastorem animarum nostrarum simúlque corporum procuratorem.*

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1. LXXXV.

Tunc quidem perlatum est ad eum Pictauos & Andegauenses, quos iens in Italiam optimè confœderatos reliquerat, rursus instigante diabolo inter se magnâ contrarietate dissidere, ac vtrumque populum odia, iámque concertationes in inuicem hostiliter exercere. Mox erupit in lachrymas pius Pastor, suspiria misit ad cælos, & inuocato pacis auctore Deo, sese concordiæ arbitrum fecit, temperauit litem, pacem composuit.

Caput XI.

Iámque ad sedem propriam veniens audiuit Principes Palatij, quos auctore Deo Romam vadens concordes reliquerat, instigante diabolo iam peste discordiæ fœdatos. Tunc Christi miles arma spiritalia sumens, vigilias videlicet, orationes, ieiunia, spiritualem hostem Palatio pellere atque concordiam pristinam turbatis Principibus reddere temptabat. Quàm multa, quàm grauia suspiria, quàm multas tribulationes beata senectus pertulit, vt pacificos redderet quos inuidia diaboli per discordiam separauit? Et ne effusio sanguinis inter Christianos fieret, ipse priùs morti succumbere paratus erat, attendens illud Euangelicum documentum [Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis.] Nec labor tanti viri cassus esse potuit. Nam Principes fugatâ discordiâ pacem amissam libenter susceperunt.

LXXXVI. *Alio quoque tempore vir Dei audito quòd Saxones atque Austrenses in apertas iras & contumelias aduersùm se ambo prorupissent, cupiens etiam inter eos conciliare pacem, illuc multis itineribus Deo ducente peruenit. Quùm autem esset Colonia, quendam ex nobiliori genere virum, bonis quidem moribus innutritum, sed beneficio rectæ elocutionis iam undecim annis priuatum clementi valdè ac benigno affectu intuens extensâ dexterâ signum Crucis capiti eius impressit, cuius benedictionis virtutem vt ille persensit, illicò vsum loquendi recepit. Inde verò optimus efficacissimúsque pacis arbiter, memoratis prouinciis ad concordiæ studium reuocatis, quùm per Neustriam iter conficiens, Verdunensem ciuitatem intrasset, ecce eidem apud sanctæ Dei genitricis Mariæ Oratorium precibus humiliter procumbenti oblata est mulier dirè à demonio vexata. Tum ille, qui suâpte naturâ adeò pius & clemens erat, vt nil ab eo præter propensam misericordiam expectaretur, afflictæ mulieri non potuit non condolere.*

Caput XIII.

Ortâ discordiâ inter gentem Francorum & Austrasiorum ad vrbem Coloniam causâ pacis peruenit. Cúmque ingrediens ciuitatem, Martyrum monumenta perlustrasset, atque reliquias more suo ex eorum monumentis ablatas, secum cum magno honore deportaret, obuium quemdam mutum habuit, qui iam per vndecim annorum circuita vsum loquendi perdiderat. Quem Dominus ad honorem famuli sui tam diu mutum reseruauit, vt per ipsius aduentum muto loquelam redderet, & din tacens lingua in laudes erumperet Christi. Signum itaque Crucis capiti eius imposuit, & linguam tacentem loqui continuò fecit. Exinde populis discordiâ priùs disiunctis, pacis fœdere sociatis, inde regrediens ad Neustriam, ciuitatem Virdunensium aduenit. Cúmque ingrederetur Ecclesiam ipsius ciuitatis, ecce mulier quædam spiritum immundum habens vexari miserabiliter cœpit, frendénsque dentibus, virum Dei rapido cursu inuadere nitebatur. Sanctus Audoenus caput manu strinxit, & illicò dæmonem eiecit, sanámque parentibus reddidit.

LXXXVII. [a] Cap 23. VITA SANCTI DESIDERATI EP. BITVRIC EXAMINATVR.

Hucusque Abbas Bouiensis apud Monachum [a] Sanſulpitianum in vita sancti Desiderati, & Fridegodus Diaconus in vita sancti Audoeni. Vtramque

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. I.

scriptionem iam conferamus, vt melius intelligas non à Bouiensi Abbate Fridegodum Diaconum, sed à Fridegodo Diacono mutuatum esse quæ scripsit Abbatem Bouiensem, si tamen gesta sancti Desiderati concinnata sunt ab Abbate Bouiensi non autem ab Authore neoterico, qui cùm sciret in Monasterio Bobiensi viros eruditione præstantissimos olim floruisse, titulum Abbatis Bobiensis, corruptè Bouiensis, assumpsit, vt operi suo maiorem fidem conciliaret. Odo Gisseyus non videtur audiendus in historiâ Podiensi [a], vbi longè auctiori nominis mutatione Bouiensem Abbatem in Bononiensem conuertit.

[a] Lib. 1. c. 19. LXXXVIII.

Fridegodus toto capite primo exposuit, quo loco, quo tempore, quibus & quàm piis parentibus natus sit Audoenus. Author vitæ sancti Desiderati, quæ de sancto Audoeno scripta fuerant, ad sanctum Desideratum transtulit nonnullis vocibus leuissimè mutatis. Ex Sanctiaco, quæ patria sancti Audoeni fuit, Sauciacum fecit patriam sancti Desiderati, ex Authario patre sancti Audoeni fecit Auginum patrem sancti Desiderati, ex Aigâ matre sancti Audoeni fecit Agiam matrem sancti Desiderati, nisi fortè Fridegodi lectionem in Aigâ retinuit, nam in Breuiario Bituricensi quod inferiùs citabimus non Agia sed Aiga legitur. Augini & Agiæ siue Aigæ religionem & integritatem iisdem penè verbis commendauit, quibus Fridegodus pietatem Authary & Aigæ laudarat. Sancto Desiderato duos attribuit fratres Desiderium & Deodatum, vt in Desiderio, Deodato & Desiderato non minor esset nominum affinitas, quàm in Adone, Dadone & Radone. Non leue studium impendit, vt quos aduersari consilio suo nouerat, Chronologicos Fridegodi Characteres aut tolleret aut mutaret. In primis cùm animaduerteret in Fridegodi textu fieri mentionem Clotarij Secundi, quo regnante natus est beatus Audoenus, sublatis vocibus quæ Clotarium Secundum & annum eius circiter vicesimum designabant, posuit Clotarium Primum, sed quàm malè, duæ potissimùm res ostendunt multùm obseruandæ. Altera ducitur ab ætate sancti Desiderati, altera petitur à situ Diœceseos Bituricensis. Clotarius Primus regnum iniit anno Christi quingentesimo-vndecimo, vitam clausit anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo, si sanctus Desideratus qui paulò post Synodum Aurelianensem quintam obiit, in lucem editus est regnante iam Clotario, cur *venerabilis senex* ab authore vitæ nuncupatur. Natus est certè priusquam Clotarius in regni partem Clodoueo patri succederet; cuias fuerit haud scimus; si cisligeritanus, cœpit viuere sub Clodoueo Rege Francorum; si transligeritanus, sub Alarico Wisigothorum Rege; si Burgundus, sub Gundobado & Godegisilo Burgundionum Regibus. Bituriges ante mortem sancti Desiderati non pertinuerunt ad Clotarium, fuerunt aut in potestate Childeberti qui Parisiis degebat, aut in ditione Regum qui Metis sedem regni constituerant, donec anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, id est, anno quinto post obitum beati Desiderati, Clotarius Theodobaldi Regis, sui ex fratre pronepotis, absque prole masculâ demortui hæredem se dixit. Childeberto parebant anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto, vt suo loco probauimus ex Gregorio Turonensi [b] fugam Archadij sic describente, *Archadius sceleris illius auctor, cuius ignauiâ regio deuastata est, Bituricas vrbem petiit. Erat autem tunc temporis vrbs illa in regno Childeberti Regis.* Diu non remanserunt in potestate Childeberti, vt Gregorium attentè legenti satis innuunt hæ duæ voces, *tunc temporis*. A Childeberto transierunt ad Austrasios. Theodoberto subiacebant anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, cùm celebratum est Aruernense Concilium, cui subscripsit Honoratus Bituricensis Pontifex cum aliis Episcopis ex solo Theodoberti regno conuocatis. Obediebant Theodobaldo, cum habitum est alterum Concilium Aruernense, cui similiter sanctus Desideratus Bituricensis Antistes cum Præsulibus ex solo Theodobaldi regno congregatis post Synodum Aurelianensem quintam ac paulò ante obitum suum interfuit. Ex illo Regum,

[b] Lib. 3. c. 11.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. R R. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

qui Biturigibus dominati sunt, indice colligimus in regno Clotarij numquam vixisse sanctum Desideratum, qui sub Theodoberto Rege Bituricensem Episcopatum anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo suscepit, & anno sui Pontificatus nono sub Theodobaldo Rege, Theodoberti filio, decessit. Alio non opus est argumento, vt abundè refutata censeantur quæ de Thesaurarij & Auricularij muneribus à Deodato eiúsque fratre Desiderato in aulâ Clotarij strenuè gestis palam proferuntur cùm in vitâ ipsius Desiderati quam examinamus, tum in Bituricensis Ecclesiæ Breuiario vnde Philippus Labbeus [a] historicum descripsit sancti Desiderati elogium, cuius initium tale est. *In oppido Sanciaco, quod à Suessione ciuitate quinque milliariis distat, nati sunt Augino patre Aigâque matre tres nobiles viri fratres, Desiderius, Deodatus & Desideratus. Quorum Desiderius monasticam vitam eligens martyrio vitam finiuit. Deodatus verò thesaurorum regalium sub Rege Clotario summus & fidelis Procurator effectus est. Hic cùm esset iustus, pius, honoratus, & in elemosynis largus nocte quadam dum orationibus, vt solitus erat, inuigilaret, à quibusdam emulis, qui pro bonitate ipsius & eminentiâ ei inuidebant, necatus est. Sanctus autem Desideratus vir Dei sigillum Regis ad signanda edicta regalia custodiebat.*

[a] Tom. 2. Bibloth. pag. 366.

LXXXIX. Fridegodus laudes, quibus sancti Audoeni parentes exornat, absoluit postremis hisce verbis capitis primi, *illum diem sanctum, illum ducentes verè sollempnem, quando aliquem verbi diuini prædicatorem hospitio habere meruissent.* Deinde initio capitis secundi narrat aduentum Abbatis Columbani in villam Wilciacum, vbi benedixit Autharij & Aigæ liberis adhuc infantulis, qui mox vt pubescere cœperunt, primùm Clotario Regi, postea Dagoberto fuerunt gratissimi. Posteriorem verò partem eiusdem capitis, quam integram suprà recitauimus, totam insumit in delineandis Adone & Radone fratribus sancti Audoeni. In vitâ sancti Desiderati deest connexio, quâ Scriptor à parentum laudibus ad filiorum laudes idoneè transeat, quia eodem quidem quo Fridegodus modo commendationem parentum claudit asserens eos diem solemnem duxisse, *quo aliquem verbi diuini præconem hospitio suscipere meruissent*, sed non eodem quo Fridegodus contextu subdit aduentum eiusmodi præconis, qui filiis postmodum laudandis secundùm fidem parentum benedixerit, obseruat enim in Fridegodo Columbanum Abbatem, Reges Clotarium & Dagobertum nominari, quos procul ab æuo sancti Desiderati vixisse non ignorat. En ipsissima ratio cur tam præcipiti stylo à primo Fridegodi capite fertur ad posteriorem partem secundi, priore prætermissâ. De Martyrio Desiderij & de nece Deodati apud alios Scriptores altum silentium, imò an ipsi vnquam extiterint, in dubium potest meritò vocari, quoniam ficti videntur eò tantùm consilio, vt plura ex Audoeni vitâ describerentur.

XC. Qualem Audoenum Fridegodus capite tertio depinxerat, talem Desideratum iisdem penè verbis exhibuit Author vitæ, qui satis consultum suæ famæ putauit si tria præstaret. Primò, si Regem quem Fridegodus Dagobertum appellauit, aut Regem simpliciter vocaret, aut Clotarium Primum comminiscereturr, quamuis Desideratus qui sub Austrasiorum Regum potestate semper fuit, in ditionibus Clotarij Primi numquam vixerit. Secundò, si resecaret ex eodem Fridegodi capite partem illam, quæ docet singularem amicitiam Audoeno fuisse cum Eligio, qui longè post obitum sancti Desiderati sub Regibus, Clotario Secundo, Dagoberto Primo, Clodoueo Secundo & Clotario Tertio floruit. Denique si pariter amputaret partem eiusdem capitis, in quâ Fridegodus agit de conditu Rasbacensis Monasterij, cuius fundamenta iacta sunt ab Audoeno sub Rege Dagoberto, Clotarij Primi, qui sancto Desiderato synchronus fuit, pronepote.

XCI. Auctor congressum sancti Desiderati cum hæretico, qui pulsus ex Asia nefandis dogmatibus Augustodunum inficiebat, adeò breuiter exposuit, vt nomen sectæ, quam ille tuebatur, ne quidem indicarit. Ex ipsa reticentia malitiam detege. Eodem tertio capite Fridegodus multa dixit de Clodo-

ueo Francorum Rege filio Dagoberti, de Constantio Augusto Heraclij nepote, de Martino Papa, de Paulo Patriarcha Constantinopolitano, déque hæresi Monothelitarum. Deinde sic locutus est de hæretico, qui suo veneno ciuitatem Augustodunensem corrumpebat. *Haud multo pòst tempore vnus ipsius praui dogmatis assertor ex Asia pulsus*, &c. Quibus verbis satis apertè docuit hunc Monothelitam fuisse, priùs enim sermonem fecerat de Monothelitis. Vtrùm in contexenda oratione ordinem temporum ritè obseruarit, hic non inuestigamus, erit hæc alterius loci disputatio, cùm res à sancto Audoeno præclarè gestas exponemus. Id tantùm te monitum volumus. Hæresis Monothelitarum post mortem sancti Desiderati orta est in Oriente, & Clodoueus Francorum Rex filius Dagoberti, Paulus Patriarcha Constantinopolitanus, Constantius Imperator nepos Heraclij, Martinus Romanus Pontifex eodem sancto Desiderato recentiores extiterunt. Ideóque prædictus Auctor in ipsius Desiderati vita, textu Fridegodi, qui de Monothelitarum hæresi, déque Clodoueo Rege, Constantio Augusto, Martino Papa, Paulo Patriarcha, totus erat, prætermisso, transiit ad subsequentem, in quo cuiusdam Monothelitæ ex Asia profugi aduentus in ciuitatem Augustodunensem à Fridegodo describebatur, illúmque ex parte tantùm recitauit, multa enim sub finem occurrebant, quæ sancti Desiderati æuo non erant consentanea.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

XCII. Simili modo idem Auctor ex tertio capite Fridegodi manuscripto pauca delibauit de Simonia, nec indicauit quando illa in Galliis pullulare cœpisset. Obiit enim sanctus Desideratus antequàm in Franciam ex Hispania veniret Brunichildis, à cuius tempore Fridegodus complures Francorum Ecclesias hæresi Simoniacâ pollutas scribit. Atque hæc de collatione sancti Desiderati cum sancto Audoeno ante Pontificatum.

XCIII. Rotomagensis Episcopatus secundæ Lugdunensis Prouinciæ Metropolitanus ab Episcopatu Bituricensi primæ Aquitaniæ Metropolitano multùm distat, quapropter quæ sanctus Audoenus in Diœcesi Rotomagensi præclarè gessit, ea facili negotio ad sanctum Desideratum Bituricensem Antistitem traduci non possunt. Illud optimè nouit Author vitæ, quamobrem postquàm expuncto Romano cui beatus Audoenus suffectus est, posuit Archadium cui sanctus Desideratus successit, omissis quamplurimis rebus quas Fridegodus intra Rotomagensem Diœcesim peractas testatur, recurrit ad longinquas profectiones in Hispaniam, in Italiam & in Austriam ab Audoeno Pontifice susceptas, expunctisque præterea conditoris ac loci nominibus Monasterium Rotomagensis Diœceseos attribuit Bituricensi.

XCIV. Fridegodum, vt ex ipsa lectione patet, habuit ob oculos, cùm sanctum Desideratum cum Elia comparauit, & miracula narrauit ab eo patrata cùm in Hispania tum in Andegauiâ, sed qui tot dolis vsus est ne caderet in achroniſmum, non adeò sibi cauit ne contra situm locorum Geographiámque peccaret, Desiderato enim ex Hispania in Diœcesim Bituricensem redeunti, quid, amabo, itineris esse debuit per Andegauiam? secùs autem Audoeno qui Rotomagum ex Hispania contendebat.

XCV. Ex tot præclaris rebus, quas in Diœcesi Rotomagensi beatus Audoenus aut fecit aut fieri curauit, vnam duntaxat ad sanctum Desideratum Auctor vitæ transtulit, nempè Monasterium Monialium apud Bituricas extructum à viro prædiuite, postquàm sanitatem ex solâ Episcopi benedictione recuperasset, vt ægrotanti & multa impiorum supplicia contemplato beata Eulalia Martyr anteà prædixerat. Quia capite octauo Fridegodi legit Clotarium Regem tanti miraculi testem oculatum fuisse, neminem putauit sibi fidem non habiturum, modò Clotarium illum, huius nominis primum inter Francorum Reges fuisse persuaderet. Id autem vt assequeretur, voces amputauit, quæ Clotarium innuebant huius nominis Tertium, & Clodouei iunioris seu secundi filium asserebant. Prætereà nec locum in quo Cœnobium erectum est, nec virum qui condidit, nec Abbatem qui comitabatur Episcopum,

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

nec Abbatissam nominauit quæ Monialium curam prima susceperit. Vsus est hoc artificio, quia Fiscanum * non Bituricensis sed Rotomagensis Diœceseos prædium erat, & Waningus qui Fiscanense Monasterium construxit, itémque Wandregesilus Abbas & Abbatissa Childemarcha non sub Clotario Primo sed sub Clotario Tertio floruerunt. Adde insuper Clotarium Primum Biturigibus ante mortem sancti Desiderati neutiquam imperasse.

* *Fécan.*

XCVI. Quæ de sancti Desiderati profectione in Italiam scripsit Auctor vitæ, mutuatus est etiam à Fridegodo, miraculi enim, quod Episcopo apud beatum Petrum Romæ psallente contigit, similem prorsus narrationem iniit, suppressit autem nomen Papæ qui tunc Ecclesiæ præerat, nam si nominasset Adeodatum qui sanctum Audoenum excepit, ab ætate sancti Desiderati procul recessisset.

XCVII. Ridicula est contentio, quam inter Pictauos & Andegauenses finxit, illius enim dissidij nulla mentio fit in antiquis Scriptoribus. Rectè verò Fridegodus eiusmodi discordiam ait inter Palatij Proceres intercessisse, quos sancti Audoeni ætate grauissimis odiis inter se decertasse constat.

XCVIII. Quod attinet ad sancti Desiderati profectionem in Austrasiam, seu Coloniæ seu Viroduni versaretur, non alia dicitur miracula fecisse quàm quæ leguntur apud Fridegodum in vita sancti Audoeni, sed tota narratio benè cohæret in Fridegodo, secùs autem in vita sancti Desiderati, sic enim apud Fridegodum procedit. *Ortâ discordiâ inter Francos*, id est, Neustrasios, *& Austrasios, vir beatus* Audoenus *componendæ pacis causâ Coloniam venit, inter discordes populos instaurato pacis fœdere, inde discedens in Neustriam, Virdunum peruenit.* Ita verò in vita sancti Desiderati. *Vir Dei* Desideratus *audito quòd Saxones atque Austrenses in apertas iras & contumelias aduersùm se ambo prorupissent,* Coloniam proficiscitur, *inde verò memoratis prouinciis ad concordiæ studium reuocatis, per Neustriam iter conficiens Verdunensem ciuitatem* intrat. Colonia & Virodunum duæ ciuitates erant in Austrasia; Diœcesis verò Rotomagensis sita erat in Neustrasia, vt & Clypiacum villa prope Parisios in qua degebat Rex Theodoricus, quem Audoenus Rotomagensis Episcopus ex Austrasia reuersus quamprimùm conuenit. Audoeno igitur Coloniâ iuxta Fridegodi mentem in Neustriam proficiscenti, siue Rotomagum siue Clypiacum peteret, iter esse potuit Viroduno, Desideratus autem cùm Colonia, vt Auctor vitæ scribit, Virodunum contenderet, iter non habuit per Neustriam, quia prædictæ ciuitates ad vnam Austriam pertinebant. Atque hæc dicta sufficiant ad examen variarum rerum, quas Auctor perditæ frontis à vita sancti Audoeni per insignem audaciam ad vitam sancti Desiderati traduxit.

XCIX. Cetcrùm in eadem sancti Desiderati vita, cuius Scriptor Abbas Bouiensis circumfertur, rebus hactenus examinatis & explosis tres aliæ subiiciuntur, nempe conuocatio Synodi Aurelianensis quintæ, exauctoratio Forbij Anicensis Episcopi & mors sancti Desiderati, de quarum fide superest vt breuiter disseramus.

C. Abbas Bouiensis sanctum Desideratum Viroduno reuocat, vt Concilio Aurelianensi quinto cum aliis quadraginta quatuor Episcopis interfit, captâque occasione duos eiusdem Synodi Canones, primum scilicet & duodeuicesimum laudat. Tantùm abest vt negemus Desideratum Bituricensem Antistitem Synodo Aurelianensi quintæ præsentem adfuisse, quin lubenter affirmamus hoc vnum in eius vita legi, quod indubitato testimonio aliunde confirmari possit. Ad prædictam Synodum plures Episcopi quàm quadraginta quinque conuenerunt, singulorum nomina Canonesque numero viginti quatuor suprà recitauimus.

CI. Post Concilium Aurelianense quintum, in vita sancti Desiderati, hæc narratio instituitur de Forbio Anicensi Pontifice. *Eo tempore Forbius homo fastiosus, arrogans, voluptuarius, Anicensium* (*qui nunc Podiani dicuntur*) *Ecclesiam tenebat. Hic cuiusdam pulchræ mulieris captus prauis cupidinibus, deprehen-*

sus atque conuictus est adulterij crimen (quo nullus vitij alicuius rumor spurciùs olet) cum ea perpetrasse. Quamobrem apud sanctum Patriarcham Desideratum graniter accusabatur. Vir autem Domini sciens quàm fœdum sit hominem ad summa diuinâque prouectum turpiter supplicem esse scorto putidissimo, flens amarissimè illius ruinam deplorabat. Tamen ne sibi culpæ verteretur, si tam graue delictum in suo suffraganeo punire dissimularet, re solerti indagine vestigatâ, inuentâ & confessâ, eundem Forbium hoc modo Episcopatu abdicauit. Si quidem vices suas cuidam dilecto & fideli socio suo nomine Flauiano magnæ sanctitatis viro ob ætatis prouectæ impotentiam commisit, vt ad ciuitatem Podium accedens, dictum Forbium ab administratione Pastoralis regiminis deiiceret, vtpote hominem multo dedecore commaculatum, & Pontificalis apicis honore prorsùs indignum. Quod vt vir ille omni virtutum genere instructissimus ad effectum ritè perduxit, iam reuertens diem clausit extremum. Hæc historia dubiæ admodum fidei nobis videtur, quia Scriptore non innititur antiquiore vel probatiore. Odo Gisseyus aliique Neoterici ex textu proximè citato volunt Flauianum Forbio in Episcopatu successisse, sed vtrùm illud ex verbis allegatis rectè colligant, Lector ipse viderit. Haud etiam probamus rationem allatam cur Desideratus Flauiano vices suas commiserit, *impotentiam* videlicet *ætatis prouectæ*, nam si Coloniâ, vt Auctor vitæ contendit, non ita pridem redierat, & Aureliam nuperrimè se contulerat ad Synodum, quomodò causari potuit grandiorem ætatem ne proficisceretur Anicium quò res grauissimi momenti vocabat? AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

Mors sancti Desiderati ab eodem Auctore post obitum Flauiani sic enarratur. *Cuius* nempe Flauiani, *morte auditâ, sanctus Pater Desideratus contristatus, & ex tot itinerum fatigatione confractus prope ingressum Diœcesis suæ morbo febrili ad desperationem vsque medicorum laborare cæpit. Itaque lecto decubans, conuocatis Episcopatus sui maioribus ac senioribus, monitis etiam salutaribus præmissis, infuso sibi sancto Spiritu, prædixit se die Dominicâ proximâ sanctam Deo animam redditurum. Quod & ita rei probauit euentus. Nam ipso (quem sibi fore vltimum prophetando designauit) die, videlicet octauo Idus Maij, nono Episcopatus sui anno, magnis clarus virtutibus feliciter obdormiuit in Domino.* Subdubitari quoque potest nùm horum aliqua desumpta sint ex Fridegodo, quo teste sanctus Audoenus ex Austrasia reuersus *apud villam Clypiacum*, quò se contulerat, vt Theodoricum Regem *de pace inter Francorum populos constituta* certiorem faceret, *iam longæua ætatis senio confectus in morbum incidit, febribusque attenuatus migrauit ad Dominum nonagenarius die Dominico.* Quicquid sit de nostra suspicione, non inficiabimur sanctum Desideratum obiisse nono Pontificatus anno, die Dominico, octauo Idus Maias, quo die nunc etiam eius festum celebrari solet, & propter literam Dominicalem B, quæ tunc currebat, illius mortem anno sequenti consignabimus. Chronologiam nostram non parùm confirmabit intertuallum annorum quatuor ac triginta, quod Monachus Sansulpitianus aliique ab obitu sancti Desiderati vsque ad mortem Remigij collocarunt, nam Remigius Biturigum Antistes anno Christi quingentesimo octogesimo quarto discessit è viuis. Chronologia quoad Episcopos Bituricenses, vt quoad alios complures solis Conciliorum subscriptionibus innititur ante Childeberti Secundi Principatum, à cuius exordio Gregorius Turonensis aliique post Gregorium historiam Francorum per annos Regum digesserunt. Hactenus occurrerunt Synodi septem, Aurelianenses quinque, Aruernenses duæ, quibus subscripserunt Episcopi Bituricenses, Tetradius, Honoratus, Arcadius & Desideratus, aut eorum Vicarij. Singulos autem Pontificatus ita distinximus, vt anno Christi quingentesimo vndecimo, quo Concilium Aurelianense primum celebratum est, Tetradius; anno Christi quingentesimo tricesimo-tertio, quo Concilium Aurelianense secundum celebratum est, & anno Christi quingentesimo tricesimo quinto, quo Concilium Aruernense primum celebratum est, Honoratus; annis Christi quingentesimo duodequadragesimo & quingentesimo quadra- CII.

AN. CH. 549. CHILDEB. CLOTAR. RR. 38. THEODOBALDI II. R. 1.

simo-primo quibus Aurelianensia Concilia tertium & quartum celebrata sunt, Arcadius ; anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo quo Concilia Aurelianense quintum & Aruernense secundum celebrata sunt, Desideratus sederit. Sua, si secundam Aruernensem excipias, cuilibet istarum Synodorum affixa est epocha. Aruernensis secunda caret quidem notâ temporis, sed quia sexdecim Canones Aurelianensis quintæ confirmat, habita est sub finem eiusdem anni quo celebrata est Aurelianensis quinta, vel sub initium anni sequentis quo sanctus Desideratus Bituricensis Episcopus, qui vtrique interfuerat, vitam clausit octauo Idus Maias. Si *prope ingressum Diœcesis suæ*, vt Author vitæ testatur, *morbo febrili ad desperationem vsque medicorum laborare cœpit*, redibat sanè ab Aruernensi Concilio, & illud Concilium in annum sequentem circa Pascha differri debet, sed quoniam illi Scriptori fides penè in omnibus deneganda est, arbitramur potiùs à decem Episcopis è regno Theodobaldi, qui cum aliis quinto Kalendas Nouembris Aurelianensi Concilio subscripserant, paucis post diebus aliud habitum fuisse in ciuitate Aruernensi, vbi fortasse Theodobaldus Rex eâ tempestate versabatur.

CIII. Porrò post adeò longum examen vitæ, nihil certum ex antiquis monumentis asserimus de beato Desiderato, nisi quòd Synodis Aurelianensi quintæ & Aruernensi secundæ subscripsit, & ex eius domo fuit Augustus Abbas sanctitate conspicuus, cuius elogium inferiùs ex Gregorio Turonensi [a] proferemus.

[a] De glor. Conf. c. 80.

550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

ANNVS CHRISTI 550.

CHILDEBERTI R. 39.

CLOTARII R. 39.

THEODOBALDI II. R. 2.

INDICTIO 13.

I. ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus notatur in fastis nonus post Basilij Consulatum, Indictione decimâ-tertiâ excurrente.

II. LITERÆ VIGILII PP. AD AVRELIAN. EP. ARELAT. [b] Ep. 7.

Vigilius Romanus Pontifex Aureliano Episcopo Arelatensi, cuius epistolam de tribus Capitulis anno priori pridie Idus Iulias Anastasio deferente susceperat, tertio Kalendas Maias per literas respondit nihil à se admissum fuisse contra Concilia generalia & Romanorum Pontificum Decreta. *Fraternitatis vestræ literas*, inquit [b], *pridie Idus Iulias Anastasio deferente suscepimus, & gratias referimus diuinæ clementiæ, quia sollicitudinem vestram in fidei causâ, vel in nostræ opinione personæ, sacris relegimus conuenire mandatis, vt dignè caritati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur quibus ait.* [*Elegi te Sacerdotem ex omnibus, vt ascendas ad altare meum, & portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ.*] *Necesse ergo nobis est, caritatis vestræ sollicitudinem breui interim, quantùm pro temporis qualitate potuerimus, releuare colloquio, quatenus modis omnibus confidatis nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ, quæ vna eadémque est, fidei quatuor Synodorum, id est Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis inueniatur, quod absit, esse contrarium, aut quod ad personarum iniuriam pertineat, quæ definitioni eiusdem sanctæ fidei subscripserunt, vel sanctorum prædecessorum nostrorum, Cælestini, Xisti, Leonis, aliorúmque præcedentium atque sequentium definitis reperiatur aduersum. Sed*

à nobis

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

à nobis omnibus prædictis Synodis vnam venerationem vnámque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi, & omnes eos qui suprascriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequuntur, vel vnam ex ipsis, vel omnes in fide reprobant, aut reprobare, aut iniuriare, vel repudiare nituntur, abiicimus. Sed & ea, quæ in eiusdem sanctæ fidei iniuriam verbo dicta vel reperiuntur scripta, anathematizanda execrandáque iudicauimus & constituimus iudicanda; simili pœnâ plectentes eos qui fidem B. Cyrilli, quam sanctæ recordationis Leo prædecessor noster ad prædecessores vestros, aliósque, datis & probauit & laudauit scriptis, & Chalcedonensis veneranda Synodus legitur protulisse, aliorumque Patrum quos Apostolicæ Sedis Præsules susceperunt atque secuti sunt, execrandâ superbiâ impiam vocauerunt. Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ Sedis per nos constat esse Vicarium, vniuersis Episcopis innotescat, vt nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur, sed potiùs primi Apostolorum, sicut conuenit, verba sectentur dicentis, [*aduersarius vester diabolus, vt leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide,*] *& quod item Doctor gentium dicit Apostolus,* [*rogo autem vos, fratres, vt eos obseruetis, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt & declinate ab illis*] *in Domino confidentes, quia sicut præfati sumus, ab Apostolis fidem traditam & à prædictis sanctis quatuor Conciliis declaratam, & à decessoribus nostris & ab antedictis patribus prædicatam atque inuiolabiliter custoditam sinceră volantate tenuimus, tenemus, venerati sumus, veneramur atque defendimus, & contra eam facientes Apostolicâ auctoritate damnamus.* Ex illa priori epistolæ parte constat Vigilium à multis fraudulenter insimulatum fuisse, quòd tria damnando Capitula Synodum Chalcedonensem impugnaret, câque de re inquisitum per literas ab Aureliano Episcopo Arelatensi, cui plura se scripturum pollicitus est, postquàm ex Oriente in Italiam rediisset, hæc enim subiunxit. *Quanta possumus per filium nostrum Anastasium de his quæ gesta sunt breuiter nos indicare necesse est, & cùm nos Dominus filius noster Clementissimus Imperator, sicut promisit, Deo qui cor ipsius tenet iuuante reuerti præceperit, hominem qui vobis ad singula subtiliter innotescat Deo propitio destinabimus. Quod ideò adhuc non fecimus, quia & hyemis asperitas & Italiæ quæ vos non latet necessitas præpedinit, donec Serenissimus Princeps, sicut desiderat, Domino sibi auxiliante subueniat.* Postremò Aurelianum hortatus est, vt intercessione Childeberti Regis impediret, ne Totilas Rex Gothorum Arianus, qui Romam superiore anno ceperat, Ecclesiæ Catholicæ damnum inferret. *Illud quoque*, inquit, *credimus sperandum, vt quia scriptum est, frater fratrem adiuuans exaltabitur, & sicut de credentibus in Domino Actuum Apostolicorum scriptura testatur, quia erat credentibus in Domino cor vnum & anima vna, vt sit fraternitas vestra in hac quoque parte sollicita, & glorioso filio nostro Childeberto Regi, quem Christianitatis studio venerationem integram Sedi Apostolicæ, cui nos Deus præesse voluit, cognouimus exhibere, supplicare non desinas quatenus in tantâ rerum necessitate circa Ecclesiam Dei sollicitudinem suam, sicut & confidimus, Christianâ deuotione persoluat, vt quia Gothi cum Rege suo in ciuitatem Romanam perhibentur ingressi, hoc ei diguetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præiudicio, quippe velut alienæ legis, immisceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde Catholica possit Ecclesia perturbari. Dignum enim est, & Catholico sicut est Regi conueniens, vt fidem & Ecclesiam, in quâ Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere. Scriptum est enim* [*viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo.*] *Festina ergo, frater carissime, vt in sancta fidei sinceritate persistens, Ecclesiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum Sacerdoty tibi commissa est, vel à nobis per Apostolicam auctoritatem vicariâ potestate mandatur, competenti sollicitudine Deo propitiante custodias, & Vicarium te Sedis Apostolicæ dignis Deo manifestes operibus. Deus te incolumem custodiat frater carissime. Dat.* III. *Calend. Maias. Imperante Iustiniano P. P. Augusto. anno* XXIV. *P. C. Basily V. C. anno* IX. *per hominem quem Anastasius direxit.* Agemus de reditu Anastasij in Galliam anno sequenti, quo contigit.

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

Interim hoc anno beatus Albinus Andegauensis Episcopus, cùm *viginti annis & sex mensibus*, vt Author vitæ Fortunatus scribit, Pontificalem apicem Ecclesiasticâ regulariter censurâ gubernasset, animam Deo charissimam Angelis plaudentibus emisit ad cælos Kalendis Martiis, quo die celebratur in tabulis Ecclesiasticis. Sancto Albino in Episcopatu successit Eutropius. Noui Pontificatus initia commendauit Glannafolienſis Cœnobij dedicatio, quam Faustus in vita beati Mauri refert anno octauo ab eius aduentu in Andegauiam. *Octauo*, inquit, *anno, postquam ibidem adueneramus, Monasterium omne satis conuenienter in omni constructione consummatum, atque ab Episcopis prouinciæ ipsius dedicatum est. Regebat autem per idem tempus Andegauensem Ecclesiam vir sanctissimus Eutropius.* Deinde quatuor eiusdem Cœnobij Ecclesias hoc recenset ordine. *In ipso Monasterio Ecclesia quatuor ædificatæ fuerant. Quarum maior, in quam Fratres tam ad diurnum quàm ad nocturnum conueniebant officium, consecrata est in honore B. Petri Apostolorum Principis: secunda in honore B. Martini: tertia verò quæ & minor erat ceteris, in veneratione S. Seuerini: quarta autem, quæ in modum turris quadrifidæ, in ingressu Monasterij altissimè ædificata est, benedicta fuit in honore sancti Archangeli Michaëlis.*

III. ALBINVS EP. ANDEG. MORITVR. GLANNAFOL. MONAST. DEDICATVR.

IV. EPISCOPI NAMNET.

In eâdem prouinciâ Lugdunensi tertiâ vitam hoc anno clausit Eumerius siue Euemerus Namnetensis Episcopus. Eloquens erat & animo mansueto, patriam deseruerat ob amorem Christi, malis aliorum compatiebatur, ieiuniis & orationibus vacabat, in pauperes & ægros beneficum se præstabat, Ecclesiam apud Nannetes exustam reparare cœpit, Felicem in Episcopatu successorem habuit. Hæc omnia prædicat Fortunatus [a] in illius Epitaphio, quod hoc distycho clauditur,

[a] Lib. 4. c. 1.

Felix ille abiit, Felicem in sede reliquit,
Hæredis meritis vivit in orbe pater.

V. LAVS FELICIS EPISCOPI.

Felix Aquitanus genere, nobilissimis parentibus natus annum agebat ætatis tricesimum-septimum, obiit enim septuagenarius anno Christi quingentesimo octogesimo-tertio. Extant apud eundem Fortunatum [b] plura Carmina in laudem Felicis. Quæ pertinent ad illius genus & eruditionem, hoc loco placet exscribere.

[b] Lib. 3.

Maxima progenies, titulis ornata vetustis,
Cuius & à proauis gloria celsa tonat.
Nam quicumque potens Aquitanica rura subegit,
Extitit ille tuo sanguine, luce, parens.
Germinis antiqui venerabile nomen in orbe,
Laudibus in cuius militat omne decus.
Flos generis, tutor patriæ, correctio plebis,
Eloquij flumen, fons salis, vnda loquax.
Semita doctrinæ, iuris causa, terminus iræ,
Cuius in ingenium hæc noua Roma venit.
Illic quod poterat per plures illa docere,
Te contenta suo Gallia ciue placet.
Ornamenta geris gemino fulgentia dono,
Et te concelebrant hinc opus inde genus.
Sed qui terrenâ de nobilitate nitebas;
Ecclesiam nunc spe nobiliore regis.

VI. PATERNVS FIT EP. ABRINC.

Abrincæ in Lugdunensi secundâ luxerunt Ægidium Pontificem. Successit beatus Paternus, septuagesimum ætatis annum agens, Childeberto Regi percharus, Abbatis officio diu functus, ac miraculis dudum clarus, vt Author vitæ declarat. Eius electionem præcessit insigne prodigium. *Scisciaci in cellulâ quam primò extruxerat, quiescenti quadam nocte visus est locus ille mirâ claritate perfusus. Simul autem visi sunt ad eum ingredi sancti Episcopi Melanius, Lucianus & Beor, qui ad Dominum migrauerant, ipsúmque ordinare Antistitem. Hac ille visione obstupuit, sed tacitam apud se habere volens, tamen occultare non*

potuit, quam posteà ipse rei euentus ad omnium notitiam perduxit. Nam non multum intercessit temporis, cùm decedenti Abrincensi Episcopo ad Regis & populi preces ipse succesſit. Id autem hoc anno contigisse probabimus inferiùs, vbi agemus de illius obitu post annos tredecim. Interim tres Episcopos qui de nocte quiescenti apparuerunt, obserua in illis regionibus sedisse, vbi multa Monasteria condiderat. Melanius Episcopus fuit Redonensis, obiitque anno Christi quingentesimo tricesimo. Lucianus, siue, vt in Codice [a] Monasterij sancti Victoris prope Parisios legitur, Leontianus, à quo Paternus Diaconus ac Presbyter ordinatus est, Episcopus fuit Constantiensis, Melanio Redonensi coætaneus, ambo enim Concilio Aurelianensi primo sub Clodoueo Rege subscripserunt. Beor seu Vigor Episcopus fuit Baiocensis, vixitque Melanio & Luciano synchronus, floruit enim incunte Childeberti Principatu, & in Episcopatu præcessit Leucadium, qui Conciliis Aurelianensibus, tertio, quarto & quinto sub eodem Childeberto Rege interfuit.

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

[a] Cod. 874.

Desideratus Episcopus Bituricensis, nono Pontificatus anno, die Dominicâ, vti prædixerat, febre dissolutus spiritum Domino reddidit, vt legitur in Breuiario Bituricensi. Festum illius agitur die octauâ Maij. Atque ex ipso Charactere Dominicalis Literæ B. deprehendimus eum hoc anno ad Deum transiisse: Nam Litera Dominicalis B. post annum Christi quingentesimum quinquagesimum incidit in duos tantùm priores menses anni quingentesimi quinquagesimi sexti qui bisextilis fuit, deinde in annum Christi quingentesimum sexagesimum-primum. Mors autem sancti Desiderati non potest in annum Christi quingentesimum sexagesimum primum differri, alioquin eius Episcopatus vltra nouem annos produceretur, anno enim Christi quingentesimo quadragesimo nono inter Episcopos in Concilio Aurelianensi quinto sedit, addequod Probianus eius successor secundæ Synodo Parisiensi subscripsit anno Christi quingentesimo quinquagesimo primo.

VII. DESIDERATVS EP. BITVR MORITVR.

Qui sancto Desiderato successit in Episcopatu Probianus, certè non alius nobis videtur à Probiano Presbytero, quem ante annos 9. ab Arcadio Bituricensi Episcopo ad Synodum Aurelianensem quartam directum obseruauimus. Fortunatus in libro quem de miraculis S. Hilarij composuit, mentionem facit cuiusdam Probiani, qui cùm in infantia grauiter ægrotaret, à patre Francone & matre Periculosa in Ecclesiam sancti Hilarij delatus est, sanitatémque recuperauit, ac *posteà Pontificis apicem promeruit obtinere.* Bouchetus [b] & Robertus hunc aiunt esse Probianum Episcopum Bituricensem, nec ab illis dissentimus. Probianus teste Gregorio Turonensi [c] *Basilicam sancti Symphoriani fabricauit ante conspectum muri Biturigi.* Hæc hodie intra vrbem est & collegiata & parrochialis,

VIII. PROBIANVS SVCCEDIT.

[b] Cap. 15.

[c] De glor. Conf. c. 80.

Obiit etiam hoc anno alter Desideratus, postquàm in Episcopatu Virodunensi sedisset annos viginti quinque, in Sanctorum numero habetur à Wasburgio [d]. Successit Agericus, & domum vbi degeret elegit prope primariam Ecclesiam beatissimæ Virgini sacram, ibique Oratorium erexit in quo reliquias sancti Martini Turonensis olim Episcopi collocauit. Ædem Principum Apostolorum, in qua educatus fuerat, adibat frequenter, & Clericorum illic viuentium curam sollicitè gerebat. Eius laudes egregiè commendat Fortunatus [e].

IX. AGERICVS FIT EPISC. VIRODVN.

[d] Lib. 1.

[e] Lib. 3. carm. 19. 30

Hoc anno Nonis Maiis, ad Deum transiit Domitianus Episcopus Traiectensis *, de quo sic Ægidius Monachus apud Chapeauillum in additionibus ad Harigerum Abbatem. *Postquàm beatus Domitianus populum sibi creditum fideliter aliquantis gubernasset annis, multisque signis & virtutibus claruisset, recepturus à Domino coronam gloriæ quieuit in pace. Corpus verò eius in Ecclesia maiori beatæ Mariæ in Hoyo * sepultum est. Celebratur autem festiuitas eius Nonis Maij. In qua festiuitate, in Ecclesia beatæ Mariæ, vbi corpus eius requieuit, fiunt multa miracula.* Molanus [f] hunc Domitianum ab altero Domitiano non distinxit, qui sedit Andegaui, duobusque Conciliis Parisiensi & Turonico sub-

X. DOMITIAN. EP. TRAIECT. MORITVR.

* *De Mastricht.*

* *Huy*

[f] Die 7. Maij.

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEOD. II. R. 2. CHRONOLOGIA EPISCOPORVM TRAIECT.

scripsit annis quingentesimo quinquagesimo-septimo & quingentesimo sexagesimo sexto. Bucherius in eundem errorem aliquando abreptus capite sexto disputationis historicæ de primis Tungrorum Episcopis quam posteà correxit, existimauit Domitianum ex hac vita migrasse circa annum Christi quingentesimum septuagesimum, non autem circa quingentesimum sexagesimum qui legitur in marginali ad Ægidium annotatione, quam ex Aureæ-vallis Codice retulit Chapeauillus. Placentius ab Ægidio vix discrepat, auspicatur enim Monulphi Pontificatum ab anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo. Enschenius longè diuersam init rationem Chronologiæ, Monulphi meminit anno proximo post Concilium Aurelianense quintum, & quia mortem Clodouei Regis anno Christi quingentesimo-nono consignat, ipsum Aurelianense Concilium citiùs quàm par est collocat sub anno Christi quingentesimo quadragesimo-septimo. Nos tantam Scriptorum varietatem spernendam ducimus, quia Domitianus, qui suâ subscriptione Synodum Aurelianensem anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo communiuit, ad hunc annum, Christi quingentesimum quinquagesimum, peruenit, nec vlteriùs vitam produxit, quoniam ab eius obitu ad Pontificatum vsque Ioannis, cognomento Agni, numerantur anni tres supra septuaginta, Ioannes autem teste Sigeberto Præsulatum iniit, cùm superstes in viuis erat Austregisilus Bitucensis Episcopus, cuius mors in annum Christi sexcentesimum vicesimum-quartum incidit.

XI. MONVLFVS EPISC. TRAIECT.

Sanctus Domitianus apud Hoium in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis sepultus fuit. Ab Hoianis honore præcipuo colitur, quia illi oppido multa contulit beneficia quæ Placentius recitat, draconem interfecit qui fontem ciuibus mirè vtilem contaminauerat, eóque expurgato alterum etiam ægris medentem suscitauit. Successit in Episcopatu Traiectensi Monulphus, qui templum honorificum sancto Seruatio statim apud Traiectum erexit. Conditus fuerat sanctus Seruatius iuxta pontem aggeris publici, circa illius sepulchrum quamuis nix defluxisset, nullatenus tumulum attingebat. *Videas*, inquit Gregorius Turonensis [a], *in circuita montes niueos eleuari, nec tamen adtingere terminum monumenti. Plerumque deuotio atque studium fidelium Oratorium construebant de tabulis ligneis lenigatisque, sed protinùs aut rapiebantur vento aut sponte ruebant. Procedente verò tempore adueniens in hac vrbe Monulfus Episcopus templum magnum in eius honorem construxit, composuit, ornauitque, in quo multo studio & veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet.*

[a] De glor. Conf. c. 72.

XII. AVRELIANVS EPISC. ARELAT. OBIT.

In tabulis Ecclesiasticis decimo-sexto Kalendas Iulias celebratur Lugduni depositio beati Aureliani Episcopi Arelatensis. Quapropter inter illustres Antistites, quos hoc anno Deus ad cælum vocauit, locus tribui debet eidem Aureliano, anno enim superiori sedit in Concilio Aurelianensi, exeunte mense Octobri, & Sapaudus eius successor Synodo Parisiensi interfuit anno sequenti.

XIII. IEHONIVS ABBAS CONFVGIT AD PAVLVM EPISC. LEONENSEM.

Iaoua siue Iehonius Abbas Daougloasensis in agro Coriosopolitano, cùm copiosam Monachorum multitudinem congregasset, & vicinam plebem salutaribus disciplinis erudiret, à nefariis hominibus, quos diabolus ad id sceleris impulit, adeò vexatus est, vt hoc anno, si certus est [b] Alberti calculus, Cœnobij curâ Tusuano Arastagni filio traditâ in agrum Leonensem abierit ad Paulum Episcopum, quem postero biennio in administrando Episcopatu plurimùm iuuit.

[b] D. 1. Mart.

XIV. SYNODVS TVLLENS.

Iacobus Sirmondus in hunc annum coniecit Concilium Tullense, quod Theodobaldi quidem Regis iussu celebratum constat, sed in Mappinij literis, quæ solæ apud antiquos mentionem fecerunt illius Synodi, desideratur anni numerus. Excommunicarat ob incestas nuptias nonnullos Francos Nicetius Treuirorum Antistes. Quod illi cùm ægriùs ferrent, & contumeliosiùs agerent in Episcopum, indicta est Theodobaldi Regis nutu Synodus in vrbe Tullensium, ad eámque vocatus inter ceteros Mappinius Episcopus Remensis, hic autem quia Synodi causam ignorabat, ire se posse negauit nisi certior fieret,

certior igitur à Rege iteratis literis factus est, sed seriùs quàm vt Synodo adesse ad diem dictam, id est, ad Kalendas Iunias liceret. Itaque cùm abfuisset, absentiam suam Nicetio excusauit per epistolam, cuius fragmentum descripturi sumus, quo & ea quæ diximus, vberiùs explicantur, & alia narrantur valdè obseruanda. *Domino sancto & in Christo beatissimo fratri Nicetio Papæ, Mappinius Episcopus. Indicamus nos literas filij nostri Domini Regis Theodebaldi excepisse, vt in Tullensium vrbe die Kalendarum Iuniarum adesse deberem, nullam causam euocationis declarantes. Reciprocâ paginâ indicauimus nos illuc accedere non debere, quia causam conditionémque nos constabat ignorare. Iteratis scriptis edocuit, Beatitudinem vestram, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus à communione Ecclesiasticâ remouet, scandala seu anxietates multimodas sustinere. De quâ re non mediocriter ingemiscimus, quod nos relatione vestrâ scire non feceritis, vtrùm ex Canonicâ lectione damnentur, an pro pastorali diligentiâ corrigantur. Licet nihil noui vos de his rebus inuenire posse cognoscimus, quod prisca Patrum solertia non potuit reperire, tamen absurdum esse videtur, vt à nobis recipiantur, qui à vobis secundùm seriem Canonum Ecclesiasticâ seueritate abdicantur. Nouimus enim, si scienter hoc gerimus, quòd criminibus aliorum misceamur, si ignoranter, reatui non subdamur. Quapropter salutantes caritate debitâ indicamus, simulque suademus, vt nos in omnibus participes tam tribulationum vestrarum incommodis, quàm prosperitatum commodis fieri studeatis. Nam nos, mediante capite nostro quod est Christus, nullis aduersitatibus à vestrâ anxietate diuellimur, nullisque asperitatibus à vestra caritate diuidimur. De qua re, si tamen præsumptiosi non existimus, indicare præsumimus. Decuerat vt vestra consolatio pro huiusmodi conditionibus potiùs quàm regia vocationis nos conferere debuisset, quia pari modo, si nobis aliquid simile, quod in posterum arbitramur posse fieri, contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissemus, vt nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quamquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus & conueniat & libeat, tamen non vestris minùs scriptis, si studio caritatis non supercilio dirigantur despectionis, quia amaritudo vestra dulcedo nostra esse non poterit, nec abiectio vestra absque nostrâ deiectione constabit, & veneratio vobis debita impensa, à nobis non dinoscitur procul posita.* Deinde paucis interiectis, *hoc plenius nouerit vestra Perfectio, si ad nos iterata scripta Domini Regis ante quinque vel sex dies Kalendarum Iuniarum peruenissent, in die præfato præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.*

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

XV.

Illis circiter temporibus gens Sueuorum in Hispaniâ cum Rege suo ex Arianâ sectâ rediit ad Catholicam fidem, ista enim ad Ecclesiam accessio eo facta est anno, quo Martinus, quem iuniorem seu Dumiensem vel Bracarensem aut Gallicien sem vocant, vt à seniore seu Turonensi distinguatur, Episcopatum accepit, migrauit autem ad Dominum anno Christi octogesimo supra quingentesimum *impletis in Sacerdotio, plùs minùs triginta annis.* Post Remismundum, quem vixisse anno Christi quadringentesimo sexagesimo-octauo ex Idatij Chronico iam obseruauimus, ante Theodomiri ætatem qui Sueuorum Reges fuerint clam est, antiquis Historiarum monimentis iniuriâ temporum sublatis. Gregorius [a] huic Theodomiro nomen Charraricj tribuit, & quâ occasione rectam fidem susceperit, ita narrat ad commendationem reliquiarum è Franciâ in Galliciam translatarum. *Charrarici cuiusdam Regis Galliciæ filius grauiter agrotabat, qui tale tædium incurrerat, vt solo spiritu palpitaret. Pater autem eius fœtidæ se illi Arrianæ sectæ vnà cum incolis loci subdiderat. Sed & regio illa plùs solito, quàm alia prouincia, lepra sordebat. Cumque Rex videret vrgeri filium in extremis, dicit sub. Martinus ille, quem in Galliis dicunt multis virtutibus effulgere, cuius, quæso, religionis vir fuerit, enarrate. Cui ainnt. Catholicæ fidei populum pastoralis curâ in corpore positus gubernauit, asserens Filium cum Patre & Sancto Spiritu æquali substantiâ vel omnipotentiâ venerari debere; sed & nunc cœli sede locatus, assiduis beneficiis non cessat plebi propriæ prouidere. Qui ait, si hæc vera sunt quæ profertis, discurrant vsque ad eius templum*

[a] De mir. S. Mart. l. 1. c. 11.

SVEVI IN HISPANIA CVM SVO REGE FIVNT CATHOLICI ACCEPTIS RELIQVIIS S. MARTINI EP. TVRON.

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2.

fideles amici, multa munera deportantes, & si obtinent filij mei medicinam, inquisitâ fide Catholicâ, quæ ille credidit, credam. Pensato ergo auro argentóque ad filij sui pondus, transmisit ad venerabilem locum sepulchri. Quò perlati oblatis muneribus exorant ad beati tumulum pro ægroto. Sed insidente adhuc in patris pectore sectâ non continuò integram recipere meruit medicinam. Reuersi autem nuncij narrauerunt Regi se multas virtutes ad beati tumulum vidisse, dicentes. Cur non sanatus fuerit filius tuus ignoramus. At ille intelligens non antè sanari posse filium, nisi æqualem cum Patre crederet Christum, in honorem beati Martini fabricauit miro opere Ecclesiam, expeditáque proclamat. Si suscipere mercor viri iusti reliquias, quodcunque prædicauerint Sacerdotes, credam. Et sic iterum suos dirigit maiori cum munere, qui venientes ad beatum locum reliquias postulabant. Cumque eis offerrentur ex consuetudine, dixerunt. Non ita faciemus, sed nobis quæsumus licentia tribuatur ponendi, quæ exinde iterum assumamus. Tunc partem pally serici pensatam super beatum sepulchrum posuerunt, dicentes. Si inuenimus gratiam coram expetito patrono, quæ posuimus plus in sequenti pensabunt, erúntque nobis in benedictionem posita, quæsita per fidem. Vigilatâ ergo vnâ nocte, facto mane, quæ posuerant pensitabant. In quibus tanta beati viri infusa est gratia, vt tandiu eleuarent in sublimi æream libram, quantùm habere poterat quò ascenderet momentana. Cúmque eleuatæ fuissent reliquiæ cum magno triumpho, audierunt voces psallentium qui erant in ciuitate detrusi in carcere, & admirantes suauitatem soni, interrogabant custodes quid hoc esset; qui dixerunt. Reliquiæ Domini Martini in Gallicia transmittuntur, & idcò sic psallitur. Tunc illi flentes inuocabant sanctum Martinum, vt eos suâ visitatione liberaret. Exterritíque custodibus & in fugam versis, diruptis obicibus retinaculorum liber populus surgit à vinculo, & sic vsque ad pignora sancta populo expectante venerunt, osculantes flendo beatas reliquias, simulque & sancto Martino gratias pro sui absolutione reddentes, quòd eos dignatus fuerit suâ pietate saluare. Tunc obtentis per Sacerdotem à iudice culpis, incolumes dimissi sunt. Quod videntes gestatores reliquiarum, gauisi sunt valdè, dicentes. Nunc cognouimus, quod dignatur beatus Antistes nobis peccatoribus propitium se præbere. Et gratias agentes nauigio prospero, sequente patroni præsidio, vndis lenibus, temperatis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo velociter ad portum Galliciæ peruenerunt. Tunc commonitus à Deo beatus Martinus de regione longinquâ, qui ibidem nunc Sacerdos habetur, aduenit. Sed nec hoc credo sine diuinâ fuisse prouidentiâ, quòd eâ die se commoueret de patriâ, quâ beatæ reliquiæ de loco leuatæ sunt, & sic simul cum ipsis pignoribus Galliciæ portum ingressus sit. Quæ pignora cum summâ veneratione suscipientes, fidem miraculis firmant: nam filius Regis amissâ omni ægritudine, sanus properat ad occursum. Beatus autem Martinus Sacerdotalis gratiæ accepit Principatum. Rex vnitatem Patris & Filij & Spiritus Sancti confessus, cum omni domo suâ chrismatus est. Squalor lepræ à populo pellitur, & omnes infirmi saluantur, nec vnquam ibi vsque nunc super aliquem lepræ morbus apparuit.

XVI. In illo textu Gregorij Turonensis maximè obseruandum occurrit, quòd Sueuorum Rex erectâ in honorem sancti Martini basilicâ statim *reliquias viri iusti* popoſcit, positum enim erat in more vt quisquis alicui Sanctorum Ecclesiam fabricasset, accipere soleret sanctuaria, nempe veli partem quæ sepulchro illius Sancti superposita fuisset, & in signum diuinæ benignitatis impertiendæ plerumque contingebat vt ex petentium voto eadem vela maioris ponderis reciperentur quàm data fuerant. Vnde & de sepulchro Principis Apostolorum sic idem Author scribit [a]. *Petrus Apostolus sepultus est in templo quod vocitabatur antiquitus Vaticanum, quatuor ordines columnarum valdè admirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ sunt simul centum, præter illas quæ ciborium sepulchri sustentant. Hoc enim sepulchrum sub altare collocatum, valdè rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum; & sic feneſtellâ parulâ patefactâ, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit, efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantùm iusta proferatur oratio. Quòd si beata auferre de-*

[a] De glor. Mart. l. 1. c. 28.

AN. CH. 550. CHILDEB. CLOTAR. RR. 39. THEODOBALDI II. R. 2. XVII.

siderat pignora, palliolum aliquod momentanâ (id est, statera) *pensatum iacit intrinsecùs, deinde vigilans ac ieiunans deuotissimè deprecatur, vt deuotioni sua virtus Apostolica suffragetur. Mirum dictu, si fides hominis præualuerit, à tumulo palliolum eleuatum ita imbuitur diuinâ virtute, vt multò amplius quàm priùs pensauerat ponderetur, & tunc scit qui leuauerit cum eius gratia sumpsisse quod petiit.*

De Sueuorum conuersione scribebat Gregorius ante annum Christi quingentesimum octogesimum, Martino Dumiensi Episcopo adhuc superstite, vt produnt ista verba superiùs recitata. *Martinus de regione longinqua, qui ibidem nunc Sacerdos habetur, aduenit.* Cæterùm Regis filius qui sanitatem ope sancti Martini Turonensis imploratâ recuperauit, non alius est à Mirone Galliciæ pòst Rege, cuius obitum Gregorius in historia Ecclesiastica refert [a] anno Childeberti Regis nono, Christi quingentesimo octogesimo-quarto. Hunc Galliciæ seu Sueuorum in Hispania Regem, quem alij Mirum & Ariamirum appellant, Isidorus [b] tradit annis regnasse tredecim, vnde patet Theodomirum illius patrem, quem Gregorius Charraricum vocauit, ad annum Christi quingentesimum septuagesimum primum peruenisse, & sententiam Neotericorum corruere, qui Principatum ei duodecim duntaxat annorum affingunt. Existimamus Charraricum seu Theodomirum sub initium sui regni ab hæresi resipuisse, & anno tertio eiusdem Theodomiri non Ariamiri, vt in multis Codicibus legitur, celebratum fuisse Concilium Bracarense primum, cui Martinus Dumiensis Episcopus cum aliis interfuit.

[a] Lib. 6. c. 43.

[b] In Chron. Sueuor.

---

551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

ANNVS CHRISTI 551. CHILDEBERTI R. 40. CLOTARII R. 40. THEODOBALDI II. R. 3. INDICTIO 14.

ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus-primus, consignatur Indictione decimâ-quartâ, éstque in fastis decimus post Basilij Consulatum. I.

Instigante rursùm Theodoro Episcopo Cæsarensi in Cappadocia, contra præcedentis Synodi decretum & emissam sponsionem de seruando vsque ad Concilium vniuersale silentio, Iustinianus Imperator aduersus tria Capitula publicè appendi iussit Edictum, quod nec rogante per suos Vigilio reuocare voluit, imò & præter minas vim quoque adhibuit suis mandans satellitibus, vt in ipsum Apostolicæ Sedis Episcopum manus iniicerent. Vbi verò audiuit ista Vigilius, in fuga tantùm spem posuit; ex domo Placidiana vbi degebat, confugit ad Ecclesiam sancti Petri quæ proximè iuncta erat, ibique collecto paucorum quos secum habebat Episcoporum conuentu execranda Theodori facinora proposuit, ac demùm in peruersorem legum & euersorem iurium, occultum hæreticum, manifestum schismaticum, sententiam excommunicationis intorsit decimo-nono Kalendas Septembris, hoc anno, nempe Iustiniani Augusti vicesimo quinto, post Basilij Consulatum decimo, vt ipsa subscriptio docet apud Baronium tomo Annalium septimo. Epistola iam laudata, II. IVSTINIAN. IMP. VEXAT PAPAM.

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

quam Italiæ Clerici Legatis Francorum Constantinopolim anno sequenti proficiscentibus dederunt, ærumnas quas Vigilius Pontifex & Datius Episcopus Mediolanensis hoc anno perpessi sunt, ob oculos ponit his verbis. *Constantinopoli verò cæperunt iterùm beatissimum Papam Vigilium compellere, vt si Afri atque Illyriciani vel Dalmatæ Episcopi nollent, ipse cum Græcis Episcopis eadem Capitula condemnaret. Sed beatissimo Papâ Vigilio nullatenus adquiescente, Edicta ex nomine Imperiali tam in Ecclesia Constantinopolitana, quàm in diuersis locis suspendi fecerunt, per quæ eadem Capitula damnarentur. Quo facto beatissimus Papa omnes Episcopos admonuit dicens. Quicumque Edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolicæ Sedis communione suspensum. Sed & sanctus Datius Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit, dicens. Ecce ego & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est, Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, contestor quia quicumque in Edicta ista consenserit, suprascriptarum Prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit, quia constat apud me Edicta ista sanctam Synodum Chalcedonensem & fidem Catholicam perturbare. De qua re accensa est contra beatissimum Papam, & contra Datium Episcopum iracundia principalis, & tanta contra eos agere cæperunt, vt nisi ad Sanctorum Basilicas confugissent, ad interitum vitæ peruenerant. Et tamen beatissimus Papa Vigilius, nec in Basilica Beati Petri sedes tutas habere meruit, in tantùm vt illic Prætor, ad quem fures & homicidæ tantummodò pertinent, mitteretur. Qui cum multitudine militum spathas nudatas & arcus tensos portantes supradictam Basilicam introiuit. Quo viso, sanctus Papa columnas altaris amplexus est, sed ille ferocitate & animo concitatus, primò de altari Diaconos eius & Clericos à capillis tentos eiecit, postea verò ipsum sanctum Papam aly à pedibus, aly à capillis & barba tentum crudeliter abstrahebant. Sed cum ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantùm ad ipsos, ibi super ipsum, altare in partibus mitti habuit. Sed Deus qui in talibus angustiis semper adesse dignatur, tam aliquorum ex ipsis militibus, quàm populi, qui ad tumultum venerat, animos ad misericordiam pronocauit, & cæperunt voces atque stridores mittere, & sic contigit vt iudex iniquitatis supradictus Prætor cum ministris crudelitatis suæ territus fugiendo discederet. Postea tamen sacramenta accepit beatissimus Papa & sanctus Datius Episcopus, vel omnes qui cum ipsis ad loca sancta confugerant, quia eis nec vltra violentiam faceret, nec inuitis de Ecclesiastica causa aliquid extorqueret, & sic interim sunt egressi.* Paulò pòst Vigilius confugit Chalcedonem, & in Ecclesia sanctæ Euphemiæ Martyris cum suis degit, vt patet ex eius literis quarum fragmentum recitabimus ad annum sequentem, quo legationem à Iustiniano Imperatore accepit. Interim Anastasius Constantinopoli rediens in Galliam detulit literas, quibus Pontifex Episcopis Gallicanis, vt anteà Aureliano Arelatensi, nihil in causa trium Capitulorum scribebat, nisi quòd fidem Catholicam & quatuor Synodorum reuerentiam secundùm traditionem Patrum custoditet atque conseruaret. Harum literarum meminerunt Italiæ Clerici in epistola iam citata, quam Legatis Francorum anno sequenti Constantinopolim proficiscentibus direxerunt. Legationem illam anno Christi quingentesimo quinquagesimo-secundo à Francis obitam non testantur tantùm Italiæ Clerici, qui Romanum Pontificem ab Imperatore Constantinopolim ante sex annos vocatum scribunt, sed & Procopius, qui, dum res anno belli Gothici decimo-septimo, Christi quingentesimo quinquagesimo-primo gestas narrat, obseruat Legationem illo anno à Iustiniano Augusto missam ad Theodobaldum Francorum Regem, qui pollicitus est se suos Oratores Constantinopolim non longè pòst transmissurum. Qualis autem Italicarum rerum status anno belli Gothici decimo-septimo fuerit, accipe ex eodem Procopio [a].

[a] Lib 4. bell. Goth. c. 14.

III. *Franci arreptâ belli, quo Romani Gothíque erant impliciti, opportunitate, sine discrimine ditionem suam iis locis auxerunt, de quibus illi pugnabant. Venetorum*

panca

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

pauca oppida Gothis supererant, nam Romani maritima, Franci cetera occuparant. Dum hoc bellum, vt dixi, Romani Gothique inter se gerèrent, nec nouos hostes in se auderent excire, colloquio Gothos inter ac Francos instituto conuenerat, vt quæ haberent vtrique, his quietè potirentur, nec se inuicem armis lacesserent, quamdiu Romanis Gothi bellum inferrent, ac si bello vinceret Iustinianum Augustum Totilas, tum Gothi & Franci transigerent, prout è re esse communi videretur. Hæc erant pacta conuenta. Postquàm verò in regnum Theodiberto successit Theodibaldus filius (mortem Theodoberti Regis in hunc annum à Procopio perperam reiici iam monuimus [a]) *ad eum Iustinianus Augustus Legatum misit Leontium, Athanasij generum ac Senatorem, postulans vt arma secum aduersùs Totilam & Gothos iungeret, cederétque locis, quæ Theodibertus in Italia contra ius fœderis occupasset.* Leontij ad Theodobaldum hæc fuit oratio. *Sunt fortè, quibus aliquid contra expectationem acciderit, qualia verò à vobis in Romanos admissa sunt nemini præterea contigisse vnquam crediderim. Etenim Iustinianus Augustus non antè ad bellum istud adiecit animum, nec se arma in Gothos mouere prius ostendit, quàm Franci auxilia promisissent, amicitiæ & societatis nomine acceptâ ingenti pecuniâ. At illi, adeò non promissi partem impleuere aliquam, vt Romanis iniuriam tantam intulerint, quantam vel suspicari nemo facilè possit. Neque enim dubitauit pater tuus Theodibertus in prouincias contra ius fásque inuolare, quas Imperator labore multo bellicísque periculis, ídque sine Francorum ope, in ditionem suam subiunxerat. Quare huc modò veni, vt, omissis querelis & criminationibus, ea petam ac moneam, quæ vobis ipsis profutura sint, nimirum vt vestram stabiliatis optimè felicitatem, & Romanos finatis habere sua. Certè potentissimos euertit sæpè fortunis omnibus iniusta reculæ possessio. Nec verò diues prosperitas cum iniquitate coire solet. Præterea postulo, vt socia nobiscum arma feras in Totilam, itáque fidem paternam liberes. Quippe veros iustósque liberos maximè decet, si quid parentes peccauerint, id corrigere; firmare autem & rata facere, quidquid præclarè constituerint. Hoc inprimis optandum sapientissimis viris, vt studiorum, quibus dediti cum laude fuerint, imitatores relinquant filios, ac rursus, si quid perperam egerint, id emendet nemo, præterquàm ipsorum liberi. Quin etiam vos non inuitatos, inire cum Romanis oportuit societatem huius belli, quo Gothos petimus, veteres Francorum hostes, & omnino ipsis infidos, ac bellum impacato atque inexpiabili odio inferre solitos. Nunc quidem impulsi metu, quem incutimus, adulari vobis non renuunt; at, si quando à nobis se expedierint, quo in Francos animo sint, breui ostendent. Enimuerò homines improbi nec in prospera nec in aduersa fortuna ingenium mutare valent, licet duris in rebus occultare maximè consueuerint, præsertim si finitimorum operâ indigent, quo tempore peruersitatem tegere necessitas cogit. His perpensis, cum Imperatore amicitiam renouate, & illatas quondam iniurias totis viribus in veteres hostes vindicate.* Leontio Theodobaldus ita respondit. *Ad societatem belli in Gothos nec rectè nec iure nos inuitatis; iam enim nobis amicitiâ coniuncti sunt, quibus si fidem Franci fefellerint, nec vobis vnquam præstabunt. Deprehensus enim semel animus in praua aduersus amicos fraude, semper deflectere de recto solet. Quod ad loca attinet, quorum mentionem feciſti, satis habeo dicere, nunquam eò patrem meum Theudibertum spectasse, vt finitimorum cuiquam afferret vim, aut in alienas possessiones inuolaret. Id ex eo coniice, quòd mihi non magnas opes reliquit. Neque ille ea loca Romanis eripuit, sed à Totila, qui iam illa obtinuerat, palam tradita occupauit; quo nomine Francis maximè gratulari Iustinianum Augustum decuit. Nam qui rerum raptores suarum ab aliis spoliatos videt, is meritam factæ sibi iniuriæ pœnam ipsos luisse arbitratus, iure lætatur, nisi fortè vindicibus ipse inuideat, nam hostium æquitatem suam feciſſe inuidiam, facilè vt pleráque homines arbitrantur. Ceterùm Iudicibus disceptationem rei permittere vtrique possumus, vt, si quid patrem meum Romanis abstuliſſe constiterit, sine mora cogamur id restituere. Sed de his Legatos Byzantium mittemus breui.* Illâ Legatione functus est Leudardus, vt anno sequenti dicemus.

[a] Ad an. 548. num. 6.

FRANCOS SOLLICITAT CONTRA GOTHOS.

IV. Qui mortem Sacerdotis Episcopi Lugdunensis reiiciunt post biennium, non satis aduertunt Nicetium Sacerdotis successorem obiisse quarto Nonas

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. R R. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

Apriles anno Pontificatus sui vicesimo-secundo, & Priscum qui Nicetio successit, Parisiensis Synodi Constitutioni subscripsisse tertio Iduum Septembrium, anno Guntchramni, Chilperici ac Sigiberti Regum, duodecimo. Sacerdos vixit annos sexaginta quinque. Nomen illius in tabulas Ecclesiasticas relatum fuit pridie Idus Septembris. Duas Ecclesias Lugduni construxit & dedicauit. Vnam Collegiatam Sancto Paulo Apostolo sacram *mirabili opere*, vt refert Seuertius ex veteri manuscripto Martyrologio Ecclesiæ Collegiatæ Bellijocensis *, pridie Idus Septembres. Alteram verò fecit Parœcialem dictam sanctæ Eulaliæ nunc autem sancti Georgij de patronatu Equitum Melitensium vt idem Author testatur. Perperam in membranis Nicetianis legitur mortuus post Consulatum Iustini viri clarissimi Consulis, Indictione primâ, nam Iustinus Consulatum gessit anno Christi quingentesimo quadragesimo, & sequens annus non Indictioni primæ sed quartæ illigatur, addequòd Sacerdos anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo longè superuixit, anno enim Christi quingentesimo quadragesimo-nono Concilium Aurelianense quintum suâ subscriptione corroborauit. Obiit Parisiis hoc anno, & successorem habuit in Episcopatu Nicetium nepotem suum. Lugduno fortassè Lutetiam venerat vt interesset Synodo, & ex hac luce sublatus est antequàm Concilium absolueretur, ideóque Synodali decreto subscripsisse non inuenitur. De illius morte in vita sancti Nicetij [a] sic differit Gregorius Turonensis. *Ægrotante Sacerdote Lugdunensi Antistite in vrbe Parisiacâ, cùm à Childeberto Seniore magno amore diligeretur, voluit Rex vsque ad eius lectulum proficisci ac visitare infirmum. Quo veniente, ait Episcopus, optimè nosti, ô pissime, quòd tibi in omnibus necessitatibus tuis fideliter seruierim, ac quacúmque iniunxisti deuotè impleuerim. Nunc precor, vt quia tempus resolutionis meæ adest, non dimittas me ab hoc mundo cum dolore discedere, sed vnam petitionem quam supplico libenter indulgeas. Et ille, pete, inquit, quod volueris, & obtinebis. Rogo, ait, vt Nicetius nepos meus Presbyter, Ecclesiæ Lugdunensi substituatur Episcopus. Est enim, vt mei testimonij verba proferunt, amator castimoniæ, dilectórque Ecclesiarum, & in eleemosynis valdè deuotus, & quæcúmque Dei seruos decent, & operibus gerit & moribus. Respondit Rex. Fiat voluntas Dei. Et sic pleno Regis & populi suffragio Episcopus Lugdunensis ordinatus fuit.* Quæ sanctus Sacerdos morti proximus ad nepotis sui commendationem retulit, dici non possunt ex carnis affectu contra veritatem profecta, verissima enim erant, & Presbytero qui ad Episcopatum assumeretur dignissima. Castitatis exemplum singulare proponemus anno sequenti. Ceteras quoque virtutes sic Nicetius excoluit, vt miraculorum gloriâ post mortem refulserit, & anniuersariâ memoriâ in Ecclesia coli meruerit quarto Nonas Apriles. Certè cùm adhuc in matris aluo lateret, visus est ad Episcopatum à Deo destinari, nam mater Arthemia puerum, quem vtero gerebat, Episcopum fore prædixit Florentio coniugi, qui tunc ad Episcopatum Ianubensis * vrbis expetebatur teste Gregorio in ipsius Nicetij vitâ iam laudatâ.

[a] De vit Patr. cap. 5.

NICETIVS FIT EP. LVGDVN.

* De Genéue.

V. SYNODVS PARISIENS.

Concilium Parisiense, quod in causâ Saffaraci Episcopi Childeberto Rege inuitante celebratum fuit, quia temporis notâ caret, nondum in collectionibus Conciliorum & in Annalibus Ecclesiasticis epocham certam nanciscí potuit. Ea tamen, vt reperiatur, haud adeò difficilem conatum postulat, si textus ipse decreti Synodalis & subscriptiones Episcoporum considerentur. Certè vltra hunc annum vix differri potest. Nam Firminus Episcopus Ecclesiæ * Vceticæ qui subscripsit obiit post biennium. Neque etiam ante hunc annum collocari debet, quia Synodo Aurelianensi, cui Saffaracus ante biennium interfuit, posterior est Parisiensis, vt subscriptiones Episcoporum apertissimè declarant; Concilio enim Aurelianensi subscribunt Aurelianus Episcopus Ecclesiæ Arelatensis, Desideratus Episcopus Ecclesiæ Bituricæ, Vrbicus Episcopus ciuitatis Vesuntiensis, & Petrus Presbyter à Vindemiale Episcopo Ecclesiæ Arausicæ directus; Parisiensi autem Synodo subscribunt ho-

D'Vsez.

tum Episcoporum successores Sapaudus Arelatensis, Probianus Bituricensis, Tetradius Vesuntiensis, & Matthæus Arausicanus. AN. CH. 551.

Cùm Saffaracus Parisiensis Episcopus, cuius nomen Concilio Aurelianensi quinto subscriptum reperitur, de grauissimo crimine accusatus, propriâque confessione conuictus, meritò secundùm sacrorum Canonum Constitutiones Episcopatu amotus, in Monasterium detrusus fuisset, illius exauctorationem Patres Synodi Parisiensis hoc decreto confirmarunt. *Cùm in vrbem Parisius ad inuitationem Domini Regis gloriosissimi Childeberti veniissemus, & in vnum positi, quæ ad Ecclesiasticum ordinem vel fidei Catholicæ auctoritatem pertinent, Christo adiuuante quæ erant necessaria tractaremus, & ex hoc magis pro ordinanda Ecclesia memoratæ vrbis eius nos dignatio iugiter admoneret, vt vnde Sacerdotem, sicut desiderandum est, manifesta siquidem culpa deiecerat, qualiter reparari Dominici gregis Pastor prouidus debuisset, Pontificalis conuenientia declararet, ob hoc in domo Ecclesiæ vnanimiter residentes, cùm veniissemus ad locum, vbi eius confessio de crimine tenebatur, quam præsentibus sanctis & venerabilibus viris Episcopis Medouecho, Leubeno, vel Leubachario Abbate, Hiculfo Presbytero, Æterno Archidiacono, necnon & Castricio Diacono professus fuerat memoratus quondam Episcopus Saffaracus; ipsos denuò interrogantes, suprascripti confessionem nobis denuò ore proprio retulerunt. Quod etiam facinus necnon & Episcopus Ardaricus à memorati Saffaraci ore se etiam veridicâ assertione audisse perdocuit. Et quia tanti ac tales viri, quos interfuisse discussioni veridica docet scripta relatio, quæque re verâ dicta vel agnita sunt, gestis teneatur inscriptum sanctorum Antistitum & laudabilium virorum, quos studiosissimè indagasse ostendit conscripta discussio, tantæ eorum discussioni vnanimiter præbentes assensum, placere nobis quod eum in Monasterio duxerunt, præsentibus etiam decretis vnanimiter profitemur. Et quia sine dubio culpas eius esse capitales Canonum auctoritate monstratur, vtique confessione propriæ linguæ deiectioni ipse se fecit obnoxium. Igitur tam apertissimâ confessione secundùm sententiam Canonum, quæ de huiuscemodi transgressione in Aurelianensi Synodo nuper habita sunt decreta, à Metropolitano, cui redigendi actio vel ordinatio de comprouincialibus eius Ecclesiæ manet, in memorata vrbe scripta seruentur ac regulariter peragantur, vt disciplinæ modus maneat, & qui tanto ordini præsunt, adiuuante Christo bonæ vitæ auctoritate viuentes, quem secundum ordinem sacrum possit is ordinare, prouideant, vt nec falsa obiectio culpæ maculet innocentes, & illi qui inuenti & comprobati in culpa fuerint in nulla districtione habeantur immunes.* CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

VI. EXAVCTORATIO SAFFARACI CONFIRMATVR.

Concilium hoc Parisiense dicitur secundum, vt distinguatur à primo, quod ante stabilitam Francorum in Gallia Monarchiam celebratum fuit anno Christi CCCLXII. Subscripserunt Episcopi viginti septem. Sapaudus Arelatensis Metropolitanus cum comprouincialibus, Lucretio Deensi, Prætextato Cauallico, Clematio Carpentoratensi, Matthæo Arausicano & Firmino Vceticо. Esychius Viennensis Metropolitanus cum Syagrio Episcopo Gratianopolitano. Nicetius Episcopus Treuirensis Metropolitanus. Probianus Episcopus Bituricensis Metropolitanus. Constitutus Episcopus Senonensis Metropolitanus cum comprouincialibus, Medoueo seu Medouecho Meldensi, Aridio siue Aregio Neuernensi, & Leobino Carnotensi. Leontius Episcopus Burdigalensis Metropolitanus. Tetradius Episcopus Vesuntiensis Metropolitanus cum Vincentio Episcopo Belicensi. Auolus Episcopus Aquensis Metropolitanus cum Episcopis eiusdem prouinciæ, Clementino Aptensi, Vellesio Vappincensi & Expectato Foroiulensi. Ex prouincia Lugdunensi prima Placidus Matiscensis, Tetricus Lingonensis & Agricola Cabilonensis. Præterea tres quorum sedes reticentur, Simidius, Megetius & Agrestius quem Eloronicæ Ecclesiæ Antistitem iam suspicati sumus. VII.

Ex illis Pontificibus complures in numero Sanctorum haberi iam obseruauimus, putà Esychium Viennensem, Nicetium Treuirensem, Leontium Burdigalensem, Firminum Vceticum, Leobinum Carnotensem, Agricolam Ca- VIII.

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

bilonensem, Tetricum Lingonensem & Aregium Niuernensem, quibus addunt nonnulli Probianum Bituricensem, quem Sauſſaius Sanctum appellat in Catalogo Sanctorum, Beatorum & Piorum, qui proprias hiſtorias vel Natales non habent, & in geſtis Sanctorum cum laude pietatis commemorantur.

IX. SVBROGATVR EVSEBIVS.

Quinta Synodus Aurelianenſis, cui Saffaracus ipſe interfuerat, nuper decreuerat Canone duodecimo, vt nulli viuenti Epiſcopo alius ſuperponeretur aut ſuperordinaretur Epiſcopus, niſi forſitan in eius locum quem capitalis culpa deiecisſet. Saffaraco autem penitùs exauctorato actum de ſucceſſore. Quis ille fuerit, an Libanius vel Euſebius, hodie controuertitur. Quiſquis fuit, proximum in Epiſcopatu ſucceſſorem habuit ſanctum Germanum, in cuius electione Fortunatus Auctor ſynchronus ac familiaris nomen Antiſtitis præmortui reticuit, vtinam expreſſiſſet, ſuſtuliſſet enim omnem ambigendi cauſam, *Epiſcopo*, inquit, *decedente, dum præcellentiſſimo Regi Childeberto occurriſſet, in eius electione mox effectum illa vox cæleſtis promeruit.* Hunc Fortunati textum Aimoino [a] interpolator inſeruit addito Euſebij nomine, *Epiſcopo*, ait, *nomine Euſebio decedente, dum præcellentiſſimo Regi Childeberto*, &c. Democharis aliique nomenclatores Libanium ſeu Libanum Saffaraco ſubrogant. Sammarthani explosâ Democharis ac ſequacium opinione, Euſebium beati Germani deceſſorem conſtituunt, ſolâ Pſeudo-Aimoini auctoritate innixi. Nos vt eandem ſententiam libenter amplectamur, duæ præterea rationes impellunt, nam ſancto Germano ea tribui debent quæ de Libanio narrantur, & Euſebij mentio fit in Actis ſancti Clodoaldi.

[a] Lib. 2. c. 18.

X.

De Libanio miraculum hoc inſigne commemoratur à Demochare [b], quòd cùm aliquando Miſſam celebraret, Annæ Hebronij vxori lucidus facie diuinitùs apparuit, ſed Petrus de Natalibus loco [c] quem Democharis citat, id prodigij refert de Germano Sancti Symphoriani apud Auguſtodunum tunc Abbate. Fortunatus Auctor coætaneus ea de re ſic ſcribit in vita ſancti Germani. *Nec illud omitti conuenit, quod ad domum Ebronis pro fide iuſti collatum eſt, cuius ingrediente domum Germano, Anna eius matrona rem mirabilem ſe videre proclamat. Et inquiſita à coniuge quid eſſet quod inſpiceret, ait. Ecce beatus Germanus cornutâ facie mihi videtur incedere, & quod penè vix valeo aut intueri lumine, aut ſermone conferre, ſanctum video virum nouo more cornibus radiantem. Conſternatâque mirabatur mulier hominem noſtro tempore in figura Moyſi potuiſſe conſpici. Credendum tamen quòd & iſte pro colloquio Domini meruit cornu exaltatus agnoſci. Ebro verò eâdem die iuxta ſanctum ſedere nullatenùs præſumpſit, duplici pro cauſa, honoris pariter & terroris.*

[b] De diuin. Miſſ. ſacrif. cap 18.
[c] Lib. 5. c. 59.

XI. CLODOALDVM ORDINAT PRESBYTERVM.

Clodoaldus Clodomeris quondam Regis filius ab Euſebio Antiſtite Pariſienſi Preſbyter ordinatus fuit. Poſt obitum ſancti Seuerini Pariſienſis Monachi, cuius ad annum Chriſti quingenteſimum viceſimum-ſextum meminimus, vbi & qualis vixerit, ex eius Actis exponit Breuiarium Pariſienſe ſeptimo Idus Septembres, quo die feſtum illius celebratur. *In extremam Galliæ partem, quæ Prouincia dicitur, ſolitariè victurus diſceſſit. Vbi dum orationis domum conſtrueret, pauperi eleemoſynam petenti, cùm aliud non haberet, cucullum tribuit, qui ſequenti nocte propter meritum dantis coruſcare ingenti lumine viſus eſt. Tum Lutetiam reuerſus & populo acclamante per Euſebium Epiſcopum dignè ſacerdotio conſecratur; in loco qui Nouigentum dicebatur, Monaſterium fecit. Vbi poſt multorum animas Chriſto acquiſitas, morte quam ipſe præſcierat, feliciter conſummatus atque ſepultus eſt. Cuius etiam mors pretioſa crebris miraculis illuſtrata eſt.* Nouigentum poſteà nomine mutato nuncupatum eſt oppidum Sancti * Clodoaldi vſque in hodiernam diem. Qui Saffaraco Libanium ſufficiunt, Clodoaldi ſacerdotium differunt vſque ad Pontificatum Euſebij, qui Ragnemodo in Præſulatu ſucceſſit anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-primo. Sed quominùs hæc ſententia ſtare poſſit, duæ rationes officiunt. Altera petitur ab ætate Clodoaldi, qui maior ſeptuagenario fuiſſet priuſquàm in Preſbyterum ordinaretur. Altera, quâ nulla validior excogitari poteſt, ducitur à ſcriptis Gre-

* S. Clou.

gorij Turonensis, qui post annum, quo Eusebius Ragnemodo suffectus Episcopatum iniit, Historiam suam Ecclesiasticam non prosequitur, & in eodem opere loquitur [a] de Clodoaldo vt de Presbytero iam mortuo. *Chlodoaldum*, inquit, *comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Postpositum regnum * terrenum, ad Dominum transiit, & sibi manu propriâ capillos incidens, Clericus factus est, bonisque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migrauit.* Triginta circiter annorum erat Clodoaldus, cùm Saffaracij depositionem Patres Concilij Parisiensis Synodali decreto confirmarunt, & ab eius successore Eusebio Presbyter postea fuit ordinatus. Quiescit in oppido sui nominis in thecâ pretiosâ super altare maius repositâ, vt asserit Saussajus [b] aduersus eos qui Parisios delatum putant.

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

[a] Lib. 1 c. 18.
* Id est *postposito regno terreno.*
[b] Panopl. Cleric. p. 1 l. 1. c. 9.

XII. AIMOINVS EXAMINATVR.

Apud Aimoinum capiti duodecimo libri secundi subiicitur hæc interpolatio. *His diebus beatus Germanus positus in sopore inspicit à quodam sene claues sibi portæ Parisiacæ porrigi, & interrogans quid hoc fieret? accepit responsum, vt saluas eas faceret. At post ciuitatis eius Episcopo, nomine Eusebio, decedente, dum præcellentissimo Regi Childeberto occurrisset, in eius electione mox effectum illa vox cælestis promeruit, & Episcopatûs sortitus est gradum dignitatis.* Huic interpolationi, quantùm ad visionem enarratam spectat, Fortunatus Auctor synchronus, à quo sumpta est, fidem conciliat in vita sancti Germani, vbi sic scribit. *Reuelationum suarum quis scrutator introeat? Cui etiam ante quatuor ferè annorum curricula, ipsa Episcopatûs sui causa non est abscondita. Itaque positus in sopore, inspicit à quodam sene claues portæ Parisiacæ porrigi. Sed interrogans quid hoc fieret? accepit responsum, vt salvos eos faceret. At pòst ciuitatis Episcopo decedente, dum præcellentissimo Regi occurrisset, in eius electione mox effectum illa vox cælestis promeruit.* Eidem interpolationi, quantùm attinet ad nomen Episcopi, qui Germanum in Præsulatu antecessit & apud Fortunatum suo vocabulo non designatur, fides accedit ex Actis beati Clodoaldi & ex Breuiario Parisiensi suprà citatis. In hac igitur interpolatione non aliud est vitium, quàm quòd suo loco non est inserta, subiicitur enim dissidio, quod anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo, superstite adhuc Crotilde, inter Childebertum, Clotarium ac Theodobertum Reges exortum est, præponiturque bello Hispanienſi, quod à Childeberto & Clotario Regibus gestum est anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo. Longè serius, postquàm Saffaracus exauctoratus esset, & Eusebius Episcopatum iam regeret, Germanus beati Symphoriani apud Augustodunum Abbas præuidit Episcopum se Parisiensem post quadriennium fore, anno videlicet Christi, vt interpretamur, quingentesimo quinquagesimo-quinto, certè vt non citiùs ita nec multò tardiùs, erat enim Episcopus anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo, cùm Synodo Parisiensi tertiæ subscripsit.

XIII.

Non semel iam quæsti sumus Aimoinum à multis auctum atque interpolatum fuisse. De illo Scriptore quid sentiamus, paucis hic aperiemus. Texuit Aimoinus Historiam suam sub annum Christi millesimum, obtulitque Abboni Abbati Floriacensi, cuius obitus anno Christi quarto supra millesimum contigit. Decreuerat, vt ipsemet in Præfatione ad Abbonem testatur, *ab egressu Francorum è Troja vsque ad id temporis, quo Pipinus Magni Caroli pater regnare cæpit, cunctam rerum gestarum seriem in quatuor libros partiri.* Opus quidem suum distinxit in quatuor libros, sed illud vltra Principatum Clodouei Secundi non est prosecutus. Adiectæ sunt à diuersis Auctoribus additiones vsque ad annum Christi millesimum centesimum sexagesimum-quintum. Insertæ sunt etiam interpolationes non paucæ. Historiæ Aimoini lucubrationes aliorum Auctorum adiunctas fuisse probat hic titulus editionis omnium antiquissimæ, quam Iodocus Badius Ascensius promouente R. P. Guillelmo *Parvy*, Doctore Theologo, Confessore Regio, Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo decimo-quarto publicauit. *Annonij Monachi Benedictini diserti & veridici, quorumdámque aliorum venerabilium eiusdem professionis Patrum, de*

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

Regum Procerúmque Francorum origine geſtíſque clariſſimis vſque ad Philippum Auguſtum, libri quinque nunc primùm impreſſi. Rem eandem confirmat epilogus, quem ad calcem totius operis idem Guillelmus *Paruy* ſic ſubiecit. *Finis hiſtoriarum Francorum Regum vſque ad natiuitatem Philippi Auguſti, qui in cathalogo Regum quadrageſimus recenſetur, collectarum, pro bona quidem parte, ab Annonio Monacho (vt opinor) diui Germani in ſuburbio Pariſienſi, pro minori autem à diuerſis eiuſdem Cœnobij Monachis, vnde plùs fidei quam eloquentiæ venditare poſſunt. Impreſſa autem ſunt operâ Aſcenſianâ ad Idus Auguſti* MDXIIII Agemus de Continuatoribus Aimoini ſuis locis. Guillelmus *Paruy* circa nomen & perſonam Aimoini duos errores commiſit. Aimoinum enim in Annonium, & Monachum Floriacenſem in Monachum Sancti Germani * à Pratis mutauit. Andreas Wechelus, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, promouente Ioanne Nicotio Supplicum Libellorum Magiſtro, prædictos quinque libros excudit, expunctòque Annonij nomine Aimoinum reſtituit. Inſerta ſunt eidem Aimoino tam multa támq; peculiaria de S. Germano Pariſienſium Epiſcopo déq; Monaſterio S. Germani conſtructo in ſuburbio Pariſienſi, vt ex illarum interpolationum lectione quilibet facilè ſuſpicari poſſit ipſum Aimoinum iſtius Cœnobij Monachum fuiſſe. Iacobus *du Breul* eaſdem interpolationes auxit, & notis comprobare conatus eſt, quin & Aimoinum anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo-ſecundo typis excudendum cum hoc titulo curauit. *Aimoini Monachi inclyti Cœnobij D. Germani à Pratis, libri quinque de Geſtis Francorum.* Interpolationes & additiones, quibus Aimoinus auctus eſt, acceptas è Monaſterio ſancti Germani non inficiamur, ſed ipſum Aimoinum Monaſterij Floriacenſis Monachum fuiſſe contendimus. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo Philippus Labbeus tomo ſecundo diſſertationis philologicæ de Scriptoribus Eccleſiaſticis quos Bellarminus attigerat, peculiarem diatribam adiecit *de Aimoino hiſtoriæ Francicæ Auctore eiúſque Continuatore & Interpolatore Monacho S. Germani Pariſienſis.* In iſta lucubratione plurimùm commendauit Codicem, cuius primæ paginæ Petrus Pithœus hæc verba fertur adſcripſiſſe, *Aimoinus purus putus.* Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Dominus D. Petrus Seguierius, laudatiſſimus Franciæ ac Nauarræ Cancellarius, è ſua locupletiſſima Bibliotheca præſtantiſſimum illum Codicem pro ſumma humanitate ſingularíque beneuolentia mihi communicari voluit. In ipſomet prologi, id eſt, epiſtolæ dedicatoriæ, titulo deprehendi Aimoinum Floriacenſi Monaſterio ſic accenſeri. *Incipit Prologus hiſtoriæ Francorum Aymoini Monachi Floriacenſis Cœnobij.* Præter hoc argumentum, quod validiſſimum eſt, occurrent in his Annalibus alia non temnenda, quæ noſtram opinionem corroborabunt, & Aimoinum Aſceterio Floriacenſi reſtituent.

* *Saint Germain des Prez.*

XIV.

In editione Aſcenſiana poſt caput quadrageſimum-primum libri quarti hæc leguntur. *Huc vſque protenditur liber Floriacenſis* * *Monaſterij ſancti Benedicti ſuper Ligerim. Veriſimile autem eſt ſequentia eſſe alterius Auctoris, nam & mortem & ſepulturam Dagoberti repetit, & alia multa inculcat ſtilo minùs diligenti.* In editione Vecheliana poſt caput quadrageſimum-ſecundum eiuſdem libri quarti hæc occurrunt. *Hactenùs liber Floriacenſis Monaſterij ſancti Benedicti ſupra Ligerim Geſta Francorum recitat. Quæ verò ſequuntur, non Aimoini, verùm alterius cuiuſdam Hiſtoriographi ſunt, nec vnius quidem tantùm, verùm duorum. Nam & obitus ſepulturáque Dagoberti Regis, & alia pleraque præciſo nimiùm rudíque ſtylo repetuntur. Et cùm ad Caroli Martelli Geſta ventum eſt, politiori magíſque Latinâ oratione, tum illius, tum ceterorum geſtæ res explicantur.* Iacobus *du Breul* in editione quam promouit, abſtinuit ab hac obſeruatione, quia Aimoino quinque libros hiſtoriarum integros attribuit. Hiſtoria, quam Aimoinus ſcripſit, nec ad mortem vſque Clodouei Secundi Regis perducitur, nec caret interpolationibus. Vtrumque patet ex Codicibus manuſcriptis & ex editione Ducheſniana. Nam Franciſcus Ducheſnius anno Chriſti milleſi-

* *Fleury ſur Loire.*

mo sexcentesimo quadragesimo-primo veram historiam Aimoini vulgauit ad manuscriptos Codices emendatam. Interpolationum, quas ex prioribus editionibus resecuit, nulla inest Codici Seguieriano. Est tamen nonnihil discriminis inter hunc Codicem & editionem Duchesnianam, quia Duchesnius amputauit nonnullas temporis notas, quæ leguntur in Codice Seguieriano, ratus eas haud vsurpatas esse ab Aimoino. Vtrùm huiuscemodi Characteres Chronologici seruandi sint apud Aimoinum, examinabimus ad annum Christi quingentesimum duodesexagesimum, quo Childebertus Rex obiit. In prima pagina prælaudati Codicis Seguieriani scriptæ sunt hæ voces, *Aimoinus purus putus*. Rectè censuit quisquis ita iudicauit, seu Pithœus, seu quis alius. Illum Codicem sæpè citabimus conferemúsque cum editionibus Aimoinianis, quas Guillelmus Paruus, Iacobus Breulius & Franciscus Duchesnius euulgandas curarunt.

AN. CH. 551. CHILDEB. CLOTAR. RR. 40. THEODOBALDI II. R. 3.

Post secundam Synodum Parisiensem, cui subscripsit, diu superstes in viuis esse non potuit Esychius siue Isicius Viennensis Episcopus, Naamatus enim siue Naamatius vel Namatius eius successor obiit post annos septem. Isicius inter Sanctos collocatur pridie Idus Nouembris in Martyrologio Gallicano, sepultus est iuxta sanctum Auitum à Marcella sorore, vt Epitaphij postrema Strophe declarat in Antiquitatibus Viennæ [a].

XV. EPICOPI VIENNENS.

[a] Cap. 2.

Quem soror Marcella, gemens obisse,
Vltimum præbens lachrymis leuamen,
Nomen hic sculpsit, titulúmque fixit
Carmine puro.

Namatius, priusquàm Ecclesiæ Viennensis regimini admoueretur, vxorem duxerat Eufrasiam nobilissimam fœminam, cui mortuæ Fortunatus lugubri carmine parentauit [b].

XVI.

[b] Lib. 4. c. 17.

In variis Antistitum Matisconensium catalogis [c] post Placidum, qui prædictæ Synodo Parisiensi interfuit, ponuntur Saluinus anno Christi quingentesimo sexagesimo, tum Nicetius anno Christi quingentesimo sexagesimo-sexto, deinde Chelidonius anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo. Sanctum Saluinum, cuius festiuitatem in Matisconensi Diœcesi quarto Idus Septembris olim celebrari solitam asserit ex San-Iuliano Seuertius, anno Christi quingentesimo sexagesimo sedisse non inficiabimur, quamuis ignoremus quibus annis inierit absolueritque Pontificatum. Expuncto autem Nicetio qui Præsulatum non Matisconе sed Lugduni gessit, beato Saluino successorem assignabimus Chelidonium, qui Lugdunense Concilium anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo suâ subscriptione roborau it.

XVII. [c] Seuert. Robert. Sammarth. MATISCON.

Ex subscriptionibus Synodorum, cùm Aurelianensis ante biennium habitæ, tum Parisiensis hoc anno celebratæ, quibus Aregius Niuernensium Præsul interfuit, satis intelligis eos hallucinari, qui volunt ipsum Aregium Gregorio Magno synchronum extitisse, & in Episcopali Cathedra sedisse post sanctos Æoladium & Agricolam, quorum ille Lugdunensi Concilio subscripsit anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo, hic anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto Matisconensem Synodum suâ subscriptione confirmauit. Aregio Vapincensium Antistiti sæpè scripsit Gregorius Magnus, inde nata est erroris occasio, nam rerum Niuernensium Scriptores ex duobus Aregiis vnum conflarunt, vt in Aregio Pontifice gloriam Ecclesiæ Niuernensis illustriorem propalarent. At Aregius * Niuernensium Episcopus alienis laudibus non indiget, multis enim virtutibus enituit, colique meruit à posteris decimo-septimo Kalendas Septembris. Obiit Niuerni, sed post mortem impositus est nauiculæ delatúsque Disesiam *, quia cupierat in Sacello sepeliri, quod illic Eufrasius & Auxilius Eremitæ construxerant. Disesia sita est in insula Ligeris supra ciuitatem Niuernensem à qua distat septem leucis. Quot annos post Concilium Parisiense vixerit beatus Aregius, antiqua monumenta non produnt. Ei successit in Episcopatu sanctus Æoladius, de quo

XVIII. NIVERN.

* *S. Aret.*

* *Desiz.*

AN. CH. 551. XIX. ATREBAT.

pluta dicturi sumus ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-septimum, quo Synodum Lugdunensem suâ subscriptione communiuit.

Hic annus post beati Vedasti mortem numeratur decimus-tertius, quo Gazæus & Locrius sancti Dominici Atrebatensis Antistitis obitum consignarunt. Successit in Episcopatum Diogenes, vt patet ex prolixâ disputatione, quam ad annum Christi quingentesimum duodequadragesimum iniuimus [a].

[a] Num. 70.

552. CHILDEB. CLOTAR. RR. 41. THEODOBALDI II. R. 4.

ANNVS CHRISTI 552.

CHILDEBERTI R. 41.

CLOTARII R. 41.

THEODOBALDI II. R. 4.

INDICTIO 15.

I. ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus secundus, qui post Basilij Consulatum numeratur in Fastis duodecimus, notatur Indictione decimâ-quintâ.

II. NICETII LVGDVN. EP CASTITAS.

Nicetius Lugdunensis Episcopus, ob illustre castitatis exemplum, quod exhibuit hoc anno, plurimùm laudatur à Gregorio Turonensi [b], qui matrem habuit Armentariam eiusdem Nicetij neptem ex sorore. *Castitatem non modò hic diligenter erat custodiens, verùm etiam custodiendi gratiam aliis ingiter prædicabat, & à polluto tactu & verbis obscœnis vt desisterent, edocebat. Nam recolo in adolescentiâ meâ* (verba sunt Gregorij) *cùm primùm literarum elementa cœpissem agnoscere, & essem quasi octaui anni æuo, illéque indignum me lectulo locari iuberet, ac paternæ dilectionis dulcedine vlnâ susciperet, oram indumenti sui articulis arripiens, ita se colobio concludebat, vt nunquam artus mei beata eius membra contingerent. Intuemini, quæso, & aduertite cautelam viri Dei, qui sic ab infantuli artubus, in quo nulli adhuc esse poterant stimuli concupiscentiæ, nulla incitamenta luxuriæ, ita se ne ab eis tangeretur, abstinuit, qualiter de loco, vbi suspicio luxuriæ esse potuit, ille refugit.*

[b] De vit. Patr. cap. 8.

III. ATHALBERT. EP. MORIN. OBIT.

Hoc anno Athalbertus Episcopus, cùm triginta duos annos Morinis summâ cum laude & sanctimoniâ præfuisset, discessit ex hac vitâ, sepultúsque fuit in Martinis. Id Cœnobio nomen fuit, quod Athalbertus in ipsâ vrbe Taruannâ construxerat, videtúrque ritè in Martinis nuncupatum, cùm pari penè interuallo vtrumque sancti Martini sacrarium aspiceret, & in vtriusque prædio situm esset. Interfuisse funeri Reginam Radegundem perperam scribit Iacobus Malbrancus [c], nec potioris auctoritatis sunt sequentes versus, quos citat, vt Radegundem ab Athalberto eruditam probet.

[c] Lib. 2. c. 49.

Athalbertus erat Morinis grandæuus, & ardens
Pastor, pascebat verbo factóque fidelis
Regi cælorum Radegundem semine verbi,
Reddit námque Deo charam, Regíque potenti.

IV. BAVDINVS EP. TVRON. MORITVR. PATER GREGORII AGROTAT.

Obiit hoc eodem anno Baudinus Episcopus Turonensis, cùm sedisset annos quinque, menses decem, sepultúsque est in Basilicâ sancti Martini, vt scribit Gregorius [c], qui puer erat octennis, nec ita pridem à parentibus suis Gallo Aruernorum Episcopo patruo suo traditus fuerat eruidiendus. Tunc autem videtur contigisse, quod in ipsius Gregorij vitâ narratur. *Pater eius nimiâ valetudine comprehensus lectulo decubabat, intimus ossibus ardor furere, podagricus humor*

[c] Lib. 10. c. 31.

humor foris intumescere, vapor aridus ora perurgere cœpit, cùm quidam puero per visionem apparens diceret, Legisti librum Iesu Naue? Cui ille. Nihil, inquit, aliud literarum attendo præter notas, quarum nunc exercitio constrictus affligor. Nam hic liber si sit, prorsus ignoro. Et ille, vade, inquit, fac hastulam ex ligno, quæ popit hoc recipere nomen, scriptúmque ex atramento sub paterni capitis fulcro collocabis, quod si feceris, erit ei præsidium. Mane facto, matri, quæ viderat, indicauit. Senserat nimirum sancti puer ingenij, non suo sed matris iudicio rem esse gerendam. Tum illa iubet visionem implere, factum est, & pater de momento conualuit. Quid sanè rationabilius, exclamat Author, *quàm nomen Iesu, vel lignum ad reparandam sospitatem congruere?* Ceterùm in Baudini locum Guntharius ex Abbate Monasterij sancti Venantij ordinatus est Episcopus Turonensis. *Vir valde prudens*, ait Gregorius [a], *dum Abbatis fungeretur officium, & sæpiùs legationes inter Reges Francorum faciens. Postquam autem Episcopus ordinatus est, vino deditus, penè stolidus apparuit. Quæ res eum in tantum amentem faciebat, vt conuiuas quos benè nouerat, nequiret agnoscere. Sepiùs tamen eos conuiciis agebat & improperiis.* Quàm diuersus ab Abbate fuerit Episcopus, docet idem Author in libro de gloriâ Confessorum [b], vbi agit de villâ Martiniacensi deque Oratorio quod Abbas adibat & factus Episcopus ingredi neglexit. *Turonico oppido Oratorium erat propinquum, situm in villâ Martiniacensi, in quo celebre ferebatur, sæpiùs orasse Martinum. Guntharius Abbas dum gregi monasteriali præesset, si viam quæ haud procul ab Oratorio inceditur, casu conferente, pede tereret, oratione factâ transibat. Post assumptum verò Episcopatum, aggerem ipsum præteriens venit ante Oratorium, sed distulit ad oraiionem in loco descendere, illicò equus conuersum caput ad Oratorium in mediâ restat viâ. Dehinc verberatur calcibus, loris agitur, vrgetur stimulis, sed tanquam æneus non mouetur, tunc Sacerdos sensit se virtute diuinâ teneri, & descendens factâ oratione equo ascenso præteriit.*

AN. CH. 552. CHILDEB. CLOTAR. RR. 41. THEODOBALDI II. R. 4. SANATVR INSIGNI MIRACVLO.

[a] Lib. 10. c 31.

GVNTHAR. EP. TVRON.

[b] Cap. 8.

V.

Vigilius Papa cùm Chalcedone in sanctæ Euphemiæ Basilicâ graui ægritudine laboraret, ab Imperatore per legatos ad vrbem Regiam inuitatus est *Dominico die, Kalendis Februarij*, at de sanctæ Euphemiæ Ecclesiâ numquam exiturum se respondit, nisi scandalum ab Ecclesiâ Dei priùs amputatum fuisset. Hæc leguntur in fragmento literarum, quas Vigilius *vniuerso populo Dei* scripsit. Error irrepsit in notam diei, nam hic annus qui bisextilis fuit, literas Dominicales habuit G ante intercalationem bisexti, F verò posteà, & Kalendæ Februariæ non in diem Dominicum sed in feriam quintam inciderunt, ita vt Kalendarum Februariarum loco dies quintus ante easdem Kalendas restitui debeat. Hanc correctionem admittendam suadent quæ sequuntur in eodem fragmento de rebus post obitam legationem quam attigimus gestis *pridie Kalendas Februarias*, frustráque Baronius voce *pridie* sublatâ, *postridie* reposuit. Magno historicæ veritatis damno posterior pars istius epistolæ periit. Ex iis autem quæ dicentur anno sequenti, constat cessisse tandem Vigilio Imperatorem, atque appensa amoueri iussisse à se prolata de Tribus Capitulis Edicta, & ex sententiâ ipsius Vigilij nihil de illis tractari voluisse ante Synodum generalem, quam ex eiusdem Pontificis desiderio & voluntate conuocari fecit.

VI.

Hoc anno, qui sextus numeratur ab aduentu Vigilij Pontificis ad vrbem Constantinopolitanam, Italiæ Clerici legatis Francorum Constantinopolim proficiscentibus prolixas literas [c] dederunt, vt Vigilio Papæ & Datio Episcopo Mediolanensi, qui in eâdem vrbe ob Trium Capitulorum controuersiam ab Imperatore Iustiniano vexabantur, solatio atque auxilio essent. Harum literarum maximam partem diuersis locis recitauimus, restat vt obseruemus eos Clericos timuisse, ne Anastasius qui non ita pridem ex Oriente redierat, in Galliis aliqua mentiretur, existimabant enim illum cùm exire Constantinopoli non posset, hoc vsum fuisse consilio, vt omnium Episcoporum Gallicanorum animos ad damnanda Tria Capitula inclinaturum se promitteret. Eâ de causâ prædicti Clerici sub literarum suarum finem Legatos Fran-

[c] Tom. 1. conc. Gallic.

LEGATI FRANCORVM CONSTANTINOP.

AN. CH. 552. CHILDEB. CLOTAR. RR. 41. THEODOBALDI II. R. 4.

corum plurimùm vrgent, vt ſub omni cautela & celeritate Galliarum Epiſcopos de rebus illis certiores faciant. *Hæc*, inquiunt, *prudentia veſtra ſub omni cautela & celeritate ad prouinciam dignetur ſcribere, admonendo vt Epiſcopi illarum partium beatiſſimo Papæ & Datio Epiſcopo epiſtolas dirigant, conteſtantes ne nouitates aliquas recipere patiantur, & vt animos eorum fraternâ conſolatione confirment. Solliciti eſſe dignemini, quia ſi qui Capitula damnari volunt, fingunt ſe & fidem Catholicam vindicare, & Chalcedonenſem Synodum venerari cum nobis omnibus, vt qui ignorant intentionem eorum, videantur aliquid iniuſtum expetere.* Princeps legationis erat Leudardus genere Francus, quem Theodobaldus Rex, vt Procopius [a] teſtatur, Leontio demùm dimiſſo, *ad Iuſtinianum Auguſtum cum tribus aliis legauit.* De Leontij aduentu in Franciam, deque legatione quâ nomine Iuſtiniani functus eſt apud Theodobaldum, diſſeruimus anno ſuperiori, qui decimus-ſeptimus belli Gothici numerabatur.

[a] Lib. 4. de bell. Goth. cap. 24.

VII. Anno autem eiuſdem belli decimo-octauo, quo legati Franciæ Conſtantinopolim profecti ſunt, Narſes imperium exercitus Romani ſuſcepit, & *cùm proximè agrum veniſſet Venetum, miſſo nuntio ad Francorum Duces, qui loca illa tenebant præſidiis, poſtulauit, vt ſibi tanquam amicis, tranſitum darent. Illi Narſeti ſe nullo id pacto permiſſuros reſpondent, nullâque factâ mentione vtilitatis Francorum, vel ſuæ in Gothos benevolentiæ, quæ vera erat cauſa, cur ſe, quoad poſſent, opponerent, prætextum hunc parùm ſpecioſum confingunt, quod ſecum Narſes Langobardos duceret, capitales Francorum hoſtes. Dubitanti initio Narſeti, atque ex aſtantibus Italis, quid opus facto eſſet quærenti, dixere quidam, quamuis tranſitum Franci permitterent, non poſſe tamen exercitum inde Rauennam tendere, nec longiùs eâ viâ, quàm ad vrbem Veronam progredi, eò quòd Totilas delectum exercitus Gothici florem, duce Teiâ, Gotho bellicoſiſſimo, Veronam, Gothicæ ditionis vrbem miſiſſet, vt pro viribus tranſitum Romanis copiis intercluderet.* Eundem Narſetem animi dubium Ioannes eius regionis ac locorum peritus admonuit, *vt cum vniuerſo exercitu per oram maritimam Romanis adhuc ſubditam iter haberent; ſequerentur naues aliquot, & ſcaphæ plurimæ, quò fieret, vt cùm ad fluminum oſtia peruenisſet exercitus, facto ex ſcaphis ponte fluuium iungerent, & facilius expeditiuſque tranſirent. Hæc fuit Ioannis ſententia, quam amplexus Narſes, cum omnibus copiis Rauennam eo modo contendit.* Hæc Procopius [b] animo in Francos parùm benevolo. Paulò pòſt inita eſt pugna, profligati ſunt Gothi, Totilas occubuit ex vulnere, *cùm Gothis annos vndecim præfuiſſet*, vt idem Procopius [c] teſtatur. A Procopij calculo non diſſentit Gregorius Magnus [d], quamuis Totilam *anno regni ſui decimo* mortuum tradat, annum enim Totilæ Regis decimum numerat ab eius congreſſu cum ſancto Benedicto Abbate Caſinenſi, vt ex ipſa textus lectione facilè deprehendetur. *Totila*, inquit, *ad Dei hominem acceſſit, quem cùm longè ſedentem cerneret, non auſus accedere, ſeſe in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, ſurge, ſed & ipſe ante eum de terra erigere ſe non auderet; Benedictus Chriſti Ieſu famulus per ſemetipſum dignatus eſt accedere ad Regem, proſtratúmque de terra leuauit, & de ſuis actibus increpauit, atque in pauciſ ſermonibus cuncta quæ illi erant ventura pronunciauit, dicens. Multa mala facis, multa mala feciſti, iam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus, nouem annis regnans decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petitâ, receſſit, atque ex illo iam tempore minùs crudelis fuit, & non multò poſt Romam adiit, ad Siciliam perrexit, anno autem regni ſui decimo omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit.* In tota illa narratione nihil occurrit, quod Chronologiæ noſtræ Procopio innixæ aduerſetur. Totilas regnare cœpit anno belli Gothici ſeptimo, Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-primo; Caſinum perrexit anno regni ſui ſecundo, belli Gothici octauo, Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſecundo; Romam ingreſſus eſt anno regni ſui ſexto, belli Gothici duodecimo, Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſexto; in Siciliam transfretauit anno regni ſui nono, belli Gothici decimo-quinto, Chriſti quingenteſimo qua-

[b] Lib 4. c. 16. de bell. Goth.

MORS TOTILÆ.

[c] Lib. 4. c. 12. de bell. Goth.

[d] Dial. l. 2. c. 15.

drageſimo-nono; obiitque anno belli Gothici decimo octauo, Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-ſecundo, cùm Gothis annos vndecim ab anno belli Gothici ſeptimo præfuiſſet, & à congreſſu cum ſancto Benedicto annum in regno decimum ageret. AN. CH. 552. CHILDEB. CLOTAR. RR. 41. THEODOBALDI II. R. 4.

Poſt Totilæ mortem, *caſtra Valerianus* iuſſu Narſetis *ad vrbem Veronam poſuit, vt eam obſidione Imperatori ſubiiceret. Qui in vrbis præſidio locati erant, de illa ſecum tradenda cum Valeriano ſunt collocuti, vrgente metu. Hoc nuntio excitti Franci in agro Veneto ſtationarij, omni id ſtudio prohibuere, regionem ſibi vindicantes vt ſuam. Quocirca Valerianus inde cum omnibus copiis, re infectâ, abſceſſit. Gothi verò, qui ex prælio euaſerant, traiecto Pado, vrbem Ticinum * circumiectáque loca occuparunt, ac ſibi Regem crearunt Tejam, qui inuentâ omni pecuniâ, quam Ticini Totilas repoſuerat, Francos ad belli ſocietatem pellicere ſtatuit, & Gothos pro tempore & re compoſuit inſtruxítque, circa ſe omnes propere colligens.* Poſteà *Gothos infirmiores judicans, quàm vt ſoli pugnare poſſent cum Romano exercitu, legatione miſſâ ad Francorum Regem Theodibaldum, ad belli ſocietatem ingentis pecuniæ pollicitationibus eum inuitauit.* Sed eâ legatione nihil obtinuit. Lege Procopium ad annum belli Gothici duodeviceſimum [a]. VIII. * *Pauie.* TEIAS REX GOTHOR. FRANCORVM OPEM IMPLORAT. [a] De bell. Gothic. l. 4. capp. 33. 34.

ANNVS CHRISTI 553. CHILDEBERTI R. 42. CLOTARII R. 42. THEODOBALDI II. R. 5. INDICTIO 1.

553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

ANNVS Chriſti quingenteſimus quinquageſimus-tertius notatur in faſtis duodecimus poſt Baſilij Conſulatum, labente indictione primâ. Hoc anno celebrata eſt Conſtantinopoli quinta Synodus Oecumenica, in qua tandem damnata ſunt Tria Capitula, de quibus ſæpè ſuperiùs. Eâ tamen Synodo abſolutâ tantùm abeſt, vt pax reddita ſit Eccleſiis, quin maius exarſit bellum, inteſtináque diſcordia magis ſæuiit, Orthodoxis inter ſe inuicem altercantibus, cùm alij inhærerent Synodalibus de Trium Capitulorum damnatione Decretis, alij verò tuerentur Vigilij Pontificis Conſtitutum pro eorumdem Trium Capitulorum defenſione aliàs ſancitum; prævaluerunt iſti in Occidente, illi in Oriente, vbi Imperatoria eminebat auctoritas. Lege illuſtriſſimum Annalium Eccleſiaſticorum Conditorem tomis ſeptimo & octauo. I. CONCIL. CONSTANTIN.

Sanctus Firminus Epiſcopus Vcetiæ *migrauit in pace quinto Idus Octobris*, quo die nomen eius legitur in tabulis Eccleſiaſticis. Perſeuerauit in Epiſcopatu non quidem XLVI. *annos*, vt in eius vita legitur, quam Dubouchetus publicauit, ſed annos duntaxat XVI. provtà Marco Antonio *Dominicy* iam obſeruatum eſt. Firmino patruo in Epiſcopatu ſucceſſit Ferreolus Anſberti filius, cui Dominus ſingularem gratiam contulit, vt habetur in eius vita quam Marcus Antonius *Dominicy* publici iuris fecit ex vetere Codice Toloſano Collegij Fuxenſis *. Ordinatus fuit ab Epiſcopis Arelatenſi, Auenionenſi & Arauſicano, ſedebant tunc Sapaudus Arelate, Antoninus Auenione, Matthæus Arauſione. II. FERREOLVS EPISC. VCECIENS. * *Le College de Foix.*

Hoc anno Gregorius, qui poſteà Turonenſium Epiſcopus fuit, annorum III. GREGORII TVRON. PVERITIA CLARET MIRACVLIS.

AN. CH. 553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

circiter nouem tunc puer, Florentium patrem suum iterùm sanauit, nam inter vtramque curationem biennium fermè intercessit, vt in Gregorij vita Clerici Turonenses obseruarunt. Res autem ita se habuit. *Florentius rediuino dolore captatus est, accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus pedes intorquet. Perendinata pestis hominem contriuerat, iam penè conclamatus iacebat. Interea puer vidit iterùm in somno personam, sese, vtrumne librum Tobiæ cognitum haberet, interrogantem. Respondit, nequaquam. Qui ait. Noueris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex iecore piscis, Angelo comitante curatum. Tu ergo fac similiter, & saluabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit, quæ confestim pueros ad amnem direxit, piscis capitur, quæ de extis iussa fuerant, prunis imponuntur, non fefellit virum euentus, vt enim primò fumus odoris naribus patris restauit, protinus omnis ille tumor dolórque discessit.* Paulò pòst Gallo Aruernorum Episcopo adhuc superstite, Gregorius, vt ipsemet in vitâ sancti Illidij Aruernensis quondam Episcopi scribit, *grauiter ægrotabat, & hic ab eo plerunque dilectione vnicâ visitabatur, eò quòd patruus eius esset. Erat enim valetudo cum nimiâ stomachi pituitâ ac febre validâ. Interea aduenit paruulo desiderium, & credo, inspirante Deo, vt ad beati Illidy Basilicam deportaretur. Illatusque manibus puerorum, eius ad tumulum fusâ oratione cum lacrymis leuiorem se sensit esse quàm venerat, reuersúsque ad domum iterum à febre corripitur. Quadam verò die cùm grauiùs agere cœpisset, eúmque febris asperior solito aggrauaret, & vtrùm euaderet, dubiâ sub sorte iaceret, accedens genitrix eius ait ad eum. Mœstum hodie, dulcis nate, sum habitura diem, cùm te talis attinet febris. Et ille. Nihil prorsus obsecro, inquit contristeris, sed ad sepulchrum me remitte beati Illidy * Pontificis, credo enim & fides mea est, quod virtus eius & tibi lætitiam & mihi tribuet sospitatem. Tunc Sancti deportatus ad tumulum, orationem ad Dominum fudit, spondens prostratus sponte, si eum obtentu Antistitis sui Dominus ab hoc contagio liberaret, Clericum se futurum, nec prorsus moraretur, si deprecatio obtineret effectum. Hæc effatus sensit protinus discedere febrem, vocatóque puero, domum se reportari deposcit. Cúmque in recubitu, vbi tunc epulabantur, fuisset illatus, erumpente è naribus sanguinis copiâ, febris simul cruórque defluxit.*

* S. Allyre.

IV. FLORENTIN. ABB. ARELAT.

Arelate in Ecclesiâ sanctæ Crucis nomine insignitâ videtur monumentum marmoreum cum epitaphio Florentini Abbatis versibus Acrostichis, quorum capitales literæ hoc habent, *Florentinus Abbas hîc in pace quiescit. Amen.* Post epitaphium verò hæc sequuntur, vt Baronius in Annalibus Ecclesiasticis & Saxius in Arelatensi Pontificio testantur. *Primus itaque præfuit S. Florentinus Abbas Monasterio nostro per annos* v. *qui vixit annis P L. M. L. obiit prid. Id. April. duodecies P. C. Basily V. C. iunioris. Post hunc secundus fuit Dominus Redemptus Abbas.* Sancti Florentini memoria quot annis recolitur ab Arelatensibus decimo-sexto Kalendas Iunias; & in Martyrologio Gallicano illiúsque supplemento celebrantur, eiusdem sancti Depositio pridie Idus Apriles, Translatio duodecimo Kalendas Iunias, Inuentio & Eleuatio vndecimo Kalendas Apriles. Sepultus fuit in Monasterio sancti Petri, cuius administrationem sub Aureliano Episcopo & Childeberto Rege ac fundatore susceperat, ibíque quieuit donec in Ecclesiam sanctæ Crucis translatus fuit currente post obitum lustro septimo vt ex epitaphio patet, siue anno, vt Saussajus explicat, trigesimo-tertio, id est, anno Christi quingentesimo octogesimo-sexto quo Wisigothi duce Richaredo Lewichildi Regis filio in prouinciam Arelatensem irruperunt. Agemus suo loco de illa Translatione. Interim epitaphium, cuius authoritate nitimur, descriptum accipe ex Saxio.

AN. CH. 553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5. V.

EΠITAΦION S. FLORENTINI ABBATIS.

FLORENTINVS ABBAS HIC IN PACE QVIESCIT AMEN.

Fulgida regna petens cœlesti sorte vocatus
Lucis & aterna penetrans fastigia latus,
Optimus atque pius nunc Florentinus in isto
Esplendet tumulo meritis sanctissimus Abbas.
Effera qui quondam linguæ discrimina calcans,
Nec optare malum studuit, nec ladere quemquam.
Verruit ipse tamen faciles, sed publice verbis,
Iustitiæ tramitem seruans cum pace paternâ.
Nescia iurandi pandens colloquia cunctis,
Verba Dei solers toto de pectore prompsit,
Sancta quidem Domini resonant præconia semper,
Atque per assiduis concentibus æthera plaudunt.
Bella gerens carnis pestifera vitia contra
Belligeransque palam sæuissima prælia vicit.
Ast hinc celsa poli capiens iam præmia fœlix,
Sanctorum socius, fruitur cum laude coronam.
Huius námque viri corpus per cuncta sacratum,
Amdudum aduectum Domini cum laudibus amplis
Constantinus ouans posuit fœliciter Abbas
Intra B. Crucis condens fastigia sacra,
Necnon & tumuli preciosa tegmina firmans
Extruxit solida crustato marmore fulcra,
Attamen exactis iam septem denique lustris,
Condita quo fuerant præfati membra sepulchro,
Effulsere Petri tandem de sede beati
Quæ propriis meritis pandunt hîc signa salutis,
Virtutumque simul præstant & commoda larga,
Infirmis validum dantes per cuncta vigorem.
Ergo potens Pastor compensa præmia voti
Splendida, sed Christo commenda sæpè Poëtam,
Cuius parua tibi prompserunt carmina laudem,
Canuarinum ex hoc quem candidâ mente nutristi,
Cantillúmque simul sculptorem marmoris huius
Annixis precibus Domino per sæcula cuncta
Ore tuo placidus commenda iugiter. Hinc iam
Esse quoque & Monachum nosti, quem sancte Benignum
Nunc & in æternum Hilarianum semper adorna.

VI. PAVLVS CEDIT EP. OXISM. IOAVÆ.

Hoc anno, mense Ianuario, vt ex Alberto colligitur, Paulus Oxismorum seu Leonensium Episcopus in Armoricâ, cùm senex esset, Episcopatum coram omni populo cessit Ioauæ seu Iehonio, nepoti suo ex sorore, Daonglasensi quondam apud Corioſopolitanos Abbati. Paulus sexagenario maior erat, id in dubium reuocari non potest. Vtrùm auunculus Ioauæ fuerit, haud ita constat, quia membranæ Floriacenses in vitâ sancti Pauli Iohenium ipsius Pauli discipulum solummodò constituunt. Paulus relicto Episcopatu in Batham * Insulam secessit, vbi cum Monachis vixit. Ioaua factus Episcopus Kenanum *, cuius memoria celebris ob sanctitatem mansit in Armoricâ, Presbyterum ordinauit, paulò pòst in agrum Corioſopolitanum se contulit, rogatus ab incolis vt crimen condonaret, & terræ quæ per eius absentiam toto triennio sterilis torpuerat, pristinam fœcunditatem restitueret, quod lubentissimè præstitit. Lege vitas Sanctorum Pontificum Ioauæ & Pauli apud Albertum in Armoricâ Sanctâ.

* *Baaz.*
* *S. Kenan.*

AN. CH. 553. CHILDEB. C. LOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

Hoc anno pridie Kalendas Decembres, die Dominico Tugdwalus Episcopus Lexobiensis obiit in Monasterio Trecorensi *, quod aliàs erexerat administrarátque diuturno tempore. Sancti Tugdwali mortem in annum Christi quingentesimum nonagesimum-octauum reiecit Albertus de monte Relaxo in catalogo Lexobiensium Antistitum, ac præterea Rwelino eius discipulo assignauit Pontificatus annos tres & quadraginta. Sed hæc stare non possunt cum recta Chronologia, nam Rwelinus ex Britannia in Armoricam cum Abbate Tugdwalo venit, & Tugdwalus priusquàm Tiriziano in Episcopatum Lexobiensem succederet, totam Armoricam non peragrauit modò, sed & eleganti multorum Cœnobiorum constructione decorauit, quis autem Rwelinum Monachum, quem Tugdwalus Abbas è Britannia secum adduxit, credat in Galliis annos posteà vixisse centum circiter ac viginti? Error Alberti facilè corrigi potest Interpontificium quo sedes Lexobiensis ab obitu Gouarrani vsque ad ordinationem Gratiani laborauit, non fuit annorum viginti trium vt Albertus scribit, sed annorum nonaginta, siue vt vetus Poëta loquitur ab ipsomet Alberto citatus

Annos per centum demptis bis quinque.

VII. * *Tregner.* CHRONOL. EPISCOP. LEXOBIEN.

VIII.

Gratianus Pontificatum iniit anno Christi DCCCLIX. initium igitur interpontificij collocari debet anno Christi septingesimo sexagesimo-nono. Albertus post mortem Rwelini vsque ad interpontificium numerat annos centum nonaginta quinque, transiit igitur ad Deum Rwelinus anno Christi quingentesimo septuagesimo quarto, & anni quadraginta duo qui ab anno Christi quingentesimo tricesimo secundo ad annum Christi quingentesimum septuagesimum quartum medij fluxerunt, in duos sanctorum Tugdwali & Rwelini Pontificatus distingui debent. Supereſt vt vtrique sui tribuantur anni. Sancto Tugdwalo annos Episcopatus assignamus viginti & vnum, totidem sancto Rwelino æquâ partitione. Ex Alberto constat annum, quo sanctus Tugdwalus obiit, præditum fuisse literâ Dominicali E, per mensem Nouembrem. Is Character non discrepat ab anno Christi quingentesimo quinquagesimo-tertio. Conuenit pariter annis eiusdem seculi tricesimo-sexto, quadragesimo-secundo, quinquagesimo-nono, sexagesimo-quarto & septuagesimo. Ex illis vnum eligas necesse est, si tibi quingentesimus quinquagesimus tertius non arriserit.

IX. S. TVGDVVALO SVCCEDIT RVVELINVS.

Sancto Tugdwalo in Episcopatu successit Rwelinus Monachus Trecorensis. Super electione quinam motus exorti fuerint docet Albertus in vita sancti Tugdwali & in catalogo Lexobiensium Antistitum. Tugdwalus Episcopus cùm in Trecorensi Monasterio ægrotaret, à Lexobiensibus Clericis illuc profectis rogatus designauit Rwelinum qui subrogaretur in Pontificatu. Rwelinum Monachum sibi prælatum ægrè admodum tulit Pergatus Archidiaconus, vir doctus, eloquens ac nobili loco natus. Episcopi funus Trecoriæ curatum fuit. Clero Lexobiam pòst reuerso Pergatus sedem ambire palam cœpit, habita Synodus vt omnis controuersia iudicio sapientum dirimeretur, sanctus Tugdwalus Pontificalibus ornamentis indutus apparuit in media turba, & Pergato tot tumultuum auctori nisi resipiscenti grauissimas minas intentauit. Pergatus tanto prodigio perterritus in terram corruit, ac deinde veniam à Rwelino totóque cœtu supplex postulauit obtinuitque.

X. COMITES BRITANNIÆ.

Tunc Britannia siue Armorica morem gerebat multis Comitibus Regum Francorum feudatariis. Præcipui erant Iudualus, Chanao, Chonomerus & Chonober. Chanao quatuor habuit fratres, è quibus tres interemit, vixque incolumem abire permisit Macliauum, quem hoc anno Episcopum Venetorum * ordinatum fuisse scribit Albertus de Monte Relaxo in catalogo Antistitum illius Ecclesiæ. Gregorius Turonensis nec Macliaui Pontificatum, nec cædem fratrum suâ consignat epochâ, indicat tantùm res illas contigisse, cùm Felix in Cathedra Nannetensi sederet, nec adhuc Chramnus à gratia Clotarij patris excidisset. *Chanao*, inquit [a], *Britannorum Comes tres fratres suos*

* *de Vannes.*

CHANAO. [a] Lib. 4. c. 4.

interfecit. Volens autem adhuc Macliauum interficere, comprehensum atque catenis oneratum in carcere retinebat. Qui per Felicem Namneticum Episcopum à morte liberatus est. Posthæc iurauit fratri suo, vt ei fidelis esset, sed nescio quo casu sacramentum inrumpere voluit. Quod Chanao sentiens, iterùm persequebatur. At ille cùm se euadere non posse videret, post alium Comitem regionis illius fugit, nomine Chonomorem. Is cùm sentiret persecutores eius adpropinquare, sub terra cum in loculo abscondit, componens desuper ex more tumulum, paruumque ei spiraculum reseruans, vnde halitum resumere posset. Aduenientibus autem persecutoribus eius dixerunt. Ecce hic Macliauus mortuus atque sepultus iacet. Quod illi audientes atque gaudentes, & super tumulum illum bibentes renuntianerunt fratri eum mortuum esse. Ille audiens Regnum eius integrum accepit. Caue ne deceptus voce Regni, quæ minùs propriè hoc loco ponitur, & à Scriptoribus mediæ ætatis plerumque pro Comitatu & Præfectura vsurpatur, putes Chanaonem & Macliauum Reges extitisse. *Nam semper Britanni*, vt Gregorius subdit, *sub Francorum potestate post obitum Regis Chlodouechi fuerunt, & Comites non Reges appellati sunt. Macliauus autem de sub terra consurgens, Veneticam vrbem expetiit, ibique tonsoratus & Episcopus ordinatus est.* Cùm Clericatui nomen dedit, vxorem secundùm Canones Ecclesiasticos reliquit. *Mortuo autem Chanaone*, vt Gregorius prosequitur, *hic apostatauit, & demissis capillis vxorem quam post Clericatum reliquerat, cum Regno fratris simul accepit. Sed ab Episcopis excommunicatus est.*

AN. CH. 553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

MACLIAVVS.

Ad eadem tempora videntur pertinere quæ de Chonomero alio Britannorum Comite vel potiùs tyranno, & de Trifina Werocı Venetensis Comitis filia narrantur in vita S. Gildæ[a]. Conomerus coniugem, statim ac in vtero concepisset, iugulare solitus, cùm multas vxores iam interemisset, Trifinam in matrimonium sibi dari postulauit, negauit Werocus nisi fideiussor fieret Gildas, hunc Conomerus per nuncios confestim rogauit, vt quantocyùs veniret, & puellam fide suâ de manu patris reciperet, ac sibi coniugem legitimo traderet matrimonio, respondit vir Dei; *Nostis quia dominus vester calidissimus est, & tyrannicâ feritate peruersus, si consensero ei, & me fideiussorem posuerit, & pòst puellam occiderit, graui lapsus sum peccato apud Dominum, & parentes eius vehementi orbatione prolis seduxi atque intolerabili dolore tradidi congemiscendos. Sed tamen vobiscum proficiscar, vt vtrorumque voluntates discutiam, parentum scilicet & eius qui vos ad me direxit.* Tunc veniens simul cum eis reperit ipsos Principes ob huiusmodi causam in vnum conuenisse. Et dum de hac loquerentur inter se, ait pater puellæ beato Gildæ. *Si manu tuâ susceperis filiam meam, tibi credam, tibi eam tradam. Quòd si illam suscipere nolueris, hic nunquam habebit.* Cui beatus Gildas dixit. *Mihi eam trade, & ego protectus Dei virtute eam sanam restituam.* Itaque tyrannus de manu sancti Gildæ recepit eam coniugio sibi copulandam, beatus verò Gildas reuersus est in Monasterium suum. Peractis nuptiis, successu temporis, Conomerus vt cognouit vxorem esse grauidam, cogitauit eam occidere solito more, sed pertimescens iusiurandum quod cum venerabili Abbate pactus fuerat, hæsit dubius aliquandiu. Interea mulier sibi timens fugam latenter arripuit, vir insecutus est maiore tunc irâ succensus, repertámque capite truncauit. Pater audiens quid filiæ suæ accidisset, magno concussus dolore misit ad beatum Gildam, dicens, *redde mihi filiam meam, quia propter tuam intercessionem perdidi illam.* Super hoc Sanctus valdè commotus, concitus venit ad munitiunculam, vbi tyrannus habitabat, & cùm diu pulsasset ad portam, nec nullus ei aperiret, orauit Deum, *si eius vita in melius non esset mutanda, vt dignaretur malitiæ eius finem imponere.* Completâ oratione circuiens totam munitionem accepit pugillum terræ, & proiecit super habitationem, quæ statim Deo volente tota corruit. Deinde abiit vsque ad locum, vbi exanime iacebat cadauer mulieris interfectæ prolem in vtero habentis, & factis precibus mortuam suscitauit patríque reddidit. Non multò post illa filium peperit, quem Gildas baptizari & Gildam vocari ius-

XI.

[a] Apud Sur. die 29 Ian. CHONOMER.

AN. CH. 553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

fit, & ablactatum liberalibus literarum ſtudiis erudiendum tradidit. Triſina in ſuburbio Venetenſi poſteà Monaſterium extruxit, in quo & ipſa velum ſacrum ab Epiſcopo Venetenſi accepit & ſanctè obiit, habetur ab Alberto in numero Sanctarum. Filius eius clarus quoque virtutibus ac miraculis beatam quam duxerat vitam beato fine compleuit, colitur die octauâ Nouembris, à Britannis ob diſtinctionem alterius Gildæ non Gildas ſed Trechinorus * & Tremorus appellatur. Lege Albertum de Monte Relaxo & notas Bollandi ad vitam Gildæ Abbatis, hic obſeruat multa in vitis Sanctorum Britannicorum reperiri ſupra fidem. Ceterum qui Conomeri Comitis & Gildæ Abbatis ætatem, ac verba Gregorij Turonenſis, in quibus nulla Comitis Venetenſis mentio fit, attentè perpenderit, facilè iudicabit Werocum ſanctæ Triſinæ patrem, qui Venetenſis Comes in vitâ ſancti Gildæ nuncupatur, neceſſariò diſtinguendum eſſe à Waroco Machaui filio, cuius nomen in Hiſtoriis ante annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum non occurrit.

* *S. Treuer, Tremore, & Tremeur.*

XII.

FINIS BELLI GOTHICI.

Ineunte hoc anno, ſiue exeunte anno belli Gothici duodeuiceſimo Teias vltimus Oſtrogothorum Rex in prælio contra Romanos vulneratus occubuit. Eo mortuo, initæ ſunt pacis conditiones, quibus Procopius caput triceſimum-quintum ſeu poſtremum libri quarti de bello Gothico ſic abſoluit. *Pacto conuenit, vt qui ſupererant barbari, cum rebus ſuis omni Italiâ confeſtim excederent, neque vllâ ratione cum Romanis bellum amplius gererent. Hoc interim ſpatio Gothi mille, caſtris egreſſi, vrbem Ticinum ac regionem Tranſpadanam petierunt, cùm alios Duces, tum Indulphum ſecuti. Ceteri interpoſito iureiurando omnia pacta conuenta firmarunt. Itaque Romani Cumas ac reliqua omnia cepere præſidia, & annus exiit* XVIII. *belli huius Gothici, cuius Hiſtoriam Procopius ſcripſit.* Iuſtinianus annum agebat in Imperio viceſimum-ſextum. Id diſtinctis verbis aſſerit Agathias in fine ſuæ Præfationis, eóque calculo Chronologiam noſtram rectè confirmat. Corrigendus igitur Marius Lauſannenſis, qui cædem Totilæ, quem Baduilam vocat, refert hoc anno, & necem Teiæ reiicit in annum ſequentem ſiue in ſecundam Indictionem. Imperauit Iuſtinianus ab anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo ad annum vſque quingenteſimum ſexageſimum-ſextum. Res eius auſpiciis in diuerſis Imperij Prouinciis à Narſete & Beliſario præclarè geſtas ſcripſit Agathias Auctor ſynchronus, initio Hiſtoriæ ducto à Teiæ Regis morte, in qua Procopius deſierat. *Hæc omnia,* inquit, *ad annum vſque ſextum & vigeſimum regni Iuſtiniani ſunt geſta. Ac Procopius quidem in his, vti arbitror, finem Hiſtoriæ facit. Ego verò his proxima & conſequentia, vt initio mihi propoſitum fuit, perſequens, res ipſas aggredior.* Cæſarij Procopienſis interprete nonnumquam vſi ſumus Chriſtophoro Perſonâ Romano, Priore ſanctæ Balbinæ; ſæpiſſimè Claudio Maltreto Anicienſi, Societatis Ieſu Preſbytero. Agathiam Scholaſticum Latinitate donauit, ac Notis illuſtrauit Bonauentura Vulcanius, eóque potiſſimùm vtemur interprete.

XIII.

Poſt Teiæ necem, præter Oſtrogothos qui ſuperfuerunt è prælio, alij pleraque loca iuxta Padum incolebant. De vtriſque ſermonem facit Agathias [a]. A prioribus orditur hoc modo. *Gothi, qui euaſerant, Romanis abſque vlla intermiſſione perſequentibus, preſſi aſſiduis inſultibus, & ſiccitate locorum in quæ ſe receperant, pacis conditiones cum Narſete ineunt, vt ſcilicet ſuas illi terras intrepidè habitent, Regique Romanorum deinceps pareant.* De ceteris verò ſic diſſerit. *Nonnulli eorum, qui intra Padum fluuium degebant, in Tuſciam & Liguriam, & quò cuique libitum erat conceſſerunt; alij verò trans Padum circa Venetias ſparſi in caſtellis & oppidulis quibus aſſuèrant conſederunt. Cùm itaque hoc in ſtatu eſſent res Gothorum, decebat ipſos pacta iurata re ipsâ factiſque confirmare & ſtabilire, & res ſuas in tuto continentes ſeſe à diuturnis periculis vindicare, atque aliquando tandem ab ærumnis reſpirare. At verò cùm per breuiſſimum tempus ſeſe continuiſſent, rurſus res nouas molirí, alterius belli ſemina iecerunt. Cùmque ipſi per ſe impares ſeſe iudicarent, qui deinceps cum Romanis prælíarentur, ſtatim ad Francos ſeſe conuerterunt, meliùs res ſuas habituros rati, vtilitatémque ſe inde longè vberrimam percepturos,*

[a] Lib. 1.

AN. CH. 553. CHILDEB. CLOTAR. RR. 42. THEODOBALDI II. R. 5.

pturos, si cum finitimis & propinquis societate initâ bellum facilius instaurarent. Posteà de Francorum moribus habet multa, quæ locis opportunis iam descripsimus, tum obseruat Francis Reges tres illis temporibus fuisse, vtque ostendat quomodo Francia in tres Principatus diuisa fuerit, ab obitu Clodouei, quem Chlothoæum Χλωθοᾶον appellat, res Francorum repetit, docétque quadripertitam primùm fuisse Franciam, quia Clodoueo seu Chlothoæo patri quatuor filij Theoderichus, Chlothomerus, Childibertus & Lotharius, Θεοδέριχος, Χλωθομῆρος, Χιλδίβερτος, Λοθάριος, successerunt, tum tripertitam, quia Chlothomeri seu Clodomeris ditiones inter se diuiserunt tres fratres, quorum natu maximus Theoderichus seu Theodoricus successorem in Principatu habuit Θεοδίβερτον Theodibertum seu Theodobertum filium, qui bello in Italia fortiter gesto regnum suum Theodobaldo filio reliquit, itaut eo tempore quo Teias Rex Gothorum in Italia extinctus est, Theodobaldus seu Theodibaldus Θεοδίβαλδος adhuc adolescentulus in Francia cum Childeberto & Clotario propatruis regnaret. *Eo*, inquit, *tempore, quo Teias excessit è viuis, & Gotthica res peregrinis auxiliis egerent, Theodibaldus iste adolescentulus Francorum Rex erat, sed & Childebertus & Clotarius eius maximi patrui* οἱ τῆ παιδὸς μέγιστοι θεῖοι, *prout leges Romanorum loquerentur, erant. Ad hos vtpote remotißimè inde degentes, Gothi nequaquam eundum censuerunt. Ad Theodibaldum verò apertè legationem instituerunt, non tamen vniuersa natio sed soli qui iuxta Padum fluuium degebant. Alij verò gaudebant quidem & rerum innouatione & status immutatione, perculsi tamen erant, de euentu dubitantes, & fortunæ instabilitatem pertimescentes, & suspensis dubiisque animis obseruabant sciscitabanturque quid ageretur, statuentes iis, qui potiores superiorésque essent, sese adiungere.* Oratores autem cùm in Theodobaldi Regis conspectum venissent, omnes etiam regni Primores orabant, vt sociale bellum susciperent, & genti vicinæ atque amicæ supperias ferrent alioquin perituræ. Ostendebant præterea maximè futurum è re Francorum, si non paterentur Romanos ad tantam potentiam euehi, sed potiùs omnibus viribus incremento eorum officerent. Neque enim dubium videbatur, quin Gothicâ gente penitus deletâ Romani statim contra Francos exercitum ducturi forent, addito etiam auaritiæ suæ specioso prætextu, quòd nihil alienum quærerent, maiorum suorum possessiones tantùm repetituri, prout aiebant se fecisse bello aduersus Gothos suscepto pro recuperanda Italia, licet Theodoricus Gothorum olim Princeps & coloniæ deducendæ author Italiam non vi captam, imò Zenonis Imperatoris permissu sibi adiunxisset, nil Romanis eâ prouinciâ iam priuatis eripiens, sed potiùs Odoacro cæso, quæ illius fuerant, omnia belli iure occupans. Ad hæc addebant immensam pecuniarum accessionem fore cùm ex præda quam Franci de Romanis facerent, tum ex aliis, quas ipsimet Ostrogothi Francis vltrò persoluerent. Denique nihil omiserunt, quo probarent bellum illud contra Romanos Francis & honestum fore & vtile. Theodobaldus vt erat inualido corpore, petitionem Gothorum non admodum laudauit, nec ob alienas calamitates priuatis difficultatibus laboribúsque volebat inuolui, tamen belli societatem cum eis inierunt Leutharis & Butilinus qui generosè iam in Italia se gesserat. Erant hi duo fratres, Alemanni genere, maximam apud Francos potentiam à Theodoberti temporibus adepti. Valebant animo plurimùm, exercitúmque partim ex Francis partim ex Alemannis ad duo & septuaginta millia strenuorum virorum collegerunt. Narses eorum conatus anteuertere cupiens, statim oppida quædam in Tuscia, quæ adhuc in Gothorum potestate erant, summa vi subigere statuit. Hæc Agathias fusiori stylo persequitur. Quos autem maximos Theodobaldi patruos vocat, hos aui Theodorici fratres, seu Theodobaldi propatruos, id est, magnos patruos interpretare.

AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6.

ANNVS CHRISTI 554. CHILDEBERTI R. 43. CLOTARII R. 43. THEODOBALDI II. R. 6. INDICTIO 2.

I. ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus-quartus in Fastis cum anno post Basilij Consulatum decimo-tertio & Indictione secundâ coincidit.

II. EPISCOPI LEONENS. Hoc anno Iaoua seu Iohenius Oxismorum seu Leonensium Episcopus, cùm sedisset annum vnum & dies quadraginta, migrauit ad Deum sexto Nonas Martias, quo die colitur à Leonensibus, vt in eius vita scribit Albertus. Paulus Leonensis quondam Episcopus, qui Cœnobij curam in Bathâ insulâ tunc gerebat, auditâ sancti Ioauæ morte Tiernomagilum suum æquè discipulum in Episcopatu subrogari curauit teste Boscio in eius vita.

III. * *Gal.* [a] De vit. Patr. cap. 6. Hic annus numeratur octauus à tempore inguinariæ pestis, quo Gallus * Aruernensis Episcopus mortem suam designauit, vt suo loco ex Gregorio [a] Turonensi narratum est. In tabulis Ecclesiasticis inter Sanctos ascribitur Kalendis Iuliis. Obiit die Dominicâ primo mane, iacuit in Ecclesia per triduum, illóque triduo celebratæ sunt Rogationes, quales quot annis vbique post Pascha fiunt, & quartâ die sepultus est à vicinis Episcopis, vt Gregorius Turonensis [b] in eius vita testatur. Quæstio est an dici debeat mortuus aut sepultus Kalendis Iuliis, quo die anniuersaria eius memoria vbique recolitur. Certè non discessit ex hac vita Kalendis Iuliis, quia teste eodem Gregorio hominem exuit regnante Theodobaldo, & litera G, quæ Kalendas Iulias notat, in diem Dominicum mense Iulio non incidit toto septennio, quo Theodobaldus regnum obtinuit, annus enim quingentesimus quinquagesimus-secundus, qui bisextilis fuit, literam Dominicalem habuit G, priusquàm bisextum intercalaretur, F verò posteà. Quòd si sepulturæ mandatus est Kalendis Iuliis, obiit sanè quarto easdem Kalendas, qui dies præditus est literâ D, hæc autem litera fuit Dominicalis hoc anno, Christi quingentesimo quinquagesimo-quarto, Theodobaldi Regis sexto. Ex Gregorij textu fortè quis contendet sanctum Gallum sepultum fuisse feriâ quintâ, non autem quartâ vt insinuauimus, atque inde colliget mortuum fuisse quinto Kalendas Iulias cùm dies Dominicus literâ C insigniretur. Verùm Theodobaldus regnum iniit anno Christi quingentesimo quadragesimo-octauo, clausítque anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, & litera C Dominicalis quidem fuit cùm anno Christi quingentesimo quadragesimo-nono, tum anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, sed neutro illorum annorum collocari potest mors sancti Galli quinto Kalendas Iulias; non anno Christi quingentesimo quadragesimo-nono, eodem enim anno quintæ Synodo Aurelianensi subscripsit quinto Kalendas Nouembres, neque etiam anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, eodem enim anno ineunte Theodobaldus Rex abiit è viuis, constátque illum sancto Gallo aliquandiu superstitem fuisse. Pro certo igitur & indubitato habeatur sanctum Gallum Aruernorum Episcopum ad Deum migrasse illucescente die Dominico, vt præmisimus,

[b] De vit. Patr. cap. 6.

S. GALLI ARVERN. EP. OBITVS.

quarto Kalendas Iulias, hoc anno, Episcopatus sui vicesimo-septimo, Christi quingentesimo quinquagesimo-quarto, Theodobaldi Regis sexto. AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6. IV.

Gregorius Turonensis [a] sancti Galli mortem, funus & miracula quæ subsecuta sunt, describit his verbis. *Cum grauatus incommodo decubaret, ita febris interna omnia membra eius depauit, vt capillos & barbam simul amitteret. Sciens autem se, reuelante Domino, post triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus, confracto pane, communionem sanctâ ac piâ voluntate largitur. Adueniente autem die tertiâ quæ erat Dominica dies, quæ ciuibus Aruernis immanem intulit luctum, albescente iam cælo, interrogat, quid in Ecclesia psallerent, dixerunt, Benedictionem eos psallere. At ille Psalmo quinquagesimo & Benedictione decantatâ, vel Alleluyatico cum Capitello expleto, consummauit Matutinos. Quo perfunctus officio ait, valedicimus vobis, fratres, & hæc dicens, extensis membris spiritum Deo intentum præmisit ad Dominum. Transiit autem ætatis suæ sexagesimo-quinto, Episcopatus verò sui septimo & vicesimo anno. Exinde ablutus atque vestitus in Ecclesiam defertur, donec prouinciales ad eum sepeliendum conuenirent. Magnum enim ibi miraculum ostensum populis fuit, quòd Sanctus Dei, abstracto dextero pede in feretro, se in aliud latus, quod erat versùs altari contulit. Dum hæc agerentur, Rogationes illæ quæ post Pascha fiunt, celebrabantur. Iacuit autem in Ecclesia triduo assiduo instante psallentio cum magna frequentia populi. Episcopis autem quartâ die aduenientibus, cum de Ecclesia leuauerunt, & portantes in sancti Basilica Laurentij sepeliunt.* Hanc sancti Laurentij Basilicam Victorius Dux sub sancti Sidonij Pontificatu, regnante apud Aruernos Eoricho siue Euarige Wisigothorum Rege Ariano, anno Christi circiter quadringentesimo septuagesimo-octauo iusserat ædificari prope locum, vbi beatus Auitus ipsius sancti Galli successor Basilicam Sanctæ Mariæ Portuensis seu principalis postea construxit. Aruerna ciuitas in Euarigis potestatem venit ex Nepotis Augusti cessione, qui leuatus est Imperator octauo Kalendas Iulias anno Christi quadringentesimo septuagesimo quarto, imperauitque anno duntaxat vno, mensibus duobus ac diebus quatuor. Ante illa tempora Victorius, quem Euarix septem ciuitatibus ab anno Christi quadringentesimo septuagesimo-primo Ducem præposuit, Aruernam vrbem suo Ducatui non adiunxit, abiitque in Italiam anno Christi quadringentesimo octogesimo, nam teste Gregorio Turonensi [b] qui super his rebus consuli potest, post eius discessum ex Aruernia, superstes in viuis per annos tantùm quatuor fuit Rex Euarix, cuius obitus cadit in annum Christi quadringentesimum octogesimum quartum, quia Synodus Agathensis celebrata legitur sub Messalæ Consulatu, id est, anno Christi quingentesimo sexto, cùm Alaricus Euarigis filius vicesimum secundum in regno annum ageret. Toto autem tempore quo Victorius Dux Aruernæ ciuitati præfuit, Aruernensem Pontificatum gessit Sidonius, Eparchio * enim successit anno Christi quadringentesimo septuagesimo-secundo, seditque annis plusquàm duodecim, vt aliâ occasione post debellatum Siagrium sub Clodoueo Rege iam probauimus. In Aruernensium Antistitum catalogo, sanctum Eparchium sancti Sidonij decessorem antecedit beatus Namatius *, laudatúrque plurimùm quòd insignem Basilicam in honorem illustrium Martyrum Agricolæ & Vitalis erexerit. Hæc à primo conditu fuit, éstque etiamnum primaria totius Diœceseos, sed non eodem semper nomine fuit appellata, nam quæ Martyrum Agricolæ & Vitalis Basilica, cùm Gregorius Turonensis scribebat, adhuc dicebatur, vocata est Basilica sancti Laurentij sub beati Boniti Pontificatu, posterisque temporibus Basilica beatæ Mariæ nuncupata est, hodiéque nominatur. Agemus iterùm de tribus hisce titulis ad annum Christi quingentesimum nonagesimum-quartum in obitu S. Auiti, ne cùm Ecclesia sanctæ Mariæ * principalis, in qua beatus Auitus requieuit, confundatur mater Ecclesia, quæ tunc Agricolæ & Vitalis Martyrum Ecclesia dicebatur, & Sanctæ Mariæ nomen, quod posteà gessit geritque, nondum acceperat. Interim caue, ne similem in errorem labaris, néve sancti Laurentij Basilicam, in qua beatus

[a] De vit. patr. c. 6.

SEPVLTVRA.

[b] Lib. 2. c. 20

* *Eparet.*

* *S. Namatius.*

* *L'Eglise de Nostre Dame principale du Port.*

AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6.

Gallus sepultus fuit, interpreteris matricem Ecclesiam, quæ priusquàm Ecclesia Sanctæ Mariæ vocaretur, Ecclesia sancti Laurentij nuncupabatur. Duas fuisse distinctas Basilicas ratio temporum locorúmque satis docet. Mater Ecclesia, quæ primùm appellata est Basilica sanctorum Martyrum Agricolæ & Vitalis, conditorem agnoscit sanctum Namatium Episcopum, Basilica verò sancti Laurentij in qua beatus Gallus tumulatus fuit, serùs erecta est à Victorio Duce sub sancti Sidonij Pontificatu. De priore Gregorius Turonensis ita disserit libro primo [a] de gloria Martyrum. *Agricola & Vitalis apud Bononiam Italiæ vrbem, pro Christi nomine passi sunt. Horum reliquias Namatius Aruernorum Episcopus deuotè expetiit, vt scilicet eas in Ecclesia, quam ipsè construxerat, collocaret, direxitque vnum illuc Presbyterum, qui abiens cum Dei gratia quæ petierat detulit, regressusque cum sociis, in quinto ab Aruerna vrbe milliario reuertentes, metatum accipiunt, & ad Episcopum missos dirigunt, vt eis quid agant iubeat ordinare. Mane autem facto, Sacerdos admonitis ciuibus, cum crucibus & cereis ad occursum reliquiarum sanctarum deuotissimus properat. Cúmque ei Presbyter offerret, vt beatas reliquias aspiceret si iuberet, & ille; Mihi, inquit, magis est hæc credere quàm videre, sic enim in Scripturis legimus sanctis, quia ipsè Dominus beatos illos iudicat, qui eum cùm non viderint credidissent. Hác itaque Sacerdotis fide pollente Dominus Sanctos suos glorificat in virtute. Nam venientibus illis, subitò contenebratum est cælum, & ecce imber vmbrosus atque teterrimus super eos descendit, & tanta pluuia ibidem est diffusa, vt flumina per vias illas currere cernerentur. Verumtamen circa sancta pignora per vnum valdè iugerum neque vna gutta visa est cecidisse. Et abeuntibus illis, pluuia eos à longè quasi præbens obsequium, sequebatur populum fouens, gestatores autem pignorum non attingens. Hæc videns Pontifex, magnificauit Dominum, qui fidei suæ sic fauens talia ad Sanctorum gloriam operari dignatus est. Congregatis verò ciuibus, cum magno gaudio atque deuotione, sanctam Ecclesiam his illustratam pignoribus dedicauit.* De posteriore verò sic in historia Francorum [b]. *Eorichus Gothorum Rex Victorium Ducem super septem ciuitates præposuit. Qui Aruernus aduciens Basilicam sancti Laurenty iussit ædificare.* Vt temporum ratio sic & locorum distantia persuadet matrem Ecclesiam quæ sancti Laurentij nomen aliquando gessit, semper distinctam fuisse ab Ecclesia sancti Laurentij in qua beatus Gallus sepulturam accepit. Ecclesiæ sanctæ Mariæ Portuensis, quæ nunc etiam à matrice Ecclesia longè distat, vicina erat Ecclesia sancti Laurentij. Vicinitatem illam in historia sancti Illidij testatus est Winebrandus his verbis, *Mulier ex vico Cibaciaco habitans fuit ad Portum iuxta Ecclesiam sancti Laurenty*, clariùs Guido Claromontensis Episcopus, qui seculo decimo-tertio florebat. *Ecclesia*, inquit, *Beatæ Mariæ de Portu Claromontensi vnimus* [*] *Ecclesiam sancti Laurenty prope dictam Ecclesiam* * *de Portu.* Antequàm hæc vnio fieret, beatus Gallus quiescebat in Ecclesia sancti Laurentij, quæ nonnunquam vt Sauaro notat [c], Ecclesia sancti Galli dicta reperitur, hodie verò ille præcipuum locum in Ecclesia Portuensi tenet. Aruerni duos duntaxat Gallos venerantur sanctissimæ vitæ Pontifices, quorum senior hoc anno regnante Theodobaldo migrauit ad Dominum, iunior serùs Episcopatum gessit regnante Sigiberto Dagoberti filio. Vetus autem Auctor, qui duos libros de Ecclesiis & Altaribus in Claromonte consistentibus composuit, trium Gallorum mentionem fecit, quorum vnus in Ecclesia sancti Laurentij, alter in Ecclesia sancti Galli, tertius in Ecclesia sancti Illidij quiescebat, sic enim de Ecclesia [d] sancti Laurentij disseruit, *In Ecclesia sancti Laurenty, Altare sancti Laurenty, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Briccius*, &c. Deinde de Ecclesia [e] sancti Galli, *In Ecclesia S. Galli, Altare S. Mariæ, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Vrbicus*, &c. Postremò de Ecclesia sancti Illidij [f]. *In Ecclesia sancti Illidy, Altare S. Clementis, Altare S. Mariæ, vbi S. Illidius, & S. Desideratus, & S. Gallus*, &c *in corpore quiescunt.* Seniorem Gallum in Ecclesia sancti Laurentij sepultum fuisse iam satis supérque probauimus, & in eamdem Basilicam reliquias sancti Briccij Turonensis Epi-

[a] Cap. 44.

[b] Lib. 2. c. 20.

[*] *L'Eglise du Port.*

[c] Lib. 1. n. 3.

[d] Lib. 1. n 3.

[e] Lib. 1. n. 8.

[f] Lib. 1. n. 11.

scopi transferendas fortè curauit Gregorius eiusdem Sedis Antistes, vt beati Galli patrui sui memoriam illustraret. Iunior Gallus conditus fuit in Ecclesia sancti Galli, de qua ne vestigium quidem supereſt. Quis autem tertius ille Gallus extiterit qui cum aliis Sanctis in Ecclesia Illidiana tumulum habuit, nondum deprehendimus. Atque hæc sufficiant de controuersiis quæ super sepultura Galli senioris agitari possunt, iam verò miracula quæ subsecuta sunt, Gregorianis[a] verbis recensemus. *In exequiis eius quantus planctus, quanti populi adfuere, enarrari vix potest. Mulieres cum lugubribus indumentis tanquam si viros perdidissent. Similiter & viri obtecto capite vt in exequiis vxorum facere mos est. Ipsi quoque Iudæi accensis lampadibus prosequebantur plangendo. Omnes tamen populi vnâ voce dicebant. Væ nobis qui post hanc diem nunquam similem merebimur habere Pontificem. Et quia, vt diximus, prouinciales longè distabant, nec celeriùs venire poterant, vt mos rusticorum habetur, glebam super beatum corpus posuere fideles, quo ab æstu non intumesceret. Quam cespitem post eius exequias mulier quædam, & verè (vt ego diligenter inquisiui) virgo purissima & deuota Deo, Meratina nomine, ab aliis electam collegit, & in horto suo posuit, infusáque sæpiùs aquâ, Domino incrementum dante, viuere fecit. De qua cespite infirmi non solùm auferentes herbam, atque bibentes sanabantur, verùm etiam fidelis super eam oratio suffragium merebatur. Quæ postea per incuriam, virgine migrante deperiit. Denique ad sepulchrum eius multæ virtutes ostensæ sunt. Nam quartanary vel diuersis febribus ægroti vt ad beatum tumulum fideliter attingunt, protinus hauriunt sanitatem.* In eorum numero, vt idem Auctor fusiùs scribit, fuit Valentinianus Diaconus, cuius iam meminimus, qui posteà Presbyter fuit, ipsíque Gregorio notus, cui rem ipsam provt gesta est ipsemet enarrauit. Ceterùm Fortunatus[b], cùm poëticè scriberet, minùs exactè S. Galli Pontificatum quinque quinquenniis, id est, annis viginti quinque, ætatem verò quindecim lustris, siue annis quinque & septuaginta, definiuit. Sancto Gallo ad emeritam beatæ vitæ coronam vocato, Gregorium eius nepotem ex fratre *vir Domini Auitus suscepit, qui cùm eius ingenium morúmque habitudinem exploraui ſſet, magistrorum diligentiam adhibuit, & quantâ vel ipsius industria vel eorum sedulitas velocitate poterat, ad arcem sapientiæ prouexit*, vt in ipsius Gregorij vita testantur Clerici Turonenses. Auitus ille est, qui Pontificatum Aruernorum post Cautinum obtinuit, nam Fortunatus in Carmine quod Gregorio tunc Episcopo Turonensi de Iudæis per Auitum Aruernum Episcopum conuersis inscripsit, Gregorium eiusdem Auiti alumnum fuisse palàm declarauit his versibus.

Non fuit in vanum quòd te prouexit alumnum,
Sicut mente fidem, reddis amore vicem.
Annuat Omnipotens, longo memoraliter æuo,
Vt tu laus illi, laus sit & ille tibi.

AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6.

[a] De vit. patr. c. 6.

MIRACVLA.

[b] Lib. 4. c. 4.

Sancto Gallo in Episcopatu Aruernorum successit Cautinus, cuius ordinationem Interpolator Gregorij Turonensis in vulgatis libri quarti capitibus, quinto, sexto & septimo, quæ non reperiuntur in Codicibus Bellouacensi, Corbeiensi, Metensi ac Regio, sic descripsit, vt omnes Aquitaniæ primæ Pontifices, inter quos sanctus Probianus Bituricensis Metropolitanus & sanctus Dalmatius Rutenensis Antistes enitebant, reos non leuis criminis insimularit, ideóque multis in rebus fidem mereri non videatur. *Cùm ab hoc*, inquit, *mundo, sanctus Gallus migrasset, & ablatus in Ecclesiam deportatus fuisset, Cato Presbyter continuò à clericis de Episcopatu laudes accepit, & omnem rem Ecclesiæ tanquam si iam esset Episcopus, in suam redegit potestatem. Ordinatores remouet, ministros respuit, cuncta per se ordinat. Episcopi tamen qui aduenerant sanctum Gallum sepeliendum, postquam eum sepelierant, dixerunt Catoni Presbytero. Videmus quia te elegit maxima pars populorum, veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. Rex verò paruulus est, & si qua tibi adscribitur culpa, nos suscipientes te sub defensione nostra, cum Proceribus & primis regni Theodualdi Regis agemus, ne tibi vlla excitetur iniuria.*

V.

CATONIS PRESBYTERI SVPERBIA.

AN. CH. 554 CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6.

Nos quoque (in tantum fideliter crede vt spondeamus pro te) omnia etiamsi damni aliquid superuenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros. At ille cothurno vanæ conflatus gloriæ, ait. Nostis enim famâ currente, me ab initio ætatis meæ semper religiosè vixisse, vacasse ieiuniis, eleemosynis delectatum fuisse, continuatas sæpiùs exercuisse vigilias, psallentio verò iugi crebrâ persistisse statione nocturnâ. Nec me Dominus Deus meus patitur hac ordinatione priuari, cui tantum famulatum exhibui. Nam & ipsos Clericatus gradus Canonicâ sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministraui, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui, Presbyterij autem iam honore viginti annis potior. Quid enim mihi nunc restat, nisi vt Episcopatum, quem fidelis seruitus promeretur, accipiam? Vos igitur reuertimini ad ciuitates vestras, & si quid vtilitati vestræ competit, exercete. Nam ego Canonicè assumpturus sum hunc honorem. Hæc audientes Episcopi, & in eum vanam gloriam execrantes, discesserunt. Igitur cum consensu Clericorum ad Episcopatum electus, cùm adhuc non ordinatus cunctis ipse præesset, Cautino Archidiacono diuersas minas intendere cæpit, dicens, ego te remouebo, ego te humiliabo, ego tibi multas neces impendi præcipiam. Cui ille, gratiam, inquit, tuam, Domine piissime, habere desidero, quam si mercor, vnum tibi beneficium præstabo. Sine vllo enim labore tuo, & absque vllo dolo, ego ad Regem pergam, & Episcopatum tibi obtinebo, nihil petens nisi vt promerear gratiam tuam. At ille suspicans eum sibi velle inludere, hæc valdè despexit. Hic verò cùm se cerneret humiliari, atque calumniæ subiici, languore simulato, & per noctem ciuitatem egrediens, Theodoualdum Regem petiit, adnuncians transitum sancti Galli. Quod ille audiens, vel qui cum eo erant, conuocatis Sacerdotibus apud Metensem ciuitatem, Cautinus Archidiaconus Episcopus ordinatur. Cùm autem veniissent nuncy Catonis Presbyteri, hic iam Episcopus erat. Tunc ex iussu Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Ecclesiæ exhibuerant, ordinatisque qui cum eo pergerent Episcopis & Camerariis, Aruernos eum direxerunt. Qui à Clericis & ciuibus libenter exceptus, Episcopus Aruernis est datus. Cautinus adhuc Archidiaconus, cùm Ecclesiam vici Iciodorensis * in Diaconatu suo regeret, decumberétque in cellulâ suâ adhærente Basilicæ, in quâ sanctus * Stremonius Aruernæ ciuitatis primus quondam Episcopus sine vllo cultu requiescebat, audiuit psalmodiam, surgensque vidit templum magno lumine circumfusum, & per eius fenestras introspiciens aduertit circa beati Pontificis sepulchrum multitudinem albatorum tenentium cereos ac psallentium, quapropter sequenti die iussit tumulum vallari cancellis & palliolis nitentibus obuelari, præcepitque reuerentiam illi loco impendi. Exinde fusis ibi orationibus impetrata sunt Antistitis auxilia teste Gregorio Turonensi [a], qui totum negotium in literas retulit prout illud ab ipsius Cautini Episcopi ore audiuerat.

CAVTINI ORDINATIO.

* *Issoire.*

* *S. Austremoine.*

[a] De glor. Conf. c. 10.

VI. CALVPPA EREMITA.

Illis temporibus florebat Caluppa seu Caluppanes Reclusus, annos natus circiter duodetriginta. *Ab inenute etate semper religionis Ecclesiasticæ bonum quæsiuit & reperit, & apud Monasterium Meletense termini Aruerni conuersatus, in magnâ humilitate se fratribus præbuit. Vallem haud procul à Monasterio conspicatur, de cuius medio Lapis, naturâ præbente consurgens, prouehitur in excelsum, quasi quingentis aut eo amplius pedibus, nullam penitus habens cum reliquis montibus circumpositis coniunctionem. Cuius vallis medium fluuius alluit, qui hunc montem placide contingens dilabitur. In huius ergo lapidis scissuram, quod priscis quondam propter transitum hostium receptaculum fuit, Eremita sanctus ingreditur, & excisò lapide habitaculo statuit, in qua nunc per scalam valdè difficilem scanditur. Locus etenim ille tam difficilis est ad incedendum, vt etiam feris bestiis illuc accedere sit labor. In hoc loco Oratorium paruulum quodammodò fecit, cui oranti serpentes super caput eius sæpiùs decidebant, & inuoluentes se circa collum eius non minimum ei inferebant horrorem. Sed quia diabolus ad speciem callidi serpentis habetur, non ambigitur eius hæc fuisse immissionis insidias.* Hæc Gregorius Turonensis [b], qui dæmones signo crucis fugatos deinde subiungit, additque miraculum haud prætermittendum. *Cùm à profundo vallis illius quasi stadia decem aqua deferretur,*

[b] De vit Patr. cap 11.

orauit Dominum, vt ei in ipso cellulæ suæ habitaculo fontis venam ostenderet. Et non defuit virtus illa cælestis, quæ quondam sitientibus populis aquas produxit à silice. Statim igitur ad huius orationem gutta laticis à cautè prorumpens, cæpit solum stillis frequentibus irrigare. At ille munere cælesti congaudens, concauum in lapide paruulum in modum cisternæ faciens, tenentem quasi congia duo, lymphas diuinitus sibi indultas suscipiebat, de quibus tantùm ei ministrabatur per dies singulos, quantùm ipsi pueroque sufficeret, qui ei minister fuerat datus. Cetera persequemur sub Auito Aruernorum Episcopo Cautini successore. AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6. VII.

Gregorius Turonensis [a] agit circa hæc tempora de coniugio Theodobaldi Regis, *qui cùm iam adultus esset, Wldetradam duxit vxorem*, Aimoinus [b] illam Waconis Longobardorum Regis filiam fuisse scribit, ac sororem Wisigardis, quæ Theodoberto Regi nupta Theodobaldi nouerca quondam fuerat. [a] Lib. 4. c. 9. [b] Lib. 2. c. 35. THEODOB. R. DVCIT VXOREM.

Hoc anno vndecim Episcopi, quatuor Presbyteri, Archidiaconi duo, totidémque Diaconi, ab aliis Episcopis directi, cùm Synodum Arelate habuissent, septem Canones promulgarunt tertio Kalendas Iulias, vt testatur hæc Sapaudi Episcopi subscriptio. *Sapaudus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Arelatensis, constitutionem nostram relegi & subscripsi. Not. sub die tertio Kalendas Iulias, anno* XLIII. *regni domni nostri Childeberti Regis.* Septem Canones, quos illa Synodus condidit, scripti sunt hoc ordine. VIII. SYNODVS ARELAT.

I. Vt oblatæ, quæ in sancto offeruntur altario, à comprouincialibus Episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ. Quòd si aliter quis facere præsumpserit, tamdiu sit à communione vel à caritate fratrum seclusus, quamdiu ipsum cœtus Synodalis receperit. IX.

II. Vt Monasteria, vel Monachorum disciplina, ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta. X.

III. Vt Abbatibus longiùs à Monasterio vagari sine Episcopi sui permissione non liceat. Quòd si fecerint, iuxta antiquos Canones ab Episcopo suo regulariter corrigantur. Recitauimus suo loco vltimum Canonem Concilij Aurelianensis secundi aduersus Abbates contumaces. XI.

IV. Vt Presbyter Diaconum vel Subdiaconum de ordine deponere nescio Episcopo suo non præsumat. Quòd si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro à communione priuatus officium implere penitus non præsumat. XII.

V. Vt Episcopi de puellarum Monasteriis, quæ in suâ ciuitate constituta sunt, curam gerant, nec Abbatissæ eius Monasterij aliquid liceat contra Regulam facere. XIII.

VI. Vt Clericis non liceat facultates, quas ab Episcopo in vsu accipiunt, deteriorare. Quòd si fecerint, si iunior fuerit, corrigatur; si verò senior, vt necator pauperum habeatur. Clerici iuniores seu minores dicebantur infra Subdiaconatum, seniores verò seu maiores à Subdiaconatu & suprà, vt ad annum Christi quingentesimum duodequadragesimum iam obseruauimus, cùm Canones Concilij Aurelianensis tertij exponeremus. XIV.

VII. Vt Episcopus alterius Clericum in gradum, sine epistola Episcopi sui prouehere non præsumat. Quòd si præsumpserit, ille qui ordinatus fuerit, ab honore quem acceperit remotus, quod ei commissum est agere non præsumat, & is qui eum sciens ordinauerit, tribus mensibus communione priuetur. XV.

Hanc Synodum conuocauit Sapaudus Episcopus Arelatensis ex prouinciâ Viennensi secundâ siue Arelatensi cuius erat Metropolitanus, & ex duabus finitimis prouinciis, ex Narbonensi secundâ & ex Alpibus maritimis, in quas, cùm Metropolitanus esset primi ordinis, ius Metropoliticum exercebat. XVI. SVBSCRIPT. EPISCOPOR.

Ex Arelatensi prouinciâ subscripserunt quatuor Episcopi, Sapaudus Arelatensis Metropolitanus, Antoninus Auenionensis, Prætextatus Cabellicus, Matthæus Arausicanus; item Seuerus Presbyter à Palladio Episcopo Telonensi directus, Liberius & Quinidius Archidiaconi ab Emeterio & Theodosio Episcopis missi. Sedes quidem Theodosij non exprimitur, sed Vasiensis proculdubio fuit, in qua post Alethium, qui Concilio Aurelianensi quarto XVII.

AN. CH. 554. CHILDEB. CLOTAR. RR. 43. THEODOBALDI II. R. 6.

subscripsit, sedit Theodosius, & post Theodosium ipsemet Quinidius Childeberto Rege adhuc superstite. Maior difficultas occurrit circa Pontificatum Emeterij, cuius nulla mentio fit in catalogis Gallicanorum Antistitum, sedebat in Arelatensi Prouincia, huic enim Synodo per se vel per Legatos subscripserunt omnes Episcopi Prouinciæ Narbonensis secundæ & Alpium maritimarum, si vnum Peladium Ebredunensem Episcopum excipias; quinam autem tunc Arelatensis Prouinciæ fuerint Episcopi, facilè deprehendes ex subscriptionibus huius Concilij & ex Gallia Christiana, si demas Massilienſem, quoniam ad illam ætatem mutila reperitur Massilienſium Pontificum nomenclatura, ideóque Massilienses insulas Emeterio tribuendas arbitramur.

XVIII. Ex Prouincia Narbonensi secunda subscripserunt quatuor Episcopi, Auolus Aquensis Metropolitanus, Clementinus Aptensis, Expectatus Foroiuliensis & Eusebius Antipolitanus; item Honoratus Presbyter à Vellesio Episcopo Vappincensi directus, Cyprianus Diaconus ab Auolo Episcopo Siltaricensi missus, & Claudianus Diaconus legatus ab Emeterio Episcopo Regensi.

XIX. Ex Alpibus maritimis subscripserunt tres Episcopi, Simplicius Sanesiensis, Hilarius Dinienſis, & Magnus Cemelenſis; item duo Presbyteri directi, Benenatus à Basilio Episcopo Glanatensi, & Cyminiacus à Deuterio Vencionensi Episcopo.

XX. Horum omnium Episcoporum suprà diuersis in locis meminimus, si Theodosium excipias & ambos Emeterios, quorum alterum Massiliæ restituimus, alterum ex Bartelli [a] sententia Regensem Episcopum diximus. Theodosius Vasiensis Episcopus colitur Vasione decimo-sexto Kalendas Martias in supplemento Martyrologij Gallicani, & octauo Kalendas Nouembres in auctiore Gallia Christiana.

[a] Hist. Episc. Regens.

XXI. Ceterùm hæc Synodus, quæ inter Arelatenses prima in nostris Annalibus occurrit, in collectione Conciliorum vocatur quinta, quatuor enim aliæ priùs celebratæ fuerant in eadem ciuitate, cùm Romanorum Imperatoribus & Gothorum Regibus pareret.

XXII. HONORATVS EP. AMBIAN. Circa hunc annum Beato in Episcopatu Ambianensi successit Honoratus. Hic perillustribus ac prædiuitibus parentibus natus in hæreditariam portionem acceperat Portum * ad Somonam nobilem cum castello vicum, vbi vitalem auram primùm hauserat. Lege Adrianum Morlierum [b] de antiquitatibus Ambianensibus & Iacobum Malbrancum [c] de Morinis.

* *Le Village de Port.*

[b] Lib. 2. nu. 8.

[c] Lib. 1. c. 11.

XXIII. BELLVM ITALICVM. Quod attinet ad res Italicas, Narses pleraſque Tusciæ ciuitates Gothis eripuit. Pro Romanis pugnabant Eruli, hos Butilinus Dux Francorum prope Parmam profligauit, erat tunc ea ciuitas in potestate Francorum. Vergente autem autumno ac solstitio hyberno imminente Narses cùm sciret Francos non libenter æstate bellum gerere, quoniam æstum valdè inimicum ac grauem experiuntur, brumæ verò tempore vegetari validioresque fieri, quoniam ob patriæ algiditatem ita sunt affecti, vt eis cognatum quodammodo sit frigere, bellum protrahendum atque in proximum ver differendum Censuit, & centuriones ac Tribunos in oppidis & castellis Rauennæ proximis hyemare iussit. Describit ista pluribus Agathias [d].

[d] Lib. 1.

ANNVS

ANNVS CHRISTI 555. CHILDEBERTI R. 44. CLOTARII R. 44. THEODOBALDI II. R. 7. INDICTIO 3.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

ANNO Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, siue vt Marius in suo Chronico loquitur, *post Consulatum Basily anno decimo-quarto, Indictione tertiâ, Theudobaldus Rex Francorum obiit, & obtinuit regnum eius Chlothacarius patruus patris eius. Chramnus filius Chlothacary Regis, sollicitante Childeberto patruo suo ad ipsum latebram dedit. Saxonibus rebellantibus Chlothacarius Rex cum graui exercitu contra ipsos dimicauit, vbi multitudo Francorum & Saxonum ceciderunt, Chlothacarius tamen Rex victor abcessit. Buccelenus Dux Francorum in bello Romano cum omni exercitu suo interiit.* Hæc breuiter ille, quorum nonnulla paulò vberiùs à nobis sunt explicanda. I.

Gregorius [a] Turonensis asserit Theodobaldum Regem obiisse anno regni sui septimo, Marcellini Continuator anno Chlotharij propatrui quadragesimo-quarto. Consentiunt ista cum Consulatu & Indictione suprà notatis ex Mario. Varia signa quæ mortem ipsius adnunciasse credita sunt, narrat idem Gregorius. Vuæ in sambuco absque vitis coniunctione natæ sunt; flores arborum, quæ nigra grana proferre solitæ erant, grana racemorum dederunt; in circulum Lunæ quintæ stella ex aduerso veniens introisse visa est. Theodobaldus ab Aimoino [b] depingitur *vir Deo deditus & seruos eius vnicè diligens sed in suos crudelis.* Eandem seueritatem notat Gregorius [c] his verbis. *Hunc Theodoualdum ferunt mali fuisse ingenij, ita vt iratus cuidam, quem suspectum de rebus suis habebat fabulam fingeret dicens. Serpens ampullam vino plenam reperit, per huius enim os ingressus, quod intus habebatur auidus hausit. A quo inflatus vino exire per aditum quo ingressus fuerat, non valebat. Veniens verò vini dominus, cùm ille exire niteretur, nec posset, ait ad serpentem. Enome priùs quod inglutisti, & tunc poteris abscedere liber. Quæ fabula magnum ei timorem & odium præparauit.* Laudatur à Fausto in vita sancti Mauri, quod Glannafolien-se Monasterium post obitum patris inuiserit, eique testamentariâ auctoritate villas duas contulerit, *quarum vna vocabatur villa Fabrensis, altera verò Vosda.* Erat corpore inualido, morbo semper obnoxius, & vt Gregorius refert, *à cinctura deorsum se volutare non poterat*, ideò apud Agathiam [d] parùm genero-sus ac belli fertur impatiens. II.

[a] Lib. 4. c. 9. THEODOBALD. REX OBIT.

[b] Lib. 2. c. 25.

[c] Lib. 4. c. 9.

[d] Lib. 1.

Theodobaldus nullam prolem reliquit. *Cùm verò*, vt Agathias [e] scribit, *Childebertum & Chlotarium, vtpote genere proximos, lex patria ad hæreditatem iuuenis vocaret, grauis statim inter eos contentio est orta, quæque parùm aberat quin totum genus perderet. Child-bertus enim iam senex erat, & præterquàm quòd grauis annis esset, accedebat etiam summa infirmitas, adeò vt ipsi totum corpus colliquatum tabidumque esset. Neque vlla ei erat proles masculæ quæ succederet in Regnum, sed filias tantùm habens consenuerat. Chlotarius verò valido adhuc erat corpore, neque admodum senex, primas tantùm rugas contraxerat, & filios habebat quatuor admodum iuuenes atque animosos, & ad audendum promptos. Quocirca non* III.

[e] Lib. ABSQVE PROLE.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

adeunda dixit fratri bona Theodibaldi, quippe quòd breui etiam ipsum Childiberti Regnum ad se & filios suos esset deuoluendum. Neque eum fefellit sua spes. Senex enim ille suâ sponte ipsi hæreditate cessit, veritus, vti puto, viri potentiam, ipsiusque inimicitiam declinare cupiens. Pauloque pòst ipse quidem excessit è viuis. Vniuersum verò Francorum Imperium ad solum Chlotarium est deuolutum. Auctor ille, quamuis è Græcorum numero, Legem Francorum agnouit, quæ fœminas à Regno capessendo procul arcet, postremisque seculis Salicæ nomen apud omnes fermè Scriptores obtinuit. Si fœminæ sceptri capaces extitissent, Ragintrudis & Bertoara Theodobaldo fratri hæreditario iure successissent, & Clotarius, ad recipiendas Childeberti ditiones, ipsius Childeberti filiabus se suósque filios præferendos non dixisset. De ætate Childeberti & Clotarij sæpè disseruimus, iuniores erant Clodomere fratre qui natus est anno Christi quadringentesimo nonagesimo-quinto, Clotarius cum tribus è suis filiis in Hispaniam anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo perrexit. Hæc si simul contuleris, inter Childebertum & Clotarium aduertes virium potiorem fuisse quàm annorum differentiam, corrigendúmque Agathiam quòd Childebertum Clotario longè seniorem insinuarit. Idem Auctor in eo castigandus videtur quòd Clotario Theodobaldi Regnum occupanti quatuor tantùm filios tribuerit, cùm ille & quintum haberet ætate iam adultum, nomine Chramnum, de quo statim verba facienus. Consultò prætermittimus Gundobaldum, neque enim Clotarius se patrem illius vnquam dixit, imò comam capitis tonderi iussit. Rem ita narrat Gregorius Turonensis [a]. *Cùm Gundobaldus natus esset in Gallis, & diligenti curâ nutritus, vt Regum ipsorum mos est, crinium flagellis per terga demissis, literis eruditus, Childeberto Regi à matre repræsentatur, dicente eâ. Ecce, inquit, nepotem tuum Chlothachary Regis filium. Et quia inuisus habetur patri, susципe eum quia caro tua est. Quem ille, eò quod ei filij non essent, accipiens retinebat secum. Nuntiantur hæc Regi Chlothachario, misitque fratri nuntios dicens, dimitte puerum vt veniat ad me. Nec moratus ille, iuuenem fratri direxit. Quo viso Chlothacharius iussit tonderi comam capitis eius dicens. Hunc ego non genera.* Plures tumultus inferiùs concitabit, quos silentio prætereire non licebit.

[a] Lib. 6. c. 14.

IV. SVCCEDIT CLOTARIVS.

Si fides est Aimoino [b], *Theodebaldus vitâ decedens Principatum gentis quam regebat, cum thesauris Chlotario dereliquit habendum.* Apud Gregorium [c] Aimoino antiquiorem Regnum Theodobaldi Clotarius Rex accipit nullâ donatione allegatâ. Id longè verisimilius videtur. Frustrà quoque apud Agathiam Childebertus dicitur sponte cessisse ius, quod post Theodobaldi mortem, quantùm potuit, armis sibi conatus est asserere, neque enim aliam ob causam quàm vt in partem Regni, quod Theodobaldi fuerat, cum Clotario veniret, Saxones hoc anno commouit, & Chramnum à patre deficientem excepit amicissimè iuuitque.

[b] Lib. 2 c. 25.
[c] Lib 4. c. 9.

V. OB INCESTAS NVPTIAS ARGVITVR ET RESIPISCIT.

Clotarius non tantùm Theodobaldi Regnum cum thesauris accepit, sed & Wldetradam eius vxorem strato suo copulauit, teste Gregorio [d] Turonensi, verùm, vt idem Auctor subiungit, *increpitus à Sacerdotibus reliquit eam, dans ei Gariualdum Ducem.* Inter Episcopos, qui degebant in ditionibus Theodobaldi, plurimùm enituit Nicetius Treuirorum Antistes, *Clotarium Regem*, vt Gregorius [e] quoque scribit, *pro iniustis operibus sæpè excommunicauit, exiliumque minitante eo, nunquam est territus.* Clotarius Treuiris sex duntaxat annos regnauit, si sæpiùs excommunicationis fulmine percussus est à Nicetio, haud dubium quin telum illud in se contortum senserit ob incestas nuptias, quas Nicetio summoperè displicuisse probant ea, quæ de Tullensi Concilio nuperrimè diximus.

[d] Lib. 4. c. 9.
[e] De vit patr. c. 6.

VI.

Clotarius post Theodobaldi mortem Chramnum filium suum in Aruerniam statim direxit. Id [f] affirmat Gregorius Turonensis, qui res ab eodem Chramno nefariè gestas ita persequitur [g]. *Chramnus his diebus apud Aruerniam residebat. Multæ enim causæ tunc per eum irrationabiliter gerebantur, & ob hoc accele-*

[f] Lib. 4. c. 9.
[g] Lib. 4. capp. 13. 16.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

CHRAMNVS IN ARVERNIAM MITTITVR A PATRE.

AGIT MVLTA SCELERATE.

Equite pro equo.

REBELLAT.

VII. BELLVM SAXONICVM.

*ratus est de mundo. Multùm enim maledicebatur à populo. Nullum autem hominem diligebat, à quo consilium bonum vtilémque posset accipere. Nisi collectis vilibus personis ætate iuuenili fluctuantibus, eosdem tantùmmodo diligebat, eorúmque consilium audiens, ita vt filias Senatorum dans prædonibus, eisdem vi detrahi iubebat. Firminum à Comitatu vrbis grauiter iniuriatum abegit, & Saluſtium Eunodi filium ſubrogauit. Sed Firminus cum ſocru ſua Eccleſiam petiit. Erant autem Quadrageſimæ dies, & Cautinus Epiſcopus Briuatenſem * Diœceſim pſallendo adire diſpoſuerat, iuxta inſtitutionem ſancti Galli. Egreſſus eſt igitur Epiſcopus ab vrbe cum magno fletu, metuens ne aliquid in itinere aduerſi perferret, intendebat enim & ipſe Rex Chramnus minas. Qui dum iter ageret, miſit Rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere ſuo, dicens. Ite & vi abſtrahite Firminum Cæſariámque ſocrum eius de Eccleſia. Diſcedente verò Epiſcopo cum pſallentio (ſicut ſuprà memorauimus) hi qui miſſi fuerant à Chramno ingrediuntur Eccleſiam, ac Firminum Cæſariámque variis conlocutionum dolis mulcere tentant. Verùm vbi diutiſſimè alia ex aliis deambulantes per Eccleſiam colloquuntur, & in hoc qui confugerant, intenderent ex animo quæ dicebantur, ad regias ædis ſacræ, quæ tunc reſeratæ fuerant, adpropinquant. Tunc Imnacharius Firminum, Scaptarius Cæſariam adprehenſos inter brachia, ab Eccleſia eiiciunt, paratis pueris qui ſuſciperent, quos ſtatim in exilio direxerunt. Sed die alterâ depreſſis ſomno cuſtodibus, ipſi ſe liberos ſentientes ad beati Iuliani Baſilicam confugiunt, & ſic ab exilio liberantur, res tamen eorum fiſco conlatæ ſunt. Cautinus autem Epiſcopus cùm ſuſpectus eſſet, quòd & ipſe iniuriaretur, ac memoratum iter terens equum haberet ſtratum, vidit poſt tergum homines venientes cum caballis, qui ad occurſum eius veniebant, & ait, Væ mihi, quia hi ſunt quos Chramnus direxit ad me comprehendendum! & aſcenſo equite, relicto pſallentio, ſolus vſque ad porticum Baſilicæ ſancti Iuliani, ambobus vrgens calcaneis cornipedem, penè exanimis percurrit.* Paulò pòſt Chramnus *grauiter ægrotauit, ita vt capilli eius à nimia febre deciderunt. Habebat autem tunc ſecum virum magnificum & omnibus perſpicuum, ciuem Aruernum Aſconindum nomine, qui eum vi ab hac malitia quærebat auertere, ſed non poterat. Habebat enim & Leonem Pictauenſem, ad omnia mala perpetranda grauem ſtimulum, qui nominis ſui tanquam Leo erat in omni cupiditate ſauiſſimus. Hic fertur quidam vice dixiſſe, quòd Martinus & Martialis Confeſſores Domini nihil fiſci viribus vtile reliquiſſent. Sed ſtatim percuſſus à virtute Confeſſorum, ſurdus & mutus effectus, amens eſt mortuus. Venit miſer ad Baſilicam ſancti Martini Turonus, celebrauítque vigilias, dedit munera, ſed non eum reſpexit virtus conſueta. Cum ipſa enim quâ venerat infirmitate regreſſus eſt. Chramnus autem ab Aruerno regreſſus Pictauus ciuitatem venit. Vbi cum in magna potentia reſederet, ſeductus per malorum conſilium, ad Childebertum patruum ſuum tranſire cupit, patri inſidias parare diſponens, ille verò dolosè quidem, ſed ſuſcipere illum promittit, quem monere ſpiritaliter debuerat, ne patri exiſteret inimicus. Tunc per occultos nuntios inter ſe coniurati, contra Chlotharium vnanimiter conſpirant. Sed nec memor fuit Childebertus, quòd quotieſcumque aduersùs fratrem ſuum egit, ſemper confuſus abſceſſit. Chramnus verò hoc fœdere inito, Lemouicinum rediit, & illud, quod priùs ambulauerat in Regno patris ſui, in ſua dominatione redegit. Tunc Aruernus populus infra muros tenebatur incluſus & diuerſis infirmitatibus oppreſſus grauiter interibat.* Huc vſque Gregorius Turonenſis in hiſtoria Francorum, libro quarto. Teſtatur etiam idem Auctor libro primo [a] de gloria Martyrum à Chramni miniſtris multa in Aruernia nefariè geſta eſſe, refértque pœnas à Deo illatas iis qui Oratorium domus Iciacenſis vbi ſancti Saturnini reliquiæ habebantur, furtim appetierunt.

[a] Cap. 66.

Eo anno rebellantibus Saxonibus, Chlotharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem deleuit, peruagans totam Thoringiam, ac deuaſtans, pro eo quòd Saxonibus ſolatium præbuiſſent. Chlothario Rege cis Rhenum reuerſo iidem *Saxones per Childebertum commoti atque indignantes contra Francos, exeuntéſque de regione ſua in Franciam venerunt, & vſque ad Diuitiam * ciuitatem præ-*

* Dutz.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

das egerunt, nimiúmque grande scelus perpetrati sunt. Hæc idem Gregorius in historia Francorum [a].

Dum hæc gerebantur ad Rhenum, Leutharis & Butilinus, quem Marius Buccellenum, alij Buccellinum vocant, in Italia misorè perierunt. Partitis copiis, ait Agathias [b], Butilinus quidem cum maiore validioréque exercitus parte Tyrrhenum littus legebat, & totam ferè Campaniam depradabatur; quin & Lucaniam, & Brutios deinde inuasit, & ad fretum vsque quod Siciliam insulam & fines Italiæ dirimit, peruenit. Leutharis verò reliquas copias ducens, Apuliam & Calabriam infestabat, Hydruntem vsque progressus. Francicarum igitur in Italia victoriarum termini fuerunt fretum Siculum ex vna parte, sinus Adriaticus ex altera.

[a] Lib. 4. capp. 10. 16

VIII. BELLVM ITALICVM. IX.

[b] Lib. 2.

Cùm iam præterlapso vere vigeret æstas, Leuthari in animo erat domum reuerti, & opimis spoliis suis frui, nuntiisque ad fratrem suum missis, eum etiam ad celerem in patriam reditum hortabatur, bello & incertis rerum futurarum euentibus valere iussis. Butilinus verò etiam iureiurando se Gothis obstrinxit, prælium aduersus Romanos cum ipsis aditurum. Cumque illi per assentationem spargerent, sese eum Regem ipsorum designaturum, manendum sibi apud illos censuit, & se ad bellum instruxit. Leutharis verò cum suis copiis statim discessit, eo consilio vt postquàm prædam omnem quàm tutissimè auexisset, domúmque venisset, tum exercitum fratri suo suppetias laturum mitteret. Sed ne ipsi quidem consilia sua ex animi sententia successerunt, neque fratri suo valdè auxiliari potuit. Nam ipsi iam iter domum versùs ingresso, nihil quidem aduersi ad Picenum agrum vsque accidit. Cùm autem eò progressus peruenisset, ipse quidem circa Fanum vrbem castra metatus est, emissis etiam statim suo more præcursoribus & speculatoribus ad tria hominum millia. Hos Artabanes & Vldaches Hunnus, qui cum exercitu Romano pariter & Hunnico ad Pisaurum * vrbem collecti erant, insidiis in transitu collocatis profligarunt. Franci statim motis à Fano * vrbe castris rectà Æmiliam & Alpes Cottias versùs euntes Padum traiecerunt. Cùm verò in ditionem Venetam venissent ad Ceneſtam * vrbem per id tempus ipsis subditam stationem habuerunt, ibi deinceps in tuto commoraturi. Paulò pòst pestilens morbus, qui nec Leuthari Duci pepercit, multitudinem absumpsit. Leutharis insaniâ manifestáque rabie, instar eorum qui mente capti furere solent, corripiebatur, multáque vertigine agitabatur, grauésque eiulatus edebat, modò pronus, modò in alterutrum latus in solum procidens, multámque ex ore spumam ciens; oculi etiam ipsi erant torui, horrendúmque in modum inuersi. Eò denique insaniæ venerat miser, vt ne à suis quidem membris degustandis abstineret. Assiduè enim mordicùs brachiis suis inhærens, & carnes dentibus conuellens, eas instar feræ alicuius bestiæ dilaniabat, promanantem saniem lambens. Atque ita sui ipsius satur, paulatímque contabescens, miserrimè periit. Extincti verò sunt vniuersim etiam cæteri, nihil penitùs se remittente malo, donec omnes interierunt. Ac febre quidem plurimi pressi, sanâ tamen mente perierunt. Nonnullos autem grauissima apoplexia afflixit, alios capitis grauedo, alios delirium, variis enim morbis laborabant, sed omnibus in perniciem desinentibus. Leutharis itaque, quíque eum sequebantur, expeditio, huiusmodi calamitosum habuit exitum.

* Pesaro.
* Fano.
* Ceneda.

LEVTHARIS CVM SVIS MORBO PERIT.

X. BVTILINVS COMMISSO PRÆLIO INTERIMITVR.

Butilinus alter Dux oppidis castellísque propemodum omnibus ad Siculum fretum vsque vastatis, statim quàm citissimè Campaniam versus & Romam se recepit. Castra non procul à Capua vrbe fixit ad ripas Casulini fluminis, quod quidem ex Apennino monte fluens, & per circumiacentes campos flexuosè labens in Tyrrhenum mare fertur. Quæ fratri suo Venetiis acciderant, necdum inaudierat. Mirabatur verò quòd ei copias suas, vti inter ipsos conuenerat, non misisset, suspicióque ipsi incidebat non tam diu tardaturas fuisse, nisi eis aliquid sinistri aduersíque accidisset; nihilominùs tamen etiam sine illis victoriam se ab hostibus reportaturum censebat, quippe qui etiam ita copiarum multitudine esset superior. Qui enim ipsi reliquus erat exercitus, ad triginta bellatorum millia accedebat. Romanorum verò exercitus vix dum erat millium octodecim. Commisso prælio, quod ab Agathia copiosè de-

scribitur, *Butilinus cum vniuerso exercitu ad internecionem periit, neque quisquam è Germanis ad suos est reuersus præter quinque viros, quocumque tandem modo illi euaserint.*

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

Hic finis fuit diuturni belli, quod ab anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo Franci sub Theodoberto & Theodobaldo Regibus per annos octodecim in Italiâ gesserunt exitu adeò infelici, vt post tot prælia ne vnam quidem ciuitatem retinuerint, cuius accessione possimus inposterum Annales nostros augere. Marius, cùm Buccellinum hoc anno *in bello Romano cum omni exercitu suo* interiisse fateatur, idem bellum Italicum vsque in annum sequentem & Indictionem quartam malè protrahit, eóque loco Agathiæ res sui temporis scribenti postponendus videtur.

XI. FINIS BELLI ITALICI.

Hoc anno Guntharius Episcopus Turonensis obiit. Nam teste Gregorio [a] *sedit annos duos, menses decem, dies viginti duos, sepultus est in Basilicâ sancti Martini, cessauitque Episcopatus anno vno.*

XII. [a] Lib. 10. c. 31. GVNTHARIVS EP. TVRON. OBIT.

Apud Gregorium Turonensem libro quarto Historiæ Ecclesiasticæ præter capita quintum, sextum & septimum, quæ Codices, Bellouacensis, Corbeiensis, Metensis & Regius non habent, inserta quoque sunt ab Interpolatoribus vndecimum & duodecimum, quorum posterius in prædictis quatuor Codicibus desideratur, prius autem in solis Bellouacensi & Corbeiensi, apud quos extat caput decimum quod abest à Metensi & Regio. Sed vel ex hoc loco constat Codices Bellouacensem & Corbeiensem Metensi Regióque præstare. Nam vulgati Gregorij caput decimum, quod in Codicibus Metensi ac Regio non reperitur, & in Bellouacensi ac Corbeiensi legitur hoc modo, *eo anno rebellantibus Saxonibus Chlothacharius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem delenit, peruagans totam Thoringiam ac deuastans pro eo quod Saxonibus solatium præbuissent*, à Fredegario ipsius Gregorij abbreuiatore sic perstringitur initio capitis quinquagesimi-primi, *eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius commoto exercitu maximam eorum partem deleuit, Thoringiam vastans, quia eis auxiliare præsumpserant.* Cetera prænominata libri quarti Gregoriani capita, quintum, sextum, septimum, vndecimum & duodecimum tota sunt de rebus Aruernicis, vt tricesimum-nonum, quadragesimum, quadragesimum-primum & quadragesimum-secundum, libri primi, quæ non habentur in Codicibus Corbeiensi ac Regio, & decimum-sextum, decimum-septimum, vicesimum-primum, vicesimum-secundum, & vicesimum-tertium libri secundi, quorum nulla mentio fit in Codicibus, Bellouacensi, Corbeiensi, Metensi & Regio, necnon tricesimum-sextum eiusdem libri quod abest à Codicibus Bellouacensi ac Corbeiensi. Quia Gregorius genere Aruernus fuit, Interpolator liberiùs in res Aruernicas expatiatus videtur, caput quintum libri quarti penè integrum descripsit ex vitâ sancti Galli quam Gregorius in literas retulit, cetera vnde sumpserit haud scimus, posteriorem partem eiusdem capitis quinti, nec non caput sextum cum priori parte capitis septimi recitauimus anno superiori, cùm de Cautini assumptione in Episcopum ageremus, restat vt posteriorem partem capitis septimi cum capitibus vndecimo & duodecimo producamus examinemúsque.

XIII. GREGORII INTERPOLAT.

Interpolator, postquàm Cautini promotionem ad Episcopatum enarrauit, sub finem septimi capitis ait obortas posteà graues inimicitias inter ipsum Episcopum & Catonem Presbyterum, qui Cautinum sibi prælatum ægro prorsus animo ferebat. *Grandes posteà inter ipsum*, inquit, *& Catonem Presbyterum inimicitiæ ortæ sunt, quia nullus vnquam potuit flectere Catonem, vt Episcopo suo subditus esset. Nam & diuisio Clericorum facta est, & alij Cautino Episcopo erant subditi, alij Catoni Presbytero, quod eis fuit maximum detrimentum. Cautinus autem Episcopus videns eum nullâ ratione posse flecti, vt sibi esset subditus, tam ei quam amicis eius, vel quicúmque ei consentiebant, omnes res Ecclesiæ abstulit, reliquítque eos inanes ac vacuos. Quicúmque tamen ex ipsis ad eum conuertebantur, iterum quod perdiderant recipiebant.* Deinde capite vndecimo hæc scribit de eo-

XIV.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

dem Catone. *Decedente verò apud vrbem Turonicam Gunthario Episcopo, per emissionem (vt ferunt) Cautini Episcopi, Cato Presbyter ad gubernandam Turonicæ vrbis Ecclesiam petebatur. Vnde factum est, vt coniuncti Clerici cum Leubaste Martyrario & Abbate, cum magno apparatu Aruernum properarent. Cumque Catoni Regis voluntatem patefecissent, suspendit eos à responso paucis diebus. Hi verò regredi cupientes dicunt. Pande nobis voluntatem tuam, vt sciamus quid debeamus sequi, alioquin reuertimur ad propria. Non enim nostrâ te voluntate expetiuimus, sed Regis præceptione. At ille, vt erat vanæ gloriæ cupidus, adunatâ pauperum caterua, clamorem dari præcepit his verbis. Cur nos deseris bone pater filios, quos nunc vsque educasti? Quis nos cibo potuque reficiet, si tu abieris? Rogamus ne nos relinquas, quos alere consuesti. Tunc ille conuersus ad Clerum Turonicum ait. Videtis nunc, fratres charissimi, qualiter hæc multitudo pauperum me diligit, non possum eos relinquere & ire vobiscum. Istud hi responsum accipientes, regressi sunt Turonis. Cato autem amicitias cum Chramno nexuerat, promissionem ab eo accipiens, vt si contigerit in articulo temporis illius Regem mori Chlotharium, statim electo Cautino ab Episcopatu iste præponeretur Ecclesiæ. Sed qui Cathedram beati Martini contemptui habuit, quam voluit non accepit. Implétúmque est in eo quod Dauid cecinit dicens. Noluit benedictionem, & prolongabitur ab eo. Erat enim vanitatis cothurno elatus, nullum sibi putans in sanctitate haberi præstantiorem. Nam quadam vice conductâ pecuniâ mulierem clamare fecit in Ecclesiâ, quasi per energiam, & se sanctum magnum Deóque charum confiteri, Cautinum autem Episcopum omnibus sceleribus criminosum, indignúmque qui Sacerdotium debuisset adipisci.* Et capite duodecimo in Cautinum sic inuehitur. *Denique Cautinus absumpto Episcopatu talem se reddidit, vt ab omnibus execraretur, vino vltra modum deditus. Nam plerumque in tantum infundebatur potu, vt de conuiuio vix à quatuor portaretur. Vnde factum est vt epilepticus fieret in sequenti, quod sæpiùs populis manifestatum fuit. Erat enim & auaritiæ in tantum incumbens, vt cuiuscunque possessionis fines eius termino adhæsissent, interitum sibi putaret si ab eisdem aliquid non minuisset, & à maioribus quidem cum rixâ & scandalo auferebat, à minoribus autem violenter diripiebat. Quibus & à quibus (vt Sollius noster ait) nec dabat precia contemnens, nec accipiebat instrumenta desperans. Erat enim tunc temporis Anastasius Presbyter, ingenuus genere, qui per chartas gloriosæ memoriæ Chrothildis Reginæ, proprietatem aliquam possidebat. Quem plerumque conuentum Episcopus rogabat humiliter ac suppliciter, vt ei chartas supradictæ Reginæ daret, sibique possessionem hanc subderet. Sed ille cùm voluntatem Sacerdotis sui implere differret, eumque Episcopus nunc blanditiis prouocaret, nunc minus terreret, ad vltimum inuitum vrbi exhiberi præcepit, ibique impudenter teneri, & nisi instrumenta daret, iniuriis adfici, & fame necari iussit. Sed ille virili repugnans spiritu, nunquam præbuit instrumenta, dicens, satius sibi esse ad tempus inediâ tabescere, quàm sobolem in posterum miseram derelinqui. Tunc ex iussu Episcopi traditur custodibus, vt nisi has chartulas proderet, fame necaretur. Erat enim ad Basilicam sancti Cassy Martyris crypta antiquissima abditissimáque, vbi erat sepulchrum magnum ex marmore Pario, in quo grandæui cuiusdam hominis corpus positum videbatur. In hoc sepulchro super sepultum viuens Presbyter sepelitur operitúrque lapide, quo priùs sarcophagum fuit obtectum, datus ante ostium custodibus. Sed custodes fidi, quòd lapide premeretur, cùm esset hyems, accenso igne, vino sopiti calido obdormiunt. At Presbyter tanquam nouus Ionas velut de ventre inferi, ita de conclusione tumuli, Domini misericordiam flagitabat. Et quia spatiosum erat (vt diximus) sarcophagum, etsi se integrum vertere non poterat, manus tamen in parte quâ voluisset liberè extendebat. Manabat enim ex ossibus mortuus (vt ipse referre erat solitus) fætor lethalis, qui non solùm externa, verùm etiam interna viscerum quatiebat. Cúmque pallio aditus narium obseraret, quamdium flatum continere poterat, nihil pessimum sentiebat. Vbi autem se quasi suffocari putabat, remoto paululùm ab ore pallio, non modò per os, aut per nares, verum etiam per ipsas (vt ita dicam) aures, odorem pestiferum hauriebat. Quid plura? Quando diuinitati (vt credo) condoluit, manum dexteram ad spondam sarcophagi tendit, reperítque*

vellem, qui decedente opertorio inter ipsum ac labium sepulchri remanserat. Quem paulatim commouens, sensit cooperante Dei adiutorio lapidem amoueri. Verùm vbi ita remotus fuit, vt Presbyter caput foras educeret, maiorem quo totus egrederetur aditum liberiùs patefecit. Interea operientibus nocturnis tenebris diem, nec adhuc vsquequaque diffusis, aliud cryptæ ostium petit. Erat enim seris fortissimis clausique firmissimis obseratum. Verumtamen non erat ita lauigatum, vt inter tabulas aspicere homo non posset. Ad hos aditus Presbyter caput reclinat, aduertítque hominem viam prætereuntem. Hunc, licet voce tenui, vocat. Exaudit ille, nec mora, securem manu tenens, fudes ligneas, quibus seræ continebantur, incidit, aditúmque Presbytero patefecit. At ille de nocte consurgens, ad domum pergit, satis virum obsecrans, ne de eo cuiquam aliquid enarraret. Domum igitur suam ingressus, inquisitis chartis, quas ei memorata Regina tradiderat, ad Chlotharium Regem defert, indicans qualiter ab Episcopo suo viuens sepulturæ fuerat mancipatus. Stupescentibus autem omnibus & dicentibus, nunquam vel Neronem vel Herodem tale facinus perpetrasse, vt homo viuens sepulchro reconderetur, aduenit ad Chlotharium Regem Cautinus Episcopus. Sed accusante Presbytero, victus confusúsque discessit. Presbyter autem acceptis à Rege præceptionibus, res suas vt libuit defensauit, possedítque, ac suis posteris dereliquit. In Cautino autem nihil sancti, nihil pensi fuit. De omnibus enim scripturis tam Ecclesiasticis quàm secularibus, adplenè immunis fuit. Iudeu valdè charus ac subditus erat, non pro salute, vt pastoris cura debet esse sollicita, sed pro comparandis speciebus, quas cùm hic blandiretur, & illi se adulatores manifestissimè declararent, maiori quàm constabant precio vanum dabat. Eandem Cautini crudelitatem recensét Aimoinus libro secundo, capite tricesimo-sexto. AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

XV. Cautinum & Catonem adeò scelestos ac eos nobis Interpolator exhibet, haud putamus extitisse. Cautinus à Gregorio Turonensi laudatur in libro de gloria Confessorum capite tricesimo-sexto, & in Historiâ Ecclesiasticâ libro quarto, capite decimo-tertio. Exauctoratus proculdubio fuisset à comprouincialibus Episcopis, si facinus tam scelestum támque horrendum perpetrasset. Catonem non inficiamur superbum fuisse atque inuidisse Cautino Episcopo, nam Gregorius Turonensis ab eo crimen superbiæ non remouet libro quarto, capite tricesimo-primo, vbi de lue quâ plurimi Aruernorum interierunt, sic scribit. *Tunc & Cato Presbyter mortuus est. Nam cùm de hac clade multi fugissent, ille tamen populum sepeliens, & Missas viriliter dicens, numquam ab eo loco discessit. Hic autem Presbyter multæ humanitatis, & satis dilector pauperum fuit, & credo hæc causa ei, si quid superbiæ habuit, medicamentum fuit.* Cetera quæ de Catone circumferuntur haud probamus, hauriuntur enim ex vulgatis eiusdem libri capitibus vndecimo & decimoquinto quorum nullum est vestigium in Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi. Post Guntharii Turonensis Episcopi mortem, quam hoc anno contigisse diximus, sedes Turonensis vacauit anno vno, non quòd illius vrbis Episcopatum sibi delatum suscipere noluerit Cato, sed quòd istis temporibus Rex Chlotarius bello Saxonico impeditus vltra Rhenum procul abfuerit.

XVI. Interim Childebertus Compendium, quod ad Clotarium fratrem pertinebat, in suam potestatem redegit. Id colligimus ex vita Marculfi Abbatis, qui cùm dissolutionis suæ tempus Spiritu Sancto reuelante non longè abesse prænosceret, Compendium *, vbi tunc Childebertus Rex morabatur, profectus est, *quatinus prædiorum donationes, quas Cœnobiis, quæ ipse construxerat, multi fideles viri suarum pro salute animarum fecerant, absque vllâ posterorum calumniâ inconuulsè permanere perpetualiter regali astipularentur auctoritate. Rex testamentum de his omnibus, pro quibus vir Dei petiuerat, prædiorum donationibus fieri iussit, atque illud in præsentiâ Vltrogodis Reginæ & cæterorum Optimatum suorum, vniuersis attestantibus, suæ auctoritatis anulo signauit. Præterea Rex & Regina sancto viro plura contulerunt donaria, orantes vt pro eorum salute diuinam interpellare dignaretur clementiam. His itaque peractis, beatus vir ad propria reuersus est.* MARCVLPHVS ABB. ADIT CHILDEBERTVM. * Compiegnei

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

Hæc vetus Auctor in vita sancti Marculfi. Childebertus Compendio Parisios rediit, collectóque ingenti exercitu bellum Remensibus intulit, vt anno sequenti dicemus.

XVII. FERREOLVS EPISC. VCECIENS. EXVLAT.

Inter varia antiquitatis monumenta, quæ Marcus Antonius *Dominicy* in contextu operis sui de familia Ansberti rediuiua laudauit ac publici iuris ad maiorem fidem fecit, reperitur vita Ferreoli Episcopi Vceciensis, in qua duo leguntur quæ prætermitti hoc loco non debent. *Ferreolus Ecclesiam quam Vcecia in honorem Apostoli Pauli construxit, tertio anno fauente Domino perfecit*, & Parisios in exilium deportatus ibi regnante Childeberto *tres annos* exegit. Obiit Childebertus anno Christi quingentesimo duodesexagesimo, atque inde coniicimus Ferreolum hoc anno vocatum Lutetiam cùm secundum ageret Pontificatùs annum, & Ecclesiam in honorem sancti Pauli ædificaret. Causam exilij hanc describit Auctor vitæ. *Indeorum ita cura illi erat, vt comedens & bibens cum eis, monitis dulcibus amaritudinem in eorum mixtam moribus obdulcaret, & ad fidem Christi plurimos conuertens baptismi gratiam consequerentur. Vnde & accusatus apud Vldebertum Regem Francorum, eò quòd cum Iudeis & Saracenis comederet & biberet, & munera eis donaret. Tunc timens prefatus Rex ne aliquam fraudem circa ipsum moliretur, Parisius eum ciuitatem in Francia in exilium mitti præcepit, ibique per tres annos in exilio fuit.*

XVIII. GERMANVS FIT EPISC. PARISIENS.

Mortuo Eusebio Parisiensem Pontificatum iniit Germanus. Vixit vsque ad annum Christi quingentesimum septuagesimum sextum, quot annis Episcopatum rexerit nemo veterum scripsit, ante hunc annum sedere non potuit, nec multò seriùs differri potest initium Præsulatus, Episcopus enim erat anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo cùm celebratum fuit Concilium Parisiense. Lege quæ post exauctorationem Saffaraci de successione Parisiensium Antistitum ante quadriennium diximus. Germanus antequàm in Episcopum assumeretur, Abbas erat sancti Symphoriani apud Augustodunum *. Quibus illic eleemosynis profusus extiterit, accipe ex eius vita quam Fortunatus literis commendauit. *Cùm iam rebus reliquis pauperibus erogatis, nec panis ipse resideret, quatenùs fratres reficeret, insurgentibus aduersùm se illis, retrudens se in cellulam amarè fleuit & doluit. Inter hæc autem, ipso orante, quædam Anna nobilis matrona duorum cum pane saumariorum dirigit onera. Sequenti etiam die cum annona destinauit plena nihilominùs carpenti vehicula, ita videlicet, vt exinde Monachi cùm saturarentur cibo terrerentur miraculo. Cuius bonis operibus inflammatus Episcopus sanctum virum, neque adhuc ista recusantem, quem etiam prædicabant dæmonia, in custodiam trusit. Cui nutu diuino aperiebatur ergastulum, sed non hinc egrediebatur, nisi supplici Episcopalis daretur benedictio.* Fortunatus loquitur hoc loco de Monasterio sancti Symphoriani apud Æduos & de Augustodunensi Episcopo, nam textum suprà recitatum hæc immediatè præcedunt. *Dominus Germanus intra terni lustri spatium à beato Agrippino Diaconus instituitur, & sequenti triennio Presbyter ordinatur. Deinde à venerabili Pontifice Nectario Abbas ad sanctum Symphorianum meritò dignus adsciscitur. Sed quantâ inibi abstinentiâ vixerit, quantisque vigiliis continuando duraverit quis enarrabit? Cæterùm quibus illic eleemosynis profusus extiterit, illa res vna testis est. Cùm iam rebus reliquis pauperibus erogatis*, &c. Errant igitur qui Germanum ab Episcopo Parisienti sub custodia detentum affirmant. Hos fefellit Auctor Antiquitatum Parisiensium, qui nullâ fretus auctoritate scripsit Germanum, priusquàm Episcopus fieret, Augustoduno Lutetiam vocatum fuisse, ibique vixisse cum nonnullis Monachis in Oratorio sancti Ioannis Baptistæ, quod à Rege Childeberto acceperit, vbi hodie S. Germani veteris parœcia est. Id autem à vero procul distat, tantùm enim abest vt Fortunatus Germanum, antequàm Episcopus ordinaretur, Parisiis mansisse tradat, quin potiùs eum innuit fortè Childeberto Regi occurrisse cùm Sedes Parisientis vacaret, & in eius electione tunc completum fuisse vocis cælestis oraculum, quæ Parisienses insulas ante quatuor fermè annos illi præsagiuerat. Æduensium Antistitum

* *Autun.*

tistitum catalogi valdè diuersi inueniuntur. S. Nectario, qui anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo Synodum Aurelianensem quintam suâ subscriptione roborauit, subrogatum credimus Eupardum, hùncque crudelitatis in Germanum Abbatem commissæ reum constituimus. De sanctissimo Abbate multò melius sentiebat beatus Agricola Cabilonensis Episcopus, nam teste Fortunato, *habens cubicularium grauiter vi febrium fessum, qui destinato iam animo totus pendebat in transitu, dirigit ad sanctum virum intercedendi suffragio. Qui delegatis sibi perceptis apicibus, ad sancti Symphoriani sepulchrum progreditur. Præterea vir iustus orationi incubuit, terram corpore premens, & sydera mente transcendens, & quasi ante se habens præsentiam Domini, pro voto supplicis obsecrator accedit. Nam mox vicini redemptoris auribus exauditur, & adhuc isto recubante in puluere, ægrotum cælestis medicina perfundit, ac iusto iacente in pauimento languidus surgit de lectulo, antè currente medelâ quam peroret qui supplicat, ita vt portitori redeunti obuiam puer occurreret cui parabantur exequia, & non esset ambiguum eâdem horâ languidum saluti fuisse redditum, quâ vir beatissimus humo fusus orasse comperitur.* Supersedemus aliis miraculis quæ de Germano adhuc Abbate à Fortunato narrantur.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

Germanus factus Episcopus Parisiensis Monasticam vitam excolere non destitit, neque enim tantùm euocauit Augustoduno Monachos qui Cœnobium S. Vincentij de Pratis prope Parisios à Childeberto Rege constructum habitarent, sed & ædem minorem illi Monasterio contiguam vbi sepeliretur in honorem sancti Symphoriani erexit, sæpéque profectus est Augustodunum vt in Cœnobio sancti Symphoriani secretiùs ac liberiùs orationi vacaret. *Erat sanè mirabile*, inquit Fortunatus, *quia quoties famulus Dei Augustodunum voluisset accedere, mox ad sanctum Symphorianum hoc dæmones nunciabant, & occurrentes per Moruinnum cum fletu gemitúque clamabant. Vir sancte, si de locis cultis nos inconsideranter repellis, vel habitare concede per syluarum solitudinem, vt liceat, miseros saltem per deserta securos errare. Ante tuos enim oculos nec corpora nos celant, nec nemora. Qui destentes & Sancti non tolerantes præsentiam, admotâ eius dexterâ, de obsessis corporibus passim vertebantur in fugam, & de salute populi protecta lamentabantur dæmonia.* Narrat idem Auctor varia miracula, quibus beatum Pontificem Deus illustrauit, siue Parisiis Augustodunum, siue Augustoduno Parisios contenderet. Solum eius congressum cum Nicasio Auallensis oppidi Comite recitabimus. *Cùm regrederetur aliquando de sancto Symphoriano, castello Auallone* * *iter agens ingreditur, vbi reorum multitudo tenebatur in ergastulo. Hinc humiliter à Nicasio eiusdem loci Comite inuitatus ad prandium, statim vir Dei cæpit cum eo de misericordia habere colloquium, vt videlicet datis fideiussoribus, qui tenebantur, laxarentur de vinculo, atque partim culpæ cederet pietatis intuitu. Quod ille facere distulit obstinato admodùm spiritu. Vnde, antequàm perpranderent, se de mensa Sanctus proripuit, & carceri, vt erat, subterraneo iniectus, diutiùs orauit cum fletu, vt diuino conferretur auxilio, quod à temporali iudice non fuisset obtentum. Sic cursus ille lachrymarum surgit in cælum, & gemitus peruenit ad votum. Itaque Angelus deputatur ad effectum. Dehinc vir venerabilis spem promittens, inclusos hortatur, nec eius perdit sermo, quod loquitur, & fides gestis impletur. Eo namque discedente, mox catenarum bacæ franguntur, vinctis ianuæ reserantur, dies obscurum in carcerem redicitur, damnati è tenebris in lucem procedunt, nec diutiùs pœna tenuit quos torqueret. Sic erepti, Parisius sancto occurrerunt Pontifici, qui nuper Auallone castro tenebantur inclusi. Qui etiam, vt culpabilibus aliquid plus pietatis conferret, à Rege, quicquid fisco pro his debebatur, obtinuit. Dehinc ad sanctum virum huius facti causâ idem Nicasius cùm vellet occurrere, iam præsentatus, grauissimo subitò casu in terram prostratus corruit, omnibus penè salutis destitutus solatiis. Sed ipso Sancto intercedente, homini desperato mox virtus & sensus regreditur. Tunc balteum quo cingebatur, ac spatham pro munere beato Dei viro contradidit, quod tamen, dato pretio, post redemit. Actumque est, vt quod priùs incarceratis conce-*

* Aualon.

XIX. CLARET MIRACVLIS.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

dere distulit, hinc duplicato fœnore debitor compensaret, & auctâ dote damna sarciret, priùs videlicet pro eis differens, & pòst seipsum redimens; ante non illis pius, modò de se trepidus. Qui verè de se didicit casu proprio ærumnis succurrere alienis. Hunc Nicasium Petrus Rouerius [a] non vult alium esse à Nicatio Auallensis oppidi Comite, cuius ita meminit Auctor æquè vetustus in vita sancti Ioannis Abbatis Reomaensis. *Silentio non est tegendum de clarissimo Nicasio ferocis ingenij, cui etiam Aualensis oppidi regendæ reipublicæ fuerat cura commissa; cuius etiam seruus nomine Adam, cùm à dæmone obsessus dolendo cruciaretur exitu, ad Monasterium sancti Ioannis obtutibus præsentatus, deprecantibus cunctis, vt solitam erga insanum purgationis curam impenderet, fremere miser ac fremere dentibus cœpit, ac rabidiores insonare sermones. Flammarum quoque inuisibilium vndique incumbentibus globis exuritur, & huc illúcque rotari miserum cerneres, & cum ingenti vociferatione clamare, se diutiùs non posse tolerare si Ioannes propiùs accessisset. Interea dæmoniacum ad se secretiùs iubet exhiberi, & celeri purgatione curatum secum paucis pòst diebus iussit habitare. Quo facto & obsessus recipit sospitatem, & seruus domino reformatur.* At ratio temporis suadet duos eiusdem nominis extitisse Comites Auallensis oppidi, quorum alter in seruo suo à Ioanne Monasterij Reomaensis Abbate, alter in seipso eruditus fuit à Germano Ecclesiæ Parisiensis Episcopo. Quæ describuntur ab Anonymo in vita S. Ioannis, gesta sunt ante annum Christi quadringentesimum octogesimum sextum, quo nomen Romanorum in Gallia penitùs extinctum fuit, quæ verò referuntur à Fortunato in vita S. Germani non contigerunt ante annum Christi quingentesimum quinquagesimum-quintum, quo Germanus Episcopatum Parisiensem suscepit, quis autem vnum eundémque Nicasium credat annis ampliùs sexaginta nouem munere Comitis in Auallensi castro functum fuisse? Nicasium Comitem, cuius mentio fit in vita sancti Ioannis, sub Romanorum potestate tunc vixisse docet Anonymus hàc phrasi, *Aualensis oppidi regendæ reipublicæ fuerat cura commissa*, non enim vtitur *reipublicæ* vocabulo, nisi cùm loquitur de Romanis, quorum reliquias à Syagrio collectas Clodoueus Francorum Rex anno regni sui quinto profligauit. *Franci*, inquit, *cum Clodoneo Rege, postpositâ Republicâ, militari manu terminos Romanorum irrumpentes Galliam inuasere.*

[a] Not. 26.

XX. INVENTIO SS. FVSCIANI, VICTORICI ET GENTIANI.

Ambianensis Ecclesia quot annis quinto Kalendas Iulij recolit Inuentionem illustrium Martyrum, Victorici, Fusciani & Gentiani, quorum egregia certamina sub Imperatore Maximiano & Rictiouaro Præside narrantur in tabulis Ecclesiasticis tertio Idus Decembris. Illius Inuentionis historiam, cuius fragmentum Bollandus [b] in prolegomenis ad vitam sancti Saluij iam publicauit, integram ex Codice manuscripto viri clarissimi Francisci Ducheſnij mox daturi sumus. At priùs aduerte illam à nobis hoc anno collocari, quia vetus Auctor, quem describemus, non tantùm connotat tempus, quo Pontifex Honoratus in Ambianensi Cathedra sedebat, & Parisij atque Ambianum nobilissimæ ciuitates Regi Childeberto parebant, sed & diem indicat Dominicum, quo frequens hominum factus est ad Ecclesiam concursus, & Honoratus Episcopus præsente populo solemnia Missarum celebrauit, per illos autem annos, quos Honoratus in Episcopatu regnante Childeberto transegit, dies quintus ante Kalendas Iulij cum Dominico semel duntaxat coincidit, hoc videlicet anno qui præditus fuit literâ Dominicali C. Hæc ad Chronologiam. Rem verò vt gesta est, ita prodit Codex prælaudatus. *Lupicinus Ambianensis Ecclesiæ Presbyter virtute laudabilis, cùm sedulè nocturnis temporibus vigiliis excubaret, iámque se sopori dedisset, Angelus Domini per visum ei apparuit dicens. Lupicine Presbyter, surge & vade ad locum quem tibi monstrauero, & inuenies cryptam obtectam nemoribus, in qua Gentianus Martyr subiit sepulturam, & in eadem crypta inuenies corpora sanctorum Fusciani & Victorici Martyrum. Cumque venerabilis Presbyter euigilasset à somno, timore perterritus raptim apprehensô sarculo perrexit ad locum, qui ei fuerat ab Angelo prædictus, cúmque fodere cœpisset sarculo, & condensam terræ molem manu excideret, illicò cryptam & sanctorum*

[b] Die 11. Ian

Martyrum corpora quæ quærebat inuenit. Alacri exultatione cordis repletus cœpit flere præ gaudio, & prece supplici aiebat, dicens. Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui per me famulum tuum indignum scilicet Sacerdotem pretiosa SS. tuorum Fusciani, Victorici & Gentiani Martyrum, quæ olim in incerto latuerunt sepulchro, dignatus es declarare. Oratione verò completâ Antiphonam in laudibus SS. Martyrum tripudians cœpit canere. Sanctus igitur Honoratus tunc temporis Ambianensium vrbis Antistes cùm ex more sacro sanctæ Ecclesiæ Deo hostias immolaret, & Hymnis ac Canticis celebri deuotione in Dei laudibus personaret, à quinto miliario vrbis venerabilem Lupicinum Presbyterum Antiphonam canentem audiuit, qui mox pastorali indagatione sollicitus cœpit inquirere, quam in partem Lupicinus Presbyter abisset. Adhuc eo inquirente idem venerabilis Lupicinus Presbyter aduenit, ad quem beatus Honoratus Pontifex ait. Frater Lupicine quidnam causæ extitit quòd te ardui modulaminis sono resultantem audiui? Tunc venerabilis Presbyter vt in locum abditum parumper tucederent poposcit, & quæ gesta fuerant enarraret. Cúmque paululum diuertissent, Dei famulus Lupicinus Presbyter obortis lacrymis qualiter corpora Sanctorum Martyrum misericordiâ reuelante diuinâ ei fuissent ostensa rei ordinem exponendo prædixit. Audito itaque miraculo venerabilis Honoratus Præsul, pronus in terram cadens Dominum adorauit, conuersúsque ad populum dixit. Vnà mecum omnes agite Deo gratias, quia in Diœcesi nostra corpora Sanctorum, Fusciani, Victorici & Gentiani, Martyrum, videntur esse reperta. Per vniuersam denique ciuitatem in corda fidelium ingens exorta fuerat fama, vt vndique Christianus populus personaret. Immensas tibi agimus gratias, Iesu Christe, qui prædia Ambianensium de tantorum Martyrum sanguine dignatus es illustrare. Tunc sacratissimus Dei custos Honoratus Antistes citò populo adunato, atque choro psallentium exhortato, iter carpentes ad locum in quo Sanctorum corpora quiescebant, sagaci itinere peruenerunt. De quibus sanctis corporibus tanta boni odoris fragrantia redolebat, vt illic astantes putarent se diuersis aromatibus esse repletos. Si credere dignum est, volatu pennigero fama labefacta percurrens ad vrbem Parisius auribus Childeberti Regis, qui illo in tempore Francorum gentem principali regimine gubernabat, intonuit. Quo Princeps audito genua ad terram flectens, & manus ad cælum sustollens orabat, atque pro immensis gaudiis Deum benedicens fletum rigabat ab oculis, cumque eleuasset à precibus, Dei Sacerdotibus qui tunc in aulâ Principis assistebant præcipiens ait. Veloci pergite cursu, & corpora Sanctorum, Fusciani, Victorici & Gentiani, Martyrum, quæ sunt iuxta prædia vrbis Ambianensium reperta, ad hæc mœnia deportate, vt ea cum honore eximio, quod impendi Martyribus dignum est, possim tradere sepulturæ. Qui mox iussionem Principis adimplentes perrexerunt ad locum, quo corpora sanctorum Martyrum quiescebant, cumque pretiosa corpora submouentes vnà cum choro psallentium connectare cœpissent, tanta onerositas desuper sanctis corporibus est illata, vt eos amplius nullatenus mouere valerent, confestimque ad Childebertum mitissimum Principem repentinus increpuit nuncius, quòd corpora Sanctorum Martyrum, quæ ad se portari præceperat, à loco electionis eorum submoueri non poterant. Tunc Childebertus Rex piissimus Princeps præfatorum carpenta in eodem loco cum digno præcepit sepeliri honore, atque desuper aulam templi fideli iussit deuotione construere, per quos sanctos Fuscianum & Victoricum atque Gentianum Martyres Christus Dominus plura inibi dignatus est monstrare miracula, vt cæcis lumen tribuerent, surdis auditum redderent, mutis linguam laxarent, paralyticis medelam præberent, membra debilium solidarent, atque ab obsessis corporibus dæmones effugarent. Reperta sunt hæc corpora in vico Samâ, qui sancti Fusciani * nomen hodie gerit, vt Malbrancus [a] obseruat. Rex Childebertus Ambianensem Ecclesiam multis beneficiis affecit, &, vt Adrianus Morlierus Canonicus Ambianensis in suis Ambianis testatur, Clericis, qui hodie Canonici vulgò dicuntur, dedit vicum Megium *, qui quinque leucis Oceanum versùs Ambiano distat. Bollandus hæc frustrà conatur ad Childebertum Secundum detorquere, nam Childebertus Secundus, qui Austrasiam post obitum patris Sigiberti, deinde Burgundiam post Guntchramni patrui mortem obtinuit, numquam Parisiis aut

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

* *S. Fusien.*

[a] Lib. 2. c. 51.

* *Meige.*

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

Ambiani vel in Neustriâ regnauit. Eiusmodi mendum in varios libros atquè in ipsum irrepsit Breuiarium Ambianensis Ecclesiæ decimo-septimo Kalendas Iunij, quo die memoria sancti Honorati recolitur, ibi enim ea, quæ sub Pelagio primo Papâ & Childeberto Francorum Rege illius nominis æquè primo contigerunt, ad alterius Pelagij Papæ alteriúsque Childeberti Regis Mauritio Augusto synchronorum tempora referuntur. Vigilius Romanus Pontifex, qui post sancti Siluerij mortem, vt alibi contra Baronium probauimus, sexto Kalendas Iulias anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo legitimè sedere cœpit, Præsulatum annis septemdecim, mensibus sex, diebus sex ac viginti, teste Anastasio, tenuit, atque ad mensem Ianuarium huius anni peruenit. Aprili mense subrogatus est Pelagius Primus, isque quinto Kalendas Iulij præerat Ecclesiæ Catholicæ, cùm sancti Fusciani sociorúmque Martyrum corpora per Angelum Lupicino Presbytero reuelata sunt. Sedit Pelagius annos duntaxat quatuor cum mensibus decem ac diebus octodecim, sepultúsque est quarto Nonas Martias, vt ex Anastasij commentario, qui scriptus habetur in Bibliotheca Vaticana, docet appositè Cæsar [a] Baronius, nam vulgatus Anastasius eidem Papæ tribuit *annos vndecim, menses decem, dies octodecim*, egétque proculdubiò prædictâ correctione, alioquin Gregoriani Pontificatus initium, quod anno Christi quingentesimo nonagesimo firmâ coætaneorum scriptorum authoritate statuitur, aliquot annis seriùs ac perperam reiicietur. Vixit igitur Pelagius vsque ad annum Christi sexagesimum supra quingentesimum; Childeberto primo, Francorum Regi, superstes fuit annum vnum, menses duos, diésque duodecim; obiitque cùm Clotarius Childeberti frater Monarchiam Francorum solus obtinebat. Inter vtrumque Pelagium medij occurrunt duo Pontifices, Ioannes tertius & Benedictus primus, de quibus Anastasius ita scribit. *Ioannes sedit annos duodecim, menses vndecim, dies viginti sex: mortuus est, & sepultus in Basilica B. Petri tertio Idus Iulias. Benedictus sedit annos quatuor, mensem vnum, dies viginti octo: sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli in secretario, pridie Kal. Aug.* Ioannes Pelagio successit anno Christi quingentesimo sexagesimo, vitámque clausit tertio Idus Iulias anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio. Post eius mortem sedes vacauit menses decem & ampliùs, teste eodem Anastasio. Regimen igitur Ecclesiæ suscepit Benedictus anno Christi quingentesimo septuagesimo-quarto, decessitque pridie Kalendas Augustas anno Christi quingentesimo septuagesimo-nono. Pelagius secundus quarto pòst mense creatus est regnantibus apud Francos Childeberto secundo eiúsque patruis Guntchramno & Chilperico, *sedit annos decem, menses duos, dies decem: mortuus est & sepultus ad B. Petrum Apostolum, sexto Idus Februar.* anno videlicet Christi nonagesimo supra quingentesimum, regnantibus apud Francos, in Austria eodem Childeberto secundo, in Burgundia eodem Guntchramno, & in Neustria Clotario secundo prædicti Chilperici filio. Nihil autem commercij cum rebus Parisiensibus, Ambianensibus & Neustrasianis, potuit esse Childeberto secundo solis Austrasiis imperanti, atque inde colligere est quàm turpiter hallucinentur qui corpora beatissimorum Martyrum, Fusciani, Victorici & Gentiani, sub Pelagio secundo Papâ & Childeberto secundo, Francorum Rege, à Lupicino Presbytero reperta contendunt. A tempore quo passi sunt hi Martyres, ad illud vsque, quo leuati sunt è terrâ, Scriptores quipiam trecentos annos solidè enumerant, sed ab eorum calculo recedendum esse Malbrancus iam citatus rectè monet, quia prænominatorum Martyrum vel Passionem citiùs sub Aureliano Augusto collocant, vel Inuentionem seriùs in septimum seculum differunt. Annum Inuentionis suprà deprehendimus. Sanctorum Fusciani & Victorici aduentum in Galliam, eorumdémque ac Gentiani Martyrium tertio Idus Decembris sub Diocletiano & Maximiano Augustis in Gallia contigisse docet etiam manuscriptus Franciſci Ducheſnij Codex. In eo enim, postquam nonnulla de Christi Passione sub Tiberio, déque

[a] An. 559. n. 1.

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

cædibus Christianorum sub Nerone, sub Domitiano, sub Traiano, sub Adriano, sub Decio, sub Valeriano, præmissa sunt, hæc de Diocletianæa persecutione subiiciuntur. *Ad rabiem persecutionis explendam, successit Diocletianus, qui Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, vt contra bella tunc instantia Reipublicæ pugnando ferret obsequium, præcauens etiam ne Deorum cultura se principante deficeret, præfecturam Galliæ Rictionaro tradidit, eique in Christianos grauiter sæuire præcepit. Qui eius monitis parere deliberans facibus furorum accensus, cultores Christi variis affecit suppliciis, & cæteruatim piaculis indidit mortis. Eo tempore sancti viri Fuscianus & Victoricus, aliis simili sanctitate præditis*, quorum nomina, cùm res postulabit, inferiùs danda hoc loco prætermittimus, *aggregati, ab vrbe Româ progredientes veloci cursu feruentique animo pro victoriâ Christi dimicare parati, vt bellatores egregij, armis fidei roborati, ad vrbem Parisius intra fines Galliæ sitam Christo Duce peruenerunt, ibique diuinâ illustrante gratiâ nominatim elegerunt, in quibus diuisi prædicarent locis. Dei nimirum dispositio sanctos Athletas suos per loca sibi placita ad prædicandum destinare voluit, quæ vnius linguæ tenorem in varias vocum diuersitates distribuit, solâ verò regione non mente diuisi Christi adorsi sunt prædicare magnalia, quia quos fidei ardore caritas connectit adstrictos, diuersitas locorum dispar non facit esse diuisos. Igitur cultores Dei Fuscianus & Victoricus Tarnanensem vrbem gressu celerrimo petierunt. Sanctus verò Quintinus diuino fultus oraculo Ambianensium vrbi laudabilis extitit prædicator.* Et aliis interiectis conuersio ac martyrium Gentiani sic describuntur. *Quidam senex nomine Gentianus grandæuâ ætate procurrens Ambianensium vrbi contiguus, gentili adhuc errore pollutus, cùm per beatos viros Fuscianum & Victoricum immensa miracula fieri cognouisset, quâdam die eis versùs vrbem Parisius carpentibus iter obuius extitit, percunctaturque dicens eis. Domini, ex quâ ciuitate aut ex quâ nati estis progenie? Nam huius vos patriæ incolas esse pro vocis atque habitus varietate non æstimo. Dicite, quæso, qui estis? vnde venistis? quò vaditis aut quid quæritis? Tunc famuli Dei respondentes dixerunt. Romæ nati sumus atque educati, ibique veritatis titulis imbuti, & Catholicæ fidei regulis & Christianæ felicitatis dogmatibus eruditi, à qua progredientes, vestros penetrauimus fines, quò vobis & vitæ vias & perpetuæ salutis semitas demonstraremus. Nam diabolicâ seducti fallaciâ insensibilia figmenta diligitis, eisque, quod vobis non cedet in prosperum, diuinum honorem impenditis; negligitis verò Deum, qui cuncta creauit vt voluit, & vos ad vitæ perpetuæ gaudia non ad æterna formauit supplicia. Conspice frater cælum, & eius, in Sole & Lunâ & diuersitatibus syderum, varium interstinctum, & vide terram rerum variarum copiis ad naturæ nostræ necessitatem refertam, & prospice animo vtrùm hæc simulachrorum figmenta tam caduca quàm insensibilia, an diuina valuit componere gratia, & ex rerum pulchritudine & incomprehensibili moderamine creatorem intellige perpendens artificem, qualis sit in seipso qui talia in propatulo moderatur, qui cælum subtilitate suspendit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit, & in his omnia quæcumque voluit verbo fecit, & spiritu suo ea firmauit; cuius virtutem & sapientiam Christum videlicet eius filium, per quem cuncta creauit, decreuimus nunciare vobis, caritate permoti, quâ cupimus vos salvos esse & in æternum non perire. Quærimus verò etiam venerabilem comitem nostrum nobilissimum Quintinum eiusdem rei gratiâ nobiscum à paterna vrbe digressum. Quæ audiens senex obstupuit, & suspirans imóque trahens à pectore vocem, ait. Ante trium dierum spatium diuinâ ammonitione permotus sum, & in corde astitit mihi, vt Deum quem creditis credam, & ad eius virtutis potentiam ex tota me animi deuotione conuertam. Sed is Dei famulus quem quæritis Quintinus, dum vrbis nostræ pabulo veritatis diuulgaret oracula, à Præfecto tentus est, & pœnis diuersis ac suppliciis maceratus ab vrbe reductus est, & in quodam municipio, quod Augusta Veromanderum, sententiam decollationis accepit abhinc transacto spatio dierum quadraginta duorum. De vobis etiam iam eius edictio indita est militibus, vt vbicumque vos inuenerint, arctâ mancipatione comprehendant vt Deorum contrarios ac Reipublicæ inimicos. Sed quæso, Domini Patres, declinate in tugurium serui vestri, vt refociamini buccellâ panis, & paululùm quiescatis. His fortè diebus Rictionarus*

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

Præfectus Ambianis aduenit, & famâ diuulgante cognouit quanta per famulos suos Fuscianum & Victoricum Christus Dominus virtutum signa monstraret. Tunc motus animo & concitus irâ, ad inquirendum eos festinatò progreditur. Cùm autem venerabilis senex Sanctos Dei in hospitium duxisset, & famulando eis secundùm posse præberet obsequium, repentè Rictiouarus persecutor aduenit, statimque Dei famulos Fuscianum & Victoricum comprehendi præcepit. Tunc Gentianus zelo caritatis ac dolore nimio motus, euaginato gladio, exiliuit nisus Rictiouarum persecutorem impium verberare, non quidem id cupiens, sed vt nanciscereturoccasionem quâ pro Christi nomine citiùs posset occumbere. Ad quem Rictiouarus ait. Vnde tibi, Gentiane, tam dira cupido, aut quæ te tanta temeritas impulit vt me gladio transuerberare conareris? Ad quem Gentianus, dignè, inquit, pro meritis, quia te video Christi iniustè persequi famulos, per quem facta sunt omnia, & cuius nutu reguntur vniuersa, pro cuius ego nomine animam meam ponere cupio, & pro eius famulis corpus meum tradere non dubito, quia me illius esse salubriter recognosco. Quâ felici confessione Præses commotus, coram Sanctis Dei Fusciano & Victorico B. Gentiano caput auferri præcepit. Hoc Gentiani martyrium fuit. Pluribus tormentis vexati sunt postèà Fuscianus & Victoricus, donec obtruncatis capitibus animas suas Deo feliciter etiam reddiderunt. Ista fusè ibidem describuntur, totáque narratio clauditur his verbis. *Compleuerunt autem beati Martyres Christi Fuscianus & Victoricus ac Gentianus & præsentis temporis cursum & felicis certaminis agonem die tertio Idus Decembris agente Rictiouaro Præfecto, & imperantibus Diocletiano & Maximiano, gubernante verò Domino Iesu Christo ac disponente omnia ad votum maiestatis suæ, cui cum Patre & Spiritu sancto extat laus & gloria per sæcula sæculorum. Amen.* Ex his liquet à Passione Martyrum, de quibus sermo nobis est, vsque ad illorum Inuentionem intercessisse tantùm annos circiter ducentos ac sexaginta, nec opus est prolixiori narratione vt edisces quinam illi fuerint, quânam ætate floruerint, & quanto tempore iacuerint in tenebris priusquàm ab Honorato Episcopo è terra leuarentur.

XXI. PAVLVS ITERVM EP. LEONENS. MONAST. S. MATTHÆI IN AGRO LEONENSI.

Hoc anno Tiernomagilus Oxismorum Episcopus, *per annum & diem*, vt Boscius in vita sancti Pauli testatur, *functus iniuncto sibi officio, quieuit in Domino. Quo defuncto vir venerabilis* Paulus *suo rursùs inseruiuit officio.* Paulo Leonensem Episcopatum iterùm administrante mercatores quidam Leonenses, cùm ex Ægypto redirent, caput sancti Matthæi Apostoli secum detulerunt, cúmque appulissent ad promontorium, quod hodie sancti Matthæi dicitur in agro Leonensi, Tanguidus Gerberensis Abbas ibi Monasterium sancti Matthæi finis terræ, vt vocant, condidit, cui cum Abbatis titulo præfuit teste Alberto in eius vita decimo-quarto Kalendas Decembres.

XXII. [a] Die 28. Iul. FABVLA DE IVRE METROPOLIT. SEDIS DOLENSIS.

Idem Albertus in vita [a] sancti Samsonis scribit Pallium hoc anno à Pelagio Papa missum Samsoni Episcopo Dolensi, iúsque Metropolitæ concessum fuisse per vniuersas ditiones Iuduali, cuius regno Dolensem Episcopatum ascribit cum sex aliis, Aletensi, Biducensi, Lexobiensi, Leonensi, Coriosopolitano & Venetensi, quibus Maclouium, Briocum, Tugdwalum, Paulum, Salomonem & Paternum tunc præfuisse contendit, sed hæc fabella multis argumentis refellitur. Etenim Iudualus nec regium titulum gessit, nec Principatum prædictarum septem Diœceseon obtinuit. Deinde Dolensis Episcopus ius Metropoliticum contra Turonensem sibi arrogare, & Archiepiscopi insignia gestare tunc primùm præsumpsit, cùm Neomenoius Britonum Comes aduersus Carolum Caluum Francorum Regem nono seculo rebellauit. Addequòd Paternus in Episcopatu Venetensi circa hæc tempora non sedit, & Salomon seriùs ad Episcopatum Coriosopolitanum assumptus fuit.

XXIII.

Illis diebus, cùm Iunianus Presbyter iam factus cœtum Monachorum in agro Pictauiensi congregabat, fames regionem vexauit. Plebs inops consilij ad virum Dei venit, qui in cinere & cilicio prostratus Deum deprecabatur ne populus inediâ consumeretur. Præ ceteris opem maximo cum eiulatu & vociferatione flagitauit mulier prægnans, cui Iunianus expletâ oratione dixit

AN. CH. 555. CHILDEB. CLOTAR. RR. 44. THEODOBALDI II. R. 7.

se omnia, antequàm illa veniret, præuidisse, & filium, quem in vtero gestabat, sibi futurum successorem, deditque quandam auri summam, vt inopiæ præsenti subueniret enutriretque filium, quem adultum vt ad se mitteret, insuper præcepit, quia eumdem baptizare & literis erudire cupiebat. Res ex voto successit. Mater filium, postquàm ad puerilem ætatem peruenit, obtulit seruo Dei, *qui sacris fontibus cum propriis manibus initiauit, de sacrosancto baptismate suscepit, & filium spiritualem adeptus Aurummundum vocauit ea videlicet ex causa quasi auro emptum, quia aurum matri dederat vnde ipsum filium enutriret, peculiarem quemadmodum sibi vernaculum instruxit, literis erudiuit, qui diuinâ tribuente clementiâ perfectè Scripturarum scientiam adeptus est, & secundùm viri Dei prophetiam sacerdotalem adeptus est honorem, multo tempore cum ipso inculpabiliter spiritali patre vixit, & ei in omnibus obtemperauit. Post cuius verò obitum successor illius extitit magnæ virtutis homo & sanctitatis, vtpote qui à tali ac tanto viro instructus fuerat, quem omni intentione & doctrinis & exemplis sequebatur. Plura isto narrante innotuerunt sancti viri miracula, quia multo tempore post eius obitum vixit, & gregem sibi commissum inreprehensibilem custodiuit*, vt Boëtius Wlfinus in vita sancti Iuniani scribit. Ex illo textu liquet Auremundum siue Aurummundum hisce circiter temporibus natum esse, quandoquidem promotus est ad Presbyteratum ante obitum beati Iuniani, qui vitam clausit anno Christi quingentesimo octogesimo-septimo. Quamuis autem Auremundus post sancti Iuniani mortem longæuus vixerit, haud tamen peruenit ad ætatem Wlfini, qui sub Ludouico Pio Augusto florebat. Idcircò Wlfinus, cùm testatur à se referri multa sancti Iuniani miracula, *quæ narrante prædicto Auremundo, qui aderat, cognouit*, vel *quæ Auremundus post eius*, nempe Iuniani, *obitum ad multorum perduxit notitiam*, aut *quæ isto*, scilicet Auremundo, *narrante innotuerunt*, aliquâ eget interpretatione, vt non existimetur illa ex ore Auremundi narrantis audiuisse, sed tantùm cognouisse ex Auremundi narratione, quam siue sermone siue scripto contextam fidelis maiorum traditio ad posteros transmiserat. Non desunt [a] qui vitam beati Iuniani affirment scriptam fuisse ab ipso Auremundo, cuius lucubrationes in manus Boëtij Wlfini facilè venire potuerunt.

AVREMVNDVS NASCITVR.

[a] Ap. Menard. l. 1 obiecta d. 13. Aug

Baudoniuia, cuius primigeniam phrasim quamuis rudiorem editioni Surianæ præferimus, in vita sanctæ Radegundis testatur sacras vndique reliquias ab ea studiosissimè conquisitas, vt nouo suo Monasterio patrocinium Sanctorum conciliaret. Hæc in primis per Reoualem, Surio Reculum, virum venerabilem, qui posteà Presbyter factus est, & in viuis superstes erat cùm Baudoniuia ista scriberet, à Patriarcha Hierosolymitano beati Mammetis pignora sibi donari postulauit. *Transmisit virum venerabilem Reoualem Presbyterum qui tunc secularis erat, & adhuc supereſt corpore, ad Patriarcham Ierosolymitanum poscens reliquias de beati Mammetis pignore. Quod vir Dei suscipiens benignissimè rogationes populo indixit, voluntatem Dei inquirens. Tertiâ die Missâ celebratâ beati Martyris sepulchrum cum omni populo adiit, altâ voce plenâ fide huiusmodi verbis protestatur dicens. Peto te, Confessor & Martyr Christi, si vera est ancilla Dei beata Radegundis, innotescat cunctis potentia tua, & permitte vt de pignore tuo mens fidelis quod poscit accipiat. Oratione completâ, vbi omnis populus, Amen, respondit, venit ad sanctum sepulchrum, sempérque Beatæ fidem pronuntians, tangebat membrum quale beatissimus ad petitionem dominæ Radegundis dare iuberet. Tetigit in manu dextera singulos digitos, vbi ad minorem venit digitum, se suauitractu de propria manu tulit, vt beatæ Reginæ desiderio satisfaceret, & eius voluntatem impleret. Quem digitum vir Apostolicus beatæ Radegundi cum digno honore direxit, quia de Ierosolyma vsque Pictauis in eius honore semper laus Dei personuit. Quid putas, quàm ardenti animo, quàm fideli deuotione tanti pignoris præmium expectans se abstinentiæ mancipauit? At vbi se beata Regina hoc munus cæleste accepisse cum omni alacritate gauderet, totâ hebdomadâ cum omni Congregatione psallens se vigiliis & ieiuniis aptauit, Dominum benedicens, se tale munus accipere meruisse.*

XXIV.

RELIQVIÆ S. MAMMET. DEFERVNTVR PICTAVVM.

AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45.

ANNVS CHRISTI 556. CHILDEBERTI R. 45. CLOTARII R. 45. INDICTIO 4.

I. BELLVM SAXONIC.

ANNO Christi quingentesimo quinquagesimo-sexto, siue, vt Marius in suo Chronico loquitur, *post Consulatum Basilij anno decimo-quinto, Indictione quartâ, iterùm rebellantibus Saxonibus Chlothacharius Rex pugnam dedit, ibíque maxima pars Saxonum cecidit. Franci totam Toringiam, pro eo quod Saxonibus coniurauerat, vastauerunt. Ipsis diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris sui deuastat.* Marius expeditionem quam Clotarius hoc anno contra Saxones suscepit, confundit cum priore, quam anno superiori ex Gregorio descripsimus, idem enim Gregorius [a] res hoc anno gestas in Saxonia longè aliter enarrat his verbis. *Chlothacharius post mortem Theodoualdi, cùm Regnum Franciæ, seu* Theodoualdi, *suscepisset, atque eum circuiret, audiuit à suis interata insania efferuescere Saxones, sibique esse rebelles, & quòd tributa, quæ annis singulis consueuerant ministrare, contemnerent reddere. His incitatus verbis ad eos dirigit. Cumque iam prope terminum illorum esset, Saxones Legatos ad eum mittunt dicentes. Non enim sumus contemptores tui, & ea quæ fratribus* (lege *fratri*, nempe Theodorico) *ac nepotibus tuis* Theodoberto & Theodobaldo, *reddere consueuimus, non negamus, & maiora adhuc si quæsieris reddimus. Vnum tantùm exposcimus, vt sit pax, ne tuus exercitus & noster populus conlidatur. Hæc audiens Chlothacharius Rex ait suis. Benè loquuntur hi homines, non incedamus super eos, ne fortè peccemus in Deum. At illi dixerunt. Scimus enim eos esse mendaces, nec omninò quod promiserunt impleturos, eamus super eos. Rursùm Saxones obtulerunt medietatem facultatis suæ, pacem petentes. Et Chlothacharius ait suis. Desistite, quæso, ab his hominibus, ne super nos Dei ira concitetur. Quod illi non adquieuerunt. Rursùm Saxones obtulerunt vestimenta, pecora, vel omne corpus facultatis suæ, dicentes. Hæc omnia tollite cum medietate terræ nostræ, tantùm vxores & paruulos nostros relinquite liberos, & bellum inter nos non committatur. Franci autem nec hoc adquiescere voluerunt. Quibus ait Chlothacharius Rex. Desistite, quæso, desistite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus, nolite ad bellum ire in quo disperdamini, tamen si abire volueritis spontaneâ voluntate, ego non sequar. Tunc illi irâ commoti contra Chlothacharium, super eum inruunt, & scindentes tentorium eius, ipsúmque conuitiis exasperantes ac vi detrahentes interficere voluerunt, si cum illis abire differret. Hæc videns Chlothacharius, inuitus abiit cumeis. At illi inito certamine, maximâ ab aduersariis internecione cæduntur, tantáque ab vtroque exercitu multitudo cecidit, vt nec æstimari nec numerari penitùs possit. Tunc Chlothacharius valdè confusus pacem petiit, dicens se non suâ voluntate super eos veniisse. Quâ obtentâ ad propria rediit.* Quid Childebertus Rex & Chramnus Clotarij filius interim moliti fuerint audiamus ex eodem Gregorio [b]. *Chlothacharius Rex duos filios suos, id est, Charibertum & Guntchramnum ad eum,* nempe Chramnum, *dirigit. Qui per Aruernum venientes audientésque quòd in Lemouicino esset, vsque ad montem, quem Nigrum nomen dicunt, accedunt, cúmque reperiunt. Figentésque tentoria contra se resèderunt, mittentes legationem, vt res paternas, quas malè peruaserat, reddere deberet, sin autem aliud, campum præpararet ad bellum. Cumque ille patri subditum se esse confingeret, dicerétque.*

[a] Lib. 4. c. 14.

[b] Lib. 4. capp. 16. 17. 18.

Omne

Omne quod circuiui laxare non potero, sed sub meâ hoc potestate cum gratiâ patris mei cupio retinere. Illi, vt prælium inter ipsos diiudicaret, postulant. Cumque moto vtrique exercitu cum magno armorum apparatu ad bellum conuenissent, subitò exorta tempestas cum graui coruscatione atque tonitruo eos ne pugnarent prohibuit. Redeuntes autem ad castra, Chramnus dolosè per extraneam personam, patris mortem fratribus pronunciat. Eo enim tempore bellum contra Saxones, quod suprà diximus, gerebatur. At illi timentes cum summâ velocitate Burgundiam redierunt. Chramnus verò cum exercitu post eos dirigens, vsque ad ciuitatem Cauillonensem venit, eámque obsidens adquisiuit. Exinde vsque Diuionensem castrum pertendit, ibíque cùm die Dominico aduenisset, quid gestum fuerit, dicamus. Erat ibi tunc sanctus Tetricus Episcopus, cuius in superiori libello memoriam fecimus. Lapsus memoriâ videtur hoc loco Gregorius, nam libro tertio suæ Historiæ nullam Tetrici mentionem edidit. *Positis Clerici tribus libris super altarium, id est, Prophetiæ, Apostoli atque Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret ostenderet, aut si ei felicitas succederet, aut certè si regnare posset, diuina potentia declararet. Simulque vnam habentes conhibentiam, vt vnusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas & legeret. Aperto ergo primo omnium Prophetarum libro reperiunt. Auferam maceriam eius, & erit in desolationem, pro eo quod debuit facere vuam, fecit labruscam. Reseratumque Apostoli librum, inueniunt. Ipsi enim diligenter scitis, fratres, quia dies Domini sicut fur in nocte veniet. Cùm dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet illis interitus, sicut dolores parturientis, & non effugient.* Hic desinit Codex Regius. *Dominus autem per Euangelium ait. Qui non audit verba mea, adsimilabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam arenam, descendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & inruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna. Chramnus verò ad Basilicas ab antedicto Sacerdote susceptus est, ibíque panem comedens ad Childebertum pertendit. Intra muros tamen Diuionenses non est permissus intrare. Fortitertunc Rex Chlothacharius contra Saxones decertabat. Chramnus iam acceptâ Wilicharij filiâ, Parisius accedens, secum Childebertum Regem constringit in fide atque caritate, iurans se certissimum patri esse inimicum. Childebertus autem Rex, dum Chlothacharius contra Saxones decertaret, in Campaniam Remensem accedit, & vsque Remos ciuitatem properans, cuncta prædis atque incendio deuastauit. Audierat enim fratrem suum à Saxonibus fuisse peremptum, & regno suo cuncta subiici æstimans, quæ adire potuit, vniuersa pernasit. Tunc & Austrapius Dux Chramnum metuens in Basilicâ sancti Martini confugit. Cui tali in tribulatione posito non defuit diuinum auxilium. Nam cùm Chramnus ita eum constringi iussisset, vt nullus illi alimenta præbere præsumeret, & ita arctiùs custodiretur, vt nec aquam quidem ei haurire liceret, quò facilius compulsus inediâ, ipse sponte suâ de Basilicâ sanctâ periturus exiret, accedens quidam vasculum illi cum aquâ seminino detulit ad potandum. Quo accepto, velociter iudex loci aduolauit, ereptumque de manu eius, terræ diffudit. Quod velox Dei vltio & beati Antistitis virtus est subsecuta. Eâ namque die iudex, qui ista gesserat, correptus à febre, nocte mediâ expirauit. Nec peruenit in crastinum ad illam horam quâ, in Basilicâ sancti, poculum de manu excusserat fugitiui. Post istud miraculum omnes ei opulentissimè quæ erant necessaria detulerunt. Redeunte autem in regno suo Rege Chlothachario magnus cum eo est habitus.* Huc vsque Gregorius. Author de Gestis Regum Francorum [a] vxorem Chramni Chaldam appellat, & Aimoinus [b] ait eundem Chramnum *tactis sanctorum pignoribus sponte promisisse, quòd patris perpetuus existeret hostis.*

AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45. CHRAMNVS ADIT BVRGVNDIAM. CHILDEBERTO CONIVNGITVR.

[a] Cap. 28.
[b] Lib. 2. c. 18.

II.

Hoc anno Euphronius ex Presbytero creatus est Episcopus Turonensis, idque confirmat Gregorius [c], cùm annum Euphronij septimum coniungit cum anno Sigiberti Regis secundo, qui cadit in annum Christi quingentesimum sexagesimum-tertium. Si vulgatæ Historiæ Gregorij fides est, ita se res habuit. *Turonici audientes regressum fuisse Regem de cæde Saxonum, facto consensu in Eufronium Presbyterum, ad eum pergunt. Datâque suggestione respondit Rex. Præceperam enim vt Cato Presbyter illic ordinaretur, & cur est spreta iussio nostra?*

[c] L. 1. Mir. S. Martin. c. 12.

EVFRONIVS FIT EP. TVRON.

AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45.

Responderunt ei. Petiuimus enim eum, sed noluit venire. Hæc illis dicentibus, aduenit subito Cato Presbyter, deprecans Regem, vt electo Cautino ipsum Aruerno iuberet institui. Quod Rege inridente, petiit iterùm vt Turonus ordinaretur, quod antè despexerat. Cui Rex ait. Ego primùm præcepi, vt Turonis te ad Episcopatum consecrarent, sed quantum audio, despectui habuisti Ecclesiam illam, ideóque elongaberis à dominatione eius, & sic confusus abscesſit. De sancto verò Eufronio interrogans, dixerunt eum nepotem esse beati Gregorij, cuius suprà meminimus. Respondit Rex. Prima hæc est & magna generatio. Fiat voluntas Dei, & beati Martini electio compleatur. Et datâ præceptione, XVIII. *post beatum Martinum sanctus Eufronius ordinatur Episcopus.* Sed hoc libri quarti caput decimum-quintum, quod in exemplaribus editis reperitur, abest à Codicibus Bellouacensi & Corbeiensi. Potior fides habenda Gregorio [a], cùm Eufronium ait ex genere Senatorio fuisse, virum egregiæ sanctitatis, & ab ineunte ætate Clericum.

[a] Lib. 10. c. 31.

III. ECCLESIA S. PAVLI VCECIÆ PERFICITVR.

Ecclesia, quam Vceciæ in honorem beati Pauli Apostoli Ferreolus illius ciuitatis Episcopus construxit, hoc anno tandem perfecta est, cùm ipse Ferreolus Lutetiæ exularet, nec obfuit exilium quominùs opus inchoatum tertio anno absolueretur. De Ferreoli exilio plura dicemus post biennium.

IV.

Inter epistolas Pelagij Papæ, vna Childeberto Regi, tres Sapaudo Episcopo Arelatensi scriptæ reperiuntur hoc anno, post Basilij Consulatum decimoquinto. Prima omnium Sapaudo inscribitur quarto Nonas Iulias, secunda iterum Sapaudo die decimo-sexto Kalendas Octobres, tertia Childeberto Regi tertio Idus Decembres, vltima Sapaudo die decimo-nono Kalendas Ianuarias.

V. PELAGIVS PP. SCRIBIT SAPAVDO EP. ARELAT.

Quatuor illarum epistolarum quæ primo loco ponitur, docet Pelagium, qui priore anno Pontifex creatus fuerat, nunciorum occasione repertâ, priusquàm à Sapaudo literas accepisset, salutatorias ei direxisse quarto Nonas Iulias. *Dilectissimo fratri Sapaudo, Pelagius. Quæ nobiscum omnipotentis Dei gratia fuerit operata, ad caritatem tuam credimus fuisse perlatum, pro quâ re ad nos destinari conuenerat, vt visitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores caritatis, præsentium portitorum occasione repertâ, officium fraternæ salutationis impendimus, optantes vt alternâ in timore Domini caritate viuentes, mutuo frequenter refoueamur alloquio. Data* IV. *Nonarum Iuliarum, anno* XV. *P. C. Basilij V. C.* Eodem die Pelagius literas quæ lapsu temporis exciderunt, Childeberto Regi scripsit. Vtrarumque meminit in aliis ad Sapaudum decimo-sexto Kalendas Octobres datis, aitque portitores fuisse quosdam, qui de Arelatensi Prouinciâ Romam venerant, nec alios fuisse fas est opinari quàm Monachos Lirinenses, per quos reliquias tam beatorum Apostolorum quàm Sanctorum Martyrum ad Childebertum Regem se iam direxisse testatus est posteà suis ad eundem Childebertum literis tertio Idus Decembres. Monachi Lirinenses Româ reliquias illas & vtrasque Pelagij literas ad Sapaudum detulerunt, reliquias & epistolam Regi à Pontifice scriptam Sapaudus ad Childebertum transmisit. Rem ita gestam fuisse facilè colliget, qui Pelagij literas ad Childebertum suprà notatas legerit sub finem, vbi de aliis reliquiis agitur quas Childebertus per Legatos poposcerat.

VI. LITERAS ACCIPIT A SAPAVDO.

Literæ quas Pelagius decimo-sexto Kalendas Octobres ad Sapaudum direxit, secundum locum obtinent inter quatuor epistolas, quas hoc loco discutiendas suscepimus. Pelagius his secundis literis modestè laudes reiecit, quibus illum Sapaudus in literis suis per Felicem virum honestum delatis exornarat. Atque inde palàm fit Sapaudum suo erga Pontificem obsequio non defuisse, quin etiam est suspicio non mediocris, illum Papæ literas scripsisse, priusquàm ab eo quas recitauimus salutatorias accepisset.

VII. ET A CHILDEBERTO R.

Childebertus Rex Romam quoque Legatum direxit Rufinum cum literis ad Pontificem, in illis quid contineretur haud aliunde scire potuimus quàm ex diuersis epistolis quas Pelagius ad Childebertum Regem & ad Sapaudum Episcopum scripsit sub exitum huius anni & sub initium sequentis.

Postulauit primò Rufinus vt Pontifex vel Childeberto significaret se per omnia beati Leonis scriptis assentiri, vel propriis verbis confessionem suæ fidei destinaret. Hæc constant ex Præfatione præfixa fidei confessioni, quam Pelagius Childeberto misit tertio Nonas Februarias, anno proximè sequenti, ibi enim Papa sic loquitur. *Veniens Rufinus vir magnificus, Legatus Excellentiæ vestræ, confidenter à nobis, vt decuit, postulauit, quatenùs vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conseruari significare debuissemus, aut propriis verbis nostræ confessionem fidei destinare.* Eiusmodi petitionis ratio hæc fuit, quòd, vt patet ex literis quas Pelagius per Rufinum ad Childebertum misit tertio Idus Decembres, semina scandalorum in prouinciis Galliarum à quibusdam spargebantur, quasi quid contra fidem Catholicam in postrema Synodo Constantinopolitana peractum esset. AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45. VIII. CVI RESPONDET.

Pontifex primam petitionis partem mox impleuit, anathema dixit iis, qui de fide aliter sentiebant, quàm in Epistolis sancti Leonis & in Concilio Chalcedonensi continebatur. Id testantur literæ quas ipsi Rufino ad Childebertum deferendas tradidit tertio Idus Decembres. Harum enim initium tale est. *Domino filio gloriosissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi Pelagius Episcopus. Rufinus vir magnificus, Legatus Excellentiæ vestræ, nobis dixit, quòd & in prouinciis Galliarum quidam semina scandalorum sparserunt, dicendo quid contra fidem Catholicam, quod Dominus non patiatur, admissum. Et quamuis à transitu diuæ memoriæ Theodoræ Augustæ nullus de fide quæstiones Ecclesia Dei in partibus Orientis Deo miserante formidet, sed quædam Capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum est vt epistolari possint complecti sermone, hoc breuiter secundùm admonitionem præfati magnifici viri Rufini ad sanandum animum vestrum, & omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum in Galliæ regionibus consistentium, faciendum esse perspeximus, dicentes anathematizare nos, & alienos ab æternæ vitæ præmiis iudicare, quicumque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in suis epistolis prædicauit, & quam Chalcedonense Concilium, sequens eumdem Præsulem, editâ definitione suscepit, in vna syllaba, aut in vno verbo, vel in sensu, errauit vel erranerit aliquando, aut declinauit vel declinauerit aliquando. Quibus se ita habentibus non attendat Celsitudo vestra, nec fratres nostri Episcopi fabulas eorum hominum, qui scandalis delectantur.* Idem etiam confirmatur in literis quas Pelagius anno sequenti, tertio Nonas Februarias ad Childebertum scriptit, cùm fidei suæ confessionem illi mitteret. *Et primam quidem*, inquit, *petitionis* Rufini *partem, quia facilior fuit, mox vt dixit impleuimus, néque in omnibus prædicti Præsulis tomum pro Catholicæ fidei assertione conscriptum, Deo propitio, custodire manus nostræ ad vos professione signauimus.* Alteram quoque petitionis partem exequi posteà maturauit, propriis verbis confessionem fidei quam tenebat exponens, vt anno sequenti dicemus. IX.

Secundo loco Rufinus Papam rogauit, vt Sapaudo vices Apostolicas delegaret, vsúmque Pallij concederet. X.

Excusauit se Pontifex per Epistolam apud Sapaudum, donec literas ab ipso Sapaudo per Arelatensis Ecclesiæ Clericum accepisset. *Ea*, inquit, *quæ pro honore caritatis tuæ à nobis supradicti Legati poposciisse noscuntur, parati sumus Deo iuuante concedere. Sed nisi literas tuas per te acceperimus, sicut etiam decessores nostri postulantibus tuis decessoribus præstiterunt, superfluum indicauimus vltrò transmittere. Sed mox ad nos, iuuante Domino, vnum de Clero tuo cum literis direxeris, si Dominus voluerit, & si vixerimus, promittimus nos esse facturos.* Pontificias illas literas decimo-nono Kalendas Ianuarij datas Sapaudo detulit Homo-bonus Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, per quem Pelagius Arelatem vsque deportari voluerat reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum sanctorum Martyrum quas Legati Childeberti Regis popposcerant. Eædem literæ reditum Hominis-boni Sapaudo plurimùm commendant, atque vt Placido patri suo suggerat de comparandis Romámque mittendis vestibus quæ in pauperes erogentur. *Hortantur*, ait Pelagius, *vt viro magnificen-* XI.

AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45.

tissimo filio nostro Patricio Placido genitori tuo dicas, vt quod de pensionibus possessionum Ecclesiæ nostræ collectum est, aut per suum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem, quia Italiæ prædia ita desolata sunt, vt ad recuperationem eorum nemo sufficiat. Et si possibile est, vt nobis de ipsis solidis saga tomentacia, quæ pauperibus erogari possint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut si quæ aliæ species in Prouincia fiunt, quæ pauperibus erogari debeant, nobis exinde facite comparari, & opportunitate nauis inuentâ dirigite, vt maximas fraternitati tuæ gratias referamus, dum in huiusmodi sollicitudinem nostram prouidentiâ caritatis tuæ releuari contigerit.

XII. Tertio loco Rufinus reliquias à summo Pontifice popoſcit.

XIII. ET TRANSMITTIT RELIQVIAS. Annuit huic postulationi Pelagius, reliquias ad Childebertum per Hominem-bonum Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum transmisit, sic enim suas ad eundem Regem literas clausit tertio Idus Decembres. *Reliquias verò tam beatorum Apostolorum quàm sanctorum Martyrum, iam quidem per seruos Dei Monasterij Lirinensis direximus. Sed & nunc quas Legati vestri popoſcerunt nos misisse significamus, deputantes Hominem-bonum Subdiaconum ex Clero Ecclesiæ nostræ, à quo vsque ad fratrem & coepiscopum nostrum Sapaudum inbente Domino deferantur. Data tertio Idus Decembres, anno* XV. *P. C. Basily V. C. per Rufinum Legatum. Pelagius misericordiâ Dei Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ exemplari epistolæ nostræ subscripsi.*

XIV. EPISCOPI VASIENSES. Circa hunc annum, cùm Childebertus Rex in viuis adhuc superstes esset, Quinidius, qui Theodosij Vasiensis Episcopi nomine Synodum Arelatensem ante biennium suâ subscriptione communiuit, eidem sancto Theodosio in Episcopatu successit. Elogium sancti Theodosij consule in supplemento [a] Martyrologij Gallicani.

[a] Die 14. Febr.

XV. Leobinus Carnotensis Episcopus, quem anno priori adhuc superstitem ostendimus, obiit hoc anno, Caletricus eius successor suâ subscriptione Parisiensem Synodum anno sequenti roborauit. Ex illa epocha satis confirmantur quæ de præcedentium Pontificum annis dicta sunt superiùs. Sedit Leobinus annos duodecim teste Rolliardo. Colitur decimo-septimo Kalendas Octobris. Quieuit in æde sancti Martini in Valle vsque ad annum Christi milleſimum quingenteſimum ſexageſimum-octauum, quo Caluiniſtæ violatâ ſepulchri religione ſacras Reliquias in puluerem redegerunt. Supereſt tantùm caput, quod in Eccleſia Carnotenſi cum beati Caletrici capite cuſtoditur. De Caletrico adhuc Preſbytero, & ope Leobini tunc Epiſcopi ſanato hæc in eiuſdem Leobini vita [b] repetiuntur. *Quidam nobilis vir genere Caletricus sed meritis nobilior post excessum beati Leobini Carnotis constitutus Episcopus, dum in Presbyterij gradu, tam in conspectu Dei quàm in oculis hominum sanctâ conuersatione se redderet gratum, tantâ infirmitatis angustiâ est correptus, vt vix vltimo palpitaret anhelitu. Cuius venerabilis germana nomine Mallegundis, directis velociter missis ad sanctum Episcopum, vt ad leuandam fratris sui infirmitatem, benedictum dirigeret oleum. Ipse verò cum oleo præsentialiter veniens, silentium ab omnibus postulauit dicens. Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiæ tuæ vel populo tuo iudicas necessarium, tuâ opitulante virtute restitue sanum. Tunc ille æger statim vt sacra vnctionis oleo est perunctus, tanta sanitatis gratia est restitutus, vt nullius infirmitatis molestiâ vnquam eius membra fuissent attracta.* Illud miraculum hoc anno videtur contigiſſe ſub vltima Leobini tempora, cùm Caletricus nuperrimè promotus fuiſſet ad Preſbyteratum, peruenit enim ad annum Chriſti quingenteſimum ſexageſimum-ſeptimum, vixitque annos duntaxat duodequadraginta, vt hoc diſticho docet in eius Epitaphio Fortunatus [b].

[b] Ap. Labb. tom. 1. bibliot.

CALETRICVS PRESBYTER SANATVR A LEOBINO EP. CARN.

Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terra iustus ad astra redis.

[b] Lib. 4. c. 7.

XVI. VERANVS IT ROMAM. Veranus Clericus Gabalitanus, poſtquàm multos annos in Diœceſi Cauellicenſi tranſegiſſet, vbi fugato dracone, qui Sorgiæ fontem infeſtabat, Ora-

torium in honorem beatæ Virginis conſtruxerat, iter Romam ſuſcepit hiſce temporibus, ibi enim nonnullos annos vixit, & in Galliam poſt Clotarij Regis obitum remeauit, vt Author vitæ fuſiùs ſcribit [a]. Caballione profectus eſt Ebredunum, ibique hoſpitio exceptus eſt ab Epiſcopo, in cuius præſentia tres energumenos liberauit. Exiſtimamus Peladium ſeu Palladium Ebreduni tunc ſediſſe, nam ſanctus Gallicanus, cui ſucceſſit, diu ſuperſtes in viuis eſſe non potuit poſt Concilium Aurelianenſe quintum, quia Præſulatu iam fungebatur anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-quarto, quo celebrata fuit quarta Synodus Arelatenſis. Quibus annis Peladius Pontificatum inierit clauſeritque, facilè deprehendi non poteſt. Natus eſt Ebreduni parentibus nobilibus, probatæ fuit ſanctitatis, & miraculorum gratiâ inſignis. Celebris eſt eius memoria ſeptimo Idus Ianuarias, qui dies depoſitionis fuit. Colitur & vndecimo Kalendas Iulias, quo die corpus tranſlatum fuit in Cataloniam, vbi nunc etiam in agro Gerundenſi religiosè cuſtoditur in Monaſterio ſancti Petri de Campo rotundo Ordinis Benedictini. Lege Sammarthanos in Gallia Chriſtiana. Ab anteceſſorum pietate plurimùm degenerauit qui ſancto Peladio ſubrogatus eſt, & nomen ac famam ex improbè factis ſibi peperit Salonius, vt ſuis locis oſtendemus.

AN. CH. 556. CHILDEB. CLOTAR. R R. 45.

[a] Tom. 1. Bibliotb. Labb.

PELADIVS EBREDVN. EP.

Hoc anno nata eſt ſancta Ruſticula. Poſt eius ortum ſtatim mortuus eſt frater, fratris mortem proximè ſecutus eſt patris obitus, matri viduæ & orbatæ filio nihil ſolatij fuit præter filiam ſuperſtitem. Huius vitam ſic exorſus eſt Florentius Preſbyter Tricaſtinus *. *Clariſſimis orta natalibus Valeriano & Clementiâ coniugibus Romanis, cultum Chriſtianitatis cum ſummâ veneratione colentibus. Commorantibus eiſdem in agro Hebocaſiaco, qui eſt ſitus in territorio Vaſcionenſi, factum eſt vt naſceretur eis filius. Etenim multo pòſt tempore dedit eis Dominus hanc ſacratiſſimam prolem Ruſticulam. Tranſactis igitur non plurimis diebus, defunctus eſt & paruulus. Poſtmodum verò mater viduitatis veſte contecta, triſtitiam, quam coniugis amiſsione vel filij aſſumpſerat, per hanc prolem fœcunditatis ſuæ vtero editam conſolabatur. Quam genitrix ad ſacri baptiſmatis vndam Chriſto obtulit ſanctiendam, eámque in regenerationis fonte ex ſuo genere Ruſticulam vocauit. Ab omni verò domus familia Marcia nuncupabatur.* Antequàm plura de ſanctâ Ruſticulâ proferamus, Chronologiam noſtram paucis ſtabiliemus. Ruſticula quinque duntaxat annos nata, regnante Guntchramno rapta eſt à Cheraonio; deinde tradita in diſciplinam Liliolæ Arelatenſis Abbatiſſæ, cùm Diœceſes regebant Arelatenſem Sapaudus, Auguſtodunenſem Syagrius; Liliolæ in regimen Monaſterij ſucceſſit anno ætatis circiter duodeuiceſimo, apud Clotarium Regem, qui toti Franciæ ſolus tunc dominabatur, accuſata eſt, obiitque decimo-quarto pòſt anno, ætatis ſuæ ſeptuageſimo-ſeptimo, quo natalis ſancti Laurentij Martyris in ſecundam feriam incidit. Hæc conſtant ex Florentio, cuius varia fragmenta publicauit [b] Andreas Ducheſnius, opus autem integrum Franciſcus Andreæ filius nobis communicauit; nec ad exactam Chronologiam commodiùs reduci poſſunt, quàm ſi Ruſticulam dicamus natam hoc anno, raptam poſt quinquennium exeunte anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo, deinde abductam in Monaſterium Arelatenſe, factam illius loci Abbatiſſam anno Chriſti circiter quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, accuſatam apud Clotarium Regem anno Chriſti ſexcenteſimo duodeuiceſimo, mortuámque anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo. Tota ratio noſtræ Chronologiæ pendet à Principatu Guntchramni & à litera Dominicali D quæ per menſem Auguſtum currebat eo anno quo Ruſticula viuere deſiit. Nam ſicut Ruſticula regnante Guntchramno rapi non potuit ante anum Chriſti quingenteſimum ſexageſimum-primum, quia Guntchramnus illo anno regnum inchoauit; ita nec poſt annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-ſecundum, qui propter intercalationem biſexti præditus fuit literis Dominicalibus E & D, reiici poteſt eius obitus, quia ſi differatur in annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-octauum, cui

XVII.

PRIMORDIA S. RVSTICVLÆ.

* De Trois Chaſteaux.

[b] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

556. CHILDEB. CLOTAR. RR. 45.

litera Dominicalis D præfixa est, profecta dicetur ad Clotarium anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto ; id autem alienum à vero facilè demonstratur, quia Domnulus Viennensis Episcopus, qui superstes in viuis erat cum Rusticula è Monasterio Arelatensi extracta est, obiit ante annum Christi sexcentesimum vicesimum-quartum, post eum enim in Cathedra Viennensi sederunt Ætherius & Clarentius ante Syndulfum qui Remense Concilium anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto suâ subscriptione communiuit.

XVIII. OBITVS S MARCVLFI ABBATIS.

Obiit hoc anno sanctus Marculfus Abbas, vt docent ea quæ superiori anno retulimus ex eius vitâ. *Quoniam iam dies instabat, quo Christus labores huius sanctissimi viri remunerare disposuerat, beatus Marculfus modicâ tactus molestiâ, vocationis suæ horam securus expectabat. Inualescente igitur languore vicinum exitus sui terminum nunciante, fratres vndique multâ populorum turbâ comitante conuenerunt. Inter quos & venerabilis Laudus * Constantiæ vrbis Episcopus visitandi studio aduenit. Beatus verò Marculfus Kalendas Maias hominem exuens sepultus est in Monasterio quod priùs construxit in loco qui dicitur Nantus, cum eo & duo fratres, qui eodem tempore obierant, Cariulfus & Domardus sepulti sunt in Christo.*

* *Lo Euesque de Coutance.*

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

ANNVS CHRISTI 557. CHILDEBERTI R. 46. CLOTARII R. 46. INDICTIO 5.

I.

ANNVS Christi quingentesimus quinquagesimus-septimus in Fastis est decimus-sextus post Consulatum Basilij, consignatúrque Indictione quintâ.

II. PELAGIVS PP. LITERAS ACCIPIT A SAPAVDO EP. ARELAT. ET A CHILDEB. REG.

Ineunte hoc anno Flauianus Diaconus & Nestorius Subdiaconus Ecclesiæ Arelatensis Romam venerunt cum literis ad Pelagium Papam directis non tantùm à Sapaudo Episcopo Arelatensi qui vices Pontificias & vsum Pallij rogabat sibi concedi, sed etiam à Childeberto Rege qui Sapaudum illis honoribus ornari summoperè cupiebat. Annuit postulatis Pelagius. Extant literæ quas ea de re per supradictos Flauianum & Nestorium scripsit tertio Nonas Februarias cum ad Sapaudum Episcopum tum ad ipsum Regem Childebertum.

III. SCRIBIT SAPAVDO.

Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius. Maiorum nostrorum, operante Dei misericordiâ, cupientes inhærere vestigiis, & eorum actus diuino inuamine in omnibus imitari, caritati tuæ per vniuersam Galliam, sanctæ Sedis Apostolicæ, cui diuinâ gratiâ præsidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana testantur scrinia, à sanctis Patribus & decessoribus nostris, tuis decessoribus esse concessum, vt illius stabilis petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus Saluator noster propriam fundauit Ecclesiam à solis ortu vsque ad occasum, primatûs sui apicem successorum suorum auctoritate, tam per se quam per Vicarios suos firmiter obtineret. Et paucis interiectis. *Hinc est quod & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus, vt Sedis nostræ Vicarius institutus adinstar nostrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quidquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiastici status quærendum est, seruatis Patrum regulis & Sedis Apostolicæ constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talémque te in custodiendis Canonibus sanctâ conuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.* Et inferiùs. *Vsum quoque Pally tibi alacriter affectiosique concedimus,*

pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci fastigio constitutus præclaro quoque habitu decoreris; scituris omnibus Ecclesiastici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, sine formatâ tuæ caritatis, ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones, ne prohibita præsumentes ipsi se proprio videantur priuare officio. Hæc igitur per Flauianum Diaconum & Nestorium Subdiaconum Ecclesiæ tuæ, per quos epistolas tuas accepimus, scribenda esse curauimus. In quorum etiam conuersatione laudabile tuæ caritatis agnouimus institutum. Deus te incolumem custodiat frater carissime. Data III. *Nonas Februar. anno* XVI. *P.C. Basilij V.C.*

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

Sequuntur literæ ad Childebertum Regem. *Domino filio meritò glorioſissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi, Pelagius. Excellentiæ vestræ literas, post illas quas Legati vestri detulerunt, etiam per eos, quos frater & Coepiscopus noster Sapaudus ad nos direxit, reuerenter accepimus, & salutis vestræ, quæ nobis semper optanda est, cognoscentes indicia, gratias diuinæ pietati retulimus, exorantes clementiam eius, vt vos largiflua pietate suâ seruet incolumes. Literas autem nostras præfato consacerdoti nostro Sapando secundùm petitionem vestram direximus, vsum pallij pariter concedentes, quia in scrinio Ecclesiastico huiuscemodi exempla reperimus, quibus ostenditur Arelatensibus Episcopis à sanctæ recordationis decessoribus nostris hæc fuisse collata. Propterea salutantes cultu regalibus infulis debito, postulamus vt ita eum atque Ecclesiam eius gratia Excellentiæ vestræ tueatur ac foueat, ne quem per vices nostras augeri propitiante Deo postulastis, in aliquâ parte cuiquam Gallicanorum Sacerdotum, vel cuiuslibet ordinis Ecclesiastici personæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur, & in eo auctoritati sanctæ Sedis Apostolicæ, & genio vestro, qui pro eo suffragatores acceditis, quod absit, videatur in aliquo derogari. Perincolumem Excellentiam vestram Deus noster custodiat, Domine fili glorioſissime atque præcellentissime.* Ceterùm Sapaudus vices Romani Pontificis non vt decessores Auxanius & Aurelianus per eam tantùm Galliæ partem cui Childebertus Rex dominabatur, pérque Prouincias in quas Episcopus Arelatensis, cùm Metropolitanus esset primi ordinis, ius Metropoliticum exercebat, sed *per vniuersam* gessit *Galliam*, vt diploma suprà recitatum testatur.

IV. ET CHILDEBERTO REGI.

Præterea Pelagius Pontifex Childeberto misit confessionem suæ fidei per eosdem Flauianum & Nestorium, in literis enim quas Idibus pòst Aprilibus ad Sapaudum Episcopum scripsit, *hortamur*, inquit, *vt si epistola quam per Diaconum atque Subdiaconum fraternitatis tuæ ad Excellentissimum filium nostrum Childebertum Regem direximus, in qua de institutis beatissimorum Patrum nostrorum fidem Catholicam nostro per Dei gratiam sermone deprompsimus, tam ipsi glorioſissimo Regi, quam caritati tuæ, vel aliis fratribus Coepiscopis nostris placuit, rescripto tuæ caritatis celeriùs agnoscamus.*

V. EIQVE MITTIT CONFESSIONEM SVÆ FIDEI.

Pelagius fidei suæ confessioni præmisit præfationem, cuius initium tale est. *Domino filio glorioſissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi, Pelagius Episcopus. Humani generis Saluator ac Dominus discipulos suos docens, ait, non est voluntas patris vestri, qui in cælis est, vt vnus saltem pereat de pusillis, de quibus nec scandalizari quemquam sine magni asserit comparatione supplicij. Cùm igitur etiam de pusillis ista forma præcepti sit, quanto nobis studio ac labore satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt.* Deinde bipertitæ petitionis à Rufino Legato factæ meminit, ac postquàm asseruit se priorem eius partem impleuisse, de posteriore hæc subdit. *Vt autem nullius deinceps, quod absit, suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illustris admonuit, facere maturaui, scilicet propriis verbis confessionem fidei, quam tenemus exponens.* Tum demùm fidei suæ confessionem edit his verbis.

VI.

Credo igitur in vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Patrem scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum, Filium verò ex eiusdem Patris substantia vel naturâ genitum ante omne omninò vel temporis vel cuiusquam

VII.

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

initium, de omnipotente omnipotentem, æqualem, consempiternum & consubstantialem genitori. Spiritum quoque sanctum omnipotentem, utrique, Patri scilicet ac Filio, æqualem, consempiternum atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter procedens, Patris est Filiique Spiritus. Hoc est, tres personas, sine tres subsistentias unius essentiæ sive naturæ, unius virtutis, unius operationis, unius beatitudinis, atque unius potestatis, ut trina sit Unitas, & una sit Trinitas, iuxta vocis Dominicæ veritatem dicentis. Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. In nomine, inquit, non in nominibus, ut & unum Deum per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia dum tribus unum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum, & rursùs æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accedens eis permittit intelligi, ita ut & unusquisque eorum verus perfectúsque sit Deus, videlicet ex plenitudine Diuinitatis nihil minus in singulis, nihil amplius intelligatur in tribus. Ex hac autem sancta ac beatissima atque consubstantiali Trinitate, credo atque confiteor unam personam, id est, Filium Dei, pro salute humani generis nouissimis temporibus descendisse de cælo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula relinquentem, & sancto Spiritu superueniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute altissimi, eundem Verbum ac Filium Dei in utero eiusdem sanctæ Virginis Mariæ clementer ingressum, & de carne eius sibi vnisse carnem, animâ rationali & intellectuali animatam, nec antè creatam esse carnem, & posteà superuenisse Filium Dei; sed, sicut scriptum est, Sapientiâ ædificante sibi domum, mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindéque sine vlla permixtione aut conuersione Verbi carnísque naturæ, Verbum ac Filium Dei factum hominem vnum in utraque natura, diuinâ scilicet & humanâ, Christum Iesum Deum verum, eundémque verum hominem processisse, id est, natum esse, seruatâ integritate maternæ virginitatis, quia sic enim Virgo permanens genuit, quemadmodum Virgo concepit. Propter quod eandem beatam Virginem Mariam Dei genitricem verissimè confitemur, peperit enim incarnatum Dei Verbum. Est ergo vnus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, & idem ipse verus filius hominis, perfectus in Deitate, & idem perfectus in humanitate, utpotè totus in suis, & idem ipse totus in nostris. Sic per secundam natiuitatem sumens ex homine matre quod non erat, ut non desisteret esse quod per primam, quâ ex Patre natus est, erat. Propter quod eum ex duabus & in duabus manentibus indiuisis inconfusísque credimus esse naturis. Indiuisis quidem, quia & post assumptionem naturæ nostræ vnus Christus Filius Dei permansit, & permanet; inconfusis autem, quia sic in vnam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, ut vtriusque proprietate seruatâ neutra conuerteretur in alteram. Ac propterea, sicut sæpè diximus, vnum eundémque Christum esse verum Filium Dei, & eundem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundùm Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem Deitate. Quem sub Pontio Pilato sponte pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, resurrexisse tertiâ die glorificatâ & incorruptibili eâdem carne, & conuersatum post resurrectionem cum discipulis suis, & multis modis euidenter eis ostendisse sui corporis veritatem, & quadragesimo die videntibus eisdem discipulis ascendisse in cælos, sedere etiam ad dexteram Patris. Quem credo & confiteor, secundùm testificationem Angelorum, sicut ascendit in cælos, ita venturum iudicare viuos & mortuos. Omnes enim homines ab Adam vsque ad consummationem seculi natos & mortuos cum ipso Adam, eiúsque vxore, qui non ex aliis parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, & adstare ante tribunal Christi, ut recipiat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona sive mala, & iustos quidem per largissimam gratiam Dei, utpotè vasa misericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ præmiis donaturum, in societate videlicet Angelorum, absque vllo iam lapsus sui metu sine fine victuros; iniquos autem arbitrio voluntatis propriæ vasa iræ apta in interitum

interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnouerunt, aut cognitam diuersis capti præuaricationibus reliquerunt, in pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, vt sine fine ardeant, iustissimo iudicio traditurum. AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46. VIII.

Hâc fidei confessione Pelagius palam testatus est se tueri definitiones de fide Catholica, quæ in quatuor sanctis Conciliis & in libris sancti Leonis continentur. De quinta Synodo œcumenica nihil prorsus dixit, in ea enim quædam tantùm Capitula extra fidem agitata fuisse iam scripserat ad eumdem Childebertum anno priori. Tamen post fidei confessionem subiecit egregiam monitionem ad Regem, vt caueret, ne qua in Gallis dissidia per hæreticos excitarentur, qui vt se ad nutrienda scandala Catholicis familiares efficerent, etiam rectam fidem simulabant se vindicare.

IX. SCRIBIT ITERVM SAPAVDO.

Idibus Aprilis Papa literas ad Sapaudum Episcopum per Petrum Vrbis negotiatorem direxit, quibus inquisiuit primùm de fidei confessione, quam priùs ad Regem scripserat, deinde commendauit Romanos, qui hostium metu in prouinciam Arelatensem confugerant, ac postremò iteratam vestium in Vrbem mittendarum ac pauperibus erogandarum mentionem instituit.

X. CONCIL. PARIS.

Concilium Parisiense tertium, quod in collectione Conciliorum sine temporis nota reperitur, hoc anno celebratum fuit, Canonibus enim qui conditi sunt subscripsit Euphronius Episcopus, qui sub anni prioris exitum sedere cœpit, & posteriorem sexti Canonis partem regio præcepto roborauit Childebertus qui vitam anno sequenti clausit.

Statuti sunt in hoc Concilio Canones decem.

XI. XII. DE REBVS ECCLESIÆ NEC PERVADENDIS NEC RETINENDIS.

I. Quicumque res Ecclesiæ delegatas, iniustè possidens, præsumpserit retinere, & veritate compertâ res Dei seruis eius dissimulauerit reformare, ab omnibus Ecclesiis segregatus, à sancta Communione habeatur extraneus, nec aliud mereatur habere remedium, nisi cùm culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere, & iniustè possidere iniquâ defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, vt res vsurpatas iniustè qui abstulit, adhibitâ æquitate restituat. Quòd si neglexerit & necessitas compulerit, posteà prædonem Sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per regna res Dei defensare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Quòd si præsumpserit, & ipsius offensam, & prædictæ dominationis periculum sustinebit. Competitoribus etiam huiusmodi frænos imponimus, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis regiæ, improbâ subreptione peruaserint. Serâ námque de his rebus pœnitudine commouemur, cùm iam anteactis temporibus contra huiusmodi personas, Canonum suffulti præsidio, sè Sacerdotes Domini erigere debuissent, ne mansuetudo indulgentiæ ad similia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidie prouocaret, sed nunc tardè iniuriarum mole depressi, damnis quoque dominicis compellentibus excitamur. Quòd si is qui res Dei competit, in aliis quàm vbi res agitur, maximè solet territoriis commorari, Sacerdotem loci ipsius vbi habitat, Episcopus de huiusmodi prauitate contemptus, neglectâ personâ, literis mox reddat instructum. Tunc Antistes, ipsius fratris anxietate compertâ, aut persuasorem admonitione corrigat, aut canonicâ districtione condemnet. Accidit etiam vt temporibus discordiæ, sine permissione bonæ memoriæ Domni Chlodouei Regis, res Ecclesiarum aliqui competissent, ipsáque res, improuisâ morte collapsi, proprijs hæredibus reliquissent. Placet & hos quoque, nisi res Dei, admoniti à Pontifice, agnitâ veritate reddiderint, similiter à sanctæ communionis participatione suspendi, quoniam res Dei, quæ auctores eorum maturatâ morte credendæ sunt peremisse, non debent filij vlteriùs possidere. Iniquum esse censemus, vt potiùs custodes chartarum, per quas aliquid Ecclesijs à fidelibus personis legitur derelictum, quàm defensores rerum creditarum, vt præceptum est, iudicemur.

XIII. SIMILITER DE REBVS EPISCOPI

II. Et quia Episcoporum res propriæ Ecclesiarum res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, peruasores rerum memoratarum Ca

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

nonum districtione feriet vindicta, dum corrigit: vt qui non moribus propriis, ac nullâ conscientiæ castigatione corripitur, saltem regulæ obtundatur aculeis. Perpetuo enim anathemate feriatur, qui res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosâ infestatione præsumpserit.

XIV. DE REBVS OCCVPATIS AB EPISCOPO.

III. Et quia exempla boni operis à Pontificibus debent primùm, Christo opitulante, procedere, nullus Episcopus res competat alienas, aut si competitas, aut à se, aut ab auctore suo fortè quis possidet, Domino proprietatis possessionem propriam, absque præiudicio liberalitatis regiæ, integrâ reformatione restituat, vt quia Deus dona reprobat iniquorum, non ad iudicium suum Ecclesiæ res exteras derelinquat.

XV. DE ILLICITIS CONIVNCTIONIBVS.

IV. Conuenit etiam vniuersis fratribus, vt non solùm præsentium rerum actus, sed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita coniugia contra præceptum Domini sortiri præsumat, id est, fratris relictam, nec nouercam suam, relictámque patrui, vel sororem vxoris suæ sibi audeat sociare; neque auunculi quoque relictæ, neque nurus suæ vel matertera coniugio potiatur. Pari etiam conditione à coniugio amitæ, priuignæ ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abstineri.

XVI.

V. Sacratarum etiam virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quisquam coniugia sortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abstinendum (& hi qui eas rapere aut competere voluerint, à communione sunt remouendi) quæ vestium commutatione tam viduæ, quàm puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publicâ fuerint declaratione professæ. Quòd si contra interdicta quis venerit, & Sacerdotem suum audire neglexerit, & in præsenti à communione Catholicæ Ecclesiæ habeatur extraneus, & in perpetuum anathemate feriatur.

XVII.

VI. Et quia vtilium rerum cœpit causa tractari, hoc vniuersitas præcauere quoque debet, tam Sacerdotes, quàm Principes, omnisque populus, vt nullus res alienas competere à Regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quòd si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur. Posteriorem partem huius Canonis regio præcepto roborauit Childebertus Rex, deinde Clotarius, ac posteà Charibertus, vt ex Concilio Turonensi secundo post annos nouem celebrato constat, constitutionem Clotarij recitabimus suo loco.

XVIII. DE EXCOMMVNICATIS.

VII. Et quia vniuersis Sacerdotibus ita conuenit, vt si quis de eis à communione Ecclesiæ, pro contemptu Canonum, aut peruasione rerum Ecclesiasticarum, aliquem fortassè suspenderit, à nullo penitus Episcopo recipi præsumatur. Quòd si factum fuerit, is qui cum contra interdicta receperit, & à fratrum suorum erit concordia separatus, & æterni iudicis in futurum, vt confidimus, iracundiam sustinebit.

XIX. DE ORDINATIONE EPISCOPORVM.

VIII. Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit vt iuxta antiquam consuetudinem Canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissimâ quæsierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum comprouincialium ingeratur. Quòd si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimiâ temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt. Si quis de comprouincialibus recipere contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium caritate semotus. Nam de anteactis ordinationibus Pontificum ita conuenit, vt coniuncti Metropolitanus cum suis comprouincialibus Episcopis, vel quos vicinos Episcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta antiqua statuta Canonum, omnia communi consilio & sententiâ decernantur.

XX. DE SERVIS.

IX. De degeneribus seruis, qui sepulchris defunctorum pro qualitate ipsius ministerij deputantur, hoc placuit obseruari, vt sub quâ ab auctoribus fuerint conditione dimissi, siue heredibus, siue Ecclesiis pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat obseruari. Quòd si Ecclesia eos de fisci functionibus in omni parte defenderit, Ecclesiæ tam illi, quam posteri eorum, defensione in omnibus potiantur, & occursum impendant.

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

X. Et quia huic definitioni cuncti fratrum interesse minimè potuerunt, hoc omnis congregatio Sacerdotum Christo propitiante decreuit, vt constitutio præsens quantùs oblata fuerit, subscriptionibus eorum debeat roborari, quatenus in hoc quod vniuersis obseruandum est, vniuersitas debeat consentire.

Huic Concilio interfuerunt Episcopi quindecim, de quorum subscriptionibus agemus sigillatim eo quo leguntur ordine.

XXI. DE SVBSCRIPT. CANON.

I. Probianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Biturice consensi & subscripsi. Hic est Probianus Episcopus Bituricensis, sancti Desiderati successor, cuius temporibus defossâ humo sub vitium radicibus repertum fuit corpus sancti Vrsini primi Biturigum Episcopi, & in Ecclesiam sancti Symphoriani prope muros vrbis translatum frequente populo, vt Gregorius Turonensis [a] testatur in libro de gloriâ Confessorum. *Fuit*, inquit, *quidam Augustus nomine de domo Desiderati quondam Episcopi, cuius manus ac pedes ita contracti erant, vt se non aliter nisi de geniculis atque cubitis sustentaret, si alicubi processurus vellet incedere. Hic, inspirante Deo, de eleemosynis deuotorum, apud Briuas vicum in honore sancti ac beatissimi Martini Antistitis Oratorium ædificauit, cuius cùm in eo reliquias detulisset, statim directis membris sanus effectus est. Deinde collectis secum paucis Monachis sub regulâ Monastery degens semper in oratione vacabat. Vnde factum est, vt in sequenti accersitus ab Episcopo Abba ordinaretur, in Basilicâ sancti Symphoriani quam memoratus Pontifex* Probianus *fabricauerat ante conspectum muri Biturici, nec tamen Monachos, quos priùs congregauerat, relinquens, sed instituens eis Præpositum, ipse vtrasque cellulas gubernabat. Denique cùm apud hanc Basilicam moraretur, apparuit ei sanctus Vrsinus per visum noctis dicens. Defossâ humo inquire corpusculum meum, ego enim sum Vrsinus huius Vrbis primus Episcopus, qui ait. Quò ibo, aut vbi quæram sepulchrum tuum, cùm ignorem locum vbi sis positus? At ille apprehendens eius manum, duxit ad locum, & ait. Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur. Expergefactus Abba narrauit hæc Sacerdoti suo, sed ille parui pendens quæ à Presbytero dicebantur, nullum inquirendi studium posuit. Interea beatus Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus adfuit, susceptúsque ab Episcopo, post cænam domus Ecclesiasticæ, cùm se sopori dedisset, apparuit vtrisque per visum, Episcopo scilicet & Abbati, duxitque eos ad locum sepulchri deprecans vt auferrent eum à loco illo. Expergefacti simul ad vigilias conueniunt in ipsâ sancti Symphoriani Basilicâ, explicitisque officiis matutinis refert Episcopus Abbati quæ viderat, confessúsque est & ipse se vidisse similiter. Igitur insequenti nocte accedentes illuc cum vno tantùm Clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum, eúmque fodientes vsque in profundum, sepulchrum reperiunt. Quo detecto amotóque opertorio viderunt sanctum corpus tanquam dormientis hominis nullâ putredine resolutum. Quod admirantes & iterum opertorium componentes indicarunt Episcopo datâ die quæ viderant. Tunc ille conuocatis Abbatibus & Clero cum honore atque psallentio leuauerunt beatum sepulchrum, & quia vectes illi, quibus ferebatur, valdè longi erant, cùm venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu eius, vt ad ostium ædis sine labore accederent. Tunc beatus Germanus eleuatâ voce, ait, sancte Dei Sacerdos, si voluntas tua est in hac Basilicâ ingredi, sentiamus leuamen adiutory tui, & statim amisso pondere, ita in summâ leuitate factum est sarcophagum, vt relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quod vsque ad locum illum multi detulerant. Et sic celebratis Missis, gaudente populo iuxta altare sepelitur, multis se deinceps virtutibus manifestans.* Ceterùm Abbas ille, cui sanctus Vrsinus primùm apparuit, numero sanctorum ascribitur Nonis Octobris apud Molanum in additionibus ad Vsuardum, ibique Presbyteri titulo decoratur.

XXII. XXIII. INVENTIO S. VRSINI EP. BITVR.

[a] Cap. 80.

II. Prætextatus in Christi nomine Episcopus Rotomagensis consensi & subscripsi. XXIV.

III. Leontius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi. Hic Diœcesim Burdigalensem regebat. Apud Baudoniuiam, quæ librum de vita sanctæ Radegundis post Fortunatum scripsit, *vir illustris Leo ad Concilium Synodi* dicitur *euocatus à viris Apostolicis Leontio & Eusebio Episcopis*, id est, à Leontio XXV.

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46. RADEGVNDIS CLARET MIRACVLIS.

Episcopo Burdigalensi Metropolitano & ab Eusebio Episcopo Sanctonensi. Hæc Synodus, cui Leontius & Eusebius interfuerunt, eodem ferè tempore, quo Parisiensis in prouincia Lugdunensi quarta celebrabatur, habita est in Aquitania secunda, cùm Radegundis Oratorium iam constructum esset in honorem beatissimæ Virginis, & Basilicæ fundamenta nondum iecissent. Sic enim Baudonuia scribit in manuscripto Codice iam laudato. *Vir illustris Leo nomine ad Concilium Synodi euocatus à viris Apostolicis Leontio & Eusebio Episcopis, dum iter ageret, oculi eius graui sunt caligine obducti, sanguinis nube cooperti, & nisi à famulis sustentatus pergeret, penitùs nec viam videret. Qui ingressus Monasterium Beatæ, vbi filias suas ei deuotus tradidit Domino seruituras, introiuit in Oratorium Dominæ Mariæ dicatum. Post orationem datam, prosternit se fide plenus supra cilicium Sanctæ, viriliter eam inuocans, & tamdiu super iacuit, quousque dolor discessit, caligo fugata est, coagulatus sanguis se venis ministrantibus produxit, clarisque oculis, qui manibus sustentatus venerat, rediit. De cilicio Beatæ, lumen recepit, lætus atque incolumis ad Synodum ambulauit. Quod ipso post referente vniuersa Synodus audiuit, ac inde regrediens nobis hoc ore proprio disseruit. Ipsa & fecit deuotio fundamentum Basilicæ Dominæ Radegundis percudere, vbi & centum dedit solidos ad fabricam ipsam faciendam.*

XXVI. *IV. Germanus peccator Episcopus consensi & subscripsi.* Hic Episcopus erat Parisiorum.

XXVII. *V. Eufronius peccator Episcopus consensi & subscripsi.* Hic est Eufronius, qui Turonis sedere cœpit anno superiori.

XXVIII. *VI. Felix peccator Episcopus consensi & subscripsi.* Hic Episcopus erat Nannetensis.

XXIX. *VII. Domitianus peccator Episcopus consensi & subscripsi.* Hic est Domitianus Andegauensis Episcopus, Eutropij successor, qui Concilio Turonensi posteà subscripsit.

XXX. *VIII. Chardaricus peccator Episcopus consensi & subscripsi.* Hic Chardaricus non alius videtur ab Ardarico, qui Concilio quidem Parisiensi contra Saffaracum ante sex annos habito non interfuit, sed eiusdem Synodi Patres *facinus*, cuius reus erat Saffaracus, *à Saffaraci ore se etiam veridicâ assertione audisse perdocuit.* Cùm autem Episcopi, qui testimonium aduersus Saffaracum tulerunt, ex prouincia Senonensi seu Lugdunensi quarta fuerint, Medoueus videlicet & Leobinus, quorum alter Meldensium, alter Carnotensium Antistes erat, arbitramur Chardaricum in eadem quoque prouincia sedisse ad quam Parisij pertinebant. Episcopo Senonensi Metropolitano suberant septem comprouinciales, Carnotensis, Parisiensis, Meldensis, Aurelianensis, Trecensis, Autissiodorensis & Niuernensis. Saffaraci Parisiensis exauctorationi subscripserunt Constitutus Senonensis, Leobinus Carnotensis, Medoueus Meldensis & Aregius Niuernensis, nullam igitur illarum quinque Sedium obtinebat Chardaricus. In catalogis Aurelianensium Pontificum post Marcum, qui anno Christi quingentesimo quadragesimo-nono superstes erat, collocantur Tranclatus & Baudatus ante Ricomerum qui anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio Præsulatum gerebat, nullus ibi locus inueniri potest Chardarico. Par ratio est de Diœcesi Autissiodorensi, quam rexerunt Eleutherius, Romanus, Ætherius & Aunacharius, quorum primus anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo Aurelianensi Concilio subscripsit, postremus anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio, Parisiensi Synodo interfuit. Restat vt Chardaricum Tricassinis Præsulibus accenseamus, fauent istorum Antistitum catalogi hactenus editi, Ambrosio enim Gallomagnum subrogant, de illo autem nihil commemorant post annum Christi quingentesimum vndequinquagesimum quo Concilium Aurelianense quintum consignatur, déque hoc nihil ante annum Christi quingentesimum septuagesimum-tertium quo celebrata est quarta Synodus Parisiensis. Quamobrem nihil vetat quominùs paulò post Concilium Aurelianense quintum Ambro-

CHARDARICVS EP. TRECENS.

sio sufficiamus Ardaricum seu Chardaricum, qui Gallomagnum antecesserit, sederitque ad annos Christi, quingentesimum quinquagesimum-primum & quingentesimum quinquagesimum-septimum, quibus habitæ sunt Synodi Parisienses secunda & tertia. AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

IX. Gonothigernus peccator Episcopus Ecclesiæ Syluanectensis consensi & subscripsi. Hic Gonothigernus, cuius iam suprà meminimus, Frodigernus & Fredigerius vocatur in catalogo Syluanectensium Antistitum. XXXI.

X. Paternus peccator Episcopus consensi & subscripsi. Hic est Paternus Episcopus Abrincensis, cuius vitam recitat Surius XVI. Kalendas Maias. Sedit annos tredecim ab anno Christi quingentesimo quinquagesimo ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-tertium. Fallitur Brouuerus cùm existimat huic Paterno adhuc Abbati necdum Episcopo inscriptum à Fortunato de Codicis emendatione Carmen, quod est tricesimum libri tertij. Nam Paternus Episcopus Abrincensis, de quo nunc agimus, eodem fermè tempore desiit viuere, quo Fortunatus in Gallias venit. XXXII.

XI. Lasciuus peccator Episcopus consensi & subscripsi. Hic Lasciuus idem nobis videtur ac Lauscius Episcopus, qui Paterno Abrincensi & Lautoni Constantiensi synchronus vixit, teste Surio in vita sancti Paterni iam laudata, & nostro iudicio Baiocensem Ecclesiam rexit, vt in obitu sancti Paterni dicemus. XXXIII.

XII. Chaletricus peccator Episcopus Ecclesiæ Carnotensis consensi & subscripsi. XXXIV.

XIII. Edibius peccator Episcopus consensi & subscripsi. Hic Episcopus fuit Lutouensis *, & in Nomenclatura Guidonis, vt Ioannes Plantauitius in Chronologia Præsulum Lodouensium obseruauit [a], dicitur negotia quædam Ecclesiæ suæ Lutouensis seu Ludouensis in aula Childeberti Regis pertractasse, & ex occasione interfuisse Concilio Parisiensi tertio, de quo nunc agimus. XXXV.

* *De Lodeue.*

[a] Num. 8.

XIV. Samson peccator Episcopus consensi & subscripsi. Hic primus Dolensium * Episcopus fuit, cuius vitam ediderunt Ioannes à Bosco in Bibliotheca Floriacensi & Laurentius Surius quinto Kalendas Augustas. XXXVI.

* *De Dol.*

XV. Ferrocinctus in Christi nomine consensi & subscripsi. Quam Sedem hic tenuerit, haud certò scimus. Suspicamur Episcopum fuisse in prouincia Lugdunensi secunda, quia multi Episcopi illius prouinciæ, vt ex prædictis constat, huic Concilio interfuerunt, & præter Episcopum, de quo nunc inquirimus, neminem hactenùs reperimus, qui vocaretur Ferrocinctus, excepto Rotomagensis Ecclesiæ Archidiacono, cuius mentio fit apud Angradum in vita sancti Ansberti Rotomagensis Episcopi. Ferrocincto locum fortè non temerè tribues inter Episcopos Ebroicenses post Licinium, qui Synodis Aurelianensibus tertiæ & quintæ subscripsit, ab illo enim Licinio, de quo post Concilium Aurelianense quintum, siue post annum Christi quingentesimum vndequinquagesimum, nihil occurrit, vsque ad Ragnericum, qui Concilio Cabilonensi sub Clodoueo Secundo Rege interfuit, in Nomenclatura Episcoporum Ebroicensium duo tantùm commemorantur, Viator scilicet & sanctus Landulphus. XXXVII. EPISCOPI EBROICEN.

Ex illis quindecim Episcopis, qui Concilio Parisiensi subscripserunt, Martyrologio Romano inscripti habentur quinque; Prætextatus Rotomagensis sexto Kalendas Martias, Eufronius Turonensis pridie Nonas Augustas, Germanus Parisiensis quinto Kalendas Iunias, Paternus Abrincensis decimo-sexto Kalendas Maias & Samson Dolensis quinto Kalendas Augustas. Præterea Burdigalenses sanctum Leontium decimo-septimo Kalendas Decembres, Nannetenses sanctum Felicem Nonis Iuliis, Carnotenses sanctum Caletricum octauo Idus Octobris venerantur. His adde & Probianum Episcopum Bituricensem, quem multi Scriptores sanctum appellant. XXXVIII. EPISCOPI SANCTITATE CELEBRES. XXXIX.

Illis temporibus Sagiensem Episcopatum administrabat Milehardus, cui locus in catalogo Sagiensium Antistitum tribuitur inter Passiuum cuius men- MILEARDVS EP SAGIENS.

AN. CH. 557. CHILDEB. CLOTAR. RR. 46.

tio fit in Conciliis Aurelianensibus secundo, tertio, quarto, quinto, & Leudebaudem qui Synodo Turonensi subscripsit exeunte anno Christi quingentesimo sexagesimo-sexto. Sub Milehardi Pontificatu floruit beatus Cerenicus, cuius iter ex Italiâ in Franciam & in Diœcesim Sagiensem ita describitur. Cerenicus & Cerenedus fratres apud Spoletum in Vmbriâ nati sunt, relictâ patriâ in Galliam profecti consederunt aliquandiu in loco cui nomen Saluia * in Diœcesi Cenomanensi, sed Cerenicus cùm posteà diuinâ reuelatione iussus esset aliò secedere, Milehardum adiit Sagiensem * Episcopum, eóque annuente cellulam in confiniis Episcopatuum Sagiensis & Cenomanensis ad confluentes Sartulæ * in Sartam super excelsâ præruptâque rupe construxit. Hæc Anachoretæ sedes paulo pòst creuit in illustre Cœnobium, cuius situm sic depinxit Ordericus Vitalis [a]. *Scopulosum montem anfractus S[illegible] * fluminis ex tribus partibus ambit, in quo sanctus Cerenicus * venerandus Confessor tempore Milehardi Sagiorum Pontificis habitauit. Ibi Monachis Cœnobium fundauit, cum glorioso cœtu Domino militauit.* Et inferiùs testatur Cerenicum Abbatem centum quadraginta Monachis præfuisse. *Sub præfato*, inquit, *Archimandritâ centum quadraginta, vt fertur, cultores ibidem in vineâ Domini Sabaoth laborauerunt.* Ab eo monte non procul aberat Leonardus Anachoreta, cuius iam meminimus, & Coruaisierus, qui Sanctorum Leonardi, Cerenici & Cerenedi * vitas in Historiâ Cenomanensium Episcoporum descripsit, obseruat singularem amicitiam inter Leonardum & Cerenicum propter viciniam locorum interfuisse. De tribus hisce sanctissimis viris, quorum memoria diuersis diebus in Ecclesiâ celebratur, sermonem iterum faciemus, sed quoniam de Milehardo Sagiensium Antistite nihil amplius occurret, hoc loco prædicabimus illius sanctitatem, quam Democharis [b] & Authores Galliæ Christianæ iam publicarunt, nec non Saussajus in supplemento [c] Martyrologij Gallicani, cùm Lotharium Sajorum Episcopum scribit cæli ciuem pro meritis effectum fuisse *cum Sanctis antecessoribus suis Latuino, Landrico, Milcardo, Rauenero, & Alnoberto.*

CERENEDVS ANACHOR.
* *Sauge.*
* *De Sais.*
* *Le Sarton.*
[a] Lib. 8.
* *La Sarthe.*
* *Cerenic.*
CERENICVS ABBAS.
* *Cerené.*
[b] De Miss. Gallic. cap. 21.
[c] D. 15. Iun.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

ANNVS CHRISTI 558.

CHILDEBERTI R. 47.

CLOTARII R. 47.

INDICTIO 6.

I. ANNVS Christi quingentesimus duodesexagesimus in fastis est decimus-septimus post Basilij Consulatum, currente Indictione sextâ.

II. Sapaudus Episcopus Arelatensis, cui Pelagius Papa vices Apostolicas & vsum Pallij non ita pridem concesserat, alterius Episcopi iudicium contra Sedis suæ priuilegium subire iussus est, ideò graues apud Childebertum Regem motæ à Pelagio Pontifice querelæ. *Domino filio gloriosissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi, Pelagius. Cùm Celsitudini vestræ multa dona misericordia diuina contulerit, pro amore tamen, quem Ecclesiæ eius synceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores, quoniam inter alias regni vestri curas pro tranquillitate sanctæ Ecclesiæ præcipuam sollicitudinem vos certum est exhibere. Quæ cùm ita sint, miramur quia, quantùm nobis præsentium portitorum suggestio patefecit, passi estis subripi vos, Sapaudum fratrem & Coepiscopum nostrum Arelatensis ciuitatis Antistitem, cuius Ecclesia in regionibus Gallicanis Primatûs priuilegio &*

LITERÆ PELAGII PP. AD CHILDEBERT. REG.

Sedis Apostolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Episcopi ab ipso ordinati, in iudicium sequentis ciuitatis Episcopi, quod nulli Ecclesiastica lege vel ratione conceditur, iudicandum iuberetis occurrere, vt ipso de conculcato loci sui præiudicio conquerente, illum qui vsurpauit necesse sit de illicitâ præsumptione culpari. Pro quibus, Christianitatis vestræ confidentiâ freti, paterno studio postulamus, vt si quid tale factum est, congruâ satisfactione celeriter amputetur, nec vllum sui exemplum in perturbatione Ecclesiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et huiusmodi causis sollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Ecclesiasticas regulas petentibus concedatis, quia quod benè cognitum est religiosæ menti vestræ, non aliter Deo nostro rectè potest regalis deuotio famulari, nisi prouidentiâ eius Ecclesiasticorum ordinum seruetur integritas. Incolumitatem Excellentiæ vestræ Deus noster custodiat, domine fili gloriosissime atque præcellentissime.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

III. NAAMATIVS EP. VIENN. MORITVR.

Naamatius, qui Patritius quondam fuerat vt eius epitaphium testatur, deinde Esychio in Episcopatu Viennensi successerat, discessit è viuis hoc anno, cùm lustrum ætatis decimum-quintum ageret, & annos vixisset septuaginta tres à Consulatu Symmachi Iunioris, siue ab anno Christi quadringentesimo octogesimo-quinto, vt ex Fastis Cassiodori, Marcellini & Marij constat. *Nobilis stemmate* dicitur in Adonis Chronico, *sed nobilior vitâ & eloquio.* Sepultus est in sinistrâ parte altaris Basilicæ Apostolorum, atque posteà in Ecclesiam sanctæ Mariæ retro altare translatus; locum in Martyrologio Romano non obtinet, sed in Breuiario Viennensi colitur decimo-quinto Kalendas Decembris, & vt Boscius affirmat, ipsius elationis die anniuersariâ, vt etiam Aaronis, Pantagathi, Aquilini, Georgij, & Eutherij Pontificum Viennensium, necnon Leoniani & Marculphi Abbatum, indulgentias quadraginta dierum visitantibus Cœnobium sancti Petri Viennensis, in quo quiescebant, Innocentius Quartus Papa concessit, quamquam idem Author obseruat Aaronem & Aquilinum in eo solo Innocentij diplomate Pontifices Viennensium dici. Porrò Naamatij epitaphium, quod integrum in antiquitatibus Viennæ legitur, his clauditur versibus, qui præter Symmachi iunioris Consulatum sub quo natus est, & annorum quos vixit numerum produnt, & ipsum quo decessit annum indicant.

Huius si quæras annum finémque salutis,
Septies hic denos & tres compleuerat annos,
Post fasces posuit, & cingula Symmachus ampla
Iunior; & quintus decimus cùm surgeret orbis,
Ad summos animam celos emisit opimam,
Corpus humi mandans, terræ terrena reliquit.

IV. COENOBIA S. ANDREÆ VIENNÆ.

Naamatio successit in Episcopatu Philippus, *cuius temporibus*, inquit Ado, *Monasterium sancti Andreæ subteriorîs Viennæ conditum à Remiliâ Eugeniâ Ansemundi Ducis filiâ, atque sub testamento matri Ecclesiæ traditum. Nam aliud Monasterium superius sancti Andreæ, in colle ciuitatis situm iam erat. Fundauerat enim ipsum sanctissimus Leonianus temporibus sancti Auiti eiusdem vrbis Episcopi, vbi eadem ipsa Remilia sub regulari disciplinâ nutrita fuerat.*

V. PATROCLVS SECEDIT IN EREMVM.

Hoc anno Patroclus Presbyter, qui pueros à multis annis in studiis literarum apud vicum Nerceusem erudiebat, cùm locus ille non ei solitudo esset, vt voluerat, *pro hospitio, quibusdam breuibus conscriptis posuit super altare, vigilans & orans tribus noctibus, vt quid ei Dominus agere iuberet, dignaretur manifestissimè declarare. Sed pietatis diuinæ inclyta miseratio, quæ eum præsciens Eremitam esse decreuerat, breuem illum accipere iubet, vt ad eremum properaret. Ille autem in cellulâ quâ degebat congregatis virginibus Monasterium instituit puellarum, nihil de omni labore suo, quod ibidem aggregauerat cùm abscederet sumens, nisi rastrum vnum vnámque bipennem. Ingressus itaque altas sylvarum solitudines venit ad locum qui dicitur Mediocantus. Ibique constructâ cellulâ in opere quo supra diximus Deo vacabat.* Vixit in eremo annos octodecim. Aliquando Diabolus *immisit ei cogitationem, vt prætermissâ eremo ad seculum reuerti deberet, sed hic san-*

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

ctus cùm virus grassari sensisset in pectore, in oratione prostratus petebat vt nihil aliud nisi quod Deo esset placitum exerceret. Tunc apparuit ei Angelus Domini per visum dicens. Si vis mundum videre, ecce columna, in quâ ascendens contemplare omnia quæ geruntur in eo. Erat enim ante eum per ipsam visionem columna miræ celsitudinis collocata, in quâ ascendens vidit homicidia, furta, cædes, adulteria, fornicationes, vel omnia prava quæ geruntur in mundo. Et descendens ait. Nequæso, Domine, reuertar ad has prauitates quas dudum, te confessus, oblitus sum. Tunc ait illi Angelus, qui cum eo loquebatur. Desine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo, sed potius vade in Oratorium, in quo Dominum deprecaris, & quod ibi inueneris, hoc tibi erit consolatio in peregrinatione tuâ. Ingressusque cellulam Oratorij inuenit tegulam fictilem, in quâ signum Crucis Dominicæ erat expressum. Agnoscensque munus diuinum, intellexit sibi ad omnia mundanæ persuasionis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum. Hæc in eius vitâ [a] Gregorius Turonensis, cuius Interpolator in Historia Ecclesiastica hoc addit elogium capite decimo libri quinti, quod abest à Codicibus, Bellouacensi, Corbeiensi ac Metensi. *Fuit in Biturico termino Reclusus nomine Patroclus, Presbytery honore præditus, miræ sanctitatis ac religionis, vir magnæ abstinentiæ. Qui plerumque ab inediâ, diuersis incommodis vexabatur. Vinum, siceram, vel omne quod inebriare potest, non bibebat, præter aquam parumper melle linitam, sed nec pulmento aliquo vtebatur. Cuius victus erat panis in aquam infusus, atque sale respersus. Huius oculi nunquam caliguerunt. Erat autem in oratione assiduus, quam si parumper prætermisisset, aut legebat aliquid, aut scribebat. Frigoriticis, pustulis laborantibus, vel reliquis morbis, sæpè per orationem remedia conferebat. Sed & alia signa multa fecit, quæ per ordinem longum est enarrare. Cilicium semper puro adhibebat corpori.*

[a] De vit. Patr. cap. 9.

VI. Ferreolus Vceciensis Episcopus Lutetiæ sic exulabat, vt apud Childebertum Regem in magno honore esset, quamuis Vcetiam redire non permitteretur. In exilio mansit per tres annos. *Quadam vero die*, inquit Author vitæ, VI. *feriâ horâ diei tertiâ, dum coram Rege præfato positus adstaret, cognouit Spiritu sancto sibi reuelante, quòd Ecclesia, quam construxerat Vcetiæ, arcus cecidisset. Vnde & mœstus factus est, & contristatus est. Propter hanc reuelationem vidit eum Rex tristem & inquirere cœpit quid haereret, aut cur tristis staret. Cui B. Ferreolus dixit. Ecclesia quam construxi Vcetiæ in honorem B. Pauli Apostoli, vbi corpus meum humare rogaueram, modo eiusdem arcus Ecclesiæ cecidit, quo audito Rex obstupefactus simúlque admiratus accersito Notario diem, tempus, horámque notari præcepit, atque sub omni celeritate Vcetiam mittens diligenter inquiri poscit, qui ipso die & eodem tempore horâque reperit Vcetiæ arcum Ecclesiæ cecidisse, quod vir Domini B. Ferreolus Episcopus Parisius positus per Spiritum sanctum se cognouisse testatus est. Tunc præfatus Rex vt cognouit quòd vir Dei esset, orationibus eius se commendans, rogauit vt pro se suisque Domino preces fundere dignaretur, atque eum multis muneribus ditans, cum magno honore & multis opibus remisit cum ad sedem suam. Cùmque de exilio regressus introiret Vcetiam ciuitatem summo fauore plaudebant omnes pariter, quòd Ecclesia recepisset Pontificem, grex Pastorem, ac si omnes cum ipso tunc rediissent ad patriam, ita sine illo exules fuissent. Congregatâ itaque Synodo S. Theodorici, multisque Sacerdotibus & Diaconibus adunatis & omni Clero, omnes Iudæos qui in territorio ipsius ciuitatis erant, adunari præcepit, qui venientes in supradictam Ecclesiam cœpit eos docere, & prædicare, vt, relicto errore perfidiæ, Christo Domino crederent, & se baptismi gratiâ purificarent. Aliqui verò ex illis Iudæis credentes baptismi gratiâ sunt renati, qui verò increduli permanserunt, omnes vt discederent præcepit, nec passus est in eadem ciuitate vel intra murum ipsius ciuitatis, ex ipsis Iudæis habitare, nisi qui se Christo credere profitebantur, sed omnes eiecit, atque ex suâ Diœcesi expulit, nec posteà in ipsâ ciuitate vllus Iudæus habitare permissus est.* Quòd autem audis Synodum à Ferreolo congregatam in æde S. Theodorici, restitue Theodorum, vel, vt Sozomenus [b] appellat, Theodoretum, nam primarium Vcetiæ templum huic Martyri dicatum erat, cuius egregium certamen in Martyrologio Romano sic describitur decimo Ka-

FERREOLVS EP. REDIT VCETIAM.

COGIT SYNODVM.

PELLIT IVDÆOS.

[b] Lib. 5. c. 7.

lendas

lendas Nouembres. *Anthiochiæ in Syria Natalis sancti Theodori Presbyteri, qui in persecutione impij Iuliani comprehensus, post equulei pœnam & multos ac durissimos cruciatus, lampadibus etiam circa latera appositis inflammatus, cùm in confessione Christi persisteret, occisione gladij Martyrium consummauit.*

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47. VII.

Idem Ferreolus seu Ferriolus Monasterium instituit, quod suo de nomine Ferriolacense nuncupauit. Illius loci Monachis Regulam scripsit, quam Lucretij Diensis Episcopi censuræ permisit, vt hæc Præfatio siue Epistola dedicatoria docet. *Domino sancto, & cæterorum comparatione sanctissimo, & socio Apostolorum, Christique discipulo Lucretio Papæ, Ferriolus Episcopus. Hortatu quorumdam, operante Deo, & vnâ deuotione accensus, in qua seruorum Dei habitaculum ipsa sibi diuinitas collocaret, ipse terra obtuli aliam terram conferens. Quod deputo sanctæ Congregationi, hoc mei dare saluti credo, vt in vnum, more apum, religiosorum turbâ collectâ, dum pro meis plenè peccatis orationum suarum flores offerunt, quamdulcia mihi intercessione mella conficiant. Et quoniam necesse fuit nouo huic populo velut iugum nouæ legis imponi, non quo eorum colla deprimerem, sed vt mentium ceruices potiùs inclinarem, Regulam, quæ ab eis pro lege seruetur, licentiâ à vobis tam petitâ quàm acceptâ, conscripsimus. In qua si quid seueritate durum, si quid remissione mollissimum iudicio scientiæ adiudicaueritis, censuram manus vestræ pagina melius inde lecturis placitura suscipiat. Vt hoc mihi magis gloriæ detur, quod digna inuenta est Regula, quam per vos correxistis, fugiendo à facie verecundiæ. Si verò, vt credo, indicium amoris operam veram infligere dignetur correctione literæ, quicquid demùm inepti lectio incastigata protulerit erroris, liberum à culpa erit, cùm libellum vestræ me constat subdidisse censuræ. Mihi tamen orandum est, vt inprimis Deo, deinde vobis illud placeat quod scripsimus, & illis quibus hæc seruanda mandamus, vt in nomine Domini Iesu Christi obedientes in omnibus diuinis præceptis, æterna ab eis præmia & gloria sine fine, bonæ tantùm vitæ empta pretio vindicetur, præstante Domino ac Deo nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, dominatur & regnat in secula seculorum. Amen.* Hæ literæ palàm ostendunt quanta in existimatione fuerit Lucretius Diensis Episcopus, de quo mentionem sæpè fecimus.

SCRIBIT REGVLAM MONACH.

VIII.

Regula sancti Ferreoli à sancto Benedicto Anianæ Abbate non ratò citatur in Concordia Regularum. Extat integra in Codice [a] Regularum apud Lucam Holstenium, distribuiturque in Capitula triginta nouem, quorum pleraque conformia sunt statutis sancti Cæsarij suprà descriptis. Non pauca contrahemus in epitomen, ne fastidio sit frequens earumdem sanctionum repetitio.

[a] Part 1. DISTINCTAM IN CAPIT. 39.

IX.

Capitulum primum est de obedientia, oportet enim, vt Monachus, qui *multas in se virtutes ædificare* debet, *obedientiæ in se collocet fundamentum.*

DE OBEDIENTIA.

X.

Secundum est de reuerentia erga Abbatem, *vt & amor ostendat concordiam, & timor nonerit disciplinam. Rectè enim timetur vt Dominus, & amatur vt Pater, cui sanctæ Congregationis grege commisso, animarum propriè cura mandatur.*

DE REVERENTIA ERGA ABBATEM.

XI.

Tertium est de caritate, *vt implcatur in Monachis, quod lectio Apostolorum quasi omnibus exemplo præmisso, specialiter tamen religiosorum oculis anteponit.* [*Erat illis cor vnum & anima vna.*] *Cauendum est ergo per omnia Monacho, ne aliquid simultatis aut ody vel corde gerat, vel opere præferat, vel irâ victus ostendat.*

DE CARITATE.

XII.

Quartum prohibet, ne qua mulier, seu religiosa seu laïca, in Monasterium ingrediatur, *sed longè à Monasterio quemlibet fratrum euidens causa colloquium cum fœminis duntaxat honestus habere compulerit, sciente vel permittente Abbate, & adhibitis testibus, id est, iunctis secum duobus ex fratribus accipiat licentiam colloquendi, ita tamen vt Abbas causam, de qua collocutio extiterit, non ignoret.*

DE COLLOQVIO CVM FŒMINIS.

XIII.

Quintum est de disciplina suscipiendorum fratrum. *Si quis veniat Religionem expetens, Monasterium intraturus, nisi elapso priùs anni circulo, vel certè, si Abbati visum fuerit aliquantulum temperare, antequam sex mensis dierum numero compleantur, Monachorum contubernio non iungatur, vt in tanto spatio ignorantibus qualis sit futurus ostendat, & diuturnâ obseruatione clarere possit, si quid secum*

DE DISCIPLINA FRATRVM SVSCIPIENDORVM,

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

crudelitatis attulerit. At verò quando priùs ad Monasterium venit, & recipi se in numero postulat Monachorum, interrogetur vtrùm liber sit; hæc Abbati prima cùm satisfecerit responsio, adiiciat, si nullâ præter deuotionis causam compulsus Monasterium duxerit expetendum. Post hoc, Monastery Regula, Abbatis ei iniunctione legatur, vt inposterum nihil nouum vel inusitatum, aut, si discessurus, prætereat; aut, si permansurus, agnoscat. Vicinam tunc Monasterio cellulam, dum prænotatum tempus obseruat, accipiat, victúmque quotidianum à Monasterio, si inter reliquos operetur, expectet, lectioni ante omnia & orationi dans operam, vt dignetur eum ille omnipotens scrutator animæ cognitórque secreti, familiæ suæ, meritis sanctæ conuersationis, adnumerare, & fiat, sicut scriptum est, vnus grex & vnus pastor. Hoc caput deprauatum videtur apud Benedictum Anianæ [a] Abbatem & apud Holstenium [b], restitutum est à nobis, initâ priùs vtriusque Codicis collatione.

[a] Cap. 67. § 11.
[b] Part 2. Cod. Regular.

XIV. DE MONACHIS ALTERIVS MONASTERII NON SVSCIPIENDIS.

Sextum vetat *Monachum omninò siue Clericum alterius loci recipi sub quslibet causa.* Rationem prohibitionis huiuscemodi sic reddit. *Hinc plerumque non tantùm inter Abbates, sed etiam inter Monasteria lites insanabiles oriuntur, dum vnus nititur defendere quem suscepit, alter reuocare quem perdidit, & ad extremum, nisi reddatur illi petitori petitus, & iniurius restauratio recepti placauerit iniuriam acceptam, fit vt non secundùm Apostolum vincant in bono malum, sed vtrique mali vincantur vno malo.* Subiicit exceptionem, & Monachos ac Clericos peregrinos in Monasterio nonnunquam suscipi sic permittit. *Attamen nec illud prætereundum censuimus, vt si fortè alterius loci, vt suprà dixi, Monachus siue Clericus scripta Abbatis vel Episcopi sui deferat, in queis manifestè probetur non propter vitia cauendus, sed propter caritatem Dei missus, ipse tantùm socius fieri Congregationis obtineat.* Sed quàm rarò id possit contingere, mox subdit hàc clausulà. *Si tamen credi vllo modo potest, bono suo quemquam velle exspoliari & alium suâ nuditate vestiri.* Hoc Capitulum, quod Concordiæ Regularum [c] insertum est, in vulgatis exemplaribus prohibet *Monachum omninò siue Clericum alterius loci vel Monastery recipi sub qualibet causa.* Sed cùm capi non possit de Clerico qui Monachus non est, aut synonimæ sunt hæ duæ voces, *loci* & *Monastery*, aut alterutra delenda est, priorem expungit Hugo Menardus in Notis ad Concordiam Regularum, posteriorem sustulimus, quia priorem retinet repetitque phrasis hæc subsequens, *si fortè alterius loci, vt suprà dixi, Monachus siue Clericus scripta Abbatis vel Episcopi sui deferat.* Liquet autem hoc caput non intelligendum esse de quolibet Clerico, sed tantùm de eo qui sit Monachus, queritur enim de litibus duntaxat inter Abbates aut inter Monasteria futuris. Hic igitur distingue duo genera Monachorum, vnum eorum qui non sunt Clerici, dicuntúrque Monachi simpliciter, alterum eorum qui sunt in Clericatu, vocantúrque Clerici. Illi possunt in alio Monasterio suscipi, modò literas commendatitias Abbatis sui deferant, hi nequaquam, nisi præter Abbatis sui literas, habeant & literas Episcopi sub cuius sunt potestate, nam Monachi qui sunt Clerici, quatenùs Monachi, subsunt Abbati, quatenùs Clerici, subsunt Episcopo.

[c] Cap 68. paragr. 5.

XV. DE CAVENDA DETRACTIONE.

Septimum Capitulum est, *vt nullius in Congregatione murmur seu detractio contra Abbatem aut quemlibet alium de fratribus audiatur.*

Octauum, *vt elatio superbiáque omninò vitentur.*

XVI. SVPERBIA,

Nonum, *vt inuidiam, quod est maximum vitium, ante omnia Monachus foribus mentis excludat.*

XVII. INVIDIA,

Decimum, *vt nullus Monachorum aliquid sibi proprium absque societate fratrum audeat vindicare, ita vt etiam in his quæ sua sunt nihil amplius credat sibi iuris esse quàm ceteris, quia cùm seipsum alterius subdidit potestati, omnia secum in alienam potestatem transmisit. Quicquid ergo secum rerum detulerit, expetito consortio Monachorum, ac vbi corpori Congregationis membrum factus adhæserit, statim cognoscat omnia in communionem transisse, & hoc tantùm iudicet proprium, quicquid cum fratribus possederit indiuisum.* Hoc caput citatur à Trithemio in libro [d] de proprietate Monachorum.

XVIII. PROPRIETATE.

[d] Cap. 5.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Vndecimum est, vt nullus Monachus literas ignoret. *Omnis, qui nomen vult Monachi vindicare, literas ei ignorare non liceat. Quin etiam Psalmos totos memoriter teneat, neque se quâcumque excusatione defendat, quominùs sancto hoc studio capiatur. Similiter etiam his, qui pastores pecorum, vt est moris, de Congregatione mittentur, curæ erit vacare Psalmis vt ceteri, ne in id quod maius est minores inueniantur, & in confusionem sui illud eis aptetur exemplum* [*Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.*] Sanctus Ferreolus, cùm præcipiat hoc Capitulo, vt is qui Monasterium expetit, totum Psalterium memoriter iam teneat, infantes ac pueros non admittit, quos à parentibus oblatos sanctus Benedictus [a] aliique suscipiunt.

XIX. DE PSALTERIO MEMORITER TENENDO.

[a] Cap 59.

Duodecimum est de ordine psallendi. Statuit sanctus Ferreolus, *vt omni tempore Psalmi vsque ad finem Psaltery in ordine decantentur.* Vtrùm autem id singulis diebus, an singulis tantùm hebdomadis impleri velit, haud indicat. Non defuerunt antiqui Monachi, qui cursum totius Psalterij quotidie persoluerent, alij quâlibet saltem septimanâ persoluendum putarunt. Posteriorem consuetudinem, vt remissiorem tepidisque Monachis sui temporis accommodatiorem amplexus est S. Benedictus, priorem verò laudauit vt sanctiorem ac Monastico feruori conuenientiorem. *Omnimodis*, inquit [b], *id attendatur, vt omni hebdomadâ Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad Vigilias, quia nimis inertes deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minùs Psalterio cum Canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, cùm legamus sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè implêsse, quod nos tepidi vtinam septimanâ integrâ persoluamus!* Sanctum Ferreolum hâc parte sancto Benedicto seueriorem fuisse non existimamus, sed inter vtriusque Ordinem discrimen agnoscimus haud leue. Nam sanctus Benedictus ex toto Psalterio seligit Psalmos aliquot, quos certis nonnullorum dierum horis assignat, priusquàm reliquos qui supersunt in ceteras aliorum dierum horas partiatur. At sanctus Ferreolus nullâ Psalmorum selectione factâ totum Psalterium, prout ordo Psalmorum occurrit, in septem distribuit partes, quæ totidem diebus in hebdomada respondeant, eóque modo præcipit, *vt omni tempore*, seu quâlibet anni tempestate, *Psalmi* singulis hebdomadis *vsque ad finem Psaltery in ordine decantentur.* Eodem pòst capite distinguit dies in Dominicos seu festiuos & in priuatos, vúltque diuinum Officium seu nocturnum seu diurnum priuatis diebus *secretiùs* in Oratorio scilicet interiori, diebus verò festiuis in Ecclesia publicè celebrari. *Sibi tamen*, inquit, *secretiùs propter propriam mercedem, excepto publico psallendi cursu Dominico, quantùm per singulos dies Deo tamen scienter laudes offerat occultâ ruminatione. Similiter etiam conuenerit oratione subiunctâ noctibus Psalmorum frequentiâ vigilare, vt impleatur illud* [*In die clamaui & nocte coram te.*] *Et illud* [*In lege eius meditabitur die ac nocte.*]

[b] Cap. 18.

XX. DE ORDINE PSALLENDI.

Caput decimum-tertium est de Vigiliis, & Matutinis seu Laudibus. Sanctus Ferreolus Vigilias ponit in duplici differentia. Prioris generis sunt longiores quædam Vigiliæ, quæ vel propter extraordinariam causam vel propter solemnem festiuitatem instituuntur. Posterioris generis sunt Vigiliæ quotidianæ. Ad vtrasque Monachi vocantur sub graui pœna. Ad priores sic. *Quotiescumque Vigilia nocturna propter exorandum Deum, aut deuotione petitur, aut festiuitate debetur, nullus Monachorum, præter ægritudinem certam, aut necessitatem si præsens fuerit, absens esse præsumat.* Ad posteriores sic. *Ad Nocturnas verò cunctis diebus ita omnes celeriter paritérque consurgant, vt cunctis simul concurrentibus nullus inueniatur venisse posterior.* Si desunt, hâc pœnâ mulctantur. *Qui contrarius huic deprehenditur statuto, tot diebus solus ieiunet, quot horis cum fratribus vigilare non voluit.* Vt autem ad Matutinas, id est, ad Laudes, veniant, vix censentur monendi, quia nunquam creduntur abfuturi, *vt quotidie ad Matutinas omnes omninò surgant, si non censetur superfluum commonemus.* Hinc collige Monachum, qui non venerit ad Laudes, pœnas ad-

XXI. DE VIGILIIS ET LAVDIBVS.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

huc grauiores daturum, quàm si Vigiliis non interfuerit.

XXII. DE VESTIBVS.

Caput decimum-quartum est de vestimentis. *Vestimenta supersufficientia Monachus non requirat, qui non amplius, quàm quod ad quotidianum vsum Abbas necessarium viderit, consequatur, dicente Domino ad discipulos,* [*neque duas tunicas habeatis.*] *Quas duas tunicas intelligere debemus non numero, si propter hyemem necessariæ esse videntur, sed supra vsum, si reseruatæ fuerint, computari.*

XXIII. MONACHVS NON FIAT PATRINVS.

Decimum-quintum prohibet, ne pueri baptizentur in Monasterio, & ne quis à Monacho de baptismo suscipiatur. *Baptizari in Monasterio parvulos tractauimus necessarium non esse, sicut in reliquis Monasteriis obseruatur, neque Monacho vllo loco de lauacro sancto filios cuiuslibet excipere, ne parentibus illius, vt fieri solet, illicitâ paulatim vel turpi familiaritate iungatur. Quod si quis præsumpserit, vt transgressor Regulæ corrigatur.*

XXIV. CELLAM SINGVLAREM NON HABEAT.

Decimum-sextum præcipit, vt *totam Congregationem mansio & domus vna concludat*, vetátque ne quis cellam separatim habeat præter Abbatem, artifices & infirmos. *Cellam singularem, præter Abbatem, neque ad manendum, neque ad alium quemcunque vsum, vlli habere liceat Monachorum. Artifices tamen ad operandum tantùm habeant. Illos verò quos corporea fragilitas debilitat, cognitâ si infirmitate languor obsederit, dum vigorem pristinum corporis integritate sumunt, deputatâ intra Monasterium & non nisi congruâ mansione à Congregatione interim separentur, vt celeriùs salutem conferat ipsa quæ fit à Congregatione remotio.*

XXV. DE PRÆPOSITO. ET FORMARIO.

Decimum-septimum est de Præposito & de Formario. *Sub Abbate personam strenuam & disciplinam valdè amantem, qui dignam curam Præpositi nonénque suscipiat, decreuimus pro solatio Abbatis institui, vt honor illi minùs sit onerosus, dum labore diuiso à duobus quotidiana solicitudo suscipitur. Et ideò æquum erit, vt cum iussione Abbatis ei veneratio & obedientia exhibeatur. Nam & post ipsum, quem suprà diximus Præpositum, qui in bonis sit forma, statuimus regularem formare Formarium, vt faciliùs adiutorio isto subiuncto Abbas, cui nomen Pater est, vberes fructus metat de perfectione dulcium filiorum, ambo tamen sub potestate Abbatis cum reliquis atque inter reliquos se esse cognoscant.*

XXVI. DE LECTIONE PASSIONVM MARTYRVM.

Decimum-octauum est de passionibus Martyrum legendis. *Gesta Martyrum, id est, Passiones sanctorum fidelium, quædam compaginata studio & sermone digesta sunt, tempore quo nobis diem migrationis eorum anni meta cursus sui legibus repræsentat, recenseri in Oratorio audientibus cunctis omninò decernimus, vt non otiosè prætereat dies, atque vt reliquis similis habeatur, quem sicut tunc illustrauit constantia Martyris, ita nunc commendet memoria Passionis.*

XXVII. ET SACRARVM SCRIPTVRARVM.

Decimum-nonum est de frequenti lectione sacrarum Scripturarum. *Propter pigras mentes quorumpiam excitandas, quibus sæpè generat lectio diuina fastidium, itaut magis otio eligant occupari, quàm de Scripturis sanctis salutem bibere, vt spiritualiter inardescant, addi omnino placuit, vt vnusquisque Monachus, siue intra Monasterium seu foris aliquid operis faciat, à lectione diuinâ ne vnâ quidem die se patiatur transire ieiunum. Sed cùm cessauerit manus ab opere, colatur anima lectione.*

XXVIII. DE MONACHIS VAGIS ET FVGITIVIS.

Vicesimum est de vagis & fugitiuis Monachis. *Præter illos, qui pro vtilitate Monasterij ab Abbate huc illúcque habere inbentur excursus, nullus egredi Monasterium loco alio moraturus absque voluntate Abbatis pro qualibet re vel necessitate præsumat. Qui prætermissâ sententiâ aliquâ contrarietate discesserit, intantum vt eius inueniatur fuisse transgressor, spatio illo temporis, quo Monasterio defuit, computato, duplici dierum numero ieiunet, & condemnatione mulctetur, cibi modum, vino quotidie abnegato, qualem Abbas imposuerit, habiturus. Fugitiuum verò Monachum deserentem disciplinam & perdentem se, velut contemptorem placuit reuocare.* Iampridem Patres Synodi Aurelianensis[a] primæ sanxerant, vt huiusce-modi Monachi requirerentur ab Abbate, suóque Monasterio restituerentur. Verba Canonis hæc sunt. *Ipsi autem qui fuerint peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio Episcopi, tanquam fugaces sub custodiâ renocentur. Et reum se ille Ab-*

[a] Can. 19.

bas futurum esse cognoscat, qui in huiusmodi personas non regulari animaduersione distrinxerit.

AN. CH. 558. CHI. DEB. CLOTAR. RR. 47.

Vicesimum-primum est de pœna infligenda Monacho, qui stimulis iracundiæ concitatus in fratrem manus iniecit. *Monachus in Monachum irâ inflammatus, quod est turpissimum, manus iniicere non præsumat, præter illos ad quos pertinet correctionis vel nosse modum vel tenere iudicium, ne vno peccante ceteris præsumendi crescat audacia, & ita disciplinæ ordine confuso, inruptâque lege viuendi, ipsius sacræ religionis per singulos iura perdantur. Quapropter quisquis taliter incontinens manibus inuenitur, itaut nesciat ab illicitis temperare, manus illæ quas erexit in proximum, per longum tempus non solùm ieiunio sed etiam operis assiduitate lassentur, vt deinceps ad Deum leuentur in oratione, non cum furore extendantur in fratrem. Dandam tamen veniam decernimus, iuxta vt Abbas moderari voluerit, postulanti, si pœnitentiâ præmissâ, etiam dum deprecatur, reatus sui, faciem lacrymarum effusione rigauerit.*

XXIX. DE CORRECTIONE.

Vicesimum secundum pœnam decernit in Monachum, qui non abstinet à conuicio & maledicto. *Conuicium siue maledictum ex ore Monachi non procedat. Si quis ergo in his indomitus mente proruperit, triginta diebus ab omnium fratrum colloquio habeatur alienus, donec cognoscens se in Congregatione solitudinem incurrisse, veniam eligat postulare.*

XXX. DE CAVENDO CONVICIO, MALEDICTO.

Vicesimum-tertium præcipit, vt iurare Monachus & desinat & desistat. *Iurandi consuetudo ad integrum, si fieri potest, de Monachorum interlocutione tollatur, vt etsi secundùm humanam fragilitatem minùs fortasse possint mendacij cauere peccatum, possint saltem damnandum vitare periurium.*

XXXI. IVRAMENTO.

Vicesimum-quartum indicit Monachis, *vt risu, etsi non assiduè, frequenter tamen abstineant.* Et paulò pòst. *Specialiter tamen hoc cunctos moneo, seruandum mando atque constituo, vt quotiescunque lectio animabus Deo deditis opportuna in Ecclesiâ vel in refectorio, aut quolibet in loco publicè recitatur, nullus risu aut moueatur aut moueat. Similiter etiam eo tempore fabulas fugiendas esse cognoscant.* Deinde contumaces plectit triduano ieiunio. *Quod si quis non custodierit præsenti denuntiatione commonitus, triduani eum ieiunij mulctatio castiget.* Postrò expositâ duplici ratione adimplendi ieiunij triduani, cùm alij toto triduo semel, alij ter comederent, posteriorem modum vt remissiorem amplectitur, modò Abbas in reo superbiam aut pertinaciam non agnoscat. *Quod triduum neminem volumus sub vno adimplere ieiunio, ne in aliquo discretionis careat disciplina, sed tria ieiunia vespertina iubemus quotidie refectione distingui. Hoc etiam de reliquis ieiuniis, quibus Regulæ culpabiles corriguntur, statuimus, obseruari, ita tamen si in reo quolibet Monacho Abbas superbiam duritiámque non viderit.*

XXXII. RISV.

Vicesimum-quintum est de turpiloquio fugiendo. *Turpiloquium amore pudicitiæ sit Monacho turpe proferre, vitando verba luxuriæ, quæ vt mentem excitant, ita corpus inflammant. Et vt hanc spurcitiam cunctis etiam cauere metus damnationis imponat, statuimus huius culpæ reum communicationem Dominicam vel osculam fratrum sex anni mensibus non habere.*

XXXIII. TVRPILOQVIO.

Vicesimum-sextum præcipit, vt Monachus lectioni vacet vsque ad horam Tertiam, nisi æger sit, aut fructuum colligendorum tempore iubeatur matutinis horis aliquid operis ac laboris exercere. *Vsque ad horam diei Tertiam in omni tempore lectioni Monachus tam senior quàm extremus vacare procuret, & sic demum in reliquâ parte diei deputati operis cura succedat, præter ægrotos tantùm, quibus imponi hoc supra propriam voluntatem vel potiùs virtutem communis infirmitas non permittit. Nam & hi, quibus fructuum colligendorum tempore ab Abbate fuerit imperatum, vt matutinis horis operis aliquid vel laboris exerceant, hac lege non tenebuntur, neque huic definitioni putabuntur extitisse contrarij, cùm imperata sibi vtilitatis causâ complecuerint. Etenim moris est agricolis, vt vix reddito adhuc mane arida frumenta, non nisi deciduo madida facta rore, succidant, vt lætam minùs segetem faciliùs feruoribus insectoribus eripiant, dum in exordio diei blan-*

XXXIV. MONACHVS LEGAT VSQVE AD HORAM TERTIAM.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

[a] Concord. Regul. c 55. §. 10. Cod. Regul part 2. [b] In not. ad concord Regul 55. §. 19.

di acris temperamenta custodiunt. Phrasis, quæ proximè sequitur, est deprauata. Sic habetur [a] in vulgatis exemplaribus. *Sæpè enim ex industria factum scio, vt dubiâ adhuc luce, priusquam, vt dicere possumus, orbe Solis ardor ebiberit redactam in manipulos segetem, ignei iubaris flammas cum fructibus messura eius euaserit.* Ita restituitur ab Hugone Menardo [b]. *Sæpè enim ex industria factum scio, vt dubiâ adhuc luce, priusquam, vt dicere possumus, orbis*, id est, terra, *Solis ardorem biberit, redactâ in manipulos segete igneas iubaris*, seu Solis, *flammas cum fructibus eius messura euaserit.* Sequitur conclusio capitis. *Hoc ergo si etiam à Monachis, qui operi insistunt, vt superiùs diximus, fuerit obseruatum, non erunt pronuntiandi pro compendio operis*, id est, pro vtilitate operis, *Regulæ transgressores.*

XXXV. ANTE HORAM TERTIAM NEC MANDVCET NEC BIBAT.

Vicesimum-septimum prohibet, ne quis Monachorum, exceptis ægrotis, ante horam Tertiam manducet aut bibat. *Ne quis de Monachis, præter infirmos, antequam hora diei Tertia compleatur, quamuis supervenientis cuiuslibet proximi vel amici gulæ potiùs exquisita occasio fulciatur, manducare aut bibere aut rogans præsumat aut rogatus, illo duntaxat tempore quo ieiunia solitâ remissione soluuntur. Post hanc verò horam deliberationem comedendi vsque ad Sextam, si vel amicus eius vel stomachus permittit, extendat. Sed in hac refectione vnum vel duos fratres socios sibi & quærat & faciat, vt dum videtur, istâ communicatione atque humanitate sit publicus, non appareat furtiuè subpostus.*

XXXVI. DE OPERE QVOTIDIANO.

Vicesimum-octauum iniungit Monachis, vt singulis diebus priuatis, nisi morbo detineantur, aliquid operis conficiant. *Monachum, absque certis solemnitatibus vel manifesta ægritudine, diem sine operatione transigentem à conuiuio decernimus excludendum.* Obuiam it variis excusationibus, quæ solent à pigris & desidibus fieri, deinde concludit vt is, qui, propter imbecillitatem virium, agriculturam aut aliud opus difficile nequit exercere, legat, scribat, texat retia, faciátque quid simile, quod tenui conatu suscipi adimplerique possit. *Si quis non valet insistere operi, det promptiùs operam lectioni; quicumque agrum non colit, Deum dupliciter colat; & inter reliqua etiam hanc quærat artem, vt paginam pingat digito, qui terram non præscribit aratro. Nullus ergo, si quò minus opera faciat, putet causam iustæ excusationis afferre. Quia qui agriculturam exercere non valet, legere, scribere, quod est præcipuum opus, piscium etiam prouidere capturam, rete texere, calciamenta fratribus præparare, vel reliqua, quæ similia sunt, facere atque implere potest. Quisquis ergo ex his omnibus non elegerit, quo occupetur opere, famem cum improperio sustinere contentus sit.*

XXXVII. DE TACITVRNITATE.

Vicesimum-nonum præcipit, *vt loquendi temperantiam Monachus in omni collocutione teneat.* Deinde taciturnitatem præscribit coram Abbate ac seniore & in conuiuio. *Quisquis ille frater, sint pauci sermones tui. Nec hoc tantùm, sed etiam taciturnitatem tibi præsentia Abbatis vel etiam alterius senioris imponat, ita vt nisi interrogatus ab eo vel iussus silentium irrumpere non præsumas, obediens Scripturæ quæ dicit, [Priusquàm audias, ne respondeas, & in medio seniorum noli te iniicere.] Quod etiam in conuiuio apertissimè pronuntiamus esse seruandum.*

XXXVIII. DE ABBATE.

Tricesimum excusat Abbatem ab opere quotidiano, quia lectioni magis vacare debet, additâ tamen hâc clausulâ, vt quoties librum præ manibus non habet, cum ceteris operetur, ne videatur exercitium contemnere quod est aliis commune. *Abbas si non operetur vt ceteri, nemo audeat reprehendere, quia lectioni cum magis vacare conuenit, quâ quotidie ceteros doceat, quâ commissos eruditos reddat, quâ cunctos sanctâ semper ammonitione componat. Studere tamen eum oportet, vt quoties Codex manibus non tenetur, secundùm vires suas reddat se in qualibet fratrum operatione communem, vt etsi otiosum quicumque dicere non audet, fastidiosum tacendo non murmuret.*

XXXIX. DE INDVMENTIS.

Tricesimum-primum sancit, *vt Monachus quamlibet delicati corporis linea ad nuda corporis non vtatur, quia incongruum est, vt carnem, quæ semper vitio naturæ superbit, mollibus foueat indumentis, & ei quasi minùs validæ blandiatur, quæ quotidie in expugnationem animæ nouus quidam præliator & fortissimus com-*

monetur. Etenim toties reparat vires contra animam bellatura, quoties aliquid velut rebelle mancipium remißionis acceperit.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Tricesimum-secundum est de fragrantia, nitore & colore vestium, déque calceamentis. *Vestimentorum fragrantiam, vel nimium propter elationem nitorem Monachus studeat non habere, sed sequens melius Apostolum dicentem* [*Bonus odor sumus Iesu Christi.*] *colorem etiam in his album, vel nimis rufum, per quem sæpè species corporis ad perniciem suam videntibus commendatur, vitet, ac habere non ambiat, ne & iactantiæ suæ secum testimonium ferat, & , quod absit, dum corpus vestimentis citò consumendis adornare temporaliter elaborat, de animæ, quæ æterna esse poterant, ornamentis non curet. Etenim ista facientes taliter Scriptura diuina castigat.* [*In amictu vestimentorum ne glorieris, & in die gloriæ noli extolli.*] *De calceamentis verò reliquorum vos tenere statuimus consuetudinem Monachorum. Sed & hoc curandum est, vt pes ita sit ligamentis temperatiùs vinculatus, vt non iactantiæ signò multos astrictus habeat, sed sanctiùs vinculo laxiori folleseat, vt in omnibus simplicitas sanitate sociâ commendet Deo, quem eius amore possessum, probatum seculi viderit contemptorem.* In hoc Capitulo difficultas occurrit super follicatione calceamenti, quam sanctus Ferreolus hic commendat, reprobat S. Hieronymus [a] in literis ad Eustochium de custodia virginitatis, cùm insectatur deterrimum quoddam genus Monachorum Ægyptiorum, apud quos *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria.* Caligæ multis ligulis seu corrigiis constringebantur ab iis qui cultum in calceamentis quærebant. Hanc corrigiarum multiplicitatem, tanquam iactantiæ signum quod proprium est laicorum, sanctus Ferreolus improbat in Monachis, qui simplicitatem sectantes debent adhibere paucas ligulas, ita vt laxior ligula follicet. Nec aduersatur sanctus Hieronymus textu suprà citato, ibi enim follicationem, hoc est, laxitatem caligarum, non damnat, sed arguit pseudo-monachos, qui follicationem illam plusquàm par est, affectant, vt inde aliquam sanctimoniæ famam sibi concilient, & mulierculas affectatâ cultus simplicitate decipiant. Quin & iisdem literis inuehitur in quosdam Clericos, qui follicationem eiusmodi oderunt. *Sunt*, inquit, *alij, qui ideò Presbyterium & Diaconatum ambiunt, vt mulieres licentiùs videant. Omnis his cura de vestibus si benè oleant, si pes laxâ pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de anulis radiant, & ne plantas humidior via spargat vix imprimunt summa vestigia, tales cùm videris, sponsos magis existimato quàm Clericos.*

XL. DE COLORE VESTIVM.

DE CALCEAMENTIS.

[a] Epist. 22.

Tricesimum-tertium præcipit, vt Monachi separati quiescant in singulis lectis, quò liberiùs in ipso lecto possint orationi vacare. *Duo quamlibet proximi vel amici, propter secretam orationem, quæ melius ad Dominum nullo teste dirigitur, vno lecto non teneantur, vt maiorem licentiam orandi credat sibi mens compuncta concessam, dum neminem vigiliæ suæ testem pertimescat aut iudicem. Vigilando ergo, orando atque psallendo curet vnusquisque minimam noctis somno cedere portionem, vt non decipiatur ab inimico qui est liber à socio, quia omninò non potest cubile proprium nisi vigilans vindicare. Imitandum etiam videtur quod Propheta nobis sub quadam admonitione decantat,* [*Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.*] *Et iterùm.* [*In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.*] *Et illud.* [*Memor fui in nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.*] *Hoc ergo vt deuotus quisque vocatione concessâ vtiliùs possit implere, strati sui, vt suprà diximus, erit solus ipse possessor, habens secum meliori commutatione pro dormiente fratre Dominum vigilantem.* Ita legendum docet Smaragdus. Vulgata [b] exemplaria vitiosam hanc lectionem submistrant, *habens secum meliori commutatione pro dormitorio fratrem Dominum vigilantem.* Est & initium huius Capitis deprauatum in Concordia [c] Regularum, desunt enim hæc verba, *vno lecto non teneantur*, quæ restituimus ex Holstenij Codice, provt ex Smaragdo restituenda iam monuerat Hugo Menardus in Notis ad eandem Concordiam.

XLI. DE LECTIS.

[b] Concord. Regul. c. 19. §. 7. Cod. Regul. part. 2.
[c] Cap. 19.

Tricesimum-quartum Monacho venationem interdicit. *Inter ceteras mun-*

XLII. DE VENATIONE.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

di delectationes nouerit sibi Monachus venationem exercere prohibitum, nec habendum cum feris periculosum sine vtilitate certamen, cùm scire potiùs debeat vitia pro bestiis esse mactanda. Et ideo non eum consuetudo loci, vicinitas opportunitasque syluarum, peruius etiam vel facilis ascensus montis, concaua vallium, secreta nemorum, densa terrarum tam infructuosi laboris opus subire solicitent. Et nonnullis interiectis. *Attamen nec illud putauimus omittendum, vt si forsitan ferae, quae sunt violentiores, quarenti proprio labore victum insidientur in fructibus, eas pro damnis tantùm fructuum vindicandis canum saeuitiâ opportunè deterreat, quas potiùs effugare quam persequi delectetur, vt non venationis sed fructuum magis amator appareat.*

XLIII. DE VITIO GVLÆ.

Tricesimum-quintum est aduersùs vitium gulæ, prohibétque Monacho, ne pomum absque ordinatione præsumat attingere. *Quicunque Monachus cuiuslibet generis pomum inordinatus hærens adhuc arbori suæ tantùm edacitatis causâ decerpserit, vel si in terrâ collapsum, seu reliquorum fructuum, vt assolet, primitias ausus fuerit gulæ incontinentiâ violare, veluti Adæ primo homini similis, simili castigatâ edacitate ieiunio dignè pœniteat, quasi ad vicem paradisi conuiuio putetur indignus. Et nisi priùs omnium fratrum remissione consequatur veniam, venire non permittatur ad mensam, quia iustum est, vt cunctorum indulgentiam postulet, qui omnibus quod erat commune subtraxit.*

XLIV. DE MANCIPIIS MONASTERII.

Tricesimum-sextum est de mancipiis Monasterij, quæ manumitti non possunt ab Abbate, nisi consensus omnium Monachorum accedat, aut alia subrogentur eiusdem meriti atque ætatis. *Mancipium Monasterij liberum facere Abbas absque consensu omnium Monachorum licentiam non habebit, nisi vt tradat cunctis fratribus in presenti eius meriti vel ætatis de propriâ facultate vicarium, quia non potest multorum seruus vnius ad ingenuitatem remissione transire, nec libertus fieri, quem omnes vnanimiter non absoluunt, cùm manifestum sit illum tot Dominos habere quot Monachos.*

XLV. DE ABBATE.

Tricesimum-septimum est de conuersatione Abbatis. *Abbatem cunctis quibus præest Monachis strenuitas quidem, sed mansuetudo & potiùs vita commendet, itaut magis sanctum illum timeant quàm seuerum, & plus in eo metuant, quòd meritis est primus quàm quòd honore primarius. Habeat enim in correctione modum & in familiaritate temperamentum, eritque in cunctis ita imbribus dispensatus, vt blandimento vocet, terrore castiget, faciens se ab omnibus, eò quòd vitia oderit, plùs amari. Tota enim eius conuersatio erit quasi positum fundamentum, vt in eo superædificetur quisquis imitatione illius optat bonis Deo meritis proximare. Nullus ab ipso erit potestate sed ratione damnandus, nec tamen quisquam illi ita familiaris, vt ceteris plùs præsumat, neque ita offensus vt ad veniam expletâ contritione non redeat. Conuenerit námque illi omnes timere, qui timetur ab omnibus, totóque studio atque industriâ prouidere, ne aliquis ex his quos regendos propriâ curâ suscepit, aduerso quolibet casu discedat ex numero. Et ideò plurimis medicamentis necesse est illum Monachorum subuenire languoribus, & ægritudinibus mentium remedium curæ spiritalis inferre; hoc est, si superbum viderit, iugi exhortatione porrigat humilitatis potionem; si iracundum, patientiæ illi offerat vnguentum; si mendacium sectantem, veritatis ministret antidotum.*

XLVI.

Tricesimum-octauum est de temporibus, quibus Abbas coquinæ inseruire, & pedes fratrum aut peregrinorum lauare debet. *Abbas tribus per annum vicibus, id est, die Natalis Domini, similiter primo Paschæ, necnon in festiuitate peculiaris Patroni sancti ac beatissimi venerandi semper Martyris Ferrioli, aut certè quidem ad quorum nomina Sanctorum idem locus consecratus fuerit, coquinam cibos Congregationi paraturus introeat, ibíque suscepto iunioris ministerio seruiendo mensis humilitatis formam ministret in ferculis, sanctæ huic abiectioni se libenter inclinans, quæ maiorem illum producit ceteris dum reddet æqualem. Tantùm enim magis in cunctis eius potestatis accipit, quantùm ad inferiora ministerij parilitate descendit. Lauare verò pedes fratrum, siue etiam peregrinorum, diuinum imitatus exemplum, sæpiùs studebit, implens Dominicum mandatum, & tradens Monachis operibus potiùs quàm verbis exemplum.*

Tricesimum

Triceſimum-nonum eſt de caſtigatione Monachorum pro multis exceſſibus. AN. CH. 558.

Primò, *correctionis ſermo ad eos, qui inter fratres iurgia ſeminant hic eſt, vt ſi à viâ tam peruersâ fides non traxerit, non tantùm ſententiâ Abbatis, ſed etiam cunctorum odio feriantur, donec conſuetum errorem relinquant.* CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Secundò, *ad illos, qui poſt correctionem impugnantes iudicia ſeniorum nituntur excuſare peccatum, & non ad pœnitentiam recordatione delicti, ſed ad duriſſem indignationis nimium migrauerint, reſpicit iſta ſententia, vt quamdiu à præpoſitâ intentione reuocentur, & tumorem mentis manifeſtâ emendatione deponant, ſecundum arbitrium Abbatis arduæ omnino ſubiaceant diſciplinæ.* XLVII. DE CORREPTIONE XLVIII. IVRGIORVM.

Tertiò, *illi qui ſe prioribus antepoauunt, & aliorum loca non erubeſcunt vitio elationis inuadere, ac præceptis Dominicis contradicunt, quibus ita iubemur,* [*quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*] *Abbatis vel etiam reliquorum increpatione confuſi, ad locum proprium quem reliquerant reuocentur, quos ad maiorem gradum tardiùs decernimus promoueri, ne additâ dignitate radicata in eis præſumptio conualeſcat.* XLIX. OBSTINATIONIS. L. SVPERBIÆ.

Quartò, *ad menſam fratribus congregatis, de his quæ apponuntur nemo alterius aut præſumat aut rapiat portionem, nec frequentius ceteris manum paropſidi importunus immergat. Quicunque huiuſmodi tranſgreditur ſtatutum, Abbatis iudicio conſtabit, quantis ieiuniis menſa violentia iudicetur.* LI. GVLÆ.

Quintò, *Monachum, ſi ebrium, quod dici nefas eſt, videri aliquando contigerit, zelans illi plenus irâ præcipio, vt triginta diebus à vini potatione ſuſpendatur, quatenus anima infuſione congeſta,* (Menardo [a] *confecta* id eſt aggrauata) *digeſtione hoc ſpatio vacuetur.* LII. EBRIETATIS. [a] In not. ad Concord. Regul. cap 49. paragr 4.

Sextò, *illos Monachos, quos vel vnius diei finis diſcordes inuenerit, qui vſque ad veſperam lites trahunt, & antè non excludunt odium, quam Sol cognoſcat occaſum, ſtatuimus tamdiu abſtinentiâ macerandos, quamdiu ad veram ſe concordiam vltroneâ ſatisfactione conuertant. Quibus poſt longum ſcandalum pacificare in occulto non liceat, ne aliquid fictum puritas caritatis admittat, ſed ſit eorum reconciliatio publica, quocum fuit diſcordia manifeſta. Fratribus ergo cunctis coram aſtantibus veniam inuicem poſtulent, quia vterque reus diuturnâ ſimultate notatur, dum aut vnus indulgentiam petere deſtitit, aut alter rogari deſiderans non dimiſit. Et ideo iſte impius, ille remanſit impœnitens; hic damnandus poſt iram, ille poſt culpam.* LIII. DISCORDIÆ.

Septimò, *furti conſcium, ſi adhuc vocare Monachum poſſumus, quaſi adulterum ſecundum flagellis ſubdi, & magnâ conteri afflictione iubemus, dantes illi vnam cum fornicante ſententiam, quia & ipſe luxuriatus eſt cùm furaretur. Similes enim eos non incongruè dicimus, quos in ſacrâ lectione pariter poſitos inuenimus. Dicit ergo Dominus per Prophetam* [*non eſt ſcientia Dei ſuper terram.*] *Et paulò pòſt. Furtum & homicidia inundauerunt.*] *Et iterum in Pſalmo.* [*Si videbas furem, ſimul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.*] *Legimus etiam in Euangelio Dominum dixiſſe.* [*Fornicationes, furta.*] *Nec moratus addidit.* [*Hæc ſunt quæ coinquinant hominem.*] *Ex his profectò intelligere poſſunt horum ſcelerum ſerui, quia ſicut æqualiter his dominantur vitia, æqualiter debetur & pœna.* LIV. FVRTI.

Denique ſanctus Ferreolus Regulam ſuam initio cuiuſlibet menſis relegi ſic iubet. *Ne aliquid, dulciſſimi in Chriſto fratres, de his quæ ſuprà ſcripta ſunt per obliuionem ſitis negligentes, cunctis in vnum poſitis ſemel ea in triginta diebus relegite, hoc eſt, in Kalendis.* LV. DE LECTIONE REGVLÆ.

Illis circiter temporibus Gregorius, qui poſteà fuit Epiſcopus Turonenſis, cùm iter è Burgundiâ in Aruerniam ageret, ingruente tempeſtate, cæloque crebris ignibus iam micante mox extractis è ſinu ſacris reliquiis manum eleuauit contra nubem, quæ protinus in duas diuiſa partes, & dextrâ læuâque præteriens nec Gregorio nec eius comitibus nocuit. Ille, vt iuuenilis feruor agere ſolet, vanæ gloriæ inflari ſupercilio cœpit, & tacitus cogitare id non tam Sanctorum meritis quàm ſibi propriè fuiſſe conceſſum, quin & ad ſocios LVI. VIS SACRARVM RELIQVIAR.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

itineris ausus est iactare quòd innocentiæ suæ Deus præstitisset, vt ista mereretur. Nec mora, equus cui insidebat lapsus est, equitémque ad terram adeò elisit, vt vix ille posset surgere. Intellexit hæc ad comprimendam superbiam euenisse, ac deinceps si quædam de Sanctorum virtutibus contemplari meruit, illa Dei munere per Sanctorum fidem præstita propalauit. Hæc copiosè narrat ipsemet Gregorius libro primo [a] de gloria Martyrum. Illas reliquias pater eius à quodam Sacerdote tempore Theodoberti Regis acceperat, moriénsque reliquerat vxori, quæ priusquàm eadem pignora filio suo traderet, eorum eleuatione contra ignium globos incendium magnum extinxit.

[a] Cap. 84.

LVII. AIMOINVS INTERPOLATVS EXAMINATVR.

Apud Aimoinum libro secundo, capitibus decimo-nono & vicesimo, multæ sunt interpolationes, in quibus agitur de Germano Parisiensi Episcopo & de Basilica sancti Vincentij quam Childebertus ex Hispania reuersus ædificare cœpit, ac multis possessionibus hoc anno ditasse fertur constituto qui Monachis præesset Abbate Authario. Bellum quod anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo Childebertus & Clotharius Reges in Hispania gesserunt, ex Gregorio [b] Turonensi & ex Gestis [c] Regum Francorum narrauimus. Apud Aimoinum interpolatum [d] Childebertus Episcopum Cæsaraugustanum sic alloquitur. *Christiana Religionis ac vnius veri Dei vos agnoscentes esse cultores, parcere vobis decreuimus, si assensum nostræ petitioni tu, qui Antistitis in hoc loco fungeris officio, præbens, nobis sancti Vincenty reliquias contuleris, qui (vt beatissimus Germanus Parisiaca nostræ videlicet vrbis Episcopus nobis sapissimè retulit) in hac vrbe, vt multorum synceritatis & signat veritatis verba testantur, eximius Leuita enituit.* Interpolatio consistit in hac parenthesi *(vt beatissimus Germanus Parisiaca nostræ videlicet vrbis Episcopus nobis sapissimè retulit)* & est omninò ridicula, quia sanctus Germanus eo anno quo Childebertus & Clotarius in Hispaniam profecti sunt, Episcopatum Parisiensem nondum gerebat. *Childebertus*, inquit vulgatus Aimoinus [e], *acceptam beati Vincenty stolam Parrhisius defert ædificatámque solo tenus secundùm beatissimi Germani dispositionem Basilicam nomini eiusdem sancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit.* In editione Ducheſniana desunt hæ voces *secundùm beatissimi Germani dispositionem*, quia beatus Germanus non erat Episcopus Parisiensis, cùm Childebertus ex Hispania reuersus est, & prope Parisios Ecclesiam in honorem sancti Vincentij martyris ædificare cœpit.

[b] Lib. 1. c. 19.
[c] Cap. 16.
[d] Lib. 2. c. 19.
[e] Lib. 2 c. 20.

LVIII. In fine Capitis vicesimi prolixior occurrit hæc interpolatio. *Quam Ecclesiam quomodo & quo instinctu eam ædificare cœperit, eius Pragmaticum ita designat. Childebertus Rex Francorum vir inlustris. Recolendum nobis est & perpensandum vtiliùs, quòd hi qui templa Domini Iesu Christi readificauerint, & pro requie animarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleuerint, in æterna requie sine dubio apud Deum * mercedem recipere merentur *. Ego Childebertus Rex, vnà cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum, & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum vrbis Pontificis, vel consensu Episcoporum cœpi construere templum in vrbe Parrhisiaca * prope muros ciuitatis in terra quæ aspicit ad fiscum Isciacensem in loco qui appellatur Locotitio *, in honorem sancti Vincenty Martyris, cuius reliquias ex Hispania * asportauimus, seu & sanctæ Crucis, & * sancti Stephani, & sancti Ferreoli, & sancti Iuliani, & beatissimi sancti Georgij, & sancti Gervasij, Prothasij, Nazary & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ. Propterea in honorem * Dominorum Sanctorum, cedimus nos fiscum Largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus, qui est in pago * Parrhisiorum prope alueum Sequanæ, vnà cum omnibus quæ ibi aspiciunt *, cum mansis & commanentibus meis, agris, territoriis, vineis, syluis, pratis, seruis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter illos quos nos ingenuos esse præcipimus) cum omnibus appendentiis * suis quæ ibi aspiciunt, cum omnibus adiacentiis *, cum omnibus quæ nobis * deseruiunt tam in aquis quàm * in insulis, cum molendinis interportam ciuitatis & turrim positis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum adiacent, cum piscatoria quæ appellatur Veuna *, cum piscatoriis omnibus*

* Breulio Dominum.
* meruerint.
* Parisiaca.
* Locotitie.
* Spania.
* vel
* honore.
* pagis Parisiorum
* sunt aspecta,
* appenditiis
* adiacentiis quæ ibi adagunt,
* nos
* vel
* Vanna,

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

*quæ sunt in ipso alueo Sequanæ, sumúntque initium à ponte ciuitatis & sortiuntur finem vbi alueolus veniens Sauara præcipitat se in flumen. Has omnes piscationes quæ sunt & fieri possunt in vtraque parte fluminis, sicut nos tenemus, & nostra foresti est, tradimus ad ipsum locum, vt habeant ibidem Deo seruientes victum quotidianum per succedentia tempora. Damus autem hanc potestatem, vt cuiuscumque potestatis littora fuerint, vtriusque partis fluminis teneant vnam perticam terræ legalem, sicut mos est ad ducendas naues & reducendas, ad mittenda retia & retrahenda, absque vlla refragatione. De argumentis verò per quæ naues possunt capi super aquam, præcipimus vt nulla potens persona inquietare audeat famulos Dei, sed omnia securè teneant, possideant, per infinitas temporum successiones, & cum areis & casis infra * Parisius ciuitatem cum terra & vinea, & Oratorium * in honore sancti Andeoli Martyris, quem * de Helario & Ceraunio dato pretio comparauimus, & * cum omnibus quæcumque in ea nobis deseruiunt, pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clarissima luce dederit discessum, ipse fiscus qui vocatur Isciacus, cum omnibus quæ ibi aspiciunt *, ipso die ad ipsum templum Domini quod nos ædificamus deseruiat, & ad omnia quæ illi * sunt opus, tam ad lumen quàm in Dei nomine ad stipendia seruorum * Dei quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores qui ipsos regere habent, omnino * ibi transoluant, & per longa annorum spatia ad ipsum templum Domini absque contradictione vel refragatione aut iudiciariâ contentione, inspecta ipsa præceptio omni tempore proficiat in augmentum. Et vt hæc præceptio cessionis nostræ futuris temporibus Deo auxiliante firmior habeatur vel per omnia tempora inuiolabiliter conseruetur, manibus propriis vel nostris signaculis infrà decreuimus roborare. Datum quod fecit mense * Decembri, die sexto, anno quadragesimo-octauo, postquam Childebertus Rex regnare cœpit. Ædificatâ igitur & multis prædiis & ornamentis ditatâ Ecclesiâ Abbatem inibi constituit Autharium nomine, magnæ nobilitatis virum, qui præesset ibi Deo famulantibus. Nunc igitur ad ordinem reuertamur Historiæ.*

* in Parisium ciuitate.
* Oratorio.
* qua de Elario.
* omnia & ex omnibus quæcumque ea nos deseruierint, in posterum pro requie.
* sunt aspecta.
* ibi.
* seruis.
* omnia & ex omnibus.
* mensis Decembris.

Pragmaticum Childeberti, quod ex editione Ascensiana descripsimus, euulgauit etiam in Aimoino Iacobus *du Breul*, paucis vocibus mutatis, & vt potiorem huic instrumento fidem conciliaret, notationes adiecit. Duæ mouentur hoc loco quæstiones. Prima est, vtrùm Aimoinus Historiæ Francorum Pragmaticum illud inseruerit. Altera, vtrùm idem Pragmaticum conscriptum sit ætate Childeberti Regis. Philippus Labbeus in diatriba seu iudicio de Aimoino iam asseruit illud Pragmaticum cum aliis ad Monasterium & Abbates Pratenses spectantibus Aimoini Monachi Floriacensis Historiæ ab Anonymo Pratensi Monacho fuisse intermixtum anno Christi circiter millesimo centesimo sexagesimo-quinto, nec aliud docent editio Ducheſniana, Codex Seguierianus, aliique libri manuscripti, in quibus nullum est verbum de tali Pragmatico. Super altera quæstione quid sentiret, non indicauit Labbeus. *An verò*, inquit, *Childeberti Regis ætate Pragmaticum illud conscriptum sit, non disputo, maneant sua cuique iura velim illibata.* Iacobus *du Breul* post ista verba, *anno quadragesimo-octauo postquàm Childebertus Rex regnare cœpit*, quibus Pragmaticum Childeberti Regis in editione Ascensiana claudebatur, hæc subiunxit, *ego Valentianus Notarius & Ammanuensis recognoui.* Deinde in Notis testatus est illud pragmaticum à se visum cum magno chirographo & sigillo regio, quorum figuram sic expressit. Apparent tantùm extrema chirographi propter superinductum sigillum regium, quod habet effigiem impressam regij capitis, eámque planam, itaut vtraque vultûs mala conspiciatur.

LIX.

Aduersùs illud Pragmaticum res multæ iam obiectæ sunt, reducíque possunt ad quatuor præcipua capita, quorum duo eleuant illius auctoritatem, alia duo minimè. LX.

Primò, pleriſque non placet vox *Neustrasiorum*. Non enim in confesso est illam vsurpari solitam temporibus Childeberti Regis, & quamuis id constaret, nemo facilè sibi persuadebit Childebertum hoc vsum vocabulo, vt Neu- LXI.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. R R. 47.

ſtraſios à Francis diſtingueret auſpicatus quidpiam *cum conſenſu & voluntate Francorum & Neuſtraſiorum*. Cùm Auſtraſiorum ac Neuſtraſiorum nomina frequenter in vſu eſſe cœperunt, Occidentales Franci promiſcuè dicti ſunt Franci ac Neuſtraſij, nec vnquam reperies Francos ac Neuſtraſios in eodem textu nominatos eſſe cum diuerſa ſignificatione. Certè in Pragmatico, de quo loquimur, per Francos intelligendi ſunt Occidentales Franci ſeu Neuſtraſij, quia Childebertus apud Francos Orientales numquam regnauit, vt conſtat ex iis quæ poſt Theodobaldi Regis obitum ad annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum-quintum narrauimus. Vox igitur *Neuſtraſiorum* non vſurpata videtur à Childeberto, ſed à quodam gloſſographo, qui poſt vocem *Francorum*, interpretationis causâ, vocem *Neuſtraſiorum* adiecit, vt indicaret Francos à Childeberto non ſumi pro tota gente Francorum, ſed pro ſolis Neuſtraſiis ſeu pro populis Occidentalis Franciæ quibus imperabat.

LXII. Secundò, Childebertus anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſecundo bellum in Hiſpaniâ geſſit, anno pòſt decimo-tertio ſanctus Germanus Epiſcopatum Pariſienſem ſuſcepit. Childebertus in Franciam reuerſus inchoationem Baſilicæ San-Vincentianæ poſt annos tredecim non diſtulit. Operi tam pio támque laudabili mox incubuit diligentiſſimè. Vetus Anonymus, qui Geſta Regum Francorum ſcripſit, id nos docet [a] his verbis. *Memorati Reges*, Childebertus & Clotarius, *adquiſitâ maximâ parte Spaniæ cum multis theſauris & ſpoliis reuerſi ſunt. Childebertus verò Pariſius veniens Eccleſiam in honore beati Vincentij Martyris ædificauit*. Nec diſſentit Aimoinus [b], in cuius genuino textu legitur hæc periodus. *Childebertus acceptam beati Vincentij ſtolam Pariſius defert, ædificatámque ſolo tenus Baſilicam nomini eiuſdem ſancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit*. Ergo Childebertus Eccleſiam ſancti Vincentij non inchoauit hortante Germano Pariſiorum Epiſcopo, perperámque introducitur ſic loquens in ſuo Pragmatico. *Exhortatione ſanctiſſimi Germani Pariſiorum vrbis Pontificis, vel conſenſu Epiſcoporum, cœpi conſtruere templum in vrbe Pariſiaca, prope muros ciuitatis*. Qui Pragmaticum Childeberti ſuprà recitatum Hiſtoriæ Aimoinianæ inſeruit, is eandem Hiſtoriam duabus auxit interpolationibus, quibus auctoritatem ipſi Pragmatico ſe conciliaturum putauit. Alterâ, quam capite decimo-nono libri ſecundi Aimoiniani publicauit, Germanum Pariſienſibus inſulis redimiuit, antequàm Childebertus & Clotarius Francorum Reges Cæſarauguſtam obſiderent. Legerat apud Aimoinum hanc orationem Childeberti Regis ad Epiſcopum Cæſarauguſtanum. *Chriſtianæ Religionis ac vnius veri Dei vos agnoſcentes eſſe cultores, parcere vobis decreuimus, ſi aſſenſum noſtræ petitioni tu, qui Antiſtitis in hoc loco fungeris officio, præbens, nobis ſancti Vincentij reliquias contuleris, qui in hac vrbe, vt multorum ſynceritas & ſignata veritatis verba teſtantur, eximius Leuita enituit*. Textum Aimoinianum hac parentheſi, *vt beatiſſimus Germanus Parrhiſiacæ noſtræ videlicet vrbis Epiſcopus nobis ſæpiſſimè retulit*, ſic deprauauit. *Chriſtianæ Religionis ac vnius veri Dei vos agnoſcentes eſſe cultores parcere vobis decreuimus, ſi aſſenſum noſtræ petitioni tu, qui Antiſtitis in hoc loco fungeris officio, præbens, nobis ſancti Vincentij reliquias contuleris, qui (vt beatiſſimus Germanus Parrhiſiacæ noſtræ videlicet vrbis Epiſcopus nobis ſæpiſſimè retulit) in hac vrbe, vt multorum ſynceritas & ſignata veritatis verba teſtantur, eximius Leuita enituit*. Alterâ interpolatione, quam capite vicemo eiuſdem libri ſecundi publicauit, aſſeruit Eccleſiam ſancti Vincentij à Childeberto Rege conſtructam fuiſſe *ſecundùm beatiſſimi Germani diſpoſitionem*. Legerat apud Aimoinum hanc periodum. *Childebertus acceptam beati Vincentij ſtolam Pariſius defert, ædificatámque ſolo tenus Baſilicam nomini eiuſdem ſancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit*. Illas voces, *ſecundùm beatiſſimi Germani diſpoſitionem*, ſic intermiſcuit. *Childebertus acceptam beati Vincentij ſtolam defert, ædificatámque ſolo tenus, ſecundùm beatiſſimi Germani diſpoſitionem, Baſilicam nomini eiuſdem ſancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit*. Vtrâque autem interpolatione ab Hiſtoriæ veritate multùm receſſit, vt conſtat ex Chro-

[a] Cap. 16.

[b] Lib. 2. c. 20.

nologia Pontificum Parisiensium à nobis stabilita.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47. LXIII.

Tertiò, quidam contendunt mendum in notam temporis irrepsisse, quia Childebertus regnauit annos duntaxat quadraginta septem, eiúsque Pragmaticum datum fertur *anno quadragesimo-octauo postquàm regnare cæpit*. Obitus Childeberti rectè consignatur hoc anno, siue, vt Marius loquitur, *P. C. Basily anno* XVII. id est, post annum Christi quingentesimum vndecimum, quo Clodoueus eius pater ex hac vita discessit, anno quadragesimo-septimo. Sed cùm in annis eiusdem Childeberti iuxta Cancellariæ stylum supputandis, initia singulorum annorum peti debeant à die vicesimâ-septima Nouembris, quâ Clodoueo patri successit anno Christi quingentesimo-vndecimo, dubium non est quin totus December huius anni quo vitam clausit, pertinuerit ad annum ipsius ac Clotarij fratris octauum supra quadragesimum.

LXIV.

Quartò, quidam negant in sancti Vincentij Basilica Monachos cum Abbate à primo conditu fuisse, verùm copiosè refutantur in Hadriani Valesij inquisitione de Basilicis quas primi Francorum Reges condiderunt an ab origine Monachos habuerint. Antiquissimos illius loci Abbates, Autharium, Droctoueum ac proximè subsequentes non mutuabimur ab Aimoino, qui nullum de his verbum fecit, sed ab interpolatore, cui fides non est abroganda, cùm fulcitur aliorum testimoniis, putà Fortunati, qui Droctoueum Abbatem non semel laudat [a], & beati Germani discipulum fuisse scribit his versibus.

[a] Lib. 9. carm. 11. 13.

Vir venerande, sacer meritis, & honore colende,
Droctouee mihi semper amore pater.
Qui de discipulis Germani iure beati
Norma magisterij factus es ipse sui.

LXV. CHILDEBERTI REG. OBITVS.

Childebertus mensem Decembrem, cuius die sexto Pragmaticum emisisse fertur, integrum non vixit, obiit enim die vicesimâ-tertiâ Decembris, anno post Basilij Consulatum decimo-septimo. Diem Vsuardus suo Martyrologio, annum suo Chronico Marius inscripsit. Regnauit itaque annos quadraginta septem, dies sex ac viginti. Illius morbum, mortem ac sepulturam sic perstringit Gregorius Turonensis [b]. *Childebertus Rex ægrotare cæpit, & cùm diutissimè apud Parisius lectulo decubasset obiit. Ad Basilicam beati Vincenty, quam ipse construxerat, est sepultus.* Apud Aimoinum [c] interpolatum hæc leguntur de obitu ac funere Childeberti. *Idem Rex post diutinam regni functionem febre vexatus moritur, ac Parisius in Ecclesiâ sancti Vincenty, quam ipse fabricarat, à beatissimo Germano honorificè sepelitur.* Insitiuæ sunt hæ voces quamuis veritati non aduersentur, *à beatissimo Germano honorificè*. Insitiuum est & quod subiungitur epitaphium Childeberti, quamuis à vero nihil alienum amplectatur decem hisce quibus constat heroïcis versibus

[b] Lib. 4. c. 20.

[c] Lib. 1. c. 19.

EPITAPHIVM.

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cuius & Allobroges metuebant soluere leges,
Dacus & Aruernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus:
Hîc situs est, dictus Rex Childebertus honestus.
Condidit hanc aulam Vincentî nomine claram
Vir pietate cluens, probitatis munere pollens,
Amplectens humiles, prosternens mente rebelles,
Templa Dei dicans, gaudebat, bona repensans;
Millia mendicis solidorum dans & egenis,
Gazarum cumulos satagebat condere cælo.

LXVI. VIRTVTES.

Childebertus apud Fortunatum libro sexto [d] Carminum prædicatur *mitis, sapiens, bonus, omnibus æquus*, & in vitâ [e] sancti Germani commendatur ob largas eleemosynas. *Quadam vice*, inquit ille, *præcellentissimus Childebertus Rex cùm ei*, nempe Germano, *direxisset sex millia solidorum pauperibus erogandà, expendens tria millia, reuertitur ad palatium, interrogatúsque à Rege, si adhuc resideret quod egenis tribueret, respondit medietatem resedisse, nec inuenisse se*

[d] Carm. 4.

[e] Cap 14.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

inopes, quibus mox totum expenderet. Cui Rex inquit, domine dona quod reſtitit, nam Chriſto largiente quod donetur non deficit. Incidens igitur aurata miſſoria, ac argentea vaſa comminuens, quicquid primum habuit, dat Sacerdoti ne perderet. Erat ergo ſpectanda contentio inter Sacerdotem & Principem. Faciebant apud ſe de miſericordiâ pugnam, & de pietate certamen, theſauros videlicet vt ſpargerent, & de ſuis talentis egeni diteſcerent. His adde quæ ex eodem Authore de ampliſicatâ Eccleſiâ Pariſiacâ iam retulimus. Adde & ea quæ leguntur apud Bollandum [a] de Eccleſia apud Caſtrum Nantonis ædificata. *Ad laudem Dei, & B. Seuerini Confeſſoris ſui gloriam & honorem, notum facimus ſemotâ omni dubietate, quia defuncto Chlodoueo Rege, cùm filius eius Childebertus regni gubernacula ſuſcepiſſet, reminiſcens, quantâ virtutum conſtantiâ in diebus genitoris ſui vir Domini Seuerinus effulgebat, & quam celeri velocitate parentis imbecillitas per eum fuiſſet curata, dignum duxit, vt ſuper eiuſdem ſancti ſepulchrum ædificaretur domus ſublimioris ampliorisque magnitudinis. Quod cùm factum ſecundum eius præcepti imperium fuiſſet, ſolers ibidem ſuo in tempore vota reddens, muneribus eandem honorificè ſublimauit Eccleſiam. Patrocinium ſiquidem pij Patris neceſſarium ſibi fore confidens, nullatenus ſe exuendum benedictione ſuarum interceſſionum fieri voluit. Denique & Clericis eidem ſancto deſeruientibus loco, de quadam villa ſua* *emminiculum ſubminiſtrauit.*

[a] D. 11. Febr. in vit S. Seuerini.

LXVII. PIA CONSTITVTIO.

Omittere non poſſumus Conſtitutionis ab ipſo Childeberto promulgatæ fragmentum, quod extat de abolendis reliquiis Idololatriæ & de ſacrorum dierum feſtiuitatibus caſtè celebrandis, vnde feruentiſſimum piiſſimi Regis zelum erga Chriſtianam religionem agnoſcas. *Credimus hoc*, inquit, *Deo propitio, & ad noſtram mercedem & ad ſalutem populi pertinere, ſi populus Chriſtianus, relictâ idolorum culturâ, Deo, cui integram promiſimus fidem, in quantùm inſpirare dignatus fuerit, purè deſeruire debeamus. Et quia neceſſe eſt vt plebs, quæ Sacerdotis præceptum non ita vt oportet cuſtodit, noſtro etiam corrigatur imperio, hanc chartam generaliter per omnia loca decreuimus mittendam, præcipientes vt quicumque admonitus de agro ſuo, vbicumque fuerint ſimulachra conſtructa, vel idola dæmonibus dedicata ab hominibus, facto non ſtatim abiecerint, vel Sacerdotibus hæc deſtruentibus prohibuerint, datis fideiuſſoribus non aliter diſcedant, niſi in noſtris obtutibus præſententur, qualiter in ſacrilegis Dei iniuria vindicetur. Ad nos querimonia proceſſit, multa ſacrilegia in populo fieri, vnde Deus ladatur, & populus per peccatum declinet ad mortem. Noctes pernigiles cum ebrietate, ſcurrilitate vel canticis, etiam in ipſis ſacris diebus, Paſcha, Natale Domini, & reliquis feſtiuitatibus, vel adueniente die Dominico banſatrices per villas ambulare. Hæc omnia, vnde Deus agnoſcitur ladi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque poſt commonitionem Sacerdotum vel noſtrum Præceptum, ſacrilegia iſta perpetrare præſumpſerit, ſi ſeruilis perſona eſt, centum ictus flagellorum vt ſuſcipiat iubemus, ſi verò ingenuus aut honoratior fortè perſona eſt.* . . . . . Cetera deſiderari plurimùm dolemus. Hac Conſtitutione proculdubiò Childebertus roborauit decretum nuperrimæ Synodi Pariſienſis, vt nullus vllam puellam, abſque parentum voluntate trahere aut accipere præſumeret, idque ſuppleri poteſt ex Concilij Turonenſis ſecundi Canone viceſimo, quem ſuo loco recitaturi ſumus.

LXVIII. VXOR. LIBERI.

Ex Vltrogothâ Reginâ, quæ ſuperſtes vixit, Childeberto duæ fuerunt filiæ, quas Interpolator Aimoini [b] Crothbergam & Crothſindam appellat. Succeſſit in ditiones Clotarius Childeberti frater, & vniuerſam Francorum Monarchiam ſolus obtinuit. *Childebertus*, inquit Agathias [c], *paulò pòſt è vitâ exceſſit, vniuerſum verò Francorum imperium ad ſolum Clotharium eſt deuolutum.* Aimoinus poſtquàm Childeberti mortem enarrauit, hæc ſubiungit. *Eius regnum vel theſauri ad Chlotarium lege redierunt*, quæ videlicet fœminas à ſceptro procul arceret. Clotarius autem, cùm fortè metueret, ne filiæ Childeberti ſi viris elocarentur, motuum occaſionem aliquando præberent, eas cum Vltrogothâ matre in exilium deportauit, vt Gregorius Turonenſis [d] teſtatur his verbis. *Childeberti regnum & theſauros Chlothacarius Rex accepit, Vltrogotham*

[b] Lib. 1. c. 19.
[c] Lib. 2.
[d] Lib. 4. c. 20.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47. FOEMINÆ NON SVCCEDVNT IN REGN. FRANC.

verò & filias eius duas in exilium posuit. Mitiùs posteà cum illis actum est, maximè à Chariberto Rege Clotarij filio, vt ex Fortunato inferiùs probabimus. En alterum exemplum, quo manifestum fit fœminas à Francis posthabitas fuisse, cùm apud eos actum est de successione regni. Ioannes Iacobus Chiffletius, qui contra legem hanc Francorum multa scripsit in Vindiciis Hispanicis & in Salicis ad illas Vindicias Luminibus vt vocat, alto silentio prætermisit exemplum, desumptum à Ragintrude & Bertoara sororibus Regis Theodobaldi, quæ fratri anno Christi quingentesimo quinquagesimoquinto sine prole mortuo non successerunt. Sed vt posterioris exempli, quod filiæ Childeberti Regis hoc anno suppeditarunt, auctoritatem eleuaret, conuiciis carpsit vltimam editionem Aimoini, telúmque, quod ex Agathiæ textu vibrari potest, argutâ interpretatione conatus est obtundere. Laudauit inprimis antiquas editiones Aimoinianas, in quibus post mortem Childeberti Regis hæc leguntur. *Eius*, nempe Childeberti, *regnum vel thesauri ad Clotarium redierunt*. Damnauitque Duchesnium, quòd *astutè & de industriâ* prædicto textui vocem hanc *(lege)* sic inseruerit. *Eius regnum vel thesauri ad Clotarium lege redierunt* At Duchesnius nihil egit *astutè*, nihil *de industria* vt quempiam deciperet, vsus est Codicibus optimæ notæ, nec meminit legis, quæ præterierit antiquos Auctores cósque Græcos, vt constat ex Agathia. Nam Græcus hic Historiographus de iure succedendi in regnum apud Francos recepto sic scripsit libro primo suarum lucubrationum. Παῖδες ἐκ πατρῶν τὴν βασιλείαν διαδιχόμενοι. *Filij patribus in regnum succedunt*. Et paulò pòst de quatuor filiis Chlothoæi seu Clodouei, qui post patris mortem paternum regnum inter se diuiserunt, ita disserit. Χιλδίβερτος μὲν καὶ Χλωθάριος, ἔτι δὲ Θευδίριχος καὶ Χλωδομήρης ἀδελφοὶ ἐγεγόνεσαν. οὗτοι δὲ ἐπειδὴ αὐτοῖς Χλωθαῖος ὁ πατὴρ ἐτεθνήκει, διειλήφασι τέτταρα τὴν βασιλείαν. *Childebertus quidem & Chlotharius, praterea vero Theudericus & Chlothomerus fratres fuerunt. Hi mortuo patre Chlothoæo in quatuor partes regnum partiti*. Eodem libro, cùm loqueretur de Theodobaldo, qui Theodoberto patri successit, licet iuuenis admodum atque adhuc sub magistri cura institutionéque esset, legem, quâ vocatus est ad regnum, patriam legem appellauit. *Patria*, inquit, *lex eum ad regnum vocabat*, καλεῖ τε αὐτὸν εἰς τὴν ἡγεμονίαν ὁ πάτριος νόμος. Libro secundo Childebertum & Clotarium eâdem lege ad successionem Theodobaldi vocatos dixit, nec alio iure Clotarium subrogauit fratri Childeberto, qui filias superstites reliquit. Textum, cuius partem iam recitauimus, integrum hoc loco describemus. Ἐν ᾧδε τοῦτα ἐπράχθη, Θευδίβαλδος μὲν μειράκιον, ὃς δὴ τῶν προσηκόντων τὴν Ἰταλίαν Φράγγων ἄρχει, ἦν μοι εἴρηται πρότερον, οὗτος δὲ ἀκτώκαιδεκα ἤδη ἐτεθνήκει τῇ νόσῳ προσπαλεὶς τῇ συντρόφῳ. ἐπεὶ δὲ Χιλδίβερτόν τε καὶ Χλωθάριον, ὡς δὴ καὶ τῷ ἡλίκῳ ἑξῆς ὄντας, ὅπῃ τὸν κλῆρον τῆς παιδὸς ὁ νόμος καλεῖ, αὐτίκα ἔρις αὐτοῖς ἐνέπεσε δεινή, καὶ οἷα μικροῦ δεῖν τῷ πάντι λυμήνασθαι ἤμελλε. Χιλδίβερτος μὲν γὰρ, πρεσβύς ἤδη ὑπῆρχε καὶ πόῤῥω που ἦκων τῆς ἡλικίας, καὶ πρός γε ἀδυνεία ἔῐχετο πολλῇ, ὡς συνεσκληκέναι οἱ ἄπαν καὶ διαπεπῆχθαι τὸ σῶμα, παῖδός τε αὖπω ἄῤῥενες οὐκ ἦσαν οἱ τὴν ἀρχὴν διαδεξόμενοι, ἀλλ' ὁ θυγατρᾶσιν ἐμπρωκεμεῖτο. Χλωθάριος δὲ ῥωμαλέος ἰῶ ἔτι καὶ ὄυπω λίαν ἐκπεφάκει, πλὴν ὅσον ἐς πρώτην ῥυτίδα, ἡνίκα τε εἶχε τέτταρας βούπαιδας ἤδη καὶ δαῤῥαλέους, καὶ πρὸς τὸν ἐνεργὸν ὡρμημένους. τοιγάρ τοι καὶ μοῖραν ἔφασκε τῷ ἀδελφῷ τὴν Θευδιβάλδου χρημάτων, ὡς οὐκ ἐς μακρὰν καὶ αὐτῆς δήπου τῆς Χιλδιβέρτου βασιλείας ἐς αὐτόν τε καὶ τοὺς οἰκείους παῖδας μεταπεσουμένης. καὶ πίνων οὐ διημάρτε τῆς ἐλπίδος. ὁ γὰρ πρεσβύτης ἐκὼν εἰσ-

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

δίδου τῆς κλήρου, δεδιὼς οἶμαι τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς καὶ ἀπαλλαξείων τῆς ἐπ' αὐτὸν δυσμενείας. ὀλίγῳ τε ὕστερον, αὐτὸς μὲν ἀπιζίω, ἄπαιδι δὲ τῷ Φράγγων κράτος ἐς μόνον Χλωθαρίου κατερρύη. *Interea dum hæc geruntur, Theudibaldus adolescens, qui finitimis Italiæ Francis imperabat, vt suprà est à me dictum, miserrimè iam è viuis excesserat, morbo quo inde ab ortu laborarat absumptus. Cùm verò Childibertum & Chlotharium, vtpote genere proximos, lex ad hæreditatem iuuenis vocaret, grauis statim inter eos contentio est orta, quæque parum aberat quin totum genus perderet. Childibertus enim iam senex erat, & præterquàm quòd grauis annis esset, accedebat etiam summa infirmitas, adeò vt ipsi totum corpus colliquatum tabidumque esset, neque vlla ei erat proles masculà quæ succederet in regnum, sed filias tantùm habens consenuerat. Chlotharius verò valido adhuc erat corpore, neque admodum senex, primas tantum rugas contraxerat, & filios habebat quatuor admodum iuuenes atque animosos & ad audendum promptos. Quocirca non adeunda dixit fratri bona Theudibaldi, quippe quòd breui etiam ipsum Childiberti regnum ad se & filios suos esset deuoluendum. Neque cum fefellit sua spes. Senex enim ille sua sponte ipsi hæreditate cessit, veritus, vti puto, viri potentiam, ipsiusque inimicitiam declinare cupiens, paulòque pòst ipse quidem excessit è viuis, vniuersum verò Francorum imperium ad solum Chlotharium est deuolutum.* Agathias in hac causa quid sentiret, clariùs indicare non potuit Frustrà queritur Chiffletius [a], quòd hæc Agathiæ phrasis, παῖδες ἐκ πατρῶν τὴν βασιλείαν διαδεχόμενοι, à Christophoro Persona sic vertatur, *ex parentibus filij regna suscipiunt*, non autem sic, *ex parentibus liberi regnum suscipiunt*, cùm παῖδες à probatis Auctoribus sumantur pro liberis vtriusque sexus. De significatione istius vocis non disputamus, scimus enim vsurpatam à Xenophonte, Demosthene & aliis, in fœminino genere, sed contendimus apud Agathiam loco præcitato sumi pro masculino tantùm sexu, nec alium iudicem quàm eruditum ipsius Agathiæ Lectorem postulamus. Ab interpretatione Christophori Personæ non recessit Bonauentura Vulcanius, textum enim, de quo loquimur, hac donauit Latinitate. *Filij patribus in regnum succedunt.* Genuinum hunc Agathiæ sensum esse fatebitur, quisquis Auctorem illum legerit, apud quem filiæ sororésque Regum Francorum paterni fraternique regni successione penitus excluduntur. Chiffletius cùm causæ suæ diffideret, recurrit ad aliud subterfugium, & Agathiam explicuit de Francis Orientalibus, apud quos Theodobertus & Theodobaldus imperarunt. *Verùm*, inquit, *etsi daremus per παῖδες Agathiam intellexisse masculas proles, de Francis Ortiuis id capiendum esse, non de Occiduis, ipsemet clarè indicauit.* Opinioni suæ satis roboris additum putauit, si subnecteret ex eodem Agathia duo exempla quæ spectarent ad Francos Orientales; vnum de Theodoberti Regis hæreditate, ad quam *patria lex* Theodobaldum ipsius Theodoberti filium, licet puerum, vocauit; alterum de Theodobaldi Regis hæreditate, quæ per eandem legem ad Childebertum & Clotarium, vtpote genere proximos, deuoluta est. At Agathias nec Francos distinxit in Orientales & Occidentales, nec duas in Francia pro regni successione leges esse dixit, alteram quæ solis maribus ius ad regnum Francorum Orientalium, alteram quæ viris ac fœminis ius ad regnum Francorum Occidentalium attribueret. Præterea quæro, vtrùm in Francia Orientali regnarit vnquam Childebertus, cuius filias ab hæreditate paterna secundùm legem patriam apud Agathiam arcet Rex Clotarius earumdem patruus. Illis temporibus, in Francia quotquot erant regij filij paternam hæreditatem partiebantur, si ius idem ad successionem filiabus erat, cur nulla earum vocata est cum fratribus ad diuidendam hæreditatem? Clodoueus Childerico patri, cuius ditiones versùs Occidentem Andegauum * vsque propagatæ erant, solus successit teste Gregorio [b] Turonensi, cur ipsius Clodouei sorores, quas idem Gregorius [c] laudat,

[a] Lum. Salic 3.

* *Angers.*

[a] Lib. 2. c. 27.
[b] Lib. 2. c. 31.

laudat, paternam hæreditatem cum fratre non adierunt? Clodoueo, cuius regnum vsque ad Oceanum protendebatur, quatuor succeſſerunt filij, Theodoricus, Clodomeres, Childebertus & Clotarius, vt Gregorius [a] & Agathias [b] teſtantur, cur eiuſdem Clodouei filiabus, quarum mentio fit apud Procopium [c], apud Fortunatum [d] & apud Gregorium [e] Turonenſem, pars hæreditatis paternæ non eſt attributa? Theodorico ſucceſſit Theodobertus filius, vt Gregorius [f] Turonenſis affirmat, cur eidem pariter Theodorico in partem regni non ſucceſſit eius filia, quam commendat Flodoardus [g] in Hiſtoria Remenſi? Theodobertus præter filium Theodobaldum reliquit filias, quarum meminimus ex Fortunato & ex Annalibus Boiorum, cur ei, prout Gregorius [h], Marius [i] & Agathias [k] aſſerunt, ſolus ſucceſſit Theodobaldus, ipſiuſque Theodobaldi ſorores poſt patris obitum parte regni caruerunt? Alia argumenta quibus Chiffletius impugnare conatus eſt antiquiſſimam Francorum legem, quæ fœminas à regni ſucceſſione procul arcet, facilè refellemus ſuis locis. Olim enim, cùm Monaſterij * Weſtphalorum moraremur, Vindicias Hiſpanicas, quas Auctor ille tunc primùm publicauit, accuratè refutauimus, non tam vt Excellentiſſimo Domino Abeli *Seruien* Comiti *de la Roche des Aubiers* pro ſancienda pace alteri Francorum Plenipotentiariorum, quocum in Germaniam profecti eramus, id operis à nobis poſtulanti & amicis ac fœderatis Coronæ Francicæ communicaturo ſatisfaceremus, quàm vt ſtudium noſtrum erga Patriam Regémque Chriſtianiſſimum LVDOVICVM XIV. in celeberrimo illo Gentium fermè omnium Europæarum conuentu teſtaremur.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

[a] Lib. 1. c. 1.
[b] Lib. 1.
[c] Lib. 4.
[d] Lib. 4. c. 25.
[e] Lib. 3. capp. 1. 10.
[f] Lib. 3. c. 23.
[g] Lib. 2. c. 1.
[h] Lib. 1. c. 17.
[i] In Chron.
[k] Lib. .

* *Munſter en Weſtphalie.*

LXIX. AIMOINI CHARACTERES CHRONOLOGICI EXAMINANTVR.

Aimoinus annorum ſupputationem aliquando benè, malè aliquando collegit. Id conſtat ex variis temporum notis, quas Codex Seguierianus ſuprà laudatus exhibet. Illarum enim aliæ non diſſident à Chronologia, diſcrepant aliæ. In editione Aſcenſiana, quam Breulius & Ducheſnius ſecuti ſunt, mors Clodouei Regis, vltimo capite libri primi, ſic conſignatur. *Inclytus Clodoneus Rex Francorum, metas ſibi attributi attingens aui, defunctus eſt anno quinto poſtquàm Alaricum Regem Gothorum interfecerat.* In Codice Seguieriano annus Incarnati Verbi ſextus ſupra quingenteſimum ſic adiungitur. *Inclytus Clodoueus Rex Francorum metas ſibi attributi attingens aui; defunctus eſt anno Incarnati Verbi* DVI. *quinto ſcilicet anno, poſtquàm Alaricum Regem Gothorum interfecerat.* Omnis fermè auctoritas Aimoini proficiſcitur à Gregorio Turonenſi & à Fredegario Scholaſtico, quos ob oculos habebat cùm ſcriberet. In aſſignando anno quinto poſt Vogladenſe bellum ſeu poſt victoriam in Alaricum ac Wiſigothos à Clodoueo reportatam, Aimoinus ſubſecutus eſt Gregorium Turonenſem, cuius hæc ſunt verba [l] de morte Clodouei. *Migrauit poſt Vogladenſe bellum anno quinto.* Subſecutus eſt & Fredegarium Scholaſticum, apud quem [m] hæc etiam de morte Clodouei leguntur. *Mortuus eſt anno* V. *poſtquàm cum Alarico Rege Gothorum pugnauit.* Gregorius & Fredegarius annos ab Incarnatione Dominica non numerarunt, quia hæc ratio computandorum annorum apud Francos in vſu nondum erat. Scripſit Aimoinus poſt annos ferè quingentos ab obitu Clodouei, cùm iampridem in Hiſtoriis & Annalibus Francorum, anni à Natiuitate Chriſti numerari conſueuiſſent. Idcircò mirum nemini debet eſſe, quòd conatus ſit indicare quonam Dominicæ Incarnationis anno mortem obierit Rex Clodoueus, multóque minùs quòd inter tot támque diuerſas Chronologorum opiniones annum illum non ſit aſſecutus. Seruandus eſt igitur in textu Aimoini, iuxta fidem Seguieriani Codicis, *annus Incarnati Verbi* DVI. quamuis in illum annum mors Clodouei non inciderit. In editione Aſcenſiana poſt textum ſuprà recitatum ſequitur interpolatio de Clodouei Regis epitaphio. Tum Auctor redit ad Chronologiam, *regnauit Clodoneus annis* XXX, additque alteram hanc interpolationem, *obiit verò anno Dominicæ Incarnationis* D, quam Breulius ita corrigendam duxit, *obiit verò anno Dominicæ Incarnationis* DXIIII, ratus vi-

[l] Lib. 2. c. 43.
[m] Hiſt. epitom. c. 18.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

delicet sequendam Sigeberti sententiam, qui mortem Clodouei Regis in annum Christi quingentesimum decimum-quartum reiecit. In Codice manuscripto sancti Germani de Pratis post Literam numeralem D occurrit breue spatium Characteribus vacuum, quos Breulius pro libito suppleuit. Laudandus magis Ducheſnius, quòd amputatâ interpolatione purum putum Aimoini textum hoc loco descripserit, vt ad annum Christi quingentesimum vndecimum [a] quo Clodoueus Rex obiit, iam monuimus. Quemadmodum autem rectè resecuit hanc interpolationem Aimoini, sic paulò superiùs malè reticuit illas voces, *anno Incarnati Verbi* DVI, quæ leguntur in Codice Seguierano, veréquesunt Aimoini, licet integro quinquennio à recta Chronologia dissideant.

[a] Num. 61.

LXX. Idem Codex annum, quo Childebertus Rex obiit, ita designat. *Post diutinam regni functionem febre vexatus* XLVII *anno moritur.* Hæ voces (XLVII *anno*) non reperiuntur in editionibus, Ascensiana, Breuliana & Ducheſniana, conueniunt tamen optimè cum Chronologia, nam Clodoueus ex hac vita discessit anno Christi quingentesimo-vndecimo, Childebertus hoc anno, Christi quingentesimo duodesexagesimo, id est, anno XLVII post annum Christi quingentesimum-vndecimum quo patri Clodoueo successerat. Hinc obserua nos à vero non recessisse sub initium huiusce disquisitionis, cùm ex variis Characteribus Chronologicis, quos Codex Seguierianus suppeditat exemplariáque Aimoini hactenus typis euulgata reticent, alios diximus iure probari, alios iure improbari, vtrósque tamen Aimoinianos esse. Interpolator Childebertum non anno XLVII, sed anno XLIX postquàm regnare cœperat mortuum tradit. *Defuncto*, inquit, *glorioſissimo Rege Childeberto*, XLIX *postquàm regnare cœperat anno.* Vt autem meliùs deprehendas hominis inscitiam, qui non tantùm cum Gregorio Turonensi, sed etiam apertè cum ipsomet Aimoino pugnat, interpolationis, quæ capiti vicesimo-nono secundi libri Aimoiniani subiicitur, partem residuam accipe. *Igitur defuncto glorioſissimo Rege Childeberto*, XLIX *postquàm regnare cœperat anno, nondum quidem dedicatâ vel consecratâ sancti Vincenty, quam fabricauerat, Ecclesiâ, glorioſus Chlotharius Rex non dignum ducens hoc fore procraſtinandum, conferre curauit cum B. Germano, vnáque cum Vltrogotha Regina, præfati inclyti Childeberti vxore, necnon & cum Crothberga & Crothsinda eius affinibus, quatenus ipsa cum digno honore consecraretur à beatiſsimo Germano, & vt in die consecrationis ex rebus propriis ipsi Ecclesiæ dotem honorificè conferrent. Quod & fecerunt, & scripto suo corroborauerunt. Hinc igitur ad ordinem Hiſtoriæ redeamus.* Aliter hæc à Gregorio & ab Aimoino enarrantur. Apud Aimoinum [b], confecto bello Hispanensi, quod anno Christi quingentesimo quadragesimo-secundo gestum est, cùm beatus Germanus Episcopatum Parisiensem nondum obtineret, *Childebertus acceptam beati Vincenty ſtolam Pariſius defert, ædificatámque ſolo tenus Baſilicam nomini eiusdem ſancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit.* Et Clotarius, teste Gregorio [c] iam citato, postquàm Childeberto fratri successit, Vltrogotham & filias eius duas in exilium ablegauit.

[b] Lib. 2. c. 20.

[c] Lib. 4. c. 20.

LXXI. MODERNI SCRIPTORES MALE EDVNT CATALOGVM REGVM FRANC. Recentiores Historici Reges Francorum ita recensent. Clodoueo Primo subiiciunt Childebertum, Childeberto Clotarium fratrem, quia vtérque Lutetiæ regnauit. Nullum inter Reges Francorum locum existimant dandum duobus aliis Clodouei Magni filiis Theodorico & Clodomeri vel nepoti Theodoberto & Theodobaldo pronepoti, quoniam in eorum potestate Parisij neutiquam fuerunt. Ignorant illi quid sit Francia, quidve Franciæ nomine debeat intelligi. Francia est omnis ditio Francorum, modò latioribus, angustioribus modò limitibus circumscripta, prout fors aut virtus obtigit. Quid Franciæ vocabulo significaretur sub tempus beati Hieronymi, cùm Germania in tres maiores prouincias, in Franciam, Saxoniam & Alemanniam diuidebatur, suo loco diximus. Olim Francia tota fuit vltra Rhenum, postea cis eundem fluuium complexa est cunctam penè Galliam. Sæpè di-

uisa fuit in plura regna, nam Merouingis Regibus per multa tempora quot filij, tot fuere successores paternâ hæreditate in varias partes scissâ. Reges illi distinctas habebant ditiones, omnes tamen vocabantur Reges Francorum; quemadmodum & populi, licet diuersis Regibus obtemperarent, omnes Franci nominabantur, vniuersa verò regio Francia. AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Gregorius Turonensis Author synchronus, qui vixit ætate Clotarij primi, de quo iam loquimur, scripsit decem libros historiarum. In illo opere non instituit narrationem rerum gestarum à Regibus duntaxat qui Parisiis post Clodoueum primum regnarunt, sed agit pari stylo de ceteris, qui vel Metis, vel Aureliæ, vel Suessione sedem regni collocarunt ex diuisione post obitum Clodouei Magni patris inter quatuor fratres inita. Milites Clodomeris, qui contra Burgundiones apud Virontiam pugnarunt, Francos vocat [a]. *Franci cernentes atque cognoscentes Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant*, &c. Francos vocat [b] eos, qui cum Theodorico & Clotario Metarum ac Suessionum Regibus bello Thuringico aduersùs Herminefridum interfuerunt. *Conuocatis igitur Francis dicit ad eos*, &c. *Thoringi verò venientibus Francis dolos præparant*, &c. *Franci tanquam per pontem aliquod super eos in littus vlteriorem transierunt*, &c. Francos vocat [c] populos, qui Theodoberto Theodorici filio Metensium Regi paruerunt. *Coniuncti*, inquit, *Franci contra eum*, nempe Theodobertum, *valdè scandalizabantur quare sponsam suam relinqueret.* Et in alio loco [d]. *Theodobertus cùm diutissimè ægrotasset, ab ipsa infirmitate deficiens reddidit spiritum. Franci verò cùm Parthenium in odio magno haberent, pro eo quòd eis tributa antedicti Regis tempore inflixit, eum persequi cæperunt.* Regnum quod Theodobaldus Theodoberti filius post patrem obtinuit, Regnum Franciæ vocat [e]. *Chlothacharius post mortem Theodonaldi cùm regnum Franciæ suscepisset*, &c. Francos etiam vocat [f] milites ex ditionibus eiusdem Theodobaldi Buccellinum ducem in Italiam secutos. *Buccelenus*, inquit, *cùm totam Italiam in Francorum regno redegisset, à Narsete interfectus est.*

LXXII. REDARGVVNTVR AVTHORITATE GREGORII TVRON.

[a] L. 3. c. 6.

[b] L. 3. c. 7.

[c] L. 3. c. 27.

[d] L. 3. c. 36.

[e] L. 4. c. 14.

[f] L. 4. c. 9.

Marius Auenticensis Episcopus Gregorij Turonensis coætaneus Clodomerem appellat Regem Francorum, ditionem illius Franciam, milites illius Francos, sic enim scribit sub Consulatu Maximi, Indictione primâ. *Hoc Consule Sigismundus Rex Burgundionum à Burgundionibus Francis traditus est, & in Francia in habitu Monachali perductus.* Deinde anno sequenti, Iustino iterùm & Opilione Consulibus, Indictione secundâ. *Eo anno Godemarus contra Chlodomerem Regem Francorum Viseronciâ præliauit.* Author ille, quia res Burgundionum præcipuè scribit, Theodorici Regis, qui Burgundiam ne quidem lacessiuit, nullam mentionem facit, Theodobertum eius filium Regem Francorum appellat vnà cum Childeberto & Clotario patruis sub Consulatu Paulini Iunioris, Indictione duodecimâ. *Hoc Consule Reges Francorum, Childebertus, Chlothacarius & Theudebertus Burgundiam obtinuerunt.* Eiusdem Theodoberti meminit duobus aliis in locis, vtrobique Regem Francorum appellat, Appione Consule, Indictione secundâ, *hoc Consule Theudebertus Rex Francorum Italiam ingressus*, &c. & post Consulatum Basilij anno VII. Indictione vndecimâ, *eo anno Theudebertus Rex Magnus Francorum obiit.* Theodobaldum Theodoberti filium atque hæredem, Regem quoque Francorum appellat post Consulatum Basilij anno decimo-quarto, Indictione tertiâ. *Hoc anno Theudobaldus Rex Francorum obiit.* Duces ac milites, qui bellum in Italia Theodoberti & Theodobaldi Regum auspiciis, atque etiam post Theodobaldi mortem gesserunt, Francorum Duces ac Francos vocat, post Consulatum Basilij anno septimo, Indictione vndecimâ. *Eo anno Lanthacarius Dux Francorum in bello Romano transfossus obiit.* Post Consulatum Basilij anno decimo-quarto, Indictione tertiâ. *Eo anno Buccelenus Dux Francorum in bello Romano cum omni exercitu suo interiit.* Post Consulatum Basilij anno decimo-quinto, Indictione quartâ. *Eo anno exercitus Francorum Reipublicæ Romanæ exercitum vastauit.* Præterea Francos appellat milites omnes, quos Clotarius post mortem etiam

LXXIII. MARII AVENTIC.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Theodobaldi, cui succesſerat, è ditionibus ſuis collegit, vt Saxonum ac Thoringorum conatus audaciores reprimeret, poſt Conſulatum Baſilij anno decimo-quarto, Indictione tertiâ. *Eo anno Saxonibus rebellantibus, Chlothacarius Rex cum graui exercitu contra ipſos dimicauit, vbi multitudo Francorum & Saxonum ceciderunt.* Et poſt Conſulatum Baſilij anno decimo-quinto, Indictione quarta. *Eo anno Franci totam Thoringiam, pro eo quòd cum Saxonibus coniurauerat, vaſtauerunt.*

LXXIV. PROCOPII.

Procopius Author Græcus ac ſynchronus in opere de bello Gothorum cui præſens interfuit, bellum, quod Theodoricus & Clotarius aduersùs Hermenefridum in Thuringia geſſerunt, à Francis ſuſceptum & confectum tradit. *Franci, nemine iam obſiſtente, Thoringos bello adorti, ipſorum Regem Hermenefridum interficiunt* οἱ Φράγγοι, οὐδενὸς σφίσιν ἔτι ἀντιτασσομένου, ὅπῃ Θορίγγους ἐστράτευσαν, καὶ Ἐρμενέφριδόν τε τὸν αὐτῶν ἄρχοντα κτείνουσι. Deinde, cùm agit de Legatione à Vitige Gothorum Rege ad Reges Francorum miſſa, Childebertum, Clotarium & Theodobertum Reges Francorum agnoſcit. *Tunc*, inquit, *Reges Francorum erant Ildiberus* ſeu Childebertus, *Theudibertus* ſeu Theodobertus, *& Cloadarius* ſeu Clotarius. Φράγγων δὲ τότε ἡγεμόνες ἦσαν Ἰλδίβερός τε, καὶ Θευδίβερτος, καὶ Χλοταδάριος. Hæc libro primo [a]. Libro ſecundo [b], Theodobertum ſæpiùs Regem Francorum & milites eius Francos appellat. *Interea Franci, &c. coacti ſtatim ad centum millia, Theudiberto duce, expeditionem in Italiam ſuſceperunt.* Ἐν τούτῳ δὲ Φράγγοι . . . . . ἐς μυριάδας δέκα, θώρηκας, ξυλεγμένοι, ἡγουμένου σφίσι Θευδιβέρτου, ἐς Ἰταλίαν ἐστράτευσαν. *Franci, ſuperatis Alpibus, quæ Galliam ab Italia diuidunt, Liguriam ingreſſi ſunt.* Φράγγοι τὰς Ἄλπεις ἀμείψαντες, αἳ Γαλατίαν τε καὶ Ἰταλοὺς διορίζουσιν, ἐς Λιγυρίαν ἐλήλυθον. *Vbi audiit Beliſarius adeſſe Francorum exercitum, hæc ſcripſit Theudiberto.* Βελισάριος δὲ Φράγγων τι στρατὸν παρεῖναι ἀκούσας τοῖς Θευδιβέρτου ἔγραψε τάδε. Libro tertio [c], milites, qui ſub auſpiciis Theodoberti Regis in Italia pugnarunt, Francos vocat. *Franci maximam agri Veneti partem occuparunt nullo negotio.* Φράγγοι Βενετίων τὰ πλεῖστα σφίσι προσεποιήσαντο οὐδενὶ πόνῳ. Libro quarto [d], Theodobertum & Theodobaldum Reges Francorum dicit. *Theudibertus Francorum Rex paulò antè obierat morbo.* Θευδίβερτος δὲ, ὁ Φράγγων ἄρχων, οὐ πολλῷ ἔμπροσθεν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο νόσῳ. *Teias Legationem miſit ad Theudibaldum Francorum Regem,* πρὸς Θευδίβαλδον τὸν Φράγγων ἄρχοντα. Francos etiam appellat ipſius Theodobaldi milites. *Franci, ſuis, opinor, rationibus inſeruientes, &c.* Φράγγοι τὰ ξύμφορα, οἶμαι, βεβουλευμένοι.

[a] Cap. 13.
[b] Cap. 25.
[c] Cap. 33.
[d] Cap. 24.

LXXV. ET AGATHIÆ.

Agathias Auctor pariter Græcus ac coætaneus, genus Regum Francorum à Clodoueo, qui totius Franciæ Monarchiam obtinuit, libro primo ſuæ Hiſtoriæ deducit vſque ad Theodobaldum eiúſque propatruos Childebertum & Clotarium, qui ſimul regnarunt Franciâ in tres partes tunc diuisâ. *Childebertus quidem*, inquit, *& Chlotharius, præterea verò Theudericus & Chlothomerus fratres fuerunt. Hi mortuo patre Chlothoco in quatuor partes regnum partiti ſunt.* Χιλδίβερτος μὲν καὶ Χλοθάριος, ἔτι δὲ Θευδίριχος καὶ Χλωδομῆρης ἀδελφοὶ ἐγεγόνεσαν, οὗτοι δὲ ἐπειδὴ αὐτοῖς Χλωδοῶιος ὁ πατὴρ ἐτελεύτησε, διενείμαντο τέτταρα τὴν βασιλείαν. Deinde milites elapſos è pugna, in qua Clodomeres ſeu Chlothomerus occubuit, vocat reliquias *exercitus Francici* τοῦ Φραγγικοῦ ὁμίλου. Poſteà, cùm Teias Oſtrogothorum Rex exceſſit è viuis, & Gothicæ res peregrinis auxiliis egebant, ait Theudibaldum Regem Francorum fuiſſe, necnon Childebertum & Chlotharium maximos eius patruos, prout

leges Romanorum loquerentur. Βασιλεὺς τοῦδε Φράγγοις Θεοδίβαλδός τε καὶ μετὰ δὲ Χιλδίβερτός τε καὶ Χλοθάριος οἱ τοῦ παιδὸς μέτοικοι ἦσαν, ὡς δὴ οἱ Ρωμαίων εἴποιεν νόμοι. Milites, quos Theodobertus & Theodobaldus in Italiam direxerunt, Francos Φράγγους passim appellat. Denique, postquàm de diuisione Franciæ in varia regna disseruit, obseruat libro secundo vniuersum Francorum Imperium post mortem Childeberti Regis deuolutum esse ad solum Clotarium, ἅπαν δὲ τὸ τῶν Φράγγων κράτος ἐς μόνον Χλωθάριον κατερρύη. AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Ne prolixiores in re minimè dubia videamur, parcimus ceteris Authoribus eiusdem ætatis, apud quos non soli duntaxat Reges Francorum dicuntur qui Parisiis regnarunt, sed quotquot genus à Clodoueo Magno duxerunt, siue Lutetiæ, siue alibi sedem regni sui constituerint. In illa tamen materia censuimus tantisper immorandum, quia scribentibus Annales Ecclesiasticos obuersantur ob oculos multa, quæ gesta sunt extra ditiones Regum Parisiis degentium, nihil verò quod extra Franciæ fines positum sit. Similiter probare non possumus Neotericos Authores, qui vel omittunt res præclarè gestas à Francis in variis Prouinciis, quæ non sunt hodie sub potestate Regis Christianissimi, vel immorantur in laudibus exterarum Nationum, quia sub earum imperio fuit olim pars hodiernæ Franciæ. Pro diuersis ætatibus diuersi fuerunt Franciæ fines, hos semper ob oculos habere, nec vnquam transgredi debet is, qui Francorum historiam à prima gentis origine scribendam suscepit. Vt enim ad Annales Francorum non pertinent res à Romanis, à Gothis & à Saracenis in Septimania gestæ, priusquàm illa Prouincia ditionibus Francorum accenseretur, sic in iisdem Annalibus nusquàm prætermittenda sunt illustria veterum Francorum facinora, quamuis Prouinciæ, in quibus edita sunt, hodie longissimè distent à limitibus Franciæ. LXXVI. ALIVS ERROR NEOTERICORVM.

Præterea obserua Reges, qui Francis dominabantur; ab antiquis illis Authoribus cùm Latinis tum Græcis, Reges non Franciæ seu Φραγγίας sed Francorum seu Φράγγων appellatos fuisse. Multis seculis in publicis instrumentis appositus est vetus ille titulus, apponiturque etiamnum ab iis, qui priscâ delectantur consuetudine, nec ab ea facilè recedendum putant in tali causa. Longum esset excurrere in omnium Regum diplomata. Francisci Primi, qui superiori seculo floruit, vnum sufficiet exemplum, vt antiquum morem ad illa vsque tempora seruatum scias. Eius Literæ Regiæ, quarum exemplaria in multis Authoribus occurrunt, sic inchoantur. *Franciscus Dei gratiâ Francorum Rex, Mediolani Dux, Astensis * Comes ac Genuæ * Dominus, omnibus Literas has lecturis salutem.* Francisci successores Latino sermone rariùs vsi sunt in diplomatibus. Reges, qui Francis imperarunt, Reges Francorum dici maluerunt quàm Reges Franciæ, priorémque titulum posteriori adeò prætulerunt, vt si regno auito aliud adiunxerint quod non gentis sed regionis nomine designari consueuisset, non abstinuerint à Maiorum suorum titulo, sed Reges Francorum se primùm dixerint, deinde Reges alterius regni, quod eis obuenerat, noménque non populi sed regionis gerebat. Reges Francorum, qui Regno Nauarræo, post Ioannam Reginam Nauarræ, Comitissam Palatinam Campaniæ & Briæ, Philippi Pulchri Francorum Regis vxorem, potiti sunt, Reges se *Francorum & Nauarræ* inscripserunt frequentissimè, rarissimè Reges *Franciæ & Nauarræ*, vt constat ex variis chartis quas legimus in Archiuo Regio. Quapropter cùm ambo illa Regna, quæ post mortem Caroli Pulchri diuisa fuerant, Henrico Tertio è viuis sublato, sub vnius Regis, HENRICI videlicet MAGNI, potestatem iterùm redierunt, hic acclamatus est *Rex Francorum & Nauarræ*, vt & eius filius LVDOVICVS XIII. ac nepos LVDOVICVS XIV. Exempla proferemus è Curia Romana, quæ prisca consuetudine solet inniti, maximè cùm de titulis ac dignitatibus agitur. An- LXXVII. REGES FRANCORVM.

* *Comte d'Ast.*
* *Seigneur de Gênes.*

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

no Christi milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo CLEMENS VIII. Papa HENRICVM IV. Chriſtianiſſimum *Francorum & Nauarræ* Regem appellauit, ſic enim de Franciſco Luxemburgio Romam miſſo locutus eſt in Bulla, quam Ioannes Iacobus Chifletius inter Lumina Salica [a] vt vocat ad Vindicias Hiſpanicas publicauit, *Nobilem virum Franciſcum Luxemburgium, Ducem * Pignei, chariſſimi in Chriſto filij noſtri* HENRICI, *Chriſtianiſſimi Francorum & Nauarræ Regis Oratorem ad Nos & Sedem Apoſtolicam miſſum*, &c. *Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die* XV. *Aprilis* MDXCVIII. *Pontificatus noſtri anno ſexto.* Idem CLEMENS VIII. anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo eundem HENRICVM IV. Chriſtianiſſimum *Francorum & Nauarræ* Regem vocauit in altera Bulla, quam pro ſolemnitate Iubilæi Aurelianenſis acceptam Carolus Sauſſeyus Annalibus [b] Eccleſiæ Aurelianenſis inſeruit. *Nos ſupplicationibus, pro parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri* HENRICI *Francorum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati*, &c. *Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die* XVIII. *Septembris* MDC. *Pontificatus noſtri anno nono.* PAVLVS V. Papa in Bulla, quâ Eccleſiam Cathedralem ſancti Pontij * Thomeriarum Regularis Ordinis ſancti Benedicti ad ſecularitatem reduxit, LVDOVICVM XIII. Chriſtianiſſimum *Francorum & Nauarræ* Regem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodecimo ſic nuncupauit. *Sanè chariſſimus in Chriſto filius noſter* LVDOVICVS *Francorum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus tam ſuo quàm*, &c. *Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ* 1612. 14. *Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno octauo.* Bullam illam nobis communicauit Dionyſius *Godefroy* Hiſtoriographus Regius, Theodori, cùm olim in ciuitate Monaſterienſi Weſtphalorum moraremur, amicitiâ nobis etiam coniuncti filius. Inter probationes, quas Petrus Franciſcus *Chifflet* Societatis IESV Presbyter Hiſtoriæ Monaſterij Trenorcienſis * ſubiecit, extat Bulla VRBANI VIII. Papæ, per quam facta eſt ſecularizatio eiuſdem Cœnobij Benedictini, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo viceſimo tertio, *porrectis ſupplicationibus*, vt Pontifex ait, *cariſſimi in Chriſto filij noſtri* LVDOVICI *Chriſtianiſſimi Francorum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi*, &c. *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, octauo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.* Prælaudatus Dominus Dionyſius *Godefroy* pro ſua benignitate & amicitia nobis exhibuit duas alias Bullas, vnam VRBANI VIII. pro ſecularizatione Monachorum Malleacenſium *, alteram INNOCENTII X. pro erectione Epiſcopatus Rupellenſis *. In priore VRBANVS VIII. LVDOVICVM XIII. iiſdem, quibus ſuprà, titulis affecit decimo-nono Kalendas Februarias, anno ſui Pontificatus nono, Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo primo iuxta ſtylum Cancellariæ Romanæ quæ initium anni ducit à die viceſima-quinta Martij, vel anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo iuxta noſtram ſupputationem, quia principium anni petimus à Kalendis Ianuariis. *Supplicationibus*, verba ſunt Bullæ, *chariſſimi in Chriſto filij noſtri* LVDOVICI *Francorum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi*, &c. In poſteriore INNOCENTIVS X. anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodequinquageſimo, vtrique LVDOVICO, Decimo-tertio videlicet ac Decimo-quarto, eoſdem titulos attribuit. Illi ſic. *Claræ memoriæ* LVDOVICVS XIII. *etiam Francorum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus.* Huic verò ſic. *Ex parte chariſſimi in Chriſto filij noſtri* LVDOVICI *Francorum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi, Nobis*, &c. Superſedemus aliis auctoritatibus. Licèt autem tot occurrant exempla, quæ Reges Chriſtianiſſimos non *Franciæ* ſed *Francorum* Reges appellandos eſſe perſuadeant, ſi quis elegantioris Latinitatis ſtudio motus HENRICVM IV. & LVDOVICOS XIII. & XIV. Reges *Franciæ & Nauarræ* vocare voluerit, hunc veniâ dignum cenſebimus. Reges enim, qui, poſt Philippum Pulchrum Regem Francorum & Ioannam Nauarræ Reginam eiuſdem Philippi vxorem, in Francia ſimul & in Nauarra regna-

[a] Lim. 7 pro exempl 19.

* *Duc de Pinej.*

[b] Lib. 10. n. 41.

* *Saint Pons de Tomieres.*

* *De Tournus.*

* *De Maillezais.*

* *De la Rochelle.*

runt, aliquando Reges se *Franciæ & Nauarræ* inscripserunt, vt ex chartis Archiui Regij iam laudatis constat. Deinde ALEXANDER VII. Papa qui Catholicæ Ecclesiæ hodie præest, de LVDOVICO XIV. non aliter locutus est in Bulla & in Commissione Legationis, quam Eminentissimus Cardinalis Chisius anno priori apud eundem LVDOVICVM Regem obiit. Initium Bullæ tale est. ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Flauio tituli sanctæ Mariæ de populo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Chisio nuncupato, ad Charissimum in Christo filium nostrum* LVDOVICVM *Franciæ & Nauarræ Regem Christianissimum & vniuersum illius regnum, eiusque prouincias, dominia, ciuitates, oppida, terras, & loca eidem Regi subiecta, dictóque regno adiacentia, & ad quoscumque etiam Christianos Principes, ceteráque alia loca, ad quæ te declinare contigerit, Nostro & Apostolicæ Sedis de latere Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.* Et paulò pòst eundem Cardinalem Papa sic alloquitur. *Cùm hodie te, qui noster secundùm carnem ex fratre nepos existis, ad charissimum in Christo filium nostrum* LVDOVICVM *Franciæ & Nauarræ Regem Christianissimum, ac vniuersum illius regnum*, &c. Commissio Legationis idem habet initium ac prædicta Bulla. ALEXANDER *Episcopus*, &c. ibique Summus Pontifex eundem Cardinalem de latere Legatum *ad* LVDOVICVM *Franciæ & Nauarræ Regem Christianissimum*, à se & ab Apostolica Sede missum testatur. Et inferiùs causam Legationis obeundæ sic exponit. *Cùm pro executione Conuentionum inter Apostolicam Sedem & charissimi in Christo filij nostri* LVDOVICI *Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi Ministros in ciuitate Pisana initarum, tu, qui non solùm noster secundùm carnem ex fratre nepos existis, verùm etiam fide, constantiâ, & in negotiis agendis prudentiâ nobis apprimè probatus es, ad eundem Christianissimum Regem noster atque Apostolicæ Sedis Legatus mittendus sis*, &c.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47. RARIVS dicti REGES FRANCIÆ.

LXXVIII. AN DICENDI REGES GALLIARVM.

Scimus aliter legi titulos Regum Francorum apud pleróque cùm nostræ tum superioris ætatis Auctores, qui se putarunt optimè meritos de Regibus Christianissimis, si nec *Francorum* nec *Franciæ* Reges eos dicerent sed Reges *Galliarum* aut *Galliæ*, & LVDOVICVM XIV. *Galliarum & Nauarræ* aut *Galliæ & Nauarræ* Regem vocarent. Eiusmodi homines, qui Francos cum Gallis & Franciam cum Galliis seu Gallia confundunt, necesse est aut inter se pugnantia scribant aut ineptissima. Regesne Galliarum, quæ certis limitibus intra Varum fluuium, Alpes, Rhenum, Oceanum, Pyrenæos montes & mare Mediterraneum circumscribuntur, vocabunt antiquissimos Francorum Reges, qui præcesserunt Faramundum cisque Rhenum in ipsis Galliis ne vicum quidem tenuerunt? Ioannes *de Bussieres* agnouit difficultatem, & vt eâ se expediret, subtili admodum nouâque distinctione Reges alios Francorum, alios Franciæ constituit, Regésque Francorum eos censuit appellandos qui trans Rhenum in Germania, Franciæ verò Reges eos qui cis eundem Rhenum in Gallia regnarunt. Illa de causa Faramundum, quem à Romanis Gallicanâ Rheni ripâ prohibitum putauit, Regem Francorum non autem Franciæ vocandum sic asseruit [a]. *Dubium non est, quin à Romanis vlteriore ripâ prohibitus sit, cùm in sua Germania ad montem hæserit, appellandus quidem Francorum Rex sed nondum Franciæ.* Quæro ego, quomodò vocandi sint successores, qui ditiones cis & vltra Rhenum in Gallia & in Germania tenuerunt, an simul Reges *Francorum & Franciæ?* Synonymos hactenus hosce titulos arbitratus sum, nec mihi facilè vnquam persuadebo aliter sentiendum esse. Si fides est eidem Scriptori [b], *Merouæus victorias stabilituras, quas gentes domuerat appellauit Franciam.* Id verò nec Merouco nec vlli Regi tribuendum videtur, sed vsui apud omnes nationes recepto, vt Rex Francorum is diceretur qui Francis imperaret, & Francia sumeretur pro ditionibus quæ Regi Francorum parerent siue in Germania siue in Galliis & alibi sitæ essent Exceptis Clodomere eiúsque filiis ac fratre Childeberto, successores omnes Faramundi, de quibus hactenus in hoc primo tomo disseruimus, cis Rhenum partem

[a] Lib. 1. n. 5.

[b] Lib. 1. n. 5.

AN. CH. 558. CHILDEB. CLOTAR. RR. 47.

Galliarum, trans Rhenum partem Germaniæ possederunt. Multi ex eorum successoribus cis & vltra eundem amnem regnarunt, vt secundo tomo demonstrabimus. Quis autem ex illis Regibus Regem se scripsit *Francorum & Franciæ*, aut horum titulorum altero ditiones suas Transrhenanas in Germaniâ, Cisrhenanas in Galliis altero designauit. Ante Pippinum nullus è Regibus Francorum potitus est integrâ Galliâ, quia omnis Septimania quæ veteris Galliæ Narbonensis pars erat, aut certè quædam ciuitates Septimaniæ Gothis vel Saracenis ad illa vsque tempora paruerunt. Pippinus, quia totam Galliam in sua tenuit potestate, dicatur *Rex Galliarum*, id per nos licet, sed quisquis *Regem Galliarum* illum scripserit, attentè recogitet an vno *Galliarum* nomine vastissimas etiam prouincias comprehenderit, quæ Pippini Regis imperio subiacuerunt extra Galliam. Regnum Caroli Magni & Ludouici Pij longiùs adhuc dilatatum est, & ad illius amplitudinem multò minùs accedent Galliæ, nec qui Carolum Magnum aut Ludouicum Pium *Regem Galliarum* appellauerit, is Caroli Magni vel Ludouici Pij potentiam adæquato titulo complexus vnquam videbitur. Anno Christi octingentesimo quadragesimo-tertio [a], paternam hæreditatem inter se diuiserunt tres filij Ludouici Pij, Lotharius, Ludouicus & Carolus. Ab illo tempore nullus è Regibus Francorum toti Galliæ ius dixit, licet ex iis reperti sint non pauci, quorum imperium extra fines eiusdem Galliæ protenderetur. Hæ fuerunt rerum Francicarum vicissitudines, quas suis locis exponemus, differentiâ, quæ semper inter Franciam & Galliam intercessit, diligenter annotatâ.

[a] Annal Bertin. Met. Fuld.

LXXIX. SVB QVO REGE NATVS LAVNOMARVS.

In vitâ sancti Launomari Curbionensis Abbatis [b] reperiuntur quatuor Characteres Chronologici. Primus sumitur à Clotario Rege, quo regnante natus est Launomarus; secundus à Chilperico Clotarij filio, cuius Regis anno secundo Launomarus Curbionense Monasterium construxit; tertius à Malardi Carnotensis Episcopi Pontificatu sub quo Launomarus obiit; postremus à Carnotinæ ciuitatis direptione quæ post mortem sancti Malardi contigit vt Launomarus prædixerat. Author in prologo Monachum se Curbionensem prodit his verbis, *inter numerosa agmina Athletarum assumpsimus eum*, nempe Launomarum, *cuius exemplis ædificati sumus & exitu conuersationis iucundati.* Existimamus illum scripsisse sub Clodoueo secundo. Quoniam autem calamum operi admouebat sub Chilperici pronepote cui Carnotensis regio parebat, Chronologiam suam ab ipso Chilperico eiusque patre Clotario duxit, quamuis idem Clotarius & Chilpericus Carnuto minimè potirentur cùm Launomarus in lucem editus est aut Curbionense Monasterium erexit. *Eâ*, inquit, *tempestate, quando regnum Francorum administrabat Clotharius filius Clodouei senioris, qui primus in Regibus eiusdem gentis à B. Remigio Remorum Episcopo baptisma consecutus est, intra Galliam Lugdunensem Launomarus Carnotensium partium ciuis, parentibus Christianissimis natus est.* Clodoueum, quo regnante sanctus Remigius floruit, vocat Seniorem, vt illum distinguat à Iuniore, qui patrem habuit Dagobertum Clodouei Senioris abnepotem. Vterque Clodoueus Carnutum in sua tenuit potestate. Clotarius Clodouei Senioris filius eandem ciuitatem non obtinuit ante mortem Childeberti fratris cui post obitum patris obtigerat. Launomarus officio Sacerdotali functus est multis annis, priusquàm de condendo Curbionensi Cœnobio cogitaret, natus est igitur regnante apud Carnutum Childeberto, annum Chilperici Regis secundum quo fundamenta Monasterij iacta sunt quocumque modo supputes ab obitu vel patris Clotarij vel fratris Chariberti, quamquam & suo loco palam ostendemus Asceterium Curbionense structum fuisse anno Chilperici Regis post Clotarij patris mortem secundo, siue anno Christi quingentesimo sexagesimo-tertio. Irrepsit mendum in nomen Episcopi, sub cuius Pontificatu Launomarus obiit, ille enim non debet vocari Malardus sed Pappolus, quia Carnutum anno Christi sexcentesimo vastatum fuit à Theodorico Rege, cùm Betharius Pappoli successor sextum in Præsulatu Carnotensi annum

[b] Ap Bolland. d. 19. Ian.

ageret,

ageret, vt Acta ipsius Betharij testantur, Malardus verò seriùs Episcopatum gessit,& regnante Clodoueo secundo Synodum Cabilonensem suâ subscriptione communiuit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto. AN. CH. 558.

His suppositis affirmamus Launomarum iam Sacerdotem, cùm Clotarius mortuo Childeberto fratre Monarchiam Francorum adeptus est, in saltu Partico * degisse cum nonnullis discipulis. Epitomen hîc dabimus rerum ab illo gestarum, priusquàm extruendo Curbionensi Monasterio se accingeret. Natus videtur regnantibus in Francia Theodorico, Childeberto & Clotario fratribus, quamuis Author vitæ nomen vnius Clotarij tantùm expresserit. Puerulus gregem patris pascebat. Liberalis apparuit in egenos, benignus ac ieiuniis deditus. Pueritiam exegit intra oppidum Carnotense sub disciplina venerabilis Presbyteri nomine Cherimiri. Adolescentiam suam castis moribus adornauit. *Sacerdotalem infulam, dum adhuc in eadem vrbe moraretur, diuinâ se comitante gratiâ indeptus est. Non longè post ibidem à fratribus, cum quibus ad cælestia anhelabat, minister rei familiaris institutus, substantiam cunctámque penum sollicitus prouidebat, summâque discretione, paterno affectu carnis cunctis fratribus necessaria ministrabat, adeò vt nulli debitam annonam nec in paruo substraheret, neque alicui prodigè effunderet. Longâ quippe exercity spiritualis eruditione fundatus, vir iste in Sacerdotio suo dignè Deo militauit. Exemplo quoque doctus Apostolorum, formam primitiuæ Ecclesiæ imitari nitebatur, de qua scriptum est, quia diuidebatur singulis prout cuique opus erat.* Ecclesiæ Carnotensis constans hodiéque traditio est Launomarum * præfectum fuisse domui ædilium; alij, quibus minùs assentimur, œconomum Monasterij interpretantur. *Elapsis aliquot annis à tempore ordinationis suæ, quod diu celauerat, & corde conceperat desiderij votum, Domino auctore & cooperatore compleuit. Intempestâ nocte, omnibus alto sopore depressis, baculum sumpsit in manibus, procul ab vrbe recessit, & in abditissimam solitudinem syluæ quæ Particus dicitur se recluſit, ibique se totâ cordis intentione & omnium cogitationum medullâ familiariùs Domino commendabat.* Latrones, à quibus diu frustrà quæsitus fuerat, diuinitus perculsos hortatus est ad pœnitentiam, illíque *verbis eius ædificati* ad propria vix post triduum sunt reuersi. Exhinc celebre factum est nomen Launomari. *Nec multum tempus fluxerat, & ecce in figuram Monasterij habitacula locauerunt in medio vastæ eremi atque condensæ*, vbi variis miraculis inclaruit. Claudum sanauit, fores templi precibus aperuit, incendium signo crucis restinxit, Sicaptum virum nobilem ac prædiuitem oleo sacro perfusum liberauit à dæmone, pristinæ sanitati reddidit paralyticum nomine Leudocramnum, qui posteà cellulam rexit cui vocabulum est Carbonaria, & hoc miraculum euulgauit. Ceterùm in eadem illa eremo, in qua Launomarus primùm delituit, Marchantius testatur extare Monasterium dictum vulgò *Bellomer*, vbi Moniales Regulam & institutum Fontis * Ebrardi profitentur.

CHILDEB. CLOTAR. RR. 47. LXXX. EIVS PRIMORDIA.

* *Le Perche.*

* *Lomer.*

* *De l'Ordre de Font-Eurand.*

AN. CH. 559. CLOTAR. R. 48.

ANNVS CHRISTI 559. CLOTARII R. 48. INDICTIO 7.

I. INCENDIVM TVRON.

IN Fastis annus Christi quingentesimus quinquagesimus-nonus coincidit cum anno post Basilij Consulatum decimo-octauo, & Indictione septimâ. Hoc anno, qui bellum Britannicum præcessit, *Ciuitas Toronica igni consumpta est, & totæ Ecclesiæ in ea constructæ desertæ sunt, de quibus* Eufronius Episcopus *postea duas reparauit, tertiam seniorem relinquens desertam.* Hæc Gregorius Turonensis [a], qui & testatur Chramnum in gratiam patris Clotarij post obitum Childeberti patrui rediisse. Quo tempore Clotarius ex aulicis qui Childeberto quondam familiares extiterant, Ebrulfum virum Baiocensem plurimùm dilexit, & Palatinis dignitatibus ornauit. Ebrulfus, vt eius discipulus apud Surium testatur, *nutritus est in aula Regis Franciæ*, Childebertum Seniorem intellige, sub cuius Principatu per annos vnum & quadraginta degit, vxorémque duxit, *quam gratiâ posteritatis suscipiens*, inquit Ordericus Vitalis, *non carnis voluptate, diuina præcepta exequendo deuotè, solerti eadem crebrò secum voluebat meditatione.* Maiori fuit in existimatione apud Clotarium, quo Baiocis post Childebertum regnante magnum in Palatio locum obtinuit, ideòque famam illius ac gloriam à Clotarianis temporibus præcipuè ducunt Willelmus Gemmeticensis [b] & Ordericus [c] Vitalis nullâ factâ Childeberti Regis mentione. Vtriusque Scriptoris testimonium proferemus. Gemmeticensis breuiori stylo sic scribit. *Tempore Clotary Regis Francorum, filij Clodouei, qui primus in Regibus Gallorum baptizatus est à beato Remigio Archiepiscopo Remorum, sanctus Ebrulfus Baiocis natus inter Proceres Regios fulsit stemmate nobilitatis & census.* Fusiori verò sic Vitalis. *Innotuit Clothario Regi filio Clodouei (qui primus ex Christianorum Regibus Christianus factus est, & à beato Remigio Remorum Archiepiscopo cum tribus nobilium millibus baptizatus est) qui comperiens quis, vel cuius nobilitatis esset, illicò præsentari sibi eum iubet, condignum fore diiudicans, vt quem mentis nitor extulerat, regalibus ministeriis deseruiret. Per humilitatis autem officium tantam ei supernus Imperator gratiam contulit apud terrenum, quatinus ceteris prælatus maximum in Palatio obtineret locum.*

[a] Lib. 4. c. 20. l. 10. c. 31.

EBRVLFVS MVLTVM DILIGITVR A CLOTARIO REG.

[b] Lib 7. c. 23.
[c] Lib. 6.

II. PIA CLOTARII REG. CONSTITVTIO.

Clotarius postquàm Childeberto successit, generalem Constitutionem edidit Rege Christiano dignissimam. Præcipua tantùm capita recitabimus, quæ visa sunt ad institutum nostrum pertinere. *Si Iudex aliquem*, inquit, *contra legem iniustè damnauerit, in nostri absentia ab Episcopis castigetur, vt quod perperè iudicauit, versatim meliùs discussione habitâ emendare procuret. Nullus per auctoritatem nostram matrimonium viduæ vel puellæ, sine ipsarum voluntate præsumat expetere, neque per suggestiones subreptitias rapiantur iniustè. Sanctimoniales nullus sibi in coniugium audeat sociare. Vt auctoritates cum iustitia & lege competente, in omnibus habeant stabilem firmitatem, nec subsequentibus auctoritatibus contra legem elicitis euacuentur. Vt oblationes defunctorum Ecclesiis deputatæ nullorum competitionibus auferantur, præsenti Constitutione præstamus. Agraria, pascuaria, vel decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ deuotione concedimus, ita vt actor aut decimator in rebus Ecclesiæ nullus accedat, Ecclesiæ vel Clericis nullam inquirant agentes publici functionem, qui aui, vel genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt. Quæcumque Ecclesiæ, vel Clericis, aut quibuslibet*

personis, à glorioſæ memoriæ præfatis Principibus munificentia largitate conlata ſunt, omni firmitate perdurent. Quicquid Eccleſia, Clerici, vel Prouinciales noſtri, intercedente tamen iuſto poſſeſſionis initio, per XXX. *annos inconcuſſo iure poſſediſſe probantur, in eorum ditione res poſſeſſa permaneat, nec actio tantis aui ſpatiis ſepulta vlteriùs contra legum ordinem ſub aliqua repetitione conſurgat, poſſeſſione in poſſeſſoris iure ſine dubio remanente.* Clotarius aui ſui meminit, quia Childericus, licèt ethnicus, Eccleſiæ Clericiſque fauit. AN. CH. 559. CLOTAR. R. 48.

III. AVSTRAPIVS DVX FIT CLERICVS ET EPISCOPVS.

Regnante Clotario Auſtrapius Dux, qui plurimùm ab eo diligebatur, ad Clericatum accellit, & apud Sellenſe * caſtrum, quod in Pictauienſi Diœceſi ſitum eſt, ordinatus fuit Epiſcopus, vt decedente Pientio Antiſtite, qui Pictauienſem Eccleſiam tunc regebat, ipſe ſuccederet. Sed res aliter contigit poſt obitum Pientij ſub Chariberto. Vtrumque docet Gregorius Turonenſis [a] nullâ tamen definitum epochâ, inſinuat tantùm ordinationem Auſtrapij pertinere ad vltima Clotarij tempora, cùm fratri Childeberto in regnum iam ſucceſſiſſet, & Pientium Pictauienſem Epiſcopum Danielis ſucceſſorem Clotario Regi ſuperſtitem vixiſſe.

* *Selle.*

[a] Lib. 4. c. 18.

IV. IN CENOMANIA FLORENT ANACHORETÆ.

Ad hæc vſque tempora peruenerunt inſignes Anachoretæ Cenomanenſes, Almirus, Boamaldus, Conſtantianus, Alneus, Erneus, Leonardus & Richomerus, quorum mentionem ſub Innocentio Epiſcopo iam fecimus.

V. ALMIRVS.

Almirus in prædicatione verbi plurimùm enituit. Cùm aduersùs adulteros & inceſtos acerrimè inueheretur, odium incurrit Leonis in ea regione prædiuitis, parùmque abfuit quin ab eo in iram acto vapularet, ſed brachium iam extenſum ſtatim obriguit, nec vllam in partem potuit moueri, donec reus veniam commiſſi ſceleris poſtulaſſet. Obiit ſanctus Almirus tertio Idus Septembres in cellula, vbi Oratorium beatiſſimæ Virginis ad ripam Brigiæ hodie conſpicitur; ab Epiſcopo Domnolo, cui moriens diſcipulos ſuos per cellulas diſperſos commendauit, ſepultus eſt in æde ſancti Petri, quam in vertice vicini montis erexerat; exequias nobilitarunt duo miracula, cæcus viſum, vocem mutus recuperauit. Hæc prolixiùs narrantur in eius vita manuſcripta quam ſæpè laudauimus.

VI. BOAMALDVS.

Boamaldus in Cenomania prolixam vitam egit, cùm enim fœminam, quæ carebat prole, ſuis precibus fœcundam reddidiſſet, eius filium erudiuit atque in eremo ſucceſſorem habuit. Felix illius ad Deum tranſitus notatur pridie Nonas Auguſtas.

VII. De Conſtantiano, Alneo & Erneo verba faciemus anno ſequenti.

VIII. Ad præſentem annum pertinent quæ de Leonardo narrat apud Gononum [b] Bernardus Lodouenſis Epiſcopus. Leonardus creſcente diſcipulorum numero Monaſterium ad Sartham amnem conſtruxerat, *laudi eius & meritis inuidentes maligni ſuggeſſerunt Chlothario Regi, vt ſibi & genti ſuæ conſuleret, per Leonardum illum Eremitam, qui multos ſub obtentu religionis colligebat, propterea regnum Franciæ detrimentum non modicum ſuſtineret. Rex nimis credulus ſtatim militibus miſſis præcepit, vt eum cum iniuria de regni finibus expellerent. Cùm igitur ad eum veniſſent milites, eius verbis compuncti, admirantéſque auſteriſſimam illius vitam, tempore opportuno ſe facturos eius diſcipulos ſpoponderunt, & ſic ad Regem regreſſi cuncta quæ viderant & audierant, retulerunt. Rex audiens & pœnitens gratias egit Deo, & in tantum Leonardum dilexit, quòd ei cuncta liberaliter porrigeret, detractoréſque rebus & honoribus priuans, vix tandem precibus eius flexus priſtinæ reſtituit dignitati.*

[b] Lib 4. LEONARDVS.

IX. RICHOMERVS.

Richomerus, cùm in valle Sublignea diu degiſſet, ibi vitam clauſit nono Kalendas Septembres, corpus delatum fuit Cenomanum, vbi olim viſebatur Eccleſia ſancto Richomero ſacra, vt ex Bertranni Epiſcopi teſtamento conſtat.

X. CLOTARIVS IT TVRON.

Hoc anno Clotarius Rex iter ad Baſilicam beati Martini ſuſcepit. Huius rei teſtis eſt non ſolùm Gregorij Turonenſis interpolator capite nono libri ſexti ſuperiùs à nobis examinato, ſed & Baudoniuia, quæ ſcribit in vita ſanctæ

AN. CH. 559. CLOTAR. R. 48.

Radegundis ipsum Clotarium Turonos venisse cum Sigiberto filio & Germano Parisiensium Episcopo. Nam Germanus Childeberto, vtpote Parisiorum Regi, quamdiu regnauit, constantissimâ fide adhæsit, illisque temporibus non fuit in comitatu Clotarij, cuius Principatus per agrum seu Diœcesim Parisiensem non extendebatur. Gregorianus Interpolator peregrinationem, quam à Clotario Rege, orationis causâ, obitam asseruit, breuissimè perstrinxit. Baudoniuia fusiùs explicat Clotarij consilia, qui Radegundem è Pictauiensi Monasterio, vbi cum virginibus viuebat, ad aulam coniugalémque torum reuocare meditabatur, nec omittit eiusdem Regis pœnitentiam, qui postmodùm à Radegunde veniam per Germanum Episcopum Parisiensem supplex postulauit. *Præcelsus Rex Clotharius*, inquit Baudoniua, *cum filio suo præcellentissimo Sigisberto Turonis aduenit quasi deuotionis causâ, quò facilius Pictauis accederet, vt suam Reginam acciperet. Quo cognito beata Radegundis sacramentales literas fecit sub contestatione diuina viro Apostolico Domino Germano Parisius ciuitatis Episcopo, qui tunc cum Rege erat, quas per Proculum suum agentem secretiùs direxit cum xenio & eulogiis. At vbi eas relegit vir Deo plenus, lachrymans prosternit se pedibus Regis ante sepulchrum Sancti Martini, deprecans cum contestatione diuina, sicut ei literis fuerat intimatum, vt Pictauis accederet. Hinc Rex amaritudine plenus, intelligens & hanc petitionem esse beatæ Reginæ, pœnitentiâ ductus malis Consiliariis istud reputans, séque indignum iudicans, quò talem habere Reginam diutiùs non meruisset, prosternit se & ille ante limina sancti Martini pedibus Apostolici viri, rogans vt sic pro ipso veniam peteret beatæ Radegundi vt ei indulgeret, quod in ea per malos Consiliarios peccauerat. Vnde vltio diuina de præsenti in eos vindicauit. Sicut enim Arrius, qui contra fidem Catholicam certans omnia intestina sua in secessum deposuit, ita & istis euenit, qui contra beatam Reginam egerunt. Tunc Rex timens Dei iudicium, quia Regina magis Dei voluntatem fecerat quàm suam, dum commorata cum eo fuerat, rogat beatum virum illuc celeriter ire. Sic vir Apostolicus Dominus Germanus Pictauis veniens, ingressus Monasterium in Oratorio Dominæ Mariæ dicato prosternit se ad sanctæ Reginæ pedes, pro Rege veniam petens. Illa verò gaudens se de faucibus seculi ereptam benignè indulget, & se Dei aptauit seruitio, expedita iam sequi Christum quocumque iret, quem semper dilexit, ad cum deuoto animo percurrit.*

VVLT EDVCERE RADEGVNDEM E MONASTERIO.

MVTAT CONSILIVM.

XI. AGNES ABBATISSA PICTAV.

Germanus Pictauium profectus Agnetem ab omni Congregatione priùs electam, suâ benedictione Abbatissam consecrauit, vt liquet ex literis[a] à Radegunde pòst scriptis, in quibus hæc leguntur verba *Sororem meam Agnetem quam beatissimi Germani præsentibus suis fratribus benedictio consecrauit.* Radegundis non tantùm curauit Abbatissam eligi, sed & eius potestati seipsam suâque omnia permisit. Sic enim à Baudoniuia commendatur. *Pictauis inspirante & cooperante Deo Monasterium sibi per ordinationem præcelsi Regis Clotharij construxit. Quam fabricam vir Apostolicus Pientius Episcopus & Austrapius Dux per ordinationem Dei celeriter fecerunt. In quo Monasterio sancta Regina mundi falsa blandimenta respuens, gaudens ingressa est, vbi perfectionis ornamenta conquireret, & magnam Congregationem puellarum Christo nunquam morituro sponso aggregaret. Quâ electâ Abbatissâ & iam constitutâ, tam se quàm sua omnia eius tradidit potestati, & ex proprio nihil iure sibi reseruans, vt curreret expedita post Christi vestigia, & tantùm sibi plus augeret in cælo, quantùm substraxisset de seculo.*

[a] Greg. Tur. l. 10. c. 31.

XII. IVNIANVS ACCVSATVR APVD CLOTAR. REG.

Ad profectionem quam Clotarius hoc anno trans Ligerim suscepit, cùm Radegundem è Monasterio reuocare vellet, pertinent etiam multa quæ de beato Iuniano à Boetio Wlfino scripta reperiuntur. Iunianus ob eximiam sanctitatem à Radegunde plurimùm colebatur. Ante aliquot annos egressus è cellula, in qua velut in ergastulo diu delituerat, ædificarat Monasterium, & sacerdotalem ordinem susceperat, vt qui Monachorum pater erat, tanti ministerij auctoritate præclarissimus Doctor euaderet. Crescente autem discipulorum numero, cùm Cœnobium nimis angustum esse cerneret, migrauit ad

agrum, cui remoto ab omni mulierum accessu nomen indidit Casti-loci, sed apud Clotarium Regem statim accusatus est quòd prædium Gauarciacum, quod ad fiscum Regis spectabat, eo inconsulto vsurparet. Rex fortè tunc in vicinia erat, eum per Aurelium nobilem admodùm virum accersiuit. Inuentus est prostratus humi, precibúsque in Oratorio intentus. Finitâ oratione, auditóque Regis mandato, quò vocabatur, duobus Monachis comitibus pedes perrexit. In ipsius Regis conspectu sanctitatem suam probauit insigni miraculo, quo Clotarium & cunctos Optimates in admirationem sui rapuit. *Ita ab omnibus deinceps venerabatur, ac si in pectore ipsius Christum Dominum & Saluatorem nostrum cernerent. Post multam conlocutionem glorioſissimus Rex interrogauit eum quid operis haberet, quæ vita, cuius religionis esset. Cui ille dulcissimo alloquio respondit se sub monastico ordine vitam degere & Monachis prælatum, & beatissimi Benedicti instituta seruari, regularem eius vitam in omnibus obseruari, nisi propter angustiam loci non eam plenissimè custodire cum suis valeret, nec se habere vbi exercitium operis fieret secundùm Regulam iam supradicti Benedicti patris. Quibus auditis Rex statim adiunxit, & ait. Si ex prædio fisci nostri aliquid vobis vicinum est, & loci opportunitate congruum, quantum tuæ sanctitati placet, & tibi, tuisque sufficere possit, tam in exercitio operis, quàm etiam in pascua iumentorum & pecorum necessarium concedimus tuæ sanctitati ad vsus videlicet seruorum Dei & Monachorum tibi coherentium, vt & nobis omnipotens Deus vobiscum partem laboris conferat, & æternæ beatitudinis præmium concedat, & vobis in omnibus sit ad subsidium plenitudinis & perfectionem Regulæ & augmentum virtutis. Tantam etenim Dominus militi suo gratiam in conspectu Regis contulit, vt qui cum propter iniuriam & contumeliam sibi exhiberi iusserat summo honore receptum muneribus ditaret, & quicquid ab eo peteret sibi fieri nullatenus recusaret. Sic enim Christus, qui propter nos humilis apparuit, Athletam suum humilem in conspectu Regis magnificauit, vt congruè de illo dici possit.* [*Magnificauit eum in conspectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ.*] *Posthac Rex surgens à solio flexo genu adorauit sanctissimum virum, vt eum manibus suis susciperet, & in sacrificiis suis orationibus commendabilem Deo faceret, & pro se suâque domo, pro statu regni & totius reipublicæ vtilitate Dominum exoraret deprecatus est. Et vt cellulas construeret, Monachos congregaret, & Deo animas lucraretur ammonuit, & quæ sibi necessaria essent poscereret, omnia se cum deuotione præbere pollicitus est. Tunc valefaciens eundem virum, qui eum sibi adstare fecerat, remisit, & vt de prædio fisci quantum illi visum erat opportunum acciperet, eo videlicet consignante Aurelio, qui eius ductor fuerat ad Palatium, vbi repertus est locus valdè ad construendum Monasterium aptus nomine Mariacus. Quo in loco diuinâ suffragante clementiâ cellulam à fundamentis construxit, & Monasterium ædificauit, vbi & Congregationem Monachorum instituit, & sub beati Benedicti Regula perfectè viuere fecit.* Hæc Boetius Wlfinus, qui postremis Ludouici Pij temporibus floruit, & beatum Iunianum cuius vitam scribebat, facilè finxit Monachum Benedictinum, quia opus suum Godoleno transmissurus erat Abbati Monasterij * Noualiacensis, in quo sancti Benedicti Regula tunc vigebat. Si Iunianus Benedictinæ disciplinæ se suósque sodales addixit, hanc certè non ab alio quàm à Mauro Glannafolienſi Abbate suscipere potuit. At quonam tempore tyrocinium posuit in Monasterio Glannafolienſi? Anachoresim profitebatur cùm Radegundis Pictauium peruenit, & ab illis iam consulebatur qui Monasticen edisscere cupiebant. Egressus est è cellula vt construeret Cœnobium ac multis præesset discipulis, non autem vt proficiscereturGlannafolium, vnde normam Benedictinam in agrum Pictauiensem afferret. Tunc & Radegundis erexit Monasterium puellarum, in quo Regulam sancti Cæsarij voluit obseruari, nullâ sancti Benedicti mentione factâ, quam sanè non omisisset, si Iunianus, qui spiritualis eius pater agnoscitur, familiæ Benedictinæ se addixisset. Hoc argumentum adeò validum Benedictinis visum est, vt beatum Iunianum in Martyrologio Benedictino retinendum non censuerint, nisi beatam Rade-

AN. CH. 559. CLOTAR. R. 48.

MIRACVLO SANCTITATEM SVAM PROBAT.

DONIS AFFICITVR.

CONDIT MONAST. MARIACVM.

NON FVIT BENEDICT.

* *Noaillé.*

AN. CH. 559. CLOTAR. R. 48.

gundem iisdem tabulis inscriberent. Verùm Radegundis quæ Regulam sancti Cæsarij sequebatur, inter Moniales Benedictinas annumerari non debet, nisi Cæsarius Arelatensis Episcopus Sodalibus Benedictinis accenseatur. Id verò repugnat ætati Cæsarij, qui Monialibus Cœnobium condidit ac leges præscripsit, antequàm Maurus in Galliam ex Italia se conferret.

XIII. FLORVS MONACHVS GLANNAFOL. OBIT.

Hoc anno, *cùm Florus* Monachus Glannafoliensis, qui locum inter præcipuos Theodoberti Regis aulicos quondam tenuerat, *annis duodecim, mensibus tribus ac diebus totidem sanctissimè, vt nobiliorem decebat, nobilissimus in omni vixisset religione, duodecimo Calendarum Septembrium feliciter migrans ad Dominum, diem clausit vltimum*, vt testatur Faustus in vita sancti Mauri.

AN. CH. 560. CLOTAR. R. 49.

ANNVS CHRISTI 560. CLOTARII R. 49. INDICTIO 8.

I. ANNVS Christi quingentesimus sexagesimus est in Fastis post Basilij Consulatum decimus-nonus, notatúrque Indictione octaua. Ad hunc annum referri debet Præceptum emissum à Clotario Rege pro Cœnobio Reomaensi, cùm Siluester Abbas sancti Ioannis quondam discipulus ac successor illi Monasterio præesset. Extat hoc præceptum in Historia Reomaensi & inter probationes Historiæ Burgundicæ. Vtrobique datum legitur Suessione anno quinto Clotarij Regis. At de die non est idem consensus. Apud Auctorem Historiæ Reomaensis consignatur *sub die* VIII. *Kal. May*, apud Collectorem Chartarum Burgundicarum, *sub die* VIII. *Cal. Martij*. Hanc differentiam alibi iam notauimus, imò recitauimus integrum Præceptum ad annum Christi quingentesimum vndequadragesimum, quo sanctus Ioannes primus Abbas Reomaensis, Siluestri decessor, ad Deum migrauit. Superuacaneum esset iterùm repetere. Satis erit hoc loco disputasse de anno Clotarij Regis quinto, super quo non conuenimus cum prædictis Auctoribus, quorum prior annum quintum post subactam Burgundiam, Christi quingentesimum tricesimum-septimum, posterior annum quintum post Clodouei Regis obitum, Christi quingentesimum decimum-sextum interpretatur. Vtrumque falsitatis redarguit Monachus Reomaensis Auctor synchronus in vita sancti Ioannis. Hunc enim testatur vixisse sub Romanorum Principatu, deinde sub Clodoueo, Theodorico & Theodoberto Francorum Regibus. *Franci*, inquit, *cum Clodoueo Rege postpositâ Republicâ, militari manu terminos Romanorum irrumpentes Galliam inuasere. Sicque* Ioannes *vsque in tempora Theodorici Regis, qui filius extitit præfati Clodouei, & filij eius Theodoberti perdurauit.* Ager igitur Tornodorensis, vbi Reomaus erat, à Romanis ad Francos transiit, & post mortem Clodouei pertinuit ad Theodoricum eiúsque posteros, id est, ad Theodobertum filium nepotémque Theodobaldum, cui Clotarius propatruus successit anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto. Quapropter in regio Præcepto pro rebus Monasterij Reomaensis, annus Clotarij Regis quintus ab obitu Theodobaldi Regis numerari debet, illigatíque huic anno, Christi sexagesimo supra quingentesimum. Nec accipiendus est aut pro anno quinto post mortem Clodouei Regis, id est, Christi quingentesimo-decimo sexto, aut pro anno quinto post subactam à Francis Burgundiam, id est, Christi vel quingentesimo tricesimo-septimo iuxta Rouerium qui coniecturâ tantùm mentem Gregorij Turonensis assecutum se putat, vel quingentesimo vnde-

quadrageſimo iuxta ſententiam Marij, cuius auctoritate freti Burgundiam anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto ſub iugum à Francis miſſam affirmamus, impugnamúſque Rouerium qui biennio citiùs id factum arbitratur. AN. CH. 560. CLOTAR. R. 49.

II.

Clotarius, cùm Præceptum Sueſſione pro Monaſterio Reomaenſi dedit, accingebat ſe bello Britannico, quod hoc anno à Mario [a] collocatur. Iter in Britanniam habuit per Cenomaniam, vbi cum Alneo, Erneo & Conſtantiano collocutus ampliſſima munera ſingulis diſtribuit, ac præſertim Conſtantiano qui victoriam prædixerat. Tres illi ſanctiſſimi Anachoretæ, quorum ſedes in Cenomaniâ iampridem deſcripſimus, multis miraculis coruſcarunt; quot annos poſt bellum Britannicum vixerint, haud ſcimus. Erneus migrauit ad Dominum quinto Idus Auguſtas, ſepultus fuit in loco cui nomen Muſa in paræciâ Ceaulcenſi. Alneus ex hac vita diſceſſit tertio Idus Septembres, conditus fuit in æde ſancti Georgij. Conſtantianus Monaſterium non ignobile conſtruxit ex opibus quas à Clotario Rege percepit, animam Deo reddidit Kalendis Decembribus, tumulatus fuit in Eccleſia Gabronenſi. Coruaiſierus, qui pluribus iſta ſcribit in Hiſtoria Cenomanenſium Antiſtitum, obſeruat Cœnobium quod Conſtantianus erexerat, hodie Prioratum eſſe, qui pendet ab Abbatia ſancti Iuliani apud Turonos. Colitur ſanctus Conſtantianus à Cenomanenſibus die ſui obitus, vocaturque perperam Conſtancius in Martyrologio Gallicano, illius vitam ab Authore coætaneo ſcriptam alibi laudauimus citauimúſque.

[a] In Chron.

ANACHORETÆ ERNEVS, ALNEVS, CONSTANT.

III.

Bellum Britannicum prolixè narratur à Gregorio Turonenſi [b]. Chonober Comes Britannorum, ad quem Chramnus ſe receperat, cùm terga verteret occiſus eſt, Chramnus captus, & tugurio cuiuſdam pauperculæ incluſus, caſâ incenſâ cum vxore & filiabus interiit. De Wilichario Chramni ſocero, qui Baſilicam ſancti Martini expetierat, idem Gregorius hæc ſcribit [c]. *Baſilica ſancti Martini & ipſa incendio eſt aduſta per Wiliacharium, cùm ibi confugium pro Chramni quondam circumuentione feciſſet.* Cur Wilicharius Eccleſiam, ad quam confugerat, admoto igni concremarit, haud aliam rationem inuenire poſſumus præter furorem, cui ſe totum permiſit, cùm filiam ſuam ac generum igni combuſtos reſciùit. Vixit Chramnus annos tres ac viginti.

[b] Lib. 4. c. 20.

BELLVM BRITAN. MORS CHRAMNI.

[c] Lib. 10. c. 31.

ECCLESIA S. MARTINI COMBVSTA.

IV.

Illis temporibus Friardus Eremita & Secundellus Diaconus Vindonitam Namnetici territorij Inſulam duabus procul inter ſe poſitis cellulis incolebant. Vitas illorum ſcripſit [d] Gregorius Turonenſis, à quo mutuati ſumus quæ ſequuntur. *Friardus ab infantiâ ſuâ ſemper Deo deuotus fuit atque pudicus; factus autem vir ſemper in Dei laudibus, ſemper in oratione, ſemper in vigiliis degebat; victûs neceſſaria propriis manibus exigebat à terra, & ſi in opera inter reliquos properaret, nunquam ab oratione ceſſabat; quod vicinis aut extraneis, vt mos ruſticorum habet, ridiculum erat. Quodam verò die dum cum reliquis in ſegetem culmis inciſis manipulos colligaret, examen mirabilium atque ſæuarum muſcarum, quas vulgò veſpas vocant, reperiunt; cumque acerrimè meſſores emiſſis aculeis lacerarent, facto deſuper ſigno Crucis ait, adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram: ad hanc eius orationem confeſtim omnes veſpæ ſe infra antrum vnde egreſſæ fuerant abdiderunt. Poſthæc cùm in arborem pro quadam neceſſitate aſcendiſſet, ſubitò conliſo ſub pedibus ramo ruere cœpit, cadénſque deorſum, per ſingulos quos percuticbat ramos, Chriſti beatiſſimum nomen inuocabat dicens, Chriſte omnipotens ſalua me: cumque peruenifſet ad terram nihil eſt læſus, ſed aiebat ſemper, adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Egreſſus ab hoſpitiolo ſuo, oblitus parentes & patriam, eremum petiit, ne in ſæculo habitanti impedimentum aliquod de oratione mundi ſollicitudo conferret. Ipſe quoque & Abba Sabaudus, qui quondam Regis Chlothary miniſter fuerat, pœnitentiam accipientes Vindonitenſem Namnetici territory Inſulam ſunt aggreſſi; habebant autem ſecum & Secundellum Diaconem. Abba verò ablatâ de aratro Domini manu ab Inſula diſcedens ad Monaſterium rediit, nec multò poſt occultis cauſis gladio eſt peremptus.*

[d] De vit. Patr. cap. 10.

FRIARDVS ET SECVNDELL. SECEDVNT IN EREMVM.

AN. CH. 560. CLOTAR. R. 49.

Sanctus verò Friardus cum Secundello Diacono in supradicta insula stetit immobilis : habebat tamen vterque eorum propriam cellulam , sed procul à se positam. Cetera prosequemur anno Christi quingentesimo septuagesimo-septimo.

V. SIAGRIVS FIT EPISC. AVGVST.

Circa hæc postrema Clotarij tempora Siagrius Remigio, vel vt quidam vocant, Benigno, qui post Eupardum sederat, successit in Episcopatum Augustodunensem. Frater Brunichildis Reginæ vocatur à plerisque necnon in Breuiario Æduensi. Sed hoc à vero prorsus alienum putamus. Auctores enim coætanei, qui de Brunichilde Regina Siagrióque Pontifice multa narrarunt, eorum affinitatem aut consanguinitatem ne verbo quidem attigerunt. Deinde Siagrius, si frater Brunichildis fuit, à sorore adductus aut vocatus in Gallias, câque procurante Prætulatum adeptus videtur; aliter autem se res habuit, nam Siagrius Episcopatum iniit priusquàm Brunichildis à Sigiberto in vxorem expeteretur, suscepitque Pontificatum ciuitatis Augustodunensis, quæ Clotario Francorum Monarchiæ tunc parebat, mortuóque Clotario venit in potestatem Guntchramni Regis, & Sigiberto Austrasiæ Regi Brunichildis marito numquam obtemperauit. Post Guntchramni Regis obitum ciuitas Æduorum Childeberto Sigiberti quondam Regis & Brunichildis tum viduæ filio, postèà Theodorico eiusdem Childeberti filio natu minori & Brunichildis nepoti subiacuit. Per illa tempora Siagrius Brunichildi Reginæ Brunichildisque nepotibus Theodoberto ac Theodorico Regibus Francorum factus est charissimus. Id testatur Gregorius Magnus in suis epistolis, quarum vna quæ numero est centesima decima-quinta libri septimi, inscribitúrque Brunichildi, passa est vnius vocis interpolationem, quâ deceptos suspicamur eos qui Siagrium Brunichildis fratrem finxerunt. In illis literis Gregorius Siagrium, cui curam congregandæ Synodi demandarat, Brunichildi Reginæ sic commendauit. *Curam & solicitudinem eiusdem Synodi, quam fiendam decreuimus, fratri coepiscopóque nostro Siagrio, quem vestrum nouimus, specialiter delegare curauimus, quem petimus vt & supplicantem libenter audire & ope iuuare dignemini.* Siagrium Brunichildi percharum innuunt hæ voces, *quem vestrum nouimus*, sed hic Gregorij textus interpolatâ voce *proprium*, in multis exemplaribus vitiosè sic effertur, *quem vestrum proprium nouimus*, & recentiores Auctores *proprium* interpretati sunt fratrem. Hæc origo fabulæ. Cetertùm ordinationi Siagrij Germanum Antistitem Parisiensem interfuisse obseruat Fortunatus [a], additque insigne miraculum ab eodem Parisiensi Pontifice tunc Augustoduni præstitum. *Illuc*, inquit, *inter reliquos aduentantes ciues, Florentinus quidam vir illustter pro consensu suorum delatus est. Erat enim habens næuum in oculo, qui speciositati eius derogaret aliquantulùm, ne florens idem haberetur in vultu. Interea dum laudes acclamantur Episcopo, ille à quodam ignorante ex improuiso percutitur eodem in oculo [illegible]ulsúsque de loco, cœpit supra maxillam dubio pendere cum visu. Qui cursu propero beatum Germanum cum clamore prosequitur, multa secum concrepitans, vt loqui solet calamitas. Tunc Sancti manus lumen in locum reducitur, atque interim ab eo ad sanctum Symphorianum dirigitur. Qui pro ipso demùm tam diu vigiliis institit, donec amissus oculus, purgatâ pristinâ maculâ, hoc addito beneficio, integrior redditur & melior redit post vulnera, quàm quòd natus fuerat per naturam. Qui Florentinus deinceps Matisconę ordinatus est Episcopus.*

[a] In vita sancti Germ.

CREDITVR FRATER BRVNICHILD. R.

ORIGO HVIVS FABVLÆ.

GERMANVS EP PARIS. MIRACVLIS CLARET.

VI. EPISCOPI SILVANEC.

Obiit hoc anno Gonothigernus, cùm Diœcesim Siluanectensem rexisset annis tredecim. Ita scribit Carolus Isaulnæus in Annalibus Siluanectensibus, sed Gonothigerno perperàm subrogat sanctum Sanctinum, hunc enim in Præsulatu proculdubiò antecessit beatus Lethardus, vt fusiùs ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-sextum probabimus.

VII.

Hisce temporibus Didymum Ecclesiæ Calagurritanæ Præsulem agnoscit Tamayus in Nomenclatura Calagurritanorum [b] Pontificum, & in vita [c] sancti Æmiliani Eremitæ, sed illius Scriptoris auctoritas parùm tuta. Manci sunt Catalogi Pampilonensium ac Lucensium Antistitum. Ex Episcopis enim prædi-

[b] Die 10 Oct.
[c] Die 12. Nou

prædictarum Sedium, qui sexto septimóque seculo floruerunt, pauci noscuntur hodie præter eos, qui Conciliis in Hispania per illa tempora celebratis interfuisse reperiuntur. Nouempopulaniam, quæ Galliarum pars erat, Hispaniæ contermina, sors similis excepit, vt questi sumus suprà, queremúrque sæpiùs. Cùm Franci Wisigothis & Sueuis debellatis, vt ad annum Christi quingentesimum quadragesimum secundum notauimus, ambas Vasconias cum Cantabria subegerunt, singulæ Vasconiæ singulos habebant Episcopatus sub Metropolita Tarraconensi, Borealis Pampilonensem, Australis Calagurritanum; Cantabriâ verò pertinebat ad Episcopatum Lucensem qui Metropolitæ Bracarensi subiacebat. Tres illæ Prouinciæ Francis ad obitum vsque Clotarij paruerunt. Eluſa Metropolis erat inter Gallicanas proxima, cui subiectos existimamus tres prædictos Episcopatus Hispaniæ, quandiu Reges Francorum trans Pyrenæos montes in Vasconiis & in Cantabria dominati sunt. Paria superiùs occurrerunt exempla, quibus hæc opinio confirmari potest.

AN. CH. 560. CLOTAR. R. 49.

EPISCOPATVS VASCONIARVM ET CANTABRIÆ.

ANNVS CHRISTI 561. CLOTARII R. 50. INDICTIO 9.

561. CLOTAR. R. 50.

ANNVS Christi quingentesimus sexagesimus-primus, qui ponitur in Fastis post Basilij Consulatum vicesimus, notatur Indictione nonâ. I.

Ad hunc annum peruenit Eleutherius Autisiodorensis Episcopus, sedit enim [a] annis duodetriginta, mensibus octo, diebus nouem. Obiit decimo-septimo Kalendas Augustas, quo die solemnis eius memoria celebratur in tabulis Ecclesiasticis. Successit Romanus vndecimo Kalendas Octobres. Duos autem Romanos suprà distinximus, alterum Abbatem ac Confessorem qui beatum Maurum in Gallias venientem ad Fontem Rogi excepit, alterum Episcopum & Martyrem qui post sanctum Eleutherium in Autisiodorensi Cathedra sedit. In antiquis Martyrologiis vnus tantùm laudatur Romanus qui gessit Episcopatum, Abbatis nulla mentio fit; in nouo Martyrologio Romano colitur Abbas vndecimo Kalendas Iunij, Episcopus pridie Kalendas Octobris. Astipulari non possumus historiæ [b] Episcoporum Autisiodorensium, quæ mortem sancti Eleutherij consignat decimo-sexto Kalendas Septembris, & electionem successoris reiicit post annum vnum, menses duos ac dies decem. II.

[a] Demochar. de Miss. sacr. c. 19. EPISCOPI AVTISSIOD.

[b] Ap. Labb. tom. 1. Bibliothech.

Hoc anno, inquit Marius, *Chlothacarius Rex mortuus est*. Sed quæ tanti Regis obitum præcesserunt, priùs sunt enarranda. III.

Post bellum Britannicum, anno regni sui vltimo, Clotarius Rex Andegauum atque inde Glannafolium venit, vbi Mauro Abbati, eiúsque Congregationi multa dona & priuilegia concessit. Id in vita beati Mauri docet Faustus his verbis. *Per idem tempus Clotarius Andeganis veniens, viro Dei ad Monasterium se ire velle mandauit. Cui cùm à viro Dei vt veniret remandatum fuisset, paucis secum assumptis, ire perrexit. Cúmque venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum regium, qui Blazon nuncupatur, villam etiam, qua Longus Campus dicitur, auctoritate regiâ ibi deleganit. Quem etiam beatus Maurus deprecatus est, vt regali edicto firmare dignaretur, quatenus Congregationi loci illius electionem propriam per succedentia liceret habere tempora. Quod cùm præcepto Regia potestatis, iuxta petitionem viri Dei, Rex libenter annuisset, comitatus eius benedictione profectus est.* Glannafolio Turonos perrexit. Id constat ex Gregorio Turonensi [c], IV.

CLOTARIVS REX IT ANDEG. GLANNAF.

[c] Lib. 4. capp. 20. 21. l. 9. c. 30. l. 10. c. 31.

AN. CH. 561. CLOTAR. R. 50. TVRONOS.

apud quem recenſentur opera verè Chriſtiana, quibus illic ſe Clotarius exercuit. *Cum multis muneribus limina beati Martini expetiit, & adueniens Turonis ad ſepulchrum antedicti Antiſtitis, cunctas actiones quas fortaſsè negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro ſuis culpis beatus Confeſſor Domini miſericordiam exoraret, & ea quæ irrationabiliter commiſerat, ſuo obtentu dilueret.* Prætereà eiuſdem ſancti Baſilicam, quæ priori anno ſuccenſa fuerat, ſtanno cooperiri, & elegantiæ priſtinæ per Eufronium Epiſcopum reddi curauit. Deinde, præ reuerentia ſancti Martini, libros cenſus Turonenſis in ignem conijci iuſſit.

V. Aimoinus Anonymum, qui Geſta Regum Francorum ſcripſit, ſecutus obitum S. Medardi Nouiomenſis Antiſtitis in hunc annum reiicit, nam Chramno Clotarij Regis filio ſuperſtitem facit Medardum, & enarratâ Medardi morte ſermonem ſtatim ad obitum ipſius Clotarij conuertit. Mortem Chramni deſcribit capite triceſimo libri ſecundi, ſequentibus quinque capitibus agit de rebus exterarum gentium, capite triceſimo-ſexto reſumit narrationem rerum Francicarum, loquitúrque de tranſitu & ſepultura ſancti Medardi, & capite triceſimo-ſeptimo mortem Clotarij proximè ſubiungit. Poſt periodum verò, quæ ſancti Medardi mortem exponit, in fine capitis triceſimi-ſexti addita fuit hæc interpolatio. *Hiſdem etiam diebus defuncto Authario ſancti Germani Cœnoby primo Abbate venerabilis vir Droctoueus ex diſcipulis videlicet beatiſſimi Germani ab eodem ſancto Pontifice, annuente glorioſsimo Clothario Rege, loco eius ſubrogatur.* Mens igitur Interpolatoris fuit, vt Droctoueum aſſereret Authario Abbati ſancti Vincentij prope Pariſios in adminiſtrationem Monaſterij paucis ante Clotarij Regis obitum menſibus aut diebus ſucceſſiſſe. Quod quidem alienum à veritate non videtur, nam Fortunatus Droctoueum Abbatem non ſemel laudat, & beati Germani diſcipulum fuiſſe docet [a] verſibus, quos ad annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum-octauum iam citauimus.

ABBATES S. VINCENT. PARIS.

[a] Lib. 9. c. 11.

VI. CLOTARII REGIS MORS.

Clotarius, vt Gregorius Turonenſis [b] ſcribit, *obiit poſt vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus*, ſiue anno poſt Baſilij Conſulatum viceſimo, vt Marius iam laudatus affirmat. Quo menſe non liquet; certè non ante Nouembrem, nam quarto Idus Nouembres anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quinto, quo ſecunda Synodus Matiſconenſis celebrata eſt, Guntchramnus Rex annum regni ſui viceſimum-quartum adhuc numerabat, vt dicemus ſuo loco. Regnauit igitur Clotarius annos quinquaginta, vnum addit Gregorius, ſed perperam, vt conſtat ex ſupradictis, & ex Aimoino cuius hæc ſunt verba [c]. *Finem imperij edidit, corpus terræ, regnum filiis derelinquens, per quinquaginta annos poteſtate functus continuâ ac ſemper in maius augmentatâ.*

[b] Lib. 4. c. 21.

[c] Lib. 2. c. 37.

VII. Præter argumenta, quæ Tomo ſecundo paſſim confirmabunt filios Clotarij Regis hoc anno patri mortuo ſucceſſiſſe, Marius Epiſcopus Lauſannenſis ipſi Gregorio coætaneus, Clotarium è viuis hoc eodem anno, Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo, ſublatum ita tellatur in ſuo Chronico. *P. C. Baſily anno* XX. *Ind.* IX. *hoc anno*, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo, *Chlothacarius Rex mortuus eſt.* Auctor ille, quia Burgundus erat, res Burgundionum præcipuè ſcripſit. De Francis verò priuſquàm Regnum Burgundiæ ſubegerint, nihil omninò retulit præter irruptiones, quas Clodoueus eiuſque filius Chlodomeres in eandem Burgundiam fecerunt. Burgundiam, Paulino Iuniore Conſule, Indictione duodecimâ, ſiue anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, à Regibus Francorum, Childeberto, Clotario & Theodoberto, ſubiugatam ſic aſſeruit. *Paulino Iuniore, Ind.* XII. *Hoc Conſule, Reges Francorum, Childebertus, Chlothacarius & Theudebertus, Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege Regnum ipſius diuiſerunt.* Abhinc Regum Francorum, penes quos Burgundia fuit, mortem accuratè conſignauit. Theodobertum, qui dominatus eſt in Burgundia cum patruis Childeberto & Clo-

AN. CH. 561. CLOTAR. R. 50.

tario, mortuum dixit *P. C. Basily anno* VII. *Ind.* XI. id est, anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo. Theodobaldum ipsius Theodoberti filium ac successorem, qui Regnum Burgundiæ cum iisdem Childeberto & Clotario propatruis suis tenuit, *P. C. Basily anno* XIV. *Ind.* III. id est, anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, ex hac vita sublatum affirmauit. Anno pòst tertio, Christi quingentesimo duodesexagesimo, siue *P. C. Basily anno* XVII. *Ind.* VI. notauit obitum Childeberti Regis, qui Burgundiam primùm cum fratre Clotario & Theodoberto nepote, deinde cum eodem Clotario & Theodobaldo pronepote, postremò cum solo Clotario fratre partitus est. Item hoc anno, Christi quingentesimo sexagesimo-primo, siue *P. C. Basily anno* XX. *Ind.* IX. vt suprà iam obseruauimus, mortem collocauit Clotarij seu Chlothacarij, qui primùm cum fratre Childeberto & Theodoberto nepote ex fratre Theodorico, deinde cum eodem Childeberto & Theodobaldo Theodoberti filio, postèà cum solo Childeberto, postremò solus in Burgundia regnauit Ceterùm ex iisdem assertionibus Marij liquet annis quinquaginta circumscribendum esse Clotarij Principatum. Ab obitu enim Theodobaldi Regis, ad mortem vsque Clotarij propatrui, sex tantùm effluxerunt anni. Mors autem Theodobaldi cum anno Clotarij Regis quadragesimo-quarto coincidit. Id Auctor Appendicis Chronico Marcellini subiectæ sic docet. *Theodebaldus Francorum Rex moritur, & Regnum eius vxorémque Vanderadam Hlotarius Rex patris eius Theodeberti patruus accepit, qui iam* XLIV. *annis regnabat*. Nec ab illa computatione discrepat ipsemet Gregorius, nam Theodorico tribuit annos regni tres & viginti, quatuordecim Theodoberto, Theodobaldo septem, itaut à morte Clodouei Regis ad obitum vsque Theodobaldi nepotis numeret annos quatuor & quadraginta. De Theodorico sic scribit [a]. *Theodoricus non post multos dies obiit vicesimo-tertio Regni sui anno*. De Theodoberto sic [b]. *A transitu Chlodouechi vsque in transitum Theodoberti computantur anni triginta septem. Mortuo ergo Theodoberto, quartodecimo Regni sui anno, regnauit Theodonaldus filius eius pro eo*. De Theodobaldo sic [c]. *Valdè infirmatus à cinctura deorsum se volutare non poterat. Qui paulatim decidens, septimo Regni sui anno mortuus est*. Ergo Clotarius, si regnauit annos vnum & quinquaginta, Theodobaldo superuixit annos septem, & vitam vsque ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-secundum prorogauit. At ex Mario suprà citato constat Clotarium obiisse hoc anno, Christi quingentesimo sexagesimo-primo, cùm sex duntaxat annos Theodobaldo Regi superstes in viuis fuisset. Id etiam colligitur ex Appendice addita Marcellino. Auctor enim, postquàm obitum Theodobaldi Regis anno Clotarij quadragesimo-quarto, id est, anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto, illigauit, anno pòst quinto siue anno Clotarij Regis quadragesimo-nono, Christi quingentesimo sexagesimo, refert exitum *Hramni* seu Chramni, cui, teste Gregorio Turonensi [d], Clotarius pater vno duntaxat anno superstes vixit. Regnauit igitur Clotarius annos tantùm quinquaginta, vitámque clausit hoc anno, Christi quingentesimo sexagesimo-primo.

[a] Lib. 3. c. 23.
[b] Lib. 3. c. 37.
[c] Lib. 4. c. 9.
[d] Lib. 4. c. 21.

VIII.

Apud Gregorium Turonensem in manuscriptis Codicibus, quos sæpè laudauimus, Chlothacharius, apud Marium Chlothacarius appellatur, apud Procopium Κλοαδάειος, apud Agathiam Χλοθάειος, vnde apud plerósque Latinorum Chlotharius, Chlotarius & Clotarius inuenitur. *Dum in Cotiam* * *sylvam venationem exerceret*, inquit Gregorius [e], *à febre corripitur, & exinde Compendio* * *villâ rediit*. Ibi spiritum exhalauit teste eodem Gregorio, cuius abbreuiator Fredegarius [f] ita scribit. *Chlotarius pro suis peccatis, quæ gesserat, aut negligenter egerat, exorandum ad limina beati Martini Confessoris properat. Exinde Compendio villâ veniens* LI. (Gregorianum errorem, de quo superiùs, in hoc annorum numero sequitur) *Regni sui anno vexatus à febre obiit*. Suessione sepeliri voluit in Ecclesia sancti Medardi quam ædificare cœperat. *Expensas, quas*, vt in vita sancti Medardi legitur [g], *huic præparauerat operi, secundùm quod*

* *La foreſt de Cuiſſe.*
[e] Lib. 4. c. 21.
* *Compiegne.*
[f] Cap. 55.
[g] Ap. Sur. d. 8. Iun.

AN. CH. 561. CLOTAR. R. 50

Dauid Rex filio suo Salomoni ad templi Domini ædificationem fecerat, filio suo Sigeberto nomine, ad ædificationem Ecclesiæ, quam Deo vouerat, expendendas dereliquit, mandans & remandans ei, quatenus si qua ei erga patrem charitatis debitæ dilectio maneret, omni occasione sepositâ, sanctæ huic, quam prænominauimus, ædificationi, quousque honorificè compleretur, totam prorsus intentionem adhiberet. Vixit annos plùs minùs sexaginta. Multa fortiter ac piè gessit sanxitque, nec semel à recta deflexit via. Virtutes ob oculos tibi posuimus quas amplectaris, vitia quæ caueas, pœnitentiam quam imiteris si lapsus es. Peccantem vituperauimus, laudauimus resipiscentem. Vtrumque fuit nostrarum partium, nam si prætermisissemus alterutrum, visi fuissemus aut adulatione tantùm aut conuicio delectari. Variis prælus paganos hæreticósque profligauit, Arianis spatiosissimas eripuit prouincias, ditiones Francicas per Germaniam per Galliam per Hispaniam plurimùm dilatauit. Correptus autem morbo, cùm finem mortalis vitæ sibi sensit imminere, sæpè protulit [a] egregiam hanc sententiam, Regi pœnitenti veniámque ab Omnipotentis Dei misericordia speranti conuenientissimam. *Vah, vah, quàm magnus est Rex ille cælestis, qui sic humiliat sublimes terræ Reges? Iste, cùm sit immortalis, melior est quouis orbis terrarum Principe mortali. Quòd si melior, & potentior; & si potentior, ergo & misericordiæ largitor. Qui non, vt multi hominum, mortibus delectatur reorum, sed misericors ac miserator pœnitentiam amplectitur peccatorum. Illius igitur clementiæ munus totis est exoptandum affectibus, déque eius miseratione nunquam desperandum.*

[a] Aimoin. l. 2. cap. 37.

IX. HABES, Lector, in hoc primo nostrorum Annalium tomo res à Francis gestas per annos sex ac viginti suprà trecentos, ab anno videlicet Christi ducentesimo tricesimo-quinto, quo prima mentio Francorum reperitur, vsque ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-primum, quo Clotarius Rex, huius nominis primus, qui toti Franciæ tunc dominabatur, è vita discessit. Opus fuit admodum sterile per annos ducentos sexaginta & vnum, donec Clodoueus Magnus euersis idolis Christianam fidem susceperit. Penè nihil defuit quin à tempore quo baptizatus est principium nostræ lucubrationis iniremus, cùm priùs vix aliquid occurreret, quod ad Annales Ecclesiasticos pertinere videretur. Post multiplices tamen cogitationes initium altiùs repetendum duximus, existimauimúsque rem tibi non iniucundam nos acturos esse, si pauca præmitteremus instar procemij, vt intelligeres quomodò se gesserint Franci adhuc ethnici, siue cùm Gallias iam Christianas crebris irruptionibus lacessérent, siue cùm earumdem Galliarum partem, in qua multi Christiani & Episcopi erant, in suam potestatem iam redegissent. A tempore autem, quo Clodoueus per baptismum regeneratus est, vberem rerum copiam, ad conficiendos, quos vulgamus, Annales, nacti sumus, sequentibúsque tomis, quos Deo benè iuuante publicabimus, adhuc vberiorem nanciscemur. Deinceps enim Scriptores rerum Francicarum inueniemus plures numero, fusiores stylo, quibus manuscriptos Codices qui penes te sunt vt superaddas etiam atque etiam rogamus, idque pro tua beneuolentia & humanitate si præstiteris, accepti à te beneficij nos nusquam immemores fore pollicemur.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
IN QVO
A, Annum, N, Numerum seu Sectionem, P, Paginam denotat.

A

AARON Abb. in Armorica, a. 538. n. 73. a. 541. n. 72

Abbas quid, a. 544. n. 78. qualis & quomodo eligendus, *ibid.* n. 79. qualis debet esse, *ibid.* n. 5. quomodo debet conuersari, a. 548 n. 45. non accedat ad Regem sine commendatitiis literis sui Episcopi, a. 511. n. 12. subsit Episcopo, *ibid.* n. 24. si præceptum Episcopi despicit, quomodo puniendus, a. 533 n. 29. non vagetur longiùs à Monasterio sine licentia Episcopi, a. 544. n. 11. Apostolia dare non præsumat, a. 533. n. 21. victum & vestimenta Monachis ministret, a. 536. n. 139. a. 548. n. 63. si quem seuerius corripuit, quid agere debeat, a. 536. n. 221. adhibeat ad consilium fratres, a. 544. n. 6. curam gerat excommunicatorum, *ibid.* n. 42. substantiæ Monasterij prouideat, *ibid.* n. 47. extra Congregationem nec maneat nec reficiat, a. 548. n. 48 58. ad refectionem quos inuitare possit, *ibid.* n. 56. bona Monasterij nec det, nec vendat, *ibid.* n. 52. eligat quos voluerit, vt ordinentur Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri, *ibid.* n. 54. Monachum alterius loci non suscipiat, a. 558. n. 14. cur excusetur ab opere quotidiano, *ibid.* n 38. quando inseruire debeat coquinæ & pedes lauare, *ibid.* n. 48 eius mensa, a. 544 n. 71.

Abbates olim conferebant tonsuram Clericalem, a. 518. n. 6.

Abbatissa qualis eligenda, a. 536. n. 19. extra Congregationem nec maneat, nec reficiat, a. 548. n. 35 58. bona Monasterij nec det, nec vendat, *ibid.* n. 52. victum & vestimenta Monialibus ministret, *ibid.* n. 63.

Achiuus Abb. Agaunens. a 536. n 198.

Adelbaldus Ep. Moguntin. a. 474.

Adelbertus Ep. Moguntin. a. 474.

Adelfius Ep. Pictauiens. a. 507. n. 11. a. 508. n. 7. transfert reliquias S Hilarij, *ibid* n. 40. *& seqq.* interest Concil Aurelian. I. a 511. n. 41. mittit ad II. a. 533. n. 37. corruptè dicitur Rauracensis Ep. *ibid.* n. 41.

Adulphus Ep. Andegauens obit a. 529. n 1.

Adulter, qui confugit ad Ecclesiam, quomodo tractandus, a. 511. n. 6.

Adulterium à Burgundis quomodo punitum, a. 534. n. 39.

Aduris, Aduris, a. 508. n. 15.

Ægidius Athenienſis venit in Gallias, a. 531. n. 10. fit Eremita ad Gardonem, *ibid.* n. 12. ad Rhodanum, *ibid.* n. 13. adit Childebertum R. a. 542. n. 26. eius Monasterium, a 531. n. 14. eius sylua, *ibid.* n. 16. cur dicta Gotesca, *ibid.* eius villa, *ibid.* n. 14. cur dicta Metropolis, *ibid.* an ibi Palatium Gothorum, *ibid.* n. 15.

Ægidius Ep. Abrincat. a. 549. n 49. a. 550. n. 6.

Ægidius præest Francis, a 456. n. 5. pugnat cum Vvisigothis, a. 463. ob. Suessione, a. 464 n. 8.

Æmilianus Recluſus Ponticiacensis in Aruernia, a. 508. n. 30. Brachioni venatori studium Clericatus inspirat, a. 525. n. 16. ob. a. 536. n. 261.

Æoladius Ep Niuer. a. 551. n 18.

Ætherius Ep. Auenticens. a. 548. n. 96.

Ætherius fit Ep. Carnot. a 528. n. 6. constituit Leobinum Abb. Braiacens. a. 535. n. 46. interest Concil. Aurelian. II. a 533. n. 35. III. a. 538. n. 66. IV. a. 541. n. 70. ob. a. 544. n. 91.

Aetius vincit Clodionem, a. 428. Attilam, a. 451. n. 2. vir verſutus, *ibid.* n. 3.

Agapitus Abb. a. 508 n. 23.

Agatimber Ep. Metens. a. 512. n 8. a 525. n 2.

Agaunum Monast. quando conditum, a. 536. n. 197. Abbates, *ibid.* n. 198. Regula, *ibid.* n. 199. *& seqq.* an ibi instituta laus perennis, *ibid.* n. 224. *& seqq.*

Agericus nascitur, a. 517. n. 2 fit Clericus, a. 547. n. 4. Ep. Virodun. a. 550. n. 9.

Agnes Abbatissa Pictauiens. a. 559. n. 11.

Agrestius Ep. Eloronicus, a. 549. n. 64 a. 551. n. 7.

Agricola Ep. Cabilon. a. 534. n. 13. a. 538. n.

63. a. 541. n. 43. a. 549. n. 48. 69. a. 551. n 7.
Agricola nepos & hæres S. Remigij, a. 533. n. 50.
Agricolaus Tungror. Ep. a. 418. n. 3.
Agripius Ep. Viuarien. a. 535. n. 41.
Agrippina capitur à Francis, a. 439. a. 464. n. 3. Vnde sic dicta, *ibid.* n. 4. 5. dicta Colonia à Francis, *ibid.* n. 6.
Agrippinense Concil. in causa Eufratæ quando habitum, a. 455. n. 14.
Agrippinus Ep. Augustodun. a. 525. n. 4. a. 533 n. 32. a. 538. n. 63.
Aigulfus, a. 523. n. 14.
Aimoinus interpolatus, a. 511. n. 17. *& seqq.* a. 551. n. 12. *& seqq.* a. 558. n. 57. *& seqq.* eius Characteres Chronologici examinantur, a. 558. n 69.
Alamanni populi Germaniæ, p. 21. a. 496. n. 6. item Galliæ, *ibid.* Idololatræ, a. 539. n. 11.
Alba Eluiorum, Albensis Episcop. a. 534. n. 10.
Alba vestis cur detur baptizatis, a. 494. n. 15. quid significet, *ibid.* n 16. à quo detur, *ib.* n. 17. quo die deponatur, *ibid.* n. 20. & vbi, *ibid* n. 21.
Albati, quibus rebus abstinebant, & quibus rebus vacabant, a. 496. n. 92. *& seqq.*
Albigenses subacti à Francis, a. 507. n. 12.
Albinus fit Abb. Cincillacens. a. 504. n. 2. Ep. Andegauens. a 529. n. 1. a. 530. n. 5. auctores incestarum nuptiarum persequitur, a. 538. n 36. adit Cæsarium Arelat. Ep. *ibid.* mittit ad Concil. V. Aurelian. a. 549. n. 50. ob. a. 550. n. 3.
Albofledis soror Clodouei R. baptizatur, a. 496. n. 77 ob a. 497 n. 5.
Alchimia, a. 515. n. 4 a. 525 n 5.
Alecius, Alerius Ep. Auscien. a. 533. n. 46.
Aletensis Episcopatus erigitur, a. 541 n. 72.
Alethius Ep. Vasens. a. 536. n. 10. a. 541. n 49.
Aletius Ep. Lactoren. a. 549. n. 58. contendit de loco cum Ep. Aquensi, *ibid.* n. 66.
Alleluia quid, a. 536. n. 177. quando dicatur, a. 545. n. 30.
Alleluiatici Psalmi, a. 536. n. 28.
Almaberga. a. 530. n. 4.
Almirus, a. 532. n. 3. a. 559. n. 5.
Alneus Anachoreta, a. 532. n. 16. a. 560. n. 2.
Alodius Ep. Tullens. a. 486. n. 9. a. 549. n. 53.
Alomerus Ep. Viromand. ob. 530. n. 14.
Alpes Grajæ ceduntur Francis, a. 536. n. 2. illius Prouinciæ Episcopatus, *ibid.* n 6.
Alpes Maritimæ ceduntur Francis, a. 536. n. 2 illius Prouinciæ Episcopi, *ibid.* n. 7. subsunt Ep. Arelat vt Metropolitæ primi ordinis, a. 554. n 16.
Amalaricus R. Vvisigoth. occisus in Septimania, a 531. n. 8.
Amalasuntha ob. a. 534 n. 43. Fabulæ de illa, *ibid* n. 44. *& seqq.*
Amandus Anachoreta in Diœcesi Lemouic. a. 508. n. 25.
Amandus Anachor. in Diœcesi Petragor. a. 542. n. 2.
Amandus Anachor. in Diœcesi Remens. a. 506. n. 13.
Amandus Ep. Argentin. interest Concil. Agrippin. a. 455 n. 14.
Amandus Ep. Redonens. a. 511. n. 46
Amandus Ep Vvormat. a. 455. n. 14.
Ambianum capitur à Clodione, a. 441.
Ambrosius Abb. Agaunens. a. 536. n 198.
Ambrosius Abb Barbarens. a. 514. n. 23 distinguitur ab Agaunens. a. 536. n. 198.
Ambrosius Ep Albigens. a. 549. n. 56.
Ambrosius Ep. Trecens. a 546. n. 7. a. 549. n. 51
Amelius Ep. Auscien. a. 533. n. 46.
Amelius Ep. Conuenicus, a. 549 n. 58.
Amelius Ep. Paris. a. 533. n. 35 a. 538. n. 66. a. 541. n. 46
Amphibalus quid, a. 533. n. 52.
Anachoretæ qui, a. 544 n. 4
Andemundus Abb. Maioris Monast. a 508. n. 4
Andoneus discipulus S. Eleutherij, a. 532. n. 9.
Andouenus Ep. Ambian. a. 481. n. 12.
S. Andreæ Monast. Viennæ Monial. a. 534. n. 25.
S. Andreæ Monast. Viennæ Monachor. a. 534 n 27.
Anectarus fit Ep. Suession. a. 544. n. 14.
Anicium vnde dictum, a. 508. n. 6. nobilitatur Episcopatu, *ibid.*
Animius, a 512. n. 6.
Ansbertus an gener Clotarij R. a. 508. n. 49.
Antidiolus Abb Condatescens. a. 534. n 14. a. 542. n 28.
Antimundus fit primus Ep. Morinor a. 501. n. 3. 4. condit Monast. Sitiense, a. 519. n. 2. ob. a. 520. n. 2.
Antiphona quid, a. 536. n 143. 146. Antiphonam imponere, quid, a 544. n. 59.
Antipolis sub qua Metropoli, a 536. n 5.
Antoninus Ep. Auenion. a 549 n. 62. a. 554. n. 17.
Antoninus Ep. Aurelian. a 538. n. 66.
Antoninus Ep. Massil a. 544. n. 93.
Apamiensis Episcopatus distractus à Tolosano, a. 508. n. 13.
Apedinius Ep. Paris. a. 481. n. 12.
Aper Ep. Bigorrit a. 508. n. 8.
Apollinaris Ep. Valentin. a. 534. n. 9.
Apollonaris Ep. Aruern. a. 515. n. 4.
Apostatæ quomodò puniendi, a. 533. n. 28.
Apruncul Ep. Treuir. ob. a. 527. n. 4.
Aptonius Ep. Inculism. a. 542. n. 1. a. 549. n. 57.
Aquensis Diœcesis diuisa in duas, a. 508. n. 8.
Aquilinus fit Ep. Colon. a. 509. n. 2.
Aquilinus Petracoricens. an discipulus sancti Asterij, a. 544. n. 90.
Aquitania subacta à Clodoueo R. a. 507. n. 2.
Aquitaniæ tres a. 508. n 5.
Aquitaniæ L. ciuitates, Episcopatus, a. 508. n. 6.

Aquitaniæ II. ciuitates, Episcopatus, a. 508. n. 7.
Aquitaniæ III. ciuitates, Episcopatus, fines, a. 508 n. 8. 11. 12.
Arauatius Ep. ob a. 450 n. 5 Alius est à Seruatio, Tungris Traiectum ad Mosam transfert Sedem Episcop. *ibid.* n. 6.
Arberoa vallis, a. 508 n. 12.
Arberoanus Vicecomitatus, a. 508 n. 11.
Arboastes Presb a 535. n. 3
Arboastus, Arbogastus Ep. Carnot. a. 481. n. 16. ob a. 485
Arbogastes Comes Treuir. a 464. n. 7.
Arcadius Aruern. rebellat, a 525. n 5. a 530. n. 1.
Arcadius Ep. Bituric a. 536. n. 258 a. 538 n. 67 a. 541 n. 50.
Aredius fit Clericus a. 535. n. 4.
Aregius Ep. Niuern. a 549. n. 51 a. 551. n. 7. 18.
Aregundis a 522. n 2.
Arelate obsidetur à Francis & Burgundionib. a. 510 n. 2.
Arelatense Concil. a 554 n 8. *& seqq.*
Arelatensis Conuentus septem Prouinciarum, a 508 n 53.
Arelatensis Ecclesia fit Metropolitana, a. 508. n. 54. contendit cum Viennensi de finibus suæ Prouinciæ, *ibid.* n. 55. & de Primatu per Galliam, *ibid.* n. 56.
Arelatensis Ep. Metropolit. eiusque suffraganei, a 508. n. 55 Metropolit. primi ordinis, a 554. n 16.
Arelatensis Primatus, a. 508. n. 62. a. 545. n 4 a. 546. n 2. a. 557. n. 3.
Arisidensis Episcopatus, a 523. n. 10.
Armantio fl. a 486. n. 23.
Armelius siue Arzelus a 520. n. 16.
Armorica, a. 463 subigitur à Clodoueo R. a. 502. n. 2.
Arnulfus charus Clodoueo R. a. 497. n 8. ducit vxorem, a. 505. n 6 eâ relictâ peregrinatur, *ibid.* n. 7. redit Remos, a. 520. n 5. fit Exorcista & denuo peregrinatur, *ibid.* fit Ep. Turon. a. 522. n. 7. tertiò peregrinatur, *ibid.* Martyrio coronatur, a. 534 n. 41.
Arreptirij non sunt ordinandi, a. 538 n 16 23.
Artemius Ep mittit ad Conc. II. Aurelian. a 533 n. 39.
Artifices Monasteriorum, a. 544. n. 72.
Aruernense Concil. I. a. 535. n. 8. *& seqq.* II. a. 549. n. 69.
Aruerni subacti à Francis, a. 507. n 12.
Ascaricus R. Franc. a. 506.
Aspasius erudit Melodunenses, a. 538 n. 71. alius ab Aspasio Ep Elusan. *ibid.*
Aspasius Ep. Elusanus, a. 535. n 58 a 541 n 51. a. 549. n. 58 69.
Asterius adit Eparchium Reclusum, a. 544. n. 89.
Atalaricus R. Ostrogoth. ob. an. 534. n. 43.
Athalbertus Ep. Morinor. a. 520. n. 4. a. 552. n. 3.
Athanacense Monast. a. 534 n. 23.
Atrebatum cum Cameraco subducitur eidem Episc. a. 510. n 5.
Attalus Gregorij Ep. Lingon. nepos, a. 525. n. 9.
Attila vincitur in Gallia, a. 451. n. 1.
Aturris, Atyrris Ciuitas a. 508. n. 15.
Aturus, Atyrus fl. a. 508. n. 15.
Aualo oppidum, a. 486. n. 23.
S. Audoeni Monast a. 533. n. 45.
Audofleda soror Clodouei R. vxor Theodorici R. Ostrogoth a 496. n. 2.
Auentinus Anachor in Diœcesi Trecensi, a. 486 n. 17. *& seqq.* a 534. n. 42. ob. a 537. n. 3.
Auentinus fit Ep. Dunens. a 497 n. 10. Carnot. a. 509 n. 13. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 43. a. 525. n. 20. ob. a. 528. n 5.
Auguria prohibita, a. 511. n. 35.
Augusta Auscorum, a. 508. n. 15.
Augusta Viromanduorum, Sedes olim Episc. vbi sita, a 531. n. 24. *& seqq.*
Augustodunum capitur à Francis, a. 525 n. 4.
Augustus, a. 549. n. 103. Abb. S. Symphor. Bitur. a. 557. n. 23.
Auitus Anachoreta Petracor. a. 530. n. 13.
Auitus Imp. abdicatur, a 456. n. 3.
Auitus Monach. Menarens. tum Miciacens. a. 517. n. 6. fit Presb. *ibid.* secedit in Secaloniam, a. 520. n. 17. fit Abb. Miciac. a. 521. n. 1. prædicit mortem Clodomeris, a. 524. n. 1. Miciaco se recipit in vicum Brigiæ, a. 525. n. 19. construit Monast in pago Dunens. *ibid* n. 20. ob. a. 530. n 3.
Auolus Ep. Aquens. Metropol. a. 549. n. 63. 69. a. 551. n 7. a. 554. n 18.
Auolus Ep Sistaric. a. 536. n. 11. a. 541. n. 55. a 549. n. 63. a. 554. n. 18.
Aurelia obsessa ab Attila, a. 451. n. 2. venit in potestatem Clodouei, a. 494. n. 2.
Aurelianensia Concil. I. a. 511. n. 2. *& seqq.* II. a. 533. n. 6. *& seqq.* III. a. 538. n 8. *& seqq.* IV. a 541. n. 2. *& seqq.* V. a. 549. n. 21. *& seqq.*
Aurelianus Ep. Arelat. fit Primas, a. 546. n. 2. 3 scribit Regulas Monachor. & Monial a. 548. n 12. *& seqq.* scribit ad Vigilium PP. de Tribus Capitulis, a. 549. n. 2. interest Concil. V. Aurelian. *ibid.* n. 62. responsum accipit à Vigil. PP. a. 550 n. 2. ob. *ibid.* n. 12.
Auremundus nascitur, a. 555. n. 23.
Aureus Ep. Mogunt. Mart. a. 455. n. 12.
Ausci, Auscii, a. 508. n. 15.
Ausciensis Episcopat. auctus est Elusano, a. 508. n. 8.
Auspicius Ep. Tullens. a 486. n. 9.
S. Ausonij Monast. a. 508. n. 24.
Austrapius fit Ep. Sellens. a. 559. n. 5.
Autharius primus Abb. S. Vincentij Paris. ob. a 561. n. 3.
Auxanius fit Ep. Arelat. a. 542. n. 24. Primas, a. 545. n. 3. 4.

Auxonius Sedem Episcop. transfert Albâ Viuarium, a. 534. n. 10.
Aychardus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.

B

BAIGORRIA, Baigorritanus Vicecomitatus, a. 508. n. 12.
Baiona vnde & quando sic dicta, a. 508. n. 10.
Baionensis Episcopatus, quos habet fines, a. 508. n. 12.
Balæus Monach. Landt-Teuenecens. a. 542. n. 3.
Balma Monast. Iurense Monial. a. 534. n. 24.
Balma Monast. Monial. ad Dubim, a. 534. n. 28.
Bandaricus Ep. Suession. pellitur in exilium, a. 538. n. 79. reuocatur, a. 545. n. 12. curat funus S. Medardi & moritur, *ibid.*
Baptismus, quando conferri solitus, a. 494. n. 7. a. 497. n. 9. vbi, a. 494. n. 12. an infantibus, *ibid.* n. 8. *& seqq.* antiquæ baptismi cæremoniæ pro viris, a. 496. n. 19. *& seqq.* pro fœminis, *ibid.* n. 78. *& seqq.*
Baptismus in Natalitiis Domini, a. 497. n. 3.
Baptisterium, vbi construi solitum, a. 494. n. 12. a. 496. n. 14. in eo reliquiæ SS. solitæ collocari, a. 539. n. 4.
Baptisterium Ebredunense miraculosum, a. 497. n. 3.
Baptizandus is, qui nescit an sit baptizatus, a. 532. n. 6.
Barbarense siue Insulæ Barbaræ Monast. a. 534. n. 23.
Basilius Ep. Glannat. a. 549. n. 60. 69. a. 554. n. 19.
Basina Regin. Thoring. a. 456. n. 4. venit in Franciam, a. 464. n. 10. nubit Childerico, a. 465. n. 2.
Bastan vallis, a. 508. n. 12.
Batha Insula, a. 529. n. 4. ibi Monast. a. 554. n. 2.
Baudatus Ep. Aurelian. a. 545. n. 15.
Baudinus Ep. Turonensis, a. 546. n. 5. a. 552. n. 4.
Beatus Ep. Ambian. a. 549. n. 54. an. 554. n. 22.
Bebianus Ep. Agennens. a. 549. n. 57.
Bectoldus, a. 506. n. 13.
Belgica secunda; eius Ciuitates, a. 455. n. 10.
Bellum ciuile sedatur insigni miraculo, a. 537. n. 1.
Benarnus euersa, a. 508. n. 14.
Benedictus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Benedictus Anachor. a. 530. n. 13.
S. Benigni Ep. Carnot. reliquiæ in Monast. a Vidua, a. 502. n. 3.
S. Benigni Monast. Diuione quando conditum. a. 534. n. 29.
Beroaldus Abb. Ebredun. a. 548. n. 94.
Berthoara filia Theodoberti R. a. 548. n. 8.
Biberes quid, a. 536. n. 161.
Bigami seu digami non sunt ordinandi, a. 538. n. 16. 20.
Bigorra, a. 508. n. 15.
Bisextum, a. 464. n. 12. *& seqq.*
Bisinus R. Thoring. a. 456. n. 4.
Bituricensis Ep. Metropol. eiusque suffraganei, a. 508. n. 6.
Biulfus Ep. Argentin. a. 455. n. 14.
Blanda filia Censorini Tribuni Scaldinensis baptizatur, a. 488. n. 2. ob. 498. n. 27.
Blanda mater S. Eleutherij, a. 456. n. 6. elicitur Tornaco, a. 486. n. 1. ob. a. 498. n. 27.
S. Blandinæ Monast. Viennæ, a. 534. n. 27.
Blandinium, Blandinienſis Ecclesia, a. 486. n. 1. Episcopatu nobilitatur, a. 487. n. 1.
Boamaldus Monach. a. 532. n. 16. a. 559. n. 6.
Boamirus Monach. a. 532. n. 14.
Bodanum Monast. a. 536. n. 168.
Boëtius Ep. Cadurcens. a. 508. n. 6. a. 511. n. 40.
Boius quando diruta, a. 508. n. 8. Pertinuit ad Nouempopulaniam, *ibid.* fuit Episcopalis, *ibid.* n. 9. attributa est Diœcesi Burdigal. *ibid.* distinguitur à Baiona, *ibid.*
Bonifacius Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Bonosiaci hæretici, a. 538. n. 31.
Brachio venator, a. 525. n. 16. adit Æmilianum Eremit. a. 533. n. 5. ei succedit, a. 536. n. 261. condit varia Monast. *ibid.* fit Abb. Menatens. *ibid.*
Briacus, a. 520. n. 13.
Brictius Ep. Turon. quando sedit, a. 498. n. 6.
Briocus, Briocensis Episcoparus, a. 520. n. 15.
Briouerensis Ecclesia, a. 549. n. 49.
Britannia Gallicana Reges habuit, deinde Comites, a. 502. n. 2. a. 553. n. 10.
Burdigalensis Ep. Metropol. eiusque suffraganei, a. 508. n. 7.
Burgundia subigitur à Francis, a. 534. n. 5.
Burgundiæ leges, a. 534. n. 33. *& seqq.*
Butilinus Dux Francorum in Italia, a. 553. n. 13. profligat Erulos, a. 554. n. 23. ob. a. 555. n. 10.

C

CÆSARIA Abbatissa, soror S. Cæsarij, a. 536. n. 45.
Cæsaria alia à sorore S. Cæsarij, a. 536. n. 45. a. 542. n. 25.
Cæsarius Ep. Arelat. a. 536. n. 9. condit. Monast. puellarum, *ibid.* n. 45. scribit Regul. Monial. *ibid.* n. 46. *& seqq.* aliam Monachor. *ibid.* n. 124. *& seqq.* ob. a. 542. n. 15. eius scripta, *ibid.* n. 17. *& seqq.* testamentum, *ibid.* n. 23. vita à quo Cypriano scripta & cui Cæsariæ dicata, *ibid.* n. 25.
Calagurritanus Episcopatus, a. 542. n. 34. a. 560. n. 7.
Caldellus & caldus quid, a. 536. n. 161.
Caletricus Ep. Carnot. a. 556. n. 15. a. 557. n. 34.

Calix imaginatus, turriculus, a. 535. n. 53. in oblatione sacri Calicis quid offerendum, a. 542. n. 8.
Callistus Ep. interest Concil. II. Aurelian. a. 533. n. 39.
Caluppa Eremita, a. 554. n. 6.
Cambiacus, a. 498. n. 2.
Camelianus Ep. Trecens. a. 486. n. 16. a. 511. n. 43. a. 536. n. 259.
Cameracum venit in potest. tē Clodouei R. a. 510. n. 4. subiicitur Atreb. Ep. *ibid.* n. 6.
Canauaria, a. 536. n. 81. a. 548. n. 31.
Candidobrense Mon. a. 508. n. 28. a. 525. n. 15.
Cannatus Ep. Masc. quādo vixit, a. 544. n. 93.
Cantabria subacta à Francis, a. 542. n. 33.
Cantor, a. 544. n. 62.
Capitellum seu capitulum quid, a. 536. n. 157.
Carcasso obsidetur à Francis, a. 507. n. 1.
Carilephus Monach. Menatens. tum Miciacens. a. 518. n. 6. fit Presb. *ibid.* discedit cum Auito, a. 525. n. 20. ab eo recedit, a. 528. n. 7. construit Monast. ad Anisolam fl. a. 532. n. 11. ob. a. 542. n. 12.
Carilephiensis Monasterij chartæ commentitiæ, a. 515. n. 3.
Carolus Ep. Wormacien. a. 503. n. 4.
Carterius Ep. Aquensis, a. 541. n. 52.
S. Cassiani Monast. puell. Massil. a. 536. n. 43.
Cassianus Auctor Regulæ Monast. a. 536. n. 22. *& seqq.* construxit Cœnobia, *ibid.* n. 43. Primam instituit in Occid. *ib.* n. 172.
Castor, a. 498. n. 4.
Castrensis Episcopatus distractus ab Albigens. a. 508. n. 6.
Casula, a. 496. n. 146.
Cato Presb. superbus, a. 554. n. 5.
Cautinus fit Ep. Aruern. a. 554. n. 6.
Cella seu Cellula S. Eusitij Monast. a. 531. n. 5.
Cellerarius Monasterij, a. 536. n. 209. 221. a. 544. n. 46. a. 548. n. 31.
Celtenses puniti ob spretum Ep. a. 512. n. 3.
Censorinus Tribun. Scaldinens. a. 486. n. 1. a. 487. n. 2. irascitur filiæ factæ Christianæ, a. 488. n. 2. baptizatur, a. 496. n. 155. ob. a. 532. n. 9.
Censurius Ep. Autissiod. a. 494. n. 3. ob. a. 500. n. 3.
Centenarius seu Centenario quid, a. 496. n. 113.
Cerasiense Monast. a. 530. n. 15.
Cerenedus Anachor. a. 557. n. 39.
Cerenicus Abb. condit Monast. in Diœcesi Sagiens. a. 557. n. 39.
Chanao Comes Britann. a. 553. n. 10.
Chararicus, a. 486. n. 3. a. 501. n. 3. necatur cum filio a. 509. n. 3.
Chardaricus siue Ardaricus Ep. Trecens. accusat Saffaracum, a. 551. n. 6. interest Concil. III. Paris. a. 557. n. 30.
Charibertus, a. 521. n. 2.
Childebertus fil. Clodouei R. a. 511. n. 55. Patri succedit in partem regni, *ibid.* n. 56. bellum infert Godomaro R. Burgund. a. 525. n. 4. diuidit regnum Clodomeris cum fratrib. a. 526. n. 4. in procinctu belli Wisigoth. adit Eusychium Eremit. a. 531. n. 1. *& seqq.* construit Ecclesiam S. Auiti, *ibid.* n. 7. diuidit Burgundiam cum fratre & nepote, a. 534. n. 5. obsidet Cæsaraugustam, a. 542. n. 32. Parisios defert stolam S. Vincentij, *ibid* subigit Vasconias & Cantabriam, *ibid* n. 33. condit Monast. virorum Arelate, a. 548. n. 10. auget maiorem Ecclesiam Paris. a. 547. n. 7. ægrè fert se spoliatum hæreditate Theodobaldi, a. 555. n. 4. fauet Chramno, a. 556. n. 1. ob. a. 558. n. 65. eius pragmaticum examinatur, *ibid.* n. 58. *& seqq.* pia Constitutio, *ibid.* n. 67. vxor & liberi, *ibid.* n. 68.
Childericus R. Franc. Merouei patri succedit, a. 456. n. 2 pellitur *ibid.* n. 4. reuocatur, a. 464. n. 2. suscipit Basinam, *ibid.* n. 10. ducit illam vxorem, a. 465 n. 2. capit Andegauum & Insulas Ligerinas, a 481. n. 6. *& seqq.* ob. *ibid.* n. 9. eius ditiones, *ibid.* n. 10. sepultura, *ibid.* n. 17. *& seqq.*
Childericus fil Clotarij R. a. 522. n. 2.
Chillo fit Christianus, a. 510. n 6.
Chilmegisilus Ep Auentic ob. a. 534. n. 18.
Chilpericus, a. 522. n. 6. cum Clotario patre proficiscitur in Hispan. a. 542. n. 30.
Chlodericus occidit patrem suum & occiditur, a. 509. n. 2.
Chonober Com. Britann. a. 553. n. 10. occiditur, a. 560. n 3.
Chramnus nascitur, a. 537. n. 1. rebellat, a. 555 n. 6. a 556 n. 1. redit in gratiam, a. 559. n. 1. ob. a. 560 n 3.
Chrismatum Monast. a 530. n. 15
Christianus quomodò puniendus, si vtitur immolatis, a. 541. n. 19. si iurat ad capita animalium, *ibid.* n. 20.
Chronopius Episc. Petracoric. a. 508. n. 7. Transfert reliquias S. Frontonis, a 510. n. 12. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 41 II a 535. n. 37.
Chrysolius Mart. a. 487. n. 1.
Ciborum mensura pro Monachis, a. 544. n 54
Cincillacense Monast a. 504. n. 2.
Circia, Citsia, Cizia, vallis, a. 508. n. 12.
Clarentius Ep. interest Concil. II. Aurelian. a 533. n. 39
Clarus Ep Elusan. a. 508. n. 8
Claudius E. Glannat a. 536. n. 13. a. 541. n. 54.
Claudius Ep. Vesuntien. a. 534. n. 16.
Clematius Ep. Carpentor. a 541. n. 49 a. 549. n. 62. a. 551. n. 7.
Clementinus Ep. Aptens. a. 549. n. 63. a. 551. n. 7. a. 554. n. 18.
Clerici parochiani, a. 542. n. 10.
Clerici peregrini, a. 542. n. 11.
Clerici relicta, si nupsit alij, quomodò plectenda, a. 511. n 18.
Clericus non ordinetur nisi cum literis Regis aut voluntate Iudicis, a. 511. n. 9. non accedat ad Regem sine commendatitijs literis Episcopi sui, *ibid.* n. 12. veniens ab hæresi quomodò suscipiendus, *ibid.* n. 15. a. 542. n. 12. non erigendus à secularibus contra Episcopum, a. 535. n. 15. à Subdiacono

& suprà proprix non miſceatur vxori, a. 538. n.10.a 549. n. 26. familiaritatem cum extraneis mulieribus non habeat, a.538.n. 14.a.549.n.25. minor ante pubertatem ordinatus poteſt vxorem ducere, a.538.n.30. oppreſſus recurrat ad Synodum, *ibid.* n. 46. abſtineat in Synodis à qualibet coniuratione, *ibid.* n. 47. nec quenquam vocet, nec à quoquam vocetur ad iudicium ſeculare, *ibid.* n. 31. non applicandus publicis actionibus aut tutelis, a. 541. n. 24. an ire debeat ad iudicium fori ſecularis, *ibid.* n. 24. quib. conditionib. in Monaſt. ſuſcipiendus, a. 544. n. 75. quomodò puniendus, ſi deſpiciat officium ſuum implere, a. 533. n. 22. a. 538. n. 37. 45. ſi adulter, fur, periurus, a.538. n.29. *& ſeqq.* ſi facultates ab Epiſcopo in vſum acceptas deterioret, a. 554. n. 14.

Clodio Faramundo patri ſuccedit, a.426.n 3. vincitur ab Aetio, a. 428. penetrat vſque ad Somonam, a. 441. ob. a. 446.

Clodoaldus fil. Clodomeris, a. 524. n. 1. fit Clericus & eruditur à Seuerino Monacho, a.526. n 4. fit Preſb. a. 551. n. 11.

Clodomeres fil. Clodouei R. naſcitur, baptizatur, ægrotat, conualeſcit, a.495.n 2. patri ſuccedit in partem regni, a. 511. n. 56. captiuum abducit Sigiſmundum R. Burgund. a.523. n. 6. occiditur, a. 524. n. 1.

Clodoueus naſcitur, a. 466. n.2. Childerico patri ſuccedit, a.481.n.24. vincit Syagrium & eius ditionibus potitur, a. 486. n. 1. *& ſeqq.* vlciſcitur iniurias, a. 487. n. 3. vincit Thoringos, a 491. mittit Legatum ad Clotildem, a 492. n 2. ducit illam vxorem, a. 495 n.2. dilatat Regnum à Somona ad Sequanam. *ibid.* n.3. à Sequana ad Ligerim, a.494 n.2. ſubigit Alamannos & Boios, a. 496. n.2. *& ſeqq.* baptizatur, *ibid.* n.8. *& ſeqq.* ſuſcipit Confirmationem *ibid.* n.66. vngitur in Regem, *ibid.* n. 67 ſolus exiſtit in toto orbe Princeps Catholicus, *ibid.* n.97. *& ſeqq.* Literas gratulatorias ſuper conuerſione accipit ab Auito Ep. Vienn. a. 497.n.3. ab Anaſtaſio PP. *ibid.* n.4. conſolatorias ſuper morte ſororis à S. Remigio, *ibid.* n.5. Tornacum proficiſcitur, a.499. n. 4. ſubigit Armoricam, a. 502. n. 2. condit Monaſt. ad ripam Ligeris in villa Vidua, *ibid.* n. 3. colloquitur cum Alarico R. Wiſigoth. a. 503. n. 2. laborat febri, a.504. n.3. ſanatur precib. S. Seuerini, a 506. n 3. dilatat Regnum à Ligeri ad Pyrenæos montes Alarico R. Wiſigoth. interempto a.507. n. 2. *& ſeqq.* pius & magnificus erga S. Martinum, *ibid.* n.9. 10. Erga Eccleſiam Inculiſmenſem, a. 508. n. 17. Turonos reuerſus titulum & ornatum Imperatorium aſſumit, *ibid.* n.17. adit Deodatum Eremitam, *ibid.* n.39. Pariſius ſedem Regni conſtituit, *ibid.* n 38. ditat Eccleſias S S. Hilarij & Martini, *ibid* n. 44. captiuos arbitrio Epiſcoporum relaxat, *ibid.* n.45. coronam mittit Papæ, *ibid.* n. 72. potitur Colonia, a. 509. n. 2. Morinis, *ibid.* n. 3. Cameraco & Cenomano, a. 510. n. 4. ob. a. 511 n. 52.

Clotarius fil. Clodouei R. a. 511. n. 55. patri ſuccedit in partem regni, *ibid.* n. 56. Ingunde ſuperſtite ducit Aregundem eius ſororem, a. 522. n. 2. *& ſeqq.* dimiſsâ Aregunde ducit Guntheugam relictam fratris Clodomeris a 524. n. 1. 2. bellum infert Godomaro R. Burgund. a. 525. n. 4. diuidit regnum Clodomeris cum fratrib. a. 526. n. 4. Ædificat Rotomagi Mon. SS Apoſtolorum, a 533. n 45. diuidit Burgundiam cum fratre & nepote, a. 534. n. 5. reuocat Ingundem, câque mortuâ ducit Chunſenam, a. 535. n. 45. a. 536. n. 260. mortua Chunſena ducit Radegundem, a. 538. n. 78. obſidet Cæſaraugustam, a. 542. n. 32. ſubigit Vaſconias & Cantabriam, *ibid.* n. 33. Theodobaldo ſuccedit, a 555. n. 4. ducit eiuſdem relictam, *ibid.* n. 5. reſipiſcit, *ibid.* bello impetitur à Saxonibus, *ibid.* n. 7. a. 556. n. 1. ſuccedit Childeberto, a. 558. n. 68. multa piè conſtituit, a. 559. n. 2. Turonos profectus vult educere Radegundem è Monaſterio, *ibid.* n. 10. it in Britanniam aduersùs Chramnum, a 560 n. 2. Andegauum, Glannafolium, Turonos, a. 561. n 4. ſua peccata deflet ad limina S. Martini, *ibid.* ob. *ibid.* n. 6. *& ſeqq.*

Clotildis poſcitur in vxorem, a. 492. n. 1. nubit Clodouco, a. 493. n. 2. poſt obitum mariti abit Turonos, a. 511. n. 54. ſepelit nepotes, a. 526. n. 4. ob. a. 537. n. 2.

Clotildis filia Clodouei, vxor Amalarici R. Wiſigoth. a. 523. n. 9. ob. 531. n. 1.

Cœmeteria extra vrbes, a. 548. n. 62.

Cœnobitæ qui, a. 544. n. 4.

Collecta quid, a. 536. n. 143.

Coloberonenſe Monaſt. a. 525. n. 18.

Colonia ita dicta à Francis, a. 464. n. 6. venit in poteſtatem Clodouei, a. 509. n. 2.

S. Columbæ Mon. prope Viennâ, a. 534. n. 26.

Columna, vicus Aurelianenſis, a. 524. n. 13.

Comes quid, a. 496. n. 113.

Commorus Com. Britann. a. 529. n. 8.

Communio laica, a. 538. n. 12. legitima, *ibid.* n. 26. peregrina, *ibid.* n. 45. viatica, *ibid.* n. 25 *& ſeqq.*

Completorium, hora Canonica, a. 536 n 172. quomodò celebranda, a. 544. n. 32. 33. a. 548. n. 76.

Conceſſio quid, & eius formula, a 549. n. 33.

Concilia, Aurelianenſe I. a. 511. II. a 533. III. a. 538 IV. a. 541. V. a 549. Aruernenſe, a. 555. II. a. 549. Pariſienſe II. a 551. III. a 557. Arelatenſe V. a. 554. Tullenſe, a. 550.

Concilia Prouincialia quot annis celebranda, a. 541 n. 41.

Concubinarum duo genera a. 538. n. 33.

Condateſcente Monaſt. quando conditum, a. 534 n. 24.

Condomienſis Epiſcopatus diſtractus ab Aginnenſ. a. 508. n. 7.

Confirmatio, a. 496. n. 61. *& ſeqq.*

Conomerus Com. Britann. a. 553. n. 11.

Conſtantianus Anachor. a. 532. n. 16. a. 560. n. 2.
Conſtantius Ep. Octodor. a. 536. n. 12.
Conſtantius Ep. Vappincenſ. a. 536. n. 20.
Conſtiturus Ep. Senon. a. 549. n. 51. a. 551. n. 7.
Contumelioſus Ep. Reienſis, a. 536. n. 11.
Conuenæ, a. 508. n. 15.
Corona vocatur regnum, a. 508. n. 72.
Correptio delictorum, a. 496. n. 131. 135. 136. 145. 146. a. 544. n. 38. *& ſeqq. ibid.* n. 85. a. 558. n. 47. *& ſeqq.*
Coſſio, 508. n. 15.
Creſcentius Ep. Rotomag. a. 493. n. 3. ob. a. 494. n. 4.
Cronomenſe Monaſt. a. 508. n. 26.
Crotoldus Ep. Vormacienſ. condit Monaſt. a. 503. n. 3. fit Metropolit. *ibid.* n. 4.
Cuculla, a. 496. n. 146.
Culpæ, aliæ leuiores, aliæ graniores, a. 536. n. 41.
Curſus Monaſterij, quid, a. 496. n. 125. 127.
Cyprianus Anachor. a. 542. n. 2.
Cyprianus Ep. Burdigal. a. 508. n. 7. a. 511. n. 41.
Cyprianus Ep. Tolonenſ. a. 536. n. 10. 18. intereſt Concil. IV. Aurelian. a. 541. n. 49. nominatur in Teſtamento S. Cæſarii, a. 542. n. 25. an ſcripſerit vitam S. Cæſarii. *ibid.*
Cypriani tres Telone, a. 536. n. 18. a. 542. n. 25.

D

DAGO Ep. Aurelian. a. 494. n. 3. ob. a. 498. n. 2.
Dalmatius Ep. Maſſil. a. 536. n. 10.
Dalmatius Ep. Ruten. a. 524. n. 4. a. 535. n. 38. a. 541. n. 50. 67.
Dani victi, a. 516. n. 2.
Danihel Ep. Pictauienſ. a. 541. n. 51.
Daougalenſe Monaſt. conditur, a. 538. n. 74.
Daumerus Monach. a. 525. n. 20.
Decania & Decanus, a. 536. n. 40. a. 544. n. 36.
Decuria & Decurio, a. 536. n. 40.
Deodatus Abb. Maioris Monaſt. a. 508. n. 4.
Deodatus Eremita ad Ligerim, a. 508. n. 39. a. 531. n. 3.
Deotarius Ep. Ariſidienſ. a. 523. n. 11. *& ſeqq.*
Deſideratus Ep. Bituric. a. 549. n. 56. 69. confunditur cum Audoeno Ep. Rotomag. *ibid.* n. 70. *& ſeqq.* ob. a. 550. n. 7.
Deſideratus Ep. Virodun. a. 525. n. 2. a. 535. n. 43. a. 536. n. 255. a. 549. n. 53.
Deſideratus Presb. Gurthonenſ. a. 534. n. 31.
Deſiderius Ep. Foroiulienſ. a. 536. n. 11. a. 541. n. 55.
Deſignatus Tungror. Ep. a. 418. n. 3.
Deus fl. a. 508. n. 12.
Deuteriæ adulterium, a. 533. n. 2. flagitia, a. 534. n. 40. liberi, a. 536. n. 254.
Deuterius Ep. Luteuenſ. intereſt Concil. I. Aruern. a. 535. n. 37.
Deuterius Ep. Vincienſ. a. 536. n. 13. a. 541. n. 4. a. 549. n. 60. a. 554. n. 19.
Diaconiſſæ, ſi coniugio copulantur, quomodò puniendæ, a. 533. n. 25. an in poſterum ordinandæ, *ibid.* n. 26. varia earum genera & officia, 544. n. 97.
Diaconus quomodò plectendus, ſi capitale crimen commiſit, a. 511. n. 14. ſi vſuram & turpe lucrum exercet, a. 538. n. 53. quâ ætate ordinandus, *ibid.* n. 16. 19. non ordinetur qui literas aut baptizandi ordinem neſcit, a. 533. n 24. captiuus ne matrimonio copuletur, *ibid.* n. 16. abſtineat ab vxore, a. 535. n. 24. a. 538. n. 10. cum coniuge ſua non habeat communem lectum & cellulam, a. 541. n. 21. extraneam mulierem ſecum non habeat, a. 535. n. 27. a. 538. n. 14. quibus conditionibus in Monaſterio ſuſcipiendus, a. 544. n. 75. an agenti voluntariam pœnitentiam baptizare liceat cum ſolemnitate in cauſa neceſſitatis, a. 511. n. 17.
Diniſius Ep. Turon. a. 522. n. 7. a. 523. n. 15.
Diogenes fit Ep. Atrebat. a. 551. n. 19.
Diſciplina legitima quid, a. 536. n. 77. a. 548. n. 51. non excedenda, *ibid.*
Diſpargum, a. 426. n. 3.
Diuinationes prohibitæ, a. 511. n. 35.
Dolenſe Monaſt. a. 529. n. 8.
Dolenſis Sedes an facta Metropol. a. 555. n. 22.
Domeſticus, quid, a. 496. n. 113.
Dominicus Abb. Maioris Monaſt. a. 508. n. 4.
Dominicus Ep. Atrebat. & Camerac. a. 538. n. 70. a. 551. n. 19.
Domitianus Ep. Andegauenſ. a. 557. n. 29.
Domitianus Ep. Traiectenſ. a. 535. n. 40. a. 549. n. 55. a. 550. n. 10.
Domnolus fit Ep. Cenoman. a. 545. n. 16. *& ſeqq.*
Domnus Ep. Vienn. a. 534. n. 7. a. 536. n. 257.
Domnus quid, a. 544. n. 78.
Donatus Anachor. a. 549. n. 67.
Droctoaldus ſeu Proctoaldus Ep. Autiſſiod. a. 531. n. 19. a. 532. n. 5.
Droctouæus fit Abb. S. Vincentii Pariſ. a. 561. n. 5.
Duellum in cauſis dubiis, a. 534. n. 36.
Dulciamina quid, a. 536. n. 196. quando addenda, a. 548. n. 86.
Duodenarius numerus myſticus, a. 536. n. 164.
Dux quid, a. 496. n. 113.

E

EBODICHVS, Edobeccus, Edobiacus R. Franc. a. 407.
Ebredunenſe Monaſt. a. 548. n. 96.
Ebrulfus naſcitur, a. 517. n. 2. diligitur à Reg. a. 559. n. 1.
Eccleſia, aſylus, a. 511. n. 6. 7. 8. a. 541. n. 25.
Eccleſiæ facultates qualiter diſpenſandæ, a.

511. n 10. non obnoxiæ sunt præscriptioni, *ibid.* n. 28. non petendæ sunt à Reg. a. 535. n. 16. non sunt retinendæ, *ibid.* n. 25. a. 538. n. 42. a. 541. n. 18. 23. 29. a. 549. n. 35. 38. a. 557. n. 12. 13. non sunt alienandæ, a. 538. n. 38. 49. a. 541. n. 13. 15. 22. 23. 38. 40. sunt in potestate Episcopi, a. 538. n. 15.

Ecclesiæ supellex sacra non vsurpanda ad ornatum nuptiarum, a. 535. n. 19.

Edibius Ep. Ambian. a. 511. n. 44.

Edibius Ep. Lutcuens. interest Concil. III. Paris. a. 557. n. 35.

Elaphius Ep. Pictauiens. a. 535. n. 41.

Elauer, Alar, & Aler, fl. a. 525. n. 18.

Eleutherius Ep. Autissiod. a. 532. n. 5. a. 533. n. 35. a. 538. n. 66. a. 541. n. 46. a. 549. n. 51. a. 561. n. 2.

Eleutherius nascitur, a. 456. n. 6. eruditur cum Medardo, *ibid.* n. 7. pellitur Tornaco, a. 486. n. 1. fit Ep. a. 487. n. 2. Suscitat à mortuis & baptizat filiam Censorini Tribun. a. 488. n. 2. incarceratur & diuinitus liberatur, a. 492. n. 4. reuocatur Tornacum a. 496. n. 155. Baptizat 11000. Tornac. a. 497. n. 9. claret miraculis, a. 498. n. 26. sepelit suos parentes, *ibid.* n. 27. colloquitur cum Clodoueo R. a. 499. n. 4. it Romam, a. 500. n. 2 a. 512. n. 5. a. 518. n. 13. Româ defert reliquias, a. 518. n. 13. triumphat de hæreticis, a. 500. n. 2. aduersùs eos cogit Synodum, a. 527. n. 8. ab iis vulneratus moritur, a. 532. n. 8. 9.

Elloro, Elarona, a. 508. n. 15.

Elusa quando diruta, a. 508. n. 8.

Elusanus Ep. Metropolit. eiusque suffraganei, a. 508. n. 8.

Emanus ex Italia venit Augustod. a. 542. n. 29. it Carnotum, a. 545. n. 15. fit Presb. a. 547. n. 8 occiditur à latronib. *ibid.*

Emeterius Ep. Massil. a. 554. n. 17.

Emeterius Ep. Regens. a. 554. n. 18.

Emunitas regia, a. 496. n. 151.

Enixionense siue Hensionense Monast. vnde dictum, a. 108. n. 21.

Ennodius Presb. Gabalit. a. 535. n. 33.

Eparchius Reclusus, a. 542. n. 1.

Epiphania. Illius Solemnitatis Officium nocturnum, a. 536. n. 174.

Epiphanius Ep. Namnet. a 502. n. 5 a. 511. n. 39.

Episcopatus non votis sed meritis quærendus, a. 535. n. 13.

Episcopus quomodò eligendus & ordinandus, a. 549. n. 32. 33. a. 557. n. 19. qua ætate, a. 538. n. 16. 19. ex laico absque anni conuersione præmissa non ordinetur, a 549. n. 31. viuenti non superordinetur, *ibid.* n. 34 vbi consecrandus, a. 542. n. 9. pauperes & infirmos tueatur, a 511. n. 21. in sua potestate habeat omnes Basilicas in suo territorio sitas, *ibid.* n. 22. die Dominico ab Ecclesia non absit, *ibid.* n 36. non detrectet venire ad Concil. & ad ordinationem Compronincialis Ep. a. 533. n. 9. a. 549. n. 40. & ad sepeliendum Episcopum, a 533. n. 13. sepulto Episcopo describam Ecclesiæ domum relinquat, *ibid.* n. 14. extraneam mulierem secum non habeat, a. 525. n. 27. a. 538. n. 14. neminem excommunicet pro leuibus causis, a. 549. n. 24. non occupet res alienas, a. 557. n. 14. alterius Episcopi parochiam non inuadat, a. 535. n. 21. alienum Clericum ne suscipiat aut promoueat, *ibid.* n. 22. a. 538. n. 41. a. 549. n. 27. 30 a. 554. n. 15. de ordinationib. nihil accipiat, a. 533. n. 11. quomodò arguendus, si res Ecclesiæ non benè dispensat, a. 511. n. 10 quomodò puniendus, si bigamum ordinauit Diaconum aut Presbyterum, a 541 n. 14. Si litem cum alio Ep. componere distulerit, *ibid.* n. 16 pro illicitis ordinationibus, a. 538. n. 16. 24. decessoris sui voluntatem audire aut reiicere potest, a 541. n. 39. quibus conditionib. in Monast suscipiendus, a 544. n. 75.

Eptadius Presb. Augustod. recusat Episcopat. Autissiod. a. 500. n 2. a. 525. n. 4.

Era Hispaniens explicatur, a. 468. n. 3. & *seqq.*

Eraclius Ep. Senon. a. 494. n. 3. eius gesta & ob. a. 507. n. 14.

Erneus Anachor. a 532. n. 16. a. 560. n. 2.

Esychius Ep. Vienn. a 549. n. 61 69. a 551. n. 7. 15.

Euanthius Ep. Gabalit. Veranum adscribit in numerum Clericor. a 540. n. 2. interest Concil. IV. Aurelian. a 541. n. 30.

Euaonensis vicus, a 512. n. 6.

Eucharius fit Ep Traiect. a. 512 n. 4.

Eucherius Ep. Traiect ob. a. 495. n. 3.

Euergisius Ep. Agrippin. a. 439.

Eufrasius Ep. Aruern. a. 508. n. 6. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 40. suscipit Quintianum Ep. Ruten. pulsum à Wisigoth. a. 512 n. 1. ob. a. 515. n. 4.

Eufratas Ep. Agrippin. a. 455. n. 14.

Eufronius Ep. Augustod quando sedit, a. 500 n. 4.

Eufronius Ep. Turon a 556. n. 2. a. 557. n. 27.

Eulalius Ep. Niuern a. 506. n. 3.

Eulogia quid, a 530. n. 6.

Eumachius Ep. Viuarien. a. 535. n 41.

Eumerius siue Euemerus Ep. Namnet. a 511. n. 20. a. 532. n. 6. a. 533. n. 34. a. 538. n. 65. a. 541. n. 45. a. 550. n. 4.

Euosius Ep Vellauens. sedem transtulit Anicium, a. 508. n. 6.

Eupardus Ep. Augustod. quando sedit, a. 560 n. 5.

Eusebius Ep. Antipolit. a. 549. n. 63. a. 554. n. 18.

Eusebius Ep. Aptens. a. 546. n. 6.

Eusebius fit Ep. Aurelian a. 498. dicat Ecclesiam Miciacensem, a. 499. n. 3. ordinat Presbyteros Maximinum, *ibid.* Auitum & Carilephum, a. 517. n. 6. sepelit S Eus-

picium, a. 501. n. 5 S. Laurianum M a. 518. n 15. Maximinum Abb. Miciac. a. 520. n. 17. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 43.
Euſebius ſit Ep. Pariſ. a. 551. n. 9. Clodoaldum ordinat Preſb. *ibid.* n. 11. ob. a. 555. n. 17.
Euſebius Ep. Sanctон. a. 532. n. 7. a. 533. n. 37. a. 541. n. 51. a. 549. n. 57.
Euſitius Presb. Eremit. ad Carum fl. a. 508. n. 33. conſulitur à Childeberto R. a. 531. n. 2. *& ſeqq.* Abbas, *ibid.* n. 5.
Euſpicius Presb. placat Clodoueum R. recuſat Virodun. Epiſcopat. condit Monaſt. Miciac. 498. n 2 ob. a. 501. n. 5.
Euſtadius Abb. S. Benigni, a. 534. n. 29.
Euſtadius Presb. Magnimontenſ. a. 518. n. 5. 6.
Euſtochius Abb. Maioris Monaſt. coætaneus Gregorio Ep. Turon. a. 508. n. 4.
Euſtochius Ep. Andegauenſ. a. 511. n 39.
Euſtochius Ep. Turon. quando ſedit, a. 498. n. 6.
Euterius Ep. Antipol. a. 536. n. 11. a. 541. n 55.
Eutropius Ep. Andegauenſ. creatur, a. 550. n. 3.
Eutropius Ep. Moguntinus, a. 455. n. 15. ob. a. 474.
Eutyches damnatur, a. 549 n. 23.
Expectatus Ep. Foroiul. a. 549. n. 63. a. 551. n. 7. a. 554. n. 18.

F

FALCO ſit Ep. Traiect. a. 495. n. 3. Iuriſdictionem in Moſomagenſi Eccleſia aduersùs iura Eccleſiæ Remenſ. vſurpat, *ibid.* n. 4. ob. a. 512. n. 4.
Faramundus R. Francor. a. 417. eius ditiones, genus, *ibid.* diripit Treuirim, a. 418. n. 2. ob. 426. n. 3.
Farettus Abb. Ixij Monaſt. a. 531. n. 3.
Faterius Abb Princiaci, a. 508. n. 34.
Fauſtinus ſit Ep. Nouiom. & Tornac. a 545. n. 13.
Fauſtus Ep. Regenſ. a. 549. n. 63.
Fauſtus Ep. Tarbenſ a. 508. n. 16.
Febediolus Ep. Redonenſ. a. 549. n. 50.
Felix Ep. Nannetenſ. a. 550. n. 4. a. 557. n. 28.
Ferreolus Præfectus Prætorio Galliarum, a. 451. n. 4. laus trium Ferreolorum, *ibid.* n. 5. *& ſeqq.*
Ferreolus III. non fuit gener Clodouei R. a. 508. n. 47. ſuſcepit octo liberos, *ibid.* n. 48. a. 523. n. 12. *& ſeqq.*
Ferreolus Ansberti fil. naſcitur, a. 521. n. 3. it Vcetiam, a. 528. n. 4. ſit Ep. Vcetienſ. a. 553. n. 2. exulat, a. 555. n. 17. redit, a. 558. n. 6. pellit Iudæos, *ibid.* condit Monaſt. *ibid.* n. 7. ſcribit Regulam Monachor. *ibid.* n. 8. *& ſeqq.*
Ferrocinctus Ep. Ebroic. a. 557. n 27.
Feſtui dies, qui, a. 536. n. 177.
Feſtiuitates maiores non ſunt à ciuibus celebrandæ in villis, a 511. n 25. a. 535. n. 26. a. 541. n. 7.
Fibicius Abb. S. Maximini ſit Ep Treuir. a. 498. n. 5.
Fidolus Cleric Aruern. abducitur captiuus & redimitur ab Auentino Abb. a. 525. n. 10. ſit Abb. a. 534. n. 42.
Firminus naſcitur, a. 516. n. 5. it Vcetiam, a. 528. n. 4. ſit Presb. a. 536. n. 256. ſit Ep. Vcetienſ. a. 537. n. 5. interest Concil. IV. Aurelian. a. 541. n. 49. V. a. 549. n. 62. Pariſ. II. a. 551. n. 7. ob. a. 553. n. 2.
Firminus Ep. Virodun. a. 486. n. 7. a. 498. n. 2.
Firminus Ep. Viuarienſ. a. 535. n 41.
Flandriæ antiqui limites, a. 456. n. 7.
Flauiana vallis, a. 531. n. 16.
Flauichonus Ep. Auguſtod. quando ſedit, a. 500. n. 4.
Flauius Ep. Carnot. a. 483. a. 497. n. 10.
Flauius Ep. Remenſ. a. 535. n. 6. 35.
Flauius ſit Ep. Rotomag. a. 529. n. 2. interest Concil. II. Aurelian. a. 533. n. 33. III. a. 538. n. 64. IV. a. 541. n. 44. curat ædificari Monaſt. SS. Petri & Pauli, a. 533. n. 45. ob. a. 544. n. 92.
Flauius prænomen RR. wiſigoth. a. 531. n. 16.
Florendus ſeu Florendinus Ep. Catalaun. a. 486. n. 14.
Florentinus ſit Abb. Arelate, a. 548. n. 10. ob. a. 553. n. 4.
S. Flori Epiſcopatus diſtractus ab Aruern. a. 508 n. 6.
Florus dat S. Mauro Glannafolium, a. 543. n. 13. ſit Monach. a. 547. n. 3. ob. a. 559. n. 13.
Fœmina non ingrediatur in Monaſt. virorum, a. 536. n. 219. a. 549. n. 25. a. 558. n. 12. cum Clerico deprehenſa, quomodò puniенda, a. 541. n. 33.
Fœminæ non ſuccedunt in regn. Franc. a. 558. n. 68.
Formaria, a. 536. n. 86.
Formarius, a. 536. n. 86. a. 558. n. 25.
Fortunatus ſcripſit vitam S. Medardi, a. 456. n. 7.
Fraganus ſit Ep. Coriſopitenſ. a. 537. n. 6.
Frambaldus Monach. a. 532. n. 16. ob. a 542. n. 13.
Franci. Prima eorum mentio, p. 14. Mores, comæ, veſtes, lingua, a. 539. n. 7. *& ſeqq.* populi Germaniæ, p. 21. vocantur Germani, a. 509. n. 1. Tarraconem expugnant, a. 265. conturbant varias prouincias Impetij, a. 280. vincuntur à Conſtantino Imp a. 306. à Iuliano Cæſ. a. 358 amiciriam colunt cum Romanis, a. 359. vincunt Maximum, a 381. an tempora per Conſules notarint, a. 511. n. 3. Terrori ſunt Romanis & Oſtrogothis, a. 535. n. 1. fiunt fœderati Oſtrogothorum, a. 537. n. 7. ſpernunt Totilam, a. 548. n 2. cudunt aureos nummos, *ibid.* n. 3.
Francorum Reges rariùs dicti Reges Franciæ, a. 558 n. 77. an dicendi Reges Galliarum, *ibid.* n. 78.

Francorum Regum catalogus quomodò edendus, a. 558. n. 71. *& seqq.*
Francia quadripertita, a. 511 n. 56.
Francilio Ep. Turon. a. 527. n. 2. a. 529. n 10.
Freda quid, a. 496. n. 152.
Fredegarius interpolatus, a 446. n 2.
Friardus Eremit a. 560. n. 4.
Fridolinus Abb. S. Hilarij, a. 508. n. 20. 39. *& seqq.* eius peregrinationes, Monasteria, scripta, æras, a. 509. n. 5. *& seqq.*
Fronimius Ep. Metens. a. 489. a. 497. n. 11.
Fronto Monach. a. 532. n. 16.
Functiones quid, a. 496 n. 152.
Fundilius Abb. Maioris Monast a. 508. n. 4.
Fur, qui confugit ad Ecclesiam, quomodò tractandus, a. 511. n. 6.

G

GABALVM vbi situm, a. 508. n. 6.
Galactorius Ep. de Benarno, a. 508. n. 8. Martyr. *ibid.* n. 14.
Galbertus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Galliarum variæ diuisiones, a. 508. n. 52. *& seqq.*
Gallicanus Ep. Ebredun a 536. n. 13 17. a. 541. n. 54. a. 549. n. 60.
Gallus fit Clericus, a. 509. n. 11. charus est Theodorico R. a. 515. n. 5. fanum comburit, *ibid.* fit Ep. Aruern. a. 527. n. 4 a. 528. n. 2. interest Concil. I. Aruern a. 535. n. 31. Aurelian. IV. a. 541. n. 50. V. a. 549. n. 56. mittit ad II. Aurelian. a. 533. n. 36. ad III. a 538. n. 67. odit Simoniam, a. 535. n. 31. liberat Aruernos à lue inguinaria, a. 546. n. 1. ob a. 554. n. 3.
Gallus Monach. a. 525. n. 20. a. 532. n 16.
Gallus Valentin Ep. a. 534. n. 9. a. 541. n. 61.
Gamardus frater Ansberti, a. 532. n. 14.
Gasindium & Gasindus, quid, a. 496. n. 152.
Gaudus Ep. Ebroic. a. 502. n. 4.
Genaua ceditur Francis, a. 536. n. 2. 8.
Genebaldus ex vxorato fit primus Ep. Laudun. a. 497. n. 6. vxori miscetur anteà dimissæ, a. 508. n. 73. a. 509. n. 10. agit pœnitentiam, *ibid.* reconciliatur, a. 516 n. 7. mittit ad Concil V. Aurelian a. 549. n. 54.
Generosus Abb. Enixion. a. 502. n. 6. a. 508. n. 21.
Genoliacum Monast. a. 542. n 2.
Genouefa, a. 481. n. 13. ob. 503. n. 5. Ecclesia S. Genouefæ, olim SS Apostolorum, a. 508. n. 38. celebre Monast. virorum, a. 537. n. 2.
Germania I. sub Burgundionibus, Romanis, Francis, a 455. n. 1. eius Ciuitates, *ibid.* Metropolis, *ibid.* n. 15. Episcopatus, a. 536. n. 5.
Germania II. a. 536. n. 5.
Germanus Hybernus, a. 506. n. 8. 9 12.
Germanus quâ ætate factus Diaconus & Presb. a. 533. n 47. Abb S. Symphoriani, a. 548. n 5 fit Ep Paris. a. 555. n. 18. interest Concil. III. Paris. a. 557. n. 26. & ordinationi Siagrij Ep. Augustod. a. 560. n. 5. it Pictauum a. 559. n. 26.
Germerius Ep. Tolosan. a. 509. n 4. a. 545. n. 2.
SS. Gerualij & Protasij Monast. a. 534. n 27.
Gibrianus eiúsque socij, a. 506. n. 8 *& seqq.*
Gildardus nascitur a. 456. n. 8 fit Presb. a. 488. n 3. Ep. Rotomag. a. 494. n. 4. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 38 ob. a. 529 n. 2.
Gildas condit Monast. in Armorica, a. 520. n. 6. inuehitur in Reges Britanniæ, a 530. n. 11.
Gimo Abb. Maioris Monast. a. 508 n. 4.
Giulfus Ep. Argentin. a. 455 n 14.
Glannafolienſe Monast conditur, a. 543. n. 13. dedicatur, a. 550. n. 3.
Glycerius Ep. Consoran. a. 508. n. 8. 16.
Goda soror Ansberti, a 523 n. 14.
Godo Abb Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Godomarus R. Burgund. a. 524. n. 1. a. 525. n. 4.
Goluenus, a 540. n. 1.
Gomerius, a. 520. n. 13.
Gonotigernus Ep. Siluanect a. 547 n. 6. a. 549. n. 54. a. 557. n. 31. a. 560. n 6.
Grafio quid, a. 496. n 113.
Gramatius Ep Vindoniss. a. 534 n 17. a. 535. n. 44. a. 541. n 47. a. 549. n. 52.
Grammatius Ep Metens. a. 497. n. 11. a 512 n. 8.
Gratianus Ep. Aquens. a. 508 n. 8.
Gratus Ep. Oloron. a 508. n. 8.
Gregorius Ep. Autissiod. a. 517. n. 3. a. 519. n. 41.
Gregorius Ep. Lingon. creatur, a. 506. n. 2. reuocat Lerino Ioannem Abb Reomaens. a. 507. n. 16. interest. Concil. I. Aruern. a. 535. n. 32. mittit ad III. Aurelian a. 538. n. 63. ob. a. 539. n. 2. sepelitur Diuione, *ibid.* n. 3.
Gregorius Ep. Sanctonens. a. 508. n. 7. a. 509. n 4.
Gregorius Turon. nascitur, a. 544. n. 100. sanatur insigni miraculo, a 551 n. 4. claret miraculis, a 553. n 3. ostenditur interpolatus, a. 417. n. 9 *& seqq.* a. 544. n. 101. a. 545. n. 9. 19. *& seqq.* a. 555. n. 13. *& seqq.*
Grinincensia Monasteria, a. 534. n. 26.
Guennaelus Ep. Lexobiens. a. 527. n. 5. a 531. n 21.
Guilermandus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Guipuscoæ antiqui ac noui limites, a. 508. n. 12.
Gundobadus R. Burgund. a. 491. n. 2 a. 493. n. 2. fauet Clodoueo contra Gothos, a. 507. n. 8. Narbonem capit diripitque, a. 508. n. 46. ob. a. 516. n. 4. approbat duellum in causis dubiis, a. 534. n. 36.
Guntchramnus, a. 522. n. 2.
Guntharius Abb. S. Venantij fit Ep. Turon. a. 552. n. 4 ob. a. 555. n. 12.

Guntharius fil. Clotarij R a. 522. n. 2. a. 533. n 2.
Guntharius R. Franc. a. 524 n. 1. a. 526. n. 4.
Guntheuga, a. 524. n. 1. 2.
Gurguidus cur dictus Tanguidus, a. 545. n. 8. fit Abb. Gerberens. *ibid.* condit Monast. S. Matthæi finis terræ, a. 555. n. 21.
Gurthonense Monast. a. 534. n. 31.
Gyrouagi Monachi, a 544. n. 4.

H

HAVDA interficitur à fratre, a. 545. n. 8.
Hebdomadarius, Coquus, a. 544 n. 50. Lector, *ibid.* n. 53.
Helanus, a. 506. n. 10.
Helena, vicus, a. 428.
Hemina quid. a. 544. n 55.
Heraclianus Ep. Tolos. a. 508. n. 13. a. 509. n. 4.
Heraclius Ep. Paris. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 43 altercatur cum Remigio Ep. Remens. a. 512. n. 2.
Heraclius Ep. Tricastin. a. 536. n. 10. a. 541. n. 49.
Hesperius seu Sperius Ep. Metens. a. 525. n. 2. a. 535. n. 42. a. 542. n. 14.
Hiaura, lacus, a. 525. n. 18
Hilariacum Monast. hodie S. Naboris, conditur, a. 509. n. 5. *& seqq.*
S. Hilarij translatio, a. 508. n. 41. Ecclesiæ dotatio supposititia, a. 511. n. 51.
Hilarius Ep. Dinien. a. 536. n. 13. a. 549. n. 60. 69. a. 554. n. 19.
Hilarius Ep. Gabalit. a. 535. n. 33.
Hildricus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Himerius malè confunditur cum Cameliano Ep. Trecens. a. 536. n. 259.
Hinnemodus, primus Abb. Agaun. a. 536. n. 198.
Hispalensis Primatus, a 508. n. 63.
Homicida, a. 541. n. 32. quomodò tractandus, si confugit ad Ecclesiam, a. 511. n. 6.
Homicidium à Burgund. quomodò punitum, a. 534. n 38.
Honoratus Abb. Lirinens. a. 507. n. 16.
Honoratus Ep. Ambian. a. 554. n. 22.
Honoratus Ep. Bitur. a. 527. n. 5. a. 533. n. 36. a. 535. n. 30. a. 536. n. 258.
Horæ Canonicæ septem, a. 536. n. 32. 172. nouem, a. 548. n. 62. diurnæ septem, a. 544. n. 31. vt agendæ à Monachis, qui laborant procul à Monasterio aut sunt in via, a. 544. n. 65.
Horæ distinguuntur, aliæ aliis insigniores, a. 536. n. 34.
Hortensius Com. Aruern. a. 525. n. 8.
Hortulanus Monasterii, a. 536. n. 211.
Hospitalitas commendatur Monachis, a. 496. n. 139 a 544. n. 68.
Humatus Episc. Bituric. a. 523. n. 16. a. 527. n. 7.
Humilitatis gradus, a. 536. n. 23. a. 544. n. 10. *& seqq.*
Hybernia dicta Iris & Ierne, a. 520. n. 7.
Hymnus, *Te Deum laudamus*, canitur in Laudibus, a. 536. n. 155. 158. 177. in Vigiliis, a 544. n. 26.

I

IANVARIÆ Kalendæ superstitionibus contaminatæ, a. 545. n. 13.
Iaouas, Ioauas, Iehonius & Iohenius, Monach. a. 529. n. 5. fit primus Abb Daougalens. a. 538. n. 74. abdicat se regimine Monast. aditque Paulum Ep. Leonens. a. 550. n. 13. fit Ep. Leonens. a. 553. n. 6. ob. a. 554. n. 2.
Idatii Chronicon & Fasti Consulares examinantur, a. 468. n. 1. 2.
Ieiunia cur dicuntur stationes, a. 536. n. 41. ieiunium quartæ & sextæ feriæ, a. 496. n. 148. sanctio de diebus ieiunii, a. 536. n. 160. 188. *& seqq.* a. 544. n. 56. a. 548. n. 89. *& seqq.* de numero ferculorum & potionum in illis diebus, a. 536. n. 161. 196. a. 548. n 84. *& seqq.* de ieiunio sextæ feriæ, a. 536. n. 173.
Iesses Ep. Spirens. interest Concil. Agrippin. a. 455. n. 14.
Ildemarus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.
Importunus Episc. interest Concil. Aurelian. II. a. 533. n. 38.
Incarcerati visitandi, a. 549. n. 42.
Incaustum & Encaustum quid, a. 536. n. 113.
Incendium Paris. a. 547. n. 7. Turon. a. 559. n. 1.
Incestæ coniunctiones prohibitæ, a. 535. n. 23. a. 541. n. 31.
Inculisma occupatur à Clodoueo muris sponte corruentibus, a. 508. n. 2.
Indictionis vsus incognitus Merouingis RR. a. 523. n. 2. eius antiquitas, *ibid.* vtilitas, *ibid.* n. 3. periodus, *ibid.* n. 4.
Indiculus quid, & eius formula, a. 549 n. 33.
Infirmaria, a. 536. n. 83.
Infirmarius, a. 536. n. 220.
Ingomeres fil. Clodouei R. ob. in albis, a. 495. n. 5.
Inguinaria lues, a. 546. n. 1.
Ingundis, vxor Clotarii R. a. 522. n. 2.
Iniuriosus fit Ep. Turon. a. 529. n. 10. interest Concil. II. Aurelian. a. 533. n. 34. IV. a. 541. n. 45. mittit ad III. a. 538. n. 65. ob. a. 546. n. 5.
Innocentius siue Innocens fit Ep. Cenoman. a. 531. n. 22 fauet Carilepho & aliis Monach. a. 532. n. 11. interest Concil II. Aurelian. a. 533. n. 34. IV. a. 541. n. 45. Monachos Casinates ad se mitti postulat, a. 542. n 5. 10. ob. a. 543. n. 5. *& seqq.*
Inuentio SS. Fusciani, Victorici & Gentiani, a. 555 n. 20. S. Vrsini Ep. Bituric. a. 557. n. 23.
Inundatio Paris. a. 547. n. 7.
Ioannes Abb. Reomaens. a. 486. n. 20. *& seqq.* præceptum obtinet à Clodouco R.

a. 496. n. 111. it Lerinum, a. 506. n. 2. redit Reomaum, a. 507. n. 6. an matrem tunc superstitem habuerit, *ibid.* n. 17. impudicæ mulieris illecebras fugit euitat, *ibid.* n. 18. Agrestium hominem laicum non admittit ad synaxim, a. 518. n. 3. claret miraculis, *ibid.* n. 9. sanat ægrotos missis eulogijs, a. 539. n. 12. ob. *ibid.* n. 18. vbi sepultus, *ibid.* n. 19. an Canonicus, an Monach. Benedict. *ibid.* n. 20.

Ioannes Ep. Lexobiens. a. 518. n. 2. a. 527. n. 6.

S. Ioannis Baptistæ Monast. a. 534. n. 27.

Ionas vitam S. Ioannis Reomaens. interpolauit, a. 507. n. 17. 18. a. 518. n. 8. *& seqq.*

Iudæus adolescens in fornace seruatur illæsus, a. 523. n. 16.

Iudæus non est præponendus Iudex Christianis, a. 535. n. 20. die Cænæ Domini sequentique triduo inter Christianos non procedat, a. 538. n. 56. quomodò plectendus, si in Christianum aut in Presbyterum manum miserit, a. 534. n. 35. si Christianum deceperit sub promissione libertatis a. 541. n. 35.

Iulalus Com. Britann. a. 529. n. 8. a. 533. n. 10.

Iudulus Abb. Teuenecens. a. 529. n. 5. Martyr, a. 558. n. 74.

Iulianus Ep. Carpentor. a. 536. n. 10.

Iulianus Ep. Tarbens. a. 541. n. 52.

Iulianus Ep. Vienn. a. 533. n. 39. a. 534. n. 7.

Iunianus Eremit. in agro Lemouic. sanat Ruricium dæmoniacum, a. 508. n. 25. ob. a. 535. n. 34.

Iunianus Eremit. in agro Pictauiens. a. 544. n. 99. condit Monast. *ibid.* accusatus sanctitatem suam miraculo probat, a. 559. n. 12. condit Mariacum Monast. *ibid.* vtrùm Benedictin. *ibid.*

Iurensia Monasteria, a. 534. n. 24.

Iustinianus Imp. vexat Vigilium PP. a. 550. n. 2. Francos sollicitat contra Gothos, *ibid.* n. 3.

Itium Monasterium, a. 537. n. 3.

K

KALENDÆ quid, a. 544. n. 63.

Kalense Monast. conditum à Clotilde R. a. 532. n. 2.

Kenanus fit Presb. a. 555. n. 6.

Kerfeúnteum Monast. a. 529. n. 8.

Kirenus, vide Weurocus.

L

LÆTVS Monach. in agro Bituric. a. 508. n. 35. fit Monac. Miciac. a. 517. n. 5. secedit in Secaloniam, a. 520. n. 17. degit in Logio sylua, a. 521. n. 1. ob. a. 533. n. 60. confunditur cum S. Dulcardo, *ibid.* n. 61.

Lanthildis seu Lanthechildis soror Clodouei R. resipiscens ab Arianismo, reconciliatur per chrismationem cum impositione manuum, a. 496. n. 81. *& seqq.*

Lapurdensis Episcopatus distractus ab Aquensi, quos habuit fines, a. 508. n. 11. 12.

Lapurdensis Vicecomitatus, a. 508. n. 10.

Lapurdum, a. 508. n. 8.

Lascius seu Lauscius Ep. Baioc. a. 557. n. 33.

Lascurris & Lascaria, vnde sic dicta, a. 508. n. 14.

Latinus Abb. Maioris Monast. a. 508. n. 4.

Latro nascitur, a. 508. n. 73.

Laudes matutinæ, a. 536. n. 35. quomodò celebrandæ, *ibid.* 146. 148. *& seqq.* 177. a. 544. n. 27. 28. a. 548. n. 68. 69. 72. 77.

Laudfridus Ep. Mogunt. a. 474.

Laudunensis Episcopat. erigitur, a. 497. n. 6.

Launomarus, a. 558. n. 79. 80.

S. Laurentij Monast. Paris. vbi situm, a. 547. n. 7.

Laurianus Ep. Hispal. Mart. a. 518. n. 14.

Lauthenus condit duo Monasteria in Diœcœsi Bisunt. a. 534. n. 28.

Lauto seu Launus Ep. Constant. it Andegauum, a. 530. n. 5. interest Concil. II. Aurelian. a. 533. n. 33. III. a. 538. n. 64. V. a. 549. n. 49. mittit ad IV. a. 541. n. 44.

Lectio quid, a. 536. n. 143.

Lectio commendatur Monachis, a. 496. n. 128. Monialib. a. 536. n. 185.

Lectionem imponere, quid, a. 544. n. 59.

Lectiones in Vigiliis dierum Dominicarum, a. 536. n. 147.

Lectisternia Monachorum, a. 544. n. 37. a. 548. n. 43.

Lector hebdomadarius ad mensam, a. 544. n. 53.

Lector vt eligendus pro Officio diuino, a. 544. n. 62.

Leo Abb. Mentuniacensis, a. 533. n. 57. an fuerit Benedictin. a. 535. n. 7.

Leo Ep. Senon. altercatur cum Remigio Ep. Remens. a. 512. n. 2. mittit ad Concil. II. Aurelian. a. 533. n. 35. interest III. a. 538. n. 66. erudit Melodunens. *ibid.* n. 71. scribit ad Childeb. R. ne Meloduni erigatur Sedes Episc. a. 541. n. 71.

Leo Ep. Turon. creatur ex Abbate S. Martini, a. 526. n. 5. ob. a. 527. n. 2.

Leobatus Abb. a. 508. n. 31.

Leobinus adolescit in agro Pictauiens. a. 508. n. 18. fit Monach. a. 512. n. 7. adit Autrum in Secalonia, a. 520. n. 18. in pago Pectens. a. 526. n. 7. Lupum Abb. Barbarens. in Burgund. a. 521. n. 2. Cæsarium Ep. Arelat. a. 538. n. 56. secedit in locum cui nomen Carbonaria, a. 530. n. 3. fit Abb. Braiacens. a. 535. n. 46. Ep. Carnot. a. 544. n. 91. extinguit incendium Paris. a. 547. n. 7. interest Concil. V. Aurelian. a. 549. n. 51. Paris. II. a. 551. n. 7. ob. a. 556. n. 15.

Leonardus Anachor. in agro Cenoman. a. 541. n. 66. a. 557. n. 39. a. 559. n. 8.

Leonardus Anachor. in agro Lemouic. sanat Reginam, condit Nobiliacum Monast.

naſt a.549.n.19. an frater S.Liphardi,*ibid.* confunditur cũ altero Leonardo,*ib.*n.20.
Leonardus Ep. Ambian. a.441.
Leonenſis Epiſcopatus erigitur, a.529. n.4.
Leonianus ſeu Leunianus Abb. ſancti Petri Vienn. a.534. n.25.
Leonicus Ep. Gabalit. a.508. n.6.
Leonorius, a.520. n.14.
Leontianus Ep. Conſtant. a.502. n.4.6. a.511. n.38.
Leontius Ep. Aurelian. a.533. n.35.
Leontius Ep. Burdigal. a.541. n.58. *& ſeqq.*
Leontius Ep. Eluſan. a.511. n.42.
Leontius Ep. Lugdun. a.542. n.27.
Leontius meret in caſtris Childeberti R. a.531. n.17. fit Ep. Burdigal. & mittit ad Concil.V. Aurelian. a.549. n.57. intereſt Pariſ. II. a.551. n.7. III. a.557. n.25.
Leopardinus, a.508.n.28.Martyr,a.525.n.18.
Leproſi ſuſtentandi, a.549.n.43.
Lerin, vallis, a.508. n.12.
Lerinenſe Monaſt. cuius Diœceſeos, a.536. n.166. quando conditum & ſub qua Regula, *ibid.* n.170. laudatur, a.542. n.21.
Lerinenſes Abbates, a.536. n.169.
Lerinenſes Monachi abſtinebant à vino, a.536. n.196.
Leſſeca vallis, a.508. n.12.
Lethardus fit Ep. Siluanect. a.560. n.6.
Leuangius ſeu Liuanius Ep.Siluan.a.511.n.3.
Leucadius Ep. Baioc. a.538. n.64. a.541. n.44. a.549. n.49.
Leutharis Dux Francor. in Italia,a.553.n.13. ob.a.555. n.9.
Liberata, a.506. n.13.
Liberius Ep. Aquenſ. a.549. n.58. contendit de loco cum Ep. Lectorenſ. *ibid.* n.66.
Libra panis Benedictina, a.544. n.54.
Licinius condit Monaſter. in Andegauia,a.508. n.4. fit Abb. S.Venantii apud Turonos,*ibid.* fit Ep.Turon.a.507. n.10. ſuſcipit Clodoueum redeuntem è bello Goth. a.508. n.4. intereſt Concil. I. Aurelian. a.511. n.39. ob. a.520. n.2.
Licinius Ep. Ebroic. a.538. n.64.a.549.n.49.
Liphardus Abb. Magdun. a.549. n.18.
Litharedus Ep. Oximenſ. ſeu Sagienſ.a.502. n.4. a.511. n.38.
Loccenſe Monaſt. a.508. n.31.
Locus Kireci Monaſt. a.520. n.11.
Locuanus, a.520. n.12.
Lomberienſis Epiſc. diſtractus à Toloſano, a.508. n.13.
Leuolautrum caſtrum, a.515. n.7.
Lucenſis Epiſc. a.542. n.54.a.560. n.7.
Lucernarium quid, a.536. n.37. 172. quomodò celebrandum, a.548. n.67.75.
Lucionenſe Monaſt. a.508. n.22.
Lucionenſis Epiſcopatus diſtractus à Pictauienſi, a.508. n.7.
Lucretius Ep. Deenſis, a.534. n.9. intereſt Concil. IV. Aurelian. a.541. n.69. a.549. n.62. a.551. n.7.
Lugdunum Clauatum,a.533.n.51.Conuenarum,a.508. n.15.Seguſianorum,a.533. n.51.
Lupicinus Abb. Condatiſcenſ. & Lauconnenſ. a.534. n.24.
Lupicinus Ep. Ecoliſmenſ. a.508. n.7. a.511. n.41. a.533. n.37. a.541. n.51.
Lupus Abb. Barbarenſ. a.521. n.2. Ep. Lugdun. a.534. n.11. intereſt Concil.III. Aurelian. a.538. n.61.
Lupus Ep. Burgundus, a.522. n.8.
Lupus Ep. Catalaun. a.535. n.39.
Lupus Ep. Trecenſ. a.486. n.16.
Lupus Ep.Sueſſien. a.486. n.13. a.511.n.44. hæres S.Remigii, a.533. n.50.
Luteua capitur à Francis, a.533. n.3.

M

MAcarii tres, a.496. n.14. Regula S. Macarii, *ibid.* n.16. *& ſeqq.*
Machutes, a.529. n.7. venit in Armoricam, a.538. n.73. fit primus Ep. Aletenſ. a.541. n.72. ſepelit Aaronem Abb. *ibid.*
Machianus Ep.Venetenſ. a.553. n.10.
Maglorius, a.529. n.7. Abb. apud Kerfeunteum, *ibid.* n.9.
Magnus Ep. Cemelenſ. & Nicaenſ. a.536.n.13. a.549. n.60. a.554. n.19.
Mahelewa vidua, a.520. n.9.
Maius Monaſt. vbi ſitum & cur ita dictum, a.508. n.4.
Malleacenſis Ep. diſtractus à Pictauienſ. a.508. n.7. tranſlatus Rupellam, *ibid.*
S. Mammetis reliquiæ tranſlatæ Pictauium, a.555. n.24.
Manfredus Abb.Maioris Monaſt. a.508.n.4.
Manſiones quid, a.496. n.152.
Mappinius Ep. Remenſ. miſit ad Concil.V. Aurelian. a.549. n.54. Tullenſi intereſſe non potuit, a.550 n.14.
S. Marcelli Monaſt.Vienn. a.534. n.27.
Marcellus Ep. Auſcienſ. a.533. n.46.
Marcellus Ep.Vicoiul. a.508. n.8 a.533.n.38.
Marcomires R. Franc. a.389. capitur à Stilicone, a.396. pater Faramundi, a 417. n.7.
Marculfus, a.502. n.6. Preſb. & Concionator, a.520. n.20. condit varia Monaſt. a.538. n.75.76. adit Childeb. R. a.555. n.16. ob. a.556. n.18.
Marcus Ep Aurelian. intereſt Concil. Aurelian. IV. a.541 n 46. ordinat Emanum Presb.a.547 n.8.falsò accuſatur,a.549.n 15.
Marcus Ep.intereſt Conc.II.Aur.a.535 n.39.
Maria ſoror Ansberti, a.523. n.14.
Marianus Eremit. a.508. n.54. a.512. n.6.
Marius Abb. Bodanenſ. a.536. n.168. a.541. n.69. a.549. n.67.
Marſus Ep.Nannet. punitur ob ſpretam Eulogiam, a.530. n.5. ob. a.531. n.20.
S. Martini Monaſt. a.508. n.4.
S. Martini Monaſt. Vienn. a.534. n.27.
Martinus Abb. Maioris Monaſt. a.508.n.4.
Martinus Abb. Sedacianus, a.542. n.1.
Martinus Ep.Turon. quo anno & quo die mortuus, a.498. n.7. *& ſeqq.*
Martius Abb. Aruernæ vrbis, a.508. n.29.a.525. n.17.

Martyrarius quid, a. 533. n. 21. Apostolia dare non præsumat, *ibid.*
Matasuntha Regin. Ostrogoth. consobrina RR. Franc. a 537. n. 10.
Matrimonium accedente infirmitate non soluatur, a. 533. n. 19. ne quis ducat relictam fratris, aut sororem vxoris amissæ, a. 511. n 23. a. 535. n. 23. a. 538. n. 34. a. 557. n. 15. relictam patrui, aut auunculi, aut priuignam, a. 535. n. 23. a. 538. n. 34. a. 557. n. 15. nurum, materteram aut amitam, a. 557. n. 15. consobrinam aut sobrinam, a. 535. n. 23 a. 538. n. 34. filiam priuignæ, a. 557. n. 15. nouercam, a. 533. n. 18 a. 538. n. 34. a. 557. n. 15. ne quis filiam in vxorem ducat contra voluntatem parentum ipsius filiæ, a. 541. n. 26. a. 557. n 15. Christianus Iudæam non ducat, & Christiana Iudæo non nubat, a. 533. n. 27. a. 535. n. 17. a. 538. n. 39.
Matthæus Ep. Arausic. a. 551. n. 7. a. 554. n. 17.
Matutinum, quomodò celebrandum, a. 536. n. 24. *& seqq.* 143. 145. 147. 173. 174. 176. 180. *& seqq.* a. 544. n. 23. *& seqq.* 29. 33. a. 548 n. 67. 70. 71. 77 78. 80.
Maurus Casino venit in Franciam, a. 543. n. 2. *& seqq.* condit Mon. Glannaf. *ibid.* n 11. *& seqq.* sub Reg. S. Bened a 544 n. 2. *& seqq.* eius vita scripta à Fausto, interpolata & deprauata ab Odone, a. 542. n. 6. *& seqq.*
Mauruſio Ep. Ebroic. a. 502. n. 4. a. 511. n. 38.
Maxensius Abb. a. 507. n. 9. 11 a 508. n. 23.
Maximianus E. Treuir a. 486. n. 6 a. 498. n. 4.
S. Maximini Monast. in Diœcesi Aquens. quando conditum, a 536. n. 167.
Maximinus Ep. Treuir. ad eius tumulum puniuntur periuri, a 535. n 3.
Maximinus Miciacense Monast. condit cum Eusticio, a 498. n. 2. fit Presb. a. 499. n. 3. Abb. a. 501. n 5. ob a. 520 n. 17.
Maximinus Miciac. Abbas Iunior a. 549. n. 17
Maximus E. Aquens. M. a 536. n. 11. a. 541. n 55
Maximus Ep. Cadurc. a. 549. n. 56.
Maximus Ep. Genauens. a. 536. n. 14.
Medardus nascitur, eruditur cum Eleutherio, de quo multa prædicit, a. 456. n. 7. fit Presb. a 488. n 3. Ep. Viroman. a. 530. n. 14. transfert sedem Nouiomum, a. 531 n. 23 quo ex loco, *ibid.* n 24. *& seqq* fit etiam Ep. Tornac. a. 532. n. 10. ob. 545. n. 9. vbi sepultus, *ibid.* n. 10.
Mediolanum capitur à Francis & Ostrogoth. a. 538. n. 2.
Meditatio est lectio, a. 496. n. 130. a. 536. n. 206. 208.
Medoueus Ep. Meld. a. 547. n. 7. a. 549. n. 51. a. 551. n. 7.
Megetius E. interest Conc. II. Paris. a. 551. n. 7.
Melanius Ep. Redon. Consiliar. Clodouei R. a. 502. n. 5. interest Conc. I. Aurel. a. 511. n. 39. it Andegauũ, a. 530. n. 5. ob. *ib.* n. 7. *& seqq.*
Melanius E. Vidarien. siue Albens. a. 549. n. 62
Menate Monast. a. 508. n. 26.
Mensa Canonica quid, a. 536. n. 41. ad illam lectio præcipitur, *ibid.* n. 40.
Mentuniacense Monasta. 505. n. 2.
Meroliacense castrum, a. 525. n. 7.
Merouæus R. Franc. Clodioni patri succedit, a. 446. n. 2. vt fratri resistat sociat se Attilæ, deinde Romanis aduersus Attilam, a. 450. n. 3. pugnat aduersùs Hunnos, a. 451. dilatat regnum suum per Germaniam I. & Belgicam II. a. 455. n. 9. ob. a. 456. n. 2.
Merus quid, a. 536. n. 161.
Metæ succenduntur ab Attila, a. 451. n. 2.
Metropolita quot annis Concilium cogat, a. 533. n. 10 a. 538. n. 9. a. 549. n. 45. quomodò ordinandus a. 533. n. 15. a. 538. n. 13.
Metropolitæ duplicis generis, a. 508. n. 55.
Miciacense Monast. conditur, a. 498 n. 2. abundat Sanctis, *ibid.* Ecclesia dedicatur, a. 499. n. 3.
Malchardus Ep. Sagiens. a. 557. n. 39.
Mimate vicus, a. 508. n. 6.
Minausius Abb. Condatescens. a. 534. n. 24.
Mineruius, Minerinus, Mineruinus Episc. Auscien. a. 533 n. 46.
Mirapicensis Episcopatus distractus à Tolosano, a. 508. n. 13.
Missa audienda integra, a. 511. n. 31. a. 538. n. 55. a. 542 n. 20. in præcipuis festiuitatib. quâ horâ dicenda, a. 538. n. 40. Missæ matutinæ & Vespertinæ, a. 538. n. 55. Missa varias habet significationes, a. 536. n. 143.
Missus maior, nullus discurrens, quid, a. 496. n. 113.
Mixtum quid, a. 544. n. 53.
Modestus Ep. Siluanect. a. 481. n. 12.
Modestus Ep. Treuir a. 486. n. 6.
Modestus Ep. Venet. a. 502. n. 5. a. 511. n. 39.
Mogoera Monast. a. 520. n. 9.
Molomiense Monast. a. 496. n. 154.
Monachi suum ordinem seruent in Congregatione à tempore conuersionis, a. 544. n. 78. mutuo se honore prosequantur, *ibid.* suscipiendi quomodò probandi, a. 496. n. 142. a. 536. n. 200. abrenuntiant opib. 496. n. 143. a. 536 n 124 peregrini, a. 544. n. 76. transfugæ, a. 496. n. 147. volentes abire quomodò tractàndi, a. 496. n. 144.
Monachorum varia genera, a. 518. n. 7. a. 544. n. 3. a. 548. n. 16. Vestes, calceamenta, stramenta lectorum, a. 544. n. 70. a. 548. n. 36. 37. 53. a. 558. n. 22. 39. *& seqq.*
Monachus non accedat ad Regem sine commendatitiis literis sui Episcopi, a. 511. n 12. quomodò tractandus apostata, qui susceptâ pœnitentiâ redit ad secularia, *ibid.* n. 16. quomodò plectendus, si vxorem duxerit, *ibid.* n. 26. si tardè veniat ad Officium diuinum, a. 536. n 134. 204. a. 544. n. 58. a. 548. n. 40. si Vigiliis & Laudibus non interfuerit, a. 558. n. 21. Abbati subsit, a. 511. n. 24. a. 536. n. 222. a. 558. n. 10. Vagus vocetur cum auxilio Ep. a. 511. n. 24. a. 558. n. 28. non vtatur orario vel tzangis, a. 511. n. 25. cellulam sine permissu sibi non constituat, a. 511. n 27. a. 536. n. 201. a. 558. n. 24. nihil cibi potúsue gu-

ſtet extra menſam communem, a. 536. n. 41. aut foris, a. 544. n. 66. a. 548. n. 19 60. Non colloquatur cum Monacho excommunicato, a. 536. n. 42. a. 544. n. 41. a. 458. n. 46. non dormiat poſt Laudes matutinas, a. 548. n. 38. aut ad Vigilias, *ibid.* n. 39. taceat ad menſam, a. 536. n. 132. 207. a. 548. n. 57. a. 558. n. 37. non fiat patrinus, a. 536. n. 133. 202. a. 548. n. 30. a. 558. n. 23. arguenti non reſpondeat, a. 536. n. 134. 204. a. 548. n. 48. abſtineat à litibus, a. 536. n. 135. a. 548. n. 49. a. 558. n. 11. à iocis, a. 536. n. 211. à conuicio, maledicto, iuramento, riſu, turpiloquio, a. 558. n. 30. *& ſeqq.* à ſecretioribus colloquus, a. 548. n. 45. nihil occultè accipiat aut det, a. 536. n. 138. 218. a. 544. n. 69. a. 548. n. 17. 18. iter non faciat ſine comite, a. 536. n. 201. quæ foris agi viderit non referat, *ibid.* n. 201. nihil faciat ſine licentia ſuperioris, *ibid.* n. 203. ne pomum quidem attingat ſine permiſſione, a. 558. n. 43. ſolus cum mulieribus non loquatur, a. 536. n. 203. a. 558. n. 12. à quibus abſtinere debet cùm pſallitur, a. 536. n. 137. 205. non introeat cellulam alterius, aut locum vbi artifices operantur, *ibid.* n. 206. vacet operi quotidiano, *ibid.* n. 208. a. 544. n. 63. a. 548. n. 33. 34. a. 558. n. 36. cuilibet miniſterio per ordinem, a. 548. n. 31. nihil agat cum murmuratione & ad parentes frequenter non eat, a. 536. n. 211. conuiuio nuptiali non interſit, *ibid.* n. 212. nihil habeat proprium, *ibid.* n. 213. a. 544. n. 48. a. 548. n. 15. 16. 35. a. 558. n. 18. inuenta non celet, a. 536. n. 212. ſanus non veſcatur carnib. *ibid.* n. 163. a. 548. n. 59. infirmus vt ſubleuandus, a. 536. n. 215. a. 544. n. 51. a. 548. n. 61. ſit modeſtus in veſtibus & inceſſu, a. 536. n. 216. ſit caſtus & alienos defectus aperiat, *ibid.* n. 217. obediat Præpoſito, *ibid.* 222. ſenex & adoleſcentior in alimentis vt ſubleuandi, a. 544. n. 52. excommunicatus ſatisfaciat, *ibid.* n. 59. quid agere debeat dirigendus in viam & è via reuerſus, *ibid.* n. 82. quid, ſi iniunguntur impoſſibilia, *ibid.* 85. non præſumat alium defendere, *ibid.* n. 84. quomodo plectendus, ſi manus in fratrem iniecerit, a. 558. n. 29. non loquatur cum laicis ſine Præpoſito aut alio ſeniore, a. 548. n. 26. diſcat legere, *ibid.* n. 42. quibus diebus & quâ horâ communicare debeat, *ibid.* n. 80. ante communionem dicat orationem Dominicam & pſallendo communicet, *ibid.* legat paſſiones Martyrum & Sacras Scripturas, a. 558. n. 26. 27. legat vſque ad horam Tertiam, *ibid.* n. 34. ante Tertiam nec manducet nec bibat, *ibid.* n. 35. non venetur, *ibid.* n. 42. factus Presb. quibus gaudeat priuilegiis, a. 544. n. 77. factus Epiſcop. neminem abducat è Monaſt. a. 548. n. 54. mortuus vt ſepeliendus, *ibid.* n. 82.

Monaſteria ſubſint Ep. Diœceſano, a. 514. n. 10. 13.

Monaſteriorum mancipia quomodò manumittenda, a. 558. n. 44.

Monegundis, a. 545. n. 11.

Monialis non egrediatur è Monaſt. a. 536. n. 48. a. 548. n. 14. ancillam non habeat, a. 536. n. 53. non admittatur infantula, *ibid.* à quibus abſtinere debeat cùm pſallitur, *ibid.* n. 56. non fiat matrina, *ibid.* n. 57. a. 548. n. 30. ſi tardè veniat ad Officium diuinum aut ad opus quotidianum, quomodò puniendа, a. 536. n. 58. a. 548. n. 40. arguenti non reſpondeat, a. 536. n. 59. a. 548. n. 48. merum accipiat ſi coquit, a. 536. n. 60. cuilibet miniſterio vacet per ordinem, *ibid.* n. 61. a. 548. n. 31. ad Vigilias non dormiat, a. 536. n. 62. a. 548. n. 39. penſum quotidianum impleat, a. 536. n. 63. a. 548. n. 33. nihil habeat proprium, a. 536. n. 64. a. 548. n. 15. 20. 35. nihil agat cum murmuratione, a. 536. n. 65. taceat ad menſam, *ibid.* n. 66. a. 548. n. 57. diſcat legere, a. 536. n. 67. a. 548. n. 42. alienos defectus quomodò debeat aperire, a. 536. n. 75. literas & dona nec mittat nec accipiat inconſultâ Abbatiſſâ, a. 536. n. 75. 212. a. 548. n. 17. 18. vitet furta, iurgia, conuicia, a. 536. n. 77. 84. a. 548. n. 21. 49. colloquia & familiaritatem cum laicis, a. 536. n. 88. 108. 109. a. 548. n. 26. obediat Matri, Præpoſitæ, Primiceriæ & Formariæ, a. 536. n. 86. quibus veſtibus vti debeat, *ibid.* n. 96. *& ſeqq.* & 113. a. 548. n. 36. quomodò capillos religare, a. 536. n. 113. circa lectum ſuum non reponat quod manducare aut bibere poſſit, a. 548. n. 19. 60. ſana non veſcatur carnibus, a. 548. n. 59. infirma quomodò nutrienda, *ibid.* n. 61. quibus diebus & quâ horâ communicare debeat, *ibid.* n. 80. ante communionem dicat orationem Dominicam & pſallendo communicet, *ibid.* mortua quomodò ſepelienda, *ibid.* n. 62.

Monialium bona iuxta legem Burgund. a. 534. n. 34.

Monialium varia genera, a. 549. n. 41.

Mons Albanus, Epiſcopatus diſtractus à Cadurcino, a. 508. n. 13.

Morguethenus, Epiſc. Corentinopol. a. 502. n. 5. a. 515. n. 2.

Mortuorum cadauera non obnoluenda pallis ſacratis, a. 535. n. 14. 18. Vigiliæ apud mortuos, a. 536. n. 186. a. 548. n. 82.

Mundiburdium Regis, a. 496. n. 151.

N

S. Nabor is Monaſt. a. 509. n. 7.

Namatius Epiſc. Vienn. a. 551. n. 16. a. 558. n. 3.

Nannetæ obſidentur, a. 510. n. 6.

Narbonenſis Prouincia ſub poteſtate Wiſigoth. a. 524. n. 5.

Narbonenſis II. cedit ur Francis, a 536. n. 2. illius Prouinciæ Epiſcopi, *ibid.* ſubeſt Are-

lar. Episc. vt Metropolitæ primi ordinis, a. 554. n. 16.
Natale Domini in villa non est celebrandum, a. 511. n. 25. illius Solemnitatis Officium nocturnum, a. 536. n. 174.
Nectarius Ep. Augustod. it Mediolanum, a. 542. n 19. interest Concil. V. Aurelian. a. 549. n. 48.
Neophytæ in Monast. quomodò probandæ, a. 536. n. 50. 114. a. 548. n 13. quatuor earum genera, a. 536. n. 51. nihil proprium sibi reseruare debent, *ibid.* a. 548. n. 15. an ancillæ & libertæ suscipiendæ, *ibid.* n. 28.
Neophyti adulti quomodò in Monast. suscipiendi, a. 544 n. 73. a. 548 n 13. a. 558. n. 13. minorennes, a. 548. n. 55. impuberes, a. 544. n. 74. non suscipiendi infra annum ætatis decimum aut duodecimum, a. 548. n. 27 nec antequàm Psalterium memoriter teneant, a. 558. n. 9. an serui & liberti suscipiendi, a. 548. n. 28.
Neophyti non sunt ordinandi, a. 538 n. 16 18.
Nepus Ep. Abrincat. a. 502. n. 4. a. 511. n. 38.
Nestorius damnatur, a. 549 n. 23.
Nicetius I Ep. Auscienſ a. 533. n. 46.
Nicetius II Ep. Auscienſ a. 508. n. 8. a. 511. n. 42.
Nicetius fit Ep Treuir. a. 527. n. 5. claret miraculis a. 535. n 2. erudit Aredium, *ibid.* n. 4 interest Concil. Aruern. I. *ibid.* n 36. II. a. 549. n. 69. Aurelian. V. *ibid.* n. 53. Paris. II. a 551. n 7. liberat Treuirenſ à lue inguinaria, a. 546. n 1. excommunicat homines incestos, a. 550. n. 14.
Nicetius fit Presb. a. 543. n. 18. Ep. Lugdun. a. 551 n. 4. insignis castitate, a. 552 n. 2.
Nigellæ Monast. conditum, a 505. n. 3.
Ninus fl. a. 508. n. 12.
Nocturni, vide Matutinum.
Nona, hora Canonica, a. 536. n. 35 37. quomodò celebranda, *ibid.* n 175. a. 544. n. 32. 33. a. 548 n. 67. 74.
Nonnulus Ep. Siluanect. a. 519. n. 3. a. 547. n. 6.
Nonnus, quid, a. 544. n. 78.
Noualicense Monast a. 548. n 96.
Nouempopulaniæ nomen, populi, Ciuitates, Episcopatus, fines, a. 508. n. 8. *& seqq.* a. 551. n. 13.
Nouiacus, Monast a. 548. n. 96. distinguitur à Noualicienſi, *ibid.*
Nouiomenſis Ep. vnitur Tornacen, a 532. n. 10.
Numitius Ep. Bellouac. a. 481. n. 12.

O

OBEDIENTIA, a. 544. n. 86 a. 558. n. 9.
Oblatæ altaris ab Episcopis prouinciæ ad formam Arelatenſis Ecclesiæ offerantur, a 554. n 9.
Oblationes fidelium quomodò diuidendæ, a. 511. n 19. 20. interfectorum an recipiendæ, a. 533. n. 23. collatæ Basilicis in Ciuitatibus ad Episcopi potestatem rediguntur, a 538. n 15.
Oiarcunis fl a 508 n. 12.
Oliueria, a. 506. n. 13.
Oloro, Olero, a. 508. n. 15.
Olympius Abb. Condatescenſ. a. 542. n. 28.
Ommatius Ep. Turon. a. 523. n. 15. a. 526. n 5.
Onia Monast. a. 508. n. 31.
Opera licita aut illicita die Dominico, a. 538. n. 54.
Optatus Ep. Autisiod. a 529. n. 11. a. 531. n. 19.
Opus manuum commendatur Monachis, a 496 n. 124. 129. 149. a. 536. n. 38.
Oratium, quid, a. 511. n 25.
Oratio, a. 544. n. 55.
Oratorium Monast. quid ibi agendum, a. 536. n. 214. a. 544. n. 67.
Ordinationes illicitæ, a. 538. n. 16. *& seqq.*
Oria fl. a 508. n. 12.
Osletum, Osseranum Baptisterium, a. 497. n 3.
Ostiarius Monasterij, a. 544. n. 81.

P

PALLADIVS Ep. Tolon. a. 549. n. 62. a. 554. n. 17.
Pampilonenſis Episcopatus, a. 542. n. 34. a. 560 n. 7.
Pantagathus Ep. Vienn. a 536. n. 257. a. 538. n. 62.
Pappulus Ep. Genauenſ a. 549 n 61.
S Papuli Episcopatus distractus à Tolosano, a. 508. n. 13.
Parentum nomine quinam intelligendi, a. 544. n 74.
Parochiæ in domibus potentum, a. 541. n. 30. 37.
Parthenius occiditur, a. 548 n. 9.
Pascha in villa non est celebrandum, a. 511. n. 30 contentio de die quo celebrandum, a. 539. n. 15. celebrandum secundùm laterculum Victorij, a. 541. n. 5.
Pasius Ep Siluanect a. 513. n. 3. a. 519. n. 3.
Passiuus Ep. Sagienſ. a. 533. n 33. a. 538. n. 64. a. 541 n 44. a. 549. n. 49.
Paternus Monach a. 502. n. 5. fit Ep. Abrinc. a. 550 n 6. interest Concil. III. Paris. a. 557 n 30.
Patriciacus Monast. a. 508. n. 33.
Patricius Ep. Baioc. a. 502. n. 4.
Patroclus, a. 508. n. 32. fit Clericus ac Diaconus, a. 538. n. 72. eremita, a. 558. n. 5. condit Monast. *ibid.*
Paulianus Ep. Vellauenſ. a. 508 n. 6.
Paulus fit Ep. Senon. a 507. n. 14.
Paulus, a 520. n. 7. fit primus Ep. Leonenſ. a. 529. n. 4. conuertit Dynastam Faoui, a. 538. n. 74. condit Monast. Gerberense, a. 545. n. 78 abdicat Episcopatum, a. 553. n. 16. regit Monast. in Batha Insula, a. 554.

n. 2. iterùm Ep. Leonenſ. a. 555. n. 21.
Paxima, Paximatium & Paxamidium quid, a. 539. n. 12. a. 544. n. 54.
Peladius Ep. Ebredun. a. 556. n. 16.
Pelagius Papa mittit Pallium Sapaudo Ep. Arelat. a. 557. n. 3. Confeſſionem ſuæ fidei Childeberto R. Franc. *ibid.* n. 5. *& ſeqq.*
Penetale Monaſt. a. 529. n. 8.
Pentecoſte vocatur Quinquageſima, a. 511. n. 50. in villa non eſt celebranda, *ibid.*
Peregrini Monachi, a. 544. n. 76.
Peregrinus Abb. Maioris Monaſt. a. 508. n. 4.
Periuri puniti, a. 529. n. 10. a. 535. n. 3.
Perpetuus Ep. Abrinc. a. 533. n. 33. a. 538. n. 64. a. 541. n. 44.
Perpetuus Ep. Turon. quando ſedit, a. 498. n. 6.
Petitio quid, & eius formula, a. 544. n. 73.
S. Petri Monaſt. Vienn. a. 534. n. 25.
Petrus Ep. Sancton. a. 509. n. 4. a. 511. n. 41.
Philagrius Ep. Cabellic. a. 536. n. 10.
Philippus fit Ep. Vienn. a. 558. n. 4.
Piatus M. Tornac. a. 456. n. 6.
Pictauienſes Ep. dicti Ratiatenſes, a. 533. n. 41.
Pientius Ep. Pictauienſ. a. 559. n. 3.
Piſtor in Monaſt. a. 536. n. 209.
Placidina, a. 515. n. 4. a. 525. n. 5.
Placidina vxor Leontij, a. 531. n. 18.
Placidus Ep. Matiſc. a. 534. n. 12. a. 538. n. 63. a. 541. n. 43. a. 549. n. 48. a. 551. n. 7. 17.
Podium vnde dictum, a. 508. n. 6. Podienſis Ep. nullius eſt prouinciæ, *ibid.*
Pœnitentia, alia ſpiritalis, alia corporalis, a. 536. n. 41. pro vehementia conuerſionis temperatur, a. 538. n. 7.
Pœnitentia publica ſeu ſolennis, a. 538. n. 50. non eſt danda iuuenibus, nec coniugatis niſi ex mutuo conſenſu, *ibid.*
Pœnitentes publici non ſunt promouendi ad Ordines, a. 538. n. 16. 21.
Pœnitentes, qui reuertuntur ad ſecularia, quomodò plectendi, a. 511. n. 16. a. 538. n. 51.
Pontiniacus Monaſt. a. 508. n. 31.
Porcarius Ep. Auſcienſ. a. 533. n. 46.
Portianus Abb. a. 508. n. 28. ſedat iram Theodorici R. Franc. a. 525. n. 15.
Poſſenna, a. 506. n. 8. 12.
Poſſeſſor Ep. Conſtant. a. 520. n. 19.
Poſſeſſor Ep. Virodun. ob. a. 486. n. 7.
Poſticiaria & Poſticium, a. 536. n. 76.
Præceptum quid, & eius formula, a. 549. n. 33.
Præcordius, a. 506. n. 13.
Præpoſitus Monaſt. qualis eligendus, a. 544. n. 36. 80. a. 558. n. 25. quomodò plectendus ſi delinquit, a. 544. n. 80.
Præſcriptio locum non habet in terris Eccleſiæ, a. 511. n. 28.
Præſidius Ep. Conuenarum, a. 533. n. 38.
Præſidius Ep. Meldenſ. a. 486. n. 15.
Prætextatus Ep. Aptenſ. a. 536. n. 11. a. 541. n. 55.
Prætextatus Ep. Cabellic. a. 545. n. 5. a. 549. n. 62. a. 551. n. 7. a. 554. n. 17.
Prætextatus Ep. Rotomag. a. 544. n. 92. a. 557. n. 24.
Presbyter cum ſecularibus non habitet, a. 533. n. 17. Apoſtolia dare non præſumat, *ibid.* n. 21 abſtineat ab vxore, a. 535. n. 24. a. 538. n. 10. cum ea communem lectum & cellam non habeat, a. 541. n. 21. extraneam mulierem ſecum non habeat, a. 533. n. 27. a. 538. n. 10. quomodo plectendus, ſi capitale crimen commiſit, a. 511. n. 14. ſi vſuram & turpe lucrum exercet, a. 538. n. 53. quâ ætate ordinandus, a. 538. n. 16. 19. non ordinetur ſi literas aut baptizandi ordinem neſcit, a. 533. n. 24. quibus conditionibus in Monaſt. ſuſcipiendus, a. 544. n. 75. Diaconum vel Subdiaconum deponere non præſumat inſcio Epiſcopo, a. 554. n. 12.
Presbyteri olim conferebant tonſuram Clericalem, a. 518. n. 6.
Priamus R. Franc. auus Faramundi, a. 417. n. 17.
Prima, hora Canonica, a. 536. n. 34. 37. 172. quomodò celebranda, *ibid.* n. 178. a. 544. n. 32. 33. a. 548. n. 73.
Primatus quid, a. 508. n. 51. Primatis prærogatiuæ, *ibid.* n. 64. *& ſeqq.* a. 545. n. 3. Primatuum duo genera, a. 553. n. 59.
Primatus Arelatenſis, a. 508. n. 62. a. 545. n. 4. a. 546. n. 2. a. 557. n. 3.
Primatus Remenſis, a. 508. n. 57. a. 533. n. 59.
Primiceria, Primicerius, a. 536. n. 86.
Princiacus Monaſt. a. 508. n. 34.
Principius Ep. Cenoman. a. 494. a. 510. n. 4. a. 511. n. 59. a. 513. n. 2.
Principius Ep. Sueſſion. frater S. Remigij, a. 486. n. 13.
Priſci Mart. reliquiæ, a. 541. n. 70.
Priſcus, Pricius, Ep. Auſcienſ. a. 533. n. 46.
Probatius Ep. Pariſ. a. 533. n. 44.
Probatius Ep. Vcecienſ. a. 508. n. 13.
Probianus Presb. ab Arcadio Ep. Bitur. mittitur ad Concil. IV. Aurelian. a. 541. n. 50. fit Ep. Bitur. a. 550. n. 8. intereſt Concil. Pariſ. II. a. 551. n. 7. III. a. 557. n. 23.
Proculeianus I. Ep. Auſcienſ. quando ſedit, a. 533. n. 46.
Proculeianus II. Ep. Auſcienſ. a. 533. n. 38. 46. a. 541. n. 52. a. 549. n. 58.
Proculus Ep. Turon. a. 520. n. 2. a. 522. n. 7.
Proditor Ep. Catalaun. a. 486. n. 14.
Promiſſius Ep. Meld. a. 486. n. 15.
Promotus Ep. Viromand. a. 481. n. 12.
Promptia, a. 506. n. 8. 12.
Proſperi Chronologia examinatur, a. 433. duo Chronica titulo Proſperi vulgata non conueniunt inter ſe, a. 455. n. 7.
Protaſius Recluſus, a. 508. n. 28. cognoſcit abſentia, a. 525. n. 15.
Prouiderius Ep. Catalaun. a. 486. n. 14.
Prouiſor Monaſt. a. 536. n. 210. a. 548. n. 29.

Psalmi Alleluiatici, a. 536. n. 28. directaneus, *ibid* n. 146.
Psalmi quomodò cantandi, a. 536. n. 27. 29 vsque ad finem Psalterii in ordine decantandi singulis hebdomadis, a. 558. n. 20.
Psalmum imponere, quid, a. 544. n. 59.
Pseudopropheta in Diœcesi Traiect. a. 495. n. 5.
Pueri in Monast. à parentibus oblati, quo ritu, a. 544 n. 74.
Purgatorius ignis, a. 542. n. 19.

Q

QVADRAGESIMA, a. 511. n. 29. in Quadragesima Natales SS. non sunt celebrandi, a. 543 n. 7.
Quadragesimale ieiunium, a. 511. n. 29. a. 541. n. 6. a. 544 n. 64.
Quæstio de Trib. Capitulis, a. 549. n. 3. & *seqq*. a. 552. n. 5 6. a. 553 n. 1. a. 556. n. 8. & *seqq*.
Quinidius Archidiac. Vasiens. a. 554. n. 17. fit Ep. Vasiens. a. 556. n. 14.
Quinquagesima, a. 511. n. 29. sumitur pro festo Pentecostes, *ibid*. n. 30.
Quintianus Ep. Rutenic. a. 508. n. 6. 16. interest Concil. I. Aurelian. a. 511. n. 40. pulsus à Wisigoth. secedit in Aruerniam, a. 512. n. 2. fit Ep. Aruern. a. 515. n. 4. præsidio est Aruernis, a. 525. n. 6. & *seqq*. ob. 527. n. 3.
Quintillus Ep. Traiect. a. 465. n. 3.

R

RADAGISVS R. Franc. a. 306.
Radegundis abducitur captiua, a. 529. n. 3. nubit Clotario R. a. 538. n 78. fit Diacona, a. 544. n 94. condit Monast. Pictauii, *ibid*. n. 98. claret miraculis, a. 557. n. 25.
Radenetiacum Monast. a. 530. n. 15.
Radherius Ep. Moguntin. a. 474.
Radigeres R. Varnor. gener Clodouei, a. 511. n. 55.
Radigisselus Burgund. abducitur Tarnannam & redimitur ab Abb. Vltrensi. a. 523. n. 8. reducitur in patriam, a. 526. n. 6.
Ragenarius, Raganarius, Ragnacharius, a. 486. occiditur, a. 510 n. 4.
Raginfridus frater Ansberti, a. 523. n. 14.
Ragintrudis filia Theodob. R. Franc. a. 536. n. 254. a. 548. n. 2. 8.
Raptor, qui cum rapta confugit ad Ecclesiam, quomodò tractandus, a. 511. n. 7. raptores Virginum sacrarum, Pœnitentium & Viduarum, quomodò puniendi, a. 538. n. 42.
Ratiatenses Episcopi, a. 533. n. 41.
Recluſus apostolia dare non præsumat, a. 533 n. 21.
Redemptus fit Abb. Arelat. a. 553. n. 4.
Reges mutuò se fratres vocant, a. 507. n. 5.
Regestoria & Regestoraria Monacha, a. 536. n. 78.
Regestorius Monachus, a. 536. n. 221.
Regnomeres R. Cenoman. a. 502. n. 3. occiditur, a. 510. n. 4.
Regnum sumptum pro corona, a. 508. n. 72.
Regula Cæsarii, a 536. n. 22. & *seqq*. S. Cæsarij pro Monialib. *ibid*. n. 46. & *seqq*. alia pro viris, *ibid*. n. 124. & *seqq*. Lerinensis, *ibid*. n. 170. & *seqq*. Agaunensis seu Trnatensis, *ibid*. n 199. & *seqq*. Benedictina, a. 544. n. 3. & *seqq*. S. Aureliani pro viris, a 548. n. 12. & *seqq*. alia pro Monialib. *ibid*. S. Ferreoli, a. 558. n. 8. & *seqq*.
Remedius Ep. Vappinc. a. 536. n. 20.
Remensis Primatus, a. 508. n. 57. & *seqq*. a. 533. n. 59.
Remigius Ep. Augustod. a. 560. n. 7.
Remigius Ep. Remens. a. 486. n. 11 12. suscipit è lauacro & baptizat Clodoueum R. a. 496. n. 55. erigit Episcopatum Laudun. a. 497. n. 6. Eulogii rei læsæ Maiestatis vitam obtinet à Rege, a. 499. n. 2. Clodoueum mortuum absens cognoscit, a. 511. n. 52. in causa Claudii Presb. queritur de tribus Episcopis, a. 512. n. 2. vocatur Iubilæus per contemptum, *ibid*. habitâ Synodo Arianum conuertit, a. 519. n. 4. an scripserit Commentar. in epist. S. Pauli, a. 533. n 49. condit Testamentum, *ibid*. n. 50. ob. *ibid*. n. 48. sepelitur, *ibid*. & n. 54. eius propinqui & amici, *ibid*. n 55. Primatus, *ibid*. n. 59. ad eius sepulchrum currunt Remenses vt liberentur à lue inguinaria, a. 546. n. 1.
Remilia Eugenia condit Monast. inferius S. Andreæ Vienn. a. 558. n. 4.
Renatus Tungror. Ep. a. 418. n. 3.
Renuitæ Monachi, a. 544. n. 4.
Reomaense Monast. a. 486. n. 20. sub qua Regula, a. 496. n. 114. & *seqq*.
Resignatus Tungr. Ep. idem cum Renato, a. 418. n. 3.
Responsorium quid, a. 536. n. 143.
Rhodanus limes inter Ostrogothos & wisigothos, a. 526. n. 2.
Richomerus Anachor. a 541. n. 66. a. 559. n. 9.
Rigualdus Com. Britann. a. 529. n. 8.
Riocus Episc. Lexobiens. a. 502. n. 5. a. 515. n. 2.
Riuallonus Episc. Lexobiens. a. 515. n. 2. a. 518. n 2.
Riuensis Episcoparus distractus à Tolosano, a. 508. n. 13.
Rogationes ante Ascensionem celebrandæ, a. 511. n. 32. 33.
Romanum Imperium extinguitur, a. 476.
Romanus Abb. Condatescens. a. 534. n. 24.
Romanus Abb fontis Rogi, a. 543. n. 2. 15.
Romanus Abb. Mentuniacens. a. 505. n. 2. fit Ep. Remens. a. 533. n. 57. ob. a. 535. n. 6.
Romanus Ep. Autissiod. a. 561. n 2.
Romanus Episc. Metens. a. 486. n. 8. a. 489.

Romelia Abbatissa S. Andreæ Vienn a. 534. n. 25.
Roricius Ep. Bitur. a. 512. n. 6. a. 518. n. 15.
Roricius Episc. Vecciens. a. 528. n 4. a. 537. n. 4. 5.
Rubiacense Monast. a. 525. n. 17.
Rufus Ep. Octodor. a. 541. n. 53. a. 549. n. 59. 69.
Rupella nobilitata Episcopatu, a. 508. n. 7.
Ruricius Ep. Lemouic. a. 508 n. 6.
Ruricius liberatur à dæmone, a. 508. n. 24. fit Episc Lemouic. & interest Concil Aruern I. a 535. n 34. Aurelian IV. a. 541. n. 50 mittit ad V. a. 549. n. 56.
Rusticula nascitur, a 556. n. 17.
Rusticus Ep. Niuern. a. 534. n. 14. a. 538. n. 66 a. 541. n. 46.
Ruteni subacti à Francis, a 507. n. 22. redeunt in potestatem Wisigoth, a 512. n. 1. iterùm capiuntur à Francis & subduntur Bituric Metropol a 533. n. 3.
Ruthardus Ep. Moguntin. a. 474.
Rwellinus Monach. Tricorens. a. 520. n. 10. fit Ep. Lexobiens. a. 553. n. 9.

S

Sabavdvs Ep. Petragor. a. 542. n. 1.
Sabaudus Abb a 560 n. 4.
Sabinus Abb. Athanatens. a 534. n. 23.
Sabinus Ep. Albigens. a 508. n. 6.
Sacerdos Ep. Lugdun. a. 549. n 48. a 551. n. 4.
Sæculatius Ep. Decensis, a. 534. n. 9.
Sæua soror S. Tugdwali, a 520 n 9.
Saffaracus Episc. Paris. a. 547. n. 7. interest Concil. Aurelian. V. a. 549. n. 51. exauctoratur, a 551. n. 6.
Salgorum lacus, a. 525. n. 18.
Salfufur Burgund. abducitur Tatuannam & redimitur ab Abb. Vltrens. a. 523. n. 8. reducitur in patriam, a. 526. n. 6.
S. Saluatoris Monast. puellare Massil. a. 536. n. 43.
Saluius, Sorbinus Ep. Auscien. a. 533. n. 46.
Saluinus Ep Matiscon. a. 551 n. 17.
Salutaris Ep. Auenion. a 536 n 10.
Samson, a. 520. n. 7. tria condit Monast. a. 529 n. 8. Ep. Dolens. interest Concil. III. Paris. a. 557. n 36.
Sanctus Ep. Darantas. a 536. n. 11.
Sapaudus fit Ep. Arelat. a 550. n 12. interest Concil. II Paris a. 551 n. 7. Arelat. a. 554. n. 16. petit Pallium, a 556. n. 10. obtinet cum Vicariatu Sedis Apost. a. 557. n. 3. 4. alterius tamen Episcopi iudicium iubetur subire, a. 558. n. 2.
Sarabaitæ qui, a. 544. n. 4 cur dicti Renuitæ, *ibid.*
Sarlatensis Episcopatus distractus à Petrocorio, a. 508. n. 7.
Saualus Abb. Genoliacens. a. 542, n. 2
Saxones populi Germaniæ. p 21.
Scariberda seu Scariberga nubit, a. 503, n. 6. ob. a. 534 n. 41.
Scienfredus pseudo Ep. Cenoman. a. 543. n. 10.
Scubilio Monach a 502 n. 6.
Sebastius Ep. mittit ad Concil. II. Aurelian. a 533. n. 39.
Seckingense Monast. a. 509. n. 7. 8.
Secundellus Diacon. a. 560. n. 4.
Secundinus Anachor. a. 530. n. 13.
Secundinus Patritius ob spretam Ioannis Abb. Reomaens. epistolam punitur, a. 539. n. 13.
Sedacianum Monast. a 542 n. 1.
Segericus occiditur, a 522. n 1.
Segestrense Monast. a. 534. n. 30.
Semurium oppid. a. 486. n. 23.
Semus corpore non est promouendus ad ordines, a. 538. n. 22.
Senaparia Monast. a 508. n. 31.
Septimania quid, a. 531. n 13. dicta Hispania, *ibid.* n. 9.
Sequanus fit Monach Reomaens. a. 518. n 4. clericalem tonsuram accipit ab Eustadio Presb. *ibid.* n. 5. fit Diacon. *ibid.* n. 6. condit Monast. Segestrense, a. 534. n. 30. sub qua regula, *ibid.* claret miraculis post obitum, a 539. n. 24.
Serui Ecclesiæ & Sacerdotum, prædas & captiuitates non exerceant, a. 541. n. 27.
Serui non sunt promouendi ad ordines, a. 538. n. 52. a. 549. n. 28.
Seruus Christianus, quando Iudæo eius domino non reddendus, a. 538. n. 39. a 541. n. 34.
Seruus quomodò tractandus, si confugit ad Ecclesiam, a. 511. n 8. a. 541. n. 44 si ordinatur inscio domino, a 511. n. 13. si confugit ad Ecclesiam sub specie coniugii, a. 541. n 28. si manumissus in Ecclesia, a. 549 n 29.
Seuerinus, vocatur Parisios. sanat Eulalium Episc. Niuern. & Clodoueum R. a. 506. n. 3. cur dictus Abb. Agaun. *ibid.* n. 4. ob. a. 507 n. 13.
Seuerinus Abbas, Noricorum Apostolus, a. 496. n 6.
Seuerinus Ep. Agrippin M. a. 439.
Seuerinus Monach. apud Lutetiam, a. 526. n. 4.
Seuerus Ep. Abrinc. a 523. n 17.
Sexta, hora Canonica, a. 536. n. 35. 37 quomodò celebranda, *ibid.* n. 175 a. 544. n 32. 33. a 548. n 67. 74.
Sextilius Episc. Vasatens. a. 508. n. 8. a 511. n. 42.
Siagrius vide Syagrius.
Siffredus Ep. Carpentor. a. 536. n. 10. ædificat tres Ecclesias, *ibid.* n. 19.
Sigibertus nascitur, a. 535. n. 45.
Sigibertus R. Colon. a. 496. n. 4 necatur à filio, a 509. n. 2.
Sigismundus R. Burgund a 516. n. 4. Segericum fil. iubet occidi, a. 522. n. 2. captiuus in Franciam abducitur, a 523. n. 6 moritur, a. 524. n. 1. claret miraculis, *ibid.* n. 3.
Silentium commendatur Monachis, a 496. n. 134. 137. post Completorium, a. 544. n. 57.

Siluester fit Abb. Reomaenſ. a. 539. n. 22. diligitur à Regib. *ibid.* n. 23. a. 560. n. 1.
Simonia prohibita, a. 533. n. 4.
Simplicius Ep. Bitur. a. 508. n. 16.
Simplicius Ep. Senetenſ. a. 536. n. 13. a. 541. n. 54. a. 554 n. 19.
Sinidius Ep. intereſt Concil. II. Pariſ. a. 551. n. 7.
Siriualdus occiditur, a. 535. n. 43.
Sitiuenſe Monaſt. a. 519 n. 2.
Solennis Ep. Carnot. a. 497. n. 10. a. 509. n. 12.
Sophronius Ep. Veromand. a. 511. n. 44.
Sorus Anachor. a. 542. n. 2.
Sotia, a. 508. n. 15.
Sotiates, a. 508. n. 8.
Spartacum emptum à S. Remigio Ep. Remenſ. a. 499. n. 2.
Spinolaicus vicus, a. 508. n. 34.
Suauis Ep. Conuenar. a. 508. n. 8.
Sueſſiones dicti Saxones, 486. n. 2. a. 487. n. 3.
Sueui fiunt Catholici, a. 550. n. 15.
Sunno R. Franc. a. 389. moritur, a. 396.
Superius Ep. Auentic. a. 534. n. 18. a. 548. n. 96.
Supplicius Ep. Traiect. a. 465. n. 3.
Suſanna Abbatiſſa Remenſ. a. 533. n. 56.
Suſtraſius Ep. Cadurc. a. 533. n. 36. a. 538. n. 67. a. 541. n. 50.
Syagrius, fil. Ægidij, a. 464. n. 9. vincitur à Clodoueo, a. 486. n. 1. 2. eius diriones, *ibid.* n. 4.
Syagrius Ep. Auguſtod. a. 560. n. 5. an frater Brunichildis Reginæ, *ibid.*
Syagrius Ep. Bitur. a. 518. n. 15. a. 523. n. 16.
Syagrius Ep Gratianopol. a. 551. n. 7.
Sygualdus Com. Aruern. a. 525. n. 14. necatur, a. 533. n. 4.
Syluanus Abb. a. 508. n. 4.
Synpæcta, quid, a. 544. n. 42.

T

TACITVRNITAS, a. 544. n. 9. a. 558. n. 37.
Tadeeus Abb. M. a. 538. n. 74.
Talaſius Ep. Andegauenſ. a 481. n. 15.
Tanguidus, V. Gurguidus.
Tarba, Turba, Trauta, a. 508. n. 15.
Taruanna, a. 519. n. 2.
Tauricianus Ep. Niuern. a. 517. n. 4.
Tauriſiacus Monaſt. a. 508. n. 31.
Teias fit R. Oſtrogoth. a. 552. n. 8. ob. a. 553. n. 12.
Terentia Abbatiſſa, a. 512. n. 6.
Ternarius numerus myſticus, a. 536. n 164.
Tertia, hora Canonica, a. 536. n. 35. 37. quomodò celebranda, *ibid.* n. 175. a. 544. n. 32. 33. a. 548. n. 67. 74. 79. 80.
Tetradius ſeu Teridius, nepos S. Cæſarij, a. 536. n. 123. 164.
Tetradius Ep. Bitur. a. 508. n. 6. a. 511. n. 40.
Tetradius Ep. Veſuntienſ. a 511. n. 7.
Tetricus Ep. Lingon. a. 539. n. 5. a. 549. n. 48. a. 551. n. 7.
Teudechildis filia Clodouei R. a. 492. n. 3. a. 511. n. 55.
Theodatus R. Oſtrog. occiditur. a. 536. n. 1.
Theodemirus Abb. Miciacenſ. a. 549. n. 16.
Theodobaldus R. Franc. a. 524. n. 1. a. 526. n. 4.
Theodobaldus II. naſcitur, a. 536. n. 24. Theodoberto patri ſuccedit, a. 548. n. 8. ducit Wldetradam, a. 554 n. 7. ob. a. 555. n. 2.
Theodobaudus Ep. Lexouienſ. a. 538. n. 64. a. 541. n. 44. a. 549. n. 49.
Theodobertus Theodorici R. fil. vincit Danos, a. 516. n. 2. aggreditur Wiſigothos, a. 533. n. 2. capitur amore Deoteriæ, *ibid.* patri ſuccedit, a. 534. n. 2. patruos muneribus placat, *ibid.* n. 4. cum iiſdem patruis Burgundiam ſubactam diuidit, *ibid.* n. 5. matrimonio ſibi ſociat Deoteriam, *ibid.* n. 40. cur piiſſimus vocatur in Concil. Aruern. I. a. 535. n. 9. ducit Wiſigardem, a. 536. n. 254. ſubleuat pauperratem Virodunenſium, *ibid.* n. 255. conſulit Vigilium PP. de pœnitentia inceſto imponenda. a. 538. n. 3. *& ſeqq.* bellum gerit in Italia, a. 539. n. 6. Glannafol. Monaſt. adit, a. 547. n. 3. ob. a. 548. n. 5. eius laudes & liberi, *ibid.* n. 7. 8.
Theodoricus Abb. a. 553. n. 56.
Theodoricus fil. Clodouei R. a. 491. n. 3. ſubigit Rutenos, Cadurcos & Aruernos, a. 507. n. 12. loca maritima in territoriis Santonico & Burdigal. a. 508. n. 2. patri ſuccedit in partem regni, a. 511. n. 56. bellum gerit in Thoringia, a. 516. n. 3. fit gener Sigiſmundi R. Burgund. a. 522. n. 1. Aruernos rebelles domat. a. 525. n. 5. *& ſeqq.* fœdus init cum Childeberto, *ibid.* n. 9. leges Boiis condit, a. 526. n. 3. Regnum Clodomeris diuidit cum fratribus, n. 4. ſubigit Thoringiam, a. 530. n. 4. ſanatur ab Abb. Theodorico, a. 533. n. 56. ob. a. 534. n. 2. eius vxores & liberi, *ibid.* n. 3.
Theodoricus R. Oſtrogoth. ſcribit Clodoueo R. Franc. a. 496. n. 5. a. 507. n. 4. variis Reg. a. 507. n. 3. *& ſeqq.* ditiones ſuas auget cis Druentiam, a. 523. n. 7. ob. a. 526. n. 1.
Theodoricus R. Wiſigoth. occiſus in pugna Catalaun. a. 451. n. 3.
Theodorus Ep. Balandinienſis, a. 487. n. 1.
Theodorus Ep. Conſoran. mittit ad Concil. V. Aurelian. a. 549. n. 58. reperit reliquias S. Valerij primi Ep. Conſoran. *ibid.* n. 66.
Theodorus Ep. Turon. a. 520. n. 2. a. 522. n. 9.
Theodoſius Ep. Autiſſiod. eligitur. a. 507. n. 15. intereſt Concil. Aurelian I. a. 511. n. 43. altercatur cum Remigio Ep. Remenſ. a. 512. n. 2 ob. a. 516. n. 6.
Theodoſius Ep. Vaſienſ. a. 554. n. 17. 20.
Theodulfus Abb. a. 533. n. 56.
Thermæ, Palatium Regium Pariſiis, a. 508. n. 38.

Thoriſmundus Rex Wiſigothorum, a. 451. n. 6.
Tiernomagilus Ep. Leonenſ. a. 554. n. 2. a. 555 n. 21.
Tigrides Ep. Vappinc. a. 539. n. 11. 20.
Tirizianus Epiſc. Lexobienſis, a. 531. n. 21. a. 532. n. 1.
Toloſa capitur à Francis, a. 508. n. 2. ibi ſanguis è terra erumpit, a. 467. n. 2.
Tonſura Clericalis data ab Abb. & Preſb. a. 509. n. 11. a. 518. n. 6.
Toribius Preſb. a. 541. n. 48.
Tornacenſis Epiſcopatus vnitur Nouiomenſi, a. 532. n. 10.
Tornaco pelluntur Chriſtiani, a. 486.
Tornodorum venit in poteſtatem Clodouei R. a. 486. n. 20.
Totilas fit Rex Oſtrogothorum, a. 541. n. 73. it Caſinum, a. 542 n. 4. ob. a. 552. n. 7.
Traiectum duplex, a. 465. n. 3.
Tranquillus Abbas Agaunenſis, a. 536. n. 198.
Tranquillus Abbas Sancti Benigni, a. 534. n. 29.
Trechinorus ſeu Tremorus, a. 553 n. 11.
Treclatus ſeu Tranclatus Epiſc. Aurelian. a. 549. n. 15.
Trecoria Monaſt. a. 520. n. 9.
Tremerinus Epiſc. Corentinopol. a. 515. n. 2. a. 537. n. 6.
Treneſtina condit Monaſterium Virg. a. 541. n. 66.
Treſſanus, a. 506. n. 11.
Treuerius adit Monaſt. Sitiuenſ. a. 519. n. 2. it in Burgundiam, a. 526. n. 6.
Treuiri diruti ab Attila, a. 451. n. 2. capti à Francis, a. 411. a. 418. n. 2. a. 464. n. 3.
Trietius Abb. a. 508. n. 35. a. 533. n. 60.
Trifina, a 553. n. 11.
Troianus Epiſc. Santon. falsò dicitur adiiſſe Clodoueum Regem poſt bellum Wiſigothicum, a. 508. n. 17. conſulitur ab Ep. Nannet. a. 532. n. 6. ob. *ibid.* n. 7.
Tugdwalus ſeu Tugalus condit duo Monaſteria, a. 520. n. 9. fit Epiſc. Lexobienſ. a. 532. n. 1. an fuerit Rom. Pontifex, *ibid.* n. 2. *& ſeqq.* ob. a. 553. n. 7.
Tulbiacum, Tolbiacum, Talbiacum, Tulpiacum, a. 496. n. 4.
Tullenſe Concil. a. 550. n. 14.
Tungri peruaſi ab Attila, a. 451. n. 2. Sedes Epiſcopalis hinc tranſlata Traiectum ad Moſam. a. 450. n. 6.
Tuſueanus fit Abb. Daougloaenſ. a. 550. n. 13.
Tutelenſis Epiſcopatus quando diſtractus à Lemouicenſi, a. 508. n. 6.
Turones capti à Francis, a. 507. n. 10.
Tzanga quid, a. 511. n 25.

V

VAbrincensis Epiſcopatus diſtractus à Rutenic. a. 508. n. 6.
Valentinianus Diacon. a. 549. n. 68.
Valentinus Presb. a 535. n. 5.
Valerianus Ep. Antiſſiod. intereſt Concil. Agrippin. a. 455. n. 14.
Vandali ſumpti pro nationibus omnibus Borealibus, a. 508. n. 8.
Vaſatæ, a. 508. n. 15.
Vaſconiæ vbi ſitæ, a. 542. n. 33. ſubactæ à Francis, *ibid.*
Vaſtanenſis vallis, a. 508. n. 11. 12.
Vaurenſis Epiſcopatus diſtractus à Toloſano, a. 508. n. 13
Vcetia capitur à Francis, a. 508. n. 3. ſubiicitur Metropol. Arelat. a. 541. n. 56
Vedaſtus, a. 496. n. 7. fit Epiſcopus Atrebatenſis, a. 498. n. 29. & Cameracenſis, a. 510. n. 5. ob. a. 538. n. 69.
Vedaſus fl. a. 508. n 12.
Vela ſepulchris Sanctorum ſuperponi ſolita, a. 550. n. 16.
Vellaua ciuitas, a. 508. n. 6.
Velleſius Epiſc. Vappinc. a. 549. n. 63. a. 551. n. 7. a. 554. n. 18.
Venantius Abbas, eiúſque Monaſterium, a. 508. n. 4.
Venantius Epiſc. Viuarienſ. a. 534. n. 10. a. 555. n. 41.
Veranus fit Clericus Eccleſ. Gabalit. a. 540. n. 2. it Romam, a. 556. n. 16.
Veranus Hybernus, a. 506. n. 8. 9. 12.
Veredemius Eremita, a. 531. n. 11.
Verus Epiſcopus Turonenſis quot annis ſedit, a. 507. n. 10.
Veſpera, hora Canonica, a. 536. n. 36. 37. dicta Lucernaria & Lucernarium, *ibid.* n. 143. 172. quomodo celebranda, *ibid.* n. 164. 179. a. 544. n. 32. 33. a. 548. n. 67. 75.
Viator Monachus Miciac. a. 517. n. 6. ob. a. 521. n. 1.
Vicarius quid, a. 496. n. 113.
Victor Epiſc. Cenoman. a. 481. n. 14.
Victor II. Ep. Cenoman. a. 513. n. 2. a. 525. n. 20. a. 530. n. 5. ob. a. 531. n. 22.
Victor Ep. Wormac. intereſt Concil. Agrippin. a. 455. n. 14.
Sancti Victoris Monaſterium Maſſil. a. 536. n. 43.
Victorius Ep. Cenom. a. 481. n. 14.
Victorius Lemouix edit Cyclum Paſchalem, a. 538. n. 15. *& ſeqq.*
Vicus Iulij, a. 508. n. 15.
Videnus ſeu Vitonus Ep. Virodun. a. 498. n. 2. a. 525. n. 2.
Vidua Monaſt. a. 502. n. 3.
Viennenſes Clerici in commune viuunt, a. 534. n. 27.
Viennenſis Ep. Metropol. contendit cum Arelatenſi de finibus ſuæ Prouinciæ & de Primatu per Galliam, a. 508. n. 55. 56. eius Suffraganei, *ibid.*
Viennenſis II. ceditur Francis, a. 536. n. 2. illius Prouinciæ Epiſcopi, *ibid.* n. 4.
Vigiliæ, V. Matutinum
Vigor Epiſcopus Baiocenſis condit tria Mo-

nasteria, a. 530. n. 15. 16.
Vllicus fit Episcopus Metensis, a. 543. n. 16.
Vincentius Ep. Bellicensis, a. 534. n. 19. a. 541. n. 47. a. 551. n. 7
Vincentius Episcopus Trecensis eligitur, a. 536. n. 259. constructit Ecclesiam S. Auentini, a. 537. n. 3. ob. a. 546. n. 7.
S. Vincentij Monasterium Viennæ. a. 534. n. 27.
Viomadus, a. 464. n. 2.
Vindemialis Episc. Arausic. a. 536. n. 10. a. 541. n. 49. a. 549. n. 62.
Virodunum oppugnatur à Clodoueo R. a. 498. n. 2.
Viromandui. Augusta Viromanduorum, *suprà*.
Virtutum actus interni præscripti Monachis, a. 496. n. 17. *& seqq.*
Vitiges fit R. Ostrogoth. a. 536. n. 1. cedit Francis partem Galliarum, *ibid.* n. 12.
Viuariense Monasterium, a. 525. n. 18.
Vlfacius Monachus, a. 532. n. 15 ob. a. 542. n. 13.
Vlterense Monast. a. 519. n. 2.
Vltrogoda Regina adit Ecclesiam S. Martini, a. 538. n. 77.
Vogladum, a. 507. n. 9.
Volusianus Episcopus Turonensis exulat, a. 498. n. 6.
Votum Deo non reddatur in lasciuiis, a. 533. n. 20.
Vrbicus Ep. Vesuntiens. a. 534. n. 16. a. 549. n. 52. 69.
Vrbitius Abbas Magdun. a. 549. n. 18.
Vrola fl. a. 508. n. 12.
Vrsazia, Vrsaxia vallis, a. 508. n. 12.
Vrsicinus Episc. Tungr. a. 418. n. 3.
Vrsio Monach. a. 525. n. 13.
Vrsulus Episc. Gratianopol. a. 534. n. 8. a. 538. n. 63
Vrsus Abb. Loccens. a. 508. n. 31.
Vrsus Anachoreta fit Episcopus Autissiod. a. 501. n. 6.
Vrsus Ep. Tullens. a. 486. n. 9.
Vrumea fl. a. 508. n. 12.
Werocus Comes Venetens. a. 533. n. 11.
Weurocus seu Kirecus, a. 520. n. 11. Paulum Episcopum Leonensem iuuat, a. 530. n. 10. ob. a. 547. n. 5. rexit Monasterium, *ibid.*
Wilicharius socer Chramni, a. 560. n. 3.
Withurus Comes, a. 529. n. 4.
Wlginus Abbas Maioris Monasterii, a. 508. n. 4.
Vulpecula filia Genebaldi cur ita dicta, a. 509. n. 10.

X

XENODOCHIVM Lugdun. a. 549. n. 37.

Y

YVELINVM Monasterium Massilense, 536. n. 43.

INDEX
EPISCOPATVVM ET MONASTERIORVM,
IN QVO

E. Episcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monasterium denotat.

EPISCOPATVS.

ABRINCENSIS E. *d'Auranches.*

NEPVS Ep. Abrinc. in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Abrincæ veniunt in potestatem Francorum, & a. 511. cùm celebratur I. Concil. Aurelianense.

Seuerus, a. 523.

Perpetuus, a. 533. a. 538. a. 541.

Ægidius a. 549. obit. a. 550.

Paternus fit Ep. a. 550. obit a. 563.

AGINNENSIS E. *d'Agen.*

Bebianus Ep. Aginn. in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, subscribit Concil. V. Aurelianensi, a. 549.

Perierunt acta & nomina ceterorum, qui Pontificatum Aginnensem eàdem gesserunt ætate, quâ Clodoueus eiúsque filij regnarunt.

ALBIGENSIS E. *d'Alby.*

Sabinus Ep. Albig. in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus tres Aquitanias subigit.

Ambrosius, a. 549.

ALETENSIS E. *d'Alet.*

Machutes seu Maclouius, de quo nos iterùm Tomo II. fit, a. 541. primus Ep. Aletens. in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi.

AMBIANENSIS E. *d'Amiens.*

Leonardus Ep. Ambianensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Clodio Franc. R. Ambianum capit.

Andouenus, a. 481.

Edibius, a. 511.

Beatus, a. 549. obit a. circ. 554.

Honoratus fit Ep. a. circ. 554.

ANDEGAVENSIS E. *d'Angers.*

Talasius Ep. Andeg. in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, cùm Childericus R. Andegauum suis ditionibus adiungit.

Eustochius a. 511.

Adulphus obit a. 529.

Albinus fit Ep. a. 529. obit a. 550.

Eutropius fit Ep. a. 550.

Domitianus a. 557. subscribit Conc. Paris. III.

ANICIENSIS E. *du Mont-Anis.*

Euodius Ep. Vellauensis ex vrbe Vellaua, sedem Episcopalem transtulit ad Montem Anicium, priusquàm hic locus Francis pareret. Successores dicti sunt Anicienses in Aquitania I. sub M. Bituricensi. Desiderantur autem acta nominàque eorum, qui floruerunt sub Clodoueo eiúsque posteris penè vsque ad finem sexti seculi.

ANTIPOLITANVS E. *d'Antibe.*

Euterius Ep. Antipol. in prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, a. 536. cùm Antipolis ceditur Francis, & a. 541. cùm cogitur IV. Concil. Aurelianense.

Eusebius a. 549. mittit ad Conc. Aurelianense V. & a. 554. subscribit Arelatensi.

APTENSIS E. *d'Apt.*

Prætextatus Ep. Aptensis sub Regibus Burgundionum, Ostrogothorum & Francorum, in prouincia Narbonensi II. cui M. Aquensis præest. Viuebat adhuc a. 541.

Eusebius a. 546.

Clementinus a. 549. de illo iterùm Tomo II.

AQVENSIS E. M. *d'Aix.*

Maximus Ep. Aquensis M. prouinciæ Narbonensis II. a. 536. cùm prouincia illa ceditur Francis, & a. 541. cùm celebratur Concilium Aurelianense IV.

Auolus a. 549. a. 551. a. 554.

AQVENSIS E. *d'Acqs.*

Gratianus Ep. Aquensis in Nouempopulania sub M. Elusano, cùm Clodoueus R. Nouempopulaniam subigit.

Carterius a. 541.

Liberius a. 549.

ARAVSICANVS E. *d'Orange.*

Vindemialis Ep. Arausicanus sub Regibus Ostrogothorum & Francorum, in prouincia Viennensi II. cui M. Arelatensis præest. Viuebat adhuc a. 549.

Matthæus a. 551. a. 554.

ARELATENSIS E. M. *d'Arles.*

Cæsarius Ep. Arelat. M. prouinciæ Viennensis II. a. 536. cùm prouincia illa Francis ceditur, obit a. 542.

Auxanius fit Ep. a. 542. Viuebat adhuc a. 545.

Aurelianus a. 546. obit a. 550.

Sapaudus fit Episc. a. 550. de illo sæpiùs Tomo II.

ARGENTORATENSIS E. *de Strasbourg.*

Biulfus seu Giulfus Ep. Argentorat. in Germania I. regnante Meroueo, qui Germaniam I. Francicis ditionibus adiecit, quo tempore Treuirensis M. Belgicæ I. ius etiam Metropoliticum per vtramque Germaniam exercuit.

Magnus.

Gaorinus seu Garoinus, Garinus & Baroinus, ætate Clodouei, quo regnante Vormaciensis Ep. fit M. vtriusque Germaniæ.

Landebertus.

Rodobaldus seu Rathoboldus.

ARISIDIENSIS E. *d'Arsat.*

Deotarius fit primus Episc. Arisid. in Aquitania I. sub Bituricensi M. regnante Theodorico. Superstes vixit Clotario I.

ARVERNVS E. *d'Auuergne.*

Eufrasius Ep. Aruern. in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus tres Aquitanias in suam potestatem redigit. Obit a. 515.

Apollonaris fit Ep. a. 515. obit eodem anno.

Quintianus antea Rutenensis Ep. fit Ep. Aruern. a. 515. obit a. 527.

Gallus eligitur Ep. a 527. obit a 554.

Cautinus fit Ep. a. 554. obit regnante Sigiberto Clotarii I. filio.

ATREBATENSIS E. *d'Arras.*

Vedastus fit Ep. Atrebat. a. 498. & Cameracensis a. 510. in Belgica II. sub M. Remensi. Obit a. 538.

Dominicus fit Ep. Atrebat. & Camerac. a. 538. obit a. 551.

Diogenes fit Ep. Atrebat. & Camerac. a. 551.

AVENIONENSIS E. *d'Auignon.*

Salutaris Ep Auenion. in Prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 517. stante Burgundionum Regno. Peruenire potuit, ad a. 536. quo Francis Auenionem cesserunt Ostrogothi.

Antoninus, a. 549. a. 554.

AVENTICENSIS E. *d'Auanches.*

Chilmegisilus Episc. Auentic. in Prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi obit a. 534. quo Burgundia subiugatur à Frãcis.

Superius fit Ep. a. 534. obit a. circ. 548.

Ætherius fit Ep. a. circiter, 548.

AVGVSTODVNENSIS E. *d'Autun.*

Agrippinus Ep. Augustodun. in Prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, a 525. cùm Augustodunum venit in potestatem Francorum, & a. 538. cùm celebratur Conc. Aurelianense III.

Nectarius a. 542. a. 549.

Eupardus.

Remigius ob. a. circ. 560.

Siagrius fit Ep. a. circ. 560.

AVRELIANENSIS E. *d'Orleans.*

Dago Episc. Aurelian. in Prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 494. cùm Clodoueus Aurelian suis ditionibus adiungit, obit a. 498.

Eusebius fit Episc a. 498. est adhuc in viuis, a. 520.

Leontius a. 533. a. 538.

Marcus a. 541. a. 549.

Treclatus seu Tranclatus.

Baudarus.

AVSCIENSIS E. *d'Aux.*

Nicetius Episc. Auscienf. huius nominis secundus, in Nouempopulania sub Elusano M. cum Clodoucus Prouinciam illam subigit, & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.

Priscus.

Marcellus.

Proculeianus a. 533. a. 541. a 549.

Vigilius.

Polemius.

AVTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre.*

Censurius Ep. Autissiod. in Prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 494. cùm Clodoueus Autissiodorum capit. Ob. a. 500.

Vrsus fit Ep. a. 501. obit a. 507.

Theodosius fit Ep. a. 507. obit a. 516.

Gregorius fit Ep. a. 517. obit a. 529.

Optatus fit Ep. a. 529. obit a. 531.

Droctoaldus seu Proctoaldus fit Ep. a. 531. obit a. 532.

Eleutherius fit Ep. a. 532. obit a. 561.

Romanus fit Ep. a. 561.

BAIOCENSIS E. *de Bayeux.*

Patricius Ep. Baioc. in Prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomag. a. 502. cùm Baiocæ veniunt in potestatem Clodouei.

Vigor regnante Childeberto.

Leucadius a 538. a. 541. a. 549.

Lauscius seu Lascinus, a. 557. a. 563.

BELLICENSIS E. *de Bellay.*

Vincentius Ep. Bellicensis in Prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi, a. 534. cùm Franci Burgundiam sub iugum mittunt. De illo iterum Tomo II.

BELLOVACENSIS E. *de Beauuais.*

Numitius Ep. Bellouac. in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Childericus R. Bellouacum capit.

Successorum nuda supersunt nomina vsque ad septimum seculum, vt Index sequentis Tomi declarabit.

BENARNENSIS E. *de Bearn.*

Galactorius E. de Benarno in Nouempopulania sub M. Elusano cæsus est, cùm Clodoueus bellum contra Wisigothos in Aquitania gerebat.

Desiderantur successorum nomina, qui sederunt regnante Clodouco eiúsque filiis.

BIGORRITANVS E. *de Bigorre.*

Aper Ep. Bigorrit. in Nouempopulania sub M. Elusano cùm Clodoueus pulsis Wisigothis tres Aquitanias occupat.

Iulianus a. 541.

BITVRICENSIS E. M. *de Bourges.*

Tetradius Ep. Bituric. M. Aquitaniæ I. cùm Clodoueus Franciam tribus auget Aqui-

rantis, est adhuc in viuis a. 512.
Roricius obit a. circ. 518.
Siagrius fit Ep. a. circ. 518. obit a. 523.
Humatus fit Ep. a. 523. obit a. 527.
Honoratus fit Ep. a. 527. obit a. 536.
Arcadius fit Ep. a. 536. obit a. 541.
Desideratus fit Ep. a. 541. obit a. 550.
Probianus fit Ep. a. 550. obit regnantibus Clotarij I. filiis.

BLANDINIENSIS E. *de Blandin.*

Theodorus fit primus Ep. Blandin. in Belgica II. sub M. Remensi a. 487 regnante Clodoueo. Sedet paucis diebus.
Eleutherius fit Ep. a. 487. sedem Episcopalem Blandinio transfert Tornacum, a. 496. Vide Episcopos Tornacenses.

BRIOCENSIS E. *de Saint-Brieu.*

Vt Briocum oppidum, ita Briocensis Episcopatus in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, nomen sortitur à S. Brioco, primo illius loci Ep. qui Clotario I. superstes diu vixit.

BVRDIGALENSIS E. M. *de Bordeaux.*

Cyprianus Ep. Burdigal. M. Aquitaniæ II. cùm Wisigothi à Francis pelluntur ex Aquitania, interest Conc. I. Aurelianensi, a. 511.
Leontius Senior a. 541.
Leontius Iunior à. 549. obit regnantibus Clotarij I. filiis.

CABELLIONENSIS E. *de Canaillon.*

Philagrius Ep. Cabellion. in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, cùm Cabellio penes Burgundiones & Ostrogothos erat, peruenire potuit ad a. 536. quo Francis eadem ciuitas cessit.
Prætextatus a. 545. a. 549. a. 551. a. 554.

CABILONENSIS E. *de Chalon sur Saone.*

Agricola siue Agrœcula Ep. Cabilon. in prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, cùm Franci Burgundiam subegerunt, multos annos Clotario I. superstes vixit.

CADVRCENSIS E. *de Cahors.*

Boetius Ep. Cadurc. in Aquitania I. sub M. Bituricensi cùm Clodoueus Wisigothos ex Aquitania pellit, & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.
Sustrasius a. 533. a. 538. a. 541.
Maximus a. 549.

CALAGVRRITANVS E. *de Calahorra.*

Vasconia Meridionalis, cuius vrbs primaria Calagurris Episcopatu nobilis sub M. Tarraconensi, venit in potestatem Francorum a. 542. eisdémque parebat adhuc a. 561. cùm Clotarius I. obiit. At exciderunt Episcoporum Calagurritanorum nomina, qui per illa tempora floruerunt subiacueruntque vicino M. Nouempopulaniæ.

CAMERACENSIS E. *de Cambray.*

Vedastus Ep. Atrebatensis in Belgica II. sub M. Remensi, fit etiam Ep. Camerac. in eadem Belgica sub eodem M. Remensi a. 510. obit a. 538.
Dominicus fit Ep. Atrebat & Camerac. a. 538. obit a. 551.
Diogenes fit Ep. Atrebat. & Camerac. a. 551.

CARNOTENSIS E. *de Chartres.*

Arboastus siue Arbogastus aut Ardoastus Ep. Carnot. in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi cùm Childericus R. Carnotum occupat, obit a. 483.
Flauius fit Ep. a. 483. obit a. 497.
Solennis seu Solennius fit Ep. a. 497. obit a. 509.
Auentinus antea Ep. Dunensis, fit Ep. Carnot. a. 509. obit a 528.
Ætherius fit Ep. a. 528. obit a. 544.
Leobinus fit Ep. a. 544. obit a. 556.
Caletricus fit Ep. a. 556. obit regnantibus Clotarij I. filiis.

CARPENTORACTENSIS E. *de Carpentras.*

Siffredus Ep. Carpentor. in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi a. 536. cùm Carpentoracte cedit ur Francis.
Clemarius a. 541. a. 549. a. 551.

CATALAVNENSIS E. *de Chaalons sur Marne.*

Florendus seu Florendinus Ep. Catalaun. in Belgica II. sub M. Remensi a. 486. cùm Catalaunum deditionem Clodoueo facit.
Prouiderius.
Proditor.
Lupus a. 535.

CENOMANENSIS E. *du Mans.*

Principius Ep. Cenoman. in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi a. 510. cùm Cenomanũ Clodoueo deditur. obit a. 513.
Victor fit Ep. a. 513. est adhuc in viuis a. 530.
Innocentius a. 533. obit a. 543.
Scienfredus pseudo-Episcopus a. 543.
Domnolus fit Ep. Cenoman. a. 545. obit regnante Chilperico Clotarii I. filio.

COLONIENSIS E. *de Cologne.*

Euergislus Ep. Colon. in Germania I. M. vtriusque Germaniæ, ætate Faramundi & Clodionis.
Aquilinus seu Solinus post interpontificium multorum annorum fit Ep. Colon. a. 509. sub M. Vormacienſi, cui nupperimè attributum fuerat ius Metropoliticum per vtramque Germaniam.
Somoenus seu Simoenus.

CONSORANENSIS E. *de Coserans.*

Glycerius seu Licerius Ep. Consoran. in Nouempopulania sub M. Elusano cùm tres Aquitaniæ Clodoueo subiiciuntur, Pontificatum gerit per annos 44.
Theodorus a. 549.

CONSTANTIENSIS E. *de Coutance.*

Leontianus Ep. Constantienſ. in prouincia Lugdunensi secunda, sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Constantia venit in potestatem Clodouei R. & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.
Possessor a. 520.
Lauto seu Launus a. 529. a. 530. Vixit superstes Clotario I. R.

CONVENENSIS E. *de Comminge.*

Suauis Ep. Conuenarum in Nouempopulania cùm Clodoueus Prouinciam illam Wisigothis eripit.

Præsidius a. 533.

Amelius a. 549.

CORENTINOPOL. E. *de Kempercorentin.*

Morguethenus Ep. Corentinopol. in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi a. 502. quo Corentinopolis Franciæ dominationi subditur, obit a. 515.

Tremerinus fit Ep. a. 515. obit a. 537.

Fraganus seu Ragianus fit Ep. a. 537.

DARANTASIENSIS E. M. *de Tarantaise.*

Sanctus Ep. Darantas. M. Alpium Graiarum & Penninarum a. 517. sub Burgundionibus, an peruenerit ad a. 536. quo prædictæ Alpes Francis cesserunt, haud scitur.

DEENSIS E. *de Die.*

Sæculatius Ep Deens. in Prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi a. 534. cùm Franci Burgundiam suis ditionibus adiungunt.

Lucretius a. 541. a. 549. a. 551. superstes vixit Clotario I

DINIENSIS E. *de Digne.*

Hilarius Ep. Dinien. in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi a. 549. a. 554.

DOLENSIS E. *de Dol.*

Samson fit primus Ep. Dolensis in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, regnante Childeberto, viuitque diu superstes Clotario I. Childeberti fratri ac hæredi.

DVNENSIS E. *de Chasteaudun.*

Auentinus fit primus Episc. Dunens. in Prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi a. 497. deinde a. 509. fit Ep. Carnotensis extuncto Episcopatu Dunensi.

EBREDVNENSIS E. M. *d'Ambrun.*

Gallicanus Ep. Ebredun. M. Alpium Maritimarum. Sub Ostrogothis a. 524. a. 527. a. 529. Sub Francis a. 536. a. 541. a. 549.

Peladius seu Palladius a. 556.

EBROICENSIS E. *d'Eureux.*

Mauruſio Ep. Ebroic in Prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Ebroicæ Francis incipiunt parere, & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.

Licinius a. 538. a. 549.

Ferrocinctus a. 557.

ECOLISMENSIS E. *d'Angoulesme.*

Lupicinus Ep. Ecolismens. in Aquitania II. sub M Burdigalensi cùm Clodoueus victis Wisigothis tres Aquitanias occupat, in viuis est adhuc superstes a. 541.

Aptonius a. 541. a. 549.

ELVSANVS E. M. *d'Eause.*

Clarus Episc. Elusan. M. Nouempopulaniæ, cùm Clodoueus Wisigothos pellit ex Aquitania.

Leontius a. 511.

Aspasius a. 533 a. 541. a. 549.

FOROIVLIENSIS E. *de Freius.*

Desiderius Ep. Foroiul. in Prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, a. 536. cùm Ostrogothi Prouinciam illam cedunt Francis, & a. 541. cùm celebratur IV. Concil. Aurelianense.

Expectatus a. 549 a. 551. a. 554.

GABALITANVS E. *de Iauouls.*

Leonicus Episc. Gabalit. in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus tres Aquitanias in suam potestatem redigit.

Hilarius a. 535.

Euanthius a. 540. a. 541

GENAVENSIS E *de Genéue.*

Maximus Ep. Genauens. in Prouincia Viennensi I. sub M. Viennensi; a. 517. in ditione Burgundionum; a. 529. in ditione Ostrogothorum; an etiam a. 536. in ditione Francorum, incertum.

Pappulus a. 549.

GLANNATENSIS E. *de Glandeues.*

Claudius Ep. Glannat. in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi, a. 536. cùm Ostrogothi Francis Alpes Maritimas cedunt, & a. 541. cùm celebratur IV. Conc. Aurelianense.

Basilius a. 549. a. 554.

GRATIANOPOLITANVS E. *de Grenoble.*

Vrsulus Ep. Gratianopol. in Prouincia Viennensi I. sub M. Viennensi, a. 534. cùm Ostrogothi Francis ditiones Cisalpinas cedunt, & a. 538. cùm celebratur III. Conc. Aurelianense.

Syagrius a. 551. sub Childeberto R. & a. 567. sub Guntchramno R. Clotarii I. filio.

LACTORENSIS E. *de Lectoure.*

Vigilius Ep. Lactorens. in Nouempopulania sub M. Elusano cùm Clodoueus Wisigothos pellit ex eadem Nouempopulania.

Aletius a. 549.

LAVDVNENSIS E. *de Laon.*

Genebaldus a. 497. primus Episc. Laudun. constituitur in Belgica II. sub M. Remensi, supereſt in viuis a. 549.

Latro superstes Clotario I.

LEMOVICENSIS E. *de Limoges.*

Ruricius Senior, Episc Lemouic. in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus Aquitaniam subigit.

Ruricius Iunior, a. 535. a. 541. a. 549.

Exochius siue Exotius sedet annos 15.

LEONENSIS E. *de Leon.*

Paulus fit primus Episc. Leon. in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, a. 529 regnante Childeberto, abdicat E. a. 533.

Iaonas seu Iehonius fit Ep. a. 553. obit a. 554.

Tiernomagilus fit Ep. a. 554. obit a. 555.

Paulus iterum Ep. a. 555. Superstes est Clotario I.

LEXOBIENSIS E. *de Lexobie.*

Riocus Ep. Lexobiens. in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, a. 502. cùm Lexobia venit in potestatem Clodouei R. obit a. 515.

Riuallonus fit Ep. a. 515. obit a. 518.

Ioannes fit Ep. a. 518. obit a. 527.
Guennaelus fit Ep. a. 527. obit a. 531.
Tirizianus fit Ep. a. 531. ob. a 532.
Tugdwalus fit Ep. a. 532. obit a. 553.
Rwelinus fit Ep. a. 553. obit regnante Chilperico Clotarij I. filio.

LEXOVIENSIS E. *de Liſieux.*

Theodobaudus ſeu Théodobaudis Ep. Lexouienſ. in Prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotomagenſi, a. 538. a. 541. a. 549. deſiderantur aliorum Lexouienſium Antiſtitum nomina, qui ſederunt regnante Clodoueo eiuſque filiis.

LINGONENSIS E. *de Langres.*

Gregorius Ep. Lingon. in Prouincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, in ditione Burgundionum, deinde Francorum. Obit a. 539.
Tetricus fit Ep. a. 539. Viuit multos annos ſuperſtes Clotario I.

LVCENSIS E. *de Lugo.*

Cantabria in E. Lucenſ. ſub M. Bracarenſi venit in poteſtatem Francorum a. 542. eiſdémque parebat adhuc a. 561. cùm Clotarius I. obiit. At exciderunt Epiſcoporum Lucenſium nomina, qui per illa tempora floruerunt, ſubiacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.

LVGDVNENSIS E. M. *de Lyon.*

Lupus Ep. Lugdun. M. Prouinciæ Lugdunenſis I. a. 534. cùm Burgundiæ regnum à Francis deletur, & a. 538. cùm celebratur Conc. III. Aurelianenſe.
Leontius a. 542.
Sacerdos a. 549. obit a. 551.
Nicetius fit Ep. a. 551. Viuit Clotario I. diu ſuperſtes.

LVTEVENSIS E. *de Lodéne.*

Deuterius Ep. Lutcuenſ. in Prouincia Narbonenſi I. ſubeſt M. Narbonenſi quandiu Lutcua Wiſigothis paret; poſt annum verò 533. quo Lutcua capitur à Francis, ſubeſt M. Bituricenſi. Intereſt Conc. I. Aruernenſi a. 535.
Edibius intereſt Conc. III. Pariſienſi a. 557.

MASSILIENSIS E. *de Marſeille.*

Dalmatius Ep. Maſſil. in Prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, in ditione Oſtrogothorum vſque ad a. 536. poſteà in ditione Francorum.
Antoninus a. 544.
Emeterius a. 554.

MATISCONENSIS E. *de Maſcon.*

Placidus fit primus Ep. Matiſcon. in Prouincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, ſupereſt in viuis a. 551. cùm celebratur Conc. II. Pariſienſe.
Saluinus a. 560.

MELDENSIS E. *de Meaux.*

Præſidius Ep. Meldenſ. in Prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi a. 486. cùm Meldæ Francicis ditionibus accedunt.
Promiſſius.
Medoueus ſeu Medouechus a. 547. a. 549. a. 551.

METENSIS E. *de Mets.*

Romanus Ep. Met. in Belgica I. ſub M. Treuirenſi, a. 486. cùm Metæ Clodoueo ſe dedunt. Obit a. 489.
Fronimius fit Ep. a. 489. obit a. 497.
Grammatius fit Ep. a. 497. obit a. 512?
Agatimber fit Ep. a. 512. obit a. 525.
Heſperius ſeu Sperius fit Epiſc. a. 525. obit a. 542.
Villicus fit Ep. a. 543. obit regnante Sigiberto Clotarij I. filio.

MOGVNTIACENSIS E. *de Mayence.*

Eutropius E. Mogunt. in Germania I. ſub Treuirenſi M. Belgicæ I. & vtriuſque Germaniæ, cùm Meroueus Germaniam I. ſubigit. Sedet annos 23. obit a. 474. Eius anteceſſores olim M. Germaniæ I. amiſſo poſteà iure Metropolitico ſubditi Colonienſi M. vtriuſque Germaniæ; nouiſſimè propter interpontificium Colonienſe cum vtraque Germania attributi Treuirenſi M. Belgicæ I. Succeſſores Treuirenſem M. agnouerunt, donec Ep. Vormacienſis factus eſt M. vtriuſque Germaniæ regnante Clodóueo. Denique ius Metropoliticum octauo ſeculo recuperarunt.
Adelbertus fit Ep. a. 474.
Radherius ætate Clodouei. Tunc Ep. Vormacienſis fit M. vtriuſque Germaniæ.
Adelbaldus.
Laudfridus.
Ruthardus.

NAMNETENSIS E. *de Nantes.*

Epiphanius Ep. Namnet. in Prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 502. cùm Namnetæ Clodoueo deditionem faciunt, & a. 511. cùm celebratur Conc. I. Aurelianenſe.
Marſus a. 530. obit a. 531.
Eumerius ſiue Euemerus fit Ep. a. 531. obit a. 550.
Felix fit Ep. a. 550. obit regnante Chilperico Clotarii I. filio.

NEMETENSIS E. *de Spire.*

Interciderunt nomina Præſulum, qui poſt Synodum Agrippinenſem, cui leſſes a. circ. 352. interfuit, Eccleſiam Nemetum ſeu Spirenſium in Germania I. per multa ſecula rexerunt vſque ad Athanaſium, de quo nos Tomo II.

NICAENSIS E. *de Nice.*

Magnus Ep. Nicaenſ. in Alpibus Maritimis ſub M. Ebredunenſi a. 549. a. 554. Prouinciam illam Oſtrogothi Francis ceſſerunt a. 536.

NIVERNENSIS E. *de Neuers.*

Ruſticus Ep. Niuern. in Prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi a. 534. cum Franci Burgundiam ſubigunt, in viuis ſupereſt a. 541. cùm celebratur IV. Conc. Aurelianenſe.

Aregius a 549. a. 551.

NOVIOMENSIS E. *de Noyon.*

Medardus Ep. Virmandensis in Belgica II. sub M. Remensi, Sedem Episcopalem transfert Nouionum a. 531. fit etiam Ep. Tornacensis a. 532. obit a 545.

Faustinus fit Ep. Nouiom. & Tornacensis a 545.

OCTODORENSIS E. *de Martinach.*

Constantius Ep. Octodor. in Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum sub M. Darantasiensi, a. 517. in ditione Burgundionum An peruenerit ad a. 536. quo Alpes prænominatæ Francicis ditionibus accesserunt, haud liquet.

Rufus a 541. a. 549.

OLORONENSIS E. *d'Oloron.*

Gratus E. Oloron. in Nouempopulania sub M. Elusano cum Clodoueus Wisigothos è tribus Aquitaniis expellit.

Agrestius a. 549 a. 551.

PAMPILONENSIS E. *de Pampelonne.*

Vasconia Septentrionalis, cuius vrbs primaria Pampilona, Episcopatu nobilis sub M. Tarraconensi, venit in potestatem Francorum a. 542. eisdémque parebat adhuc a. 561. cùm Clotarius I. obiit. At interciderunt Episcoporum nomina, qui per illa tempora sederunt, subiacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.

PARISIENSIS E. *de Paris.*

Apedinius Ep. Paris. in Prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi cùm Childericus R. Parisios suæ ditioni subiicit.

Heraclius a. 511. a. 512.

Probatius.

Amelius a. 533 a. 538. a. 541.

Saffaracus a. 547. a. 549. deponitur a. 551.

Eusebius fit Ep. a. 551. obit a. 555.

Germanus fit Ep. a. 555. obit regnante Chilperico Clotarij I. filio.

PETROCORICENSIS E. *de Perigueux.*

Chronopius Ep. Petrocor. in Aquitania II. sub M. Burdigalensi cùm Clodoueus Wisigothis Aquitanias eripit supereſt in viuis a. 533. cùm celebratur II. Conc. Aurelianense.

Sabaudes a. 542.

PICTAVIENSIS E. *de Poitiers.*

Adelfius Ep. Pictauiens. in Aquitania II sub M. Burdigalensi, cùm Wisigothi pelluntur à Francis ex Aquitania, supereſt in viuis a. 533. cùm celebratur II Conc. Aurelianense.

Elaphius.

Danihel. a. 541.

Pientius a. 559

REDONENSIS E. *de Rennes.*

Melanius Ep. Redon. in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi cùm Redones Clodoueo Regi subiiciuntur, obit a. 530.

Febediolus fit Episcop. a. 530. Viuit adhuc a. 549.

REIENSIS E. *de Riez.*

Contumeliosus Episc. Reiensis in Prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, retruditur in Monasterium ob capitale crimen antequàm Ostrogothi Prouinciam illam Francis cedant, a. 536. quo fit hæc cessio Reiensis Ecclesia per Visitatorem regitur superstite in viuis Contumelioso.

Faustus a. 549.

Emeterius a. 554.

REMENSIS E. M. *de Reims.*

Remigius Ep Remens. M. Belgicæ II cùm Remi Clodoueo se subdunt, obit a. 533.

Romanus fit Ep. a. 533. obit a. 535.

Flauius fit Ep. a. 535.

Mappinius a. 549. obit regnante Sigiberto Clotarij I. filio.

ROTOMAGENSIS E. M *de Roüen.*

Crescentius Episc. Rotomag. M Prouinciæ Lugdunensis II. cùm Clodoueus Rotomagum capit, obit a. 494.

Gildardus fit Ep. a. 494 obit a 529.

Flauius fit Ep. a. 529. obit a 544.

Prætextatus fit Episc. a. 544. obit regnante Clotario II.

RVTENENSIS E. *de Rodez.*

Quintianus Episc. Ruten. in Aquitania I. sub M. Bituricensi cùm Clodoueus tres Aquitanias subigit, pellitur in exilium à Wisigothis qui Rutenos post Clodouei mortem recuperant.

Dalmatius fit Ep. a. 520. subéstque M. Narbonensi quandiu Ruteni Wisigothis parent, subiicitur autem M. Bituricensi cùm Ruteni redeunt in potestatem Francorum, viuitque Clotario I. diu superstes.

SAGIENSIS E. *de Seez.*

Litharedus Ep. Sagiens. in Prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi a. 502. cùm Sagium in potestatem Clodouei venit & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.

Passiuus a. 533. Superstes a. 549.

Milehardus a. 557.

SANICIENSIS E. *de Senez.*

Simplicius Ep. Sanicien. in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi a. 541 & a 554. Vtrùm autem hic an decessor Marcellus a. 536. cum prædictæ Alpes ad Franciam accedunt, haud liquet.

SANTONENSIS E. *de Saintes.*

Gregorius Ep. Santon. in Aquitania II. sub M. Burdigalensi cùm Wisigothi à Clodoueo pelluntur ex Aquitania.

Petrus a. 511.

Troianus obit a. 532.

Eusebius fit Ep. a. 532. obit paulò ante Clotarium I.

SEGESTERICENSIS E. *de Sisteron.*

Anolus Ep. Segesteric. in Prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi a. 536 cùm Prouinciam illam Francis cedunt Ostrogothi, supereſt in viuis a. 554.

SELLENSIS

SELLENSIS E. *de Selles.*

Auſtrapius ſit primus Ep. Sellenſ. Clotario totius Franciæ Monarchiam obtinente.

SENONENSIS E. M. *de Sens.*

Eraclius Ep. Senon. M. Prouinciæ Lugdunenſis I V. cùm Senones parere Francis incipiunt, obit a. 507.
Paulus ſit Ep. a. 507.
Leo a. 512. a. 533. a. 538.
Conſtitutus a. 549. Clotario I. diu ſupereſt.

SILVANECTENSIS E. *de Senlis.*

Modeſtus Ep. Siluanect. in Belgica II. ſub M. Remenſi cùm Siluanectum in poteſtatem Childerici R. venit.
Linanius ſeu Leuangius obit a. 513.
Paſius ſit Ep. a. 513. obit a. 519.
Nonnulus ſit Ep. a. 519. obit a. 547.
Gonotigernus ſit Ep. a. 547 obit a. 560.
Lethardus ſit Ep. a. 560.

SVESSIONENSIS E. *de Soiſſons.*

Principius Epiſc. Sueſſion. in Belgica II. ſub M. Remenſi cùm Clodoueus Sueſſionem capit.
Lupus a 511. Superſtes a. 533.
Bandaricus exulat a. 538. obit a. 545.
Anectarius ſit Ep. a. 545.

TARVANNENSIS E. *de Teroüenne.*

Antimundus ſit primus Ep. Taruann. in Belgica I I. ſub M. Remenſi a. 501. obit. a. 520.
Athalbertus ſit Ep. a. 520. obit a. 552.

TOLONENSIS E. *de Toulon.*

Cyprianus Ep. Tolon. in Prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, cùm Oſtrogothi ditiones, quas cis Alpes poſſident, Francis tradunt, ſupereſt in viuis a. 542.
Palladius a. 549. a. 554.

TOLOSANVS E. *de Tholoſe.*

Heraclianus Ep. Toloſan. in Prouincia Narbonenſi I. ſub M. Narbonenſi cùm Clodoueus Toloſam Francicis ditionibus adiicit, abhinc ſubiicitur M. Bituricenſi, obitque a. 509.
Germerius ſit Ep. a. 509. obit a. 545.

TORNACENSIS E. *de Tournay.*

Eleutherius anteà Ep. Blandinienſis in Belgica II. ſub M. Remenſi Sedem Epiſcopalem Blandinio transfert Tornacum a. 496. obit a. 532. Abhinc Tornacenſes Epiſcopi fuerunt iidem qui Nouiomenſes, vt obſeruatum eſt ſuprà.

TRAIECTENSIS E. *de Maſtrich.*

Arauatius Epiſc. Tungrenſis in Germania II. Sedem Epiſcopalem Tungris transfert Traiectum ad Moſam, ac paulò poſt obit a. 450. regnante Meroueo. Circa illa tempora Epiſc. Treuirenſis M. Belgicæ I. ſit etiam M. vtriuſque Germaniæ.
Supplicius ſit Ep. a. 450.
Quirillus.
Eucherius.
Falco peruenit vſque ad tempora Theodorici R. Illo ſedente, Ep. Vormacienſis ſit M. vtriuſque Germaniæ.
Eucharius ſit Ep. regnante Theodorico.
Domitianus a. 535. obit a. 550.
Monulfus ſit Ep. a. 550. Clotario I. diu ſuperſtes viuit.

TRECENSIS E. *de Troyes.*

Camelianus Ep. Trecenſ. in Prouincia Lugdunenſi I V. ſub M. Senonenſi cùm Trecæ veniunt in Clodouei poteſtatem, obit a. 536.
Vincentius ſit Ep. a. 536. obit a. 546.
Ambroſius ſit Ep. a 546. Superſtes eſt in viuis a. 549.
Chardaricus ſiue Ardaricus a. 551. a. 557.

TREVIRENSIS E. M. *de Trénes.*

Modeſtus Ep. Treuir. M. Belgicæ I. & vtriuſque Germaniæ obit a. 486. quo Clodoueus potitur Treuiris.
Maximianus ſit Ep. a. 486. obit a. 498.
Fibicius ſit Ep. a. 498. Vltimus recenſetur è Præſulibus Treuirenſibus qui Metropolitico iure gaudent per vtramque Germaniam, ius enim illud regnante Clodoueo attribuitur Sedi Vormacienſi.
Aprunculus obit a. 527.
Nicetius ſit Epiſc. a 527. obit regnante Sigiberto Clotarii I. filio.

TRICASTINENSIS E. *de Trois Chaſteaux.*

Heraclius Epiſc. Tricaſtinenſ. in Prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a. 536. cùm Oſtrogothi Francis ditiones ſuas cis Alpes cedunt, & a. 541. cùm celebratur I V. Conc. Aurelianenſe.

TVLLENSIS E. *de Toul.*

Auſpicius E. Tullenſ. in Belgica I. ſub M. Treuirenſi, cùm Tullum in ditionem Clodouei R. deuenit.
Vrſus.
Alodius a. 549.

TVNGRENSIS E. *de Tongren.*

Renatus ſeu Reſignatus Epiſc. Tungrenſ. in Germania II. ſub Colonienſi M. vtriuſque Germaniæ, ætate Faramundi.
Arauatius Sedem Epiſcopal. Tungris transfert Traiectum ad Moſam, obitque a. 450. Vide Epiſcopos Traiectenſes.

TVRONENSIS E. M. *de Tours.*

Licinius ſit Ep. Turon. M. Prouinciæ Lugdunenſis I I I. a. 507. quo Clodoueus fugatis Wiſigothis Turonos ingreditur, obit a. 520
Theodorus & Proculus a. 520. moriuntur a. 522.
Arnulphus ſit Epiſc. a. 522. & paulò pòſt abit.
Dinifius ſit Ep. a. 522. obit a. 523.
Ommarius ſit Ep. a. 523. obit a. 526.
Leo ſit Ep. a. 526. obit a. 527.
Francilio ſit Ep. a. 527. obit a. 529.
Iniurioſus ſit Ep. a. 529. obit a. 546.
Baudinus ſit Ep. a. 546. obit a. 552.
Guntharius ſit Ep. a. 552. obit a. 555.
Eufronius ſit Epiſc. a. 556. obit Clotario I. eiuſque filio Chariberto factus ſuperſtes.

VALENTINVS E. *de Valence.*
Apollinaris Ep. Valentin. in Prouincia Viennensi I. cù ei Franci Burgundiam suis ditionibus adiiciunt.
Gallus a. 549.
VAPPINCENSIS E. *de Gap.*
Tigrides Ep. Vappinc in Prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi cùm Ostrogothi Francis Prouinciam illam sponte tradunt.
Remedius.
Vallesius. a 549. a. 551. a. 554.
VASATENSIS E. *de Basas.*
Sextilius Episc Vasat. in Nouempopulania sub M Elusano cùm Clodoueus Wisigothos pellit ex tribus Aquitanis, & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.
VASIONENSIS E. *de Vaison.*
Alethius Ep. Vasion. in Prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi a. 529. in ditione Ostrogothorum, deinde in ditione Francorum a. 536. & a. 541.
Theodosius a. 554.
Quinidius fit Ep. regnante Childeberto, a. circ. 556.
VCECIENSIS E. *d'Vsez.*
Probatius Ep. Vceciens. in Prouincia Narbonensi I. sub M. Narbonensi cùm Clodoueus Vceciam & Tolosam Ciuitates Prouinciæ Narbonensis I. Wisigothis eripit, subiicitur postea M. Bituricensi cum Tolosa.
Roricius sub M. Bituricensi, obit a. 537.
Firminus fit Episc. a. 537. Subditur M. Arelatensi. Obit a. 553.
Ferreolus fit Ep. a. 553. Clotario I. superstes viuit annos 20.
VENETENSIS E. *de Vannes.*
Modestus Ep. Venet. in Prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi a. 502. cùm Clodoueus vrbem Veneticam occupat, & a. 511. cùm celebratur I. Conc. Aurelianense.
Macliauus fit Ep. a. 553.
VESONTIONENSIS E. M. *de Besançon.*
Vrbicus Ep. Vesontion. M. Prouinciæ Lugdunensis V. a. 541. An autem a. 534. cùm Franci Burgundiam suæ dominationi subiiciunt, haud constat.
Tetradius a. 551. obit regnante Guntchramno Clotarii I. filio.
VICO-IVLIENSIS E. *d'Ayre.*
Marcellus Ep. Vico-Iul. in Nouempopulania sub M. Elusano cùm Clodoueus regno Franciæ tres Aquitanias adiungit & a. 533. cùm celebratur II. Conc. Aurelianense.
VIENNENSIS E. M. *de Vienne.*
Iulianus E. Vienn. M. Prouinciæ Viennensis I. a. 533. cùm celebratur Conc. II. Aurelianense, obit a. 534. quo Franci Burgundiam subiugant.
Domnus fit Ep. a. 534. obit a. 536.
Pantagathus fit Ep. a. 536. a 538.
Esychius a. 549. a. 551.
Naamatius obit a. 558.
Philippus fit Ep. a. 558. Obit regnante Guntchramno Clotarii I. filio.
VINCIENSIS E. *de Vance.*
Deuterius Ep. Vincienſ. in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi a. 541. cùm celebratur I V. Conc. Aurelianense Viuit diutissimè post Clotarium I.
VINDONISSENSIS E. *de Vindisch.*
Gramatius Ep. Vindoniss. in Prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi a. 534. cùm Burgundiæ regnum à Francis deletur, supereſt in viuis a. 549. cùm celebratur V. Conc. Aurelianense.
VIRODVNENSIS E. *de Verdun.*
Possessor Ep. Virodun. in Belgica I. sub M. Treuirensi obit a. 586. quo Virodunum in potestatem Clodouei R. deuenit.
Firminus fit Ep. a. 486. obit a. 498.
Videnus seu Vitonus fit Ep. 498. obit a. 525.
Desideratus fit Ep. a. 525. obit a. 550.
Agericus fit Ep. a. 550. obit regnante Childeberto II. Clotarii I. nepote.
VIROMANDENSIS E. *d'Auguste en Vermandois.*
Promotus Ep. Viromand. in Belgica II. sub M. Remensi cùm Childericus regnum suum per illam Prouinciam dilatat, Augustâ Viromanduorum aliisque vrbibus captis.
Sophronius a. 511.
Alomerus obit a. 530.
Medardus fit Ep. a. 530. Sedem Episcopalem Augustâ Viromanduorum transfert Noviomum a. 531. Vide Episcopos Noviomenses.
VIVARIENSIS E. *de Viviers.*
Venantius Ep. Vivarienſ. in Prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 517. in ditione Burgundionum cùm celebratus Conc. Epaonense, deinde in ditione Francorum a. 535. cùm celebratur Conc. I. Aruernense.
Firminus.
Eumachius.
Agripius.
Melanius a. 549.
VORMACIENSIS E. M. *de Worms.*
Amandus Ep. Vormacienſ. in Germania I. ætate Merouei & Childerici RR. sub Treuirensi M. Belgicæ I. & vtriusque Germaniæ.
Carolus.
Croroldus a. 503. Fit M. vtriusque Germaniæ, eâque dignitate gaudent successores, donec Sedi Moguntiacensi restituitur, vt dicemus Tomo II.

MONASTERIA.

AGAVNVM, MON.

AGAVNVM, Mon. in E. Octodorensi, a. 536. n. 197. *& seqq.* conditur a. 515. stante adhuc Burgundionum regno. Hodie nomen gerit S. Mauricij. *S. Maurice.*

Hinmemodus fit primus Abb. 515.

Ambrosius obit ante a. 523.

Achiuus fit Abb. ante a. 523. Eius ætate Agaunum transit à Burgundionibus ad Ostrogothos.

Tranquillus, cuius ætate Agaunum, Octodorum, aliáque cis Alpes loca Francis Ostrogothi sponte tradunt a. 536.

S. ANDREÆ MON. INFERIVS, *S. André le bas.*

S. Andreæ Mon. inferius puellare Viennæ, a. 558. n. 4 à Remilia Eugenia Ansemundi Ducis filia, in superiore Mon. S. Andreæ nutrita, conditur, Diœcesim Viennensem administrante Philippo Ep. cuius Pontificatus initium habet a. 558.

S. ANDREÆ MON. SVPERIVS, *S. André le haut.*

S. Andreæ Mon. superius puellare Viennæ, a. 534. n. 25. Constituitur à Leoniano seu Leuniano S. Petri Abb. sub Regibus Burgundionum.

Romelia prima Abbatissa constituitur à Leoniano fratre sub iisdem Burgundionibus.

ANISOLA Mon. *Anille.*

Anisola Mon. a. 532. n. 11. Ad Anisolam fl. conditur à S. Carilepho ex munificentia Childeberti R. in E. Cenomanensi, temporibus Innocentij Episc. Hodie vocatur Mon. S. Carilephi, *S. Calais.*

Carilephus primus Abb. regnante Childeberto.

ARELATENSE Mon.

Arelatense Mon. a. 548. n. 10. *& seqq.* Hoc Mon. intra ciuitatem Arelatensem condit R. Childebertus, & Aurelianus Ep Regulam Monachis illius loci præscribit.

Florentinus fit primus Abb. a. 548. obit a. 553.

Redemptus fit Abb. a. 553.

ARVERNENSE Mon.

Mon. apud Aruernos conditur & regitur a S. Brachione, a. 536. n. 261.

ATHANACVM, Mon. *Aisnay.*

Athanacum Mon. a. 534. n. 23. Lugduni ad Confluentes Araris & Rhodani constituitur florente Romanorum Imperio.

S AVITI Mon. *S. Auy.*

S Auiti Mon. in E. Carnotensi, a. 525. n. 20.

Auitus conditor ac primus Abb obit. a. 530.

AVTISSIODORENSE Mon.

Germanus Episcop. Autissiodorensis erexit Mon. Autissiodori priusquàm illa Ciuitas Francis dederetur, a. 494. n 3.

BALMA, Mon. *la Baulme les Nonnains.*

Balma, a. 534. n. 28. Puellare hoc Mon. ad Dubim fl. in E. Vesontionensi conditur florente Romanorum Imperio, proximisque seculis varias vices experitur.

BALMA, Mon. *la Baulme.*

Balma, a. 534. n. 24. Puellare hoc Mon. Diœceseos Lugdunensis in sylua Iurensi conditur stante Burgundionum regno. Hodie vocatur Mon. S. Romani de rupe, *S. Romain.*

BARBARENSE Mon. *l'Isle Barbe.*

Barbarense siue Insulæ Barbaræ Mon. a. 534. n. 23. Conditur in Arari fluuio prope Lugdunum quarto seculo, pace tunc à Christianis Impp. Ecclesiæ restitutâ.

Ambrosius Abb. a. 534. cùm regnum Burgundiæ deletur à Francis, quo tempore sedet Ep. Lugdunensis Lupus anteà eiusdem Mon. Abbas.

BATHENSE Mon. *Baaz.*

Mon. in Batha Insula Diœceseos Leonensis, a. 554. n. 2.

Paulus Abb. anteà Ep. Leonensis, sub Childeberto R.

S. Cæsarij Mon, *S. Cesaire.*

S. Cæsarij Mon. puellare Arelate, a. 556 n. 45.

Cæsaria soror S. Cæsarii, prima constituitur Abbatissa à fratre a. 512. obit ante fratrem.

Cæsaria II. cui vita S. Cæsarii dicatur post a. 542. superstite in viuis Childeberto R.

Liliola, de qua iterum Tomo II.

S. CASSIANI Mon. *S. Cassien.*

S. Cassiani Mon. puellare in E. Massiliensi, a. 536. n. 43. Lege Gregorium M. lib. 6. ep. 12.

CELLVLA S. EVSITII, Mon. *Selles.*

Cellula S. Eusitii, Mon. ad Carum fl. in E. Bituticensi, a. 531. n. 5.

Eusitius primus Abb.

Leonardus.

CENOMANENSE Mon.

Cenomanense Mon. Virginum, a. 541. n. 66. Hoc Mon. inter Sartham & ciuitatem Cenomanicam erexit Trenestina, cùm Cenomania Childeberto R. parebat, & Diœcesim Cenomanensem administrabat Innocentius Ep. qui migrauit ad Deum a. 543.

CERASIVM, Mon. *Cerisy.*

Cerasium Mon. in E. Baiocensi, a. 530. n. 15.

Vigor conditor ac primus Abb. postea fit Ep. Baiocensis regnante Childeberto.

S. CERENICI Mon. *S. Cerenic.*

S. Cerenici Mon. in E. Sagiensi, a. 557. n. 39.

Cerenicus, annuente Milehardo Episc. Sagiensi, Cœnobium post a. 549. constituxit, ibique primus Abbas fuit.

CHRISMATVM MON.

Chrismatum Mon. in Ep. Baiocensi, a. 530. n. 15. Hoc Mon. regnante Childeberto constructum est à Vigore Ep. Baiocensi, hodie Prioratus est, & in memoriam sui conditoris appellatur Prioratus S. Vigoris, *S. Vigor.*

CINCILLACENSE MON *Tinteillant.*

Cincillacense Mon. in E. Venetensi, a. 504. n. 2.

Albinus fit Abbas Cincillacensis a. 504. deinde Ep. Andegauensis a. 529.

COLOBERONENSE MON.

Coloberonense Mon. in Ep. Bituricensi, a. 525. n. 18.

S. COLVMBÆ MON. *Sainte-Colombe.*

S. Columbæ Mon. puellare prope Viennam, a. 534. n. 26.

CONDATESCENSE Mon.

Condatescense Mon. in E. Lugdunensi, a. 534. n. 24.

Romanus erigit hoc Mon. eiúsque primus est Abb. ante a. 444.

Lupicinus.

Eugendus, de cuius nomine idem Mon. diu dictum est Mon. S. Eugendi, *S. Oyan.* vt posteà de S. Claudij nomine vocatum est ad hodiernam vsque diem Mon. S. Claudij, *S. Claude.*

Minausius.

Antidiolus a. 534. cùm Burgundiæ regnum à Francis extinguitur, obit a. 542.

Olympius fit Abb. a. 542.

CRONOMENSE Mon. *Cournon.*

Cronomense Mon. in E. Aruernensi, a. 508. n. 26. a. 509. n. 11. Hoc Mon. florebat in Aruernia, cùm Clodoueus ex Aquitania wisigothos expulit.

DAOVGALENSE Mon. *Daoulas.*

Daougalense Mon. in E. Corentinopolitano seu Coriosopitensi, a. 538. n. 74.

Ichonius seu Iaouas, primus Abbas constituitur ex Monacho Teuenecensi. Abdicat se regimine Monasterij, a. 550.

Tusucanus fit Abb. a. 550.

DOLENSE Mon. *Dol.*

Dolense Mon. a. 529. n. 8.

Samson fit primus Abb. Dolensis regnante Childebetto, deinde ante a. 541. fit Ep. eiusdem loci, Monachis Kerfeunteum ablegatis.

ENIXIONENSE Mon. *Anfion.*

Enixionense siue Henfionense Mon. in E. Pictauiensi, a. 508. n. 21. hodie vocatur Mon. S. Iouini de Marnis, *S. Iouin de Marne.*

Iemiegisilus Abbas sub wisigothis.

Generosus Abbas sub wisigothis, deinde sub Francis.

EBREDVNENSE Mon.

Ebredunense Mon. a. 548. n. 96.

Beroaldus Abbas cùm Ætherius Episc. erat Auenticensis, hic autem Auentici sedere cœpit a. circiter 548.

FERRIOLACENSE Mon.

Ferriolacense Mon. in E. Vceciensi, a. 558. n. 7. Hoc Mon. ita dictum à S. Ferreolo seu Ferriolo conditore, Ep. Vceciensi, qui Regulam Monachis ibi degentibus præscripsit.

FONS-ROGI Mon. *Font-Rouge.*

Fons-rogi Mon. in E. Altissiodorensi, a. 543. n. 2.

Romanus Abbas, a. 543

GENOLIACVM Mon.

Genoliacum Mon. in E. Petrocoricensi, a. 542. n. 2.

Saualus Abb. regnante Clotario I.

GERBERENSE Mon. *Gerber.*

Gerberense Mon. in E. Leonensi, a. 545. n. 8

Tanguidus seu Gurguidus, regnante Childeberto, primus Abb. constituitur à S. Paulo Ep. Leonens. ipsius Mon. conditore.

SS. GERVASII ET PROTASII Mon.

SS. Gerualsij & Protasij Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

GLANNAFOLIVM Mon. *Glanfeuil.*

Glannafolium, Mon. in E. Andegauensi, a. 543. n. 13.

Maurus fit primus Abb. a. 543. diu superstes viuit Clotario I.

GRESSVS Mon. *Grés.*

Gressus, Mon. ad Brigiam riuum in E. Cenomanensi, a. 532. n. 13.

Almirus conditor ac primus Abb. regnante Childeberto, & Diœcesim Cenomanensem administrante Innocentio Ep. superest in viuis a. 559.

GRININCENSIA MONASTERIA.

Grinincensia Monasteria in E. Viennensi, a. 534. n. 26.

GVRTHONENSE Mon. *Gourdon.*

Gurthonense Mon. in Ep. Cabilonensi, a. 534. n. 31.

S. HILARII Mon. *S. Hilaire.*

S. Hilarii Mon. in suburbio Pictauien, a. 508. n. 19. Conditum est hoc Mon. florente in Gallis Romanorum Imperio.

Fridolinus Abb. cùm Pictauium in potestatem Clodouei R. venit.

S. HILARII Mon.

S. Hilarii Mon ad Mosellam in E. Metensi, a. 509. n. 7.

Fridolinus anteà Abb. S. Hilarii in suburbio Pictauiensi, hoc Mon. quod hodie S. Naboris Cœnobium appellatur, constituit regnante Clodoueo, illiúsque loci primus fit Abb.

S. IOANNIS BAPTISTÆ Mon.

S. Ioan. Baptistæ Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

IXIVM Mon.

Ixium Mon. in E. Bituricensi, a. 531. n. 3.

Farettus Abb. sub cuius disciplina vixit S. Deodatus coætaneus Clodoueo R.

KALA, Mon. *Chelles.*

Kalense Mon. puellare in E. Parisiensi, a. 537. n. 2.

KERFEVNTEVM, Mon.

Kerfeunteum, Mon. in E. Dolensi, a. 529. n. 8.

Maglorius regnante Childeberto primus Abb. constituitur à Samsone tunc facto Ep. Dolensi, superstes vixit Clotario I

LAVCONNENSE Mon.

Lauconnense Mon. in E. Lugdun a. 534. n 24

Lupicinus primus Abb. postea Condatescensis. V. Mon. Condatescente.

S. LAVRENTII Mon.

S Laurentii Mon. in suburbio Parisiensi, a. 547. n. 7. Illius loci Abbas falsò creditur Domnolus, qui factus est Ep. Cenomanensis, a. 545.

S. LAVTHENI MONASTERIA.

S. Lautheni Monasteria in E. Vesontionensi, a 534. n. 28.

Lauthenus Abb. illorum Monasteriorum, regnante apud Burgundiones Gundebaldo.

LERINVS, Mon. *Lerins.*

Lerinense Mon. in E. Antipolitano, a. 556. n. 179.

Honoratus conditor ac primus Abb. vertente 4. seculo, postea fit Ep. Arelatensis.

Maximus, postea Ep. Regensis.

Faustus, postea Ep. Regensis.

Porcarius S. Cæsarium in sodalitium Monachorum admittit.

Honoratus II. a. 507.

Marinus a. 536. cùm Ostrogothi Francis ditiones suas cis Alpes sponte cedunt.

LOCCENSE Mon. *Loches.*

Loccense Mon. in E. Turonensi, a. 508. n. 31.

Vrsus Abb. regnante Alarico R. Wisigothorum, dubium an vixerit etiam sub Clodoueo Francorum R.

LOCVS KIRECI, Mon. *Loc-kirecq.*

Locus Kireci, Mon. prope Kerfeunteum in loco cui nomen *Land-meur*, a. 520. n. 11.

Kirecus seu Werocus condit Mon. a 522. éstque illius loci primus Abbas donec a. 528. abit ad Paræciam Danielis, alio Abb. subrogato.

LVCIONENSE Mon. *Lucon.*

Lucionense Mon. in Ep. Pictauiensi, a. 508. n. 22. Nomen à Lucio conditore dicitur accepisse, cùm Romani Galliam potiebãtur.

MAGDVNVM, Mon. *Meun.*

Magdunum, Mon. in E. Aurelianensi, a. 549. n. 18.

Liphardus primus Abb. obit, Diœcesim Aurelianensem administrante Marco Ep. Vrbitius.

MAIVS MON. *Mairmoutier.*

Maius Mon. in E. Turonensi, a. 508. n. 4.

Martinus conditor ac primus Abb. de cuius successoribus, *ibidem.*

S. MARCELLI Mon. *S. Marcel.*

S. Marcelli Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

B. MARIÆ VIRG. & SS. APOSTOLORVM MON.

B. Mariæ Virg. & SS. Apostolorum Mon. Suessione conditur à Clotario R. post obitum S. Medardi, cuius nomen hodie gerit. *S. Medard de Soissons.*

MARIACVM, Mon. *Mairé.*

Mariacum, Mon. in E. Pictauiensi, a. 559. n. 12.

Iunianus primus Abb. superstes vixit Clotario I.

S. MARTINI Mon. *S. Martin de Tours.*

S. Martini Mon. Turonis, a. 508. n. 4. Inchoatum à S. Martino, a. 461. absolutum a. 472.

Leo Abb. fit Ep. Turonensis, a. 526.

S. MARTINI Mon. *S. Martin de Vienne.*

S. Martini Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

IN MARTINIS Mon.

Mon. in Martinis Taruannæ, a. 552. n. 3. Hoc Mon. conditorem habuit Athalbertum Ep. qui Morinorum Ecclesiam rexit ab a. 520. ad a. 552.

S. MATTHÆI FINIS TERRÆ Mon. *S. Mahé.*

S. Matthæi Mon. in E. Leonensi. a. 555. n. 21.

Gurguidus seu Tanguidus antea Gerberensis Abb. condit hoc Mon. & illius primus fit Abb. Paulo Leonensem E. post Tiernomagilum iterùm administrante. Superstes vixit Clotario I.

S. MAXENTII Mon. *S. Maixent.*

S. Maxentij Mon. in E. Pictauiensi, a. 507. n. 9.

Agapitus Abbas, sub cuius disciplina vixit Maxentius.

Maxentius, cuius nomen loco inditum ad hodiernum vsque diem perseuerat, Abb. ætate Clodouei R.

S. MAXIMINI Mon. *S. Maximin au Diocese d'Aix.*

S. Maximini Mon. in E. M. Aquensi, a. 536. n. 167. paulò recentius Cœnobio Massiliensi S. Victoris, de quo infrà.

S. MAXIMINI Mon. *S. Maximin au Diocese de Trenes.*

S. Maximini Mon. in E. Treuirensi, conditum florente in Galliis Romanorum Imperio.

Fibicius ex Abb. S. Maximini fit Ep. Treuirensis, a. 498.

MENATVM Mon. *Menat.*

Menatense Mon. in E. Aruernensi, a. 508. n. 26. celebre, priusquàm Clodoueus ex Aquitania Wisigothos expelleret.

Brachio fit Abbas regnante Theodoberto Clodouei nepote.

MENTVNIACVM, Mon. *Mantenay.*

Mentuniacense Mon. in E. Trecensi, a. 505. n. 2.

Romanus conditor ac primus Abbas regnante Clodoueo, fit E. Remensis, a. 533.

Leo fit Abbas, a. 533.

MICIACVM, Mon. *Mici.*

Miciacense Mon. in E. Aurelianensi, a. 498. n. 2. conditum ex munificentia Clodouei R.

Eusicius fit primus Abb. a. 498. obit a. 501.

Maximinus, cuius nomen hodie gerit hoc Mon. *S. Mesmin.* fit Abb. a. 501. obit a. 520.

Auitus fit Abb. a. 521. Miciaco discedit a. 525.
Theodemirus Auito subrogatur.
Maximinus II. seu Iunior.

MOGOERA, Mon. *Mogner.*

Mogoera, Mon. in E. Lexobiensi, a. 520. n. 9. conditur à Tugdwalo, regnante Childeberto.

MOLOMIENSE Mon. *Molome.*

Melundense seu Molundense aut Molomiense Mon. in Ep. Lingonensi, a. 496. n. 154. Conditur à Clodoueo R.

NANTVS, Mon. *Nantenil.*

Nantus, Mon. in E. Constantiensi, a. 538. n. 75.
Marculfus ex munificentia Childeberti R. condit hoc Mon. a. circ. 538. primus Abb. constituitur, obitque a. 556.

NEREENSE Mon.

Nereense Mon. puellare in E. Bituricensi, a. 558. n. 5. Conditur à Patroclo, qui Clotario I. superstes vixit.

S. NICETII Mon. *S. Nizier.*

S. Nicetii Mon. in E. Viennensi, a. 534. n. 27.

NIGELLA ABSCONDITA, Mon. *Nelle la repoſte.*

Nigella abscondita, Mon. in E. Trecensi, a. 505. n. 3. Conditur pro viris ac fœminis ex liberalitate Clodouei R. & Clotildis Reginæ.

NOBILIACVM, Mon. *Neuillé.*

Nobiliacum, Mon. in E. Lemouicensi, a. 549. n. 20.
Leonardus, à quo nomen hodie loco est, *S. Leonard*, hoc Mon. construxit ex munificentia Theodoberti R. fuitque primus Abb.

NOVIACVS, Mon.

Nouiacus, Mon. in E. Auenticensi, a. 548. n. 96. illuc reliquias SS. Martyrum, Vincentii, Orontii & Victoris transtulit Ætherius Auenticensis Ep. qui sedere cœpit a. circiter 548.

ONIA, Mon.

Onia, Mon. in E. Bituricensi, a. 508. n. 31.

PENETALE, Mon. *Penets.*

Penetale, Mon. in E. Dolensi, a. 529. n. 8. Conditur à Samsone qui primus Dolensis Ep. fuit regnante Childeberto, superstéſque vixit Clotario I.

S. PETRI Mon. *S. Pierre ſur Braye.*

S. Petri Mon. ad fontes Brigiæ in E. Cenomanensi, a. 532. n. 14. inchoatur à S. Boamiro sub Childeberto R. & Innocentio Episc.

S. PETRI Mon. *S. Pierre de Vienne.*

S. Petri Mon. Viennæ, a. 534. n. 25.
Leonianus seu Leunianus conditor ac primus Abbas antequàm Burgundia Francis ditionibus adiungeretur.

SS. PETRI ET PAVLI.

SS. Petri & Pauli, aut SS. Apostolorum, vel S. Petri Mon. Parisiis prope regium Palatium conditur à Clodouco R. & Clotilde Regina, a. 508. n. 38. a. 537. n. 2. ibi quieſcit S. Genouefa, quæ nomen hodie Cœnobio tribuit. *Sainte Geneuiéue.*

SS. PETRI ET PAVLI.

SS. Petri & Pauli, aut SS. Apostolorum, vel S. Petri Mon. Rotomagi, a. 533. n. 45. conditum à Clotario R. ibi sepultus S. Audoenus, à quo nomen hodie Cœnobio. *S. Ouyn de Rouen.*

PICTAVIENSE Mon.

Pictauiense Mon. a. 544 n 99 Constructum à Radegunde Regina in Ciuitate Pictauiensi.
Agnes prima Abbatissa, benedicitur a. 559.

PONTINIACVS, Mon.

Pontiniacus, Mon. in E. Bituricensi, a. 508. n. 31.

PRINCIACVS Mon.

Princiacus, Mon. in E. Bituricensi, a. 508. n. 34.
Faterius Abb. eo circiter tempore, quo Clodoueus Aquitaniam in suam potestatem redegit.

REDÆVERVS, Mon. *Reniers.*

Redeuetiacum Mon. in E. Baiocensi, a. 530. n. 15.
Vigor conditor ac primus Abb. deinde Ep. Baiocensis regnante Childeberto.

REOMAVS, Mon.

Reomaus, Mon. in E. Lingonensi, a. 486. n. 23.
Ioannes, à quo nomen hodie loco est Monasterium S. Ioannis, *Monſtier S. Jean*, Cœnobii conditor ac primus Abb. fuit.
Siluester fit Abb. a. 539. De illo iterum Tomo II.

RVBIACENSE Mon. *Royac.*

Rubiacense Mon. in Ciuitate Aruerna, a. 525. n. 17

RVIENSE Mon. *Ruys.*

Ruiense Mon. in E. Venetensi, a. 520. n. 6.
Gildas regnante Childeberto construxit hoc Mon. fuitque primus Abb. illius loci, cui nomen hodie, *S. Gildas de Ruys.*

S. SALVATORIS Mon. *S. Sauueur.*

S. Saluatoris Mon puellare Massiliæ, a. 536. n. 43. conditum priusquàm in ea regione dominarentur Franci.

SCISCIACVM Mon. *Chesay.*

Sciſciacum Mon. in E. Abrincensi.
Paternus ex primo illius loci Abbate factus est Ep. Abrincensis a. 550.

SECKINGENSE Mon. *Seckingen.*

Seckingense Mon. in E. Vindonissensi, a. 509. n. 7.
Fridolinus antè Abbas S. Hilarii construxit hoc Mon. rexitque cum Abbatis titulo, regnante in Burgundia Sigismundo.

SEDACIANVM Mon.

Sedacianum Mon. in E. Petrocoricensi, a. 542. n. 1.
Martinus Abb. cùm Eparchius ibi Monachum induit.

SEGESTRENSE Mon.

Segestrense Mon. in E. Lingonensi, a. 534. n. 30.

Sequanus, à quo nomen hodie Cœnobio est, *S. Seine*, conditor ac primus Abb. floruit sub Burgundis & Francis. Superstes erat in viuis, a. 559.

SENAPARIA, Mon.

Senaparia Mon. in E. Turonensi, a. 508. n 31.

Leobatius primus Abb.

S. SEVERI Mon. *S. Seuer.*

S. Seueri Mon. in E. Constantiensi, a. 523. n. 17.

Seuerus hoc Mon. construxit, rexitque temporibus Childeberti R. donec in Ep. Abrincensem assumptus est.

SITIVENSE Mon. *Sitiu.*

Sitiuense Mon. in E. Tarnannensi, a. 519. n. 2. conditum ab Antimundo Ep. dictum etiam Vlterense.

S. SYMPHORIANI Mon. *S. Symphorien d'Autun.*

S. Symphoriani Mon. apud Augustodunum, a. 548. n. 5.

Germanus Abb. constituitur à Nectario Augustodunensi Ep. ante a. 548. fit Ep. Parisiensis, a. 555.

S. SYMPHORIANI Mon. *S. Symphorien de Bourges.*

S. Symphoriani Mon. prope muros Bituricenses, a. 557. n. 23.

Augustus primus Abbas constituitur à Probiano Bituricensi Ep. qui sedere cœpit a. 550. ipsúmque Mon. erexit.

TAVRIACVS Mon.

Tauriacus Mon. in E. Bituricensi, a. 508. n. 31.

TEVENECENSE Mon. *Landt-Téuennec.*

Teuenecense Mon. in E. Corentinopolitano, a. 529. n. 5.

Iudulus Abb. martyrio coronatur a. circiter 538.

TRECORENSE Mon. *Treguer.*

Trecorense Mon. in E. Lexobiensi, a. 520. n. 9. fauente Derocho viro prædiuite constructum à Tugdwalo, qui postea factus est Ep. Lexobiensis, a. 532.

TVRONENSIA MONASTERIA.

Duo Monasteria in E. Turonensi, a 536. n. 261. Hæc Monasteria erecta sunt à S. Brachione, qui Abbates illis præposuit, antequàm ipse Abb. Menatensis fieret.

S. VENANTII Mon. *S. Venant.*

S. Venantii Mon. in E. Turonensi, a. 508. n. 4.

Syluanus Abb.

Venantius Syluani discipulus, cuius nomen inditum postea Monasterio.

Licinius, qui factus est Turonensis Ep. eodem anno quo Clodoueus Turonos cepit.

Guntharius, qui factus est Ep. Turon. a. 552.

VENETENSE Mon. *de Vannes.*

Venetense Mon. puellare, a. 553. n. 11. Hoc Mon. in suburbio Venetensi conditum est à S. Trifina, S. Gildæ coætanea, quæ vitam inter Moniales ibi duxit.

S. VICTORIS Mon. *S. Victor.*

S. Victoris Mon Massiliæ, a. 534. n. 43.

Cassianus conditor ac primus Abb. obiit, cùm Massilia Valentiniano III. Rom. Imperatori parebat.

S. VINCENTII Mon. *S. Vincent lez. Paris.*

S. Vincentii Mon. in suburbio Parisiensi, a. 542. n. 32. conditum à Childeberto R. post a. 542.

Autharius primus Abbas obit. a. 561.

Droctoueus fit Abb. a. 561.

S. VINCENTII Mon. *S. Vincent de Vienne.*

S. Vincentii Mon. in E. Vienn. a. 534. n. 27.

VIVARIS, Mon.

Viuaris Mon. in E. Bituricensi, a. 525. n. 18.

VORMACIENSE Mon. *de Worms.*

Vormaciense Mon. a. 503. n. 3. regnante Clodoueo, conditum à Crotoaldo Ep. Vormaciensi.

YVELINVM, Mon. *Veaune.*

Mon. puellare de Yuelino, *Nostre Dame de Veaune*, Massiliæ, a. 536. n. 43. conditum est à Cassiano, cùm Massilia Imperatori Rom. subiacebat.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 36. *lin.* 25. Iulio, *lege* Iuliano. *pag.* 46. *in marg.* dictiones, *leg.* ditiones. *p.* 53. *lin* 3. quarti, *leg.* quinti. *lin.* 19. tria postrema non extant, *leg.* tria postrema cum vicesimo primo non extant. *p.* 78. *lin.* 42. Victorinus, *leg.* Victorius. *p.* 79. *lin.* 32. Victore, *leg.* Victorio. *p.* 101. *lin.* 16. Ricinus, *leg.* Ricimer. *p.* 141. *lin.* 38. Lupicini, *leg.* Lupicini. *p.* 218. *lin.* 34. Episcopus, *leg.* Episcopo. *p.* 282. *lin.* 26. rectæ, *leg.* certæ. *lin.* 53. vt in cuius, *leg.* vt in eius Episcopi, in cuius. *p.* 316. *lin.* 9. Medardinóve, *leg.* Menardinóve. *p.* 333. *dele in marg.* Monachi Vlterenses. *p.* 359. *lin.* 13, Aruernaus, *leg.* Aruernam. *p.* 417. *lin.* 15. quadringentesimo, *leg.* quingentesimo. *p.* 599. *lin.* 47. Clementius, *leg.* Clematius. *p.* 600. *lin.* 44. Qui cuius, *leg.* Qui cupis. *p.* 721. *lin.* 45. virgines, *leg.* vigilent. *p.* 749. *lin.* 33. paulè, *leg.* paulò.

PARISIIS,
IN TYPOGRAPHIA REGIA,
CVRANTE SEBASTIANO CRAMOISY,
Regis ac Reginæ Architypographo.

M. DC. LXV.

Digitized by Google